SAUL
EX REX.

EDITIO SECUNDA.



V/

IOANNIS
SINNICHIJ,
CORCAGIENSIS IBERNI:
Sacræ Theologiæ in Academia Lovanienſi Doctoris, Ordinarij Profeſſoris, & Majoris Collegij Theologici Præſidis,

SAUL EXREX.

SIVE

DE SAULE, ISRAELITICÆ GENTIS PROTOMONARCHA,

DIVINITUS PRIMUM SUBLIMATO, AC DEINDE OB VIOLATAM RELIGIONEM PRINCIPATU VITAQUE EXUTO:

IN TYPUM

Regum ac Principum temeratæ Religionis Reorum; ideoque cælitùs animadverſorum, vel animadvertendorum.

UBI

De reciproco Principum ac ſubditorum erga invicem officio, de utrorumque erga Deum & Eccleſiam quà triumphantem quà militantem obſequio, deque diſtricto Dei adversùs inofficioſos & inobſequioſos judicio, ſtromaticè diſſeritur; & decalogicæ legis adversùs laxitates opinioſè aſperſas rigor & vigor aſſeritur.

Apprehendit Saul ſummitatem pallij Samuëlis; quæ & ſciſſa eſt. Et ait ad eum Samuël: Scidit Dominus regnum Iſraël à te hodie. 1. Regum 15. v. 27. & 28.
Ad vos Reges ſunt hi ſermones mei: ut diſcatis ſapientiam, & non excidatis. Sap. 6. v. 10.
Ecce timor Domini, ipſa eſt ſapientia: & recedere à malo, intelligentia. Job 28. v. 28.

Cum triplici Indice, Capitum præfixo: Scripturarum, ac rerum ſubnexo.

EDITIO SECUNDA.





LOVANII,
Typis ac ſumptibus HIERONYMI NEMPÆI Typographi jurati, ſub Inſigni D. THOMÆ Aquinatis, Doctoris Angelici.

Cum Gratia & Privilegio Regio. 1665.

REGI SÆCVLORVM,
DE REGE SÆCVLORVM:

Immortali et invisibili in propriis, mortali et visibili in nostris:
Ingeniti genitoris vnigenito, vniversæ creatvræ primogenito:
Lvcis inaccessæ splendori coæterno, radicis Iesse flori inconsperso:
Consorti gloriæ paternæ, participi et opifici carnis maternæ:
De patre sine matre nascenti ivgiter, de matre sine patre noviter:
Colvmini cvriæ svpernæ, principi regvm terræ:
Avgvsto in cælis, angvsto in cvnis; svblimi in stellis, exili in pannis:
Verbo Domini cælos firmanti, filio hominis terras restavranti:
In omni popvlo, et in omni gente, primatvm gerenti:
Omnivm excellentivm et hvmilivm corda virtvte calcanti:
A fine ad finem fortiter attingenti, svaviter omnia ordinanti:
In mensvra, et nvmero, et pondere vniversa disponenti:
Virtvtis svæ verbo cvncta propter se operanti, foventi, portanti:
In regno hominvm excelse dominanti, et cvi placverit illvd tradenti:
Sceptra de gente in gentem propter violentias et dolos transferenti:
Corda regvm in sva manv tenenti, et qvocvnqve volverit inclinanti:
Reges probos ivxta cor svvm, dyscolos pro popvlorvm noxis evehenti:
In fvrore svo reges concedenti, et in indignatione sva avferenti:
Hypocritam hominem in pervicacis plebis flagellvm svblimanti:
Reges regnare, et conditores legvm ivsta decernere præstanti:
Regvm baltevm dissolventi, et renes eorvm fvne præcingenti:
Despectionem svper principes effvndenti, et oppressos relevanti:
Sedes dvcvm svperborvm destrventi, et mites pro eis svrroganti:
Consiliarios in stvltvm finem, et ivdices in stvporem addvcenti:
Gentes mvltiplicanti, et perdenti, svbversasqve in integrvm restitventi:
Regvm a se electorvm ministeria perpendenti, et cogitationes scrvtanti:
Profvnda de tenebris revelanti, et vmbram mortis in lvcem proferenti:
Gentes in virga ferrea regenti, et cedros Libani confringenti:
Apostasiam regibvs, et impietatem dvcibvs imperterrite exprobranti:
Nvllivs personam respicienti, nvllivs magnitvdinem verenti:
Pvsillvm et grandem æqvaliter cvranti, cviqve pro meritis retribventi:
Jvdicivm dvrissimvm rectoribvs minanti, Hiervsalem in lvcernis lvstranti:
Potentes potenter torqventi, fortiores fortivs crvcianti:
Femori svo, REX REGUM ET DOMINUS DOMINANTIUM, inscriptvm gestanti:
Regem impivm e cvnis terrenti, pios stella dvce ad svi cvltvm accersenti:

CHRISTO DOMINO, DEO HOMINI:

Dei et hominvm mediatori: qvi prima atqve vltima pacans,
Ut nos insereret svmmis, se miscvit imis.
Cvi appropinqvare clarescere est, qvem timere gavdere est,

CUI SERVIRE REGNARE EST.

Avthor ex animo D. D. C. Q.

§ PROLOGUS

PROLOGVS.

I. Um olim Volusianus, vir stemmate illustris, ingenio excellens, & eloquio luculentus, Beati Augustini tunc viventis ac vigentis eruditionē tanto laudum præconio extulisset, ut pro coronide Epistolæ eidem inscriptæ hanc adjecerit clausulam, A. Utcunque absque detrimento cul- A Volus. Epist. 2. inter Augustinianas.
„tus divini in alijs Sacerdotibus toleratur inscitia; at cùm ad antistitē AUGUSTINUM. venitur, legi deest quicquid contigerit ignorari". Augustinus arreptâ inde occasione glorificandi Deum in lege sua, & humiliandi sub ejusdem legis eminentiâ intelligentiam suam, rescripsit encomiasti suo in hunc tenorem: B. Hanc de me opinionem, facilè præsumptam, quæso deponas; eumque B. August. Epist. 1.
„ animum, quamvis erga me benevolentissimum, solvas, atque exuas; ac de me
„ mihi magis quàm ulli alteri credas, si mihi dilectionis vicem rependis. Tanta
„ est enim Christianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem,
„ si eas solas ab ineunte pueritiâ usque ad decrepitam senectutem maximo otio,
„ summo studio, meliore ingenio conarer addiscere. Non quòd ad ea quæ ne-
„ cessaria sunt saluti, tantâ in eis perveniatur difficultate; sed cùm quisque ibi
„ fidem tenuerit, sine quâ piè rectèque non vivitur, tam multa, tamque multi-
„ plicibus mysteriorum umbraculis opaca intelligenda proficientibus restant,
„ tantaque non solùm in verbis quibus ista dicta sunt, verùm etiam in rebus
„ quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ; ut annosissimis, acutissimis,
„ flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura
Eccli. 18. 6. quodam loco habet: *Cùm consummaverit homo, tunc incipit*".

II. Ferunt, Themistoclem, sapientiæ nomine inter Græcos conspicuum, anno ætatis supra centesimum septimo morituri entem dixisse, C. *Dolere se quòd vitam finiret, quando sapere cœpisset.* Et tamen hic veteranus, suo adhuc judicio tyro, animum ultra mundanæ Philosophiæ peripheriam nequaquam exporrexit, quæ utique comparatione divinæ literaturæ angustè jacet, vel humi repit: D. Quan- C. Hugo Victor. l. 1. Didascal. c. 15.
„ to enim minor est auri, argenti, vestisque copia, quam de Ægypto secum He- D Aug. l. 2. de doctrina Christ. c. 42.
„ bræus populus abstulit, in comparatione divitiarum quas postea Hierosoly-
„ mæ consecutus est, quæ maximè in Salomone Rege ostenduntur: tanta fit cun-
„ cta scientia, quæ quidem est utilis, collecta de libris Gentium, si divinarum Vide Ambros. in proœmio super Lucam, & Aug. Ep. 3.
„ Scripturarum scientiæ comparetur. Nam quicquid homo extrà didicerit, si
„ noxium est, ibi damnatur; si utile est, ibi invenitur: & cùm quisque ibi inve-
„ nerit omnia quæ utiliter alibi didicit, multò abundantiùs ibi inveniet ea quæ
„ nusquam omninò alibi, sed in illarum tantummodò Scripturarum mirabili altitudine & mirabili humilitate discuntur". Propheta Regius, jam cœli discipulus & Spiritus Sancti organum, licèt subinde gratulari sibi videatur, quòd
Ps. 118. 99. *super omnes docentes se intellexerit*; probè tamen advertens hominem incipere cùm Vide Hieron. Epist. 13.
Ibid. v. 34. consummaverit, aiebat Domino in eodem ipso Psalmo alphabetico, *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam*: & rursùm, *Da mihi intellectum, & discam man-*
Ibid. v. 73. *data tua*: & iterùm, *Da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.* Ecce intellectum
Ibid. v. 125. poscit ut discat, qui *super omnes docentes se intellexit*, & qui ibidem ait Deo, *Testi-*
Ibid. v. 95. *monia tua intellexi.* Si jam intellexit, cur intellectum flagitat, ut discat? Cur
Eccli. 18. 6. putamus, nisi quia *cùm consummaverit homo, tunc incipit?* Unde & Leo Papa ait: E. Nemo ad cognitionem veritatis magis propinquat, quàm qui intelligit in rebus divinis, etiamsi multùm proficiat, semper sibi superesse quod quærat". Et E. Leo Serm. 9. de Nativit. cap. 1.
Augustinus signatè de divinis literis disserens: F. Quantùm quisque sciendo F. August. T. contra Priscillianistas cap. 11.
„ profecerit, inquit, tanto se infra illas literas inveniet, quas Deus tanquam firmamentum supra omnia humana corda constituit". Eòdem spectat & illud Gregorij: G. Inquantùm quisque ad alta profecerit, intantùm el & sacra Eloquia de altioribus loquuntur". Qui rursùs lib. 20. Moral. c. 1." Scriptura Sacra, G. Greg. Homil. 7. in Ezech.
„ inquit, cum loquentibus crescit, quia & à rudibus lectoribus quasi recognoscitur,

 & tamen

& tamen doctis semper nova reperitur". Et in Prologo ejusdem Operis c. 4. "Divinus sermo, inquit, sicut mysterijs prudentes exercet, sic plerunque superficie „ simplices refovet: habet in publico unde parvulos nutriat, servat in secreto „ unde mentes sublimium in admiratione suspendat: quasi quidam fluvius, ut ita dixerim, planus, & altus; in quo & agnus ambulet, & elephas natet".

III. Tanta est divinæ hujus literaturæ, præ mundanâ sapientiâ, dignitas ac sublimitas: ut cùm ipsa comparetur pani filiorum, ista assimiletur siliquæ porcorum. Unde Beda edisserens parabolam *Filij prodigi, cupientis saturari de porcorum siliquis*: H. Sicut panis, inquit, qui *cor hominis confirmat*, verbo Dei, quod mentem re- „ ficit, assimilatur: ita *siliqua*, quæ intus inanis, foris mollis est, & corpus non re- „ ficit, sed implet, ut sit magis oneri quàm usui, sæculari sapientiæ non immeritò „ comparatur; cujus sermo facundiæ plausu sonorus, sed virtute utilitatis est vacuus". Quisquis proinde sæcularis sapientiæ siliquâ pascitur, quantumlibet distendatur, non tamen inde reficitur, nedum saturatur: at contrà qui pane divini sermonis vescitur, non modò nutrimentum excipit, sed & delicijs affluit: I. In Scripturæ namque Sacræ verbis tot delicias invenimus, quot ad profe- „ ctum nostrum intelligentiæ diversitates accipimus: ut modò nuda nos pascat „ historia, modò sub textu literę velata medullitùs nos reficiat moralis allegoria, „ modò ad altiora suspendat contemplatio, in præsentis vitæ tenebris jam de lumine æternitatis intermicans". Pulchrè admodùm & appositè Hugo Victorinus: K. Sicut homo exterior, inquit, in refectorio materiali, ad horam, cibo potuque „ reficitur, sic homo interior in refectorio functæ meditationis *Potatur vino compunctionis*, & diversis exemplorum saginatur epulis. In hoc refectorio tres po- „ nuntur mensæ, id est, triplices intelligentiæ divinæ Scripturæ, videlicet histo- „ rialis, mystica, & moralis: prima mensa simplicibus, secunda Doctoribus, ter- „ tia communis est utrisque: in primâ cibus grossior, in secundâ subtilior, in „ tertiâ dulcior: prima saporem continet exemplorum, secunda vim mysterio- „ rum, tertia dulcedinem morum. In primâ Christus vinum ministrat, in secun- „ dâ frangit panem, in tertiâ docet: prima pascit miraculis, secunda figuris, ter- „ tia verbis: res miraculorum corroborat fidem, impletio figurarum spem, doctrina morum charitatem". Et Hieronymus ad Hebidiam, mutato aliquantulùm ordine refectionum: L. Triplex, inquit, in corde nostro descriptio & regula Scri- „ pturarum est: prima ut intelligamus eas juxta historiam; secunda, juxta tropo- „ logiam; tertia juxta intelligentiam spiritalem. In historia, eorum quæ scripta „ sunt ordo servatur: in tropologiâ, de literâ ad majora consurgimus; & quic- „ quid in priori populo carnaliter factum est, ad animæ nostræ emolumenta con- „ vertimus: in spirituali theoriâ ad sublimiora transimus, terrena dimittimus, „ de futurorum beatitudine & cælestibus disputamus; ut præsentis vitæ meditatio, umbra futuræ beatitudinis sit".

H. Beda l. 4. in Lucam cap. 63. Vide Hieronym. Epist. 146. & Ambros. l. 7. in c. 15. Lucæ.

Luc. 15. 16.

Psal. 103. 15.

I. Greg. lib. 16. Moral. c. 9 alias 10.

K. Hugo Victor. l. 3 de Claustro animæ c. 8.

Psal. 59. 5.

L. Hieron. Epist. 146. q. 14.

IV. Observat Angelicus Doctor in Summâ suâ Theologicâ, & post eum plerique ipsius Interpretes, quod cùm in reliquis scientijs voces significent, in scientiâ sacrarum Scripturarum etiam res ipsæ vocibus significatæ suas porrò habent significationes. Quin & ante hos Hugo Victorinus notaverat, significationem rerum in divinis Eloquijs excellentiorem & multipliciorem esse significatione vocum: M. Diligens scrutator sacri Eloquij, ait ipse, rerum signi- „ ficationes nequaquam negligere debet, quia sicut per voces prima rerum „ notitia acquiritur, ita per significationem rerum earundem, quæ spirituali „ notificatione percipiuntur, intelligentia & manifestatio perficitur. Philoso- „ phus in alijs Scripturis solam vocum novit significationem, sed in sacrâ Paginâ excellentior valdè est rerum significatio, quàm vocum: quia hanc usus „ instituit, illam natura dictavit: hæc hominum vox est, illa Dei ad homines. „ Significatio vocum est ex placito hominum, significatio rerum naturalis est, „ aut ex operatione Creatoris volentis quasdam res per alias significari. Est

Vide Divum Thom. 1 p. q. 1. art. 10.

M. Hugo Victor in Prænotat. de Scripturis & Scriptoribus Sacris cap. 14.

etiam

„ etiam longè multiplicior significatio rerum, quàm vocum: nam paucæ voces „plusquàm duas aut tres significationes habent; res autem quælibet tam mul-„tiplex potest esse in significatione aliarum rerum, quot in se proprietates visibiles aut invisibiles habet communes alijs rebus". Hoc ipsum ijsdem propemodum verbis repetit idem Author in suis Didascalicis lib. 5. cap. 3. ac tum subdit: "Ex quo nimirùm colligitur, quàm profunda in sacris literis re-„quirenda sit intelligentia; ubi per vocem ad intellectum, per intellectum ad „rem, per rem ad rationem, per rationem pervenitur ad veritatem. Quod dum „quidam minùs docti non considerant, nullam in eis esse subtilitatem existi-„mant, ubi exerceri ingenia possint; & ob hoc ad Philosophorum Scripturas se „transferunt, quia profectò nihil aliud ibi concipiunt nisi solam literæ superficiem, virtutem veritatis ignorantes". De talibus aiebat olim Magnus Basilius: N. Sacræ scripturæ verba ijs qui utcunque aut perfunctoriè ea legunt, syllabæ „quædam esse videntur, eæque perexiguæ: sed cùm verborum sententiæ pervestigantur, tunc quanta sit Creatoris sapientia perspicitur". Sed quid ipse? Noluit profectò perfunctorios illos Lectores, sed magis istos sedulos pervestigatores imitari. Unde & superiùs Homil. 6. operosum discursum formaverat: "Ut constaret, inquit, in verbis Scripturæ divinitùs inspiratæ ne syllabam quidem esse otiosam". Quod ipsum ex professo astruit in libro de Spiritu Sancto ad Amphilochium cap. 1. Cui consonans Hieronymus: O. Singuli sermones, „inquit, syllabæ, apices, puncta, in divinis Scripturis plena sunt sensibus". Et Chrysostomus in Genesim: P. Obsecro vos, inquit, ne simpliciter ea quæ „Scripturis Sacris continentur transeatis: nihil enim istic scriptum est, quod „non multas sensuum habeat divitias, quandoquidem Divino Spiritu afflati „Prophetæ locuti sint: ideò ut à spiritu conscripta ingentem in se continent „thesaurum. Et ne miremini quòd in nominum enumeratione multas senten-„tiarum latentes divitias ostensurum me vobis pollicear: neque enim vel sylla-„ba, vel apiculus est in sacris Literis, in cujus profundo non sit grandis quispiam thesaurus". Vis ampliùs? Audi eundem alibi ampliantem hoc etiam usque ad dimidium jota, vel apicem. Sic enim ait Homil. 35. in Joannem:" Quem-„admodùm in auri metallis ne minimam quidem venam omittendam ducit, qui „rem intelligit: ita & in divinis Scripturis ne unum jota, vel unus apex, sed ne „dimidium quidem prætermittendum fuerit; sed omnia diligentiùs investigan-„da. Nam à Spiritu Sancto cuncta proveniunt, nihilque in eis superfluum existit, nihil non necessarium".

N. Basil Homil. 8. Hexaem. Vide Isidor. Pelus. l. 2. Epist. 318. & Aug. lib. 22. contra Faust. c. 5.

O. Hieron. l. 2. in cap. 3. ad Ephesios.

P. Chrysost. Homil. 21. in Genesim.

V. Non est mihi in præsenti Opere propositum trutinare sententias, penficulare dictiones, scrutari syllabas, rimari jota vel apices, nedum semiapices: sed historiam suscepi integram elucidandam, quam nemo Scripturarum utcunque peritus ignorat; nemo penè etiam illiteratorum non saltem audivit, audiendo obstupuit, & quid portenderet nosse cupivit. Ea complectitur gesta & eventa *Saülis*, & *Samuëlis*; primi scilicet Regis, & novissimi Judicis veterum Israëlitarum, *Quorum adoptio erat filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa: quorum Patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Non quidem universa duorum prædictorum Procerum gesta vel eventa expendere decrevi: sed ea duntaxat selegi, quæ populorum Rectoribus salubriter instituendis, atque in officio obsequioque continendis, maximè opportuna existimavi: Q. In libris omnibus san-„ctis, inquit Augustinus, intueri oportet, quæ ibi æterna intimentur, quæ „facta narrentur, quæ futura prænuncientur, quæ agenda præcipiantur, vel moneantur". In evectione gratuitâ Saülis ad regnum illud terrenum, intimata fuit æterna electio indignorum ad regnum supernum: *Cùm parvulus*

Rom. 9. 4. & 5.

Q. Aug. l. 1. de Genes. ad lit. c. 1.

 esset

1. Reg 15.17 *esset Saül in oculis suis, caput in tribubus Israël factus est, unxitque eum Dominus in Regem super Israël.* Ecce figuram intimantem: cujus figuratum exhibet nobis Iacobus Apostolus: *Audite*, inquiens, *fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & haeredes regni?* Ubi ne quis putet eos fuisse utcunque dignos, quatenùs *in fide* praeviè *divites*: obviat Augustinus, apertissimè reclamans, ac dicens: R. Elegit Deus fideles, sed ut sint, non quia jam erant. „ Apostolus Iacobus dicit, *Nonne Deus elegit pauperes in hoc Mundo, divites in „ fide, & haeredes regni, quod repromisit deligentibus se?* Eligendo ergo facit *divi- „ tes in fide*, sicut *haeredes regni*. Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod ut in eis faciat, eos elegit". Sed nec huic analogiae obstat, quòd de Saule ante evectionem ad regnum illud terrenum, legatur scriptum, quod fuerit *Electus & bonus, & non fuerit de filijs Israël melior illo.* Haec enim ipsius bonitas non praecesserat, sed subsecuta est divinam electionem, tametsi praecesserit temporariam regni adeptionem. Vide autem quemadmodùm in hoc ipso adumbrârit regnaturos in caelo cum Christo: S. Illi, inquit Fulgentius, cum Christo reg- „ nabunt, quos Deus gratuitâ bonitate suâ praedestinavit ad regnum. Quia „ enim tales praedestinando praeparavit, ut regno digni essent; praeparavit uti- „ que secundùm propositum vocandos, ut obediant; praeparavit justificandos, „ ut acceptâ gratiâ rectè credant, & benè vivant, praeparavit etiam glorificandos, ut Christi cohaeredes effecti regnum caelorum sine fine possideant".

Jac. 2. 5.

R. Aug l. de Praedestinat. Sanctorum cap. 17.

1. Reg 9. 2.

S. Fulgent. lib. de fide ad Petrum cap. 3.

VI. Secundum quod in libris sanctis intuendum suggerit Augustinus, concernit *facta quae narrantur.* Porrò nos in factis quae de *Saule* & *Samuele* narrantur, haec potissimùm intuenda elegimus: Electionem & unctionem *Saulis* in Regem: Expeditionem ejusdem adversùs Philisthaeos, cum usurpatione functionis sacerdotalis: Expeditionem alteram adversùs Amalecitas, cum neglectu jussionis divinae: Samuëlis Pontificis & Ex-judicis accessum ad eum increpandum pro eodem neglectu: Pontificiae diploidis scissionem ab eo factam: Pontificis abscessum, cum denuntiatione abscissionis regni, & unctione successoris in eodem regno: Persecutionem ab eo motam in successorem, & in personas etiam sacras eidem successori faventes: Expeditionem ejus novissimam adversùs philisthaeos, cum recursu ad Pythonissam pro suscitando Samuële pridem sanctè defuncto: Apparitionem Samuëlis ei factam, cum denuntiatione postridianae cladis: Necem ejus postridie subsecutam, à seipso pusillanimiter & damnabiliter perpetratam.

VII. Tertium ab Augustino suggestum, in libris sanctis intuendum, est *futurorum praenunciatio.* Haec porro praenunciatio vel patet in literâ, vel latet in
1 Reg 13.14 mysterio: in literâ patet illa Samuelis ad Saulem, *Nequaquam regnum tuum ultra*
1. Reg 15. 29. *consurget*: & illa item ejusdem ad eundem, *Porrò triumphator in Israël non parcet,*
1. Reg. 28. 17. *& poenitudine non flectetur*: necnon & illa ejusdem ad eundem, *Faciet tibi Dominus sicut locutus est in manu meâ, & scindet regnum tuum de manu tuâ, & dabit illud*
Ibid. v. 19. *proximo tuo David*: denique illa, *Cras tu & filij tui mecum eritis: sed & castra Israël tradet Dominus in manus Phylisthijm*: quae omnia ita prorsùs evenerunt, sicut praenunciata fuerant. In mysterio autem tot latent praenuntiationes, quot reperiuntur in personis & rebus & actionibus vel passionibus n. 6. memoratis mysticae futurorum significationes: quae propemodùm innumerae sunt, prout colligi potest ex Augustino, in verbis: T. Hoc primùm dico, illorum hominum non tan- „ tùm linguam sed etiam vitam fuisse propheticam; totumque illud regnum „ Gentis Hebraeorum, magnum quendam, quia magni cujusdam, fuisse Pro- „ phetam. Quocirca quod ad eos attinet qui illic erant *Eruditi corde in sapientia „ Dei*, non solùm in ijs quae dicebant, sed in ijs etiam quae faciebant; quod „ autem ad caeteros, & simul omnes illius Gentis homines, in ijs quae vel in illis,

T. August. lib 22 cont. Faust. c. 24. Vide lib. de Catech rudibus c. 19. & l. de Bono viduitatis cap. 7.

Psal. 89. 12.

vel de

„ vel de illis divinitùs fiebant, prophetia venturi Christi & Ecclesiæ perscrutan-
1. Cor. 10. 11. da est: *Omnia enim illa*, sicut Apostolus dicit, *figuræ fuerunt nostræ*".

VIII. Pro pleniore horum intelligentiâ recoli hic possunt verba illa Hugo-
nis Victorini n. 4. superiùs descripta: *Significatio vocum est ex placito hominum,* Hugo supra.
significatio rerum naturalis est, aut ex operatione Creatoris volentis quasdam res per alias
significari. Est etiam longè multiplicior significatio rerum, quàm vocum: nam paucæ voces
plusquam duas aut tres significationes habent; res autem quælibet tam multiplex potest
esse in significatione aliarum rerum; quot in se proprietates visibiles aut invisibiles habet
communes alijs rebus. Hinc satis apparet quàm vere jam proximè dictum sit, innu-
meras propemodùm esse prænunciationes mysticas eorum quæ n. 6. memora-
vimus. Nihil enim est eorum quod non habeat plures proprietates visibiles aut
invisibiles compluribus alijs rebus tunc futuris communes. Proindè cùm penè
innumeræ sint ejusmodi proprietates; necesse est penè innumeras esse mysti-
cas prænunciationes: præsertim cùm etiam ex arbitrario instituto, potissi-
mùm Creatoris, possint res præteritæ vel præsentes præsignificare futuras.

IX. Ambigunt nonnulli num res malæ contineant aliquando prænunciationes
bonarum, aut vice versâ bonæ malarum. Proculdubiò continent: V. Ne mireris V. Beda in
„ Lector, inquit Beda, quod aliquando bona typicè malum, aliquando bonum cap. 2. To-
„ mala hominum facta significant. Quod si non liceret, nunquam nigro atra- bia v. 10.
„ mento; sed auro semper lucido scriberetur *Deus*, quia lux est. Sed etsi no-
„ men *Diaboli* in calculo scribas candido, nihilominùs tenebras significat pro-
fundas". Et ante Bedam Augustinus: W. Ad significanda aliqua bona, inquit, W. August.
„ nihil interest, facta illa quibus ea significantur, seu bona, seu mala sint l. 22. contra
„ Quid enim meâ interest, cùm volo aliquid legendo cognoscere, utrùm ex Faust. c. 83.
„ minio reperiam scriptos nigros Æthiopes, an ex atramento candidos Gal-
los"? Et inter utrumque Gregorius: X. Plerunque, inquit, res quælibet per X Greg. l. 3.
„ historiam virtus est, per significationem culpa: sicut aliquando res gesta, in Moral. c. 14.
facto causa damnationis est, in scripto autem Prophetia virtutis". Et rursùs alias 21.
post plusculum: "Virtus sacri Eloquij sic transacta narrat, ut ventura exprimat: Vide Ambr.
„ sic in facto rem approbat, ut ei in mysterio contradicat; sic item gesta dam- l. 3. in cap.
nat, ut hæc mysticè gerenda persuadeat". Et his tribus recentior Bernardus, lo- 1. Lucæ v. 38.
quens de veteribus Patribus, quibus omnia in figurâ contigerunt: Y. In ope- Y Bernard.
„ ribus eorum, inquit, decora & delectabilis est significatio mystica; ipsa ta- Serm. 2. in
„ men, si per se considerentur, inveniuntur aliquando minùs digna: ut sunt Dominicam
„ facta Iacob, adulterium David, & multa similia. Pretiosa quidem sunt fer- post octavam Epiphaniæ.
Psal. 17. 12. „ cula, sed vasa non adeò pretiosa: & forsitan propterea dictum est, *Tenebrosa*
„ *aqua in nubibus aëris*, quoniam tenebrosæ nubes illæ fuerunt; & subjunctum
Ibid. v. 13. est de Domino, *Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt*".

X. Est præterea advertendum, posse unum idemque signum mysticè præ-
nunciare rem futuram, & simul commemorare præteritam: sic enim transla-
Gen. 5. 24. tio *Henoch* prænunciavit ascensionem Christi & Sanctorum in paradisum cæ-
lestem, simulque rememoravit translationem Adami recèns conditi in para-
disum terrestrem. Sic item *Noë* soporatus in tabernaculo, prænunciavit Chri-
Gen. 9. 21. stum exanimandum in patibulo; & rememoravit protoplastum ecstatico sopo-
Gen. 19. 33. re affectum in paradiso. Sic quoque filij *Loth*, ab ipso dormiente geniti, præ-
nunciarunt Ecclesiam à Christo moriente propagandam; & rememorarunt
Num. 21. 9. Evam de costâ Adami dormientis efformatam. Similiter & *Serpens æneus*, re-
memoravit veterem serpentem, unde sumus sauciati; & prænunciavit Christum
in Cruce pendentem, unde sumus sanati. Sic item *Ionas* in ventre ceti prænun-
Jon. 2. 1. ciavit Christum in corde terræ, & rememoravit Noë in arca circumstrepente
abysso diluvij. Sic item *Saül* prænunciavit Christum, & Christianos Reges in

Ecclesiâ futuros; & rememoravit Adamum, orbis terrarum Principem à Deo constitutum. Sic & *Samuel* translatione sacerdotij in se factâ extra ordinem à Lege præscriptum, prænunciavit sacerdotium Christianum, nulli certæ stirpi aut genti adstrictum; & rememoravit sacerdotium Legis naturæ, de tribu Ruben primogeniti in tribum Levi tertiogeniti translatum. Sic denique Heliseus, à pueris ob calvitiem irrisus, prænunciavit Christum in monte Calvariæ Iudæorum insultationibus impetitum; & rememoravit Patriarcham Noë, nudum à filio minore traductum. Innumera similia obviè unicuique vel mediocriter consideranti occurrent.

XI. Quartum denique ab Augustino suggestum, in sanctis libris intuendum, concernit præcepta & monita vitæ probiter instituendæ, sive morum documenta. Et hæc quidem Sanctorum librorum intuitio latissime per universum eorum corpus diffunditur & expanditur: partim quidem juxta literalem intelligentiam, cæterùm juxta tropologiam: *In qua*, juxta Hieronymum num. 3. relatum, *de literâ ad majora consurgimus: & quicquid in priori populo carnaliter factum est, juxta moralem interpretamur locum, & ad animæ nostræ emolumenta convertimus*: referendo scilicet illud ad bina dilectionis præcepta, *in quibus totam pendêre Legem & Prophetas*, Veritas ipsa asseverat. Cui Augustinus non solùm subscribit, sed & universas Novi Testamenti Scripturas, nondum tunc editas, superadijcit: Z. Manifestum est, inquiens, non tantùm *totam Legem & Prophetas in illis duobus pendêre præceptis, dilectionis Dei & proximi*, quæ adhuc sola Scriptura sancta erat eum hoc Dominus diceret: sed etiam quæcunque posteriùs salubriter conscripta sunt, memoriæque mandata, divinarum volumina literarum. Quapropter in veteri Testamento est occultatio novi, & in Novo Testamento manifestatio veteris". Unde & alibi idem Augustinus admonens piam animam salutis suæ studiosam: A. Si non vacat, inquit, omnes paginas sanctas perscrutari, omnia involucra sermonum evolvere, omnia Scripturarum secreta penetrare: tene Charitatem, ubi pendent omnia: ita tenebis quod ibi didicisti, tenebis etiam quod nondum didicisti. Si enim nosti Charitatem, aliquid nosti unde & illud pendet quod fortè non nosti: & in eo quod in Scripturis intelligis, Charitas patet; in eo quod non intelligis, Charitas latet. Ille itaque tenet & quod patet & quod latet in divinis sermonibus, qui Charitatem tenet in moribus. Quapropter sectamini Charitatem, dulce ac salubre vinculum mentium, sine quâ dives pauper est, & cum quâ pauper dives est. Hæc in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentationibus tutissima, in hospitalitate latissima, inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima. In Abel per sacrificium grata, in Noë per diluvium secura, in Abrahæ peregrinationibus fidelissima, in Moyse inter injurias lenissima, in David tribulationibus mansuetissima: in tribus pueris blandos ignes innocenter expectat, in Machabæis sævos ignes fortiter tolerat; casta in Susannâ erga virum, in Annâ post virum, in Mariâ præter virum. Libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum; humana in Christianis ad confitendum, divina in Christo ad ignoscendum".

Hieron. supra.

Mat. 22. 40.

Z. Aug. l. de Catechiz. Rudib. c. 4.

A. August. Serm 39. de tempore.

XII. Huic igitur omniformi charitatis virtuti inferendæ, & adversæ cupiditati extirpandæ, tota nostra in hoc Opere inservit industria. Charitati capitaliter adversatur schisma, quo pax & unitas Ecclesiasticæ societatis dissolvitur: vitium utique Deo inprimis odiosum, atque adeò hominibus damnosum. Hujus vitij reatum primus ille veteris populi Monarcha *Saül* figuraliter incurrit, quando diploidem Sacerdotalem, Ecclesiæ typo relucentem, discidit. Unde à Propheta sacerdotali divinitùs instincto protinùs audivit, *Scidit Dominus regnum Israel à te hodie*: B. Porrò, ait quidam, sicut pallium illud vestis erat Samuëlis,

B Petr. Damiani lib 7. Epist. 1.

1. Reg 15. 28.

sic &

„ſic & ſancta Eccleſia veſtis eſt utique Redemptoris: cui per Prophetam dicitur,
Pſal. 103. 2. „ *Confeſſionem & decorem induiſti.* Confeſſionem quippe Dominus induit, cùm ſibi
„ peccatores aſſociat, pœnitendo ſanatos: decorem verò cùm ſibimet clemen-
„ ter agglutinat innocentes, nitore juſtitiæ ſpecioſos. Pallium igitur Samuëlis
„ Saül abrupit, & regnum perdidit: Chriſti ſcinditur veſtimentum, & licèt non
Joan. 19. 23. „ ſcindentis, tamen ſcindere permittentis, ſtabit Imperium? *Inconſutilem veſtem*
„ *Ieſu miles* Gentilis *metuit ſcindere*: & Chriſtiani non verentur, Eccleſiam per
„ errorem ſchiſmaticum ſeparare? Cùm ergò veſtis Chriſti ſancta dicatur Ec-
cleſia, ſciſſio veſtis minatur diviſionem Regiæ poteſtatis".

XIII. Inſonat Romanis Apoſtolus, & in Romanis etiam nobis, Romanam
Rom. 15. 4. Eccleſiam filiali devotione ſuſpicientibus: *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram do-
ctrinam ſcripta ſunt: ut per patientiam, & conſolationem Scripturarum, ſpem habeamus.*
Pſal. 124. 3. Sed quam *ſpem*? utique quâ confidimus *Non relicturum Dominum virgam peccato-
rum ſuper ſortem juſtorum.* Hanc ſpem firmat Iſaias, ex perſonâ Domini alloquens
Iſa. 54. 17. Eccleſiam novi Teſtamenti: *Omne vas quod fictum eſt contra te, non dirigetur; & om-*
Iſa. 60. 12. *nem linguam reſiſtentem tibi in judicio, judicabis.* Et rurſus: *Gens & regnum, quod non
ſervierit tibi, peribit: & gentes ſolitudine vaſtabuntur.* Etenim ſi male mulctari ſunt,
qui veterem Synagogam diſcindere moliti ſunt, quive Pontificis Moyſaici ana-
boladium dilacerare auſi fuerunt: quid putabimus eventurum eis, qui Eccle-
ſiam Chriſti dilacerant, & ſupremo ejus Hierarchæ oblatrant? Reſpondit jam
pridem Petrus Damiani ibidem ſuprà hiſce verbis:" Qui ad diviſionem Apo-
„ ſtolicæ Sedis diabolicô ſuccenduntur inſtinctû, *Dathan* & *Abiron* atque *Chore*
„ ad memoriam revocent: & ex eorum perditionibus colligant, qui finis etiam,
„ ſe, qui non diſſimilia ſectantur, expectet. Illi ſanè ſchiſma fecerant ſynago-
„ gæ, iſti diviſionem machinantur Eccleſiæ. Quamobrem ſicut illos, utique vi-
„ ventes, terra deglutijt: ſic iſti per ſchiſmaticæ nequitiæ meritum, prudentes
& ſcientes merguntur in tartarum". Et iterùm poſt paucula:" Cavendum eſt,
„ ô Rex, ne dum tu pateris dividi ſacerdotium, tuum quoque, quod abſit, di-
1. Reg. 15. 27. & 28. „ vidatur Imperium. Nam, ſicut ſacra teſtatur Hiſtoria, mox ut *Saül appreben-*
„ *dit ſummitatem pallij Samuëlis, & ſcidit*; protinus illi Samuel ſic inquit, *Scidit Do-
minus regnum Iſrael à te hodie*".

XIV. Habes hic, Lector, hujus Operis noſtri thema ſive argumentum: ad
quod tractandum impulſi fuimus multitudine tragœdiarum infelici iſto noſtro
ævo exhibitarum. Vidimus nuperrimè Tranſylvaniæ Regulum, ſchiſmatis pri-
dem à Majoribus invecti fotorem, principatu vitâque excuſſum. Vidimus Da-
niæ Regem in extremas anguſtias, ſchiſmaticum à ſchiſmaticis, redactum, &
non modicâ demùm principatus ſui parte mulctatum. Vidimus Magnæ Britan-
niæ Monarcham ſchiſmati per Henricum VIII. cœpto inſiſtentem, à proprijs
ſubditis bello impetitum, multis prælijs victum, à contribulibus divenditum,
perſequentibus traditum, carceri mancipatum, in tribunal adductum, regnis
abjudicatum, neci addictum, capite mutilatum. Jam ſexaginta circiter anni
præterierant, ex quo P. Benedictus Pererius in ſuis ſuper Geneſim Commenta-
Gen. 15. 16. rijs, occaſione verborum iſtorum Dei ad Abrahamum, *Necdum completæ ſunt ini-
quitates Amorrhæorum*, convertens ſermonem ad Angliam ſchiſmati inhærentem,
& Catholicæ Religionis aſſeclas crudeliter perſequentem: c. Si cujus fortè ani- C. Pererius in cap. 15. Geneſ. Diſ. pu. 1. n. 96.
„ mum, inquit, ſubeat interdum mirari, cur Deus ſæviſſimam Catholicorum in
„ Anglia perſecutionem, & Anglicani Principatus potentiam, tamdiu vigere ac
„ pollere patiatur: is profectò continuò mirari deſinet, ſi reputet ſecum quod
„ dictum eſt à Deo, *Nondum completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum.* Veniet etiam
„ aliquando tandem Anglicæ iniquitatis complementum, veniet tempus divinæ
„ vindictæ; ſerum fortaſse nobis, verùm ſecundùm occultas divinæ ſapientiæ ac
provi-

„ providentiæ rationes maximè tempestivum & opportunum. Quod tempus si „ quis dixerit non longè nunc abesse (in tantam illius gentis persecutio rabiem „ & crudelitatem jam excrevit) is à vero, ut mea fert conjectura, minimè abertaverit". Hujus conjecturæ sive præsagij veritatem probavit eventus. Atque utinam videamus demùm finem nefandi schismatis, ut spetare possimus prævertendam vindictam Numinis.

XV. Prædictis itaque exemplis ad scribendum impulsus, scriptionem ipsam SAULIS EX REGIS titulo prænotavi: ut vel istinc discere queant Imitatores Saulis, quòd qui secuti fuerint delinquentem, sequentur & pereuntem. Quod dum persuadere eniterer, tam multa mihi incidenter occurrerunt, ut quod unius libelli angustijs concludi posse speraveram, in duos Tomos sub manum excreverit. Etenim in affines quasdam materias, principali utcunque connexas, excurrendum aliquando fuit; ne Beati Gregorij monito contraire viderer, quo ait: D. Quisquis de Deo loquitur, curet necesse est, ut quicquid audientium mores instruit, rimetur: & hunc rectum loquendi ordinem deputet, si „ cùm opportunitas ædificationis exigit, ab eo se, quod loqui cœperat, utiliter „ derivet. Sacri enim Tractator Eloquij morem fluminis debet imitari: fluvius „ quippe dum per alveum defluit, si valles concavas ex latere contingit, in eas „ protinùs sui impetûs cursum divertit; cùmque illas sufficienter impleverit, re- „ pentè se in alveum refundit. Sic nimirùm, sic divini Verbi esse Tractator de- „ bet: ut cùm de qualibet re disserit, si fortasse juxtà positam occasionem con- „ gruę ædificationis invenerit, quasi ad vicinam vallem linguę undas intorqueat; „ & cùm subjectæ instructionis campum sufficienter infuderit, ad sermonis propositi alveum recurrat".

D. Greg. in Proleg. Moralium c. 2.

FINIS PROLOGI.

IN LIBRUM CUI TITULUS

SAUL EXREX

REVERENDI ET EXIMIJ VIRI

D. IOANNIS SINNICHII

Sacræ Theologiæ in Academia Lovaniensi Doctoris & Professoris ordinarij, nec non majoris Collegij Theologici Præsidis.

FAllitur, esse merum quisquis putat omnia casum,
Aut sine Divorum numine sceptra dari.
Cimmerijs adeò-ne forent humana tenebris
Mersa? nec imperij provida cura Deo?
Augurijs agimur divûm, luditque potestas
Rebus in humanis cælitè vasta manu.
Non segnes vigilant Superi, fatoque Monarcha
Ille vel amittit sceptra, vel ille capit.
Quid probitas Regis possit, vindicta rebellem
Quæ maneat, Liber hic te docet arte piâ.
Vultis in exemplum divini oracula fati?
Sceptra-que non Regum Marte vel arte dari?
Ecce SAUL, quo non melior, nec pulchrior inter
Isacidas, Regis scandit agaso thronum.
Quis neget auspicium cœli? sed vindice Cœlo
Impius & vitam perdit & imperium.
Discant Justitiâ Reges reverenter habere
Sceptra; malis aufert, dat Deus illa bonis.
Tu doctam mirare manum, magnumque laborem,
Et lauda Authoris nobile Lector Opus.

Accinebat Amicissimo Viro
HENRICUS NOULANTIUS
J. U. L. Academiæ Lovaniensis
Syndicus & Fisci Advocatus.

IN SECUN-

IN SECUNDAM EDITIONEM

SAULIS EXREGIS

EXIMII VIRI DOMINI AC MAGISTRI NOSTRI

D. IOANNIS SINNICHII

CORCAGIENSIS

IN ACADEMIA LOVANIENSI

S.T. DOCTORIS AC PROFESSORIS,

Majoris Collegij Theologorum Præsidis,

EPIGRAMMA GRATULATORIUM.

Plaudite: damnamur voto, fruimurque: recepit,
Ecce, SAUL EXREX *jam nova regna typis.*
Ecce, patet, quidnam de Libro sentiat orbis,
Qui legit, & lecto non valet esse satur.
Vix data sunt luci, tamen exemplaria desunt,
Cumque typi dederint plurima, plura petunt.
Eia, petite Liber, ductuque secunda secundo
Editio, quò tot publica vota vocant;
Perge sacris prodesse scholis, Liber utilis orbi,
Perge tot errorum luce fugare chaos.
Laxa *poli strictum vitiarunt* dogmata *callem;*
Tu refer in rectam devia curva viam.
Nec timeas hostes: & causâ vincis & armis;
Et caput, invidiam quod tibi demat, habes.
Hoc caput ille David, *calami qui vindice fundâ*
Sub pede prostratum Goliathismon *habet.*
Contra hunc Davidem *conjurent mille* Saüles,
Protinus Exreges *mille* Saüles *erunt.*
Quid? quòd Alexander, *magnæ caput Urbis & orbis,*
Papa patrocinio te beet ipse suo?
Arboris *illius* montisque *quiesce sub umbrâ:*
Non poteras clypeo nobiliore tegi.

Ponebat Gymnasium SS. TRINITATIS.

SYNOPSIS

SYNOPSIS CAPITVM
LIBRI PRIMI.

CAPVT PRIMVM.

Rex Saul divino jussu adjutuque cæsis Amalecitis, triumphabundus in Galgalam revertitur, à superveniente Samuële reprehenditur, abiturientis Prophetæ diploidem scindit, abscissionis regni talionem recipit, cedere nihilominùs regno renuit. Quo sensu duratio regni ejus biennali spatio circumscribitur? Cur cum eo cæso etiam populus cæditur? *Fol.* 1.

CAPVT SECVNDVM.

Vetus populus Hebræorum typum gessit novi populi Christianorum: ibi figura, hic veritas; ibi umbra, hic corpus: nec modò populum populus, sed & personas præfiguravêre personæ: quarum non minùs vita, quàm lingua extitit prophetica. Dies Prophetarum unde cœpti? priores duo Regum libri idcircò Samuëli vati attributi, ut ex Authoris titulo sentiatur historia quam scribit, non tam historia esse, quàm prophetia. Sedulò Christianis adnitendum, ne quæ propter eos scripta sunt incurij vel torpidi indiscussa relinquant, aut tanquam aliena prætereant. *Fol.* 3.

CAPVT TERTIVM.

Historia Saulis & Samuëlis capite primo perstricta pensiculatiùs enucleatur quoad personas, res, actiones, passiones. Samuëlem multimodè præfigurasse Christum. Amborum analogiæ per tres & ampliùs duodenas multiplicatæ recensentur & elucidantur. *Fol.* 4.

CAPVT QVARTVM.

Analogia novissima Samuëlis cum Christo, in sacerdotio utrique communi fundata, discutitur. Sententia Annalistæ cujusdam recentis, sacerdotio Samuëlis præfidenter obstrepentis, refertur; sed opposita præfertur, cui & divina Scriptura patrocinatur, & cujusvis ævi Tractatorum consensus suffragatur. Samuël non modò Sacerdos, sed & Sacerdotum Princeps extitit, suoque hierarchatu pontificatum Christianum figuravit. *Fol.* 7.

CAPVT QVINTVM.

Samuëlici Sacerdotij præjudicia perstringuntur, & eliduntur. Divini nominis invocatio, Samuëli appropriata, Sacerdotio ejus non officit, sed proficit. Ejusdem Samuëlis Ephod quale? Num Samuël induerit stolam sanctam, & coronam auream super mitram? In eo quòd Aaronicæ familiæ extraneus sacerdotium susceperit, peculiari typo Christum præsignavit. Hieronymi locus Samuëlico Sacerdotio objectus elucidatur, aliusque pro eodem adducitur, & vindicatur. Quæstionarij asseverantia retunditur, & authoritas exploditur. Annalistæ nutantia notatur. Aquinatis mens eruitur, & ex contextu illustratur; quam non attigerunt, qui ventilantem, pro decidente inconsideranter arripuerunt. *Fol.* 11.

CAPVT SEXTVM.

Cùm Samuël tam multiformiter prætulerit typum Christi, amictus ejus per Saulem diruptus consentaneè figuravit vestem Christi. Expenditur prophetia Patriarchæ Iacob de Christo, *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum.* Christi apparitio Petro Alexandrino per martyrium consummando facta memoratur, & ejusdem apparentis testimonio Ecclesiam esse ipsius vestem evincitur. *Fol.* 14.

§ §	Samuëlica

CAPVT SEPTIMVM.

Samuelicæ diploidis ruptura per Saulem facta, figuravit Ecclesiæ scissuras per Schismaticos invehendas. Quemadmodùm hæresis adversatur fidei, ita Schisma charitati, membra Ecclesiæ compaginanti. Schismatici cur *Segreges*, & *filij subtractionis* dicti? Hæretici eo ipso Schismatici fiunt, quo ab Ecclesiasticæ unionis compage desciscunt. Tunica Christi inconsutilis desuper contexta quid portenderit? Ecclesia permanet una, non obstante Schismaticorum discidio; sicut & virgo, non obstante hæreticorum adulterio. Hæreticorum ac Schismaticorum cœtus nequaquàm sunt Ecclesiæ. Comparantur radijs à sole avulsis, & rivis à fonte præcisis. Quicquid à matrice discedit, substantiam salutis amittit, vivere spirareque nequit. *Fol.* 16.

CAPVT OCTAVVM.

Rex Saul in seipso unus existens, multorum imagines mirâ actionum passionumque vicissitudine prætulit. In eo quòd unctus est, typum Christi gessit, & ob id etiam nomen Christi portavit. Christianos prætereà eâdem suâ unctione figuravit; quos Paulus *Unctos*, Petrus *Regale Sacerdotium*, Ioannes *Regnum & Sacerdotes* nuncupavit. Quatenùs Christiani sint Sacerdotes, quatenùs item Reges? Quid offerre debeant ut Sacerdotes, & quid sibi subigere ut Reges? Inter Saulis & Davidis inunctionem quoad mysticam præfigurationem quid intersit? *Fol.* 18.

CAPVT NONVM.

Comparatio transversa Saulis Regis Hebræorum, cum Nabuchodonosore Rege Babyloniorum. Saul usurpando in laicatu munus Sacerdotale, quosnam figurarit? Constantij Cæsaris usurpatorium dictum: *Quod ego volo, pro Canone sit.* Non consequitur Imperator cum Imperio Sacerdotium. Iustâ prorsùs reciprocatione fit, ut qui usurpat non suum, amittat suum. Saul parcendo Amalec contra Dei jussum, quosnam adumbrarit? Amalec typum gessit hæreticorum, atque etiam diaboli inspiratoris eorum. Principibus præscriptum juramentum, in hæreticorum exterminium. Quid figurarit Saul discindendo anaboladium Samuëlis Pontificis sese justè increpantis? Regnum Israël à Regno Iuda divulsum figuravit Schismaticos de Ecclesia egressuros. quales sunt omnes, qui larvati nomine Christi, renuunt subhærere Romano Præsuli Vicario Christi. *Fol.* 21.

CAPVT DECIMVM.

Saul honoribus sublimatus moribus depravatur, & quosnam istâ suâ metamorphosi figurarit? Plùribus obest prosperitas arridens, quàm adversitas affligens. Magnæ virtutis est cum felicitate luctari, magnæ felicitatis à felicitate non vinci. Ingens regnantium miseria adulantium copia, & veritatem ingerentium penuria. Cur Saul in adeptione regni dictus *filius unius anni*? Multiformes Regum veteris populi metamorphoses, quorum perpauci bona auspicia in finem usque perseverando benè consummarunt. Cur Deus bonos provehit, quos provectione depravandos prævidet? Depravationis Principum variæ proferuntur causæ ex Flavio Vopisco. Mimi cujusdam dictum de paucitate bonorum Principum. Multò facilior est in vitia prolapsio, quàm virtutum adeptio. *Fol.* 24.

CAPVT VNDECIMVM.

Saul principatum ritè adeptum prævaricando amisit, in hoc innumeros figurans Dynastas, fortunæ pilas, quibus altitudo ruinosa fit. Illustratur Ecclesiastici locus, *Regnum de gente in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diversos dolos.* Quadriga virtutum, Principibus contra quatuor ista vitia necessariarum. Complurium Principum tragici occasus perstringuntur, quorum exemplis commoneantur superstites, ut fugiant à facie arcûs; persuasum habentes quòd Deus ultionum, fortis & vigil, dominetur in regno hominum, & cuicunque voluerit det illud; deponens potentes de sede, & exaltans humiles: cui facile ac familiare sit, superbos potentiâ sibi commissâ abutentes de throno quantumvis sublimi turbare, atque in pulverem aut nihilum redigere. *Fol.* 27.

LIBRI PRIMI.

CAPVT XII.

In eo quòd Saul Sacerdotes Domini in Nobe trucidari curaverit, typum geſſit Regum ac Principum, Eccleſiaſticas perſonas ſacrilegè perſequentium. Conſtantius Cæſar ab Athanaſio, propter Chriſtianorum Sacerdorum perſecutionem, Sauli aſſimilatur, & Antichriſtus nuncupatur. Doëg mulio regius, Sacerdotum delator, & interemptoriæ juſſionis executor, quoſnam figuarit? Principum corycæi populis tam execrabiles, quàm exitiabiles. Romanorum adversùs eos exclamatio. Cæſares pro variâ ſuâ indole variè erga eos affecti. Quem vitæ exitum ſortitus fuerit Doëg corycæorum figurator, & Sacerdotalis internecionis perpetrator? Spuria vitulamina non dant radices altas. *Fol.* 29.

CAPVT XIII.

Quemadmodùm Saul perimendo Sacerdotes Moſaicos præfiguravit perſecutores Cleri Chriſtiani in ſuis perſonis, ita & demoliendo civitatem Sacerdotalem prænotavit vaſtatores & uſurpatores Eccleſiæ in ſuis bonis, quorum plurima recenſentur genera. Conſtantini Magni munificentia erga Clerum refertur. Iulianus apoſtata Saulem maluit imitari, quàm Conſtantinum: ſed quem imitatus eſt perſequentem, imitatus eſt & pereuntem. Hiſtoria necis ejus, & blaſphemia finalis. Quàm miſerabiliter perierint, qui ei in Eccleſiæ expilatione ſubſervierunt. Peſtilentes palàm flagellantur, ut incauti ſapere doceantur. *Fol.* 32.

CAPVT XIV.

Rex David uſque adeò typus extitit Chriſti, ut & hic diceretur *David*, & ille *Chriſtus*. Hinc Saul perſequendo Davidem, præfiguravit perſecutores Chriſti: quorum anteſignanus Herodes infanticida, in aliorum commonitionem, deploratiſſimè ſupervixit, & afflictiſſimè perijt. Auguſti Cæſaris dictum, *Melius eſt Herodis porcum eſſe, quam filium*. Herodiana progenies memoratur, & funeſtè perijſſe monſtratur, juxta veridicam Scripturæ divinæ ſententiam, *Domus impiorum delebitur*. Tres Herodes in Iudæa malè celebres, ut inter ſe cognomines, ſic & tyrannide haud omninò diſſimiles, & exitio parùm diſpariles. *Fol.* 36.

CAPVT XV.

Non ſoli perſecutores perſonæ Chriſti, ſed etiam membrorum Chriſti, imitantur Saulem in culpa, adeòque obnoxij fiunt conſimili vindictæ. Chriſti cum Saulo Chriſtianos perſequente expoſtulatio, *Quid me perſequeris?* Quo ſenſu dictum, *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo?* Qui in ſeipſo pridem fuerat crucifixus, in Apoſtolo ſuo Petro iterùm ſe dixit crucifigendum. Chriſtianorum infeſtatores imitantur Chriſti crucifixores. Quinam ſint qui pretium Chriſti machinantur repellere, & quodnam illud pretium? Nunquàm deeſt perſecutio Chriſtiano: adeoque nec Chriſto. *Fol.* 39.

CAPVT XVI.

A lapſu Protoplaſti, omnium ævorum ſancti membra fuère Chriſti; qui proinde ab origine Mundi perſecutionem eſt paſſus, & in ſuis membris occidi cœptus. Zara filius Iudæ præmittendo manum capiti in ſua nativitate, præſignavit Chriſtum præmittentem quædam membra ſua ante ſuam nativitatem. Sicut Chriſtus præmiſit membra ſua, ſic quoque Antichriſtus præmittere non ceſſat ſua. Quotquot adversùs Eccleſiam prodeunt hæretici, præcurſores ſunt Antichriſti. Si plenè diſcutiantur omnes hæreſes, deprehendentur adventum Chriſti inficiari, atque adeò viam Antichriſto præparare. Inaniter iactant ſe credere in Chriſtum, qui Eccleſiam reſpuunt ſponſam & corpus Chriſti. Qui Chriſtum ab Eccleſia nititur ſeparare, convincitur niti Chriſti corpus decollare, ac ſic tam caput quàm corpus perimere. *Fol.* 41

CAPVT XVII.

Saul in ſuis anguſtijs conſulendo pythoniſſam, eorum prætulit typum, qui pro tutando vel ampliando Principatu, parati ſunt ſuſcitare Leviathan. Diabolus ambiendo divinitatem, invexit divinationem; cujus multiplices recenſentur ſpecies. Quapropterè Chriſtus ſuo adventu genus bearit humanum, quod anteà paſſim fuerat nequiſſimorum dæmonum ludibrium? De oraculorum ſilentio quid Iulianus & Porphyrius apoſtatæ prodiderint, quid item Plutarchus ethnicus cenſuerit? Apollinis Pythij de ſilentij ſui cauſa reſponſum, Auguſto Cæſari ſciſcitanti perhibitum. Primogenito Dei ara maxima in Romano Capitolio ab eodem Cæſare erecta. Tiberij Cæſaris temporibus Pana Magnum obijſſe Epitherſis evulgat. Funus corvi loquacis ſub idem tempus Romæ celebratum, quid innuerit? *Fol.* 44.

SYNOPSIS CAPITVM

CAPVT. XVIII.

Engaſtrimythi ſive ventriloqui cur *Pythonici* dicti, & cur Apollo dictus *Pythius*? Perplexæ oraculorum ambages compluribus attulêre perniciem. Apollo cur *Loxias* cognominatus? Futurorum certâ prænotione deſtitutus, oracula ſua involvebat caligine obſcuritatis; ancipiti prædictione cavens, ne falſitas deprehenderetur. Saulis ad pythoniſſam recurrentis ſacrilega temeritas expenditur, & prætenſa expurgatio amputatur. Utrùm in atheiſmi voraginem ſit prolapſus? An Samuel in veritate ei apparuerit, aut verò dæmon præſtigiosè illuſerit? Rursùs ſi Samuel reverà apparuerit, cujusnam operâ adductus eò fuerit? Habeantne dæmones poteſtatem in animas juſtorum corporibus exolutas? *Fol.* 48.

CAPVT XIX.

Unde diabolo, per Chriſtum debellato ac protrito, tanta adhuc poteſtas in homines, etiam per eundem Chriſtum redemptos? Error Ioviniani, contendentis, baptizatos in Chriſto non poſſe tentari à diabolo. Iuliani Cæſaris dæmonibus litantis, eoſdemque ligno crucis incogitanter formato fugantis, hiſtoriola. Idem Iulianus fallacibus Iovis Dodonæi, & Apollinis Delphici oraculis deluſus, Perſas bello impetijt, & perijt. Andronici Imperatoris Conſtantinopolitani divinatoriæ ſuperſtitioni addicti tragœdia. Rarus aut nullus inter ſuperſtitioſos extitit prognoſticatores, qui condignam manus Dominicæ evaſerit ultionem. *Fol.* 52.

CAPVT XX.

Diaboli per Chriſtum de idolis exturbati malignitas, longo uſu propriæ nequitiæ imbuta, non depoſuit odium, ſed vertit ingenium. Videns quippe ſimulachra deſeri, atque ad Chriſti nomen certatim confluì, hæreticos ſuſcitavit, qui ſub vocabulo Chriſtiano doctrinæ reſiſterent Chriſtianæ. Hæreſis & idololatria ejuſdem ſunt authoris & operis. Sicut ethnici manibus, ita hæretici ſermonibus idola fabricant. Quid apud Pſalmographum *Deus recens*? Pejus eſt erigere idolum intùs in corde; quàm foris in templo. Hæreſes dæmoniorum doctrinæ, diabolici commenti probra, diabolicarum inſpirationum virulenta mendacia. Hæretici progenies ſatanæ, Apoſtoli & miniſtri diaboli, contubernales draconis apoſtatæ, lingua dæmonis venenata, diaboli organa & ora, chorus & propugnaculum Satanæ; Scarabæi cum patre ſuo diabolo circumeuntes, feræ humanam formam præ ſe ferentes, prædones habitu oves, aſtu vulpes, crudelitate lupi; columnæ ſepulchrales, mali cauponatores, Pſeudoprophetæ, Antichriſti. *Fol.* 55.

CAPVT XXI.

Hæreticorum ſuperba curioſitas ſub *mulieris ſtultæ* parabola clamat in Parœmijs, *Qui parvulus eſt, declinet ad me &c.* Hæretici promiſcuè omnes pollicitatione Sapientiæ abſtruſioris alliciunt, præſertim eos, qui curioſitatis impetigine pruriunt: & in hoc ſimiles ſunt hæretici pythonicis, ariolis, & cæteris divinatoribus. Aliter mulier iſta fatua, aliter Sapientia tranſeuntes invitat. *Mulieri ſtultæ* in ijſdem Parœmijs contraponitur *Mulier fortis*, quæ eſt Eccleſia: ideò utique *fortis*, quia ab initio Mundi tot tantiſque tribulationibus fatigata, non vincitur. Perdix typum gerit diaboli; atque etiam cujuſque hæreſiarchæ, congregantis quos non peperit, & facientis divitias ſine judicio. Parùm curat diabolus quo quiſque errore deſipiat, modò erret. Sive enim hic, ſive illic quis exſtat, dummodò erret, ad eum ſpectat, qui univerſis erroribus ſuperintendit ac præſidet. *Fol.* 57.

CAPVT XXII.

Hæreticos extremo ſupplicio obnoxios fieri oſtenditur ex antiqua Dei ſanctione adversùs maleficos. Pejus eſt animas, quàm corpora intoxicare. Eraſmi inſultatoria joculatio retunditur. Eraſmiano ovo incubans Lutherus malum excluſit pullum, *hæreticorum* ſcilicet *combuſtionem contrariari voluntati ſpiritus.* Martyris Roffenſis de hæreticis extremo ſupplicio plectendis ſententia ſuis probationibus munita refertur, & comprobatur. Hæretici fures ſunt & latrones, adeoque plectendi. Elucidatur Chriſti dictum, *Quotquot venerunt, fures ſunt & latrones.* Vetuſtis exemplis conficitur, temeratores Religionis reos eſſe mortis. *Fol.* 60.

CAPVT XXIII.

Inſidiantur hæretici Catholicis, ut Philiſthæi priſcis Iſraëlitis. Inaniter pro ſua impunitate obtendunt dictum Chriſti ad Petrum, *Converte gladium tuum in vaginam.* De duplici gladio Eccleſiæ, altero ab Eccleſia, altero pro Eccleſia ſtringendo. Hæretici ita tractandi ſunt ab Eccleſia, ut Pſeudoprophetæ olim à Synagoga.

goga. Cur dicti *vulpes*? Quænam sit vinea, quam demoliri nituntur? Cur ubi jubemur *capere vulpes*, addatur, *parvulas*? Hæresibus ebullientibus indilatè obviandum. Unica scabra pecus totum corrumpit ovile. Quod lex statuit de non procrastinando supplicio veneficorum, admonitio est non differendi supplicia hæreticorum. *Fol.* 63.

CAPUT XXIV.

Sicut in veteri lege non cuique, sed publicæ Potestati fas fuerat plectere veneficos: ita & in nova lege non nisi publicæ Potestati licet perimere hæreticos. Quæ à communi Iure exorbitant, trahi in consequentiam non debent. Hæresis quantùm ad cognitionem criminis spectat ad forum Ecclesiasticum, quantùm ad peremptionem criminosi ministerium impendit manus laica. Constantius Cæsar Athanasio *Antichristus* & *abominatio desolationis stans in loco sancto*, eò quòd sibi laico usurpasset judicium Ecclesiasticum. A quibus proficiscuntur instituta doctrinæ, ab ijsdem & discordis eruditionis solvenda est repugnantia. Sanctorum Patrum atque etiam orthodoxorum Cæsarum in eam rem dicta, & exempla. Imperator in numero ovium se contineat, non munus Pastoris arripiat. *Fol.* 65.

CAPUT XXV.

Uberior præmissorum elucidatio ac persuasio. Ad Episcopos divinarum rerum interpretatio, ad seculi Principes pertinet Religionis obsequium, Constantini Magni ad Proceres Ecclesiasticos sermo, *Vos eorum quæ intra Ecclesiam gerenda sunt Episcopi estis, Ego extra eandem gerendorum Episcopatum gero*. Ejusdem Constantini, & subsequentium aliquot Imperatorum Edicta adversùs hæreticos ab Ecclesia prædamnatos. Priscilliani hæresiarchæ à Synodo Cæsaraugustanâ præjudicati supplicium Cæsareo gladio peractum. Graviùs dilaceratur plebs Catholica à pravis Doctoribus, quàm à cruentissimis hostibus. Hæreticorum vocabulo continentur, & latis adversùs eos legibus plectuntur, qui vel levi argumento à Catholicæ Religionis tramite deviant. *Fol.* 69.

CAPUT XXVI.

Ioannis Huszij de impunibilitate hæreticorum erroneus Articulus, in Constantiensi Synodo ritè damnatus. Ejusdem insulsa comparatio Ecclesiasticorum Iudicum tradentium hæreticos sæculari brachio, cùm Iudæicis Pontificibus, Scribis, & Pharisæis, tradentibus Christum Cæsareano Iudici Pilato. Uti ineptè assimilatur hæreticus Christo, ita & traditores hæreticorum traditoribus Christi. Traditiones Christi variæ factæ à varijs, nempe ab ipso Christo, à Patre, à Iuda, à Iudæis. Persequuntur boni malos, mali bonos, atque etiam malos. Non possunt habere Martyrum gloriam, qui Christianam non duxerint vitam; cùm Martyres non faciat pœna, sed causa. Quos similitudo facti conjungit, dissimilitudo causæ discernit. Complura ejus rei exempla congeruntur. *Fol.* 72.

CAPUT XXVII.

Ulterior prosecutio, ac refutatio præcedentis comparationis ab Huszo institutæ. In Iudæorum facinore duo spectanda occurrunt: primum quòd non per seipsos Christum occiderint; alterum, quòd Pilato occidendum tradiderint. In priori nequaquam peccarunt, in posteriori enormiter & multiformiter sese inquinarunt, ipsumque Iudicem impietate iniquitateque superarunt. In priori figuraverunt Ecclesiam, ab effusione sanguinis temperantem; in posteriori non item, quia cùm illi tradidissent innocentem, hæc solos tradit nocentes. Multò nocentiores sunt fidei corruptores, quàm monetæ falsatores: ac per hoc si morte digni sunt isti, quanto magis illi? Possitne sæcularis Magistratus hæretico per Ecclesiam prædamnato ac sibi tradito parcere, aut pœnam mitigare? *Fol.* 74.

CAPUT XXVIII.

Frustrà recentiores Sectarij, post veteres Donatistas, obtendunt exemplum Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ Catholicorum, qui nusquam leguntur adversùs hæreticos implorasse brachium aut gladium Regum vel Imperatorum. Reges cùm in errore sunt, leges pro errore contra veritatem ferunt; cùm item in veritate sunt, pro ipsâ contra errores decernunt. Ad Reges Christianos pertinet, ut temporibus suis pacatam velint Ecclesiam matrem suam, unde spiritaliter prognati sunt. Augustinus protector & expertior retractavit, quæ pro hæreticorum ac schismaticorum impunitate pridem conscripserat. Post factum hæreticis competens judicium, ubicunque apparuerint conterendi sunt velut lupi. Rex Nabuchodonosor perversus legem sævam dedit, ut simulachrum adoraretur; idem correctus severam, ne Deus verus blasphemaretur. *Fol.* 77.

CAPVT XXIX.

Ioannis Lensæi Doctoris ac Professoris Theologi Lovaniensis sententia, compluribus argumentis undequaque conquisitis firmata; justam astruens hæreticorum punitionem, usque ad ipsam etiam extremam peremptionem. *Fol.* 81.

CAPVT XXX.

Ejusdem Auctoris dissertatio, de obligatione Christianorum Principum, ad purgandum suas ditiones à contagione hæresum: deque obligatione Ecclesiasticorum Procerum, ad erigendum animos Principum, ne conniveant satoribus aut fotoribus hæresum. *Fol.* 84.

CAPVT XXXI.

Quinque objectiones hæreticorum pro sua impunitate astruendâ referuntur per eundem Lensæum, & refelluntur: quarum prima contendit Ecclesiam iisdem artibus conservari debere, quibus est cœpta: Secunda nititur vaticinijs Prophetarum de futura Ecclesiæ lenitate: Tertia fundatur in exemplo mansuetudinis Christi, cui deceat conformari Christianos, signanter Ecclesiasticos. Quarta nititur authoritate Gamaliëlis, suadentis insurgentium in Religione novitatum eventum dimitti supernæ providentiæ: Quinta denique nititur increpatione discipulorum factâ per Christum, ob concupitam necem resistentium Christo. *Fol.* 86.

CAPVT XXXII.

Rex Saul impunitatem Pythonissæ contra legis sanctionem promittendo ac jurando, figuravit Reges & Principes hæreticis perperàm conniventes, securitatem pollicentes, societate se nectentes. Affines invicem sunt venefici, & hæretici; sicut etiam fascinatio illorum, & dogmatizatio istorum. Exprobrat Apostolus Galatis, quòd *fascinari* se siverint à Pseudoapostolis. Fascinatrices quædam familiæ in Africa mirè nocivæ. Hæreses non modò quoad spiritalia, sed quoad ipsa etiam temporalia bona, plurimùm officiunt humanæ societati; prout experimento patuit in Ariana, quæ instar Bellonæ vel Furiæ Romanum Imperium fœdè afflixit, & tetrè vastavit. Hæreticis non deest sæviendi voluntas, etiam cùm non suppetit exequendi facultas. Assimilantur leonibus, lupis, milvis, ac denique perdicibus. Indignum est homicidia & furta extremo supplicio vindicari, & sacrilegas hæreses impunitas tolerari. *Fol.* 90.

CAPVT XXXIII.

Varij recensentur rituli, quibus obstringuntur Christiani Principes exterminare è suis ditionibus hæreses. Pejor est desertor fidei, & ex desertore oppugnator, quàm qui non deseruit, quam nunquam tenuit. Vindicta divina de schismaticis arguit enormitatem ipsius scismatis. Iudas Iscariotes, hæreticorum novæ legis primipilus, immanitatis sui facinoris meritò seipsum perpessus est & culpæ judicem, & pœnæ carnificem. Cuncti Reges ac Principes terreni, vasalli sunt Regis superni; cui servire jubentur in timore, & exultare cum tremore. Non servit dignè Regi Christo, qui sinit infestari sponsam Christi: nec filij nomen congruè usurpat, qui matris honorem non zelat. Tyranni & Regis discrimen, quòd ille ad suam propriam, hic ad communem subditorum utilitatem omnia referat. Hinc cùm hæresum toleratio publico subditorum bono non prosit, sed obsit; consectariè evincitur, authorem ejus & indultorem exuere personam Regis, incurrere notam tyranni. Socratis de ritu colendi Numinis notanda sententia, *Vnumquemque Deum sic coli oportere, quomodò se ipse colendum esse præscripserit.* Cur Romani veteres, omnium promiscuè cultores Deorum, incultum prætererint Deum Hebræorum? *Fol.* 93.

CAPVT XXXIV.

Præmissorum confirmatio ex Petro Ribadeneira, multis argumentis ac documentis monstrante, *fieri non posse, ut in eadem Republica Catholici cum hæreticis firmâ societate iungantur.* Ex quo consectarium est, eos qui pacem Reipublicæ sibi concreditæ procurare ac conservare ex officio tenentur, pro viribus cavere teneri, ne hæretici Catholicis in suis respectivè ditionibus commisceantur? Variorum Principum in eam rem Edicta proferuntur. *Fol.* 98.

CAPVT XXXV.

Quemadmodùm Reges & Principes tenentur hæreticis sibi detectis non parcere, ita & subditi tenentur hæreticos sibi notos detegere, atque ad suos Principes aliosve Superiores deferre: proinde sicut Principes,

hæreti-

hæreticis sibi delatis parcentes, imitantur Saulem pythonissæ sibi detectæ indulgentem; sic & subditi, hæreticos sibi notos non deferentes, imitantur servos Saulis pythonissam sibi notam celantes. Qui hæreticos sibi compertos non produnt, in judicio Christi invenientur rei de silentio, etiamsi non contaminentur assensu. In causa Dei, ubi communionis periculum est, etiam dissimulare, peccatum non leve est. Utrùm hæreticorum denunciationi vel accusationi præmittenda sit secreta fraternave correptio? *Fol.* 101.

CAPUT XXXVI.

Promissio non deferendi hæreticum occultum, vel non puniendi detectum, promittentem non obligat, quando ipsius observatio in perniciem publicam vergit; dummodò tamen citrà forum confessionale proveneris. Iuramentum quoque eidem adjectum non stringit; quippe non ob hoc institutum, ut vinculum esset iniquitatis. Satius proinde est Davidem imitari juramento incauto contravenientem, quàm Herodem obsequentem. Quod in Religionem divinam committitur, in omnium fertur injuriam: ideòque hæresis inter crimina publica jure censetur. Negligere, cùm possis deturbare perversos, nihil aliud est quàm fovere: nec caret scrupulo societatis occultæ; qui manifesto facinori desinit obviare: meritò namque causa nos respicit, si nostro silentio faveamus errori. Cùm canes latrent pro dominis suis, quantò magis latrare debent Christiani pro Christo? *Fol.* 103.

CAPUT XXXVII.

Auspicium disceptationis de tolerantia rituum reprobatæ Religionis. Infidelitas hæreticorum deterior est quàm Iudæorum, adeòque quàm paganorum. Hæresis apostasiæ confertur, & penes gravitatem multipliciter præfertur. Hæretici nequaquàm sunt Christiani, sed pseudochristiani. Peccatum peccato accumulant, quatenùs se Christianos fallaciter jactitant. Injuriam Christo & Christianis irrogant, illius nomen polluendo, horum famam maculando. Recensentur tria enormia crimina veteribus Christianis passim ab ethnicis afficta, infanticidium, antropophagia, & incestus: ansâ hujus afflictionis per hæreticos illius temporis præbitâ, quorum nefandi aliquot ritus perstringuntur. *Fol.* 106.

CAPUT XXXVIII.

Cùm hæresis reliquis infidelitatis speciebus deterior sit, non est consequens ut si aliorum infidelium ritus tolerentur, etiam hæreticorum sufferantur. Ad hoc divinitùs sinuntur exurgere & crebrescere hæreses, ut fides habendo tentationem, habeat probationem. Duabus de causis tolerari licitè possunt infidelium ritus, ut nimirùm vel proveniant indè bona, vel evitentur mala. Cur præ cæteris infidelibus tolerandi sint Iudæi? Cur ijdem per omnes Mundi plagas dispersi? Cur *Scrinarij Christianorum* dicti? In *Cain* & *Cham* præfigurati. Eorum non modò codices, sed & Sacramenta ac sacrificia, testimonium perhibent veritati Christianæ fidei. *Fol.* 109.

CAPUT XXXIX.

Tametsi non sint perpetranda mala ut veniant bona, licitè tamen ea tolerantur sive ob bonorum provenientiam, sive ob aliorum malorum devitantiam. Quæcunque mala fiunt, non nisi Deo summè bono benè permittente fiunt: nec ille ea fieri sineret, nisi de eis benè facere sciret. Exemplis de Scriptura prolatis conficitur, tolerari posse quædam mala, ad præcavenda vel arcenda alia mala; sed majora, vel certè ut minimùm æqualia. Plerunque nervorum Behemoth perplexitas solvitur, dum ad victutes maximas per minora commissa transitur. Non solùm possunt, sed interdum etiam debent Reipublicæ moderatores permittere mala minora, ad vitanda immaniora, sive jam grassantia, sive adhuc ingruentia. *Fol.* 112.

CAPUT XL.

De immanitate criminis hæreseos dissferitur, & an ullius mali vitandi intuitu tolerari queat, discutitur. Infidelitas constituit filios diaboli, & antonomasticè vendicat sibi nomen *peccati*. Nefas est ut quis vel minimum peccatum committat, quò alios, vel etiam seipsum, à sceleribus quantumlibet enormibus præservet, aut liberet. Tolerari possunt ac debent zizania hæresum, quàmdiu subest periculum ne cum eis eradicetur triticum. Scipionis Æmiliani dictum, *Malle se vel unum civem servare, quàm multos hostes perdere.* Beati Martini apud Cæsarem, pro Priscillianistis confusaneæ internecioni destinatis, intercessio. Cantela Inquisitoribus hæreseon præscripta. Potestas gladij sive spiritualis sive corporalis non in destructionem, sed in ædificationem divinitùs concessa. Cùm idem morbus occupaverit plurimos, nihil cestat bonis nisi dolor & gemitus. Ambrosij sententia de non irritandis spontè Potestatibus adversis. Elibertinæ Synodi Canon de non inserendis albo Martyrum ijs, qui in idolorum fractione ab idololatris mactarentur. *Fol.* 115.

Adversùs

CAPVT XLI.

Adversùs Elibertinum Canonem superiori capite adductum objiciuntur exempla *Eupsychij, Eulaliæ, Marci Arethusij, Cyrilli Diaconi, Audæ Persæ*, & similium, qui Gentilium furorem sponte in se inflammarunt, fana evertendo, vel idola frangendo, vel tribunalibus insultando, vel Edicta persecutorum palàm lacerando. Sed idem Canon firmatur authoritate Patrum & exemplo Christi: conciliaturque cum exemplis in contrarium objectis. Augustini locus à Baronio perperàm allegatus sistitur, & in allegantem retorquetur. Marci Arethusij martyrium revocatur in dubium, non propter ambiguitatem facti, sed ob conditionem personæ. Hæretici, quantumvis ab idololatris occisi in odium Christianismi, non assequuntur palmam Martyrij. *Fol.* 119.

CAPVT XLII.

Fideles non solùm ex charitate erga seipsos, vel alios confideles, sed etiam erga suos persecutores, & horum subalternos Apparitores, spiculatores, executores, obstringuntur non temerè ansam præbere persecutioni, irritando crabrones. Apprehensos & traditos loqui voluit Dominus confessores sui nominis. Primus victoriæ titulus est, persequentium manibus comprehensum confiteri Domino; secundus ad gloriam gradus est, cautâ secessione subtractum reservari Domino. Inter *confiteri* & *profiteri*, quid intersit? Persecutorem facit, qui provocat; corrigit qui declinat. Si Saulum Martyres non fugissent, Paulum non fecissent. In æquilibrio est seipsum occidere, & se inimicis ad occidendum propinare. Qui fugit, suis etiam persecutoribus cavet, ne usque ad sanguinis effusionem progressi reatum incurrant homicidij. *Fol.* 121.

CAPVT XLIII.

Possitne Princeps tolerare hæreticos in ditione sua, ne Catholicis suscitetur persecutio in aliena? Charitas Christiana ad omnes quidem homines sese exporrigit, sed in hac exporrectione ordinem servat: cùm enim quis omnibus prodesse nequeat, his potissimùm consulere debet, qui pro locorum, vel temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus, constrictiùs sibi quâdam sorte junguntur. Quod pater est filijs, hoc Princeps debet esse subditis. *Patris patriæ* titulus bonis Principibus attributus. Generosi celsique animi vox est, *liberos amo meos, sed patriam magis meam*. Qui omnibus, quos pariter diligit, prodesse non potest; nisi conjunctioribus prodesse malit, injustus est. Concluditur, non posse Principem connivere perversoribus ditionis suæ, ad cavendum persecutionem in aliena. Philippi Secundi vox Catholico Rege digna. *Fol.* 124.

CAPVT XLIV.

Duplici objectioni adversùs superiorem decisionem motæ obviatur; eâque occasione disquiritur, num Princeps si non ut terrenus dominus, saltem ut Christianus, aut Christi vasallus, vel Dei imitator, possit aut debeat tolerare hæreticos in territorio proprio ut avertat persecutionem ab alieno, præsertim ampliori ac populosiori? Gallicanorum Procerum severa animadversio in Principem regij sanguinis, ob introductos Anglos in suam ditionem. Romanus Pontifex exemplo suo indicat quid Catholici Principes agere cum hæreticis debeant. Longè faciliùs recti pervertuntur, quàm perversi corriguntur. Non pari jure novitas incessit vetustatem, quo vetustas novitatem: nec sicut Catholici hæreticis, ita vicissim hi illis dicere possunt, *Qui estis? Quando, & unde venistis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo.* Expenditur exclamatio Apostoli ad discipulum, *Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.* *Fol.* 127.

CAPVT XLV.

Parasceve disceptationis *de fide hæreticis servanda.* Multa fieri prohibentur, quæ facta obtinent roboris firmitatem. Argumenta pro fide hæreticis violanda referuntur, rationibus, authoritatibus, exemplis suis nixa. Hæreticorum de Catholicis sparsa calumnia, olim quidem cœpta, sed mox explosa; denuò item replicata, & triplicata; sed quoties resumpta, toties repulsa. Hæreticos modernos pejores esse antiquis, eorumque nequitiam majorem astutiâ. Effrontes in calumniando, & ponentes mendacium spem suam. Duæ proferuntur causæ quibus impelluntur ad affingendum Catholicis dogma de fide ipsis violanda, odium scilicet concordiæ, & metus infamiæ. Fidem hæreticis servandam esse docent uniformiter non modò Theologi, sed & omnes clarioris notæ Iurisperiti. *Fol.* 130.

CAPVT XLVI.

Vafri homines facilè inducuntur, ut vitia sua de alijs suspicentur, & loquantur. Hæretici affingendo Catholicis dogma de violanda ipsis fide, imitantur impudicam Ægyptiam, pudici Iosephi accusatricem;

 libidino-

libidinosos senes, castæ Susannæ traductores; sacrilegos Pharisæos, acerrimi Christi calumniatores; & patrem mendacij, de quo scriptum est, *Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur.* Infidelis Deo, fidelis homini non præsumitur. Memorabilis in eam rem sententia Hormisdæ Martyris, simulque exemplum Theodorici Regis, & Constantij Chlori Cæsaris. Calvinistæ omnium Sectariorum maximè fideifragi. Variorum in id testimonia, & exempla. Jacobi Britannorum Regis de Puritanorum indole parænesis ad filium suum Cambriæ Principem. *Fol.* 133.

CAPUT XLVII.

Catholicorum sententia pro servanda hæreticis fide resumitur, & cavillationum in contrarium objectarum elisio subnectitur. Vulgare prosatum, *Frangenti fidem, fides frangatur eidem*, explicatur, limitatur, & ritè intellectum admittitur. Perfidiam perfidiâ ulcisci indecorum ac turpe est: cui turpitudini nequaquàm subjacet, qui præviolatam à compactore conventionem non servat. Pactorum mutuo dissensu solubilium lex generalis est, ut alterutro paciscentium resiliente, alteri quoque resilire fas sit. Decreta Pontificia pro violanda hæreticis fide à calumniatoribus obtensa elucidantur, & inaniter obtendi monstrantur: neque enim de fide pactorum, sed duntaxat de clientelari loquuntur, nec soli hæretici eis feriuntur; ac demùm à Synodo Constantiensi plurimùm molliuntur, & coangustantur. *Fol.* 137.

CAPUT XLVIII.

Frustrà à Sectarijs in suæ calumniæ probationem accersitur Joannis Huszi & Hieronymi Pragensis, Constantiæ exustorum, historia, pigmentis sparsim colorata, & figmentis respersa. Synodus Constantiensis neutri eorum fidem fregit, quippe quæ & priori nullam dederat, & posteriori non aliter quàm *justitia semper salvâ*, dederat. Securitas publica, nisi aliter exprimatur in Diplomate, intelligitur data non contra juris executionem, sed duntaxat contra iniquæ violentiæ illationem. Sigismundus Cæsar violatæ fidei à Sectarijs accusatur, sed synodali declaratione expurgatur. Ad quid teneatur salvi conductus concessor? Ad quid item teneatur Cæsar ex vi juramenti in sua inauguratione emissi? Salvus conductus non respicit crimina committenda, sed duntaxat præcommissa. Illustratur id exemplo latronum, qui prætextu acceptæ fidei recusant desistere à latrocinio. Latrones animarum tantò deteriores sunt latronibus corporum, quantò anima pretiosior est corpore. An & quo sensu hæreticis pertinacibus salvus conductus non patrocinetur? *Fol.* 140.

CAPUT XLIX.

In vanum quoque ab ijsdem Sectarijs pro astruenda sua calumnia allegatur cladis Varnensis historia, non minùs quàm præcedens falsiloquijs intermixta. Juliani Cesarini Cardinalis & Apostolici Legati Sermo Paræneticus ad Regem & Proceres Hungaricos Polonicosque, quo suasit ac persuasit fœdus Turcicum dirumpi, Pontificium perperàm violatum resarciri. Quamvis Cardinalis ille censuisset ac docuisset irrita esse pacta cum infidelibus inita, non equidem pro ea sententia sugillari posset Ecclesia. Imperator Turcicus promissa in diem præstitutum non adimplendo, justam præbuit Hungaris ansam, bellum intermissum resumendi. Absurdum fuerit, de rebus obscuris aliquid audactor velle statuere. Christiani Matthiæ Lutherani in designanda causâ cladis Varnensis asseverantia exploditur, & inconstantia redarguitur. Tres causæ illius cladis ab Historicis proditæ recensentur. Turcici fœderis violatio, Hungarici regni injusta usurpatio, & sacrilega Ecclesiarum per Bulgariam profanatio. *Fol.* 144.

CAPUT L.

Quarta eaque verisimilior causa cladis Varnensis memoratur ac defenditur, fœderis nimitùm sacri cum Pontifice & alijs Christianis Principibus pridem icti temeratio. Quàm compendiosa Turcis, & dispendiosa Christianis ea temeratio extiterit. Lutheri paradoxum, *De non præliando adversùs Turcas*, quàm Christiano indignum, & justè reprobatum? Uladislaum Regem & Julianum Cardinalem pro Christi nomine mortem oppetijsse perhibet Palmerius, illius ævi Chronologus. Hungaros oppignorasse Turcis sacram Eucharistiam, comminiscuntur quidam Sectarij: sed adeò falsò, ut ne in conspectum quidem impiorum, quantumvis flagitantium, proferre eam annuerint, cùm in fœderis pacta jurarent. Imperatoris Turcici in angustijs positi exclamatio precatoria quàm variè à varijs pro cujusque scopo fingatur ac transformetur. In pactionibus cæteroqui paribus prior tempore potior est jure. Sponsalia posteriora, etiam jurata, cedunt prioribus etiam injuratis. Juramenta in præjudicium tertij redundantia, vel in dispendium salutis æternæ vergentia, non ligant. *Fol.* 149.

SYNOPSIS CAPITUM

CAPUT LI.

Mira Sectariorum erga Ecclesiam Romanam ejúsque Præsules malevolentia, atque inde promanans calumniandi libentia. Christiani Matthiæ impudens mendacium, *Experientiæ perpetua consensu certum esse, nulla fuisse unquam felicia & salutaria vel fœdera cum Pontificibus facta, vel bella de horum consilio suscepta, & administrata.* Opposita veritas nonnullis exemplis persuadetur, & ipsius etiam adversarij secum pugnantis suffragio communitur. Odium Vatinianum Lutheranorum in Pontificem hęreditariè descendit ex ipso eorum Patriarcha Luthero, cui jugum Pontificium visum fuit decuplo pejus Turcico. Infelix eventus prælij Varnensis imputari potest fœderi Turcico, non ut rupto, sed ut icto. Exemplis ex Scriptura petitis ostenditur, displicere Deo confœderationes fidelium cum infidelibus. Machabæorum fœdera, cum Romanis & Lacedemonijs percussa, discutiuntur; & eventu testificante, displicuisse Deo perhibentur. Authorum pro ea sententia suffragia congeruntur. *Fol.* 152.

CAPUT LII.

Proponitur difficultas de obligatione Principum ad præstandum hæreticis libertatem impunitatemque pacto promissam. Quædam licitè promittuntur, & promissa licitè præstantur: quædam ex adverso illicitè promittuntur, & illicitè etiam promissa præstantur: quædam item licitè promittuntur, sed illicitè præstantur: quædam denique illicitè promittuntur, sed licitè promissa præstantur. Hæreticorum toleratio ad singula trium priorum membrorum spectare potest. An quoties hæreticis licitè impenditur toleratio, licitè quoque adijciatur ejusdem tolerationis pactio? Varij recensentur tituli quibus obstringuntur Catholici Principes non tolerare in suis ditionibus hæreticos absque premente necessitate, multò minùs inire pactum impunitatis cum ijsdem. Refertur & refellitur sententia neoterici cujusdam jurisconsulti, contendentis licere unicuique à pactis resilire, quoties contingit statum rerum alterari. Familiare Pœnis fidifragium fecit, ut *Fides Punica* abierit in proverbium. *Fol.* 157.

CAPUT LIII.

An quoties illicitè hæreticis libertas impunitasque promittitur, illicitè quoque promissa præstetur? De mali corvi malo ovo, & de arboris malæ fructibus malis. Non nascitur uva de spinis, sed benè de palmite intermixto spinis. Israëlitarum cum Gabaonitis pactum illicitè quidem ictum, sed licitè servatum, nec impunè violatum. Ex Gabaonitici pacti historia eruuntur quædam corollaria; instructioni Catholicorum Principum cum infidelibus paciscentium opportuna. Non est consequens ut si in malis promissis rescindenda sit fides, etiam in malè promissis rescindenda sit fides. Quoties promissum est malum promissio est mala, sed non reciprocè. Quemadmodùm reprehensi sunt Israëlitæ, quòd inter paciscendum cum Gabaonitis *os Domini non interrogarunt*: ita culpandi sunt Christiani Principes, qui inter paciscendum cum infidelibus Pontificem non consulunt, siquidem tempus permittat, & materia quoquo modo Religionem concernat. *Fol.* 160.

CAPUT LIV.

Possitne Pontifex pactum impunitatis cum hæreticis se inconsulto vel invito initum abolere? Claves regni cælorum Pontifici commissæ, quarum altera scientiæ, altera est potentiæ. Pontificis est quemlibet Christianum de quocunque crimine corripere, ac refractarium Ecclesiasticâ districtione coërcere. Dispensandi potestas non in destructionem, sed in ædificationem Pontifici concessa. Legitimæ dispensationis causæ ex Bernardo memorantur, quibus deficientibus attentata vinculi relaxatio non tam dispensatio, quàm dissipatio censenda est. Pacta solemnia cæteroqui valida per viam dispensationis velle dissolvere, nihil aliud fuerit quàm disperdere, atque Ecclesiam ingentium damnorum periculis exponere. Calumniosè affingitur Pontifici, quòd scripserit, *Nullum valere fœdus cum Ecclesiæ hostibus se inconsulto percussum.* Non obstantibus Principum sæcularium pactis fas est Ecclesiæ sua sibi jura ab hæreticis vendicare, pro eorumque recuperatione etiam bellum indicere. Synodi Constantiensis Sanctio prædictis consentanea. *Fol.* 163.

CAPUT LV.

In tolerandis hæreticis amplectenda est Principibus medioeritas, vitanda utrinsecùs extremitas; ut nec nimis se faciles, nec plus æquo exhibeant difficiles. Potest subinde occurrere casus tam prementis necessitatis ut non modò liceat, sed & oporteat cum hæreticis icere pactum impunitatis. Proferuntur & eliduntur quinque objectiones, cum accessorijs instantijs, quibus contenditur, nunquàm licere, nedùm oportere, pacisci cum hæreticis de impunitate, vel dogmatizandi libertate. Elucidatur Augustini locus, *Quæ peior mors animæ,*

animæ, quàm libertas erroris? Posse & nolle transgredi; laudabile est. Possitne iniri cum latronibus pactum impunè latrocinandi? Ullumne detur malum disseminatione hæreseos immanius, cujus præpediendi vel excutiendi intuitu illa toleretur, ac impunitatis pacto solemnizetur? Sicut temerarium est necessitati reverà subsistenti non cedere, ita ignavum & impium prætextitiæ deserre. Duplo puniendus venit; qui boni prætextu delinquit. Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas. Diabolus sedes iniquitatis, laborem in præcepto fingentibus adhærens. Divina vindicta talibus impendens. *Fol.* 167.

CAPUT LVI.

Quorumnam typum Rex *Saul* in eo gesserit, quòd super gladium suum perimendus irruerit? Præcepto *Non occides*, vetatur suicidium. Sicut parricida eò scelestior est alijs homicidis, quò propinquiorem hominem necat: sic scelestissimus est suiipsius peremptor, cùm nemo sit cuique seipso propinquior; Seipsum interimere non magni est animi, sed pusilli: major quippe est animus; qui vitam ærumnosam potest ferre, quàm qui fugere. Furor est, ne moriare, mori. Vetat summus Imperator suo injussu quenquam statione decedere. Ethnicorum quorundam sapientiorum in suicidas animadversio. Josephi Hebræi super occisione sui cum contribulibus disceptatio. *Saul* occidendo seipsum ne Philistæorum illusiones subiret, pusillanimitatis sibi notam inussit, & æternam damnationem promeruit. Qui primus Imperatorum in Christianos Cæsareano gladio ferocire præsumpsit, violentas sibi ipsi demùm manus intulit. Recensentur aliquot sequentes Imperatores, persecutionum post *Neronem* suscitatores, qui quòd in pios sævierint, funestè perierunt: ut *Domitianus*, *Traianus*, *Antoninus*, *Severus*, *Maximinus*, *Decius*, *Valerianus*, *Aurelianus*, *Diocletianus*, *Maximianus*. *Fol.* 171.

CAPUT LVII.

In eo quòd Rex Saul Prophetam Samuëlem pridèm sanctè defunctum *inquietaverit*, figuravit eos qui non contenti affligere justos in hac adhuc vita peregrinantes, etiam infesti sunt Cælitibus æternâ requie fruentibus. Veteres Sancti incoluerunt subterraneum Abrahæ sinum, donec Christus clave suæ crucis reseravit eis paradisum. Illustratur Psalmographi versiculus, *Posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum transivit in terra.* Julianus Apostata blasphemiam cum cruore in cælum emittens interijt. *Maria* peculiari prærogativâ *Cælum*, quia Dei incarnati solium. Complura alia ejusdem epitheta & elogia ex Patribus. Angeli sancti non solùm *montes*, sed etiam *cæli*, imò & *cæli cælorum* dicti. Eorum varia encomia ex Syncello & Sophronio. Hominibus sanctis repromissa æqualitas Angelorum in cœlo. Ad singulos Angelorum Ordines subvehuntur in supplementum homines: tales enim oportet esse eos qui in supernam Hierusalem pro Angelis inde lapsis assumendi sunt, quales ibi futuri erant, pro quibus ibi erunt. Cur Moyses priùs retulerit creationem *cæli*, ac posteà subdiderit formationem *firmamenti*? *Fol.* 175.

CAPUT LVIII.

Non de solis theomachis, sed & de hagiomachis verificatur quod scriptum est, *Posuerunt in cælum os suum.* Contemptus amicorum Dei, gradus est ad contemptum ipsius Dei. Memorabile ejus rei exemplum ex Dorotheo. Ecclesiastici locus, *Qui spernit modica paulatim decidet*, miro exemplo illustratur ex Augustino. Constantini Copronymi in Sanctos promiscuè universos; & in ipsum Sanctum Sanctorum, ejusque sanctissimam matrem, impietas sacrilegè exerta, sed non inulta. Sicut Julianus in extremis agnovit victricem manum Christi, ita Copronymus Christiparæ Mariæ. Non tam in Infernum vivus descendit, quàm ad vivum Infernus ascendit. Ejus sera resipiscentia confertur cum Epulonis Evangelici miserescentia. Henrici VIII. Anglorum Regis in Sanctum Thomam Cantuariensem nefanda sævitas, quem ante quadringentos penè annos martyrizatum, Cælitum albo inscriptum, prodigiorum perpetratione inclytum ad tribunal suum citavit, contumaciæ condemnavit, rebellionis proditionisque reum declaravit, exhumavit, incineravit, nomine & honore *Sancti* privavit. Non equidem impunè: nam & in desperatione emigravit anima ejus, & sine sepulchrali honore remansit caro ejus, *& in generatione una deletum est nomen eius.* Cur monachorum nomen in extremis semimortuè ingeminarit? Justorum contrastantia adversùs eos qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum. *Fol.* 179.

CAPUT LIX.

In colendis Sanctis servanda mediocritas, vitanda utrinque extrémitas. Recensentur hæreses in utrumvis extremum declinantes circa cultum Virginis Deiparæ, Angelorum cælestium, Sanctorum hominum: quibus subnectuntur & eæ, quæ scelestissimos quosdam nebulones præscripserunt adorandos. Ut Christus inter duos latrones in cruce pependit, sic veritas inter errores hinc inde circumsidentes incedit. Binæ adorationis species sistuntur, latria soli Deo deferenda, dulia Sanctis Angelis & hominibus impendenda.

Nulli puræ creaturæ sacrificandum. Ecclesiæ modernæ cum veteri quoad Sanctorum venerationem consensio. Sanctorum religiosa veneratio honori Numinis non derogat, sed in eum redundat. Eorum cultores reputare idololatras, immanis calumnia est, olim quidem ab hæreticis, apostatis, ethnicis, & Judæis divulgata, atque ab Ecclesiâ constanter repulsa: nunc denuò à modernis Sectarijs impudentissimè resumpta, & seductæ abs se plebeculæ perperàm persuasa. Cur tanto studio satiegerint Martyrum olim persecutores, ne reliquiæ devenirent ad eorundem veneratores? Latissimum discrimen inter Deorum cultores, & Martyrum honoratores, ex Augustino. De Polycarpi antiquissimi Martyris glorioso agone, & Ecclesiæ Smyrnensis erga ejus reliquias eximiâ devotione. Quantæ fuerit ille æstimationis, apud suos etiam interfectores. *Fol.* 183.

CAPUT LX.

A Sanctorum veneratione transitur ad eorundem invocationem: quam nimis imprudenter vel certè impudenter *Melanchton* pernegat mentionatam fuisse à priscis Scriptoribus Gregorio primo Pontifice anterioribus. Insignis ejusdem *Melanchtonis* scurrilitas, agnominantis Magnum Gregorium *peremtis Theologiæ præsultorem.* Sanctorum invocatio non solùm sub Gregorio, & post Gregorium, sed & ante Gregorium ab exordio semper Christianę Religionis usitata fuerat in Ecclesia Dei. Eam quippe per temporum successiones astruxerant ante Gregorium, Hormisda, Leo, Synodus Chalcedonensis, Theodoretus, uterque Cyrillus, Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Basilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Ephrem Syrus, Athanasius, Eusebius, Cyprianus, Origines, Irenæus, Dionysius, Clemens Romanus, Jacobus Apostolus. Quibus suo se exemplo conformes exhibouerunt Mundi Principes, signanter Theodosius major & junior; qui & Sanctos religiosè honorabant, & honoratos devotè invocabant. *Fol.* 188.

CAPUT LXI.

Venerationi invocationique Sanctorum consentaneus est cultus reliquiarum ipsorum: cui nequiter obstrepunt moderni Sectarij, revocantes ex orco veterem hæresim Vigilantij, Eunomij, Eustathij Sebasteni, haustam ex lacunis Samaritarum & Judæorum. Vigilantius spurco ore veneratores reliquiarum appellabat *cinerarios* & *idololatras*. Legis Moysaicæ & Evangelicæ discrimen quoad morticinorum contactum, ex Basilio. Tortura dæmonum ad lipsana Martyrum. Mœror eorundem expressus à Trismegisto de reliquiarum veneratione prævalitura in Ægypto. Non est deferendum ultroneæ dæmonum attestationi, sed extortitiæ confessioni. Apollini Daphnico impositum silentium per vicinè sepultas Martyris Babylæ reliquias. Ignatij Martyris ossa quàm solemniter ex Italia in Syriam translata? Nazianzeni in Julianum apostatam invectiva, ob irreverentiam erga Martyrum lipsana. Principes Apostolorum miraculosè impedierunt suorum corporum translationem extra Romanam ditionem. Romanorum Pontificum vetus consuetudo offerendi super Apostolorum ossibus Deo sacrificia. Variarum reliquiarum translationes solemnizatæ sub *Constantino*, utroque *Theodosio*, *Arcadio*, *Zenone* Cæsaribus. *Fol.* 193.

CAPUT LXII.

Sicut cultui Sanctorum consentaneus & consectarius est cultus reliquiarum, ita & sacrarum imaginum: quarum inter Christianos primus oppugnator vulgò censetur *Xenaias* pseudochristianus: cui tamen præluserant Manichæi & Phantasiastæ; necnon Saraceni, Samaritæ, Judæi, & Pagani. Iconolatræ & Iconoclastæ in extrema utrinque vitia à medio virtutis exorbitant, uti & promiscuè cæteri errores. Eutychiani cur *Monophysita* & *Theopaschita* dicti? Petri Cnaphei de Baptismi suppletione per episcopalem ordinationem error: ejusdem Theopaschiticum additamentum ad Trisagium. Leonis Isaurici simulata sub auspicium Imperij devotio, & ejusdem posteà in apertam iconomachiam prolapsio. Ejus colloquium cum Tarasio Patriarcha, cui sacrarum imaginum exterminator habitus est Antichristi præcursor, & divinæ Incarnationis eversor. Gregorij secundi pro sacrarum imaginum cultu fovendo & spretu vindicando zelus, quo accensus Imperatorem iconomachum anathematico fulmine ferijt, & consuetis Hesperiæ vectigalibus privavit. Isaurico Iconoclastæ miserabiliter animâ & corpore simul mortuo succedit Copronymus, crudelissimi leonis crudelior catulus. Copronymianum Conciliabulum contra sacras imagines quid decreverit? Quàm scandalosum sit subditis exemplum dyscoli Principis? Copronymiani Conciliabuli titulus sistitur, & dispunctus exploditur. *Fol.* 197.

CAPUT LXIII.

Iconomachica hæresis surculos suos etiam in Occidentem diffudit, qui post excisum in Nicena secunda Synodo Orientalem truncum germinare perrexerunt. Anastasij Bibliothecarij discursus contra eos qui imagines etiam Christi execrabantur, cùm tamen figuras crucis Christi venerarentur. Octo corollaria ex discursu illo deducta. Moderni Iconomachi veteribus suis Patriarchis irreligiosiores. Forma crucis quàm ubique

ubique obvia, & antiquitùs honorata? Christicolæ olim ab ethnicis dicti *Crucicolæ*. Crux transitum fecit à locis suppliciorum ad frontes Regum & Imperatorum. Constantino Magno facta crucis apparitio, victoriam portendentis, portentúmque præbentis. Quantâ solemnitate idem Constantinus trophæa crucis Romæ erexit, & exercitibus suis pro labaro præferri edixit? Veteribus Christianis, etiam ante Constantinum, familiare erat frontem signaculo crucis terere ad omnem aditum, progressum, exitum, vestitum, calceatum; ad lavacra, mensas, sedilia, cubilia, lumina. Ea praxis ex Apostolica traditione manavit. Apostolos signaculo crucis usos fuisse ostenditur, imò & Christum etiam in cælo jam gloriosum. *Fol.* 203.

CAPUT LXIV.

Claudius Taurinensis iconomachiæ præcipuus per Occidentem propugnator & propagator, non modò Sanctorum imaginibus, sed & crucis figuris extitit infestus. Epistola ejus apologetica ad Theodemirum Abbatem, quâ & imaginum & crucium venerationem impugnat. Libri quatuor pro abolendo imaginum cultu, in Nicæna Synodo ante triennium stabilito, eduntur; unde excerpta quædam lemmata ad Adrianum Papam mittuntur, atque ab eodem refelluntur: quos superiori jam sæculo quidam Sectarius sub fictitio nomine *Eli Phili* typis excudit, & Carolo Magno velut authori attribuit. Francofordiana Synodus septennio post Nicænam secundam celebratur, cujus canon ordine secundus refertur, & cum Nicæna Synodo quantùm ad fidei dogma conciliatur, qui tamen in materia facti errasse monstratur. Nicæna Synodus in causa imaginum non novam fidem condidit, sed veterem suæ pristinæ integritati, propulsâ novitate, restituit. Honor, uti & ignominia imaginis, redundat in prorotypum. Sacrarum imaginum usus & cultus jam inde ab exordio Christianissimi continuatus ostenditur. Nulla habetur ratio templi, quod nullo ornatur simulachro. *Fol.* 207.

CAPUT LXV.

In Saule inquietatores Samuëlis figurantur & consimili supplicio obnoxij censentur non modò qui Sanctorum reliquias aut icones exhonorant, sed qui vel terrena bona eisdem dicata devastant, vel loca eis consecrata profanant. Ecclesiastica peculia cur *Res Dei*, cur item *Patrimonia Sanctorum* dicantur? Quatenùs institui possint Cælites bonorum temporalium hæredes? Injuriam tribus subalternis dominis irrogant qui terrena Cælitum patrimonia temerè profanant, aut extraneis usibus invitâ Ecclesiâ applicant. Supemæ ultionis in Ecclesiasticorum bonorum usurpatores exertæ multiplicia congeruntur exempla. Ecclesiastica bona quatenùs tineæ, cariei, rubigini, & plumis aquilinis similia? Sancti Remigij in Pipinum Regem animadversio, sed paternalis & medicinalis. Quàm avidè & sacrilegè in Ecclesiastica bona involarit Henricus VIII. Anglorum Rex, sub cujus tyrannide *Millia dena unus templorum sustulit annus*? *Fol.* 21x.

CAPUT LXVI.

Hagiomachis accensentur qui Sanctorum beatitudini post Ecclesiæ decisionem refragantur. Calumniosè Calvinus Joanni XXII. Papæ affingit, quòd animas cum corporibus interire, & cum iisdem resurgere senserit. Error absque pertinacia ad hæresim non sufficit, cum pertinaciâ in materia fidei sufficit. Nullus Pontificum usque ad Benedictum XII. definivit animas plenè purgatas confestim adipisci gloriam; nec ulla œcumenica Synodus usque ad Florentinam. In Pontificum ac Synodorum Decretis non omnia definiuntur, quæ inseruntur; sed ea duntaxat quæ tanquam necessariò credenda vel suscipienda proponuntur. Veterum Tractatorum super animarum purgatarum beatitudine in finem usque sæculi differendâ sententiæ ambiguæ proferuntur; & partim excusantur, partim explicantur. Benedicti XII. & Synodi Florentinæ definitiones recensentur, & elucidantur. Sanguis Christi clavis paradisi. Joannis XXII. Diploma pridie mortis emissum. Providentissima cura Numinis pro inerrantia Apostolici Præsulis; quem maluit de vita auferre, quàm sinere falsum definire. *Fol.* 215.

CAPUT LXVII.

Sanctorum Canonizatio à Joanne XXII. Pontifice solemnizata, replicata, triplicata, num arguat eum secùs sensisse, quàm superiori capite perhibitum sit? Quina pro affirmativâ parte proferuntur argumenta: primum quidem ex canonizationis definitione per Cardinalem Bellarminum digestâ, secundum ex ejusdem formulâ per Tannerum exhibitâ; tertium ex clausulis Bullarijs, quartum ex Cardinalis Baronij suffragio, quintum ex hymnorum Ecclesiasticorum tenore. Num Joannes XXII. demùm post solemnizatas à se canonizationes prosilierit in exoticam de differenda animarum gloria opinionem? Possitne Pontifex exercere actum potestatis clavium, contra eam quam mente fovet sententiam? Protestatio olim Canonizationi præmitti consueta, ex Maiolo. Canonizationem ex suâ genericâ ratione non importare beatificam canonizati comprehensionem, evincitur exemplis de veteri Testamento prolatis; quibus constat, com-

plures ſuiſſe divinitùs canonizatos, à cæleſti interim paradiſo, necdùm cruce Chriſti reſerato, excluſos. Canonizationes Sanctorum per quinque ſæcula ante Joannem XXII. à Pontificibus ſolemnizatæ. Miracula, etiam poſt obitum patrata, non arguunt præſentaneam gloriam patrantis. *Fol.* 225.

CAPUT LXVIII.

Tria priora argumenta §. 258. objecta diſcutiuntur, & excutiuntur. Bellarminiana canonizationis definitio non modò ab alijs Tractatoribus reijcitur, ſed ab ipſo etiam authore ſuo ſubvertitur. Undenam ea fuerit collecta? Surrogantur in ejus locum aliæ uti vetuſtiores ac receptiores, ita congruentiores ac veriores. Canonizationis formula Tanneriana reijcitur ut minùs adæquata, proque eâ exhibentur aliæ magis aptæ, ex Romano Cæremoniali tranſcriptæ. Non adſtringitur Pontifex ulli præciſæ canonizationis formulæ; quæcunque interim ab ipſo aſſumitur, à fidelibus ſuſcipienda, ac ſuæ materiæ accommodanda erit. Clauſulæ Bullariæ, Diplomatibus Joannis XXII. inſertæ, elucidantur, & cum erronea ipſius opinione conciliantur. *Regni cælorum* varia uſurpatio, juxta Auguſtinum: varius item *Regnantum cum Chriſto* ſtatus, juxta eundem, cum Bernardo & Hugone Victorino. Quid de *atrijs domus Domini*, & item de *animabus ſubtùs altare viſis* ſenſerit Bernardus? *Sinus Abrahæ* alius nunc ab eo, qui ante Chriſti aſcenſionem fuerat. *Fol.* 230.

CAPUT LXIX.

Argumentum quartum §. 258. objectum, multiſariè eliditur. Baronij aſſertio uſum Eccleſiæ hodiernum reſpicit, nec ad anteriora ſæcula ſeſe exporrigit. Eandem Joannes XXII. abſque ullo opinionis ſuæ præjudicio admittere potuiſſet, ſi exhibita ſibi fuiſſet. Sanctitatis titulus olim inter Chriſtianos quàm promiſcuus? An etiam hæreticis, aut alijs infidelibus, vel ſchiſmaticis aliquando tributus? Deturne in alterâ vitâ *Purgatorium deſiderij*, ubi animæ quædam à pœnâ ſenſus exolutæ ſolâ pœnâ damni affliguntur? *Sanctitatis* notio, etymon, varij ac diſpares gradus. Deus cur *ter Sanctus*, & *Sanctus Sanctorum* dictus? Expenditur quod in Cantico Annæ ſcriptum eſt, *Non eſt Sanctus, ut eſt Dominus*. Chriſtus non modò ſecundùm divinitatem, ſed etiam ſecundùm humanitatem *Sanctus Sanctorum* dictus. Ejus inviolata Mater ob ſanctitudinis excellentiam non tantùm *pulchra ut Luna*, verùm etiam *electa ut Sol* dici promeruit; & quid inter iſta duo epitheta interſit? Romanus Antiſtes ob Chriſti vicariatum *Sanctiſſimus*, & *ſua Sanctitas* intitulatus. Ad ſingulos quoſque ordines cæleſtium hierarchiarum electi homines ſublevantur, & Angelis in ſanctitate coæquantur. *Fol.* 236.

CAPUT LXX.

Ut quis ſanctitatis titulo potiatur, tres conditiones exigit Baronius, quæ ſingulatim trutinantur: primam, ut is fuerit *Chriſtianus*; ſecundam, ut *vitâ functus*; tertiam, ut jam *in cælo cum Chriſto regnet*. Primæ obſtare videtur, quòd Deus, quòd Chriſtus homo, quòd Angeli cæleſtes, quòd veteres Patriarchæ & Prophetæ ante Chriſtiani nominis exorſum defuncti, dicantur etiam hodie *Sancti*, quamvis in rigore non ſint nec fuerint *Chriſtiani*. Secundæ obſtare videtur, quod *Henoch* & *Elias*, fortè etiam *Ioannes Apoſtolus*, necdum ſint vitâ functi, cùm tamen ſimpliciter ſint ac dicantur *Sancti*. Tertiæ denique obſtare videntur hæc ipſa tria poſtrema exempla, præſertim cùm Deus dicat, *non videbit me homo, & vivet*. In primitiva Eccleſia titulus Sanctitatis compluribus tunc viventibus, adeoque necdum *in cælo cum Chriſto regnantibus*, attributus: imò templa & altaria Deo in eorum honorem erecta. Eccleſiam in terris adhuc militantem profitemur, in Symbolo Fidei, *Sanctam*; ejuſque viſibile caput intitulamus *Sanctiſſimum*, licèt nondum cum Chriſto in cælis regnet, nec an unquàm regnaturus ſit conſtet. *Fol.* 243.

CAPUT LXXI.

Canonizatus quiſque vi ſuæ Canonizationis potitur titulo Sanctitatis: atque adeò quotquot in veteri etiam lege fuerunt ritè canonizati, exinde potuerunt intitulari *Sancti*, tametſi interim à paradiſo necdum reſerato excluſi. Horum quoque nonnulli in ſacris Paginis diſertè nuncupantur *Sancti* & *Beati*. Eiſdem quoque, necnon & ſpiritibus Purgatorij, complures hujus ævi Scriptores titulum Sanctitatis attribuunt; ſignanter Serarius, Tannerus, Suarezius, Bellarminus, Viguerius, Heſſelius, Bloſius, Lezana, Lindanus, Lenſæus. Inter Canonizationem & Beatificationem quid interſit, & num illa hanc præexigat? Non ſolos Martyres pro Chriſto peremptos, ſed generaliter univerſos in Sanctitate defunctos complectitur iſta ſententia, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*. Octo gradus beatitatis inter ſe non modò diverſi, ſed & diſpares, ſingulatim percenſentur, & ſuis reſpectivè exemplis illuſtrantur. *Fol.* 247.

CAPUT LXXII.

Argumentum quintum §. 258. objectum diluitur. Qualiter intelligendum quod de unoquolibet Confessore in natalitiâ ipsius festivitate concinitur, *Hâc die latus meruit beatas scandere sedes?* Qualiter item illud quod de Confessore non Pontifice, *Anni reverso tempore dies refulsit lumine, quo Sanctus hic de corpore migravit inter sydera?* Cur dies depositionis Sanctorum dicatur *Natalis* ipsorum? Complurium Sanctorum Natales in Ecclesia festivantur, qui in cælestem patriam ipso die obitûs sui nequaquàm pervenisse noscuntur. Verba Patrum in speciem reluctantia explanantur, Martyrij energia, & cum Baptismo analogia. Non intromittuntur ad beatificum conspectum Dei, qui cujusquam culpæ vel pœnæ restant adhuc rei. Humanæ miseriæ granditas ponderatur, quâ filiorum Adæ vita degravatur à primis fletibus nascentium, usque ad extremos gemitus morientium. Ingens eorum felicitas, qui tantæ miseriæ per opportunam mortem subtrahuntur, & licèt nondum in plenitudine rei, saltem in certitudine spei constituuntur. *Fol.* 254.

CAPUT LXXIII.

Nova objectio proponitur, cujus occasione disquiritur, an separatæ justorum animæ, à cælesti paradiso interim exclusæ, possint in Litanijs à vivis invocari? Quidam fatentur eas orare pro vivis, qui equidem diffitentur invocandas esse à vivis. An, & quibus modis innotescere queat defunctis interpellari se à vivis? Cur in missa pro defunctis nulla intermisceatur collecta de vivis? De *Paschasio* & *Severino*, miraculosa beneficia clientibus è purgatorio præstantibus: de *Hieremia* & *Onia* pro populo suo è limbo precantibus: de *Antonio* & *Nicolao*, invocatores suos procul dissitos, adhuc in vivis, audientibus & exaudientibus. Nequaquàm est consequens ut si defuncti preces viventium ad se fusas ignorent, frustrà hi opem ipsorum suppliciter implorent. Proferuntur in eam rem testimonia Hugonis Victorini, Estij, Sylvij, Turriani, Serarij, Davenporti, Hesselij, & Bellarmini à se ipso dissidentis. Quomodò Angelus Moysen alloquens dixit se *Deum Abraham*? Quomodò item Angelus Tobiam alloquens dixit se *Azariam Ananiæ magni filium*. *Fol.* 259.

CAPUT LXXIV.

Num defacto in Litanijs aliqui invocentur, qui needum Dei faciem beatificè intuentur, sed in purgatorio vel alibi extra cælestem paradisum detinentur? *Henoch* & *Elias* invocari videntur istis Litaniarum verbis, *Omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ, orate pro nobis.* Joannem Apostolum in Litanijs nominatim invocari certò constat, quem tamen devixisse, aut paradisum gloriæ introisse, non pariliter constat. Cùm purgatorij spiritus utique sint *Sancti*, videntur istâ Litaniarum clausulâ comprehendi, *Omnes Sancti & Sanctæ Dei intercedite pro nobis.* In cælo regnant Sancti multi & magni, neutiquàm ab Ecclesia canonizati. Nil vetat invocari spiritus purgatorij, & orari pro iisdem spiritibus purgatorij. An & qualiter orare liceat pro defunctorum in Christo spiritibus, beatificâ Dei contemplatione jam fruentibus? Quale signum gloriæ lumen radiosum, quo in picturis circumfunduntur capita Canonizatorum, rememorativum, demonstrativum, an prognosticum? De Moyse, & alijs quibusdam Sanctis, radianti lumine divinitùs in hac vita circumfusis. *Fol.* 265.

CAPUT LXXV.

Quâ ratione certificri queat Ecclesia de vera Sanctitate hominis defuncti, in cælestem saltem paradisum needum intromissi? Justorum animas sicut olim in limbo, ita olim vel nunc in purgatorio de sua futura salute esse omninò securas, atque ob hanc securitatem nuncupari *beatas*. Innocentij III. subobscurus locus, Corpori Juris insertus, elucidatur. Martyr Roffensis à sugillatione Bellarmini, perperàm concludentis, vindicatur. Quemadmodùm humana consuetudo verbis aut scriptis, sic divina potentia etiam factis loquitur; tantò quidem luculentiùs significantibus, quantò mitiora patent intuentibus. Divina miracula adeò vehementer probant ea ad quæ inducuntur, ut universas Mathematicorum convictiones supergrediantur: sunt quippe sigilla supremæ Majestatis, confirmatoria subsistentis veritatis. In canonizandis Sanctis præter virtutem morum exigit Ecclesia patrationem miraculorum, & quidem in morte vel post mortem editorum. Porrò sicut vita animæ in corpore manentis deprehenditur ex motu membrorum, sic vitam animæ è corpore egredientis, vel jam egressæ, prodit patratio miraculorum. Post mortem ergo vivunt, & canonizari possunt, qui miracula edunt, etsi à cælo adhuc absint. *Fol.* 270.

CAPUT LXXVI.

Concluditur potuisse Joannem XXII. solemnizare Sanctorum Canonizationes, absque præjudicio erroneæ suæ opinionis; eò quòd Canonizatio ex communi & adæquatâ suâ ratione non importet præsentaneam

taneam Canonizatorum fruitionem, sed Sanctitatis nunquam interrumpendæ consummationem. Validis haud dubiè nititur probamentis, qui thesin suam etiam de adversarijs astruit instrumentis. Cardinalis Bellarmini argumenta quinque pro astruendâ Summi Pontificis in canonizandis Sanctis inerrantiâ referuntur, & nostræ potiùs quàm suæ hypothesi congruere ostenduntur. Dominici Soti exotica positio, super animarum morâ in purgatorio. Quid de eadem mora senserit Cabezudus? Urbani VIII. Decretum inhibitorium, ne in Congregatione Rituum fiat processus super prætensâ cujusquam sanctitate ad effectum Canonizationis, seu Beatificationis, nisi lapsis quinquaginta annis ab ejus obitu. *Eliam* Prophetam posse ab Ecclesiâ solemniter canonizari censet Lezana Romæ approbatus, etsi nondum vitâ functum, aut cælesti paradiso receptum. Quid de *Severino* & *Paschasio* olim in purgatorio hærentibus. *Fol.* 276.

CAPUT LXXVII.

Quod superiori Capite dictum est de Cardinale *Bellarmino*, ostenditur locum pariter habere in *Valentia*, *Tannero*, *Amico*, & *Castropalao*; qui astruere volentes Pontificis in canonizando inerrantiam, in nostram coacti sunt desilire sententiam. Cùm enim juxta suam hypothesin probare debuissent Canonizatos jam actu pervenisse certò ad gloriam, non plùs equidem concludunt quàm eos certò decessisse in gratia: atque ita vel à sua hypothesi ad nostram transiliunt, vel sanctarum animarum purgatorium elidunt. Wiclefiani articuli à Constantiensi Concilio facta damnatio hypothesi ipsorum astruendæ non servit, nostram verò stabilit: uti & Joannis XXII. clausula Bullaria, non satis providè à Tannero adducta. Spiritus Sanctus Pontifici canonizanti assistit ne erret, sed in eo signanter quod ille definit. Magna vis veritatis, quæ per ea etiam quæ sibi adversantur elucet. *Fol.* 282.

CAPUT LXXVIII.

Augustini parænesis de non prætereundis quæstionibus inter tractandum incidentibus. Sicut *Saul*, veteris populi Rex primus, Reges novi populi præsignavit; sic & ejus dignitas consimilem in novo populo dignitatem futuram figuravit. Quorumnam typum gesserint *filij Belial*, qui Saulem regiâ dignitate sublimatum *despexerunt*? Judæ Galilæi & asseclarum ejus dogma, humanis Principatibus inimicum. Quantâ illi obstinatione tenuerint cuiquam mortalium attribuere titulum *Domini*, aut *Regis*? Christus cur *Galilæus*, & Apostoli ejus dicti *Galilæi*? Quàm alieni utrique ab insulso Galilæorum dogmate, cujus tamen insimulabantur? Pseudoapostolorum peculiaris nota, *Dominationem spernere*, *Majestatem blasphemare*. Generale pactum est societatis humanæ obedire Regibus suis: quantò magis Deo, regnatori universæ creaturæ suæ, ad ea quæ jusserit, sine dubitatione serviendum est? Sicut enim in humanis major potestas minori ad obediendum præponitur, ita omnibus Deus. Quid agendum subdito, dubitanti num Deus vetet, quod Princeps jubet. *Fol.* 284.

CAPUT LXXIX.

Ecclesia Christi terrenos Principes primùm perpessa est persecutores, sed gratis: postmodùm eosdem experta est propugnatores ac veneratores, non gratis. Apostolorum canon pro observantiâ Principibus impendendâ contra Pseudo-apostolorum praxin eosdem convitijs incessendi. Expenditur legale præceptum, *Dijs non detrahes, & Principi populi tui non maledices.* Quomodò Paulus Apostolus Principi Christianæ Ecclesiæ in faciem restitit, qui de incessito Pseudo-principe Iudaicæ Synagogæ sese excusavit? Quod Christiana disciplina sancit de observantia & obedientia impendenda Principibus politicis, à potiori militat pro hierarchicis: quibus utique præcipimur non modò *obedire*, sed & *subjacere*. Veteres Ecclesiæ Patres, ad imitationem Christi & Apostolorum, verbis & exemplis inculcarunt obsequendum esse Principibus etiam dyscolis, sed usque ad aras: signatim Polycarpus, Ignatius, Clemens, Iustinus, Athenagoras, Theophilus, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Arnobius; quorum testimonia referuntur. *Fol.* 288.

CAPUT LXXX.

Uberior prosecutio & confirmatio ejusdem doctrinæ ex testimonijs subsequentium Ecclesiæ Doctorum, qui post terrenorum Principum conversionem ad Christianismum floruerunt: signanter Nazianzeni, Didymi, Hosij, Optati, Ambrosij, Augustini, Chrysostomi, Epiphanij, Cyrilli Alexandrini, Isidori Pelusiotæ, Prosperi, Gregorij, Damasceni, Bernardi, Hugonis Victorini, Ioannis Sarisberiensis, Laurentij Iustiniani. Libertinis ac Monarchomachis classicum præcinuisse videtur Democritus, cujus vox est: *Non oportet sapientem legibus obedire, sed liberè vivere.* Quemadmodùm subditis cavendum est, ne terrenis Principibus obsequia vel subsidia legitima subtrahant; ita & his, ne vel contra Dei legem quidquam extorqueant, vel Ecclesiastica jura muniave usurpent. Sicut Cæsari danda sunt quæ ipsius sunt, ita Deo nullatenùs neganda quæ ejus sunt. Principatuum eliminatio nihil aliud fuerit, quàm extremæ confusionis invectio, & humanæ societatis eversio. *Fol.* 292.

CAPUT LXXXI.

Libertini plerunque ex odio legum prosiliunt in odium Regum, uti & ex amore libertatis in odium legum. Prima ambitionis species est libertatis affectatio, quam subsequitur affectatio dignitatis, cui succedit affectatio authoritatis, cujus pedissequa est affectatio potestatis. Harum prima Luciferum è cælo deturbavit, & de Angelo diabolum fecit. Luciferi superbientis symbolum, *Similis ero Altissimo:* Michaëlis obviantis classicum, *Quis sicut Deus*? Lucifero unde indita nomina *Sathanæ*, *Diaboli*, *Serpentis*, *Draconis*? Eodem affectatæ libertatis telo diabolus salutem humanæ immortalitatis impetijt, quo vitam suæ beatitudinis pridem extinxerat. Adam fit servus apostatæ, dum liber vult esse justitiæ. Dei præcepta cur dicantur *Via*, *Lex*, *Testimonia*, *Mandata*, *Justificationes*, *Iudicia*, *Sermones*, *Eloquia*, *Mirabilia*, *Æquitas*, *Verba*, *Veritas*, *Iustitia*? Qua ratione *Leviathan* factus sit ut nullum timeat? Jactantiæ januam diabolus quâ irreperet quæsivit, quando protoplastus per organum serpentis insonuit, *Eritis sicut Dij*. Quemadmodùm in lapsu diaboli, sic & in casu hominis, initium prævaricationis fuit ambitio libertatis. *Fol.* 274.

CAPUT LXXXII.

Libertatis ambitio quàm longè lateque per humanum genus, in protoplasto vitiatum, diffusa? Pro magnitudine primæ transgressionis naturam humanam damnatio mutavit in pejus; ut quod pœnaliter præcessit in peccantibus hominibus primis, naturaliter sequeretur in nascentibus cæteris. Protoplastus tales genuit, qualis fuit ipse cùm gigneret, voluptuosos, curiosos, ambitiosos. Expenditur quod scriptum est, *Omne quod est in Mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi*. Ambitionis vitium quod recedentibus à Deo primum fuerat, redeuntibus novissimum est. Ambitio libertatis radix est ambitionis Potestatis, ubique affectans primatum, nuspiam contenta secundatu: in sinu Sacerdotum recubat, Apostolorum cœtui irrepsit, Patriarchas in fratrem instinxit: ejus debellatio est quædam Mundi crucifixio, ac veteris hominis martyrizatio. Tria vota professionis monasticæ, contra totidem scatebras mundanæ concupiscentiæ. *Fol.* 301.

CAPUT LXXXIII.

Etsi Monastica vota rivulis concupiscentialibus præstruant obicem, non equidem siccant fontem. Concupiscentiæ carnis & oculorum subjugatio plerunque fit ambitionis fomentatio: malum quippe superbiæ nullis opportuniùs insidiatur, quàm quibus laus justa debetur. Plus uritur diabolus de virtute stantium, quàm lætetur de fragilitate labentium: & quos impulsione non concutit, elatione dejicit. Tentationum primi & novissimi Adæ collatio, & ordo. Christianam perfectionem æmulantium quosdam subvertit libido sentiendi, alios libido sciendi, plurimos libido excellendi. Ambitionis salsugo bibulam animam sic occupat, ut etiam de eremi latebris quosdam ad avendas præfecturas excieat. Quanta in monachis vitiorum seges ex ambitionis fundo succrescat, juxta Basilium? Locus superior, regendo alioqui populo necessarius, indecenter appetitur, etsi decenter administretur. Complures claustrales, onerosis functionibus inhiant, ut earum obtentu majusculam exeundi, loquendi, agendi libertatem habeant. Affectatio exemptionis ab ordinariorum jurisdictione in monachis profluit ex libertatis ambitione, juxta serias eam in rem invectivas Bernardi, Richardi Cantuariensis, Joannis Sarisberiensis, & Petri Blesensis. *Fol.* 306.

CAPUT LXXXIV.

Invectivarum superiori capite relatarum mitigatio. Non derogat encomio claustralium morigerorum ambitio libertinorum. Emancipationum Regularium causæ aliquot justæ recensentur, & originalis occasio memoratur. Religiosi conferuntur mundanis, ut viridia ligna aridis. *Cain* primogenitus Adæ ex ambitione libertatis prorupit in contumeliam divinitatis. Exemptionis studium parit subjectionis odium, eoque mediante legifragium. Qui solo pœnæ metu legi foris obtemperat, in ipsa intus voluntate reus est, quâ mallet non esse quod timeat, ut liberè faciat quod lubet. Unde nascatur, quòd in vetitum nitamur? Expenditur quod scriptum est, *Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum natum putat*. Onager indomitæ petulantisque libertatis symbolum. *Ismaël* Abrahæ filius ex Agar, *onager inter homines* dictus: ejus posteri quàm vagi, exleges, ac libertini? Cur vitio vertatur homini ambitio libertatis, cùm naturaliter ei ingenitus sit appetitus libertatis? Vitium semper contrariatur naturæ. Usqueadeò supereminet homo pecori, ut vitium hominis natura sit pecoris. Libido cur in homine potiùs quàm in pecore sit vitiosa? Sicut virtuti mediocritas, ita vitio deputatur extremitas. *Fol.* 312.

CAPUT LXXXV.

Appetitus libertatis ſuppari paſſu ambulat cum appetitu beatitudinis, quem omni creaturæ rationali ineſſe Veritas clamat. *Mimi* cujuſdam ſacetia magis urbana, quàm vera. De appetitu laudis ſententia *Ennij* excutitur. Beatitudinis cupido hominibus univerſis non modò ineſt, ſed & innaſcitur: duas habet radices è quibus ſuppullulat, convenientiam, & indigentiam: beatitudinis poſſibilitatem arguit: ad facialem uſque ſummi veri ſummique boni adeptionem ſe exporrigit: ſola quippe Dei viſio, vera humanæ mentis refectio eſt: ubicunque infrà ſubſtiterit, indiga, adeoque miſera remanebit. Imago Dei creata concupiſcit aſſiſtere genitæ. Quoniam Deus fecit nos ad ſeipſum, inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in ipſo. Pelagianorum commentum de vitâ æternâ extra regnum cælorum. Qui innocentem imaginem Dei alienat à Regno Dei, nec timorem habet nec amorem Dei. Fulgentij ſuper hac re cum Auguſtino conſpirantis ſuffragium. *Fol.* 316.

CAPUT LXXXVI.

Intuitiva Dei viſio in ſe ipsâ ſupernaturalis aſtruitur. Error Begardorum Beguinarumque exploditur, & à Durando Scotoque alienus oſtenditur. Anomæorum veſana præſumptio reprimitur. Pax Dei exuperat omnem ſenſum, etiam Angelicum. Lumen gloriæ tam nequit eſſe connaturale intellectui creato, quàm nequit hic transferri in increatum. Supernaturalitatem intrinſecam viſionis beatæ non obſtare quò minùs ad eam ſe exporrigat appetitio innata. Hujus appetitionis gemina radix panditur, convenientia ſcilicet, & indigentia. Cur potiùs agnoſcendus ſit innatus omni homini appetitus viſionis beatificæ, quàm unionis hypoſtaticæ? An & quatenùs beatifica Dei fruitio dici queat finis noſter naturalis, ex communiori Scholaſticorum ſententia? Finem aſſecutu ſupernaturalem, non poſſe appetitu eſſe naturalem, falsò contendit Suarezius. Potentia appetentialis ab obedientiali diſcernenda eſt. In damnatis perſeverat innatus beatitudinis appetitus. Præſtantior eſt natura rationalis etiam miſera, irrationali miſerijs inobnoxiâ. Aliter Theologi, aliter ethnici Philoſophi vires ac propenſiones rationalis naturæ penſiculant: & illis potiùs, quàm iſtis auſcultandum. *Fol.* 321.

CAPUT LXXXVII.

Libertatis uti & beatitatis geminus nobis ineſt appetitus, innatus, & elicitus: & quid uterque? Prior ſemper ordinatus eſt ac rectus, etiam cùm poſterior eſt perverſus Ethnicorum Philoſophorum de finibus bonorum ac malorum opiniones non minùs vanitate futiles, quàm varietate diſcordes. Appetitus naturalis tendit in beatitatem & libertatem ſecundùm eſſe verum ac reale, rationalis ſecundùm eſſe apprehenſum ac intentionale. Sicut beatitas opponitur miſeriæ, ita libertas ſervituti. Nihil eſt congruum libertati, niſi quod congruum eſt veritati. Beatus quiſque vivit ut vult, ſed non è converſo. Non tam miſerum eſt non adipiſci quod velis, quàm adipiſci velle quod non deceat. Beatæ *Monicæ* in eam rem aſſertio de ipſâ atce Philoſophiæ deſcendens. Nemo plenè vivit ut vult, niſi eò provectus ubi mori, ſalli, offendi omninò non poſſit. Non eſt quiſquam ob id cenſendus beatus, quòd patienter ſit miſer. Superbi in Scripturis cur dicti *ſibi placentes*? An, & quatenùs Protoplaſti in paradiſo vixerint ut voluerint? Beatitudini non ſufficit affluentia felicitatis, ſine ſecuritate perennitatis. Auguſtini apparens antilogia conciliatur ex Divo Thoma. Dei viſio tantæ eſt pulchritudinis ac dignitatis, ut quibuſlibet alijs ſine eâ præditum abundantemque Plotinus infeliciſſimum dicere non dubitet. *Fol.* 326.

CAPUT LXXXVIII.

Etſi omnes ſine exceptione beatitatem libertatemque avidè cupiant, quomodò tamen ad eam perveniatur complures neſciunt. Non ſolùm boni propterea ſunt boni, ſed & mali propterea mali, ut ſint beati. Peccatores in omnibus flagitijs ac facinoribus quæ perpetrant, beatitudinem quærunt, libertati inhiant: ſed ſicut illam quærendo incurrunt miſeriam, ita huic inhiando incidunt in ſervitutem, imò & in mortem. Expenditur quod ſcriptum eſt, *Omnis qui facit peccatum ſervus eſt peccati.* Triplex libertas, à neceſſitate, à peccato, à miſeria: prima naturæ, ſecunda gratiæ, tertia gloriæ: prima multum habet honoris, ſecunda plurimum virtutis, tertia cumulum jucunditatis. Libertinorum celeuſma, *Quis noſter Dominus eſt*? Eorundem progreſſus uſque ad atheiſmi barathrum. Metus Numinis quàm neceſſarius continendis in officio hominibus? Eo ſemel excuſſo difficiliùs domantur homines, quàm feræ. Errantium circa Numinis exiſtentiam vel providentiam quadruplex ſecta ex Epicteto. Ariſtotelis hallucinatio de Numinis gubernio: uti & aliorum, qui providentiam ad ſingularia negabant exporrigi, ut in ſuis ſceleribus putarentur impunes. *Fol.* 331.

CAPUT LXXXIX.

Libertatis ambitio clientes suos de medio in extrema utrorsùm præcipitat, hinc in atheismi vacuitatem, inde in polytheismi superfluitatem. Polytheismi origo ad protoplastos, serpentinæ suggestioni in paradiso assentientes, perducta. Multitudo Numinum, nullitas est Numinum: quia Deus si non unicus est, nullus est. Sabinorum more libertini somniant quod optant; fingentes Deorum multitudinem, ut astruant delictorum impunitudinem. Dyscolus servus dominum metuens quem offendit, alium perquirit ad quem confugiat. Ovidij poëma de imposo à Dijs adversùs Deos patrocinio, *Sæpè premente Deo fert Deus alter opem* &c. Petronij hemistichium, *primus in orbe Deos fecit timor*, discutitur Libertini finxere Deos vitiorum patronos, ut laxandis improbitati habenis assuefacerent vitiosos. Proclive est imitari; quem non piget venerari: magis utique intuentur cultores Jovis aut Herculis quid hi fecerint, quàm quid docuerit Plato, vel censuerit Cato. Libertini non modò personis vitiosis, sed ipsis etiam vitijs divinitatem arrogarunt, ut *Marti, Mercurio, Baccho, Priapo, Cupidini, Veneri, Mammoni*, alijsque consimilibus obscænitatis fontibus. Nihil mirum homines fieri vitiosos, quibus ipsa vitia habentur religiosa; nec modò non caventur ut profana, sed etiam coluntur ut sacra: nulla quippe major libertinismi est illecebra, quàm divinitatis obtentu indulta morbo grassandi licentia. *Fol.* 335.

CAPUT XC.

Libertatis ambitio impulit quosdam unius Dei agnitores comminisci eundem scelerum omnium authorem, ut eum persuaderent non fore eorundem ultorem. Patris perfidiæ est malum culpæ Deo adscribere, ac Deum ipsum penitùs elidere. Quibusnam impietatis gradibus Libertini eò devolvantur, ut Deum sibi in culpâ similem comminiscantur? Expenditur Dei increpatio ad peccatorem directa, *Existimasti inique quòd ero tui similis.* Origo calumniosæ hujus perfidiæ ad primos humani generis parentes perducitur; quorum dum alter per sociam à Deo sibi datam, & hæc per serpentem in paradiso, secum dimissum excusare suum facinus satagit, ambo lapsum suum obliquè in creatorem retorquent. Intolerabilis est ea quorundam etiamnum grassans superbia, nonnisi Deo imputantium quicquid egerint mali, cùm sibi præsumant arrogare siquid egerint boni. Qui fato studia omnia humana subijciunt; Deo facinora ac flagitia universa adscribunt; etsi non per viam rectam, ac curtam, saltem per cannam distortam ac longam. Qui iniquitatem Deo placere putat, Deum negat. Proinde qui dicit in corde suo, *favet iniquitatibus Deus*, convincitur dicere in corde suo, *Non est Deus.* Si enim Deus est, justus est: si justus est, iniquitatis nec fautor nec author, sed ultor est. *Fol* 340.

CAPUT XCI.

Libertinis Deum velut malorum suorum opificem infamantibus obvians Proverbiastes, *Stultitia hominis*, inquit, *supplantat gressus eius, & contra Deum fervet animo suo.* Alia ejus loci versio sistitur, & eidem calumniæ per alias quoque Scripturas occurritur. Qui libertatis ambitione instincti Deum ausi sunt infamare, facilè conijciuntur hominibus non parcere. Præcipua humanæ naturæ prærogativa est divinæ imaginis insculptura: quæ vel in animæ immortalitate, vel in arbitrij consistit libertate. Libertinorum quidam utramque, quidam alterutram abolere tentant, ut effræniter vivendi licentiam invehant. Exhortatio ad licentiosè vivendum Epicurica, archipiraticæ consona. *Arabici* hæretici humanas animas unà cum corporibus occidere, unà quoque reviviscere censuerunt: quorum errorem hæresiarcha *Calvinus* Joanni XXII. Papæ affinxit. *Lutherus* immortalitatem animæ ab Ecclesia Romana definiri indignatur. Mirum est libertinos studio invehendi licentiosam libertatem, voluisse abolere ipsam arbitrij libertatem. Simiæ nimis affectuosè complectendo catulos necant. Quanta absurditatum monstra excidio humanæ libertatis sint consectaria? Isidori Pelusiotæ in eam rem locus unus alterve insignis. *Fol.* 344.

CAPUT XCII.

Libertini Deo pariter & hominibus injurij: ut qui illum Deitate, unitate, bonitate; istos animæ immortalitate, & arbitrij libertate despoliare machinentur. Aliud eorum commentum pro persuadendo libertinismo excogitatum; solâ scilicet fide homines, quantumvis licentiosè viventes, salvari. Simon Magus hæreticorum novæ legis patriarcha, asseclas suos jubebat minas legis non pertimescere, sed tanquam liberos ad libitum vivere. *Gnosticorum* origo, & nominis usurpatio. Viâ mediâ inter confessionem infirmitatis & audaciam præsumptionis incedendum; nec ad sinistram aut dexteram declinandum. Libertinismum Apostolicis Epistolis profligatum revexerunt Eunomiani, dicti *Anomæi*, quasi Exleges; asserentes, Deum non curare quid quisque agat, dummodò fidei veritatem custodiat. Eundem errorem, iteratò in Anomæis explosum, Lutherus novissimè nisus est non modò renovare, sed & augere; asserendo, opera bona non solùm non prodesse, verùm etiam obesse ingressuris per angustam cæli portam. Archipirata vel latronum dux haud aliter suos cohortetur ad grassandum, quàm Lutherus suos ad prævaricandum. Apud Lutheranos quanta sit morum dissolutio, ex suorummet symmistarum testimonio? *Fol.* 349.

CAPUT XCIII.

Libertatis ambitio novo nixu novum edidit fœtum, errorem scilicet astruentem pendêre honestatem pravitatemque cujusque humanæ operationis, ex merâ operantis opinatione; ut nimirum unicuique liceat, quicquid sibi licere persuaserit. *Carpocratianorum*, *Manichæorum*, & novissimè *Quintinistarum* in eum errorem conspiratio. Hujus generis dogmatistæ non modò dedignantur voluntatem suam voluntati Dei submittere, sed præterea machinantur voluntatem Dei ad suam detorquere. Tales Augustinus congruenter appellat *pravicordes* & *torticordes*. Non nisi rectum cor collineari potest rectitudini Dei. Major est superbia hujusmodi Libertinorum, quàm dæmonum, vel protoplastorum: sicut major ambitio *Cæsaris* non ferentis parem, quàm *Pompeij* dedignantis pati superiorem; & major *Alexandri* affectantis monarchatum, quàm *Parmenionis* suadentis polyarchatum. Divina voluntas alia dicitur beneplaciti, alia signi: cujus posterioris assignatur quinquemembris divisio. Beneplaciti divini energia astruitur, quæ nullo humano molimine evacuatur. Detestanda prorsùs est ea hæreticorum calliditas, volentium torquere verba Dei à veritate propter quam dicta sunt, ad perversitatem in quâ ipsi sunt. *Fol.* 353.

CAPUT XCIV.

Neotericorum quorundam, plus æquo humanis opinionibus indulgentium, Ethica memoratur, & nimiæ propinquationis ad Libertinorum persuasionem mox relatam arguitur. Ad honestatem humanarum actionum sufficit his dictamen propriæ cujusque conscientiæ, probabili ratione vel authoritate subnixæ; etiam relictâ opinione probabiliore, communiore, tutiore, & quidem pro articulo etiam mortis. Unici authoris suffragium sufficit eisdem ad probabilitatem authenticam, etiam contra innumeros refragatores; modò doctus sit, & rem ex professo tractarit, ratione alicujus momenti nixus, nec argumento convictivo oppressus. Probabilitas intrinseca resolvitur ab eis ultimatè in extrinsecam. Mutuò se laudare solent, ut reciprocam sibi authoritatem concilient. Alter alteri *Agnus Dei tollens peccata Mundi.* Eorum scopus est arctam cæli viam dilatare. Episcopi Gandavensis de eis censura. *Fol.* 357.

CAPUT XCV.

Neoterici laxitatum præcones imitantur priscos Judaici populi palpones, de quibus ad eundem populum Dominus exclamat, *Popule Meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* Utrique sunt olei venditores, quatenùs falsa vel ignorata laudando præcipitant animas in ruinam, quibus vana gaudia conciliant, aliquam ab eis mercedem sive ciborum, sive pecuniæ, sive bonoris, sive alicujus commodi temporalis expectantes. Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat; nec comprimit delicta, sed nutrit. Paulini Nolani querela de adulationis vitio adeò tunc invalescente, ut humanitatis ac benevolentiæ loco duceretur; & qui adulari nesciret, pro invido aut superbo haberetur. Moderni probabilitatum cursores sententias suas laxiores blandiori vocabulo appellant *benigniores*: adversarios quoque suos traducunt ut inhumanos, prærigidos, conscientiarum carnifices; necnon imperitos, eò quòd *securissimas probabilitatum semitas*, repudient. Archiepiscopi Mechliniensis de Caramuelicis Scriptis Censura. De duabus humanæ conversationis vijs, arctâ scilicet & spatiosâ, pulcher Paulini discursus. In æternum stultitiæ pœna subeunda est ei, quem persona inanis, aut opinio falsa deceperit. Non secundùm humanarum opinationum vanitatem, sed secundùm divinarum præceptionum veritatem quisque judicandus est. Tam nequit humana solertia adijcere ad viam cæli digitum unum latitudinis, quàm nec ad humanam staturam cubitum unum longitudinis. *Fol.* 360.

CAPUT XCVI.

Novella probabilitatum persuasio mera est ignorantiarum palliatio: nec securat opinionis probabilitas quem non excusat ignorantiæ cæcitas. Frustraneè ad ignorantiæ asylum recurritur, cùm juris præsertim innati sanctio temeratur. Arctiùs lex agnita, quàm ignota constringit. Ignorantiæ lapsus si non imputaret Deus justus, non eos sibi ignosci posceret homo fidelis. Quæ à legis ignaris in eam perpetrantur, voluntaria sunt voluntate facti, tametsi non voluntate peccati. Celestianorum articulus à Diospolitanâ Synodo reprobatus, *Oblivio & ignorantia non subiacent peccato, quoniam non secundùm voluntatem eveniunt, sed secundùm necessitatem.* Ne Pelagiani quidem abnuebant culpandam esse ignorantiam quâ nesciat quis suâ negligentiâ, quod adhibitâ diligentiâ scire debeat. Qui opinionum probabilitati arrogant impeccantiæ securitatem, languescere faciunt instantiam poscendi notitiam veritatis. Pro ignorantiæ peccatis præscriptæ fuêre in lege hostiæ, in Euangelio offeruntur lamenta pœnitentiæ. Timoratorum conscientiæ assiduis excubant vigilijs, ne opinio verisimilis fallat, ne versutus sermo decipiat, ne se tenebræ alicujus erroris offundant; ne quod bonum est malum, aut quod malum est bonum esse credatur. Scholasticorum præcipui cum Patribus censent, ignorantiam juris, saltem naturalis, non excusare penitùs à peccato, siquidem inflicta sit in pœnam peccati. *Fol.* 364.

Quamvis

CAPUT XCVII.

Quamvis humanarum opinionum dictamina nihil aliud ſint quàm ignorationum ſymptomata, cavent tamen probabilitatum præcones ſua ſenſa vocare ignorationes, ſed blandiori nomine *opinationes*. Ignorantia alia dicitur negationis, alia privationis, alia pravæ diſpoſitionis: ad quam poſtremam formaliter vel æquivalenter univerſa ſpectat turma ancipitum opinionum. *Contra ſtimulum calcitare* non modò *durum eſt*, ſed & ſævum. Cur verba ſapientium aſſimilentur *ſtimulis*, & verba palponum *pulvillis & cervicalibus*? Sapiens cenſeri non debet, cujus ſermo non pungit, ſed ungit. Ignorantia pravæ diſpoſitionis quatenùs cæteris deterior? In natura hominis ſana non modò nulla erronea opinio, ſed nec ulla penitùs fuiſſet opinio. Erronea opinio ita ſe habet in cognoſcibilibus, ut monſtrum in naturis corporalibus. E tribus humanæ mentis fœtibus, intelligentiâ, credentiâ, opinantiâ, primus per ſe ipſum conſideratus ſine vitio eſt ſemper, ſecundus nonnunquam, tertius nunquam. Uſque adeò natura rationalis refugit falſitatem, & quantùm poteſt devitat errorem, ut falli nolint etiam quicunque fallere amant. Error per ſeipſum in re qualibet malus ſemper eſt. Quonam ſenſu Auguſtinus dixerit, nos in quibuſdam rebus nullo malo, in quibuſdam etiam nonnullo bono falli? Expenditur Eccleſiaſtici oraculum. *Qui amat periculum, in illo peribit*. Tutius fuerit in rebus ambiguis ſententiam ſuſpendere, quàm cum erroris periculo præcipitare: Academicorum tamen, de omnibus dubitantium, hæſitantiam, civitas Dei deteſtatur ut dementiam. Dubitationis & opinationis diſcerniculum. Quòd intelligimus, debemus rationi; quòd credimus, authoritati; quòd opinamur, errori. *Fol.* 370.

CAPUT XCVIII.

Cohibendi ſunt laxitatum buccinatores, non modò ne fallant; ſed ne & ipſi pereant, & alios perdant. Chriſtus dicendo, *Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt*, non ſolùm terruit cæcum ducentem; ſed & cæcum ſequentem. Conciliatur cum hac doctrina reſponſum Chriſti ad Phariſæos, *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum*. Probabilitatum patroni, cæci ſunt, quia opinantes; ac per hoc hallucinantes; & ſimul cæcorum duces, quia hallucinationum ſuarum ſequacibus ſecuritatem falsò ſpondentes, perſuaſione ſuâ accendunt præſumptionem, extinguunt orationem: conſectaneum quippe eſt, ut qui ſe eorum ductui accommodant, ament languores ſuos; & pro ſanitate habeant quòd ægrotare ſe neſciant. Cùm ignorantiæ cæcitas non modò pœna ſit peccati, ſed ſubinde etiam peccatum; verendum omninò eſt ne probabilitatum præcones ac ſectatores indidem accuſentur, unde ſe defendi arbitrantur. Expenditur Apoſtoli textus, *Uſque ad legem peccatum erat in Mundo: peccatum autem non imputabatur cum lex non eſſet*. Adduntur & alia ejuſdem Apoſtoli loca, quibus conficitur, quædam Decalogo prodita fuiſſe peccata, quæ homines ignorantiâ cæcati poſſent putare juſtitias. Legis evulgandæ ſcopus fuit, non ut peccatum vel infereretur, vel extirparetur, ſed ut demonſtraretur; quò animam humanam, quaſi de innocentiâ ſecuram, ipsâ peccati demonſtratione ream argueret. Quædam peccata prodita ſunt Decalogo, quæ nec ſuſpicione quidem apparuerant diſplicere Deo. Cur non ſtatim poſt primum humani generis lapſum promulgarit Deus Legis Decalogum? Lex data eſt, ut gratia quæreretur; gratia data eſt, ut Lex impleretur. Naturæ depravatæ vitium eſt, ut homo peccet: Legis officium, ut homini peccatum ignoratum notificet. Expenditur Apoſtoli dictum, *Lex propter tranſgreſſiones poſita eſt*. *Fol.* 375.

CAPUT XCIX.

Lex naturalis indivulsè cohæret & inhæret hominibus ratione pollentibus, ubilibet & quandolibet in orbe terrarum degentibus. Decalogus non minùs obligat hodie Chriſtianos, quàm olim Judæos; imò magis, idque multiplici titulo. *Omne animi vitium tantò conſpectiùs in ſe crimen habet, quantò major qui peccat habetur*. Quadrifaria diſparitas peccatorum, exemplis ſingulatim illuſtrata. Expenditur locus Apoſtoli de *Gentilibus naturaliter ea quæ legis ſunt facientibus*. Quicquid in vocatorum cordibus diabolus invidendo falſavit, veritas miſerendo reſcribit. Decalogi depravatio per malos interpretes invecta non excuſavit cæcum populum ſequentem, nedum magiſtros ducentes. *Cæcus ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt*; ſed ductor profundiùs, quàm ſecutor. Tanto graviùs peccant ſeductores Chriſtianorum, quàm Judæorum vel ethnicorum; quantò fœdior eſt lapſus illorum, quàm iſtorum. Variarum Gentium ritus ac mores legi naturali in Decalogo expreſſæ diſſentanei memorantur ex Hieronymo. Non excuſavit ethnicos falſa perſuaſio, quâ putarunt ſuos ritus legi naturæ reapſe contrarios, eidem eſſe conſentaneos. Idolorum cultus clancularié primùm ſubintroductus, paulatim conſuetudine firmatus ac propagatus, demùm imperiosâ tyrannorum lege ſancitus invaluit: nec unquam tamen in obſequium licitum exurgere, aut humanâ probabilitate deſordeſcere potuit. *Fol.* 381.

CAPUT C.

Diluuntur tres objectiones adversùs traditam doctrinam moveri solitæ. Fausti Regiensis Opus de Gratiâ & libero arbitrio à Gennadio & Sidonio deprædicatum, sed ab Augustino refutatum antequam natum. Non est consequens ut ignoratores Dei habeantur excusabiles, eò quòd Apostolus cognitores Dei eundem non glorificantes dixerit *inexcusabiles*. Augustinus excutiendo scrupulum Pollentij elisit obtendiculum Fausti. Peccator & prævaricator quatenùs differant? Quomodò Psalmographus *prævaricantes reputavit omnes peccatores terræ*, cùm quædam peccata adscribantur legis nescientiæ? In Protoplastis prævaricantibus prævaricati sunt posteri. Communissima legis naturæ principia universis adultis intimè sunt nota. Totus Decalogus in unico illo principio œcumenico recapitulatur, *Non facias quod pati nolis*. Confertur istud principium cum illo Euangelico, *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*. An, & quâ ratione peccata ignorantiæ perpetrantibus sint voluntaria? Discutitur & excutitur paradoxum *Caramuelis*, contendentis *posse Deum creare homines exleges*. Reijcitur & altera ejusdem positio, *Posse Deum in tota lege Decalogi dispensare contradictoriè, in præceptis secundæ tabulæ etiam contrariè*. Exhibetur Caramuelicus Heptalogus, præceptis secundæ tabulæ contrarius. Ea dicenda sunt Deo possibilia, quæ ipsius sanctissimæ ac sapientissimæ naturæ sunt consentanea: neque enim temerariâ potentiâ, sed sapientiæ virtute omnipotens ipse est. Quod non potest justè, non potest justus. *Fol.* 387.

CAPUT CI.

Possitne lex naturæ quoad omnia morum principia à quoquam rationis compote invincibiliter ignorari? Ethnici Philosophi & legislatores multa docuerunt & sanxerunt contra particularia legis naturalis præcepta, sed nihil directè contra œcumenica principia. Expenditur Psalmographi versiculus, *Absorpti sunt juncti Petræ judices eorum*. Proponitur quæstio de invincibilitate ignorantiæ præceptorum Decalogi, & excutitur Caramuelis positio, *Prudentia humana viribus naturæ derelicta probabilissimè crederet dari plures Deos*. Caramuel arrogat probabilitati, quod denegat Deitati. Ejus principijs consectaneum est excusari posse à culpâ non modò polytheismum, sed & atheismum. Falsò innuit multas Respublicas etiam benè gubernatas omni religionis cultu caruisse. Summa delicti est nolle recognoscere, quem nequeas ignorare. Ignorantiam præceptorum Decalogi non dari invincibilem in ullis hominibus usu rationis pollentibus, multiplex ratio suadet, & vetustiorum Theologorum concors authoritas firmat. Cur minùs ignorari invincibiliter queant præcepta Decalogi, quàm fidei divinæ articuli? De ignorantiâ præceptorum Decalogi quid censuerit Vasquez, professus imitari se Cordubam? *Fol.* 394.

CAPUT CII.

In legibus magnoperè à politicis commendantur paucitas & claritas. Sicut multitudo medicorum & pharmacorum subindicat multitudinem morborum, ita multitudo legum multitudinem litium. Justi Lipsij gravis expostulatio cum Cæsare Lothario, super reducto legum auctario. Solon obscurando legum suarum Edicta, amplificavit Judicum subsellia. Advocatorum, cuilibet indiscretim causæ patrocinari promptorum, detestanda avaritia pariter ac nequitia perstringitur, & exemplo Galeacij Ducis Mediolanensis animadvertenda suggeritur. Decalogum, paucis planisque legibus divinitùs digestum, humana subtilitas varietate interpretationum adeò obscuravit ac litigijs substravit, ut vix ea in re cedat vel Lotharij Pandectis, vel Solonis Scitis. Præceptum diligendi Deum, quod Christo *primum* est ac *maximum*, à quibusdam ita eluditur, ut prædicare præsumant, *Non teneri hominem in rigore per totam suam vitam elicere unquam actum amoris Dei*. Contrarium natura suggerit, ratio suadet, anthoritas evincit. Nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, nolit saltem rependere. Referuntur & eliduntur ratiunculæ, quibus aliqui contendunt non dari speciale præceptum diligendi Deum. Exhibitio operis probatio est dilectionis. In quanta errorum præcipitia clientulos suos devolvat amor novitatis, & nausea vetustatis? Crebri piorum gemitus pro culpis nescienter incursis. Psalmographi versiculus istuc spectans, *Conversus sum in ærumnâ meâ dum configitur spina*. *Fol.* 399.

CAPUT CIII.

Non sunt præsumendi parcere Decalogo, qui laxant & luxant mandatum dilectionis, quod est basis totius Decalogi. Præceptorum moralium triplex gradus ex Divo Thoma, quorum primus complectitur mandatum dilectionis, per se ac specialiter obligans; fortiter, enixè, & sub interminatione pœnali indictum, inculcatum, & nimis custodiri jussum. Primum Decalogi præceptum quoad utramque partem exhibetur, & à probabilitatum patronis laxari ostenditur. Numinis adoratio Tamburino non est completè præcepta, eò quòd non sit determinato tempori adstricta. Expenditur querela illa Dominica,

Si Pater

Si Pater ego sum, ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? Multis titulis paternitas divina præponderat humanæ. Qui præceptum adorandi Deum laxant, in illud œcumenicum Juris naturæ principium impingunt, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Pejus est legem pravam condere, vel rectè conditam pravè interpretari, vel iniquam sententiam proferre, quàm pravè agere. Caramuelis paradoxa probabilitatem polytheismi & atheismi astruentia sistuntur, & exploduntur. Inexcusabiles fuere, qui *in præteritis generationibus dimisit ingredi vias suas*, sine ulla veri Dei cognitione defecerunt; uti & qui ea quæ creata sunt ad utendum, venerati sunt ad colendum. Missionariorum apud Chinas controversia super excusabilitate idololatriæ externæ sub prætextu piæ intentionis occultæ, Romam delata, & ibidem decisa. Ea decisio elidendo prolem, peremit matrem; quatenùs amputando prætextum reservationum mentalium in actionibus, amputavit consequenter in locutionibus. Si enim illicita est mentalis restrictio in factis, cur non & in dictis? *Fol.* 405.

CAPUT CIV.

Transitus ad secundum Decalogi præceptum, quo non vetatur juramentum, sed perjurium. Expenditur istud Propheticum mandatum, *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in justitiâ*; ubi de trinis legitimi juramenti comitibus disseritur, & Hieronymi ac Divi Thomæ dicta in speciem pugnantia conciliantur. Cur Paulus Apostolus crebrò in scriptionibus, nunquam in sermonibus jurarit? Juramenti complures abusus adversùs ejus comites sigillatim commemorantur ex Salviano. Apud veteres Francos perjurium non tam criminis genus erat, quàm sermonis. Bernardus in suis contemporaneis carpit, quod probro ducerent contravenire juramentis iniquè emissis. Qui tali persuasione occupantur, *Herodiani* non absonè nuncupantur. Refertur Articulus triformis laxorum Ethicorum pro usu mentalium restrictionum in emissione juramentorum, refelliturque censuris Episcoporum ac Doctorum. Ejusdem Articuli disseminatores redarguuntur œcumenico illo legis naturalis principio omnibus indissimulabiliter noto, *Non facias quod pati nolis.* Protagoræ magistri cum Evathlo discipulo juridica concertatio. Justum est ut mentalium restrictionum patroni in laqueos, quos posuêre, cadant. Earundem restrictionum praxis patronis suis fidem adimit, Apostolici oraculi soliditatem concutit, primariæ vocum institutioni discongruit, humanæ societati summoperè officit. Jucundior est homini societas sui canis, quàm hominis ignoti idiomatis. Complura alia argumenta contra earundem restrictionum praxin congeruntur. *Fol.* 411.

CAPUT CV.

Uberior & authenticior reservationum mentalium improbatio præmissis adjicienda decernitur, eò quòd plerunque non satis fit ad contentionem; quòd abundat ad fidem. Binæ juramentorum formulæ per Serenissimos Belgarum Principes ad obviandum ambitui præscriptæ, mentalium restrictionum irreptu deludi cœptæ, sed per Theologos & Jurisperitos Lovanienses ratione & authoritate adversùs Ludificatores vindicatæ. Cautela pro exteris contra eos, qui se pro Theologis, aut Professoribus, aut Regentibus Academicis abusivè venditant. Jurans tanquam verum, quod scit esse falsum, Augustino *bellua est detestanda, & de rebus humanis exterminanda.* In omni quæstione ad propositum interrogationis pertinere debet sensus responsionis. Aliud consulenti aliud respondere, dementis est. Perjurus est quisquis expectationem juratarij decipit. Dupliciter reus fit, qui & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capit. Dolus agitur cùm aliud pectore tegitur, aliud ore profertur. Fraus non dissolvit, sed astringit perjurium. *Cydis* perjurium fraude illitum divinitùs detegitur, & pejerantis exitio vindicatur. Ubi se occultabunt ab irâ Veritatis, qui non solùm negligunt cavere mendacia, sed audent insuper docere perjuria? Vir bonus ad honores verâ viâ nititur, malus dolis ac fallacijs contendit. Juramenta à Belgarum Principibus adversùs ambitum avaritiamque præscripta consonant legibus Cæsareis in eum finem olim conditis, & Corpori Juris insertis. *Fol.* 418.

CAPUT CVI.

Ad tertium Decalogi præceptum progressio, quo sanctificatio Sabbato impendenda decernitur. Profanatores Sabbati quàm graviter in veteri lege ex divinâ Sanctione animadversi? Judæorum Rabbini in extrema utrorùm circa Sabbati observationem dilapsi, frequentiùs tamen in nimium rigorem quàm in laxiorem interpretationem propensi. Judæus quidam in cloacam Sabbato lapsus, extrahi durante Sabbatismo renuit: sed qui cùm posset noluit, cùm vellet non potuit. De itinere Sabbati ex Rabbinorum traditione taxato quid Hieronymus, quid item Origenes censuerit? Dositheanorum vana superstitio, omnem situs mutationem Sabbato vetitam censentium; sed & vanior Essenorum, alvi exonerationem Sabbato interdictam autumantium. De navarcho Judæo memorabilis historia ex Synesio. Sabbato Judæorum surrogatur Dominica Christianorum. Præceptum sanctificandi Sabbatum quadantenùs morale, quadantenùs cæremoniale: quatenùs morale, omnes immutabiliter obligat; quatenùs cæremoniale

moniale, nec omnes, nec invariabiliter stringit. Lutheri hæresiarchæ insulsa positio super Ecclesiasticarum festivitatum instituto. Laxorum quorundam Moralistarum Articulus à Schola Lovaniensi nuper reprobatus, *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, & absente contemptu*. In quo consistat plena & integra Sabbati observatio apud Christianos, ex Tamburino? Reprobatur à Lovaniensibus laxorum Casuistarum Articulus, *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas eius partes, imò quatuor, simul à diversis celebrantibus audit*. In auditione Missæ posse quemlibet voluntariè distrahi, perperàm asserit Tamburinus. Aliæ quædam ejusdem exorbitantiæ super eadem materia referuntur. *Fol.* 424.

CAPUT CVII.

Ad Sabbati sanctificationem spectat non solùm missæ auditio, sed prætereà ab opere servili & strepitu judiciali feriatio. Sylvestri Papæ Constitutio pro jugi feriatione Cleri. *Feria* idem sonat quod *Sabbatum*, & *Feriatio* quod *Sabbatizatio*. Feriarum popularium à clericalibus discretio. Caramuel omnes & solas Dominicas festivari cuperet; & quidem pro tempore duntaxat antemeridiano. Puellis, atque etiam Mechanicis, indulget festorum violationem, ad vitandum otium, propter pericula inde impendentia. Tamburinus eximit Barbitonsores, Pictores, atque etiam Sutores; quin & omnes extraordinarij lucri aucupatores. Annuit & heris ut per servos ethnicos, & per jumenta, laborent in Festis: imò per Christianos servos, absque culpa saltem mortali, dummodò nemo unus ultra bihorium in festo laboret, quamvis turba integrum occupet diem. Jejunia Ecclesiastica præparationes sunt ad festa. Recensentur varij hæretici jejunijs Ecclesiasticis infesti. Exhibentur & bini laxorum Ethicorum Articuli, à Schola Lovaniensi ad instantiam Episcopi Gandensis censurati. Tamburino probabile est nullos omninò Artifices obligari ad jejunia. Quid de conjugatis, item de Religiosis choro addictis censeat Caramuel? Frustrà hic tentat adjungi à suo Dianâ, quem alibi profitetur se sequi quòcunque ierit. Ad Sabbati sanctificationem reducitur Horarum Canonicarum Lectio, necnon rerum divino cultui consecratarum veneratio: quarum obligatio à novis Casuistis multifariè laxatur & luxatur. *Fol.* 430.

CAPUT CVIII.

Transitus ad quartum Decalogi præceptum, quo parentibus honor decernitur impendendus. Cur præceptis primæ tabulæ, Deum concernentibus, subnectatur proximè honoratio parentum? *Parentis* appellatio Deo cum hominibus communis, uti & pietatis appellatio cultui amborum. Qui vel Deum vel parentes revereri negligunt, in bestialem conditionem degenerant: imò & bestijs deteriores evadunt. Pietatis vestigium in quibusdam feris & volucribus elucet, signanter in Ciconijs. Veteres quidam non dubitarunt parentes appellare *Deos conspicuos*. Nunquam valent filij, parentum in se beneficijs ad æqualitatem respondere. Existimare debent filij, se in domibus paternis versari debere, tanquam in templis æedituos aut sacerdotes ab ipsâ naturâ consecratos: ut parentum, quasi Deorum larium, cultui incumbant. Solonis lege ignobiles & obscuri censebantur, qui parentes enutrire dedignabantur. Cur Solon adversùs parricidas nullam suis legibus pœnam constituerit? An eadem ratio militet in Romulo? Hic non solùm fratricidij, sed & patruicidij & socericidij, imò & avicidij sibi conscius, erubuit plectere in subditis, quod à se noverat perpetratum. Ejus posteri experimento impietatis edocti, supplicio culei in parricidas animadverterunt: & quod illud? Recensentur aliquot Principes, qui ut privatam ignominiam publico scelere obtegerent, licentiam criminum lege sanxerunt. Culei supplicium à Pompeio pridem sancitum redintegratur à Constantino, approbatur à Justiniano. Parentum in filios immorigetos quàm ampla fuerit potestas ex legibus Romanorum vetustis? Congeruntur testimonia Scripturarum utriusque Testamenti, quibus honor parentibus impendendus decernitur: præmia obsequentibus proposita, & pœnæ refractarijs intentatæ memorantur. Christus ad hoc apparuit in carne, ut humanam vitam admonendo excitaret, exempla præbendo accenderet, moriendo redimeret, resurgendo repararet. Idem ipse honorationem parentum non solùm verbo docuit, sed & exemplo firmavit. Mundum habens sibi subditum, parentibus subditur. Lignum crucis, cui fixa erant membra morientis, simul extitit cathedra docentis. *Fol.* 439.

CAPUT CIX.

Eodem Decalogi præcepto reductitiè tenemur observare parentes morales, quo directè jubemur honorare naturales: quia sicut hi nobis sunt principia generationis, ita illi gubernationis, aut eruditionis. Cur Principes, etiam dyscoli, ambiant intitulari PATRES PATRIÆ? Cur Ecclesiastici Præsules appellentur PAPÆ, PATRIARCHÆ, ABBATES &c? Romanus Hierarcha ab Augustino dictus PATER CHRISTIANÆ PLEBIS. Expenditur Apostoli oraculum, *Qui bene præsunt Presbyteri duplici honore digni habeantur*. A parentibus physicis habent filij ut sint, à didascalicis ut benè sint. Alexander Magnus suspexit Aristotelem Præceptorem, non secùs ac Philippum genitorem. Parentum sive physicorum sive ethicorum erga suos respectivè filios, & horum erga illos, reciproca obligatio. Probabilitatum patroni plurifariè laxant

laxant obligationem filiorum erga parentes physicos. Tamburini principijs consectaneum est, præceptum honorandi parentes nullo unquam tempore per se obligare filios. Idem reputat probabile ac tutum, licere filijs conjugia inire, etiam cum indignis, non modò absque consensu, sed & cum dissensu parentum. Contrarium evincitur authoritate ac ratione. Censet præterea licere filijs optare mortem parentum, intuitu adeundæ hæreditatis vacaturæ. Expenditur paræmia, *Hæreditas ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit*: & illa item altera, *Qui festinat ditari, non erit innocens*. Augustini censura de filiorum erga paternas mortes dissonis affectibus. Novi Moralistæ potestatem monarchicam hinc ampliant, inde angustant. Eorum Maximæ regnantibus periculosæ, regnicolis dispendiosæ, Judicibus ac clientibus quadantenùs exitiosæ, quadantenùs lucrosæ. Episcopales ac Doctorales quædam Censuræ super easdem Maximas. Laxitatum novelli Commentores quò suam discipulis solertiam speciosiùs inculcent, vetustioribus Ecclesiæ Magistris insultant. Sicut dignus est deseri à filijs desertor parentum, ita & à discipulis desertor magistrorum. Celestini Papæ parænesis, *Desinat incessere novitas vetustatem*. Eunomij hæresiarchæ gloriatio de invento à se novo tramite, priscis incomperto, perveniendi ad metam. Basilius Magnus eo se esse ingenio profitetur, ut non facilè neoterica admittat. *Fol.* 445.

CAPUT CX.

Ad quintum Decalogi præceptum homicidia vetans proceditur, cujus cum alijs secundæ tabulæ præceptis coordinatio præstruitur. Non est mirum laxari illud ab ijs, qui per tritam Majorum viam gradi dedignantur, sed plus se dialecticæ ratiocinationi quàm authoritati deferre profitentur, hodiernumque diem hesterno doctiorem comminiscuntur. Petri Abaylardi insulsa gloriatio: *Omnes quidem sic, sed non ego sic*. Quisnam Apostolo *homo spiritualis*, & quis *animalis*? Nequaquam in Dialecticâ complacuit Deo salvum facere populum suum. Philosophicæ præstigiæ Nazianzeno reputantur Ægyptiacæ plagæ. Philosophus Mundi Hieronymo quis? Tertulliani exclamatio: *Quid Athenis, & Hierosolymis? Quid Academia, & Ecclesia? Quid hæreticis, & Christianis?* Ejusdem invectiva in Stoici, Platonici, & Dialectici Christianismi Prolatores. Orthodoxorum vox apud Hieronymum: *Ita & nobis Majores nostri, & illis sui tradidere Majores*. Nugigeruli Victorino sunt, qui priores Patres simplicitatis arguunt, & secum natam morituramque sapientiam credunt De tenebris ignorantiæ ad lumen scientiæ non ascenditur, nisi Veterum Scripta propensiori studio relegantur; sicut Hieremias de lacu non educitur, donec ei in funiculis attritæ vestes submittantur. Præcepto, *Non occides*, non sola neciva operatio, sed & morosa necis exoptatio inhibetur. Novorum Ethicorum multiplices laxitates in materiâ homicidiorum referuntur ac refelluntur. Varij eorundem Articuli, humanæ societati exitiales, censoriâ gravitate perstricti. Execrabilis ac fugienda doctrina, quæ homines abigit à vitâ. Homicidij festinatio est prohibere nasci. Fœtum utero clausum carere animâ rationali quidam fingunt, ut infanticidij scelus extenuent. Omnium specierum homicidij deterrima est suicidium; quicquid reclamet Caramuel. Exotica ejusdem Caramuelis positio de mutilatione, signanter eunuchatione. Quid de Origene seipsum eunuchante Veteres censuerint? *Fol.* 456.

CAPUT CXI.

Sextum Decalogi præceptum, juncto nono, sistitur & elucidatur. Cur ea præcepta distinctim in secundâ tabulâ tradantur, cùm non nisi uni eidemque turpitudini adversentur? An, & quâ ratione verum sit, *Lege comprimi manum, & non animum; Evangelio & manum, & animum?* Lex prohibendo concupiscentiam, indixit ab illicitis cupiditatibus continentiam. Veteris & novi Testamenti discerniculum. Aliud est prohibere, aliud comprimere; sicut aliud suadere, aliud persuadere. Expenditur quod scriptum est, *Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior*. Rabbinorum error ex Iosepho proditus, excusans à culpâ pravum affectum, non secuto effectu. Qui excusat in filio desiderium mortis paternæ, ut hæreditatem adipiscatur, consequens est ut excuset in cælibe vel conjugato desiderium mortis extranei mariti, vel insuper uxoris propriæ, ut extraneæ uxoris nuptiali amplexu fruatur. Mœchus Augustino est, qui non it ad uxorem alienam, tantummodò si non sit contentus suâ. Jactat Caramuel, *Sibi clarum videri fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam*. Ejusdem in D. Thomam cum reliquis sibi adversis petulantia. Ejus innovandi motivum à D. Thomâ olim præoccupatum, & à Soto in Martino de Magistris censoriè explosum & peremptoriè elisum. Perperàm asserit nuptias leviri cum fratriâ derelictâ adversari sexto Decalogi præcepto. Quantoperè per hoc faveat Anglicani schismatis invectoribus? Moralia legis veteris præcepta perpetuò perseverant inconcussa, judicialia & cæremonialia per Christi crucem sunt evacuata, licèt diversimodè. *Mœchia* ex vi vocabuli quid importet? Fornicatio simplex quatenùs vetita præcepto Decalogi sexto, & ejus cupiditas nono? Quatenùs item carnalis conjugum inter se commixtio adversari queat eidem sexto præcepto, & ejus lubentia nono? Nonnullæ Tamburini & aliorum laxitates super commixtione conjugali memorantur, & Augustini potissimùm authoritate dissipantur. *Fol.* 472.

§§§§§

Ejusdem

CAPUT CXII.

Ejusdem materiæ prosecutio adversùs Caramuelis potissimùm laxitates, contendentis multa sexto Decalogi præcepto interdici, quæ secluso Dei arbitrario interdicto forent indifferentia, sæpè bona, subindè etiam sub mortali reatu obligatoria: signanter mollitiem; cui sodomiam & bestialitatem specie identificat infimâ. Eandem mollitiem cum esu pomi vetiti comparat. Genitalis seminis quidditatem ventilat, ut legem mollitiei prohibitoriam obscuret, obscurandoque enervet. Connubiale fœdus extra juris naturæ cancellos abigit. Ut pollutiones eodem jure licitas astruat, abortiones fœtuum etiam animatorum licere, pro tuendâ abortientis vitâ, asserit. Ejus consequentia ab abortione ad pollutionem ducta evertitur. Venereæ libidinis impetuositas expenditur, & quantoperè humanam mentem de sua arce deijciat aperitur. Coitus carnalis Democrito *parva epilepsia*. Cur Apostolus signatè *fornicarium in corpus suum peccare* dixerit? Violatur hominis cum naturæ authore societas, quando eadem natura libidinis perversitate polluitur. Cur quædam impudicitiæ peculiariter dicantur *contra naturam*, & *passiones ignominiæ*? Non est idem arietis, & hominis bonum. In semine hominis divinum quidpiam residere censuit Aristoteles. Confertur innaturalis effusio seminis, cum prolatione mendacij, quantùm ad pugnantiam cum lege naturæ. Quidam sunt philosopho, ex naturæ dictamine, affectus & actus, ipso suo nomine cum pravitate connexi. Inest animæ humanæ quædam vis discernendi virtutem à vitio contranaturali, ut à languore vigorem. Authoritate Euangelicâ, Apostolicâ, Pontificiâ, Synodicâ, Patriâ, firmatur censura Scholæ Theologicæ Lovaniensis in Articulum istum exerta, *Copula cum conjugatâ, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.* Mariti consensus non tam ad hoc servit ut adulterantem extraneum relevet, quàm ut consentientem lenocinij crimine involvat. Matrimonij fidelium consummati vinculum solâ morte alterutrius conjugis dirimitur: hâc autem usque adeò annullatur, ut redivivo nefas sit absque novo matrimonio superstiti misceri. Matrimonij & testamenti discerniculum Apostolico suffragio stabilitum. *Fol.* 482.

CAPUT CXIII.

Voluptates sensuales novelli quidam laxitatum patroni propter seipsas expetibiles statuunt, præeuntibus Juliano Pelagiano & Dinomacho Cyrenaico: sed refragantibus Christianis Theologis, cum melioris notæ Philosophis; quorum suffragijs censura Namurcensis ac Senonensis vindicatur. Duobus solis modis conjuges inculpatè coeunt, causâ nimirùm prolis procreandæ, & debiti conjugalis reddendi. Quinque corporis sensus sunt velut totidem humani cordis fenestræ, per quas mors ingreditur in penetralia nostra: & quinque porticus Piscinæ Probaticæ, in quibus multitudo jacet magna languentium: & totidem portæ mortis. Oculus prædo animæ. Omni custodiâ servandum cor. Cæteris vitijs obviandum est resistendo, lasciviæ autem non tam resistendo, quàm fugiendo. Inter omnia Christianorum certamina castitatis prælia sunt durissima, ubi quotidiana pugna, & rara victoria. *Spadonis concupiscentia devirginat juvenculam.* Expenditur Euangelicum præceptum quo jubemur *oculum*, etiam *dextrum*, *scandalizantem eruere, atque à nobis projicere*: eoque refellitur Articulus iste laxorum Ethicorum Lovanij reprobatus, *Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali aut temporali nostro vel proximi*: necnon & iste eorundem, eidem consectaneus, *Nemo tenetur occasionem proximam peccandi vitare cum magno suo detrimento. Unde nec concubinarius tenebitur dimittere concubinam, quæ ipsi nimis utilis est ad lucrandum bona temporalia mediâ negotiatione; vel etiam ad oblectamentum conc binarij, vulgò* REGALO; *dum deficiente illâ nimis agrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno afficerent concubinarium, & alia famula ad id nimis difficilè inveniretur.* Referuntur ac refelluntur aliæ quædam neotericorum laxitates eòdem spectantes. Quid de fratre & sorore, occasione cohabitationis in domo paterna sese incestantibus, censeat Tamburinus? Quid item de famulis ob temporalem commoditatem obsequentibus in deferendis nuntijs, agendis excubijs, comitantibus heros libidini indulturos? *Fol.* 491.

CAPUT CXIV.

Gulæ intemperantia nullo Decalogi præcepto directè; compluribus reductitiè vetatur; signanter tertio, quinto, sexto, ac septimo. Ebrietatis & lasciviæ consimilia sunt symptomata. *Bacchus* & *Venus* duo dæmonia inter se conjurata & conspirata. Sine Cerere & Libero friget Venus. Situi membrorum respondet ordo vitiorum. Muri Hierusalem à coquorum principe diruti. Romanorum quorundam Principum stupenda gulositas, signanter *Vitellij*, *Heliogabali*, *Caliguli*, *Neronis*. Ubi præcedit gulositas, subsequitur rapacitas: sicut enim gulones bibunt ut vomant & vomunt ut bibant, ita rapiunt ut prodigant & prodi-

& prodigunt ut rapiant. Princeps egenus animal est periculosum. Regnorum pestes luxus & avaritia. Luxuriæ currus quadrigâ volvitur vitiorum, & quænam hæc? Academica & Synodica censura Articuli istius: *Nonnisi veniale est, etiam absque utilitate, se cibo & potu usque ad vomitum ingurgitare, nisi ex hujusmodi vomitibus gravia valetudini incommoda oriantur.* Ejusdem Articuli basis evertitur; nimirum *posse appetitum naturalem suis actibus licitè frui.* Nescit cupiditas ubi finiatur necessitas. *Philoxeni* gulonis insanum votum, *ut sibi fieret guttur longius quàm gruis.* Non ideò vivendum est ut edatur & bibatur, sed ideò edendum ac bibendum ut vivatur. Voluptate sensuali nequaquàm fruendum, sed utendum. Scripturæ phrasi, *Va*, interitum importat æternum. Heluonum quorundam bibacitas perstringitur. Novellius Torquatus cur dictus *Tricongius*, & Ciceronis filius *Bicongius*? Aureliani Cæsaris de Bonoso bibone dicterium: *Non ut vivat natus est, sed ut bibat.* Tantum mingebat, quantum bibebat. De patibulo pendens ansam præbuit dicitandi, *Amphoram pendere, non hominem.* Ridiculæ bibendi leges recensentur. Maximini Cæsaris bibacitas, & voracitas. Amphora Capitolina quot urnarum; congiorum, heminarum, cyathorum capax? Clodij Albini edacitas. Vitis uvæ tres ex Anacharside, prima voluptatis, secunda ebrietatis, tertia mœroris. Prima vini cratera pertinet ad sitim, secunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatem, quarta ad insaniam. Eubulus, dictante Baccho, decem indulget cyathos meribibulis, sed tres duntaxat priores prudentibus, reliquos fatuis. Gersonis sententia de gulæ pugnantiâ cum uuiversis Decalogi præceptis. *Fol.* 500.

CAPUT CXV.

Transitus ad septimum Decalogi præceptum, vetans *furtum*; cum adjunctione decimi, vetantis alienarum rerum *concupiscentiam*. Præceptorum secundæ tabulæ ordo. *Avaritia* etymon, & varia usurpatio. *Pecunia* unde dicta, & quàm amplè lumpta? Avaritia an, & qualiter à cupiditate differat? Expenditur Euangelicum præceptum, *Cavete ab omni avaritiâ*; *Mammon* apud Syros pro Deo habitus, an idem cum *Plutone*, cum *Aesculano*, cum *Argentino*? *Pecunia* à Romanis in Dearum numerum relata; sed sine templo vel altari relicta. Avaritia cur ab Apostolo dicta *idololatria*? Quis apud Apostolum *Deus hujus sæculi*, juxta Epiphanium? *Mammona* quid, & cur *iniquitatis* dicta? Dives aut iniquus est, aut iniqui hæres. Avarus peculatori comparatur. Superflua divitum, necessaria sunt pauperum; atque adeò cùm ea possidentur, aliena detinentur. Avaritia quatenus justitiæ, & quatenus liberalitati adversetur? Est vitium capitale, cujus filiæ singulatim recensentur, & earum processiones elucidantur. Qui avaritiam *omnium malorum radicem* in agro sui pectoris plantat, venenatam ejus propaginem vitare nequibit. Nulla putredo vulneris in Dei naribus fœtet intolerabiliùs, quàm avaritiæ stercus. Quâ ratione avaritia cæteris vitijs præponderet? Expenditur quod scriptum est, *Avaro nihil est scelestius*: item, *Nihil est iniquius quàm amare pecuniam.* Avaritia quasi biceps coluber, utroque consuevit ore mordere: hinc avidè rapiendo alienum, inde anxiè retinendo proprium. Avari Babylonicis draconibus deteriores, uti & gryphis Scythicis, & formicis Indicis; de quibus mira memorantur ex Pomponio Mela, Solino, & Plinio. Thesaurorum custodia draconibus assignatur, ex Macrobio. Inhiantes auro discerpuntur crebrò à gryphis & formicis, velut ad plectendam avaritiam genitis. *Fol.* 511.

CAPUT CXVI.

Furtum, septimo Decalogi præcepto vetitum, quid? Tot modis præceptum *Non furandi* temeratur, quot proximo res sua illicitè adimitur, aut debita denegatur. Justitiæ munus est constituere medium æqualitatis in rebus possessis; ut quisque tantum possideat, quantum possidere jure debet. Æqualitas arithmetica possessionis, cum possidendi jure, parit geometricam; quæ exigit, ut taliter se habeat possessio ad possessionem, qualiter jus ad jus. Avarus venalem habet animam suam. Promptiùs paret philargyrus avaritiæ suggerenti, quàm dæmonicola dæmoni jubenti. Avaritia filios in patres exacerbat, terram latronibus, mare piratis, urbes tumultibus, tribunalia iniquis Judicibus, subdolis Advocatis, falsis testibus replet. Philargyria quàm amplè per humanum genus diffusa? Mirum est eam reperisse Advocatos patrocinari sibi promptos. Quâ ratione hi dicantur *comedere peccata populi*? Qui virtutum vocabula vitijs, & vitiorum virtutibus affingunt, exilium virtutibus indicunt. Non abstergit honestas nominis malitiam criminis, nec vox valet abolere reatum. Latæ adulantium linguæ assimilantur canum linguis ulcera Lazari lingentibus, sed neutiquam sanantibus. Vitandi adulatorum pellaces sermones, ut corvorum rapaces mores. Expenditur Psalmographi versiculus, *Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent*; & conciliatur cum Apostolo dicente, *se per omnia omnibus placere.* Qualiter à modernis laxonibus excusari queat avaritia *Achab*, occupantis vineam *Naboth*? Quotidie *Achab* nascitur, & *Naboth* sternitur. Samuëlis dictum, *Hoc erit ius Regis* &c. an intelligatur de jure legitimo, an de usurpatione tyrannicâ? Tostati censura in Lyrani glossema. Quantopere moderni probabilitatum præcones laxent habenas

 avaritia

avaritiæ Principum, Judicum, causidicorum, testium? Recensentur multiplices eorum laxitates, quibus favent avaritiæ furantium, restitutionem differentium, foro cedentium, facinoribus cooperantium, usuras exigentium: quibus censorium obicem præstruxit Schola Theologica Lovaniensis à Prælatis quibusdam Belgicis implorata, ne latiùs per Ecclesiam Belgicam serpant. *Fol.* 519.

CAPUT CXVII.

Avaritiæ cum liberalitate pugnantia. Liberalitatis ac largitatis etymon, natura, materia tam propinqua quàm remota, cum functione principaliori. Non excludit rationem debiti, cùm sit virtus annexa justitiæ. Eleëmosyna à Scripturâ & Patribus expressa nomine *justitiæ*. Cur Deus per Prophetam inculcarit, *Suum esse aurum & argentum*? Varij tituli recensentur, quibus opulenti inopibus subvenire tenentur. Novi probabilitatum patroni erga pauperes quadantenùs superbenigni, quadantenùs prærigidi: quibus unâ manu panem, alterâ lapidem ostentant. Non audent inficiari succurrendum esse angustijs pauperum de superfluis divitum, sed inter laicos vix reperiri censent qui superflua suis respectivè statibus habeant. Quàm difficulter & infrequenter opulenti salventur? An absolvi queat dives, perseverans in proposito non erogandi stipem de superfluis status, in communibus pauperum necessitatibus? Expenditur quod scriptum est, *Qui habuerit substantiam hujus Mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?* Extremè indigenti oporteatne donare, an sufficiat mutuare? Documentum Euangelicum, *Mutuum date, nihil inde sperantes*, expenditur; & collatione Salomonici oraculi, *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis*, elucidatur. Eleëmosyna Augustino *fœnus trajectitium*, & cur? Multiplices causificationes divitum ad pauperum clamores obsurdescentium proferuntur, ac proteruntur. Crebrò accidit, ut quod immisericors dives negat Christo, cedat fisco. Avaritiæ suggestio, *Consule in posterum*. Nemo usque adeò senex est, quin se adhuc plus anno victurum suspicetur. In negotio salutis quàm periculosa sit procrastinatio? Misericordiæ suggestio suggestioni philargyriæ adversa: *Da tua dum tua sunt, post mortem tunc tua non sunt*. *Fol.* 531.

CAPUT CXVIII.

Octavo Decalogi præcepto quid directè, quid item reductitiè vetetur? *Proximi* nomine non puros duntaxat homines, sed & Christum Deum hominem, & cælestes insuper Angelos comprehendi. Sicut contra proximum ita & pro proximo falsum testari prohibemur. Falsi adversùs Deum testes censentur, qui sive criminando sive adulando de ipso mentiuntur. Eâdem regulâ jubemur non calumniari nosmetipsos, quà nec proximos. Nemo persecutionis est extraneus, qui non sit pietatis alienus. Persecutionum sævitiam supplent dissimilitudines morum, contumaciæ inobedientium, & malignarum tela linguarum. Linguarios persecutores denotat Psalmographus, cum ait: *Dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus*. Hoc persecutionis genere Infestatus est Christus à Judæis, Apostoli à Pseudoapostolis, primitivi Christiani ab Ethnicis, Ambrosius à Cæsareis Aulicis, Hieronymus ab Origenianis & Pelagianis, Augustinus à Semipelagianis, Athanasius ab Arianis, Fulgentius ab Anonymo hæretico, alij Africani Ecclesiastes à Wandalis, Bernardus ab Abaylardianis, David à Michol, cæteri Prophetæ à suis respectivè æmulis, summi Pontifices à schismaticis, Martinus & Chrysostomus ab invidis, Paula Romana à susurronibus subdolis, Tobias à suâ etiam conjuge. Non minùs infestæ sunt pijs blanditiæ adulantium, quàm sevitiæ obloquentium. Expenditur ista Psalmographi imprecatio: *Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: Euge, euge*. Sedulò satagendum est pijs, ne vel obloquentium opprobrijs impellantur in sinistram, vel adulantium lenocinijs in dexteram. Detractores in terram insufflando, oculis suis pulverem inde excitum inspergunt: ut quò plus efflant detractionis, eò minùs cernant veritatis. Nec falsus honor juvat, nec mendax infamia terret, nisi mendosum & mendacem. Si nobis in cælo & in corde sit testis, sinamus stultos foris loqui quod volunt. *Fol.* 539.

CAPUT CXIX.

Octavi Præcepti materia quanto magis vasta, tanto Moralistarum laxationibus magis obnoxia. Temeraria hominum de hominibus judicia quantoperè Tamburinus elevet? Negat Lessius quemquam temeritate judicij peccare, nisi qui indiciorum insufficientiam cernit, aut de ea dubitat. Idipsum in effectu censet Tamburinus, cujus inconsequentia notatur. Expenditur quod scriptum est, *Nolite judicare, ut non judicemini*; & ex gravitate interminationis elicitur enormitas transgressionis. Pleraque mala generis humani non aliunde quàm ex falsis suspicionibus proveniunt. De factis medijs, quæ & bono & malo animo fieri possunt, temerarium est judicare, maximè condemnando. Satius est falli crebrò opinando benè de homine malo, quàm falli vel rarò opinando malè de bono: & cur? Regula Juris, naturali dictamini consona, *Dubia in meliorem partem interpretari debent*. Ipsi humanitati debitum redditur, cùm homo de homine nihil mali temerè suspicatur. Periculosum est de alieno judicare servo, nec facilis venia

dixisse

dixisse prava de rectis. Io suspicionem vocari viros eminentes, maximè calamitosum est. Hieronymus ab amicis sollicitè jubetur *Purgare suspiciones hominum*. Apostolus non solùm à malo, sed ab omni quoque ejus specie abstinendum præcipit, ut omnem ansam sinistrè suspicandi de proximis amputet. Eâdem trutinâ pensandæ sunt suspiciones temerariæ sive nostræ sive aliorum de alijs, quâ & aliorum de nobis. Scriptura enormitatem temerarij judicij, etiam prout opinionem ac suspicionem deliberatam comprehendit, satis indicat dicendo, *Qui iudicat fratrem, iudicat legem*. Quid eâ de re Augustinus & Divus Thomas censuerint? *Fol.* 544.

CAPUT CXX.

Temeraria judicia octavo Decalogi præcepto quatenus vetita? Scripturæ phrasi tam interna meditatio, quàm externa sermocinatio, dicitur *locutio*. Ubi locutio, ibi & os. Anima humana civitas Regis magni, triplici civium gradu interstincta, Consulum, Militum, Opificum. In tribunali interno, perinde ac externo, reperiuntur judices, accusatores, rei, causidici, testes, carnifices. Homines circa externa curiosi, & circa sua interiora incurij, assimilantur gyrovagis histrionibus, quos nusquam rariùs quàm domi suæ reperias. Horum cuique ingerenda est illa Christi jussio, *Vade in domum tuam*. Triplici de causâ redduntur homines ad sinistrè de proximis suspicandum proniores. Propria sua vitia alijs attribui audit quisque lubenter, & credit procliviter. Senes cur plerunque junioribus suspiciosiores? Sicut ira, odiumque fraternum, præludia sunt homicidiorum: ita temerariæ suspiciones internæ, falsorum testimoniorum. Expenditur quod Eliphas apud Jobum ait, *Conceptum sermonem tenere quis poterit?* Falsò Tamburinus contendit, *posse quemlibet, ad vitanda tormenta damnaque gravia sibi falsum crimen imponere, etiamsi mors sit sibi secutura.* Mulieris septies ictæ historia ex Hieronymo memoratur, & Tamburini laxitati obvertitur. Probabile Tamburino est, posse Reum in sui defensionem imponere injusto testi falsum crimen, sine injustitiâ: dubium, an non etiam sine ullâ omninò culpâ. Qualiter Tamburinus gregales suos supergressus sit, qui pridem suis Thesibus publicè Lovanij defensis inseruerant, *Quidni non nisi veniale sit, detrahentis authoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?* Tamburinus Ciceronem imitatus dum in materiâ exoticâ loqui ex personâ propriâ erubescit, alienam pro se loquentem subornat. Quanta morum labes, & publicorum Judiciorum strages, ex mentalium restrictionum invectione proserpat? Remotâ justitiâ quid sunt regna, nisi magna latrocinia? Caramuelis de mentali loquentium reservatione censura. *Fol.* 554.

CAPUT CXXI.

Mendacio patrocinantes quidam ethnici Poëtæ ac Philosophi recensentur, ut *Sophocles*, *Menander*, *Pisander*, *Euripides*, *Diphilus*, *Democritus*; & ipse *Plato*, quem Labeo *Semideum*, Tullius *Philosophorum penè Deum* nuncupavit. *Origenes* in eundem errorem authoritate Platonis tractus, magnam Græcorum sequelam post se traxit. Augustini cum Hieronymo super eodem dogmate disceptatio, & disceptationis eventus. *Cassianus* eundem errorem ab Augustino profligatum revehere partim sub alienâ, partim sub propriâ personâ tentavit; quem ob id Prosper incidenter sugillavit. Nihil judicandus est dicere qui asserit aliqua justa esse mendacia, nisi aliqua justa esse peccata. *Priscillianistarum* ad symmistas suos insulsa parænesis: *Iura, periura, secretum prodere noli.* Catholicorum quorundam hallucinatio, autumantium licere sibi simulare Priscillianismum, ut possint prodere Priscillianistas. Horum stultæ persuasioni opposuit Augustinus librum, quem *contra mendacium* inscripsit. Non aboletur labes criminis mutatione nominis. Illustratur id memorabili exemplo per Innocentium III. relato, & Corpori Juris Canonici inserto. Sensus, non sermo fit crimen. Qui vetustum mendacij virus novo *æquivocationum* aut *mentalium restrictionum* vocabulo venditant, imitantur eos qui mala gramina & noxios succos speciosis medicaminum notis præcolorant; ut nemo superscriptum legens antidotum, suspicetur sublatere venenum. Nec artificioso nec simplici mendacio fallendus est quisquam: quia quomodolibet quis mentiatur proximo, *Os quod mentitur occidit animam.* Nec pro alienâ nec pro propriâ vitâ servandâ fas est mentiri. Qui mortis metu mentitur, eodem & moritur. Omnis doctrina veritatis aufertur, cedens licentiosissimæ falsitati, si mendacio vel officioso alicundè penetrandi rima pandatur. Nullo modo putandum est, eos qui asserunt esse subindè mentiendum, id asserendo esse veraces. Mendacia jocosa & officiosa etsi non sint magna culpa, non sunt equidem absque culpâ. *Fol.* 558.

CAPUT CXXII.

Tamburiniana Decalogi Explicatio, veriùs elaxatio, magnoperè à suis præconizatur; signanter à Theophilo Raynaudo, acerrimo mentalium restictionum à Lessio præassertarum vindice: quas tamen pro certo agnoscit tollere sinceritatem, ideoque earum usum non modò cum Christianæ simplicitatis regulis, sed & cum naturali veracitatis virtute neutiquam cohærere, nisi interveniente causâ idoneâ. Theophrasti & Ciceronis in mentales reservatores invectiva. Homeri de ijsdem distichon: *Haud minùs ille mihi exosus quàm ianua Ditis, Mens aliud cui clausa tegit quàm lingua loquatur.* Neoterici restrictionum

patroni imitantur priſcos mendaciorum patronos, nec mirum. Mala cauſa Advocatos ſuos vana loqui cogit, etiam quos eidem patrocinari nemo coëgit. Tamburino certum eſt, *Iurare abſque iurandi animo non licere ſine causâ, licere cum causâ.* Sine causâ idoneâ nec verbum quidem promere fas eſt, etiam nudè aſſertorium, quantò minùs juratorium? Otioſi verbi bina deſcriptio ex Gregorio. Communis Theologorum ſententia eſt, externam ſine internâ jurationem eſſe peccatum ex ſuo genere mortiferum, religioni ſecundo Decalogi præcepto indictæ adverſum. Tam intrinſecè pravum eſt fictè jurare, quàm fictè blaſphemare, vel fictè Idolis ſacrificare. *Iudicium*, quod inter tres juramenti comites cenſetur, quid? Veterum Chriſtianorum à mendacio averſio. Qui ſimulatoriè falſum jurat, dupliciter peccat: quia ſimulata æquitas eſt duplex iniquitas. Non ſolùm jubemur cohibere linguas noſtras à malo, ſed & labia à dolo. Nihil aliud Auguſtino eſt loqui dolum, quàm *Aliud labijs promere, cùm aliud claudatur in pectore.* Extremum potiùs ſupplicium ſubeundum, quàm doloſo juramento utendum. Tamburinus ſub juramento æquivoco comprehendit mentaliter reſtrictum. Bina uſurpatio *locutionis amphibologicæ* ex Suarezio. Recenſentur multiplices Tamburini laxitates in materiâ teſtimoniorum, etiam juratorum. Mentales reſtrictores, perinde ac aperti mendaciorum defenſores, faciunt ut nec vera dicentibus credatur: reddit enim crebra fallacia authorem ſuum in veritate ſuſpectum. *Qui ſophiſtice loquitur, odibilis eſt.* *Fol.* 565.

CAPUT CXXIII.

Epilogus dictorum adversùs laxitates, per novellos probabiliatum patronos ſubinductas. Moderni laxones experimento edocti quàm ægrè conſormentur mores humani legi divinæ, tentarunt ex adverſo conformare legem divinam moribus humanis: quaſi lex Decalogi foret *regula Lesbia*, ad ſui regulati normam accommodabilis. Diſſeritur de *virga ferrea*, quâ Chriſtus prophetatus eſt Gentes recturus. Expenditur item, quod eidem Chriſto acclamatum eſt: *virga directionis, virga regni tui.* Quiſnam, juxta Auguſtinum, Ambroſium, & alios eorundem aſſeclas, ſit *Adverſarius* cui jubemur *conſentire dum ſumus cum illo in via?* Recapitulatio plerarumque laxitarum in præcedentibus diſcuſſarum, ſignanter adversùs ſex poſtrema Decalogi præcepta invectarum. In ſingulis conſtituitur homo inter Dei ſermonem ab una parte vetantem, & benignum Caſuiſtam ab alterâ blandientem. Nihil omninò agunt, qui ſua adversùs Decalogum auſa per multitudinis exempla defendunt. Virgilianum Poëma de litterâ Pythagoræ, diſcrimine ſectâ bicorni, & humanæ vitæ figuram præferente. Lactantij in eandem rem diſſertatio. Legis naturalis ex Tullio deſcriptio. Aliud eſt jus civile, quod pro moribus ubique variatur: aliud vera juſtitia, quam uniformem ac ſimplicem Deus omnibus proponit; quam qui ignorat, ipſum quoque Deum ignoret neceſſe eſt. Obſcuratio Decalogi Paraſceve eſt atheiſmi. Confertur aſſertio Caramuelis aſtruens probabilitatem polytheiſmi *ſecundum humanam prudentiam ſibi relictam*, cum dogmate contendentium humanæ animæ immortalitatem negari vel in dubium revocari poſſe *ſaltem ſecundùm Philoſophiam.* Exploditur laxitas aſſerentium, *Abſolutionis capacem fore hominem, quantàvis ignorantiâ myſteriorum fidei laborantem.* Cur in hac laxitatum materiâ crebriùs reliquis allegati & exagitati ſint *Caramuel* & *Tamburinus?* *Fol.* 577.

CAPUT CXXIV.

Inchoatur diſcuſſio poſtremæ quæſtionis inter ſenas §. VII. propoſitas, quâ petebatur, *Quid portenderit dethronizatio Saulis, Samuelicam diploidem diſcindentis?* Eccleſiæ Chriſtianæ divinitùs promiſſi ſunt *Reges nutritij, & Reginæ nutrices.* Maledicit Deus ſceptris, & capitibus bellatorum, venientium inſtar turbinum ad diſpergendum eandem. *Diligit Dominus portas Sion, ſuper omnia tabernacula Iacob.* Cur Eccleſia novæ legis dicta *Sion*? Maledictio Dei quàm energica? *Vlulet pinus, quia cecidit cedrus.* Sublimium dejectio, & humilium evectio. *Ludit in humanis divina potentia rebus, Et certam præſens vix habet hora fidem.* Totus terrarum orbis divinæ manui eſt velut pila luſoria. Exemplis compluribus illuſtratur mundanæ proſperitatis inſtabilitas. Deus uti potenter ſapiens, ita ſapienter potens. Non propter potentiam, ſed propter ejus abuſum deijciuntur potentes à Deo potente. *Saul* cum parvulus eſſet in oculis ſuis, caput in tribubus Iſraël factus eſt; ſed ubi in ſuis oculis crevit, in Dei oculis decrevit. Magnatibus ſummopere vigilandum ne ipſâ ſuâ magnitudine tumeant, ac ſic in diaboli judicium incidant: & quod iſtud? Reges à plebeis non natura, ſed fortuna ſecernit. Salomonis in eam rem luculenta, ac Regibus omnibus ruminanda, ſententia. Expenditur divina juſſio Ezechiëli ingeſta: *Fili hominis, leva planctum ſuper Regem Tyri.* Quantoperè ſerviat continendis in officio Regibus conſideratio caſus Luciferi? *Fol.* 587.

CAPUT CXXV.

Sapientia ac ſortitudo Numinis in eo patenter elucet, quòd pace nullus fruatur, qui ei obluctatur: cujus rei ſpecimen in Angelis, ac deinde in protoplaſtis exhibitum, perſtringitur. Juſtum eſt ut rebellis ſuo ſuperiori, rebellionem patiatur à ſuo inferiori. Anima humana Deo dedignata ſervire, mulctatur priſtino corporis ſervitio. Superbienti homini ſalubriter aufertur ſpiritus ſuus, ut deficiens revertatur in pulve-

in pulverem suum. Eidem adversùs Deum recalcitranti rebellant non tantùm passiones intraneæ, sed & pridem pariter subditæ bestiæ extraneæ: ut proindè qui habuerat ad nutum obsequentes elephantes & leones, nunc patiatur infestantes etiam culices ac crabrones. Cur dominium hominis primævum magis imminutum sit erga bestias maximas & minimas, quàm erga medias? Expenditur increpatio illa Dei ad protoplastum inobedientiâ degradatum, *Adam ubi es?* Non modica infelicitatis est portio, prægustatæ felicitatis recordatio. Superbam Ægyptum debellavit Deus acie sciniphum; quorum tanta exilitas, ut vix cernas volitantes, quos sentis stimulantes. Arrogantium fastum deprimit subinde Deus uti per culices exilissimos, ita & per pediculos fœdissimos. Recensentur complures Proceres fastuosi, à pediculis cruciabiliter exesi: ut *Antiochus*, bini *Herodes*, *Hermmianus*, *Galerius Maxentius*, *Iulianus*, *Hunnericus*, *Nicasius*, *Cassander*, *Sylla*, *Acastus* &c. Pherecydes Pythagoræ Præceptor cur pediculari plagâ percussus? Platonis pediculi in proverbium relati ex Myroniano. Arnulphus Cæsar phtiriasi consumptus: & cur? Non semper immittitur phtiriasis ut delicta plectantur, sed subinde ut merita probentur. An inter Jobi plagas numeranda phtiriasis? *Fol.* 593.

CAPUT CXXVI.

Armat Deus e un&ctas creaturas in ultionem inimicorum suorum; ut proinde non sit numerus militum ejus. Non solùm pro Deo, sed & cum Deo pugnat orbis terrarum contra insensatos. Cur Deus erucam dixerit *virtutem suam magnam*? Pauli Orosij relatio prælij Marcomannici sub Marco Antonino Cæsare: & Claudiani Poëma de prælio Alpino sub Theodosio Cæsare. Centurionis Evangelici præclara professio potentiæ Christi, & promptitudinis creaturarum ad obsequendum ipsi. Quamvis Deus absque creaturarum ministerio omnia possit, Ordinem tamen subalternationis instituere ac fovere maluit: ut omnia corpora per spiritum vitæ, & spiritus vitæ irrationalis per rationalem, & rationalis improbus per probum, & hic per ipsum Deum regatur. Nihil fit visibiliter in Mundo, quod non ex invisibili aulâ summi Imperatoris jubeatur, aut permittatur. An omnia hominum flagella irrogentur ministerio Cacodæmonum? Expenditur quod scriptum est: *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per Angelos malos.* Spiritus infestator Saulis dicitur *spiritus Dei*, & tamen *malus*. An *Angelus Domini* percussor Herodis bonus fuerit, an reprobus? Augustinus conciliatur cum Isidoro & Bedâ. Angelos *Lothi* hospites constat bonos fuisse; sed ministerium cacodæmonum in subversione Pentapoleos non constat omninò defuisse. Expenditur Psalmographi oraculum: *Non salvatur Rex per multam virtutem, & gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.* Senecæ & Horatij parænes es ad Reges potentiâ temporali affluentes. *Iovis* nomine Deum verum quidam Gentiles subindicarunt. Rex Regum Deus, universæ terræ imperans servienti, excutit virgam iniquorum de sorte justorum. Artabani ad Xerxem nepotem parænesis. Grandiora ac sublimiora plerunque caduciora. Deus neminem alium quàm seipsum sinit de se altum sapere. *Fol.* 599.

CAPUT CXXVII.

Salomon Regum sapientissimus, & per eum divinus Spiritus, invitat Reges ad audiendum ac perdiscendum politicum documentum, quo percepto norint quid agere debeant, ut perennent; quid cavere, ne excidant. Ejusdem in regendo dignitas, & in docendo authoritas. Cur dicatur *Impletus quasi flumen sapientiâ*? Augustini velut novi Salomonis quædam peculiaria elogia, quibus sapientiæ cum aquâ subinnuitur analogia. Anima humana ad contemplandam condita Trinitatem, nihil ardentiùs sitit quàm veritatem. Corporalium à spiritalibus delicijs discerniculum, ex Gregorio. Salomon sine fictione sapientiam didicit, & sine invidiâ communicavit. Sapientia inaniter possidetur, si absconditur. Scire ut scias, curiositatis est: scire ut sciaris, vanitatis: scire ut lucreris, aviditatis: scire ut ædifices, charitatis: scire ut ædificeris, studiositatis. Quantus Procerum etiam longinquorum confluxus ad Salomonis auditorium? Titi Livij suo ævo celebritas, & confluentium auscultatorum crebritas. Primus ardor discendi, nobilitas est Magistri. Non est cur dedignentur Reges sapientiam discere à Rege. Qualem vitæ exitum sortitus sit Salomon? Ut fuerit Salomon, stat Salomonis opus. Non derogat hagiographis scriptis funestus exitus Scriptoris: & cur? Reprobi multiformiter inserviunt electis. Non obest aliquid, imò etiam prodest ad majorem notitiam famamque veritatis, quòd de illâ etiam hi quicquid norunt dicant, qui ei pravis moribus contradicunt. Quisquis bonus verusque Dei cultor est, Domini sui esse intelligat, ubicunque invenerit veritatem. Cælo tonante ranæ sileant. Vox Domini confringit cedros. *Fol.* 605.

CAPUT CXXVIII.

Sapientiam præpollere fortitudini Salomon ostendit, adductâ parabolâ Urbeculæ violenter obsessæ, sed sapienter liberatæ. Unius *Archimedis* industria omnes Romanorum Syracusas obsidentium insultus triennio elusit. Quantâ sagacitate *Anaximenes* Lampsacum exterminio per Alexandrum Magnum decreto subduxerit? Abela per sapientem Abelitidem ab excidio servata, uti & Bethulia per Judithm, Hieroso-

Hierosolyma per Jaddum, Roma & Italia per Leonem Papam. Achillis ante Troiam occisi arma per Græcorum Proceres adjudicata sunt Ulyssi sagaci, posthabito Ajace pugnace. Imperator cautus audaci præferendus. Vis consilij expers mole ruit suâ. *Rex insipiens perdet populum suum, & civitates inhabitabuntur per sensum Potentium.* Invitatorium Salomonis ad Reges exhibetur, dispungitur, & dispunctim elucidatur. Dum Sapientia suadetur quærenda sicut pecunia, non res rei, sed amor comparatur amori. Avari cujusdam insulsa effutitio, *Fortuna guttam malo, quàm mentis dolium;* cui obvertitur sapientis effatum, *Mentis guttam pluris facio, quàm fortunæ dolium.* Quantùm ad hominis attinet naturam, nihil in eâ est mente rationeque præstantius. Rex illitteratus est quasi Asinus coronatus, vel navis sine remige, avis sine pennis. Philippi Macedonis gratulatio pro nato sibi Alexandro filio temporibus Aristotelis Philosophi. Plato gratias egit naturæ, quòd sapientissimi Socratis ævo venerit in lucis usuram. Ex quo in Romanis Principibus eruditio litteraria defriguit, robur etiam militare elanguit. Respublicas tunc demùm beatas forè censuit Plato, cùm aut Philosophi regerent, aut Reges philosopharentur. Reges cur *Iudices finium terræ* dicti? Expenditur parœmia, *In facie prudentis lucet sapientia, oculi stultorum in finibus terræ.* Quatenùs differant, *audire, intelligere, discere, aures præbere?* An quicquam intersit in Salomonico invitatorio inter *Reges*, & *Iudices finium terræ*, & *continentes multitudinem*, & *placentes sibi in turbis nationum?* Fol. 614.

CAPUT CXXIX.

Salomon suam ad Reges parænesin auspicatur ab inculcatione religionis erga Numen, à cujus nutu tota eorum pendeat potestas & authoritas. Ex Deo habent Reges non modò ut Reges sint, sed ut homines sint, imò ut quomodolibet sint. Expenditur Pauli in Areopagitico Consessu dictum de Deo, *Ipse dat omnibus vitam, & inspirationem, & omnia;* item, *In ipso vivimus, movemur, & sumus.* Daniëlis increpatio ad magnum Babylonici Imperij Monarcham directa: *Deum, qui habet flatum tuum in manu suâ, & omnes vias tuas, non glorificasti.* Nabuchodonosoris resipiscentis confessio, *Iuxta voluntatem suam facit Deus tam in virtutibus cæli, quàm in habitatoribus terræ, & non est qui resistat voluntati eius, & dicat ei: Quare fecisti?* Non solùm personæ hominum singulæ, sed & tota gentium universarum congeries in manu Domini est quasi locusta, momentum stateræ, pulvis terræ, stilla situlæ, nihilum, & inane. Mentitus est Satanas cùm diceret Christo, *Tradita sibi esse omnia regna Mundi, ut ea det cui velit:* cujus enim nutu homines nascuntur, ejusdem quoque nutu Reges constituuntur. Triplici de causâ dispensat Deus regna, primò in subditorum obsequentium commodum, secundò in delinquentium flagellum, tertiò in ipsorum Regum insolescentium opprobrium. Primos evehit juxta cor suum, secundos in furore suo, tertios in ostensionem potentiæ suæ. A sonitu ruinæ Regum commoventur gentes, etiam longinquæ. Plebeiorum memoria perit cum silentio, Magnatum cum strepitu. Pestilente flagellato sapere discunt stulti. Plùs movent exempla quàm verba, & plenius opere docetur quàm voce. Assyriorum Regem Deus vocat *virgam furoris sui.* Attila Hunnorum Rex *Flagellum Dei* dictus, Tamberlanes Scytarum strategus *Ira Dei.* Phocas ad Romani Imperij culmen evectus, quia nemo eo nequior repertus. Non solùm ex Deo est tota Regum quorumlibet potestas, sed & in personas etiam dy'colas distributio potestatis. Tangitur & expeditur difficultas emergens ex verbis Dei per Prophetam dicentis de quibusdam: *Ipsi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi.* Fol. 620.

CAPUT CXXX.

Etsi à Deo Reges evehantur & sublimi potestate muniantur, non equidem in totum emancipantur aut exleges efficiuntur: sed ipse largitor potestatis, censor permanet executionis; evectorum opera interrogaturus, & cogitata scrutaturus. Peccatum Augustino est *Factum, dictum, vel concupitum contra legem æternam.* Nullum peccati genus Deo abscondi potest, qui totus est visus, totus auditus, totus odoratus, gustus, & tactus: qui quæ fuerunt, sunt, vel erunt, uno mentis ictu discernit; quem, quia respicit omnia solus, verum possis dicere Solem. *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super Solem.* Deo omnia sunt præsentia non actu existendi, sed perspicacitate noscendi. Dementiæ est autumare plantatorem auris non audire, aut fictorem oculi non videre. Optimum cavendi peccati remedium est persuasio de Deo ubique præsente, & universa incessanter inspectante. Eo remedio *Ephraim Syrus* meretricem se tentantem compunxit, & de impudicâ prostibulâ pudicam monacham fecit. Tum demùm homines in vitiorum gurgitem effræniter prolabuntur, cùm Deum res humanas aut non inspicere, aut non curare arbitrantur. Expenditur Psalmographi dictum, *Providebam Dominum in conspectu meo semper* &c. Projectæ temeritatis est delinquere in conspectu Judicis, ejusdemque legislatoris, cuncta cernentis, & delinquentes plectere valentis. In divino judicio locus non est Codici, vel Digestis; idem erit Dominus, Judex, actor, testis. Bernardi dictum ad peccantem coram Angelo custode, à fortiori premit peccantem coram Deo summo ultore: *Tunc audes illo præsente, quod me vidente non auderes?* Cur sponsus in Canticis assimiletur dorcadi? Quid sibi velit comminatio illa Dominica, *Scrutabor Hierusalem in lucernis?* Cur potiùs Hierusalem in lucernis scrutanda, quàm Babylon? Interrogatio & scrutatio Dei non arguit ejus inscitiam, sed indevitabilem innuit peritiam. Fol. 627.

Reddendæ

CAPUT CXXXI.

Reddendæ Deo rationi obnoxios se agnoscant Reges, tanquam *ministri regni eius*. Cæsar Augustus titulum *Domini* respuit, etiam cùm plenè Imperio potiretur. Carolus Magnus in suis Edictis regiam Christi dignitatem suæ præmittere solitus. Supremi quique inter Christianos Dynastæ suis titulis inserunt *Dei gratiâ*, vel *divinâ clementiâ* &c. Canuti Regis memorabile factum: uti & Godefridi Bullionij in Hierosolymitanum Regem à Christianis electi. Rabani Mauri de postremo Francorum Rege in novissimis diebus regnaturo traditio. Proponitur & ventilatur quæstio, num terreni Reges dicendi sint *ministri* non tantùm Dei omnibus superregnantis, sed etiam suorum respectivè regnorum? Reges assiduis bonitatis argumentis probare debent non Rempublicam suam esse, sed se Reipublicæ. Regnare non decet eum, cui vacare Reipublicæ non vacat. Talis esse debet Rex privatis, qualem sibi optaret Regem privatus. Conjectura de Principe ex eventibus fisci, cujus causa nunquam est mala, nisi sub Principe bono. Trajani Cæsaris cum viduâ justitiam flagitante disceptatio. *Hoc uno Reges olim sunt fine creati, Dicere ius populis, iniustaq́ tollere facta.* Rudolphus Cæsar negabat se idcircò Imperio admotum, ut quasi segrex in arca includatur. Regis ac tyranni discrimen. Regem à tyranno non magis discernit multitudo civium, quàm pastorem à lanione multitudo ovium. Regnum Antigono Regi servitus nobilis. Tiberius Cæsar occupationes suas noluit dici *sacras*, sed *laboriosas*. Quisquis supereminet plùs affligitur mœroribus, quàm hilaretur honoribus. Expenditur quod scriptum est, *Gigantes gemunt sub aquis*. Summus Christianorum Hierarcha *Servum Servorum Dei* se intitulat. Nulla major Principis felicitas, quàm fecisse felices. Titi & Justiniani Cæsarum in id dicta. Homero Reges probi sunt *populorum Pastores*. Non dedignentur Reges dici suorum regnorum ministri, cùm cælestes Angeli dicantur *in ministerium missi*. Singulis regnis ac provincijs deputantur Angeli tutelares, qui & Reges nuncupantur, & Consules; & interim ministri. Sicut in corpore physico caput membris ministrat, & membra vicissim capiti, ita & in politico fieri convenit. *Fol.* 633.

CAPUT CXXXII.

Salomonica parænesis non solos dyscolos, sed probos etiam Reges concernit: & quâ ratione? Non obest justis in medio impiorum constitutis quicquid in ipsos populos propter impiorum multitudinem dicitur. *Mulctato pestilente, sapientior fit parvulus.* Felix quem faciunt aliena incommoda cautum. Cur Apostolus cùm hortaretur ad *orandum pro omnibus hominibus*, signanter addiderit, *pro Regibus*? Super Regum salute bini errores extremè contrarij memorantur, quos inter veritas viâ mediâ graditur. Quid agendum Principibus Ecclesiasticâ respectivè vel sæculari dignitate pollentibus, ut salventur? Nec tyrannicæ factionis perversitas laudabilis erit si regiâ clementiâ tyrannus subditos tractet; nec vituperabilis ordo regiæ potestatis, si Rex tyrannicâ crudelitate sæviat. Salomonica Regum increpatio trinas complectitur clausulas, totidem divinæ legis partibus consonas. Cur Salomon alium inierit ordinem in increpando, quàm Moyses legem digerendo? Moysen non eodem semper ordine trimembria legis præcepta recensuisse, sed subinde ordinem Salomonicum servasse, monstratur. Cur Salomon primò exprobret Regibus violationem legis judicialis, deindè moralis, ac demùm cæremonialis? Leges judiciales, uti & rituales, determinationes sunt legis moralis. Decalogus ab Apostolo, perinde ac à Salomone, dictus *lex iustitiæ*. Lex cæremonialis cur *voluntas Dei* dicta? Regum proprium est facere judicium & justitiam, & liberare de manu calumniatorum vi oppressos. Noë cur à B. Petro *octavus iustitiæ præco* dictus, & quinam septem priores? Patriarcha *Sem* filius Noë cognominatus *Melchisedech*, id est, Rex justitiæ. Priores populi Israëlitici Rectores cur *Iudices* dicti? Ejusdem populi à Samuële Regem petentis verba, *Constitue nobis Regem, qui iudicet nos, sicut & universæ habent nationes.* Reges instituti sunt non tam ad exercendam militiam, quàm ad ministrandam justitiam. Cessante belli clanctu crebrescit fori strepitus. Mars tyrannus, Lex Regina. Non helepoles aut æratas naves à Deo accipiunt Reges in depositum, sed legum oracula. Aristidis encomium, qui maluit cognominari *iustus*, quàm ad aliorum Principum imitationem *Expugnator, Fulminator, Victor, Aquila*, vel *Accipiter*. Deus vulgò beatus censetur immortalitate, terribilis potestate, venerabilis æquitate. *Absque iustitiâ principatum rectè gerere ne Iovem quidem ipsum posse*, veteres ejus cultores senserunt, docuerunt, scripserunt. *Fol.* 643.

CAPUT CXXXIII.

Cùm proprium Regum munus sit judicare, non ejs exprobratur à Salomone quòd judicaverint: sed quòd *non rectè*. Judicij divisio trimembris ex D. Thomâ, in judicium justum, non-justum, & temerarium. Ut judicium sit actus justitiæ, necesse est ut procedat ex zelo rectitudinis, & ex authoritate præsidentis, & ex dictamine prudentiæ: quorum primo deficiente evadit perversum, secundo usurpatum, tertio suspiciosum. Expenditur quod scriptum est, *Honor Regis iudicium diligit*. Summum in Regibus bonum

est justitiam colere, ac sua cuique jura servare. Nulla Regum hostia Deo acceptior, quàm victima justitiæ. Idem est justitia in regno, quod clavus in nave. Ventilatur & deciditur quæstio de Regum obligatione administrandi per seipsos justitiam. Bodini argumenta pro Regum otio referuntur ac diluuntur à Lipsio, cui patrocinium accersitur ex Tridentinâ Synodo. Caroli Magni Sanctio de triplici gradu Judicum & ordine Judiciorum. Quemadmodùm Episcopi cessante legitimo impedimento tenentur per seipsos prædicare; eo autem subsistente, per idoneos vicarios: ita & Reges judicare. Moyses suasu soceri sui assumpsit subalternos Judices in sublevamen oneris, reservatis sibi majoribus negotijs: & quænam hæc juxta Philonem? Quandò Reges per seipsos justitiam administrant, consultationes audire ac trutinare debent. Tanto meliores censentur Principes, quanto minùs soli omnia præsumunt. Omnia illis desunt, qui nihil sibi deesse autumant. Ludovici XI. Gallorum Regis praxis, à Bressyo Satrapâ acutè sugillata. Ejusdem ad filium in regno successurum hortatio. Demetrij Phalerei ad Ptolemæum Ægypti Regem monitio de consulendis mortuorum Scriptis, tanquam de adulatione minùs suspectis. Non sufficit Principi consulere libros, nisi etiam plerunque in consultationem adhibeat vivos. Cardinalis Palæoti super hoc censura. Ampliùs & lucidiùs cernunt plures oculi in unum quasi cœtum coacti, quàm pauciores extra cœtum dispersi. *Fol.* 649.

CAPUT CXXXIV.

Quales sibi substituere vicarios debeat Princeps, ab administrandâ per seipsum justitiâ impeditus? Quisquis tribunal ad judicandum conscendit, judicari se non minùs quàm judicare recogitet: instructus sit prudentiâ, ne decipiatur; justitiâ, ut suum cuique tribuat; fortitudine, ne vel minis territus vel pretibus flexus vel muneribus depravatus deviet à recto; temperantiâ, ne crapulâ gravatus aut ebrietate dementatus obliviscatur legis, quâ regulari debeat. Expenditur quod scriptum est, *Iudicate manè iudicium*. Virtutes probi Judicis multiplices recensentur ex Zypæo. Justitiæ effigies ex Chrysippo, & indidem Judicis ornamenta ex Aulo Gellio: Philosophiæ interrogantis & Justitiæ respondentis dialogus metricus, cum encomio Fabricij Consulis quondam Romani æquitate conspicui. Expenditur suggestio Raguëlis ad Moysen, *Provide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam* &c. Non satis est Principi Judices idoneos elegisse, nisi insuper electorum actionibus superinvigilet. Finis legis justitia, opus Principis lex, Princeps Dei universa administrantis simulachrum. Cambysis Persici & Rogerij Siculi Regum animadversio in Judices iniquè sententiantes. Alexandri Severi indignatio adversùs Judices de corruptelâ suspectos. Qui judiciariam potestatem ambitiosis vendunt, eorundem corruptelis consequenter connivent; eùm juris gentium sit posse quemque divendere, quod emerat. Qui pretio honores captant, in adepto munere venantur; nec gratis dant, quod non gratis acceperant. Judiciarij Præsidis habitus apud Ægyptios. Juramentum solemne Judicum apud eosdem, uti & apud alias quasdam gentes. Quàm perniciosum sit ab ineunte ætate mendacijs assuescere? Personam Judicis exuit, quisquis amicum induit. Graviùs lacerantur cives à pravis Judicibus intraneis, quàm ab hostibus extraneis. Fures privati in ergastulis, publici in aulis vitam agunt. Deterius est iniquè judicare, quàm simpliciter alienum surripere. Principes non minùs superinvigilare debent actionibus Advocatorum & aliorum Curiæ subservientium, quàm Senatorum pro tribunali sedentium: quorum subservientium multiformes abusus perstringuntur, & animadvertendi suggeruntur. *Fol.* 655.

CAPUT CXXXV.

Expenditur secunda illa Salomonicæ increpationis clausula, *Nec custodistis legem iustitiæ*: & ostenditur quemadmodùm universa Decalogi Præcepta justitiam præscribant. Aliter lex Decalogica, aliter Euangelica dicitur *lex iustitiæ*. Edisseritur Apostoli oraculum, *Israël sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non pervenit*. Cur lex vetus dicta sit *ministratio mortis*, nova autem *ministratio spiritûs*? Quod per litteram jubetur, non litterâ, sed spiritu impletur. Prosperi epigramma de legis litterâ. Quàm perniciosæ sint Principatibus pseudo-benignæ interpretationes legis justitiæ? Principes tanquam justitiæ custodes cavere sibi suisque vicarijs debent non solùm à legis justitiæ laxonibus, sed generatim ab adulatoribus. Hi simili modo se gerunt cum Magnatibus, quo meretrices cum suis amasijs; quibus omnia bona, præter mentis sanitatem, exoptant. Publicas omnes clades adulatoribus tribuit Demosthenes. Regum opes adulatio crebriùs, quàm externa hostilitas evertit. Ferocium animalium sævissimum est tyrannus, cicurum verò adulator. Satiùs in corvos quis inciderit, quàm in parasitos: & cur? Adulatores assimilantur sirenis, meretricibus, monetarum adulteratoribus, canibus caudâ blandientibus, soricibus, tineis, muscis, pediculis, hirundinibus, hirudinibus. Christi & Davidis exemplis erudimur longanimiter perferre criminantium calumnias; quàm adulantium insidias. Expenditur Regij Vatis imprecatio, *Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge, euge.* Adulationis cum symphoniâ comparatio, ex Senecâ. Magna fastigia plerunque laborant magnâ penuriâ veritatem suggerentium. Cujus aures clausæ

clausæ fuerint veritati audiendæ, ejus salus est desperanda. Apud gnathones professio veritatis æquiparatur crimini læsæ Majestatis. Digni sunt adulatores subire supplicium *Marsiæ*, ab Apolline excoriati. Disquiritur utrùm culpabilior sit adulator, quàm ipsius auscultator. Rex Herodes divinitùs percussus fuit, eò quod ingestas assentationes non respuerit. Plus persequitur lingua adulantis, quàm manus trucidantis. *Fol.* 662.

CAPUT CXXXVI.

Proceditur ad tertiam Salomonicæ increpationis clausulam, *Neque secundùm voluntatem Dei ambulastis*; ubi non de voluntate beneplaciti sermonem esse ostenditur, sed de voluntate signi. An præter quinque vulgata voluntatis divinæ signa astruendum sit sextum, in præparatione operis situm? Non est dubitandum, voluntati Dei, quâ omnia quæcunque voluit fecit, humanas non posse resistere voluntates, quo minùs faciat quod vult; quandoquidem de ipsis humanis voluntatibus faciat quod vult. Varietas lectionum super *ambulatione Henoch & Noë cum Deo*. An & quatenùs differant *ambulare cum Deo, & post Deum, & coram Deo?* Expenditur quod Psaltes ait Deo, *Adhæsit anima mea post te*: item quod Christus Petro, *Vade post me satana*. In omnibus teneat primatum, qui se dixit esse principium. Abraham suo facto prævênit Sapientum monitum, *Sequere Deum*. Christus discipulo ad perfectionem vocato non ait, præcede; sed *sequere me*. Non est nostrum ducere Religionem, sed quò ducit ipsa sectari. Expenditur quod Abrahæ Deus ait, *Ambula coram me*. Quàm sit salutare homini, stadium vitæ hujus decurrenti, providere Deum in conspectu suo semper? Edisseritur Apostolicum oraculum, *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra*. Sanctitas quid importet, & quatenùs à Religione differat? Quid *servire Deo in sanctitate & justitiâ coram ipso*? Latria genus servitutis soli Deitati impendendum. Verbum *timendi*, pro verbo *adorandi*. Discernieulum inter *eusebeiam*, & *theosebeiam*. Salomon Regibus exprobat quòd nequaquam *servierint Domino in timore*: & quid hoc? *Fol.* 668.

CAPUT CXXXVII.

Regum pectora virtutibus decet esse referta, ac Religioni potissimùm intenta; sine quâ nec ipsi officium suum, nec subditi peragent suum. Ab omni ævo observatum, Principes Numini devotos prosperari, profanos minorari. Expenditur Dei dictum multifariè translatum, *Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*: & diluitur objectio in adversum vibrata. Unde potissimùm pensanda Principum prosperitas? Longè mitiùs agitur cum Principibus qui in hoc sæculo condignè pro delictis puniuntur, quàm qui in futurum torquendi differuntur. Mauricij Imperatoris visio, optio, ultio, pœnitentia, patientia, justitia. Princeps divinæ legis sit discipulus, non magister. Expenditur expostulatio Dei cum veteri suo populo, *Si ego Pater sum, ubi est honor meus? Si Dominus, ubi est timor meus?* Ad hoc ficti à Deo & inspirati sumus, ut ipsum suspiciamus, metuamus, colamus. *Religionis* etymon juxta Lactantium. Religio nequit à sapientiâ separari, nec sapientia à Religione secerni: & quo ordine sibi cohæreant? Assimilantur duobus rivis ex uno fonte manantibus. Qui Religioni non servit, humanitate se abdicat, in pecudem degenerans. Religio vel sola est, vel præcipua hominis à jumentis distantia. Qui Deum non timet & mandata ejus non observat, non tam *homo* dicendus fuerit, quàm *diabolus* vel *bestia*. Legislatorum ac Philosophorum, imò & Pseudopoliticorum, consonans professio est, à Religione pendére subditorum fidem in Principes, obedientiam erga Magistratus, pietatem in parentes, charitatem in singulos, justitiam in omnes. Cur ethnici legislatores inventionem suarum legum Numinibus affinxerint? Mœcenatis ad Augustum parænesis de cavendâ Religionis innovatione. Exploditur atheorum figmentum de primo Religionis inventu pro fovendo subditorum in Principes obsequio. Qui figmentum istud prodidit, generis humani censendus est proditor; nec Deo duntaxat injurius, sed & hominibus noxius. Solo Dei timore servatur humana societas. *Fol.* 673.

CAPUT CXXXVIII.

Pro appendice subnectitur proximis Capitibus compendiaria instructio de ijs qui nunc vulgò *Politici* nuncupantur. Prudentiæ tripartita divisio, in Monasticam, Oeconomicam, & Politicam, cum singularum specierum consideratione. *Politica*, sumpta pro humanæ politiæ peritiâ, non modò ars est & scientia, sed ars artium & scientia scientiarum; adeòque res bona & honorabilis. In ijs proinde qui per opprobrium *Politici* agnominantur, non culpatur regendi gnaritas, sed abutendi perversitas. Quemadmodùm Christi cultores dicuntur *Christiani*, ita qui Religionem faciunt humanæ politiæ pedissequam dici possunt *Politiani*: quorum variæ affectiones memorantur ex Coreto. Quinque eorundem obtendicula singulatim ex Lenseo recensentur, & disijciuntur. Digna Principe vox est, se legibus subditum profiteri. Politici sub larvâ Christianismi fovent atheismum. Ruardi Tapperi dissertatio adversùs

 quendam

quendam politicum, Regno subjicientem Sacerdotium. Marsilij de Paduâ error. Ex eo quòd Rex sit caput sui regni, non est consequens, eundem esse caput Ecclesiæ ibidem sitæ. Ecclesiæ per totum orbem diffusæ unicum est supremum in terris caput, sub Christo. Veterum Patrum pro primatu Petri, ejusque in Romanâ Cathedrâ Successorum, suffragia. Habere non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Ecclesia domus Dei, extra quam quisquis agnum comederit, profanus est, alienus est, hostis est. Cum Romano Præsule quicunque non colligit, spargit; nec cum Christo, sed contra Christum, adeòque sub Antichristo est. Sacerdotij Euangelici præ Judaico dignitas, potestas, sublimitas. Nulla ovis Christi exempta est à pedo Petri. Longè sublimior est dignitas Pontificalis potestate Regali, quàm fulgor auri squalore plumbi. Potestas spiritalis transcendit temporalem, ut spiritus carnem, cælum terram. *Fol.* 679.

CAPUT CXXXIX.

Proceditur à Salomonicâ Regum increpatione, ad subnexam comminationem; cujus initialis illa clausula expenditur, *Horrendè & citò apparebit vobis*. Apparitio Domini in die extremi Judicij quàm horrenda futura sit universis impijs? Altera item citerior ejusdem apparitio in horâ obitûs cujusque; eaque similiter impijs horrenda. Qualis exierit quisque de hâc vitâ, talis reddetur in die Judicij alteri vitæ. Vita hominis in præsenti sæculo vapor ad modicum parens, ventus, tela succidua, flos, umbra. Simulatores & callidi provocant iram Dei; qui novit decipientem, & eum qui decipitur; Baltheum Regum dissolvit, & renes eorum fune præcingit. Omnis Potentatus brevis vita. Plutarchi Opusculum *De Serâ Numinis vindictâ*, & quædam alia eòdem spectantia. Constantij Cæsaris Ariani caduca ratiocinatio. Edisseritur quod de Deo scriptum est, *Visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem*; & conciliatur cum Prophetico Oraculo, *Filius non portabit iniquitatem patris*. Obstruitur os obmurmurantium, *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt*. Peccatum originale quatenùs alienum, cùm insit unicuique proprium? Patet culpa ubi non latet pœna, & societas peccati convincitur de communione supplicij. Expenditur quod scriptum est, *Nondum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum*. De intervallo temporis à promissione Chananæitidis Abrahæ factâ, usque ad deturbationem Chananæorum ex illâ. Qualiter intelligendum Christi dictum ad Judæos; *Implete mensuram patrum vestrorum?* Judæi à Romanis obsessi tempore Paschali, quo & ipsi Christum crucifixerant; sed per quadraginta posteà annos ad resipiscentiam expectati. Undecies centena eorum millia in Hierosolymitanâ Obsidione absumpta. Deus omnia in mensurâ disponit, uti & in numero, & pondere. Aliter taxat iniquitates personarum, aliter gentium integrarum. *Fol.* 687.

CAPUT CXL.

Dyscolis Regibus horrendam fore Dei ultoris apparitionem probat Rex Salomon generaliori effato cunctis hominum Rectoribus terrendo, *Iudicium durissimum his qui præsunt fiet*: cujus sensus eruitur, & varia lectio sistitur. Ubi largior datio, ibi arctior exactio. Recensentur aliquot Sancti, qui refugerunt honorem Prælationis, ob annexum periculum subversionis. Prælatus tot animarum fit reus, quot subditi per ejus segnitiam aut nequitiam pereunt. Varia ambitiosorum artificia pulsandi dignitatum ostia. Eorundem praxis extenuandi sua vitia, per exemplorum à vetustate conquisitorum patrocinia. Ivoni Carnotensi nihil aliud est Episcopatus, quàm cruciatus; Episcopalis honor, quàm onus; Episcopalis sublimitas, quàm naufragiosa tempestas. Indiscreta cujusdam indignabundi Concionatoris coram Alberto Cæsare quæstio, *Salvarine Principes possint?* sed insulsior responsio, *Si baptizati in cunis moriantur, non est eorum salus desperanda*. Benigna interpretatio Chrysostomiani dicti, *Miror an fieri possit ut quisquam ex Rectoribus salvetur*. Quantoperè terreat Deus speculatores à se constitutos? Speculator terræ, Rex vel Propheta; Speculator Ecclesiæ, Episcopus vel Sacerdos. Quâ ratione juxta Augustinum quædam participatio officij Episcopalis competat cunctis hominum Rectoribus Christianis? Christianorum hierarchæ cur dicantur *Episcopi, Præsules, Antistites, Pontifices?* Elucidantur nonnulla eorum insignia, signanter *Baculus, Annulus, Mitra*. Eorum nomina cum insignibus indicant, quales esse debeant. Regibus gravissima adjacet obligatio providendi Episcopatibus sui patronatûs Præsules idoneos, vitâ ac doctrinâ conspicuos. Hæresum ortus ac progressus plerunque provenit ex Episcoporum vel penuriâ, vel inscitiâ, vel segnitiâ. Princeps implicatur subditorum culpis, quas præcavere vel emendare cùm possit negligit. Cur peccante vetere Dei populo in Deserto, jussi sunt Principes suspendi palàm in patibulis? Recensentur multiplices tituli, quibus aggravantur delicta Principum, præ delictis clientum. *Fol.* 695.

Procedi-

CAPUT CXLI.

Proceditur ad ſequentem Salomonicæ comminationis clauſulam, *Exiguo conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur*; cujus pars noviſſima ſervit præmiſſorum confirmationi, prima evaſionis præcluſioni. Potentes puſillos vi plerunque opprimunt, & ad judicia violenter trahunt. *Judicium ſine miſericordiâ illis qui non fecerunt miſericordiam.* Deus ab homine peculiariter exigit, ut miſericordiam diligat: Fulgentij in hanc exactionem annotatio. Inaniter ab immiſericordibus obtenditur priſca illa cantilena, *Miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum noſtrorum miſerebitur.* Quomodò *ſuavis Dominus univerſis*; cùm ſcriptum ſit, *Judicium duriſſimum his qui præſunt fiet*? Sicut præmiat Deus ſupra condignum; ita punit infra condignum; ſervatâ tamen proportionali æqualitate. Miſericordia allevians, citra liberationem. Potentium quidam uſurpatione, quidam ſolâ adminiſtratione tyrannizant. Adversùs priores omnis civis miles eſt. Tyrannorum afflictiſſima conditio, qui dum terrent, plus ipſi timent. Faſne ſit patri perimere filium tyrannizantem? Improbatur multimodè facinus Bruti, filios reductioni Tarquiniorum ſtudentes necantis. Qui piè, juſtè, ac miſericorditer regit, meritò *Rex* dicitur: qui ſecùs, non *Rex*, ſed *Tyrannus* nuncupatur. Quanto quiſque celſioris fuerit dignitatis, tanto & majoris criminis, ſi corruat: & quanto majoris criminis, tanto majoris & pœnæ, niſi reſipiſcat. Quatuor præcipuè ſunt quæ Regum delicta in immenſum aggravant, qualitas, frequentia, diuturnitas, impœnitentia: quæ ſingulatim penſiculantur. De dyſcolorum Regum futuris in alterâ vitâ ſupplicijs quid Poëtæ, ſignanter Silius & Seneca: quid item Philoſophi, ſignanter Plato, cenſuerint? Plato ex divinis Scripturis pura quædam ac fidei conſentanea dogmata hauſit, ſed eorum puritati fæculentum limum profanæ ſuperſtitionis admiſcuit: Salomonicos libros in Ægypto pervolvit, cùm Moyſaicis & Propheticis; quibus conſonè tradidit Potentes potenter tormenta paſſuros. *Fol.* 706.

CAPUT CXLII.

Juſta Nazianzeni querimonia de humanis quibuſdam Judicibus, qui faciliùs condonant Magnatibus crimina immania, quàm puſillioribus vel minuta. Inaniter Magnates ſperent eandem praxin in Judicium divinum irrepturam, aut ſibi illic patrocinaturam: *Non enim ſubtrahet perſonam, aut verebitur magnitudinem cujuſquam Deus; quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus.* In Dei Judicio abſque perſonarum reſpectu judicantur juſtitiæ. Expenditur quod Pſaltes accinit Deo, *Cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris*: uti & iſtud Chriſti oraculum, *Non poſſum ego à meipſo facere quidquam, ſicut audio judico*: necnon & iſtud Paræmiaſtis, *Pondus & ſtatera judicia Domini ſunt.* Quid ſubtrahere perſonam in Judicio, & quid item vereri magnitudinem? Qualitates probi Judicis Chriſto attributæ, etiam ab æmulis. Non ſermone duntaxat, ſed & opere Chriſtus à perſonarum acceptione immunem ſe oſtendit. Quomodò Chriſtus *nihil ſe facere* dicat, *niſi quod viderit Patrem facientem*; cùm videatur judicare, non cernens Patrem judicantem? Eoſdem Pater judicat latens; quos Chriſtus judicat patens. Deus non ſolùm puſillorum & magnorum, ſed & mediocrium Conditor eſt, & Proviſor, & Judex. Quatenus ſeſe compatiantur divinæ curæ de omnibus æqualitas, & rerum curatarum inæqualitas? Elucidatur quod ſcriptum eſt; *Vidi mortuos, puſillos & magnos, ſtantes in conſpectu throni.* Puſillitas & granditas non tam attenditur penès ſtaturam corporalem, quàm penès potentiam temporalem. Nulla ſæculi dignitas tribuit prærogativam in divino Judicio ſedendi, ubi omnibus Reis neceſſitas incumbit ſtandi. Expenditur extrema iſta Salomonicæ comminationis clauſula, *Fortioribus fortior inſtat cruciatio.* Non ſolùm cruciabuntur fortes præ imbecillis; ſed inter ipſos etiam fortes, prævalentiores præ minùs validis. *Fol.* 713.

CAPUT CXLIII.

Salomonis ad Reges apoſtrophe, *Ad vos ergo Reges ſunt hi ſermones mei, ut diſcatis ſapientiam, & non excidatis*, an ſolos concernat tyrannos? Juſtos non obumbrat, ſed magis illuſtrat circumſtrepentium iniquorum pravitas. Sicut gravioris culpæ eſt inter bonos bonum non eſſe, ita immenſi præconij eſt bonum inter malos exiſtere. Jobus cur ſe *fratrem draconum & ſocium ſtruthionum* fuiſſe memorat? Violenti Principes comparantur leonibus, eorumque Miniſtri lupis veſpertinis. Felix Rex qui auſcultat ingementi, *Purga te cum paucis.* Qui delectantur ſceptris aſpernantes ſapientiam, ea quibus delectantur perdunt, dum id quo ea ipſa firmantur ſpernunt. *Senſatus* pro ſapiente, & *ſenſus* pro ſapientiâ. *Eruditio* cur dicta *compeditio*, & *eruditus*, *compeditus*? Cur ſapientes dicantur habere oculos in capite? Veteres Hebræorum Reges divinitùs juſſi ſunt librum legis mox à ſuâ inthronizatione deſcribere, deſcriptumque quotidie perlegere. Juſſionis iſtius ratio & ſcopus ex Philone. Plus inhæret memoriæ quod vel ſemel ſcripſerimus, quàm quod etiam ſæpiùs legerimus. Idipſum Salomoni eſt *diſcere ſapientiam*, quod Moyſi *diſcere Dei timorem*. Timor Domini non modò initium & radix eſt ſapientiæ, ſed & corona & plenitudo.

Sicut Dei timor inchoat & coronat ſapientiam, ſic & ab eâdem reciprocè inchoatur & coronatur. Similiter cohærent Dei timor, & ſapientia; uti humilitas, & charitas. Dei timor ſubinde nuncupatur *pietas*, & à Græcis *theoſebeia*, quod latinè interpretatur *Dei cultus*. Sicut fides Theologica, ita & ſapientia præter lumen intellectus connotat quandam devotionem affectus. *Sapientiæ* nomen à *ſapore* deductum, ex Bernardo. Sapientia Principibus præſtat diuturnam ſoſpitatem, inſipientia ſuperinducit præmaturam caducitatem. Qui monet Reges ut ſapientiam ne excidant diſcant, caſuros indicat ni diſcant. *Fol.* 718.

CAPUT CXLIV.

Proceditur ad finalem Salomonicæ paræneſeos clauſulam, *Qui cuſtodierint juſta juſtè, juſtificabuntur; & qui didicerint iſta, invenient quid reſpondeant*; cujus cum præcedenti contextu nexus aſtruitur. Morum Cenſori non placent nuda operum nomina, ſine Adverbiorum ac Præpoſitionum amictu. *Juſta juſtè cuſtodire* quid? Quicquid boni fit ab homine niſi propter id fiat, propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit, etſi officio videatur probum, ipſo non recto fine peccatum eſt. Bonum exigit cauſam integram, malo ſufficit alicunde irrepens mutilitas. Quicquid quiſque velut rectum fecerit, niſi ad pietatem quæ in Deum eſt referatur, rectum dici non meretur. Neceſſe eſt ut Deum in omni quod gerimus attendamus. Paulinum documentum, *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*, copioſè ediſſeritur; & præceptorium, non merè conſultorium eſſe oſtenditur. Non ſufficit pſallere, & Domino pſallere, niſi & ſapienter pſallatur. Doctorum Eccleſiæ quadrigi, ab ejuſdem Archipræſule ſolemniter præconizata, conſonanter aſtruit obligationem intuendi Deum ut finem in omnibus quæ agimus. Inſipida ſunt fercula obedientiæ & patientiæ, abſque conditurâ ſapientiæ. Aſſimilatur ſapientia ligno aquas amaras dulcoranti, farinæ pulmentum propheticum ſaporanti, igni in altari myſtico jugiter ardenti, oleo in lampadibus nuptiurientium lucenti, ſali ſuavitatem oblationibus impertienti. Cardinalium virtutum chorus de ſapientiæ adyto prodit. Vera ſapientia eſt, noſſe & amare Deum. Ubi deeſt agnitio æternæ veritatis, falſa virtus eſt, etiam in optimis moribus. Duo amores ſunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates; ita diverſi qualitatibus, ut authoribus. Humana voluntas ſemper amat aliquid, quò ſe ferat. Rectæ ſunt voluntates ſibi religatæ, ſi bona eſt illa quò cunctæ referuntur: ſi autem prava eſt, pravæ ſunt omnes. Quid Divus Thomas, quid item celebriores Scripturarum Interpretes, tam neoterici quàm veteres, cenſuerint de obligatione referendi cuncta opera noſtra in gloriam Dei noſtri? *Fol.* 726.

CAPUT CXLV.

E P I L O G U S. *Fol.* 735.

SUMMA

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI IV. Hiſpaniarum & Indiarum Regis Catholici, Sereniſſimi Belgarum Principis, Diplomate, conceſſum eſt *Hieronymo Nempæo*, Typographo jurato, in Academia Lovanienſi reſidenti, ut liberè imprimat ac divendat, toto decennio proximo, librum cui titulus, SAVL EXREX, Authore *Ioanne Sinnichio* Iberno Corcagienſi, Sacræ Theologiæ in eâdem Academiâ Doctore & Profeſſore ordinario: interdictumque ne quiſquam alius eundem librum intra Brabantiam imprimere, aut alibi impreſſum divendere, citra expreſſum ejuſdem Typographi conſenſum præſumat; ſub pœnâ confiſcationis exemplarium, & triginta inſuper florenorum in ſingula: prout latiùs patet ex originali ipſo Diplomate, dato ac ſigillato Bruxellæ in ſupremo Brabantiæ Senatu. Die 12. Iulij 1661.

Subſignato

LOYENS.

CENSVRA.

HOc opus, cui titulus SAUL EXREX, valdè eruditum eſt, dogmata ſublimia de varijs materijs, & documenta morum ſalubria continens, ex Scripturis Sacris & Sanctorum Patrum ſcriptis potiſſimè deprompta, ſolideque firmata. Quod eapropter prælo ac publica luce dignum cenſeo. Dat. Lovanij die 30. Maij 1661.

JACOBUS PONTANUS *S. Theol. Doctor & Profeſſor, ac Librorum Cenſor.*

SAVL

SAUL EXREX.

SIVE

DE PRIMO ISRAELITICÆ GENTIS MONARCHA, DIVINITUS PRIMUM SUBLIMATO, AC DEINDE OB VIOLATAM RELIGIONEM PRINCIPATU VITAQUE EXUTO.

NEC NON DE ALIIS REGIBUS AC PRINCIPIBUS TEMERATÆ RELIGIONIS REIS, IDEOQUE CÆLITUS ANIMADVERSIS.

LIBER PRIMUS

Complectens Saulis Regis Israël suo Throno deturbandi ac deturbati Historiam, ejusdemque Historiæ mysticam intelligentiam.

CAPUT PRIMUM.

Rex Saul divino jussu adjutuque cæsis Amalecitis, triumphabundus in Galgalam revertitur, à superveniente Samuële reprehenditur, abiturientis Prophetæ diploidem scindit, abscissionis regni talionem recipit, cedere nihilominus regno renuit. Quo sensu duratio regni ejus biennali spatio circumscribitur? Cur cum eo cæso etiam populus caditur?



I. Acrâ Regum Historiâ memorante didicimus, primum illum veteris Israëliticæ Gentis Monarcham, *Saulem*, post immanem cladem Amalecitis jussu adjutuque Numinis illatam, post eorundem Regem *Agagum* prælio fusum & captum, regionemque universam depopulatione vastatam, post triumphalem sibi in Carmelo fornicem erectum; cum victorioso exercitu, opimis hostium spolijs perperàm reservatis locupletato, in Galgalam reversum, atque ibi à superveniente *Samuële* Propheta pro divinæ jussionis neglectâ executione increpitum, ejusdem Prophetæ cum indignatione abiturientis summitatem pallij manu prensam discidisse, confestimque ab ipso hanc velut talionis sententiam è cælesti tribunali dictatam reportasse, *Scidit Dominus regnum Israel à te hodie.* (1.Reg.15. 28.) Tanquam diceret, pro eo quòd discideris amictum meum, abscidit Deus à te regnum tuum: scissura ista vestis meæ ruinam portendit purpuræ tuæ: illam perpetrasti, hanc incurristi. Scriptum quippe est sanciente eo qui baltheum Regum dissolvit & præcingit fune renes eorum, *Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum, sicut fecit, sic fiet ei: fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet: qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur.* (Levit.24.19. & 20.) Si autem *cuilibet civium*, quantò magis personis sacratis, Prophetis afflatis, Hierarchis inunctis, Christis Domini, de quibus ipse ait, *Nolite tangere* (Psal.104.15.)

Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari? Pro eo igitur quòd Rex ille diruperit diploidem sacerdotalem, multatus est rupturâ sceptri sui regalis: *Apprehendit*, ait textus, *summitatem pallij eius, quæ & scissa est. Et ait ad eum Samuël: Scidit Dominus regnum Israël à te hodie.* Ubi tametsi non exprimatur author scissionis, sed tantummodò dicatur, *quæ & scissa est*; ille tamen haud dubiè intelligendus est scidisse, qui perhibetur *apprehendisse.* Unde & Septuaginta Interpretes omnem ambiguitatem sustulêre, sic vertendo: *Tenuit Saul pinnulam diploidis eius, & dirupit eam. Et dixit Samuël ad eum: Dirupit Dominus regnum tuum ab Israel de manu tua hodie.* Illi itaque manui ademptum est Regium sceptrum, quæ diruperat propheticum pallium. Cæterùm ne sacræ diploidis diruptor seipsum falleret, autumando, divinam sententiam sibi intimatam non absolutè, sed duntaxat comminatoriè esse intelligendam, atque adeò interventu pœnitentiæ forsan mitigandam, aut certè retractandam: subdidit mox idem præco: *Porrò triumphator in Israël non parcet, & pœnitudine non flectetur.* In quem locum Augustinus: A. Prorsùs, inquit, insolubilem videmus per hæc verba prolatam „divinitùs esse sententiam de ista divisione populi Israël, & omninò perpetuam".

1. Reg. 15. 29.

A. Aug. l. 17. de Civit. c. 7.

SCRUPULUS.

II. Nec quemquam moveat, quod iste propheticæ diploidis lacerator compluribus post illum diem in suo regno annis duraverit, sceptrumque regium eâ manu gesserit, quâ propheticam chlamydem disciderat; ac non nisi demùm cum vita purpuram dimiserit.

EXCUTITUR.

Quemadmodùm enim non falsò prædictum fuerat *Adamo*, fructum vetitum comesturo, & multis posteà annorum centurijs victuro, *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris:* ita nec falsò dictum est Regi *Sauli*, confestim ut *Samuëlis* pallium scidisset, *Scidit Dominum regnum Israël à te hodie*; quamvis in multos ille postcà annos regnum protraxerit, ac demùm cum vita illud dimiserit. Nam ut illud primum idcircò verum fuit, quia *Adamus* eo ipso die quo fructum vetitum comedit, ineluctabilem moriendi necessitatem incurrit: ita & istud secundum pari jure verum fuit, quia *Saul* eo ipso die quo propheticam diploidem dirupit, ineluctabilem amittendi regni necessitatem incurrit. Aliter quoque idem scrupulus excuti potest, dicendo, *Saulem* eo ipso die excidisse jure regnandi, quamvis usque ad vitæ exitum continuaverit de facto administrationem regni. Undè Gregorius Papa de ipso loquens, B. Se quidem, inquit, à regno projectum cognovit, & tamen projectus regnare non timuit. Quanta posteà fortiter „egit? Sed ecce omnia illa tempora ad regnum ei deputata non sunt". Juxta hunc sensum nonnulli censent de *Saule* dici illud, *Duobus annis regnavit super Israël*; utique legitimè, sive de jure. Quo jure post biennium per divinam sententiam à *Samuële* intimatam privatus, administrationem quidem protraxit, sed legitimo regnandi titulo interea caruit; quippè in *Davidem* divinitùs translato, saltem ab eo die quo hic fuit per Samuëlem inunctus: C. *David*, ait Chrysostomus, adhuc pastor debellat leonem, interficit ursum: *Saul* contemnendo Dominum provocat in se malum spiritum. Regnat „*David* sanctissimus, sed latenter; *Saul* reprobus efficitur evidenter: hic jam Rex est, ille „putatur: hic jam obtinet, ille tantummodò dicitur: hic occultam possidet dignitatem, ille habet publicam regni imaginem: „ideò *David* sancto Spiritu inundatur, *Saul* autem spiritu isto deseritur".

Gen. 2. 17.

1. Reg. 15. 28.

Vide Aug. lib. 13. de Civit. c. 23. & Prosp. l. 2. de vit. cont. cap 19. & Theodoret. qu. 37. in Gen.

B. Greg. l. 5. in cap. 13. 1. Regum.

1. Reg. 13. 1.

C. Chrysost. Homil. de David & Goliat.

III. Post denunciatam depositionis sententiam sacrilego Regi, vel potiùs jam Exregi, *Abijt Samuël*, ait Textus, *in Ramatha, Saul verò ascendit in domum suam in Gabaa: & non vidit Samuël ultrà Saul usque ad diem mortis suæ.* Rectè utique vir divinus invisere ruptorem sacræ vestis noluit, quem à Deo desertum projectumque jam novit. Sed quorsùm attinet illa additio, *usque ad diem mortis suæ*? Nimirum ut innuatur futura post obitum Prophetæ visitatio; non utique in dejecti jam Regis consolationem, quin potiùs in contristationem, quia in pristinæ sententiæ replicationem, & imminentis excidij denunciationem: *Faciet enim*, ait, *tibi Dominus sicut locutus est in manu mea, & scindet regnum tuum de manu tua.* Sciderat quidem dudum anteà, quantum ad proprietatem juris; scissurus nunc, quoad possessionem etiam facti: nam *eras tu & filij tui eritis mecum*, utique mortui cum mortuo. Tunc *de capite eius ablatum est diadema*, quod in illud usque tempus pro tessera dignitatis usurparat: *& armilla de brachio illius*, quo nimirum sacerdotalem amictum disruperat. Addit prætereà *Samuël* in augmentum pœnæ *Saulis* perituri: *Sed & castra Israël tradet Dominus in manus Philisthijm.* Nimirum, ut dudum cecinit Hesiodus, *Principis iniusti Gens omnis crimina præstat*: & eum secutus Horatius, *Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi*: & utroq; irrefragabilior Ecclesiasticus: *Rex insipiens perdet populum suum.* Rationem assignat author Quæstionum ad orthodoxos apud Justinum Martyrem: D. Sicut homo, „inquiens, ex anima & corpore constituitur, „ita regnum ex Rege, & subditis conflatur. „Et quemadmodùm si homo manibus peccans, tergo pœnas luat, non utique injustè „in eum animadvertitur: ita non iniquè Deus „facit, cùm Principum delicta coercet plectendo populum. In magnum quippè mœrorem

1. Reg. 15. 34. & 35.

1. Reg. 28. 19.

2. Reg. 1. 10.

1. Reg. 28. 19.

Vide Horat. l. 1. Epist. 2.

Eccli. 10. 3.

D. Iustin. in solut. q. 128. ad orthod.

„ rorem conjicere principem solet calamitas „ populi: nam regni pœna est civium ipsorum plaga". *Samuël* itaque velut redivivus *Sauli* postridie interimendo apparens, prænunciavit ei non modò suam ipsius propriam ac filiorum extremam cladem: sed exercitus quoque, eatenus cohærentis ei, cædem. Unde cùm Ecclesiasticus gesta ejus quædam strictim commemorasset, ad extremum subdidit: *Et post hæc dormivit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltavit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem Gentis.* Eccli. 46. 23.

CAPVT SECVNDVM.

Vetus populus Hebræorum typum gessit novi populi Christianorum: ibi figura, hic veritas; ibi umbra, hic corpus: nec modò populum populus, sed & personas præfiguravêre personæ; quarum non minùs vita, quàm lingua extitit prophetica. Dies Prophetarum unde cœpti? Priores duo Regum libri idcircò Samuëli vati attributi, ut ex Authoris titulo sentiatur historia quam scribit, non tam historia esse, quàm prophetia. Sedulò Christianis adnitendum, ne quæ propter eos scripta sunt incurij vel torpidi indiscussa relinquant, aut tanquam aliena prætereant.

IV. ET hæc quidem uti juxta historicum sensum veraciter evenisse credendum est, ita & juxta mysticum intellectum ad nostram instructionem scripta fuisse censendum est, dicente Apostolo: *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Et alibi de veteris illius populi eventibus disserens idem Apostolus: *Hæc autem omnia*, inquit, *in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos sæculorum fines devenerunt.* Hinc B. Augustinus: [E] In po„ pulo Judæorum, inquit, figuratus est popu„ lus Christianorum: ibi figura, hic veritas: ibi umbra, hic corpus". Qui rursùs lib. 15. contra Faustum cap. 2." Vetus Testamen„ tum, inquit, rectè intelligentibus Prophetia est Novi Testamenti". Et lib. 22. ejusdem operis, cap. 24." Hoc primùm dico, „ inquit, illorum hominum non tantùm lin„ guam, sed etiam vitam fuisse propheticam; „ totumque illud regnum Gentis Hebræo„ rum magnum quemdam, quia & magni „ cujusdam, fuisse Prophetam. Quocirca „ quod ad eos quidem attinet, qui illic erant „ eruditi corde in sapientia Dei, non solùm „ in ijs quæ dicebant, sed in ijs etiam quæ fa„ ciebant; quod autem ad cæteros, & simul „ omnes illius Gentis homines, in ijs quæ vel „ in illis, vel de illis divinitùs fiebant, pro„ phetia venturi Christi & Ecclesiæ perscru„ tanda est: *omnia enim illa*, sicut Apostolus dicit, *figura fuerunt nostra*".

Rom. 15. 4.

1. Cor. 10. 11

E August. Tract. XI. in Ioan.

V. Proindè nec ille Regum illius populi primus *Saul*, nec Prophetarum ejusdem Gentis præcipuus *Samuël*, in ijs quæ dicebant aut faciebant, vel de ipsis aut circa ipsos divinitùs fiebant, figuratæ hujusmodi significationis expertes fuisse putandi sunt: [F]. Hoc quip„ pè tempus, teste alibi eodem Augustino, ex „ quo sanctus *Samuël* prophetare cœpit, & „ deinceps donec populus Israël in Babylo„ niam captivus duceretur, atque inde secun„ dùm sancti Hieremiæ prophetiam post se„ ptuaginta annos reversis Israëlitis domus „ Dei instauraretur, totum tempus est Pro„ phetarum. Quamvis enim & ipsum Noë Pa„ triarcham, in cujus diebus universa terra „ diluvio deleta est, & alios suprà & infrà, „ usque ad hoc tempus quo Reges in Dei „ populo esse cœperunt, propter quædam „ per eos facta, sive quoquo modo signifi„ cata, sive prædicta, quæ pertinerent ad ci„ vitatem Dei regnumque cælorum, non im„ meritò possimus appellare *Prophetas*, præ„ sertim quia nonnullos eorum id expressiùs „ legimus nuncupatos, sicut *Abraham*, sicut „ *Moysen*: tamen *dies Prophetarum* præcipuè „ maximèque hi dicti sunt, ex quo cœpit pro„ phetare *Samuël*, qui & *Saulem* priùs, & eo „ reprobato ipsum Davidem, Deo præci„ piente, unxit in Regem"· Et rursùs ibidem post pauca: " Ipsa Scriptura, subdit, quæ per „ ordinem Reges eorumque facta & eventa „ digerens videtur tanquam historicâ diligen„ tiâ rebus gestis occupata esse narrandis, „ si adjuvante Dei spiritu considerate tracte„ tur, vel magis, vel certè non minùs „ prænunciandis futuris, quàm præteritis enunciandis invenietur intenta". [G]. Histo„ ria ergò Regum, ut Papa scribit Gregorius, „ quia eo spiritu condita est, quo cætera Scri„ pturæ sanctæ volumina, non debet credi

F August. l. 17. de Civit. cap. 1.

G Greg. in proœmio sup. primo libro 1. Regum.

 minor

minor eis esse sacramentis, quibus non est inferior titulo authoritatis: nam omnes ejus scriptores Prophetæ fuisse referuntur, qui dum historica narrant, spiritalia signant; exteriora loquuntur, & intima innuunt; terrena proponunt, ut cælestia exequantur. Unde & primus & secundus ejus liber ad hoc *Samuelis* Prophetæ attribuitur, ut ex authoris titulo sentiatur historia quam scribit non tam historia esse, quàm prophetia".

VI. Cùm Petrus Apostolus in ea concione quam post sanatum mendicum ex utero claudum habuit ad Iudæos in porticu Salomonis, commemorare vellet sacros vates qui de diebus Messiæ & Euangelicæ gratiæ sudarint oracula, *Samuelem* velut cæterorum coryphæum in capite constituere non dubitavit: *Omnes Prophetæ*, inquiens, *à Samuele &* *Act.* 3.24. *deinceps, qui locuti sunt, annunciaverunt dies istos.* In quem locum Beda: [H]. Quamvis Patriar- *H. Beda in caput 3. Act.* chæ, inquit, & Sancti priorum temporum, de Christo dictis factisque prophetarint; tempus tamen propriè Prophetarum, eorum dico, qui de Christo Ecclesiæque mysterio manifestè scripserunt, à *Samuele*, sub quo & Regum in Iudæa tempora cœperunt, exordium sumpsit, & usque ad Babylonicæ captivitatis solutionem permansit". Idem rursus in prologo Allegoriarum super Samuëlem: *Quæcunque* inquit, *scripta* *Rom.* 15.4. *sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.* Et alibi: *Omnia in figura contin-* *1.Cor.* 10.11 *gebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt.* Sed & Beatus Apostolus Petrus, Dominicæ Incarnationis, passionis, & posterioris gloriæ tempora commemorans, dicit inter cætera: *Et omnes Prophetæ, à Samuële, & dein-* *Act.* 3.24. *ceps, qui locuti sunt, etiam annunciaverunt dies istos.* Si ergò ad nostram *correptionem, doctrinam*, vel *consolationem* omnia scripta sunt; nec soli *Hieremias*, & *Isaias*, cæterique tales, qui verbis futura signaverunt; sed & *Samuel, Ionas*, & *Ezra*, eorumque consimiles, qui præterita vel sua vel aliorum gesta sive dicta conscripsere, *Dies istos*, hoc est, novæ gratiæ luce radiantes, insinuarunt; insistendum nobis summopere est, & pro suo cuique modulo, Christi juvante gratiâ, nitendum; ne ea quæ propter nos scripta sunt, nostro nos torpore, vel incuriâ, quasi aliena prætereant. Sed quo sensu in his *correptionem*, quâ ratione *doctrinam*, quo intellectu *consolationem* nanciscamur; qualiter omnia *dies istos* loquantur & annuncient, sollicitè ac vigilanter intendamus; imitantes pro captu nostri ingenioli Scribam illum doctum in regno cælorum, *qui profert de the-* *Mat.* 13.52. *sauro suo nova & vetera.* Nam si vetera tantummodò de thesauro Scripturarum proferre, hoc est, solas litteræ figuras sequi, Judaico more curamus; quid inter quotidiana peccata *correptionis*, inter crebrescentes sæculi ærumnas *consolationis*, inter innumeros vitæ hujus errores spiritualis *doctrinæ*, legentes vel audientes acquirimus"? Tanquam diceret, parum aut nihil.

CAPVT TERTIVM.

Historia Saulis & Samuëlis capite primo perstricta pensiculatiùs enucleatur quoad personas, res, actiones, passiones. Samuëlem multimodè præfigurasse Christum. Amborum analogia per tres & amplius duodenas multiplicata recensentur & elucidantur.

VII. HÆc cùm ita sint, nobis indagandum incumbit, quid mysterij sub cortice Historiæ capite primo digestæ delitescat, ut inde ad nos quid *doctrinæ*, quid *correptionis*, quidve *consolationis* derivari valeat, innotescat. In prædicta porrò Historia, nisi malit quis dicere tragœdiam, occurrunt personæ, res, actiones, passiones: personæ nimirum tres, Samuël, Saul, Deus; primus velut tolerans, secundus irrogans, tertius vindicans: Res duæ, amictus videlicet Samuëlis, & regnum Saulis: Actiones item duæ, una Saulis discindentis amictum Samuëlis, altera Dei abscindentis regnum de manu Saulis: Passiones denique totidem, una Samuëlis tolerantis scissuram sui amictus, altera Saulis sufferentis pro talione abscissionem sui regni. Investigandum proinde est primò cujusnam typum gesserit Samuël, ac deinde Samuëlis amictus, tertiò scissura ejusdem amictus, quartò Saul amictum Samuëlis discindens, quintò Saulis regnum, sextò ejusdem regni repensa abscissio.

Deus quidem ſecundum ſe ſpectatus nullius typum gerit, ſed planè ipſius quædam actiones typum præferunt aliarum conſimilium: ut formatio Evæ de latere Adami dormientis, formationem Eccleſiæ de latere Chriſti patientis; ſalvatio familiæ Noëticæ per aquam diluvij, ſalvationem familiæ Chriſtianæ per aquam baptiſmi; vocatio Abrahæ in Chananæam, vocationem Gentium in Eccleſiam; ſubmerſio Ægyptiorum in mari rubro, abolitionem criminum in baptiſmo; inſtitutio veterum Sacramentorum adversùs legales immunditias, inſtitutionem Euangelicorum Sacramentorum ad purgandas interiores conſcientias: & innumeræ aliæ ſimiles, quæ facilè cuique occurrant.

VIII. Incipiendo igitur à Samuële, & inquirendo cujuſnam rei typus extiterit, deprehendimus rem apud Cyprianum hâc breviſſimâ lucidiſſimâque ſententiâ deciſam: [l]. *Samuël typus fuit Chriſti.* Quam ſententiam ſi ille probare urgeretur, proculdubiò innumeris argumentis ad id evincendum uteretur. Sed quoniam ille, quippe à nemine preſſus, probationes prætermiſit, nos aliquas ſaltem hìc ſubjiciemus, quas cuilibet lectori non nimis moroſo ſufficere poſſe ac debere cenſemus. Primò itaque *Samuël* patrem habuit vocabulo *Elcana*, quod interpretatur Deus Zelotes: *Chriſtus* patrem habuit eum, de quo ſcriptum eſt, *Dominus Zelotes nomen eius* Secundò *Samuëlis* pater binas duxit uxores, *Annam* & *Phenennam*; quarum altera priùs ſterilis demùm evaſit fœcunda, altera priùs fœcunda demùm prolibus eſt orbata: ſimiliter *Chriſti* pater duas ſibi deſponſavit uxores, Eccleſiam, quæ dicta eſt *ſterilis non pariens*, & tamen poſteà peperit & adhuc parit innumeros; & Synagogam, quæ pridem fœcunda, nunc ſterilis evaſit. Tertiò *Samuëlis* pater plùs diligebat uxorem priùs ſterilem, quàm quæ priùs fuerat fœcunda: *Chriſti* pater, plùs diligit Eccleſiam, quàm ſynagogam, ſicut ſcriptum eſt, *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob.* Quartò *Samuël* matrem habuit vocabulo *Annam*, quod interpretatur gratia: *Chriſtus* eâ matre natus eſt, quam Angelus compellavit *plenam gratiâ*. Quintò *Samuëlis* mater fuit de tribu Juda, ut plerique cenſent Interpretes: *Chriſti* quoque matrem de eadem extitiſſe tribu ſeries ejus Genealogica ab Euangeliſtis contexta evincit. Sextò *Samuël* in ſe uno mixturam continebat duarum tribuum nobiliſſimarum, ſacerdotalis nimirum & regiæ, prout diſertè tradit Hieronymus in Quæſtionibus Hebraicis ſuper libro 1. Regum: *Chriſtus* ſimiliter in ſe uno eaſdem duas tribus habuit commixtas: [k]. Firmiſſimè tenendum eſt, inquit Auguſtinus, carnem Chriſti ex utroque genere eſſe propagatam, & Regum ſcilicet, & Sacerdotum". Septimò *Samuël* ardentibus votis optatus fuerat antequam natus: *Chriſtus* idipſum de ſe teſtatur ubi ait eis quibus præſentialiter aderat, *Multi Prophetæ & iuſti cupiêrunt videre quæ vos videtis.* Octavò *Samuël* interpretatur poſtulatus à Deo, vel, ut Hieronymus lib. de Nominibus Hebraicis ait, Nomen ejus Deus: *Chriſtus* dictus eſt *Deſideratus cunctis Gentibus*, item *Deſiderium collium æternorum*: de eodem quoque prophetatum fuit, *Vocabitur nomen eius, Admirabilis, Conſiliarius, Deus.* Nonò *Samuel* de matre per naturam ſterili prognatus fuit ſupra naturæ curſum; *Chriſtus* de Matre Virgine ſine virili complexu, abſque quo omnis fœmina naturaliter infœcunda manet, conceptus partuſque fuit. Decimò *Samuëlis* mater eucharisticum canticum Deo cecinit pro præſtita ſibi fœcunditate: *Chriſti* mater conſimile canticum Deo cecinit pro fœcundata ſua virginitate: [l]. Recole, ait Beda, Hymnum Beatæ MARIÆ: & vide quàm ſimilia de judicijs & gratiâ Dei, Prophetæ mater, & Domini; mulier, & virgo, ſenſerint". Undecimò *Samuël* puerulus per manus *Heli* annoſi oblatus fuit Domino in tabernaculo Siloano: *Chriſtus* infantulus per manus *Simeonis* annoſi præſentatus fuit Domino in templo Hieroſolymitano. Duodecimò *Samuëlis* oblationi interfuit *Anna* mater, prophetando decantans laudem Domino: *Chriſti* præſentationi interfuit *Anna Propheteſſa, confitens Domino.*

IX. Ecce integram duodenam ſimilitudinum inter *Samuëlem* & *Chriſtum*, tanquam inter figuram & figuratum, inter typum & prototypum, refulgentium. Accipe nunc aliam duodenam: Decimotertiò *Samuël*, ut perhibet Joſephus l. 5. Antiq. c. 11. cœpit agere prophetam anno ætatis duodecimo: *Chriſtus*, ut perhibet Lucas c. 2. ſui Euangelij, anno ætatis duodecimo ſedit in medio Doctorum, audiens & interrogans eos, ſtupentibus omnibus ſuper prudentia & reſponſis ejus. Decimoquartò de *Samuële* ſcriptum eſt quòd *proficiebat, atque creſcebat, & placebat tam Domino quàm hominibus*: De *Chriſto* ſimiliter ſcriptum eſt quòd *proficiebat ſapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum & homines.* Decimoquintò de *Samuële* ſcriptum eſt, quòd *miniſtranti ei ante faciem Domini faciebat mater ſua tunicam*: de *Chriſto* refert ex Veterum traditione Euthymius, quòd prædicanti regnum Dei fecerit mater ſua *tunicam inconſutilem*. Decimoſextò *Samuël* prænunciavit Principi ſacerdotum *Heli* imminentem ruinam domûs ac familiæ ſuæ, cum tranſlatione ſacerdotij in alios: *Chriſtus* ſimiliter Principibus ſacerdotum ait: *Auferetur à vobis regnum Dei*: item *Relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Decimoſeptimò *Samuël* fuit Prophe-

[l] Cyp. l. 1. Teſtimon. ad Quirin. cap. 20.

Exodi 34. 14

Gal. 4. 27.

Pſalm. 86. 2.

Luc. 1. 28.

[k] Aug. l. 2. de conſenſu Euang. c. 2.

Mat 13. 17.

Agg 2. 8. Gen 49. 26.

Iſa. 9. 6.

[l] Beda l. 1. in Samuelem c. 4 in fine.

Luc. 2. 36. & 38.

1. Reg. 2. 26. Luc. 2. 52. 1. Reg. 2. 19. Vide Robertum de Monte in Appendice ad Sigebertum Anno Chri. 1157. ibi de Chr. tunica Argentolii reperta. Ioan. 19. 23.

Mat. 21 43. Mat. 23. 38.

Propheta, & quidem tam notorius, ut de eo 1 Reg. 3.20. scriptum legatur, *Cognovit universus Israel à Dan usque Bersabee, quòd fidelis Samuel Propheta esset Domini*: Similiter & *Christus* extitit Propheta, ita magnus, & famosus, ut in ipso magnificarent Luc 7. 16. & 17. homines Deum, dicentes, *Propheta magnus surrexit in nobis, quia Deus visitavit plebem suam: & exiit hic sermo in universam Iudaam de eo, & in omnem circa regionem.* Decimooctavò *Samuël* tam avidè à populo audiebatur, ut 1. Reg. 3.19. *Non caderet ex omnibus verbis eius in terram*: de *Christo* Luc. 21. 38. similiter apud Lucam legitur, *Omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.* Decimononò *Samuel* præterquàm quòd Propheta & Doctor populi fuerit celeberrimus, insuper Prophetalium & Doctoralium collegiorum Fundator extitit, prout ex Hebræorum traditione memorat Genebrardus ad annum Mundi 3066. Luc. 24. 19. Similiter & *Christus* præterquàm quòd fuerit *Vir Propheta, potens in opere & sermone coram Deo & omni populo*, insuper instituit Collegium duodecim Apostolorum, nec non septuaginta duorum discipulorum, unde ad Mat. 23. 34. erudiendam plebem *Mittebat Prophetas, & Sapientes, & Scribas.* Vigesimò *Samuël* hâc suâ collegiorum institutione providit Synagogæ de Doctoribus ac morum Instructoribus, etiam futuris post obitum suum temporibus: Eph. 4. 11. & seqq. similiter & *Christus*, ut ait Apostolus, *Dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorũ in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei* &c. Vigesimoprimò *Samuël* populum ab idolorum cultu revocatum novo fœdere reconciliavit & religavit Deo vivo & vero, 1. Reg 7. Similiter & *Christus* suâ potenti virtute 1. Thes. 1. 9. idololatras *Convertit ad Deum à simulachris, servire Deo vivo & vero*: ipse quoq; tanquam novi Testamenti mediator suo patri reconciliavit peccatores. Vigesimosecundò *Samuel contrivit Principes Tyriorum, & omnes Duces Philisthym* Eccli 46.21. *Christus* non solùm *contrivit satanam sub pedibus nostris*, Rom. 16 20. sed præterea Mat. 10. 1. *Discipulis suis dedit potestatem spirituum immundorũ*, qui sunt spiritales Tyrij & Philisthæi, *ut ejicerent eos.* Vigesimotertiò *Samuël* abegit Philistæos ex urbibus Israël quas occupaverant 1. Reg 7. 14. *Christus*, referente Evan-Mar. 1. 34. gelistâ Marco, *Dæmonia multa ejiciebat*: ipse Ioan. 12. 31. quoque apud alium Evangelistam ait, *Nunc Princeps huius mundi ejicietur foras.* Vigesimoquartò *Samuël* post debellatos hostes populi Dei, columnam triumphalem erexit, quam appellavit *lapidem adiutorij*, 1. Reg. 7. 12. *Christus* chirographum decreti nobis contrarium sustulit, *affigens illud cruci, & expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso*, prout scribit Apostolus ad Coloss. 2. 14. & 15.

X. Sequitur modò tertia duodena, cujus initium sumitur à vigesima quinta convenientia *Samuëlis* cum *Christo*, quæ in hoc sita est, quòd *Samuël* fuerit Iudex populi, sicut scriptum est, *Iudicavit Samuel Israëlem cunctis diebus vitæ suæ* 1. Reg. 7. 15. De *Christo* similiter scriptum legitur, *Ipse est qui constitutus est à Deo Iudex vivorum & mortuorum* Act. 10. 42. Vigesimosextò de *Samuele* scriptum est, quòd *clamaverit ad Dominum pro Israel, & exaudierit eum Dominus*: de 1 Reg. 7. 9. *Christo* similiter scribit Apostolus, quòd *preces supplicationesq; cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus sit pro sua reverentia* Heb 5. 7. Vigesimoseptimò *Samuel* non perfunctoriè vel oscitanter, sed seriò & incessanter deprecabatur Deum pro Israële adversùs hostes in acie decertantes, unde & ipse ait 1 *Absit à me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis*: de 1 Reg. 12. 23. *Christo* similiter scriptum legimus, quòd *semper vivat ad interpellandum pro nobis*: Heb. 7. 25. item quòd *introierit in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui* Heb. 9. 24. *Dei pro nobis.* Vigesimooctavò, cùm *Samuel* ad Deum preces funderet *intonuit de cælo Dominus, & in sonitu magno auditam fecit vocem suam*: Eccli. 46. 20. similiter *Christo* orante in monte sancto, *vox allata est de cælo à magnifica gloria.* 2. Pet. 1. 17. Vigesimononò *Samuël* apud Ecclesiasticum dictus est *Dilectus à Domino Deo suo*: Eccli 46. 16. similiter & *Christus* ab ipso Dño Deo Patre dictus est *Filius Dilectus, in quo sibi benè complacuit.* Mat. 3. 17. Trigesimò de *Samuele* scriptum est; quòd *posuerit filios suos Iudices Israel*: 1. Reg. 8. 1. similiter & *Christus* Apostolis spiritualiter ex ipso renatis aiebat, *Sedebitis super sedes, iudicantes duodecim tribus Israel.* Mat. 19. 28. Trigesimoprimò *Samuelis* filij ita provecti, *Non ambulaverunt in vijs eius, sed declinaverunt post avaritiam*: 1. Reg. 8. 3. similiter & *Christo* apud Capharnaum sermocinante, *Multi discipulorum eius abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant*: Ioan. 6. 67. Judas quoque unus è numero Apostolorum adeò post avaritiam declinavit, ut & de communibus loculis furtivè surriperet, & magistrum suum perfidiosè venderet. Trigesimosecundò, *Samueli* displicuit quòd populus petijsset constitui sibi Regem 1. Reg. 8. 6 *Christus* Apostolis suis de primatu contendentibus ait, *Reges Gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur: vos autem non sic.* Luc. 22. 25. & 26. Trigesimotertiò, *Samuel* contestatus est populum, nec quisquam valuit eum arguere ullius delicti in sua administratione 1. Reg. 12. *Christus* cum magna confidentia coram populo sibi alioqui infenso dicebat; *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ioan 8. 46. Trigesimoquartò *Samuel* in Reges unxit primò *Saulem* 1. Reg. 10. & posteà *Davidem* 1. Reg. 16. unxit quoque Sacerdotes, ut præter alios perhibet Nazianzenus Orat. 20. & 25. *Christus* non solùm lavit nos à peccatis nostris,

sed

[*Apoc. 1. 6. 1. Pet. 2. 9.*] sed & *Fecit nos regnum & sacerdotes Deo*: unde & Petrus appellat Christianos *Regale sacerdotium*. Trigesimoquintò *Samuel* quandam ignominiam passus est à *Saule* Rege Hebræorum in scissura suæ diploidis coram exercitu: *Christum* quoque Herodes Rex Iudæorum [*Luc. 23. 11.*] *Sprevit cum suo exercitu, & illusit indutum veste albâ*. Trigesimosextò *Samuel* à Deo jussus proficisci in Bethleem ad exequendum ministerium sibi demandatum, ait, [*1. Reg. 16. 2.*] *Quomodo vadam? Audiet enim Saul, & interficiet me*: similiter & *Christo* mandatum Dei exequenti, atque homines ad regnum cælorum præaptanti, [*Luc. 13. 31.*] dictum est: *Herodes vult te occidere.*

XI. Jam tertiam duodenam absolvimus, nec tamen ad finem pervenimus. Itaque Trigesimoseptimò *Samuel* prædixit Regi Israël excidium regni sui & translationem ejusdem in aliam familiam, [*1. Reg. 13. 14.*] *Nequaquam*, inquiens, *regnum tuum ultrà consurget*: Similiter *Christus* visâ civitate & aulâ regiâ prædixit ejus excidium, [*Luc. 19. 43. & 44.*] *Ad terram*, inquiens, *prosternent te, & filios tuos qui sunt in te, & non relinquent in te lapidem super lapidem*. Trigesimooctavò *Samuel* etsi intimaverit Regi sententiam depositionis, nihilominùs [*1. Reg. 15. 35.*] *Lugebat eum*: similiter & *Christus* etsi denunciasset excidium civitati regiæ impendens; tamen [*Luc. 19. 41.*] *Videns civitatem, flevit super eam*. Trigesimononò; *Samuelem* defunctum [*1. Reg. 28. 3.*] *Planxit omnis Israel*: similiter & *Christum* morti destinatum atque ad locum supplicij procedentem [*Luc. 23. 27.*] *Sequebatur turba multa populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum*. Quadragesimò, *Samuel* pòst obitum apparens *Sauli* aiebat ei, [*1. Reg. 28. 15*] *Quare me inquietasti?* Similiter & *Christus* post suum decessum atq; ad dexteram patris consessum apparens *Saulo*, ejusdem tribus ac nominis homini, ait ei: [*Act. 9. 4.*] *Saule, Saule, quid me persequeris?* Quadragesimoprimò, ad vocem *Samuëlis* sibi apparentis, [*1. Reg. 28. 20*] *Saul cecidit porrectus in terram*: similiter & ad *Christi* vocem, [*Actor. 22. 6.*] *Saulus decidit in terram*. Quadragesimosecundò; *Samuel* fuit Sacerdos, & quidem summus; etsi non de familia sacerdotali: *Christus* similiter est [*Psal. 109. 4.*] *Sacerdos in æternum*; etsi nec de familia, nec de tribu extiterit sacerdotali.

CAPVT QVARTVM.

Analogia novissima Samuëlis cum Christo, in sacerdotio utrique communi fundata, discutitur. Sententia Annalistæ cujusdam recentis, Sacerdotio Samuëlis præfidenter obstrepentis, refertur; sed opposita præfertur, cui & divina Scriptura patrocinatur, & cujusvis ævi Tractatorum consensus suffragatur. Samuël non modò Sacerdos, sed & Sacerdotum Princeps extitit, suóque hierarchatu pontificatum Christianum figuravit.

XII. Cum cæteræ analogiæ *Samuëlis* & *Christi* exiguam aut nullam patiantur controversiam, ea quam postremo loco adduximus, non æquâ ab omnibus consensione admittitur. Neque enim desunt qui *Samuelem* è Sacerdotum numero expungendum, atque in Levitarum ordinem censeant redigendum: [*Salianus.*] ut Jacobus Salianus in tertio Annalium suorum Tomo ad annum Mundi 2940. ubi cùm nonnullos Sacerdotij Samuelici assertores commemorasset, hæc ipse subdidit n. 7. "Nihilominùs *Samuelem* non fuisse Sa„cerdotem, ex eo CERTISSIMUM „EST, quòd in Lege Moysaica ea dignitas „uni familiæ Aaronicæ alligata erat; ad quam „minimè dubium est *Samuelem* non pertinere, „ut alibi demonstratum est; & Scriptura ipsa „dubitare non sinit, ex qua id ipsum sanctus „Hieronymus profitetur disputans contra „Jovinianum, & Author Quæstionum Ve„teris Testamenti q. 46. eique veritati om„nes nunc, qui rem accuratiùs inspexerunt, „ultrò assentiuntur; nominatim Abulensis, „Bellarminus, Genebrardus, Serarius, Ioan„nes Arborius Theosoph. lib. 17. cap. 4. Torniellus". Hæc ibi Salianus: quæ si vera sint, perperàm à nobis assignata fuit postrema illa *Samuëlis* & *Christi* analogia, ex communi utrique Sacerdotio petita. Si enim *Samuël* non fuit Sacerdos, proculdubiò nec suo Sacerdotio figuravit *Christi* Sacerdotium, nedum suo Pontificatu *Christi* Pontificatum.

XIII. Verùm non obstante Saliani asseveratione, persistendum est in astruendo prædictam analogiam, adeòque in propugnando *Samuëlis* sacerdotium. Suadet id inprimis authoritas Scripturæ divinæ, deinde Tractatorum ab exordio Christianæ Ecclesiæ in hæc usque tempora sibi succedentium; ut proindè non appareat quomodo absque insignis præfidentiæ notâ potuerit Salianus oppositum dicere *certissimum*, & paucülos neotericos sibi suffragantes *rem accuratiùs inspexisse*. Quid autem ea de re senserit Hieronymus, posteà indagabitur; simulque Author

thor ille Quæstionum utriusque Testamenti jam dudum exauthoratus monstrabitur. Postquam igitur Deus prædixisset Pontifici *Heli* ablationem Sacerdotij de domo ejus, & simultaneum interitum filiorum ejus, mox addidit, *Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.*

1. Reg. 2. 35.

Quæ prædictio tametsi de *Christo* intelligatur juxta sensum allegoricum, de *Samuele* tamen in locum *Heli* surrogando intelligenda venit juxta sensum historicum: [M]. Sub figura *Samuelis*, ait in eum locum Beda, de Domino Salvatore, summo videlicet ac vero Pontifice, debet intelligi: quod nimirum sicut *Samuel* defuncto *Heli* successit in Sacerdotium, non de stirpe *Aaron*, sed de alia *Levi* familia electus: fuit enim *filius Elcana, filij Ieroboam, filij Eliel, filij Thou, filij Suph, filij Elcana, filij Mahath, filij Amasai, filij Elcana, filij Iohel, filij Azaria, filij Sophonia, filij Tahath, filij Asir, filij Abiasaph, filij Core, filij Isaar, filij Caath, filij Levi, filij Israel*, ut verba dierum narrant: ita Mediator Dei & hominum, ut esset nobis Pontifex, non de *Levi*, sed de alia utique tribu, id est, *Judâ* carnis originem sumpsit". Samuël itaque fuit Sacerdos, & quidem ille *fidelis*, quem Deus abdicato *Heli*, suscitaturum se prædixit; in typum tamen *Christi* olim suscitandi, reprobato Sacerdotio Moysaico. Alibi quoque Scriptura Sacerdotium *Samuelis* astruit, quoties eum sacrificasse sive holocaustum obtulisse commemorat, ut 1. Reg. 7. 9. & 10. item Eccli. 46. 19.

M. Beda lib. 30 qq q. 2. Vide Arnob. in Psal. 131.

1. Par. 6. 34. & seqq.

XIV. Suffragantur & Patres magno planè numero, quos durum profectò est dicere, *eam minùs accuratè inspexisse*, quàm neotericos pauculos à Saliano nominatos. Clemens Romanus in Constitutionibus Apostolicis loquens de *Samuele* & *Davide*: [N]. Uterque, inquit, Propheta erat, & unus quidem Pontifex, alter verò Rex". Et inferiùs iterum cap. 52 loquens de *Saule* Hebræorum Rege, ait inter alia: " Cùm sacrificare decrevisset sine Propheta ac Pontifice *Samuele*, suscepit in se peccatum, execrationemque irrevocabilem". Consonat & Ignatius Martyr in sua ad Magnesianos Epistola sic scribens: [O] *Saul* honore privatur regio, non expectans summum Sacerdotem *Samuelem*". Irenæus Apostolorum ætati vicinus, volens Sacerdotes novæ Legis exemplo veterum celebrium Sacerdotum instruere, ac signanter adversùs avaritiæ labem munire, *Moysen & Samuelem* eis imitandos proponit, quibus & è Christianis Sacerdotibus adjungit Paulum Apostolum; ac tunc subdit: [P]. Tales presbyteros nutrit Ecclesia, de quibus & Propheta ait: *Dabo Principes tuos in pace, & Episcopos tuos in justitia*". Eidem *Samuelis* Sacerdotio suffragatur Cyprianus Epist. 55. & 69. alibique frequenter, signanter ubi ait: [Q]. Cùm *Samuel* Sacerdos à Judæorum populo ob senectutem contemneretur, exclamavit iratus Dominus, & dixit: *Non te spreverunt, sed me spreverunt.* Et ut hoc ulcisceretur, excitavit eis *Saul* Regem, qui eos injurijs gravibus affligeret, & per omnes contumelias & pœnas superbum populum calcaret ac premeret: ut contemptus Sacerdos de populo superbo ultione divinâ vindicaretur". Quo loco *Samuelem* semel & iterum appellat *Sacerdotem.* Suffragatur & Lucifer Calaritanus, cùm ait Constantio Cæsari persequenti Catholicos Antistites, ad imitationem *Saulis* persequentis *Samuelem*: [R]. Quid novi facimus Episcopi, si tibi ea dicimus, quæ tu mereris audire; cùm inveniamus sanctissimum *Samuelem* Dei Sacerdotem dixisse ad *Saul* Regem &c"? Et mox infrà ibidem: " *Samuelem* Prophetam, atque Sacerdotem Domini, persecutus est Rex *Saul*". Et iterùm post pauca: " Indignaris quòd vera audias; cùm videas *Samuelem* Sacerdotem Domini non adulatum Regi? Quid decuerat, aliud præcessores nostros, aliud nos agere"? Suffragatur quoque Gregorius Nazianzenus, tum Orat. 20. & 25. attribuens *Samueli* functiones sacerdotales, inunctiones scilicet Regum ac Sacerdotum: tum denique Orat. 40. asserens eundem *cum Sacerdotali stola fuisse educatum.*

N. Clem. l. 8. Constit. cap. 1.

O. Ignat. Epist. 6.

P. Iren. l. 4. c. 44.

Isaiæ 60. 17. juxta 70.

Q. Cyprian. Epist. 63.

1. Reg. 8. 7.

R. Lucifer Calar. lib. de non parcendo in Deum delinquentibus.

Nazianzen.

XV. Prædictis accedit Ambrosius, dum exponens illum versiculum Psalmi 118. *Adolescentulus sum ego & contemptus*, ita scribit: " *David*, junior fratribus, cùm patris oves pasceret, tanquam vili ablegatus obsequio, non oblatus est Sacerdoti, quasi indignus qui ungeretur in Regem; sed à Sacerdote quæsitus, & accersitus à pascuis, prærogativam regiæ unctionis accepit". Ubi manifesta allusio est ad historiam unctionis *Davidis* à *Samuele* peractæ 1. Reg. 16. ut proinde dubium non sit, quin *Sacerdos* ille Ambrosianus, cui non oblatus, sed à quo quæsitus, & ad quem accersitus de pascuis fuit *David* in Regem ungendus, fuerit *Samuel.* Accedit & Chrysostomus, dum loquens de *Samuelis* matre: [T]. Hæc mulier, inquit, attendebat ad puerum, etiam priùs quàm illum in templum induceret; & diligebat impensiùs tanquam filium, & curabat tanquam Deo dicatum, existimans se per illum sanctificandam; quando domus ejus jam facta erat templum, ut quæ Prophetam & Sacerdotem intra se contineret". Favet item Hieronymus, dum ita scribit Damaso Papæ: [V]. *Samuel* Propheta connumeratus Moysi in Sacerdotio Dei, ad ungendum Regem missus &c". In cujus loci scholio Marianus Victorius etsi referat in Florentinis aliquot manu-

Psal. 118. 141.

S. Ambros. serm. 18. in Psalm. 118.

T. Chrysost. Homil. 2. de Anna tomo 2.

V. Hieron. Epist. 123. q. 3.

manuscriptis codicibus pro *Sacerdotio Dei* legi *Psalterio Dei*, addit tamen eundem Hieronymum alibi quoque scripsisse, *Samuëlem Sacerdotii & Iudicis simul functum fuisse officio*. Author item Commentariorum in Epistolas Paulinas, Hieronymi nomen falsò præferentium, qui putatur esse Pelagius Hæresiarcha, eandem sententiam tuetur, ita scribens: [W] Propriè Sacerdotum est invocare Dominum, quibus dicitur: *Sic benedicite filijs Israël, invocantes nomen meum super illos*. Et Psalmista dicit, *Samuel inter eos qui invocant nomen eius*. Quem fuisse Sacerdotem illa ratio probat, quia & Sacerdoti successit, & hostias offerebat: de quo etiam secundum historiam dictum est, *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem*. Qui quamvis non fuerit ex genere *Aaron*, tamen de tribu *Levi* fuisse in Paralipomenon legitur: quia ipse hunc constituit, qui & illum. Ita enim Aaronem elegit, ut alios posteà eligendi non amiserit potestatem". Jovinianus item hæresiarcha apud Hieronymum lib. 1. adversùs ipsum cap. 13. eandem sententiam apertè supponit, dum ex eo quòd *Samuël* existens Sacerdos uxorem habuerit ac filios procrearit, perperàm contendit idipsum licere Sacerdotibus novæ legis. Suffragatur quoque eidem *Samuëlis* Sacerdotio Cyrillus Alexandrinus, atque etiam Maximus, in Collectaneis anagogicis super libro 1. Regum:" *Samuël*, inquiunt, interpretatur Dei obedientia. Quamdiu ergò quæ in nobis est ratio obedientiæ fungitur officio *Sacerdotis*; etiamsi *Saul* pepercerit *Agago*, hoc est, prudentiæ terrenæ, eum tamen occider *Sacerdos* zelo motus, nempè ratio, & percutiet; dedécore afficiens mentem, quæ delectatur peccato". Quæ anagogizatio supponit omninò *Samuëlem* fuisse Sacerdotem, sicut & Saulem pepercisse *Agago*, quem *Samuël* uti Sacerdos, increpito Saule, interfecit 1. Reg. 15. 33.

W. Pseudo-Hieron. in caput 1. prioris ad Corinthios. Num. 6. 23. & 27. Psalm. 98. 6.

1. Reg. 2. 35.

Jovinianus.

Cyril. Alexandrinus. Maximus.

XVI. Eandem sententiam de *Samuëlis* Sacerdotio multis locis tradidit Augustinus, signanter lib. 17. de Civit. c. 4 sic scribens: "*Heli* Sacerdote reprobato, substitutus est in Dei ministerium *Samuel*, simul officio functus Sacerdotis & Iudicis". Et lib. 12. contra Faustum cap. 33." Nonne ab ipso exordio, inquit, commutatum Sacerdotium in *Samuëlem*, reprobato *Heli*, & commutatum regnum in *Davidem*, reprobato *Saule*, clamat prænunciari novum Sacerdotium novumq; regnum, reprobato vetere, quod erat umbra futuri, in Domino nostro IESV CHRISTO venturum"? Et lib. 2. Retract. c. 55. "*Samuël*, inquit, summo Sacerdoti *Heli* successit, cùm Sacerdotis filius ipse non esset". Quibus ille verbis *Samuëlem* non modò Sacerdotem, sed summum etiam Sacerdotem fuisse perhibet, quippe quem *summi Sacerdotis successorem* astruit. Quin & hoc ipsum disertis verbis affirmat Enarrat. in Ps. 98. dicens:" Factus est *Samuel* Sacerdos magnus, Sacerdos Sanctus illo tempore". Rectè proindè Censores Lovanienses in Appendicem rejecerunt, atque ab Augustino removerunt librum Quæstionum utriusque Testamenti, tum ob alias plures causas, quas in Censura sua eidem libro præfixà recensent, tum etiam *quòd q. 46. dicat, stultos esse qui asserunt Samuëlem functum fuisse officio Sacerdotis, Quod est contra Augustinum lib. 17 de civit. c 4*. Atque ut certiùs de Augustini mente constet, audiendus est ejus discipulus ac Sectator fidelissimus, Prosper Aquitanicus, qui loquens de *Samuële*, & ostendens eum gessisse typum Christi: [X]. Tria, inquit, in illo inveniuntur, quæ Christo sunt Domino assignanda: Dux enim & Sacerdos, atque Propheta effectus est populi". Non solùm ergò Propheta, & Dux populi, sed & *Sacerdos* fuit *Samuël*. Quod ipsum disertè perhibet Iulius Hilarion vetustus Chronologus, qui cùm annos Judicum us; ad *Heli* predecessorem *Samuëlis* recensuisset: [Y]. Transactis igitur annis istis, inquit, judicavit *Heli* Sacerdos annis 20. Huic successit *Samuël*, etiam ipse Dei *Sacerdos*, & judicavit annis 40". Sulpicius Severus eidem *Samuëlis* Sacerdotio suffragatur: [Z]. Arca, inquiens, in Catiathiarim oppidum translata est, ibique per viginti annos fuit. Eâ tempestate *Samuël* Sacerdos Hebræis præerat". Et rursùs post pauca:" Igitur *Saul* Sacerdotali priùs unguento à *Samuële* perfusus, Rex constitutus est". Et iterùm inferiùs:" Offensus Dominus *Samuelem* alloquitur, *Pœnitere se quod Saul Regem constituerit*. Dictum *Sacerdos*, Regi refert". Arnobius Iunior in Commentatio Psalmorũ: [A]. Ephratæus *Helcana*, inquit, qui caput Regalium voluminum tenet, pater est *Samuëlis*, in quo audivimus vocem Domini, dicentis: *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem*". Et superiùs in Psalmum 98. loquens de Deo:" Ipse est, inquit, qui justitiam & judicium in Jacob fecit: qui habuit *Moysen & Aaron* in Sacerdotibus suis, qui habuit *Samuëlem* similem ipsis". Gregorius Papa non qualemcunque Sacerdotem, sed & Antistitem asserit fuisse *Samuëlem*, cæteris utique Antistitibus imitandum: [a]. In *Samuële*, inquiens, summi & electi Antistitis vigilans studium designatur".

Lovanienses.

X. Prosp. l. de promiss. & prædict. Dei p. 2. c. 24.

Y. Iul. Hilar. lib. de Mundi duratione.

Z. Sulp. Severus l. 1. Sacræ Historiæ.

1. Reg. 15. 11.

A. Arnob. in Psal. 131. 48.

a. Greg. l. 4. in librum 1. Regum c. 4.

XVII. Consonat prædictis Isidorus Hispalensis: [C]. *Samuël*, inquiens, qui reprobato *Heli* in ministerio Sacerdotali successit, novi Sacerdotij successionem, abjecto veteri Sacerdotio, prænunciavit". Qui rursùs l. 1. Com. in lib. 1. Regum c. 1." Ipsa, inquit, *Samuelis* Sacerdotis successio novum sempiternumque Sacerdotium præfigurabat". Et lib. de vita & morte Sanctorum c. 32." *Samuel* connumeratus *Moysi* in Sacerdotibus Dei, ab ipsis incunabulis Domino consecratus, sedulus in ministerio,

C. Isidor. lib. Allegoriarum vet. Testam.

„nisterio, in Gente Princeps, in templo vates". Venerabilis Bedæ testimonium satis luculentum pro *Samuelis* Sacerdotio produximus superiùs §. 13. cui nunc & illud ejusdem adjungimus: D. *Samuël* suscepto post mortem *Heli* Sacerdotio, universam domum Israël alloquitur, ut auferant Deos alienos de medio sui". Qui rursùs lib. 2. c. 5. & iterùm in Præfatione libri 3. apertè indicat *Samuelem* fuisse *Ducem populi*, simulque *Sacerdotem* & *Prophetam*. Ado Viennensis in suo Chronico, edisserens quid singuli veteres Patriarchæ figuraverint, dicit *Samuelem* figurasse Christum, uti *Ducem*, *Sacerdotem*, & *Prophetam*. Rabanus Maurus in suo Opere de universo: E. *Samuël*, inquit, interpretatur *Nomen eius Deus*. Hic reprobato *Heli* in ministerio Sacerdotali successit, novi Sacerdotij successionem, abjecto veteri Sacerdotio, prænuncians". Qui rursùs lib. 1. in Reges c. 3. tractans de trina *Samuelis* vocatione in tabernaculo factâ: " Potest, inquit, hâc trinâ vocatione præfigurari, quòd ipse puer *Samuel* futurus erat Dux, Propheta, & Sacerdos". Walfridus Strabus, præmissis quibusdam exemplis, quibus reverentia sacris locis deferenda ingeritur, subdit: F. Intelligamus ergò his exemplis quid Dominus in templis fieri velit, vel quid prohibeat: qui & filios *Heli* propter scelera circa tabernaculum commissa punivit, & *Annam* matrem *Samuelis* in secreto cordis, motu tantùm labiorum sine strepitu vocis orantem, in filij petitione exaudivit; ipsumque *Samuelem*, quia fideliter in domo Domini ministravit, reprobato sene, in Prophetam, Sacerdotem, & Ducem elegit". Angelomus in caput 2. lib. 1. Regum: " Sicut *Samuel*, inquit, defuncto *Heli* successit in Sacerdotium, non de stirpe *Aaronis*, sed de alia *Levi* familia electus: ita Mediator Dei & hominum, ut esset nobis Pontifex, non de *Levi*, sed de alia utique tribu, id est, *Iudâ*, sumpsit carnem".

D. Beda lib. 1 in Samuëlem cap. 12.
Ado Viennensis.
E. Raban. l. 5. de universo cap. 1.
F. Strabus lib. de rebus Eccles. c. 12.
Angelomus

XVIII. Suffragatur præterea eidem *Samuelis* Sacerdotio Petrus Damiani, qui Henricum Romanorum tunc Regem, schismati in Ecclesiam per *Cadolaum* Parmensem invecto conniventem, alloquens: G. Cavendum est, inquit, ô Rex, ne dum tu pateris dividi Sacerdotium; tuum quoque, quod absit, dividatur Imperium. Nam, sicut sacra testatur Historia, mox ut *Saul apprehendit summitatem pallij Samuelis, & scidit*; protinùs illi Samuël sic inquit: *Scidit Dominus regnum Israel à te hodie*". Quæ sententia planè supponit *Samuelis* Sacerdotium, alioquin ineptè adhiberetur ad deterrendum Romanorum Regem à connivendo scissoribus Euangelici Sacerdotij. Consonat item Rupertus, cùm ait: H. *Samuel* Propheta connumeratus *Moysi* in Sacerdotio Dei". Quæ sunt ipsissima Hieronymi verba jam superiùs §. 15. relata ac perpensa. Accedit & Author Commentariorum in Paulinas Epistolas, Anselmi nomen præferentium: I. Avaritiam, inquiens, vel cupiditatem Sacerdoti vitandam esse, ipse *Samuel* exemplo suo docet, nihil se cuiquam rapuisse, coram populo probans". Similem parænesin ex Irenæo suprà §. 14. memoravimus. Conspirat & Godefridus Abbas Vindocimensis, cùm ait: K. In libro Regum, cùm *Samuel* Sacerdos à populo contemneretur, exclamavit Dominus, & dixit: *Non te spreverunt, sed me*". Quæ sunt ipsa Cypriani verba §. 14 relata. Consonant Bernardus, & Hugo Victorinus, quorum prior in libro Sententiarum, posterior in libro 2. Miscell. cap. 110. ait iisdem verbis: " Tres in Sacerdotium assumuntur, *Moyses*, *Aaron* & *Samuel*". Consonat & Nicephorus Callisti in Historia sua Ecclesiastica: L. *Samuel*, inquiens, simul Propheta, & Sacerdos, & Judex populi fuit". Subscribit & Bertrandus Cardinalis & Antistes Heduensis Tract. de Origine & usu jurisdictionum q. 3. " *Samuel* Propheta, inquiens, simul fuit Sacerdos, & Princeps populi in temporalibus". Et rursùs lib. pro immunitate Eccles. adversùs Petrum de Cugneris: " *Samuel*, inquit, qui fuit Propheta & Sacerdos, etiam populum totum in temporalibus diutissimè judicavit". Accedit Jacobus Christopolitanus, qui in Commentario super Psalmo 98. loquens de *Moyse*, *Aarone*, & *Samuele*: " Isti tres, inquit, cum omnibus alijs Sacerdotibus invocabant Christum in tabernaculo". Et mox iterùm ibidem: " Notandum, subdit, quòd Propheta *David* convenienter adducit hos tres Sacerdotes, & Duces principales Veteris Testamenti, in testimonium & confirmationem latriæ Christi: quia maximè fuerunt figura ejus".

G. Petr. Damiani lib. 7. Epist. 1.
1. Reg. 15. 27
ibid. v. 28.
H Rupert. l. 7. in Genesim. c. 16.
I. Anselm. in cap 3. Prior. ad Corinth.
K Godefrid. Vindocim. lib 4. Epist. 22.
Bernardus.
Hugo Victorinus.
L. Niceph. l. 2. Hist. c. 4.
Bertrand. Cardin.
Iacobus Christopol.

XIX. His addi possunt innumeri recentiores, eidem *Samuelis* Sacerdotio suffragantes: ut Nauclerus in suo Chronico Generat. 32. Naclantus in Medulla Scripturæ Ætate 4. Ederus lib. 2. Partitionum Biblicarum, super libro 1. Regum. Georgius Venetus Tomo 1. Sect 8. Problem. 444. Adrichomius in Chronico ad annum Mundi 2850. Opmeerus in sua Chronographia ad eundem Mundi annum. Gregorius Tolosanus lib. 13. de Republica c. 10. Monçeius lib. 2 de Vitulo aureo cap. 11. Hieronymus Columbus lib. 3. Hierarchiæ cap. 8. & 11. citans pro eadem sententia Lorinum in Psalmum 98. Didacus del Castillo Tract. de Vestibus & Ornatu Aaronis in caput 28. Exodi ad vers. 6. q. 15. Jacobus Boulducus lib. 1. de Oggio Christiano cap. 8. ita scribens: " Regis *Saulis* temporibus Propheta *Samuel*, ex Levitica quidem stirpe, sed non ex Aaronis familia, summus fuit Judex, & Pontifex, ut nos alibi ostendimus". Remittit porrò his postremis

Nauclerus.
Naclantus.
Ederus.
Venetus.
Adrichomius.
Opmeerus.
Tolosanus.
Moncæius.
Columbus.
Lorinus.
Del Castillo
Boulducus.

ſtremis verbis lectorem ad ea quæ pridem ſcripſerat lib. 1. de Eccleſia ante legem cap. 17. Ubi cùm dixiſſet *Samuëlem* ex conſenſu omnium ferè antiquorum Patrum fuiſſe ſupremum Hebræorum non ſolùm Judicem, ſed etiam *Sacerdotem*: continuò adjecit hanc velut cenſuram aſſertionis adverſæ, ac patronorum ejus: *Notent hoc illi, qui contra tantam teſtium nubem, contrarium audentes aſſerere, magno premuntur anguſtijs.*

CAPUT QUINTUM.

Samuëlici Sacerdotij præjudicia perſtringuntur, & eliduntur. Divini nominis invocatio, Samuëli appropriata, Sacerdotio ejus non officit, ſed proficit. Ejuſdem Samuëlis Ephod quale? Num Samuël induerit ſtolam ſanctam, & coronam auream ſuper mitram? In eo quòd Aaronicæ familiæ extraneus Sacerdotium ſuſceperit, peculiari typo Chriſtum præſignavit. Hieronymi locus Samuëlico Sacerdotio objectus elucidatur, aliuſque pro eodem adducitur, & vindicatur. Quæſtionarij aſſeverantia retunditur, & authoritas exploditur. Annaliſtæ nutantia notatur. Aquinatis mens eruitur, & ex contextu illuſtratur; quam non attigerunt, qui ventilantem, pro decidente inconſideranter arripuerunt.

XX. NUnc diluenda ſunt argumenta quibus permoventur, qui *Samuelis* Sacerdotio refragantur. Ea porrò Salianus §. 12. relatus ad tria capita revocat: quorum primum eſt, Scripturæ Sacræ teſtificatio: ſecundum, Hieronymi & veteris Quæſtionarij ſuffragatio: tertium denique, Neotericorum quorundam accuratior inſpectio. Ex Scriptura Sacra trifariàm impetitur *Samuelis* Sacerdotium: Primò quidem, quia Scriptura nuſquam illud aſtruit. Secundò, quia functionem *Samuelis* à Sacerdotali condiſtinguit, cùm ait de Deo, *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus eius, & Samuel inter eos qui invocant nomen eius.* Tertiò denique, quia *Samuelis* genealogiam non per *Aaronem*, ſed per *Core* filium *Iſaar* ad *Caath* avum *Aaronis* perducit, prout §. 13. viſum eſt: cùm tamen Moyſaicum Sacerdotium *Aaroni* & poſteris ejus ita fuerit alligatum, ut quiſquis alius illud uſurparet, morti ſe obnoxium redderet, dicente ad Moyſen Domino: *Aaron & filios eius conſtitues ſuper cultum Sacerdotij: externus, qui ad miniſtrandum acceſſerit, morietur.* Quæ ſanctio rursùs iteratur ibidem inferiùs cap. 18. 7. poſtquam prodigioſâ virgæ germinatione confirmatum jam fuiſſet Sacerdotium in ſola *Aaronis* familia, & *Core* progenitor *Samuelis* abſorptus fuiſſet terræ hiatu, cum ſuis complicibus, propter Sacerdotalis functionis uſurpationem. Specialiter item contra ſummum *Samuelis* Sacerdotium militat, quòd cùm Eccleſiaſticus in concinnando *Aaronis* elogio

OBIECTIO 1.

OBIECTIO 2. *Pſalm. 98. 6*

OBIECTIO 3.

Num. 3. 10.

mentionem ingeſſiſſet ſtolæ mitræque Pontificalis, quâ ornatus fuerat *Aaron* in ſua inauguratione, mox ſubdiderit: *Non eſt indutus ea alienigena aliquis, ſed tantùm filij ipſius* (Aaronis) *ſoli, & nepotes eius per omne tempus.* Cùm igitur *Samuel* non fuerit de filijs aut nepotibus *Aaronis*, conſequens eſt ut nec ſtolâ, nec mitrâ Pontificali fuerit unquam indutus, adeoque nec Pontificali munere functus. *Eccli. 45. 16.*

XXI. Verùm nihil horum obſtat *Samuelis* Sacerdotio ſuperiùs aſtructo, ac densâ teſtium nube firmato. Primum quippe argumentum, præterquam quòd ex genere ſuo ſit imbecillum, ut in loco ab authoritate negata fundatum, inſuper à nobis enervatum jam fuit ſuperiori capite §. 13. ubi ex ipſa Scriptura Sacra Sacerdotium *Samuelis* aſtruximus. Secundi ſimiliter argumenti vis eliſa eſt ibidem §. 15. ex quo claret *divini nominis invocationem* propriè eſſe ſacerdotalem functionem. Quod non modò Pſeudo-Hieronymus ibi relatus affirmat & confirmat, ſed & verus ipſe Hieronymus ibidem quoque adductus innuit, quatenùs aſſerit *Samuelem connumerari Moyſi in Sacerdotio Dei*: alludens utique ad verſiculum Pſalmi 98. in argumento objectum; ad quem pariter verſiculum alludunt Iſidorus & Rupertus §. 17. & 18. allegati, & eundem Hieronymum non modò ſenſu, ſed verbis etiam ipſis ſecuti; ſalvo quòd pro *Sacerdotio Dei* Iſidorus ſubſtituerit *Sacerdotibus Dei*. Ex quorum omnium ſententiâ conſectarium eſt, functionem, quam Pſalmographus *Samueli* attribuit, à Sacerdotali non condiſtingui, ſed potiùs in ea

AD 1.

AD 2.

AD 3. includi, vel sub ea comprehendi. Ad tertium respondetur, argumento isto non plus probari, quàm *Samuëlem* non fuisse Sacerdotem ex prærogativa originis; cum quo benè stat eum fuisse Sacerdotem ex privilegio Numinis. Neque enim Deus legem condendo, ademit sibi potestatem in eadem dispensandi. Quâ potestate usurum se prædixit, quando, im- 1. Reg. 2. 35. minente jam ruinâ domûs *Heli*, dixit: *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem*. Quid est *suscitabo mihi*, nisi, Ego ero author Sacerdotij ejus, meo gratioso privilegio; non lex à me olim condita, suo consueto præscripto? Et sanè cùm Augustinus, Isidorus, Beda, Rabanus, & Angelomus superiori capite relati, peculiare mysterium figurationis Sacerdotij Christiani constituunt in hac assumptione *Samuelis* ad Sacerdotium, sibi ex vi originis indebitum: mirum est, indidem à Recentioribus impugnari *Samuelis* Sacerdotium, unde juxta Veteres specialem habet analogiam cum Christi Sacerdotio, & specialem energiam Hebr. 7. 14. prænotandi idem Christi Sacerdotium: *Manifestum est enim*, ut monet Apostolus, *quòd ex Iuda ortus est Dominus noster: in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est*. Ut igitur *Samuël* suo Sacerdotio luculentiùs exprimeret Christi Sacerdotium, *suscitatus est à Deo* in Dei Sacerdotem, cùm ex alia esset familia, quàm legalium Sacerdotum. Cæterùm quia non pauci eorum quos præcedenti capite pro Sacerdotio *Samuëlis* suffragantes adduximus; non qualecunque Sacerdotium, sed summum ei attribuunt; ad locum Ecclesiastici pro contrario adductum responderi potest dupliciter: Primò dicendo sermonem ibi esse non de Pontificia dignitate quoad suam substantiam, sed de quadam ipsius cæremonia separabili à substantia: atque adeò potuisse *Samuëlem* gerere Pontificatum, tametsi non induerit stolam aut mitram Pontificalem: sicut multi Cæsares gesserunt dignitatem imperialem, qui nunquam gestarunt coronam Augustalem: Romani item Pontifices à die electionis suæ accipiunt Pontificiam jurisdictionem, nondùm eis impensâ cæremoniâ coronationis. Secundò dicendo Ecclesiasticum loqui de gestatione stolæ & mitræ juxta dispositionem juris ordinarij, abstrahendo à privilegijs ac dispositionibus extraordinarijs. Nam & eodem ipso capite loquens de *Phinees* nepote *Aaronis*, asserit Deum statuisse ei testamen- Eccli. 45. 30. tum pacis, *Vt sit illi & semini ejus Sacerdotij dignitas in æternum*: & tamen constat Sacerdotij dignitatem, sive summum Synagogæ Pontificatum, propter incidentes rationes, Deo sic disponente, hæsisse aliquandiu in familia *Ithamari*, excluso intereà semine *Phinees*. Sicut igitur Ecclesiasticus posteriori isto loco attendit ad dispositionem juris ordinarij, dissimulatis privilegijs ac dispensationibus extraordinarijs, ita & priori loco.

XXII. Alterum impugnationis caput suffragio nititur Hieronymi, & veteris Quæstionarij. Sed hujus posterioris authoritate non est quòd deterreamur, quippe quem jam pridem Schola Lovaniensis, complurium errorum reum, in Appendicem tomi quarti Operum Augustini, tanquam Pseudo-epigraphum, & non solùm Augustino, sed & Catholicæ Fidei multimodè adversum, rejecit, ut §. 16. indicatum fuit. Nullo certè modo placet Hieronymo ejus hominis societas: M. qui, ut ipse ait, imperitus sermone & M. Hieron. Epist. 126. „ scientiâ, tanto supercilio & authoritate *Mel-* „ *chisedechum Spiritum Sanctum* pronuncia- „ vit, ut illud verissimum comprobarit, quod „ apud Græcos canitur: *Imperitia confidentiam, eruditio timorem creat*". Nihil ergò mirum si hæreticus ille Quæstionarius q. 46. perperàm *Samuëlis* Sacerdotium abjudicavit, qui inferiùs qu. 109. tanto supercilio Spiritum Sanctum in ordinem Sacerdotum depressit, ut ne summum quidem, sed duntaxat *Secundum Sacerdotem* eum pronunciarit. Spreto igitur istius authoris suffragio, ad Hieronymi authoritatem respondendo dicimus, Hieronymum hac in re fuisse varium, adeoque neutri sententiæ firmiter adhæsisse, sed utramque pro re nata tanquam probabilem adhibuisse: affirmativam quidem in Epistola ad Damasum superiùs §. 15. citatâ; atque etiam alibi, ut perhibet ejus Scholiastes ibidem relatus; negativam verò in Opere adversus Jovinianum, qui volens Sacerdotes Christianos ad matrimonia contrahenda pellicere, exemplum *Samuëlis* Sacerdotis olim uxorati obtendit. Cui Hieronymus dupliciter obviat; Primò quidem negando *Samuëlem* fuisse Sacerdotem, sed Levitam; tum propter argumenta §. 20. à nobis commemorata, & §. 21. diluta; tum etiam quia de eo scriptum est, quòd *Ministraverit ante Dominum, puer,* 1. Reg. 2. 18. *accinctus Ephod lineo*. N. Qui habitus, ait ille, N. Hieron. l. 1. adversus Iovin. c. 23. „ propriè Levitarum est, & minoris ordinis". Secundò, negando consequens esse, ut si Sacerdotes Moysaici fuerunt uxorati, etiam Euangelici uxores ducant. Unde addit ibidem inferiùs de Moysaicis: " Rectè „ nobis opponerentur, si errore *Encratitarum* „ ducti contenderemus matrimonia repro- „ banda, & non esset noster Pontifex secun- „ dùm ordinem Melchisedech, *Sine patre,* Heb. 7. 3. „ *sine matre, sine genealogia*, hoc est, sine nu- „ ptijs. Et reverà magnos fructus ex liberis „ *Samuël* cepit: ut quia ipse placuit Deo, tales genuerit, qui Deo displicerent". Quibus verbis annuit adversario *Samuëlem* fuisse Sacerdotem, uti fuerunt alij Moysaici; sed ne-

gat

gat ejus nuptias præjudicare cælibatui Sacerdotum Euangelicorum, quorum utique Pontifex non fuit secundùm ordinem *Aaron* uxorati, sed secundùm ordinem *Melchisedech*, qui dictus est *sine genealogia*, id est, sine nuptijs. Cui responsioni consonum est quod ibidem superiùs idem Hieronymus præmiserat his verbis:" Si autem *Samuël* nutritus in tabernaculo duxit uxorem, quid hoc ad præjudicium virginitatis? Quasi non hodie quoque plurimi Sacerdotes habeant matrimonia, & Apostolus Episcopum describat *Vnius uxoris virum, habentem filios cum omni castitate*". Cùm igitur Hieronymus unâ suâ responsione Sacerdotium *Samuëlis* abnuere, alterâ agnoscere videatur: omninò censendus est neutram contradictionis partem decisoriè astruere, sed utramvis arbitrio lectoris amplectendam relinquere. Quapropter cùm alibi illud determinatè astruat, ut §. 15. visum est: potiori sanè jure pro nostra, quàm pro adversa sententia citatur. Neque verò argumentum ex gestatione *Ephod linei*, ab ipso formatum, multùm premit; tum quia non soli Levitæ, sed etiam Sacerdotes utebantur *Ephod lineo*, prout patet ex eodem Regum libro, ubi legitur quòd Doëg Idumæus jussu *Saulis* Regis *irruit in Sacerdotes, & trucidavit in die illa octoginta quinque viros vestitos Ephod lineo*. Unde Gregorius Nazianzenus §. 14. relatus, *Ephod Samuëlis* vocat *stolam sacerdotalem*: eumque secuti sunt Theodoretus & Procopius in lib. 1. Regum: quorum sententiam latè propugnat Didacus del Castillo in caput 28. Exodi v. 6. q. 11. Tum denique quia etsi *Samuël* in pueritia gestasset *Ephod lineum*, Levitis proprium; nihil tamen vetat, quin è pueritia egressus Sacerdotium susceperit, ac Sacerdotale Ephod gestaverit. Neque enim sine causa illis verbis, *accinctus Ephod lineo*, Scriptura præmisit vocem, *puer*: sed voluit denotare ætatem *Samuëlis*, habitum illum lineum gestantis; ut vel hinc colligeremus Scripturam non describere vestem ejus virilem, sed duntaxat puerilem.

1 Tim. 3. 2. & 4.

1. Reg. 22. 18.

Nazianzenus.

Vide Ioseph. lib. 6 Antiquit. c. 15.

1. Reg. 22. 18.

XXIII. Postremum impugnationis caput nititur Recentiorum sagaciori indagine, sive, ut Salianus ait, accuratiori inspectione: o. *Et veritati*, inquit ille, *omnes nunc qui rem accuratiùs inspexerunt, ultrò assentiuntur*. Sed cùm ille nullum hujus *accuratioris inspectionis* indicium protulerit, eâdem facilitate negatur, quâ obtenditur: quinimò potiori iure exploditur, quàm asseritur. *In antiquis*, ait Scriptura, *est Sapientia*. Et Beatus Basilius, p. Veneranda, inquit, sunt vetusta dogmata, & ob ipsam antiquitatem, ceu canitiem quandam, habent quiddam reverendum". Quod secum expendens doctus quidam Theologus, ait: q. Quis sum ego, ut effundam spiritum coram Patribus meis, & Senioribus Israël? Docere magistros, arguere seniores, imperare majoribus, superbi spiritûs est, & de semetipso præsumentis". Itaque *Samuëlis* Sacerdotio tot veterum Tractatorum suffragijs stabilito refragari, durum est: contrariam assertionem pro *certissima* venditare, superciliosum: pauculis neotericis *accuratiorem inspectionem* arrogare, temerarium. Sed benè habet, quòd nec ipse Salianus in sua assevèratione obstinatus perstiterit, sed eodem propemodùm loco, prolatis in medio Pseudo Hieronymi verbis §. 15. descriptis, subdiderit: r. Hæc Sanctus Hieronymus, volens *Samuëlem* privilegio divino factum extra ordinem Sacerdotem: quo ferè modo Paulus factus est Apostolus, etsi in duodenario illo numero non fuerit. Et in hanc sententiam interpretari possumus eos omnes Patres, qui *Samuëlem* Sacerdotem dixêre. Hoc extraordinarium *Samuëlis* Sacerdotium amplectitur Serarius noster". Imò & tu ipse amplecteris, Saliane, cùm inferiùs ad annum Mundi 1962. n. 54. sic scribis:" *Samuël* in excelso urbis loco excitarat altare, ubi & tanquam extraordinarius Sacerdos sacrificaverat". Tandem igitur habemus ipsum etiam Salianum nostræ sententiæ suffragatorem: neque enim contendimus *Samuëlem* fuisse Sacerdotem ordinarium, sive ex communi legis præscripto promotum; sed extraordinarium, sive ex peculiari Numinis privilegio provectum. Ex communi quippe legis præscripto Sacerdotium fuisse familiæ Aaronicæ adstrictum, patet ex Scripturis §. 20. relatis: nihilominùs, ut quidam ait, s. Non ita fuit addictum domui *Aaron*, quin aliquando aliquis de domo *Caath* illo functus fuerit: ut vir ille sanctissimus ac illustrissimus *Samuël*. Quem ritè, optimè, & sapienter, asserunt ferè omnes antiqui Patres, non solùm supremi judicis, sed etiam Sacerdotis dignitatem habuisse. Notent hoc illi, qui contra tantam testium nubem contrarium audentes asserere, magnis premuntur angustijs". Et profectò mirum videri potest, tantopere à quibusdam urgeri sanctionem legis, adversus Sacerdotium *Samuëlis*; admittentibus tamen sacrificationem ejusdem *Samuëlis*, æquè vetitam sanctione ejusdem legis. Nam si legislator dispensatoriè permisit *Samuëlem* sacrificare, contra usitatum legis præscriptum; cur negatur dispensatoriè permisisse eundem sacerdotio initiari, contra ejusdem legis præscriptum? Lex quippe ubi unum prohibuit, ibi alterum pariter prohibuit. Nam ubi Deus Moysi dixit, *Aaron & filios eius constitues super cultum Sacerdotij* ibidem

O. Salianus suprà §. 12.

P. Ec. 12. 12.

P. Basil. l. de Spiritu Sancto c. 29.

Q. Hugo Victorin l. 3. Miscell. c. 2.

R. Salian. ad Annum Mundi 2940. n. 8.

Serarius.

S. Bouldacus lib. 1. de Ecclesia ante legem cap. 17.

Num. 3. 10.

quoque

quoque continuò ſubjunxit, *Externus qui ad miniſtrandum acceſſerit morietur.*

XXIV. Quoniam video nonnullos contra Sacerdotium Samuëlis allegare authoritatem Angelici Doctoris, ex Commentario ipſius in caput 7. Epiſtolæ ad Hebræos; ubi tra- Heb. 7. 12. ctans illa Apoſtoli verba, *Translato Sacerdotio, necesse eſt ut & legis tranſlatio fiat*, videtur adverſæ nobis ſententiæ patrocinari: idcircò ante hujus capitis terminationem excutiendus eſt ſcrupulus iſte. Verba itaque Sancti Doctoris, in ſpeciem nobis contraria, ſunt hæc: T. D.Thom. in caput 7. ad Hebræos Lect. 2. "Gloſſa dicit hic, quòd iſta *translatio* „ *Sacerdotij* fuit figurata 1. Reg. 2. quando „ Sacerdotium fuit tranſlatum ad *Samuëlem*, „ qui non fuit de tribu *Levi*. Contrà: quia *Sa-* „ *muël* non fuit Sacerdos. Immò magis hoc „ fuit figuratum in tranſlatione Sacerdotij „ *Abiathar* ad *Sadoc*, qui etiam erat Levita". In quibus verbis peculiariter notanda eſt illa clauſula, *Samuël non fuit Sacerdos*: quæ directè adverſatur noſtræ ſententiæ, ſuperiori capite traditæ. Verùm qui hunc locum objiciunt, non ſatis advertunt, quæſtionem iſtìc à Divo Thoma ventilari, non decidi. Continuò quippe ſubnectuntur ibidem hæc verba, quæſtionis jam ventilatæ deciſionem ſecundum noſtram ſententiam continentia:" Et dicendum eſt, quòd licèt *Samuël* „ non eſſet Sacerdos (*ſecundum originis ſcilicet* „ *prærogativam, ſive iuxta legis præſcriptum*) „ tamen aliquid ſacerdotale egit: quia & ſa„ crificium obtulit, & Reges unxit, ſcilicet „ *Saul & Davidem*: & quantum ad hoc, tranſla„ tum eſt Sacerdotium ad ipſum. Et ſic dici„ tur in Pſalmo 98. *Moyſes & Aaron in Sacer-* Pſal. 98. 6. „ *dotibus eius, & Samuël inter eos qui invocant nomen eius*" Non igitur decidendo, ſed adversùs gloſſam abs ſe adductam objiciendo, adeoque quæſtionem ventilando, ait Angelicus Doctor, *Samuël non fuit Sacerdos*: ſiquidem in ſubſequente mox quæſtionis determinatione, Sacerdotium ejus aſtruit tribus argumentis: primò quidem quia *ſacrificium obtulit*, ſecundò item quia *Reges unxit*, tertiò demùm quia *Moyſi* & *Aaroni* Sacerdotibus connumeratur, cùm dicitur: *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus eius, & Samuël inter eos qui invocant nomen eius* Unde etiam annuit Gloſſographo tranſlationem Sacerdotij factam fuiſſe in ipſum, utique ad præfigurandum tranſlationem futuram in Chriſtum. Nec obſtat quòd non videatur ſimpliciter, ſed duntaxat cum aliquo adjecto, aſtruere Sacerdotium *Samuëlis*. Hoc quippe ideò facit, quia *Samuëli* quidpiam deerat, quod lex in Sacerdotibus exigebat, prognatio nimirùm ex ſtirpe *Aaronis* ſecundum carnem.

CAPVT SEXTVM.

Cùm Samuel tam multiformiter prætulerit typum Chriſti, amictus ejus per Saulem diruptus conſentaneè figuravit veſtem Chriſti. Expenditur prophetia Patriarchæ Iacob de Chriſto, Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum. *Chriſti apparitio Petro Alexandrino per martyrium conſummando facta memoratur, & ejuſdem apparentis teſtimonio Eccleſiam eſſe ipſius veſtem evincitur.*

XXV. EX dictis abundè probatum habemus, *Samuëlem* cum alijs compluribus characteriſmis ſuis, tum ſignanter Sacerdotio ſuo, & quidem ſummo, figuraſſe Chriſtum. Conſequens proinde eſt, ut, proſequendo ordinem §. 7. præſtructum, indagemus quid figuraverit ejuſdem *Samuëlis* amictus, à Rege *Saulo* diſciſſus. Porrò cùm jam monſtratum ſit *Samuëlem* ipſum figuraſſe Chriſtum, conſectarium prorſus eſt amictum ejus figuraſſe veſtimentum Chriſti. At quodnam tandem eſt iſtud? Non deerit forſan qui au- Ioan. 19. 23. tumet eſſe illud, quod *Milites* ſub cruce *diviſerunt*, vel certè ſuper quo ſortem miſerunt. Verùm cùm hoc ipſum Chriſti veſtimentum myſtico etiam ſuo ſignificatu gravidum fuerit, atque adeò aliam quampiam ejuſdem Chriſti veſtem allegoricè figuraverit; non eſt in illo finaliter ſiſtendum, ſed in hac ulteriori indagandâ pergendum. Hujus verò notitia non aliundè meliùs aut certiùs hauriri poteſt, quàm ex iiſdem fontibus, unde in præcedentibus notitia tam *Samuëlis* figurantis, quàm Chriſti per eundem figurati, deprompta fuerat: ex Scripturis nimirùm divinis, & myſticis earundem Interpretibus. Quibus pro complemento ipſum Chriſtum adjiciemus, *Teſtem in cælo fidelem*: qui cùm Pſal. 88. 38. univerſa ſeipſum concernentia pleniſſimè planiſſimeque pernoſcat, Veſtem certè ſuam nequaquàm ignorat.

XXVI. In veteri illa ac celebri Prophetia, quâ *Iacob* Patriarcha propediem de corpo-

corporis ergastulo migraturus benedixit fi-
lijs suis, præsentes tangens, futura prospiciens,
ubi pervênit ad Judam, ordine quartum,
ait non tam de ipso, quàm de Christo è stirpe
Gen.49.11. ejus olim nascituro: *Lavabit in vino stolam*
suam, & in sanguine uvæ pallium suum. In quem
V Iustinus Apologia 2. pro Christianis. locum Iustinus Martyr[V]. Quæ à divino Spi-
,, ritu, inquit, per Prophetam dicta est *stola*,
fideles ejus sunt". Et rursùs in Dialogo cum
Tryphone Iudæo: "*Stolam* ejus, inquit, Spi-
,, ritus Sanctus eos qui per illum acceperint
,, remissionem peccatorum vocavit: in qui-
,, bus continenter virtute adest, manifestò
,, autem aderit in secundo adventu. Quòd
,, verò *Sanguinem uvæ* dicit, pereleganter
,, declarat, Sanguinem quidem habere Chri-
,, stum, verùm non ex hominis semine,
,, sed ex Dei virtute. Quemadmodùm enim
,, vitis Sanguinem non homo creavit, sed
,, Deus: sic & ipsius Christi Sanguinem non
,, ex humano germine, sed ex Dei virtute
fore prædixit". *Stola* igitur Christi, fideles
ejus sunt, sive Ecclesia ex fidelium coaduna-
tione coalescens. Hanc *lavit in vino*, quatenùs
calice passionis suæ sordes peccatorum nostro-
Apoc. 1. 5. rum abstersit, sicut scriptum est: *Lavit nos à*
peccatis nostris in sanguine suo. Qui sanguis id-
circò *vinum* dictus est, quia non ex humani
seminis commixturâ, ut aliorum hominum
sanguis; sed de divinæ irrorationis influentiâ,
W Ambros. lib. de Benedict. Patriar. cap.4. ut vinum in uvis, originem traxit: [W]. Lavit
,, ergò JESVS, inquit Ambrosius, *stolam suam*;
,, non ut suam, quæ non erat, sed ut nostram,
,, quæ erat, sordem ablueret. Denique addi-
,, tur, *Et in sanguine uvæ anaboladium suum*,
,, hoc est, in passione corporis sui diluit Gen-
,, tes suo sanguine. Etenim Verbi *anabola-*
Isa.49. 18. ,, *dium* Gentes sunt, sicut scriptum est: *Vivo*
Psal. 101.27. ,, *ego, dicit Dominus, nisi omnes eos induam sicut*
,, *vestimentum.* Et alibi: *Sicut amictum muta-*
bis eos, & mutabuntur".

XXVII. Eandem hanc interpretationem
varijs locis tradit Augustinus, ut cùm de
X. Aug. l. 16. de Civit. cap. 41. Salvatoris *stola* loquens ait: [X]. *Stola* ejus,
,, quam *lavit in vino*, id est, mundavit à pec-
,, catis in sanguine suo, cujus sanguinis Sacra-
,, mentum baptizati sciunt; unde & adjun-
,, git, *Et in sanguine uvæ amictum suum*, quid
est, nisi Ecclesia"? Cùm item alibi de ea-
Y. Idem l. 12 Contra Faustum c. 42. dem *stola* differens ait: [Y]. Ipsa est gloriosa
,, Ecclesia, quam sibi exhibet non habentem
,, maculam aut rugam: cui dicitur per Isaiam,
Isa. 1. 18. ,, *Si fuerint peccata vestra sicut phœnicium, tan-*
,, *quam nivem dealbabo.* Unde, nisi de dimissis
,, peccatis? In quo ergò *vino*, nisi illo de quo
,, dicitur, quòd *Pro multis effundetur in remissio-*
Mat.26. 28. ,, *nem peccatorum*? Ipse est enim botrus ille,
,, qui pependit in ligno: propterea & hic
Gen.49 11. ,, vide quid adjungat, *Et in sanguine uvæ ami-*
ctum suum". Cui consonans Isidorus Hispa-
lensis: [Z]. *Lavabit in vino*, inquit, *stolam suam*, Z. Isidor in Comment. super Genesim cap.31.
,, sive carnem suam in sanguine passionis, sive
,, Sanctam Ecclesiam in illo vino, quod *pro*
,, *multis effundetur in remissionem peccatorum*.
,, Unde sequitur, *Et in sanguine uvæ pallium*
,, *suum*: pallium Gentes sunt, quas corpori suo
,, conjunxit, sicut scriptum est: *Vivo ego dicit*
,, *Dominus, nisi hos omnes induam sicut vestimen-*
,, *tum.* Nos quippe Christus suo sanguine mun-
,, davit, quando sicut botrus in ligno crucis
pependit". Eadem Interpretatio ijsdem penè
verbis habetur apud Bedam in Commenta- Beda.
rio super Genesim cap. finali, & apud Raba- Rabanus.
num lib. 4. in Genesim cap. 15. Qui videri præ-
tereà potest lib. 1. de universo cap. 2. Extat
quoque inter Opera Augustini, in Appendi-
cem nunc tomi 4. per Censores Lovanienses
rejectus, libellus Pseudo-epigraphus, *de essen-*
tia divinitatis inscriptus, cujus verus author,
pro magna saltem parte, fuisse perhibetur Eu- Eucherius.
cherius Lugdunensis, qui & titulum ei præ-
fixit, *De formulis spiritalis intelligentiæ*, ubi ad
præsentem nostrum scopum hæc leguntur:
,, Vestimentum filij Dei aliquando caro ejus,
,, quæ à divinitate assumpta est, in divinis
,, libris figuraliter accipitur: de quo indu-
,, mento carnis ejus Isaias Propheta vatici- Isa 63.1.
,, nans ait, *Quis est iste, qui venit de Edom, tin-*
,, *ctus vestibus de Bosra?* Rursùm vestimenta
,, ejusdem Domini, Sancta accipitur Ecclesia;
,, quæ per fidem & dilectionem ei conjuncta
,, est, de qua in Psalmo scriptum est, *Dominus* Psal. 92. 1.
,, *regnavit, decorem indutus est*: & in alio Psalmo
,, ad ipsum Dominum, *Confessionem & decorem* Psal. 103.2.
,, *induisti, amictus lumine sicut vestimento.* Pal-
,, lium Dei antedicta Ecclesia rectè intelligi-
,, tur, de qua in libro Genesis scriptum est, Gen.49.11.
,, *Lavabit in vino stolam suam*, hoc est, in san-
,, guine passionis carnem suam: *& in sanguine*
uvæ pallium suum, id est, Ecclesiam". Huic item
proposito Beatus Prosper accommodat illud
Psalmographi de Deo, *Qui dat nivem sicut la-* Psal. 147 16. A Prosp in Psal 147. Vide Aug. in eund. Psalm. & in Psalm. 90. v. 9.
nam: [A]. Per vellera nivium, inquiens, vocatio
,, Gentium figuratur, quæ ad conficiendum
,, vestimentum Christi, QUOD EST EC-
,, CLESIA, in unum confluit, & in idipsum
,, tota contexitur, non habens maculam aut
,, rugam, sed in illa puritate mansura, quæ
,, æternâ glorificatione resplendeat, sitque
,, in ea compage de qua dicitur, *Dominus ami-* Psal. 103. 2.
,, *ctus lumen sicut vestimentum.* Ad quod signi-
,, ficandum pertinuit, quòd vestis Christi
,, transfigurati in monte, *Sicut nix* legitur *re-* Mar. 9. 2.
fulsisse". Consonat denique Petrus Damiani,
cùm in specie tractans de pallio *Samuëlis* per
Saulem scisso: [B] Porrò, inquit, sicut pallium B. Petr. Damiani lib.7. Epist.1.
,, illud vestis erat *Samuëlis*, sic & Sancta Ec-
,, clesia vestis est utique Redemptoris, cui
,, per prophetam dicitur, *Confessionem &*
,, *decorem induisti.* Confessionem quippè,
Domi-

„ Dominus induit, cùm sibi peccatores asso-„ciat pœnitendo sanatos; decorem verò „ cùm sibimet clementer agglutinat innocentes nitore justitiæ speciosos". Qui rursùs Serm. 18 de Inventione Sanctæ Crucis: „ Stola Christi, inquit, & pallium, multitudo „ est Gentium: quas tunc Dominus induit, „ quando sibi eas per gratiam redemptionis „ adjunxit, sicut per Prophetam pollicetur, „ dicens: *Vivo ego, dicit Dominus nisi hos omnes induam sicut vestimentum*. Stolam ergò „ suam Dominus in vino, & pallium in San-„ guine uvæ lavit, quando sicut botrus in Crucis ligno pependit". (Isaias 49. 18)

XXVIII. Habemus demùm pro hac interpretatione suffragium ipsius Christi Domini, omni exceptione majus; qui cùm sit Dei Sapientia, & Prima Veritas, nec falli potest nec fallere: cui proinde vestem suam designanti nefas fuerit discredere. Historia ad longum refertur in Actis Martyrij Beati Petri Alexandrini, apud Cardinalem Baronium Tomo Annalium 3. ad annum Christi 310. & summariè recapitulatur in Breviario Romano ad diem 26. Novembris, hisce verbis: „ Petrus Episcopus Alexandrinus, post Theo-„ nam virum Sanctissimum, Sanctitatis & „ doctrinæ splendore non solùm illustravit „ Ægyptum, sed toti luxit Ecclesiæ Dei. „ Qui in persecutione Maximiani Galerij illam „ temporum acerbitatem ita pertulit, ut multi „ admirabilem ejus patientiam intuentes, plu-„ rimùm in Christiana virtute proficerent. „ Is primus Arium, Diaconum Alexandri-„ num, propter schisma Meletianum, cui „ savebat, à fidelium communione sejunxit. „ Ad eum, capitis ab eodem Maximiano „ damnatum, in carcere, cùm Achillas & „ Alexander, presbyteri, deprecatores Arij „ venissent, respondit: Noctu apparuisse sibi „ IESUM, veste discissâ; causámque rei sciscitanti dixisse: *Arius vestem meam, QUÆ EST ECCLESIA, dilaceravit*". Quibus finalibus verbis decisa manet secundâ ista quæstio, quâ petebatur, *Quid Samuëlis amictus à Rege Saule discissus mysticè figuraverit?* Nam cùm ipse Samuël figuraverit *Christum*, adeóque vestis ejus vestem *Christi*: proculdubiò vestis *Samuëlis* figuravit Ecclesiam, declarante *Christo* vestem suam esse Ecclesiam. (Breviari. Roman. — Petrus Alexand. — Christus.)

CAPUT SEPTIMUM.

Samuëlicæ diploidis ruptura per Saulem facta, figuravit Ecclesiæ scissuras per Schismaticos invectas. Quemadmodum hæresis adversatur fidei, ita Schisma charitati, membra Ecclesiæ compaginanti. Schismatici cur Segreges, *&* filij subtractionis *dicti? Hæretici eo ipso Schismatici fiunt, quo ab Ecclesiasticæ unionis compage desciscunt. Tunica Christi inconsutilis desuper contexta quid portenderit? Ecclesia permanet una, non obstante Schismaticorum discidio; sicut & virgo, non obstante hæreticorum adulterio. Hæreticorum ac Schismaticorum cœtus nequaquàm sunt Ecclesiæ. Comparantur radijs à Sole avulsis, & rivis à fonte præcisis. Quicquid à matrice discedit, substantiam salutis amittit, vivere spiraréque nequit.*

XXIX. Succedit nunc ordine quæstio tertia, quâ petitur, *quid portenderit Samuëlicæ diploidis scissio?* Est autem ex dictis obvia solutio, portendisse schismata quibus Ecclesiæ unitas dirumpitur, ipsáve Ecclesia in partes aut factiones distrahitur. Si enim *Samuel* figuravit Christum, & ipsius diplois vestem Christi: profectò cùm Christi vestis sit Ecclesia, planum fit, scissionem diploidis Samuëlicæ figurasse diruptionem unitatis Ecclesiasticæ. Hæc porrò diruptio Græco quidem vocabulo, sed tamen à Latinis passim jam frequentato, *Schisma* nuncupatur; quod Scissuram sonat, prout testatur Pelagius Papa apud Gratianum relatus: C. *Schisma*, inquiens, „ quod Græcum nomen est, scissuram so-„ nat". Et Isidorus Hispalensis: C. *Schisma*, in-„ quit, à scissura animorum nomen accepit. „ Eodem enim cultu eodémque ritu credit „ ut cæteri, solo congregationis delectatur „ dissidio". Ubi *Schismatis* nomen restrictè usurpatur, prout contra hæresim & Apostasiam secernitur, etiamsi in materia religionem concernente versetur: alioqui laxiori significatu *Schismatici* dici possunt, qui ab Ecclesiæ communione quomodolibet desciscunt; de quibus ait Judas in sua Canonica: *Hi sunt, qui segregant semetipsos.* Cui consonans Petrus ait de eisdem, *Derelinquentes viam rectam erraverunt.* Eosdem & Paulus vocabulo satis apposito *Filios subtractionis* appellat: (C. Pela Papæ causa 24. q. 1. c. Schisma. — C. Isidor. lib. 8. Orig. cap. 3. — Iud. v. 19. — 2. Pet. 2. 15. — Heb. 10. 39.)

appellat: quia nimirum semetipsos subtrahunt pristinæ fidelium societati, dirumpentes unitatem. Faciunt id apostatæ, faciunt hæretici; & ideircò utrique, secundùm communem vocis notionem, *Schismatici* dici queunt: E. Hæresis, inquit Thomas, per se opponitur fidei, schisma autem per se opponitur unitati Ecclesiasticæ charitatis: & ideò sicut fides & charitas sunt diversæ virtutes, quamvis quicunque caret fide careat charitate; ita etiam schisma & hæresis sunt diversa vitia, quamvis quicunque est hæreticus, sit etiam Schismaticus". Quòd si omnis hæreticus sit Schismaticus, pari certè vel potiori jure omnis Apostata est Schismaticus: siquidem apostasia includit infidelitatem hæreseos, eique circumstantiam aggravantem superadjicit. Undè & idem Thomas ibidem superiùs q. 12. art. 1. ad 3. præmiserat: "Apostasia respicit infidelitatem ut terminum, ad quem est motus recedentis à fide. Unde apostasia non importat determinatam speciem infidelitatis, sed quandam circumstantiam aggravantem, secundùm illud 2. Petri 2. *Meliùs erat illis veritatem non cognoscere, quàm post cognitam retroire*".

E D. Thom. 2. 2 q. 10. a. 1. ad 3.

OBIECTIO.

XXX. Difficultas nonnulla moveri hìc potest, quomodò nimirum prædicta Samuelicæ diploidis scissio præfigurarit Ecclesiasticæ unitatis scissuras, cùm Ecclesia ex sua natura & institutione ita sit una, ut non possit suâ unitate destitui, quin pereat? Unde non obstantibus quibuslibet Schismaticorum, hæreticorum, apostatarum, aut quorumvis aliorum adversariorum infestationibus, manet jugiter eadem Christianæ professionis normula, quâ profitemur, *Nos credere unam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Si autem *unam*, proculdubiò indivisam: nam divisione tollitur unitas, & inducitur pluralitas. Cùm igitur Ecclesia jugiter perseveret *una*, consequens profectò est, ut similiter perseveret indivisa. Atque hujus rei typum agnoscunt communiter Interpretes *in tunica Christi inconsutili, desuper contexta per totum*, quæ neutiquam divisa, sed sorti submissa fuit, dicentibus ad invicem militibus de ea: *Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit*: F. Quia Christi populus, inquit Cyprianus, non potest scindi, tunica ejus, per totum textilis & cohærens, divisa à possidentibus non est: individua, copulata, connexa ostendit populi nostri, qui Christum induimus, concordiam cohærentem; Sacramento vestis & signo declaravit Ecclesiæ unitatem. Quis ergò sic est sceleratus & perfidus, quis sic discordiæ furore vesanus, ut aut credat scindi posse, aut audeat scindere unitatem Dei; vestem Domini; Ecclesiam Christi"?

Joan. 19. 23.

Ibid. v. 24.

F. Cyprian. l. de Unitate Ecclesiæ. Vide August. Tract. 13. & 118 in Ioannem.

SOLVTIO 1.

XXXI. Hæc difficultas dupliciter expediri potest: Primò quidem dicendo, Samuëlicæ diploidis scissionem figurasse Ecclesiæ divisiones, non reipsâ à Schismaticis perficiendas, sed sacrilego saltem nisu attentandas: apud Deum quippe, quemadmodùm in bonis; ita & in malis, reputatur pro facto voluntas, ubi deest perficiendi sive exequendi potestas. Sic Tertullianus lib. de Carne Christi cap. 5. hæreticum vocat *interfectorem veritatis*, non quòd reipsâ veritatem ille interficiat; sed quòd, irrito licèt conatu, interficere tentet. Sic item lib. de Præscript. cap. 44. dicit, *hæreticos Ecclesiam stuprasse adulterio, virginem traditam à Christo*, non quòd effectualiter virginitatem Ecclesiæ abstulerint, sed quòd affectualiter auferre sategerant. Hanc solutionem confirmat locus Irenæi, qui enumerans varia genera impiorum quos Dominus in extremo judicio condemnaturus est, ait inter alia: G. Judicabit & eos qui *schismata* operantur; qui sunt inanes; non habentes Dei dilectionem; suamque utilitatem potiùs considerantes; quàm unitatem Ecclesiæ: & propter modicas quaslibet causas magnum & gloriosum corpus Christi conscindunt & dividunt, &, quantum in ipsis est, interficiunt". Judicandi itaque sunt Schismatici, etiam pro ijs, quæ etsi non reipsâ exequantur, saltem affectu & nisu exequi moliuntur, &, *quantum in ipsis est*, operari nituntur. Etenim, ut Augustinus perhibet: H. Malâ voluntate, vel solâ, quisque miser efficitur". Secundò, eadem difficultas expediri potest, dicendo, Schismaticos Ecclesiam reipsâ scindere eatenùs, quatenùs ab eâ partem aliquam fidelium sibi cohærentem, vel saltem seipsos, amputant; ipsâ interim suam unitatem, etsi non pristinam integritatem, retinente. Hanc solutionem innuit Cyprianus, cum ait: I. Ecclesia una est, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur: quo modo Solis multi radij, sed lumen unum; & rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum; & cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licèt diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium Solis à corpore, divisionem lucis unitas non capit; ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit; à fonte præcide rivum, præcisus arescet: sic & Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur; ramos suos in universam terram copiâ ubertatis

Tertullianus.

G Iren. l. 4. cap. 60.

H August. lib. 13. de Trin. cap. 5.

SOLVTIO 2.

I. Cyprian. lib. de Unit. Ecclesiæ.

„ ubertatis extendit, profluentes largiter ri„ vos latiùs expandit; unum tamen caput est, „ & origo una, & una mater, fœcunditatis „ successibus copiosa: illius fœtu nascimur, „ illius lacte nutrimur, spiritu illius animamur". Quamvis igitur Schismatici non ita scindant Ecclesiam, ut pars abscissa vel avulsa constituat partialem Ecclesiam, quæ cum ea à qua fuerat avulsa totalem jam compleat atque integret Ecclesiam: nihilominùs ita eam scindunt, ut pars quædam Ecclesiæ ipsâ avulsione desinat esse de Ecclesia. Unde Chrisostomus loquens de Schismaticis: [K] Schis„ matis emphasis, inquit, & ipsum nomen, „ sufficiunt ad eos arguendos: non enim „ multæ factæ fuere partes integræ, sed una „ perijt. Nam si Ecclesiæ essent integræ, „ multi essent cœtus: sin autem schismata, „ id est, sectæ seu scissuræ, unum perijsset: „ nam integrum quando fuerit in multa di„ visum, non solùm non multa fiunt, sed „ etiam unum perit. Talis est natura schismatum". Huc item spectat quòd idem Chrysostomus Homil. 11. in Epistolam ad Ephesios comparat Schismaticos membris de corpore humano excisis: & Augustinus lib. 1. de Symbolo ad Catechumenos cap. 6. sarmentis de vite præcisis. Unde & Cyprianus libro proximè citato addit inferiùs prope finem: " Deus unus est, & Christus unus, & „ una Ecclesia ejus, & fides una, & plebs „ in solidam corporis unitatem concordiæ „ glutino copulata. Scindi unitas non po„ test, nec corpus unum discidio compa„ ginis separari, divulsis laceratione viscerum „ bus in frusta discerpi. Quicquid à ma„ trice discesserit, seorsim vivere & spirare „ non poterit, substantiam salutis amittit". Patet igitur quomodo Samuëlicæ diploidis scissio figurare potuerit Ecclesiæ scissuras, sive à Schismaticis irritè attentatas, sive ab eisdem, suâ ipsorum attentatione pereuntibus, perpetratas. Porrò de hujus facinoris immanitate redibit inferiùs sermo, ubi de retaliatione Samuëlicæ diploidis scissori repensa tractabitur.

K Chrysost. Homil. 2. in priorem ad Corinth.

Cyprianus.

CAPUT OCTAVUM.

Rex Saul in seipso unus existens, multorum imagines mirâ actionum passionumque vicissitudine prætulit. In eo quòd unctus est, typum Christi gessit, & ob id etiam nomen Christi portavit. Christianos præterea eâdem suâ unctione figuravit; quos Paulus Unctos, *Petrus* Regale Sacerdotium, *Ioannes* Regnum & Sacerdotes *nuncupavit. Quatenùs Christiani sint Sacerdotes, quatenùs item Reges? Quid offerre debeant ut Sacerdotes, & quid sibi subigere ut Reges? Inter Saulis & Davidis inunctionem quoad mysticam præfigurationem quid intersit?*

XXXII. SUbsequitur nunc discutienda illa quæstio, ordine quarta, quâ interrogabatur, *quid figuraverit Saul, Samuëlica diploidis lacerator*? Respondet Isidorus: [L] In eo, inquiens, quòd „ unctus est, imaginem Christi portavit. „ Unde & Beatus David, qui & ipse nun„ cupatus est *Christus*, ait ad eum qui se fin„ xerat Saulem occidisse: *Quomodò non ti„ muisti manum tuam injicere in Christum Domini*"? Quia verò Isidorus non simpliciter, sed cum adjecto isto, *in eo quòd unctus est*, asserit Saulem *portasse imaginem Christi*: idcircò non solùm nos ad unam istam imaginem in ipso spectandam non coarctat, sed ad alias quoque indagandas latenter instigat. Quamvis ergò Saul, *in eo quòd unctus est*, *portarit imaginem Christi*, cui Psalmographus accinit, *unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis*: nihilominùs in eo quòd non pleno cornu, sed duntaxat *lenticulâ olei* inunctus sit; quòd Laicus, Sacerdotale officium usurpans, *obtulerit holocaustum*; quòd jussus à Deo *demoliri Amalec & universa eius*, non paruerit, sed *sermonem Domini abiecerit*; quòd Sacerdotis Samuëlis, sese increpantis, *pallium absciderit*; quòd ex probo improbus evaserit; quod regnum ritè partum prævaricando amiserit; quòd *Sacerdotes Domini occiderit*; quòd Davidem innocuum, typo Christi conspicuum, ac de se benè meritum iniquâ persecutione vexaverit; quòd contra Dei legem, in suis angustijs *Pythonissam consuluerit*; quòd super gladium suum perimendus *irruerit*; quòd denique Prophetam Sacerdotemque Domini jam pridem defunctum *inquietaverit*: non utique Christi, sed aliarum quarundam sive rerum sive personarum imaginem in se expressit, de quibus est modò differendum.

L. Isidor. in Comment. lib. 1 Reg. cap. 5. Vide Hugonem Victor. in librum 1. Reg. c. 32. Psalm. 17. 51. 2. Reg 1. 14.

Psalm. 44. 8.

1. Reg. 10. 1. 1. Reg. 13. 9. 1. Reg 15. 3. Ibid. v. 23. Ibid. v. 27. 1. Reg. 22. 18. 1. Reg. 28. 7. 1. Reg. 31. 4. 1. Reg. 28. 15.

XXXIII.

XXXIII. Ac inprimis tam *Saul* quàm *David*, in eo quòd uncti sunt oleo regali, præfigurarunt non tantùm Christum, *à Deo unctum oleo exultationis præ participibus suis*: sed ipsos etiam Christianos, ex quorum persona ait Apostolus, *Unxit nos Deus*. Cujus unctionis effectum expressit Apocalypticus vates, cùm loquens de Christo præ participibus suis uncto, *Fecit nos*, inquit, *regnum & Sacerdotes Deo & Patri suo*. Unde & Apostolorum Princeps Christianos alloquens: *Vos*, inquit, *genus electum. Regale Sacerdotium*. Quod quidem Sacerdotium innuit vel certè supponit Paulus, dum eosdem *Obsecrat, ut exhibeant corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium suum*: M. Unusquisque nostrum, inquit Origenes, habet in se holocaustum suum, & holocausti sui ipse succendit altare, ut semper ardeat. Ego si renunciem omnibus quæ possideo, & tollam crucem meam, & sequor Christum, holocaustum obtuli ad altare Dei: aut si tradidero corpus meum ut ardeam habens charitatem, & gloriam martyrij consequar, holocaustum me ipsum obtuli ad altare Dei: si diligam fratres meos, ita ut animam meam ponam pro fratribus meis; si pro justitia, pro veritate usque ad mortem certavero, holocaustum obtuli ad altare Dei: si membra mea ab omni concupiscentia carnis mortificavero, si mundus mihi crucifixus sit, & ego mundo, holocaustum obtuli ad altare Dei, & ipse meæ hostiæ Sacerdos efficior. Hoc ergò modo Sacerdotium geritur". Hæc ille de Sacerdotio Christianorum. Audi eundem Homil. 6. in librum Judicum, de eorundem regno ita disserentem: "Exulta popule Dei, audiens tuæ nobilitatis insignia. Cùm vocaris ad audiendum verbum Dei, non ut plebs, sed ut Rex vocaris: tibi enim dictum est, *Genus regale & Sacerdotale, populus in acquisitionem*. Ideò quia vos Reges estis, meritò Rex noster Christus Dominus, *Rex* dicitur *Regum, & Dominus dominantium*. Sed sicut exultatis de nobilitatis vestræ titulo, ita discere debetis quid agendo unusquisque vestrûm fiat Rex. Quod vobis ita breviter definiam: Regem te omnium facit, si regnet in te Christus. Rex namque à regendo dictus est: si ergò in te & animus regnet, & corpus obtemperet, si concupiscentias carnis sub jugum imperij tui mittas, si vitiorum gentes sobrietatis tuæ frænis arctioribus premas, meritò Rex diceris, qui te rectè agere noveris". Utramque Christianorum dignitatem, regalem scilicet ac Sacerdotalem, breviter complexus est venerabilis Beda, cùm ait: N. *Reges ac Sacerdotes* meritò omnes in Ecclesia perfecti vocantur, cùm sint membra Regis ac Sacerdotis summi; cùm se ipsos benè regere, cùm *sua corpora Domino hostiam viventem exhibere* didicerint". Et de eorundem regno signatè Augustinus ait cuilibet ipsorum: O. Noli aviditate imperandi ponere tibi ante oculos provincias latissimas, quà tua regna diffundas: terram, quam portas, rege. Audi Apostolum regentem terram: *Non sic pugno, quasi aërem verberans; sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo*". Et superiùs Enarrat. in Psalmum 67." Dicuntur Reges à regendo: & quid magis, quàm carnis concupiscentias; ne regnet peccatum in eorum mortali corpore, ad obediendum desiderijs ejus"? Et lib. 17. de Civit. cap. 4." Dat Deus, inquit, virtutem Regibus, qui carnem ut Reges regunt".

Heb. 1. 9.
2. Cor. 1. 21.
Apoc. 1. 6.
Rom. 12. 1.
M Origen. Homil. 9. in Levit.
Apoc. 19. 16
N. Beda in Prologo super Esdram.
O. August. in Psalm 72 prope fine.
1. Cor. 9. 26. & 27.
Vide Prosp. Sentent. 242.

XXXIV. *Saul* itaque & *David*, primus nimirùm & secundus Rex veteris populi Dei, suis respectivè unctionibus figurarunt hujusmodi Reges novi populi Dei; sed simul suâ dispari unctione figurarunt disparem sortem ejusdem novi populi Dei. *Saul* etenim, prout suprà jam advertimus, *lenticulâ olei* inunctus fuit; *David* autem *pleno cornu*. Mysterium Beatus Gregorius Papa jam pridem aperuit, dicens: P. Lenticulâ *Saul* ungitur, non pro præsignanda doctrina, sed ad exprimenda futura: lenticula siquidem parvum est vas. Quid ergò est quòd *lenticulâ olei Saul ungitur*, nisi quia in fine reprobatur? Nam quia obedire Deo posteà noluit, à Samuele audivit: *Quia projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus, ne sis Rex*. Velut enim *lenticula olei* parum habuit, qui spiritualem gratiam projiciendus accepit". Et mox iterùm ibidem post pauca:" Contrà autem, subdit, cùm electus Rex ungi præcipitur, eidem Prophetæ Dominus ait: *Imple cornu tuum oleo, & veni, mittam te ad Isai Bethleemitem; providi enim in filijs ejus mihi Regem*. Hinc est quòd idem electus Rex plenitudinem unctionis suæ Dei laudibus imputans ait: *Impinguasti in oleo caput meum, & poculum meum inebrians quàm præclarum est*! Qui ergò gratiam unctionis non perseveraturus accepit, dispensante Deo, per illius vasis liquorem ungitur, quo uncti defectio signaretur". Dum igitur *Saul* modico, & *David* copioso Chrismate inunguntur, typus editur eorum, qui nunc Christianismo initiantur; quorum aliqui velut lenticulâ olei, sicut *Saul*, illiti deficiunt; alij pleno cornu, instar Davidis, perfusi perseverant, aut si quando exorbitant, mox iterùm redeunt, & pristinum vel celsiorem gradum recuperant:

1. Reg. 10. 1.
1. Reg. 16. 1.
P. Greg. l. 4. in caput 10. libri 1. Regum c. 3.
1. Reg. 16. 1.
Psalm. 22. 5.

R. Aug. l. de corrept. & grat. c. 9.

Q. Talibus, inquit Augustinus, diligentibus "se *Deus omnia cooperatur in bonum*: usque-adeò prorsùs *omnia*, ut etiam si qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores". Est prætereà aliud in hac mystica figuratione notandum, quòd nimirùm sicut *Saul* & *David* solâ Dei dignatione ad regiam dignitatem de abjecta conditione sublimati fuerunt, cùm unus quæreret asinos, alter pasceret oves; sic quotquot Christianismo inaugurantur, & tanquam spirituales Reges Christo Regi Regum incorporantur, sive perseveraturi sint instar *Davidis*, sive ruituri instar *Saulis*, merâ Dei dignatione ad eam dignitatem de vili conditione subleventur, & de mancipijs diaboli in statum libertatis filiorum Dei transcribantur. Utrobique proindè merita humana vacant, & sola Dei gratia claret.

XXXV. Peculiari insuper ratione, prædicti duo Reges veteris populi figurarunt eas personas novi populi, quibus ultra communem inaugurationem Christianorum, obtingit administratio Principatuum terrenorum; quorum nonnullis etiam specialis ceremonia inunctionis impenditur, ut Regibus Gallorum, Anglorum, Hungarorum, Bohemorum; ipsi quoque Cæsari Regi Romanorum, quem ex veteri ritu Moguntinus Antistes, idemque Imperij per Germaniam Cancellarius, sub hac verborum forma ungere consuevit: *Consecrare te dignetur omnipotens Deus in Regem Romanorum, qui Davidem per manum Samuelis Prophetæ Regem ungi jussit super populum Hebræorum.* Nulla hìc interitur mentio *Saulis*, licèt ante *Davidem*, super eundem populum, ab eodem *Samuele* Prophetâ innuncti: quia sicut *David* gessit typum Principum proborum, pleno cornu gratiæ unctorum, & ob id in sua probitate perseveraturorum; ita *Saul* typum gessit Principum reproborum, lenticulâ duntaxat olei illitorum, atque adeò infaustè recturorum, & ad extremum extirpandorum. Nec mirum videri debet, duos istos Reges unius populi, unius Prophetæ manu perunctos, non modò tam diversas, sed & tam adversas gessisse figuras: cùm videamus unum eundemque Regem *Nabuchodonosorem* non minùs diversas, sed nec minùs adversas in seipso expressisse similiter figuras. Qua de re Augustinus, adversùs Donatistas scribens, qui Leges Cæsareas contra se editas infamabant ex eo capite, quòd earum non extaret in Euangelicis Scripturis exemplum, ita disserit, ut admittat quidem non reperiri earum legum in Euangelijs exemplum, sed hoc inde evenisse affirmet, quòd nondum Cæsares fuerint Christiani: "Nondum, inquit, implebatur illa Prophetia, *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram, servite Domino in timore.* Adhuc enim illud implebatur, quod in eodem Psalmo paulò superiùs dicitur: *Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus*". Quo responso præmisso, statim subjungit exemplum Euangelicis Scripturis antiquius, Regis scilicet *Nabuchodonosor*, qui in se uno typum expressit tam Regum ethnicorum Christianos persequentium, quàm Regum Christianorum eisdem patrocinantium. Verba ejus sunt:" Si facta præterita in Propheticis libris, figuræ fuerunt futurorum, in Rege illo qui appellabatur *Nabuchodonosor*, utrumque tempus figuratum est, & quod sub Apostolis, & quod nunc habet Ecclesia. Temporibus itaque Apostolorum & Martyrum illud implebatur, quod figuratum est quando Rex memoratus pios & justos cogebat adorare simulachra, & recusantes in flammas mittebat: nunc autem illud impletur, quod paulò pòst in eodem Rege figuratum est, cùm conversus ad honorandum Deum verum, decrevit in regno suo, *Ut quicunque blasphemaret Deum Sidrac, Misac, & Abdenago*, pœnis debitis subjaceret. Prius ergò tempus illius Regis significabat priora tempora Regum infidelium, quos passi sunt Christiani pro impijs: posterius verò tempus illius Regis significavit tempora posteriorum Regum jam fidelium, quos patiuntur impij pro Christianis". Hùc spectat illa ejusdem Augustini sententia lib. 3. adversùs Cresconium cap. 51." Rex *Nabuchodonosor* perversus legem sævam dedit, ut simulachrum adoraretur: idem correctus severam, ne Deus verus blasphemaretur".

R. August. Epist. 48. Vide Epist. 50. & 166.

Psalm. 2. 10. & 11.

Ibid. v. 1.

Dan. 3. 96.

CAPUT

CAPVT NONVM.

Comparatio transversa Saulis Regis Hebræorum, cum Nabuchodonosore Rege Babyloniorum. Saul usurpando in Laicatu munus Sacerdotale, quosnam figurarit? Constantij Cæsaris usurpatorium dictum; Quod ego volo, pro Canone sit. *Non consequitur Imperator cum Imperio Sacerdotium. Iustâ prorsùs reciprocatione fit, ut qui usurpat non suum, amittat suum. Saul parcendo Amalec contra Dei jussum, quosnam adumbrarit? Amalec typum gessit hæreticorum, atque etiam diaboli inspiratoris eorum. Principibus præscriptum juramentum in hæreticorum exterminium. Quid figurarit Saul discindendo anaboladium Samuëlis Pontificis sese justè increpantis? Regnum Israël à Regno Iuda divulsum figuravit Schismaticos de Ecclesia egressos; quales sunt omnes, qui larvati nomine Christi, renuunt subbærere Romano Præsuli Vicario Christi.*

XXXVI. QUemadmodùm *Nabuchodonosor* pro diversis temporibus diversos figuravit Reges, seu Principes diversimodè affectos, ita & *Saul:* inverso tamen ordine, siquidem ille priùs sævus, ac piorum persecutor, typum gesserat Regum impiorum, ac Dei cultoribus infestorum; posteà verò clemens, ac piorum protector, figuravit Reges pietati addictos, ac superstitioni infensos: Iste autem ex adverso, priùs *electus & bonus, quo non erat de filijs Israël melior*, figuravit Reges virtuosos, atque ejus cultui deditos, [s]. *cui appropinquare clarescere est, quem timere gaudere est, cui servire regnare est*; posteà verò dyscolus, atque à *spiritu malo agitatus*, typum gessit Regum improborum, superbiâ tumidorum, Numini invisorum, dæmoni, carni, ac mundo mancipatorum, personis ac rebus sacris injuriorum, atque idcircò excidio & exterminio obnoxiorum. Quod ut planiùs pateat, repetenda sunt ea quæ §. 32. de *Saule*, jam pridem *lenticulâ olei* in Regem inuncto, perstrinximus; ut inprimis quòd Laicus existens Sacerdotalem functionem usurpaverit, quâ de re Rupertus: [T]. Homo, inquit, non de tribu *Levi*, sed „ de tribu *Beniamin*, regio fastu nihil sibi non „ licere arbitratus, *Afferte*, ait, *mihi holocaustum*, „ *& pacifica: & obtulit holocaustum*. Hoc nimis „ grande fuit Regis supercilium, dignè superno judicio feriendum". Et lib. 4 in caput 9. Oseæ: " *Saul*, inquit, præsumptuosè „ contra legem, qui non erat de tribu Levi, „ holocaustum obtulit. Propter hoc audire „ meruit, *Nequaquam regnum tuum ultrà consurget*". Et Sulpicius Severus de eodem *Saule* disserens: [V]. Illicitâ præsumptione, inquit, „ Rex ad vicem Sacerdotis holocaustum ob„ tulit: multumque à *Samuële* increpitus, „ serâ pœnitentiâ peccatum fatebatur. Igitur „ ex peccato Regis metus omnem exercitum pervaserat". In hac igitur usurpatione Sacerdotij, Rex ille primus Hebræorum præfiguravit Reges quosdam Christianorum qui illicitâ præsumptione Ecclesiasticam sibi authoritatem in subditos, tanquam regali cohærentem arrogant. Quod olim præsumpsit *Constantius* Cæsar, Arianâ perfidiâ perversus: qui, ut refert Athanasius, [W]. Episcopis ad se „ vocatis imperavit, ut contra Athanasium „ subscriberent, & cum hæreticis communio„ nem inirent. Quibus admirantibus novum „ ejus studium, & dicentibus id non esse Ec„ clesiastici canonis, statim subjecit: *Quod ego volo, pro canone sit*". Hunc superiori sæculo imitati sunt quidam Reges Europæi, Lutheranâ vel Calvinianâ vel aliâ simili hæresi infecti, signanter Anglici post *Henricum VIII.* qui omnem Ecclesiasticam jurisdictionem & authoritatem suæ coronæ arrogare præsumpsit; & nuperus ejus successor *Iacobus*, id ipsum etiam edito libello persuadere sategit. Cui meritò regeratur illud Eulogij ad Præfectum Imperialem *Valentis* Cæsaris, hæretici Ariani, præcipientem ut Cæsari in sacris obtemperaret ac communicaret: [X]. *Nunquid cum Imperio etiam Sacerdotium est consecutus?* Meminerat quippe Eulogius dixisse Sacerdotes Regi Oziæ, *Non est tui officij, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum.* Meminerat & dixisse *Samuëlem* Regi *Sauli* post usurpatum Sacerdotis munus: *Stultè egisti*. Et mox iterùm ultionem promeritam enuncians, *Nequaquam*, inquit, *regnum tuum ultrà*

Marginal notes:

1. Reg 9. 2.

S. Prosper Epist. ad Demetriadem cap 4.

1. Reg. 12. 20.

T. Rupert. l. 1. in libros Reg. c. 20. Vide Clem. Rom lib. 2. Constitut. cap. 31.

1. Reg 13 9.

1. Reg. 13. 14

V. Sulp Severus lib 1. Sacræ Historiæ.

Vide Greg. Tolosan. l. 11 de Republ. c. 18. n. 2.

W. Athan. Epist ad Solitariam vitam agentes.

X. Euloq. apud Theodoret lib. 4. c 15. Vide Niceph l 11. cap. 21.

2. Par 26. 18

1. Reg. 13. 13

Ibid. v. 14.

consurget. Justa utique reciprocatio, ut qui usurparat non suum, amitteret suum.

XXXVII. In eo quòd Rex *Saul* non paruerit jussioni Domini, præcipientis ei per

1. Reg. 15. 3.

organum *Samuelis*, ut *percuteret Amalec, & demoliretur universa eius: non parceret ei, nec concupisceret ex rebus eius aliquid*; figuravit eos Reges, qui hostibus Ecclesiæ ac veræ Religionis perperàm connivent, nec eos penitùs

1. Orig. Homil. 19 in Numeros.

extirpant, cùm possint: 1. *Amalec*, inquit Origenes, "interpretatur oblingens populum, vel declinans populum. Igitur ij qui convertunt se ad sanctificationem, interficiunt & perimunt *Amalec*, eum scilicet qui oblingit populum, vel declinat populum". Et iterùm post pauca ibidem: "Deus per Prophetam Regi *Saul* præcipit ut expugnet Amalec, & non parcat cuiquam ex eis: & quoniam pepercit Regi Amalec *Agago*, offensam incurrit inexpiabilem, ita ut cousque permoverit Deum, ut contrà quàm recipit illa

1. Reg. 15. 11.

natura, diceret: *Pœnitet me quòd unxi Saul in Regem*. Non ergò expedit nobis parcere illi, qui declinat populum, vel oblingit, & devorat". Non sum quidem nescius, Origenem eo loco sub persona *Amalec* intelligere diabolum: verùm ex subjuncto ibidem contextu perspicuum est, sub diaboli nomine comprehendi etiam ejus administros, signanter hæreticos: de quibus Leo Papa non minùs

2. Leo Sermon. 3. de Jejunio 10 Mensis. Mat. 7. 15.

verè quàm facundè ait: 2. "Humiliter irrepunt, blandè capiunt, molliter ligant, latenter occidunt: *Veniunt enim*, sicut Salvator prædixit, *sub vestitu ovium, intus autem sunt lupi rapaces*; quia non possent veras & simplices oves fallere, nisi *Christi* nomine tegerent rabiem bestialem. In ijs autem omnibus operatur, qui cùm sit veræ illu-

2. Cor. 11. 14.

minationis inimicus, *In lucis se Angelum transfigurat*. Hujus arte *Basilides*, hujus *Marcion* callet ingenio, hoc duce agitur *Sabellius*, hoc præcipitatur rectore *Photinus*, hujus potestati famulatur *Arius*, hujus spiritui servit *Eunomius*: tota denique bestiarum talium cohors hoc præside ab Ecclesiæ unitate discessit, hoc magistro à veritate descivit". De hoc ipso duce ac magistro, cujus membra & instrumenta sunt omnes hæretici, ali-

A. Idem Serm. 15. de Passione cap. 5.

bi loquens idem Pontifex 1 A. "Non solùm, inquit, per carnis concupiscentias, aut per corporeas tantùm insidiatur illecebras: sed inter ipsa quoque semina fidei spargens zizania falsitatum, veritatis studet violare culturam; ut quos non potuerit corrumpere malis actibus, impijs subvertat erroribus". Quibus præmissis subdit ille continuò hanc parænesin ad omnes indiscriminatim veræ fidei Religionisque cultores, ne cum istius spiritalis ac principalis *Amalec* membris aut administris ullam unquam pacem ineant aut foveant: "Fugite ergò mundanæ argumenta doctrinæ, & viperea hæreticorum vitate colloquia: nihil vobis commune sit cum eis, qui Catholicæ adversantes fidei, solo sunt nomine *Christiani*. Non enim templum sunt Spiritus Dei, nec membra Christi: sed falsis opinionibus implicati tot species habent diaboli, quot simulachra mendacij". Constat proinde eos qui hæreticis parcunt aut connivent, spiritali isti *Amalec* in eis operanti, principanti, ac simulachra suà erigenti, parcere ac connivere; atque adeò ijsdem pœnis obnoxios se reddere, quibus subjacuerat Rex *Saul*, quando ob divinæ jussionis neglectum in demoliendo

1. Reg. 15. 23.

Amalec, audire meruit à Propheta: *Pro eo quòd abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis Rex*. Quam quidem abjectionem dudum anteà prædixerat *Balaam*, cùm diceret de

Num. 24. 7.

Israël, sive de Israëlitico populo: *Tolletur propter Agag Rex eius, & auferetur regnum illius*. Cæterùm ne Christiani Reges aut alij Principes orthodoxi *Saulem* imitarentur, atque adeò consimili mulctæ obnoxij redderentur, Innocentius III. Apostolicæ Sedis Antistes, ut filius Christianæ pacis & Pater Christianæ plebis, Canonem edidit in Synodo La-

B. Innoc. 3. in Synodo Lateran. cap. 3. Vide cap. Excommunicamus 13. 10. de Hæreticis. & caput Ad abolendam 7. ibidem. & cap. cum secundùm leges, de Hæreticis in 6.

teranensi, tenoris sequentis; B. "Moneantur, & inducantur, & si necesse fuerit, per Censuram Ecclesiasticam compellantur sæculares potestates, quibuscunque fungantur officijs, ut sicut reputari cupiunt & haberi fideles, ita pro defensione fidei præstent publicè juramentum, *quòd de terris suæ iurisdictioni subiectis, universos hæreticos ab Ecclesia denotatos, bonâ fide pro viribus exterminare studebunt*".

XXXVIII. In eo item quòd Rex *Saul* increpantis se *Samuëlis* pallium disciderit, typum eorum Regum ac Principum gessit, qui Ecclesiam, quam Christi vestem esse cap. 6. ostendimus, schismatibus invectis aut sotis dilacerant. Benè porrò monet An-

C. D Thom. 2. 2. q. 39. a. 1. in corp.

gelicus Doctor, C. "Ecclesiæ unitatem in duobus attendi, scilicet in connexione membrorum Ecclesiæ ad invicem, seu communicatione; & item in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad unum caput, se-

Col. 2. 19.

cundum illud: *Inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus, per nexus & coniunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum Dei*. Hoc autem caput est ipse Christus, cujus vicem in Ecclesia gerit summus Pontifex: & ideò schismatici dicuntur, qui subesse renuunt summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant". Quemadmodùm enim olim *Ieroboam* cum decem

tribubus

tribubus sibi cohærentibus, subtrahendo se communioni Pontificis Hierosolymitani, quem solum Deus Synagogæ veteri in Spiritalibus præfecerat, constituerunt cœtum schismaticum: ita modò quotquot Reges aut Principes cum populis sibi subditis, subtrahunt se communioni Pontificis Romani, quem solum Christus Catholicæ Ecclesiæ œcumenicum Vicarium præfecit, constituunt Regnum aut Principatum schismaticum. Qua de re Cyprianus [D]. "Quàm sit inseparabile, inquit, unitatis Sacramentum, & quàm sine spe sint, & perditionem sibi maximam de indignatione Dei acquirant, qui schisma faciunt, & relicto Episcopo alium sibi foris Pseudo-episcopum constituunt, declarat in libris Regnorum Scriptura divina, ubi à tribu Juda & Benjamin decem tribus scissæ sunt, & relicto Rege alterum sibi foris constituerunt: *Et indignatus est*, inquit, *Dominus in omne semen Israël. & dimovit eos, & dedit eos in direptionem, donec abjiceret eos a facie sua, quia dissipatus est Israël à domo David, & constituerunt sibi Regem Ieroboam filium Nabath.* Indignatum esse Dominum dicit, & eos in perditionem dedisse, quòd ab unitate dissipati essent, atque adulterum sibi Regem constituissent". Agit porrò ibi ex professo Cyprianus contra *Novatianum* & ejus asseclas, qui se à Romani Pontificis communione segregantes, schisma adversùs *Cornelium* Papam invexerant. Unde & ibidem superiùs præmiserat: "Ecclesia una est, quæ una intùs & foris esse non potest. Si enim apud *Novatianum* est, apud *Cornelium* non fuit. Si verò apud Cornelium fuit, qui Fabiano Episcopo legitimâ ordinatione successit, & quem præter Sacerdotij honorem martyrio quoque Dominus glorificavit, *Novatianus* in Ecclesia non est". Hoc ipsum cuilibet alteri communionem Pontificis respuenti, pari ratione accommodari potest. Nam ut idem ipse Cyprianus superiùs Epistolâ 40. *Plebi universæ* inscriptâ præmiserat:" Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una, super Petrum voce Domini fundata. Aliud altare constitui, aut Sacerdotium novum fieri, præter unum altare, & unum Sacerdotium, non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit. Adulterum est, impium est, sacrilegum est quodcunque humano furore instituitur, ut dispositio divina violetur". Et rursùs lib. *de unitate Ecclesiæ* inscripto:" Primatus, inquit, Petro datur, ut una Christi Ecclesia & Cathedra una monstretur:" Et mox iterùm ibidem". Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur, & resistit; qui Cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit"? Planum igitur est eos omnes qui à Petri seu successorum ejus Romanorum Pontificum communione se segregant, de Ecclesia non esse, Schismaticos esse, decem tribubus recedentibus à domo David atque à templo Domini similes esse. Regis *Saulis* discindentis amictum *Samuëlis* imitatores esse, atque adeò divinæ indignationi pariliter obnoxios esse: imò verò non pariliter, sed tanto ampliùs, quanto nova Ecclesia Christianorum supereminet veteri Synagogæ Judæorum.

D.Cyprian. Epist. 76.

4. Reg. 17. 18 & 20.

XXXIX. Quod ut liquidiùs appareat, describam hìc quædam ex Epistola Petri Damiani ad Henricum Romanorum tunc Regem, posteà Imperatorem, schismatis Cadolauani adversùs Alexandrum Secundum, etsi non authorem, saltem toleratorem atque fautorem, in qua sic legitur: [E]. "Noli esse *Phaleg*, qui conjuncta dividas; sed esto discipulus Christi, qui divisa conjungas. Ii verò, qui ad divisionem Apostolicæ Sedis diabolico succenduntur instinctu, *Dathan*, & *Abiron*, atque *Core* ad memoriam revocent, & ex eorum perditionibus colligant, qui finis etiam se, qui non dissimilia sectantur, expectet. Illi sanè schisma fecerant Synagogæ, isti divisionem machinantur Ecclesiæ. Quamobrem sicut illos utique *Viventes terra deglutivit*: sic isti per schismaticæ nequitiæ meritum, prudentes & scientes merguntur in tartarum. Nec glorientur qui manifestè Romanæ Ecclesiæ schisma non faciunt, sed tamen annuendo & negligendo scindentibus non resistunt: quia sicut non solus ille, qui dixit, *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum*; sed & omnes fautores ejus repentè sunt de cælo projecti: ita non modò *Core*, sed & complices ejus, ducenti videlicet & quinquaginta viri, cælestis ignis incendio sunt devorati. Undè cavendum est, ne malitia subditorum redundet in Regem, etsi non delinquentem, non tamen pro viribus prohibentem: nam Gregoriana sententia est, *Facti culpam habet, qui quod potest negligit emendare*. Cavendum est, inquam, ô Rex, ne dum tu pateris dividi Sacerdotium, tuum quoque, quod absit, dividatur Imperium. Nam, sicut sacra testatur Historia, mox ut *Saul apprehendit summitatem pallij Samuëlis & scidit*, protinùs illi *Samuël* sic inquit: *Scidit Dominus regnum Israël à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Porrò autem sicut pallium istud vestis erat Samuëlis, sic & sancta Ecclesia vestis est utique Redemptoris, cui per Prophetam dicitur: *Confessionem*

E. Petrus Damian l. 7. Epist. 1.

Gen. 10. 25.

Num. 16. 32.

Isa. 14. 13.

1. Reg. 15. 27. & 28.

Psalm. 103. 1.

,, nem & decorem induisti. Confessionem quippe Dominus induit, cùm sibi peccatores associat, pœnitendo sanatos: decorem verò, cùm sibimet clementer agglutinat innocentes, nitore justitiæ speciosos. Pallium igitur *Samuëlis Saul* abrupit, & regnum perdidit: Christi scinditur vestimentum; & licèt non scindentis, tamen scindere permittentis, stabit Imperium? *Inconsutilem vestem* JESVS miles gentilis metuit scindere; & Christiani non verentur Ecclesiam per errorem schismaticum separare. Cùm ergò vestis Christi Sancta dicatur Ecclesia, scissio vestis divisionem minatur regiæ potestatis" Hæc ibi præclarus ille monitor, & impendentis novo isti Sauli ruinæ præsagitor. Etenim cùm Henricus ille Rex tam salutari monitioni aures non accommodasset, malo suo edoctus postmodùm didicit, quàm verè idem Vir Sanctus & zelosus ibidem præmiserit:" Planè quisquis Sanctam Ecclesiam ,, dividere molitur, timendum sibi est, ne ,, secundùm Euangelicam sententiam & ipse ,, dividatur: *Veniet*, inquit, *Dominus servi illius in die quâ non sperat, & horâ quâ nescit; & dividet eum, partemque eius cum infidelibus ponet*". Quia enim Henricus ille non in Synagogam, ut *Saul*, sed in Ecclesiam Christi exercuit tyrannidem; idcircò non ab alienigenis, ut ille, sed à proprio filio, quod multò luctuosius est, persecutionem usque ad regni ac vitæ amissionem perpessus est: prout postea suo loco inter exempla memorabitur.

Ioan. 19. 24.

Luc. 12. 46.

CAPVT DECIMVM.

Saul honoribus sublimatus moribus depravatur, & quosnam istâ suâ metamorphosi figurarit? Pluribus obest prosperitas arridens, quàm adversitas affligens. Magna virtutis est cum felicitate luctari, magnæ felicitatis à felicitate non vinci. Ingens regnantium miseria adulantium copia, & veritatem ingerentium penuria. Cur Saul in adeptione regni dictus filius unius anni? *Multiformes Regum veteris populi metamorphoses, quorum perpauci bona auspicia in finem usque perseverando benè consummarunt. Cur Deus bonos provehit, quos provectione depravandos prævidet? Depravationis Principum variæ proferuntur causæ ex Flavio Vopisco. Mimi cujusdam dictum de paucitate bonorum Principum. Multò facilior est in vitia prolapsio, quàm virtutum adeptio.*

XL. IN eo item quòd Rex *Saul* adepto regno improbus ex probo evaserit, eorum in se imaginem expressit, quibus honores mutant mores; non utique in meliores, sed in deteriores: [F] Plerumque, inquit Papa Gregorius, ,, adversitatis magisterio sub disciplina cor ,, premitur, quod si ad regiminis culmen erupit, in elatione protinùs usu gloriæ permutatur. Sic *Saul*, qui indignum se prius ,, considerans fugerat, mox ut regni gubernacula suscepit, intumuit: *honorari* namque ,, *coram populo* cupiens, dum repr hendi publicè noluit, ipsum, qui in Regem se unxerat, abscidit". Hujus itaque imitatores sunt, qui in bono benè cœpto nequaquàm perseverant, eò quòd felicitatem adeptam coquere nequeant: de qualibus Bernardus: [G] Non qui cœperit, inquit sed *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. *Saul* ,, cùm esset parvulus in oculis suis, Rex est super Israël constitutus: non perseverans in humilitate, & regnum amisit & vitam. Si cautela *Samsonis*, si devotio *Salomonis* perseverantiam retinuissent, nec is profectò privaretur sapientiâ, nec ille viribus". Qui rursùs lib. 2. de Consider. c. 12. paucos planè extitisse censet, qui prosperò rerum successu non intumuerint, & intumescendo pejores evaserint: ,, Quàm ratus semper extitit, ait ipse ibi, qui ,, non vel modicè in prosperitate se relaxaric ,, à sui custodia & disciplina? Quando hoc incautis non fuit ad disciplinam, quod ignis ,, ad ceram, quod Solis radius ad nivem, vel ,, glaciem? Sapiens *David*, sapiens *Salomon* ,, fuit: sed blandientibus nimis secundis rebus, alter ex parte, alter ex toto desipuit. ,, Magnus, qui incidens in adversa non excidit vel parùm à sapientia; nec minor, ,, cui præsens prosperitas si arrisit, non irrisit. Quanquàm faciliùs inveneris, qui sapientiam retinuerint contrariâ sibi fortunâ, quàm

[F] Gregor. de Pastorali cura p. 1. cap. 3.

1. Reg. 15. 30.

[G] Bernard. Epist. 129. Vide Lour. Iustinian. lib. de Vo. mil. cap. 8. Mat. 10. 22.

quàm qui propria non perdiderunt". Va-
rissimè aiebat olim Gobryas apud Xeno-
phontem : H. Difficilius est reperire homi-
„ nem qui res secundas, quàm qui adver-
„ sas rectè ferat. Nam illæ in plerisque in-
„ solentiam, hæ modestiam in omnibus ex-
citant". Optimè quoque ac prudentissimè
admonet Seneca : I. Magni animi est, in-
„ quiens, magna contemnere, ac mediocria
„ malle, quàm nimia. Illa enim utilia vita-
„ liaque sunt : at hæc, eò quòd superfluunt,
„ nocent : sic segetem nimia sternit ubertas,
„ sic rami onere franguntur, sic ad maturi-
„ tatem non pervenit nimia fœcunditas. Idem
„ animis quoque evenit, quos immoderata
„ felicitas rumpit; quâ non solùm in aliorum
injuriam, sed etiam in suam utuntur". Idem
rursùs lib. de Brevitate vitæ exclamat : " O
„ quantum caliginis humanis mentibus obji-
cit magna felicitas"! Et lib. de Providentia
cap. 4." Cùm omnia, inquit, quæ modum
„ excesserint, noceant; periculosissima feli-
„ citatis intemperantia est. Movet cerebrum,
„ in vanas mentem imagines evocat, mul-
„ tum inter falsum ac verum mediæ caliginis
fundit". Aurea quoque est illa Aurelij Au-
gustini sententia : K. Magnæ virtutis est, cum
„ felicitate luctari, ne illiciat, ne corrumpat,
„ ne ipsa subvertat felicitas. Magnæ, in-
„ quam, virtutis est, cum felicitate luctari:
„ magnæ felicitatis est, à felicitate non vin-
ci". Digna denique notatu est illa Joannis
Sarisberiensis in hanc rem sententia : L. Inter
„ omnia quæ viris solent obesse Principibus,
„ nihil perniciosius esse arbitror, quàm quòd
„ eis fortunæ blandientis illecebra aspectum
„ subtrahit veritatis : dum divitias & deli-
„ tias congerit Mundus, quibus delicati sen-
„ sus pruriginem vicissim refovet & accen-
„ dit, ut animus multiplici lenociniorum
„ fraude captus, quâdam alienatione sui ab
„ interiore bono deficiens, per exteriora
„ mendacia varijs concupiscentijs evagetur.
„ Noverca siquidem virtutis prosperitas, bea-
„ tulis suis sic applaudit, ut noceat : & in-
„ felici successu sic in via fortunatis obsequi-
„ tur, ut in fine perniciem operetur : convi-
„ vis suis ab initio propinans dulcia, ut cùm
„ inebriati fuerint læthale virus misceat, &
„ si quid deterius est. Quò specie sui claref-
„ cit ampliùs, eò stupentibus oculis densio-
„ rem infundit caliginem. Invalescentibus
„ ergo errorum tenebris, veritas evanescit;
„ & virtutum radice succisâ, seges germinat
„ vitiorum : lumen rationis extinguitur, &
„ totus homo casu miserabili fertur in præ-
„ ceps. Sic rationalis creatura brutescit, sic
„ imago Creatoris quâdam morum similitu-
„ dine deformatur in bestiam : sic à condi-
„ tionis suæ dignitate, degenerat homo,

H Gobryas apud Xenophon. lib. 8. Cyro pædiæ.

I. Seneca Epist. 39.

Vide Petr. Blesen. Epist. 131. in fine, & Lipsium in Monitis polit. lib. 2. cap. 8.

K. August. Ser. 13. de verbis Domini cap. 6.

L. Ioan. Sarisb. lib. 3. Polleratici cap. 1. Vide Petr. Damiani l. 7. Epist. 11. aliâsOpusc. 57.

„ Vanitati similis factus, eò quòd ex honore
„ collato intumuit, & à tumore perdidit in-
tellectum".

XLI. Regum itaque sive Principum non-
nulli quidem ab initio boni fuerunt, & boni
quoque perseverarunt : alij è contrario malè
inceperunt, & mali in finem usque perstite-
runt : alij item ab initio mali extiterunt, &
se emendando boni tandem evaserunt : alij
denique bona initia habuerunt, sed ipsâ pro-
speritate depravati in dyscolos degenerave-
runt. Primorum typum in se expressit *Iosias*
Rex Juda, de quo scriptum est : *Memoria Iosiæ*
in compositionem odoris facta opus pigmentarij. In
omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria, &
ut musica in convivio vini. Ipse est directus divini-
tùs in pœnitentiam Gentis, & tulit abominationes
impietatis : & gubernavit ad Dominum cor ipsius,
& in diebus peccatorum corroboravit pietatem. Se-
cundorum figuram gesserunt plerique omnes
Reges Israël à primo *Ieroboam* usque ad no-
vissimum *Osee*, sicut scriptum est : *Ambulave-*
runt filij Israel in universis peccatis Ieroboam
quæ fecerat; & non recesserunt ab eis, usque-
quò Dominus auferret Israël à facie sua. Ter-
tiorum figuram prætulit *Nabuchodonosor*,
prout §. 35. ex Augustino memoravimus.
Eandem quoque prætulit *Manasses* Rex Ju-
da, cujus & anterior impietas, & poste-
rior religiositas, descriptæ habentur 2. Pa-
ralipomen. 33. Quartorum denique ima-
ginem in se prælineavit Rex *Saul*, qui
cùm aliquandiu tam inculpatè rexisset,
ut propter innocentiam *puer unius anni* ap-
pellari dignus fuisset; posteà adeò dege-
neravit, ut propter inobedientiam, &
Sacerdotij usurpantiam, Sacerdotique ir-
rogatam irreverentiam, regno exciderit,
& funesto exitu vitam terminaverit : M De
„ Rege ergò, inquit Gregorius, qui priùs
„ bonus, posteà malus extitit, dicitur,
„ *quia unius anni erat cùm regnare cœpisset, &*
„ *duobus annis regnavit.* Licèt enim multis
„ annis regnaverit, illis solis regnasse di-
„ citur, in quibus innocens & humilis
„ fuisse perhibetur. Nam posteà superbus
„ & inobediens audivit : *Quia projecisti ser-*
„ *monem Domini, projecit te Dominus, ne sis*
Rex". Quibusdam olim mirantibus, perso-
nas aliquas pridem probas ac prudentes
in hæresim posteà decidisse, Tertullia-
nus admirationem exemit, exemplo *Sau-*
lis; additis quoque eidem *Davide* ac *Salo-*
mone, qui à pristina innocentia ac pruden-
tia corruerunt : N. *Saul*, inquiens, bonus
„ præ cæteris, livore posteà evertitur :
„ *David* vir bonus secundùm cor Domini,
„ posteà cædis ac stupri reus est : *Salomon*
„ omni gratiâ & sapientiâ donatus à Domi-
„ no, ad idololatriam à mulieribus induci-

Psalm. 143. 4.

Eccli. 49. 1. & seqq. Vide 4. Reg. 22. 23.

4 Reg. 17. 22 & 23.

1. Reg. 13. 1.

M Greg. in caput 13. lib. 1. Reg.

1. Reg. 15. 26.

N. Tertull. l. de Præscrip c. 3.

tur". Arguentibus *Marcionistis*, Dei vel inconstantiam, vel imprudentiam, ex electione *Saulis* propediem subvertendi, atque in malum de bono transmutandi; idem Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 23. respondens:" Si verò, inquit, etiam circa per- ,, sonas levem vultis intelligi Deum, cùm ,, reprobat aliquando probatos; aut impro- ,, vidum, cùm probat aliquando reproban- ,, dos; quasi judicia sua aut damnet præterita, ,, aut ignoret futura. Atquin nihil tam bono ,, Judici convenit, quàm pro præsentibus ,, meritis & rejicere, & adlegere. Adlegitur ,, *Saul*, sed nondum despector Prophetæ *Sa-* ,, *muëlis*: rejicitur *Salomon*, sed jam à mulieri- ,, bus alienis possessus, & idolis Moabitarum ,, & Sidoniorum mancipatus. Quid faceret ,, Creator, ne à *Marcionitis* reprehenderetur? ,, Benè adhuc agentes prædamnaret jam pro- ,, pter futura delicta? Sed Dei boni non erat, ,, nondum merentes prædamnare. Proinde ,, peccantes nunc non recusaret propter pri- ,, stina benefacta? Sed justi Judicis non ,, erat, rescissis jam bonis præteritis scelera donare".

XLII. Refert Flavius Vopiscus in vita Aureliani Cæsaris, approbatque, mimi cujusdam dictum, asseverantis, *In uno annulo bonos Principes posse perscribi atque depingi.* Sed quid hoc miremur de Principibus ethnicis, veri Numinis notione religioneque destitutis; cùm divina Scriptura loquens de veteribus Judaici populi Regibus, in ipsa Gente Prophetarum natis & educatis, pronunciet: *Præter David, & Ezechiam, & Josiam, omnes peccatum commiserunt: nam reliquerunt legem Altissimi Reges Juda, & contempserunt timorem Dei.*

Eccl. 49. 5. & 6.

Quærit porrò Vopiscus ibidem subsequenter, *quanam res faciat Principes malos?* Respondet autem in hunc modum:" Primùm nimia li- ,, centia, deinde rerum copia, amici prætereà ,, improbi, satellites detestandi, eunuchi ava- ,, rissimi, aulici vel stulti vel detestabiles: &, ,, quod negari non potest, rerum publicarum ,, ignorantia. Ego à patre meo audivi, Dio- ,, cletianum Principem jam privatum dixisse, ,, *Nihil esse difficilius quàm benè imperare.* Colli- ,, gunt se quatuor vel quinque, atque unum ,, consilium ad decipiendum Imperatorem ,, capiunt: dicunt quid probandum sit. Im- ,, perator domi clausus, vera non novit, co- ,, gitur hoc tantùm scire quod illi loquuntur: ,, facit Judices, quos fieri non oportet: amo- ,, vet à Republica, quos debeat obtinere. ,, Quid multa? Ut Diocletianus ipse dice- ,, bat, *Bonus, cautus, optimus venditur Imperator*".

Flavius Vopiscus.

Porrò Principum, qui ad instar *Saulis* priùs se laudabiles, posteà vituperabiles exhibuerunt, prolixam seriem contexuit Petrus Gregorius Tolosanus lib. 8. de Republica cap. 1. n. 2. & sequentibus usque ad 15. Addit quoque subsequenter ibidem alios, sed multò pauciores, qui ex adverso probi evaserunt ex improbis. Nec mirandum est hos illis fuisse pauciores: quia, ut scitè monet Gregorius Nazianzenus, º. Nihil tam facile ,, est quàm malum fieri, etiamsi nemo se no- ,, bis ducem præbeat ad vitium: rara autem ,, & ardua est virtutis adeptio, quantum- ,, libet etiam multa sint quæ nos ad eam tra- ,, hant & invitent. Quod ipsum etiam à Bea- ,, to Aggæo animadversum fuisse mihi vide- ,, tur, quum admirandâ illâ & verissimâ ima- ,, gine uteretur: *Interrogate legem, Sacerdotes: ,, si tulerit homo carnem sanctificatam in vesti- ,, mento suo, & tetigerit cibum aliquem aut po- ,, tionem, aut vas aliquod; nunquid sanctifica- ,, bit id quod admotum fuerit?* Quod cùm per- ,, negassent, ait rursùm: *Interrogate, si quid ,, horum rei polluta admotum fuerit, nunquid ,, non contaminabitur?* tanquàm videlicet, id ,, immunditiæ particeps fieri atque ob hu- ,, jusmodi contactum amittere suam purita- ,, tem haud dubiè affirmaturi sint. Quibus ,, verbis, meâ quidem sententiâ, hoc signi- ,, ficat: virtutis hanc esse naturam, ut eam ,, non facili negotio homines consequi possint, ,, quemadmodùm nec humida materia ignem ,, facilè concipere solet; at contrà ad vitium ,, contrahendum homines maximâ ex parte ,, promptos esse atque idoneos; non secùs ,, ac stipula, ob naturæ siccitatem, ad scin- ,, tillam & ventum facilè accenditur, atque consumitur"

Gregorius Tolosanus.

º. Nazianz. Orat. 1. Vide Orat. 13. & 14.

Ag. 2. 13. & 14.

CAPUT

CAPUT UNDECIMUM.

Saul principatum ritè adeptum prævaricando amisit, in hoc innumeros figurans Dynastas, fortunæ pilas, quibus altitudo ruinosa fit. Illustratur Ecclesiastici locus, Regnum de gente in gentem transfertur propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos. *Quadriga virtutum Principibus contra quatuor ista vitia necessariarum. Complurium Principum tragici occasus perstringuntur, quorum exemplis commoneantur superstites, ut fugiant à facie arcus; persuasum habentes quòd Deus ultionum, fortis & vigil, dominetur in regno hominum, & cuicunque voluerit det illud; deponens potentes de sede, & exaltans humiles: cui facile ac familiare sit, superbos potentiâ sibi commissâ abutentes de throno quantumvis sublimi turbare, atque in pulverem aut nihilum redigere.*

XLIII. IN eo quòd Rex *Saul* regnum ritè adeptum prævaricando perdiderit, figuram eorum gessit, qui cùm Principatum legitimâ successione, electione, stipulatione, sortitione, adoptione, donatione, vel justâ occupatione obtinuerint, eodem ob tyrannicam administrationem, aut divinæ vindictæ provocationem undecunque ortam, excidunt. *Regnum* quippe sive principatus non solùm de familia in familiam, sed etiam, ut divina testantur eloquia, *A gente in gentem transfertur propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos.* (Eccli. 10.8.) Fit autem translatio ista per eum de quo scriptum est, *Quòd dominetur Excelsus in regno hominum, & cuicunque voluerit det illud:* (Dan. 4. 29.) de quo item scriptum est, *Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & sublevat:* (1.Reg. 2. 7.) & item alibi, *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui: deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles: esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes:* (Luc. 1. 51. & seqq.) & rursùs alibi, *Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.* (Iob. 34. 24.) Ipso quippe providente fit, *Quòd de carcere catenisq́; interdum quis egrediatur ad regnum, & alius in regno natus consumatur inopiâ.* (Eccle. 4. 14.) Inquirit Ioannes Sarisberiensis in suo Policratico. Ex quibus causis transferantur Principatus & Regna? Respondet autem in hunc modum: (P. Ioan. Sarisb. lib 4. Policrat. cap. 12.) P. Celebre est illud Sapientiæ, *Quia*
,, *regnum à gente in gentem transfertur propter*
,, *injustitias, & injurias, & contumelias, &*
,, *diversos dolos.* Nonne vides quàm brevi
,, subversum sit solium primi Regis in popu-
,, lo Dei? *Saul* & *Ionathas* cum cæteris filijs,
,, exigentibus culpis, in montibus corruerunt;
,, ut thronus illius, *Qui de post fœtantes electus* (Psal. 77. 70.)
,, *est*, firmaretur. Omnium historiarum per-
,, curre seriem, & Regum successiones in brevi
,, videbis, & quasi in exordio telæ, Domino
,, præcidente, succisas: & quo Reges fuerint
,, clariores, eo citiùs, si adversùs Deum intu-
,, muerint, conculcatur semen eorum. *Non est* Prov. 21. 30
,, *sapientia, non est prudentia, non est consilium*
,, *contra Dominum*: certè nec fortitudo. Si ille
,, insurgit, si persequitur, ad emendicata Sacra-
,, mentorum suffragia, ad præsidia munitio-
,, num frustrà decurritur: quia *Non est qui de* Iob 10. 7.
,, *manu illius possit eruere.* Quis Alexandro ma-
,, jor in Græcia? Ei tamen non suus legitur
,, successisse, sed saltatricis filius. Quis Cæsa-
,, reæ domus seriem nescit? Rarus eorum, aut
,, nullus, filium reliquit hæredem: omnes &
,, in brevi, post varia pericula, & cædes sui ac
,, suorum plurimas, diversis mortibus, & ferè
,, ignominiosis, quasi in momento dejecti sunt;
,, & descendentes ad inferos, successores ha-
,, buerunt aut hostes, aut ignotos. Quid, obse-
,, cro, tam potentia regna tam citò subvertit
,, aut transtulit? Certè indignatio Dei, quam
,, in se multiplex *injustitia* provocabat. Est au-
,, tem, ut Stoicis placet, *injustitia* mentis habi-
,, tus, qui à regione morum exterminat æqui-
,, tatem: animam namque privare justitiâ, vel
,, ex privativa particula nominis declarat. In
,, eo autem maximè justitia constat, si non
,, noceas, & ex officio humanitatis prohibeas
,, nocentes. Cùm verò noces, accedis ad *inju-*
,, *riam*: cùm nocentes non impedis, *injustitia*
,, famularis. Est autem *contumelia* quando tu-
,, morem mentis in læsione alterius manifesta
,, operis sequela comitatur: eoque iniquitati
,, servit, quòd in eum, cui reverentia pro con-
,, ditione officij vel naturæ consortio debe-
,, tur, insolenter insurgit. *Dolus* autem est, ut
,, definit Aquilius, cùm aliud agitur, & aliud

 simula-

simulatur: malus utique, quoties fit intentione nocendi. Differt autem plurimùm *dolus* à *contumelia*: quoniam hæc superbè & in manifesto, ille fraudulenter & quasi ab insidijs nocet. Hæc sunt quæ cùm incurrunt, cathedras subvertunt omnium potestatum, quia à contrarijs perpetuatur Principum gloria".

XLIV. Quisquis igitur cupit Principatum habere diuturnum, atque ad posteros transmittere tranquillè hæreditandum, necesse est ut quatuor Principales seu Cardinales Virtutes, prædictis vitijs oppositas, ingenti studio sibi comparet, ac constanti vigore exerceat: *justitiam* videlicet, quâ injustitias cohibeat; *temperantiam*, quâ injurias compescat; *prudentiam*, quâ contumelias reprimat; & *fortitudinem*, quâ dolos pessundet. Cæterùm ut has sibi virtutes conquirat, necesse est ut veram veri Dei non modò notitiam, sed & reverentiam pro basi substernat.

Q. Prosper lib. 3. de vit. contempl. cap. 31.

Etenim, ut Beatus Prosper inculcat: Q. „Hoc inprimis nosse & tenere debemus, quòd istæ quatuor virtutes, vel omnes quæ ex illis existunt, dona sint Dei: & quòd nullus eas habet, habuit, aut habebit, nisi cui Deus, qui omnium virtutum proprietas est & origo, contulerit: quoniam quicunque, quocunque tempore, in quacunque gente in Deum credentes ex fide vixerunt, illius dono temperantes ac prudentes, justi ac fortes fieri utique potuerunt. Qui autem nescientes Deum, vel etiam blasphemantes, sine fide vixerunt, nihil earum virtutum à Deo accipere, vel habere potuisse credendi sunt". De æterna Dei Sapientia, quæ Deus est, scriptum legimus: *Sobrietatem, & prudentiam docet, & justitiam, & virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.*

Sap. 8. 7.

Vide Aug. lib. 1. Retract. cap. 7.

Ubi per *sobrietatem* intelligitur temperantia, per *virtutem* fortitudo: reliquæ duæ suis usitatis vocabulis exprimuntur. His virtutibus destituti Reges ac Principes locum fecêre sacræ parœmiæ, *Omnis potentatus brevis vita*: R. „Nunquid ipsis Regibus, inquit Petrus Damiani, à quibus Mundus iste diligitur, & quibus captiosâ fraude blanditur, non quantociùs in amaritudinem vertitur: ut nimirùm hodie, qui ex hostibus victoriæ signa reportet, triumphalis eum gloriæ pompa præcedat; & cras illum ignobiliter terga vertentem, hostilis mucro transfodiat? *Balthasar* nempè ipso die, quo vasa templi Domini jam temulentus concubinarum labijs fœdare præsumpsit, Medorum gladijs, Dario Victoriam obtinente, subjacuit. *Galba*, Romanus Imperator, quatuor tantummodò mensibus imperavit, & Romæ in foro, gladio percussus occubuit. Taceo *Neronem*, prætereo *Othonem*, quos à semetipsis interfectos Romanæ Reipublicæ testantur Historiæ. Nonne *Vitellius* interemptus est à Ducibus Vespasiani? Nonne & *Pertinax* occisus est à militibus prætorianis? *Macrinus*, *Antonius*, *Alexander*, *Philippus*, *Gallienus*, nonne omnes hi Imperatores militaris impetus gladios pertulerunt? *Domitianus* præterea suorum conjuratione confossus est. *Charus* dum castra supra Tigridem haberet, cælesti fulmine repentè peremptus est. Sed qui vult pleniùs nosse, seriatim Romanæ antiquitatis percurrat Historias; ibique liquidò videbit, quàm pauci Reipublicæ Principes communi morte defecerint. Nam & *Gordianus*, & *Philippus*, *Decius*, *Gallus*, *Volusianus*, *Gallienus*, *Quintilius*, *Aurelianus*, *Numerianus*, *Licinius*, *Constans*, *Constantinus* junior, *Iulianus* apostata, *Valens*, *Gratianus*, *Valentinianus* junior, *Ioannes*, *Valentinianus* tertius, *Maioranus*, *Anthemius*, *Nepos*, omnes isti Romani Imperij Rectores, nonne vel in otio seditiosâ suorum sunt fraude necati, vel in procinctu hostilibus perierunt gladijs interempti? Sed & quibusdam quid profuit, quòd eorum in hoc sæculo prolixiùs annosa vita duravit? Nam, ut infinita prætheream, *Valerianus* Imperator in Mesopotamia cum *Sapore* Persarum Rege prælium commisit, & perdidit; quem ille protinùs captum irrevocabilis custodiæ vinculis mancipavit: qui nimirùm, sicut tradit Historia, ignobili apud Parthos servitute consenuit; & quoad vixit, huic probrosæ addictus est pœnæ, ut ejusdem provinciæ Rex, incurvato eo, pedem cervicibus ejus imprimeret, & sic in equum arrogantiâ tumidus assiliret". Hæc ibi ille.

Eccli. 10. 11.

R. Pet. Damian. l. 7. Epist. 1. Vide eund. lib. 1. Epist. 17. & Pet. Blesensem Tract. de Peregrinatione Hierosolymitana. item Epist. 49. & Carolum Scribanum in politico Christiano lib. 2. cap. 21. & lib. 2. cap. 19. & 21. & Ambrosium Epist. 13. ad Valentinianum Cæsarem.

XLV. Porrò quia recentiora exempla plerosque magis movent, S. *nam tua res agitur paries cùm proximus ardet*: idcircò unum è multis hic subjiciam, quod superiori proximè seculo in vicina Dania accidit, ubi *Christiernus* ejus nominis secundus, Christierni primi ex Joanne filio ac successore nepos, regnum legitimâ successione adeptum tyrannicâ administratione amisit. Crudelitatis suæ illustre planè specimen Stokolmiæ in Suecia à se occupatæ edidit, ubi præcipuos omnium Ordinum viros convivio exceptos obtruncari curavit, & mox inde in reliquos promiscuè cives barbaricam prorsùs lanienam exercuit. Verùm qui tot Proceribus, atque inter eos duobus Episcopis, mortem intulit, ipse propediem vix eandem evasit: siquidem ut refert Thuanus, T. „Incolis ad facti famam ad triginta millia cum armis accurrentibus, *Christiernus* per devia & sylvas, noctu potiùs quàm interdiu, iter faciens, in Daniam vix tandem revertitur; ubi

S. Horat. l. 1. Epist. 18.

T. Thuan. tom. 1. ad an. 1534. Vide Bzovium ad an. 1522. n. 58.

ubi tot cædibus efferatus, cum ne suorum quidem sanguine cruentam sitim restinguere posset, à *Friderico* patruo Holsatiæ Principe & Lubecensibus bello petitus, terrente conscientiâ, cum uxore Isabella Cæsaris sorore, & liberis, in Zelandiam profugis, tertio post Stokolmiensem lanienam anno, qui fuit hujus sæculi vigesimus tertius". De eodem videri potest Surius ad annum 1517. & rursùs ad annum 1532. ubi hæc inter alia ait de ipso:" Fuerat illius certè immanis & barbara planè crudelitas: cui etiam hoc accessit, quòd in Lutheri hæresim lapsus in ea quoque diem suum obijt. Potest ille Regibus & Principibus esse exemplo, ut si rectè & ordine subditis suis imperare ac dominari velins, priùs suis affectibus suoque animo dominari discant". Observat prætereà Thuanus ad annum 1537. quòd eodem tempore quo *Christiernus* iste pristinam ditionem recuperare attentans in captivitatem perpetuam incidit, filius ejus in Cæsaris avunculi comitatu interierit:" ne quid reliquiarum; ait ille, tam immanis tyranni superesset; in quo paterni sceleris exemplum metui posset". Qui rursùs inferiùs ad annum 1559. cùm ejusdem *Christierni* obitum in carcere, quo ab anno 1532. conclusus fuerat; commemorasset, subnotavit, Ipsius casum Regibus ac Principibus servire debere pro documento & exemplo, ut si rectè ac feliciter imperare velint, suis affectibus moderentur, nec nimiâ dominandi libidine abrepti sibi indulgeant, persuasumque habeant, præstò esse ultorem Deum, qui vel maximè superbos, siquidem potentiâ sibi commissâ abutantur, de solio turbare amet".

Surius.

Thuanus.

CAPVT DVODECIMVM.

In eo quòd Saul Sacerdotes Domini in Nobe trucidari curaverit, typum gessit Regum ac Principum, Ecclesiasticas personas sacrilegè persequentium. Constantius Cæsar ab Athanasio, propter Christianorum Sacerdotum persecutionem, Sauli assimilatur, & Antichristus nuncupatur. Doëg mulio regius, Sacerdotum delator, & interemptoriæ jussionis executor, quosnam figurarit? Principum Corycæi populis tam execrabiles, quàm exitiabiles. Romanorum adversùs eos exclamatio. Cæsares pro variâ suâ indole variè erga eos affecti. Quem vitæ exitum sortitus fuerit Doëg Corycæorum figurator, & Sacerdotalis internecionis perpetrator? Spuria vitulamina non dant radices altas.

XLVI. IN eo quod Rex *Saul* Sacerdotes Domini occiderit, typum gessit Regum ac Principum, sacratas Deo personas sacrilegè persequentium. Unde Lucifer Calaritanus lib. 1. pro Athanasio adversùs Constantium Cæsarem, comparat eundem Constantium *Sauli* in eo, quòd sicut *Saul* persecutus fuerat Sacerdotes Aaronicos, ex odio & invidiâ erga Davidem à Deo unctum, cujus neci inhiabat; ita & *Constantius* persequeretur Sacerdotes Christianos, ex odio & invidia erga B. Athanasium, Antistitem à Deo unctum, atque adeò Christum Domini, cujus sanguinem sitiebat. Quàm grande verò scelus sit persequi Sacerdotes novæ legis, conjici facilè potest ex gravitate illius peccati Regis Saulis, persequentis Sacerdotes veteris legis. De quo Theodoretus: V. Hæc Saulis cædes, inquit, fuit omnibus alijs peccatis magis impia. Nam cùm Deus jussisset, ut *penitùs perderet Amalec*, non solùm servavis *Agág*, sed etiam greges, & armenta, & vineas, & alia quæcunque erant digna quæ possiderentur. Cùm verò sola eum movisset ira, non solùm occidit Sacerdotes, sed etiam cum civibus ipsis civitatem delevit, jubens ut non adolescens, non infans, non muliercula relinqueretur salva. Digni autem laude sunt satellites *Saulis*: neque enim cùm Rex jussisset, tolerarunt inquinare manus suas cæde Sacerdotum. *Doëg* verò hanc impiam fecit cædem". Cùm igitur Sacerdotes novæ legis tanto sint eminentiores Sacerdotibus veteris legis, quanto est lex ipsa præstantior illâ, veritas scilicet figurâ, & corpus umbrâ; consequens est, peccatum persequentium Sacerdotes novæ legis, incomparabiliter enormius esse peccato persequentium olim Sacerdotes veteris legis. Undè & Athanasius præfatum *Constantium* Cæsarem, Arianæ hæresi patrocinantem, & Catholicos Antisti-

Lucifer Calar.

V. Theod. in lib. 1. Reg. q. 54
1. Reg. 15. 3.

W Athan. Epist. ad Solitariam vitam agentes.

tes ei refragantes persequentem, non dubitat
appellare *Antichristum*: W. Quid aliud, in-
,, quiens, hæresim istam, quæ prorsùs aliena
,, est à pia Religione, quæque ut Christo per-
,, duellis authorem suæ impietatis *Constan-*
,, *tium*, quasi *Antichristum* inscribit, facere de-
,, cuit, nisi contraria Salvatori usurpet? *Con-*
,, *stantius* enim in gratiam hæreseos primùm
,, studio habuit immanitate *Saulem* imitari:
,, ille enim Sacerdotibus, qui Davidi viati-
,, cum dederant, necem imperavit, ejusque
,, jussu trecenti quinque Sacerdotes simul in-
,, terfecti sunt: iste verò, quoniam omnes
,, hæresim fugiunt, & sana in Christum fides
,, confessionibus celebratur, Synodum plus-
,, quàm trecentorum Episcoporum abrogat,
,, & Episcopos in exilium ejicit; populos
,, verò, dum prohibet conventus celebrari,
,, à meditatione pietatis precibusque ad Deum
,, submovet ac depellit. Rursùs ut *Saul* No-
,, bam, civitatem Sacerdotum, evertit; ita
,, & iste, ejus sceleris magnitudinem supe-
,, rans, Ecclesias Domini tradit hæreticis: &
,, ut ille *Doëgum* veris Sacerdotibus antepo-
,, suit, Davidemque persecutus est Ziphæis
,, auscultans; ita quoque & iste hæreticos
,, præfert veris pijs & religiosis hominibus, &
,, insuper eos qui ipsum fugiunt persequitur,
,, eunuchis suis orthodoxos homines crimi-
,, nantibus auscultans. Nec animadvertit,
,, quòd quæcunque pro Ariana hæresi scribit
,, & facit, ea omnia tendant adversùs no-
strum Salvatorem".

XLVII. Cùm Flavius Josephus in suis
Antiquitatibus Judaicis factum illud *Saulis*
commemorasset, quædam subjunxit, qui-
bus non solùm facinoris ipsius atrocitatem
exaggerat, sed & eorum omnium Regum ac
Magnatum genium exprimit, quibus *Saul*
illo suo immani scelere præluserat: X. Rex

X Ioseph. lib. 6 Antiq. cap. 14. alias 13.

,, *Saul*, ait ille, tam sævo facinore perpetrato,
,, stirpe Pontificiâ internecione deletâ, ne-
,, que teneram ætatem miseratus, neque
,, grandævos reveritus, insuperque quam
,, Deus patriam atque alumnam Sacerdotum
,, ac Prophetarum singulari privilegio dele-
,, gerat, solo æquatâ, satis declaravit, quàm
,, pravum sit hominum ingenium. Tantisper
,, enim dum humiles sunt atque plebeij, quia
,, non audent, neque liberum eis est naturæ
,, obsequi, æqui bonique viri esse videntur,
,, mirumque quoddam justitiæ studium præ
,, se ferunt, quin & pietatem intereà colunt,
,, Deumque omnibus actionibus nostris in-
,, teresse, omnes denique cogitationes in-
,, tueri, persuasum habent. Sed simul atque
,, ad potentiam & imperium provecti fue-
,, rint, exutis pristinis moribus, & tanquam
,, in scena mutato habitu, novâque personâ
,, assumptâ, in omnem audaciam & insolen-
,, tiam, divinarumque æquè ac humanarum
,, rerum contemptum prolabuntur: & cùm
,, ad superandam invidiam maximè illis opus
,, sit pietate ac justitiâ, cumque omnes eo-
,, rum non actiones solùm verumetiam vo-
,, luntates in conspicuo sint omnibus propo-
,, sitæ, tum maximè tanquam aut dissimu-
,, lante Deo, aut & ipso potestatem eorum
,, formidante, in subditos debacchantur: &
,, quicquid aut per inanem metum, aut
,, odium, vel favorem irrationabilem decer-
,, nunt, id tum hominibus ratum, tum Deo
,, quoque ipsi probatum esse existimant; fu-
,, turorum verò prorsùs nullam rationem
,, habent. Quotquot enim in eorum gra-
,, tiam plurimos labores exhauriunt, eos
,, primùm evehunt, deinde jam honoratos
,, per invidiam non solùm dignitatibus pri-
,, vant, sed per calumniam etiam sæpè oppri-
,, munt, non considerantes quàm meritò:
,, tantumque temerarijs delationibus absque
,, ulla probatione fidem adhibentes, sæviunt
,, non in quos oportet, sed in quos ipsis sævi-
,, re est facile. Hæc ita esse, manifestum exem-
,, plum in *Saulo* filio Cisi nobis est exhibitum,
,, qui primus post sublatam Optimatum ad-
,, ministrationem, ac Judicum supremum
,, Magistratum, Rex Hebræorum creatus,
,, propter suspectum *Achimelechum* trecentos
,, Sacerdotes & Prophetas interfecit, cæsos-
,, que excidio urbis obruit: & quantum in se
,, fuit, Summi Dei fanum Sacerdotibus sa-
,, crisque ministerijs orbavit: pòst tam nu-
,, merosam cædem ne patriam quidem eo-
,, rum & seminarium superesse passus". Quem
Josephi locum placuit ad longum describere,
quia non modò luculenter ostendit quosnam
figuraverit Rex *Saul* occidendo Sacerdotes
Domini, sed præterea confirmat ea quæ de
morum cum honoribus mutatione diximus
superiùs cap. 10.

XLVIII. Quoniam Rex *Saul* in perpe-
trando suo illo facinore usus fuit operâ *Doëgi*
Idumæi, videndum est quid hic iniquitatis
administer figuraverit. Sed cùm duplicem
præstiterit hac in re ille operam, de unaqua-
que singulatim erit differendum. Prima ope-
ra fuit proditio Sacerdotum, sive delatio eo-
rum ad Regem, quæ refertur his verbis in
sacra Historia: *Vidi filium Isai in Nobe, apud* 1. Reg. 22. 9. & 10.
Achimelech filium Achitob Sacerdotem: qui consu-
luit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei; sed &
gladium Goliath Philistæi dedit illi. Hanc ejus
operam considerans Ambrosius: Y. Nec *Doëg*, Y. Ambros. l. 3. in caput 8. Luc.
,, inquit, figurâ vacat, qui erat custos mulo-
,, rum, eò quòd nemo alius nisi infructuosi
,, gregis custos typum *Iudæ* proditoris imple-
ret". Fuit igitur *Doëg* typus proditorum,

quorum

quorum gens tota militat ſub vexillis archiproditoris *Iudæ*, qui Chriſtum prodidit Judæis, quemadmodùm *Doëgus* iſte prodiderat *Achimelechum* cum conſacerdotibus Regi *Sauli*. Plurimos proinde habet *Doëgus* imitatores quos præfiguraverit, longèque plures quàm Rex ipſe *Saul*, quia incomparabiliter pauciores ſunt Principes, quàm Principum corycæi, Z. *Turba gravis paci, placidæque inimica quieti*: ſive, ut Ammianus Marcellinus deſcribit, A. *Clandeſtini verſutique rumigeruli, comperta leviter addere quædam male ſueti*. Seneca B *Peſſimum genus hominum* appellat. Refert Plinius in Panegyrico Traiani, Domitianum Cæſarem initio Imperij edixiſſe, ut delatores eandem pœnam ſubirent cum graſſatoribus & latronibus. Qui tamen poſteà lucris ac rapinis intendens, C. ita aures delatoribus patefecit, ut nihil cuiquam tutum eſſet, delatorque delatorem timeret; & capſidici, cauſarum actionibus poſthabitis, ad delationes ſe conferrent". Idipſum denuò redivit ſub Commodo Cæſare: ut proinde poſt ejus interitum audita fuerit hæc populi Romani ad ejus ſucceſſorem acclamatio: D. Exaudi Cæſar, *delatores ad leonem*". Et rurſùs: "Nunc ſecuri ſumus, *delatoribus metum*: ut ſimus ſecuri, *delatoribus metum*: ut ſalvi ſimus, *delatores de Senatu, delatoribus fuſtem*: te ſalvo, *delatores ad leonem*: te imperante, *delatoribus fuſtem*". Quibus acclamationibus acquieſcens *Pertinax*, Succeſſor Commodi: E. Eos qui calumnijs appetiti per ſervos fuerant, damnatis ſervis delatoribus, liberavit: in crucem ſublatis talibus ſervis: aliquos etiam mortuos vindicavit". Quem imitatus *Opilius Macrinus*, F. delatores ſi non probarent, capite affecit: ſi probarent, dato pecuniæ præmio, infames dimiſit". Quod ipſum Alexander ab Alexandro ſuprà attribuit etiam *Antonino Pio*. Cæterùm Herodianus de *Macrino* loquens: G. Delatores, inquit, & ſervi omnes, quicunque Dominos detulerant, patibulo affixit: totaque urbs, atque adeò Romanum Imperium, ſceleratis hominibus perpurgatum, partim ſupplicio affectis, partim exilio mulctatis". Hoc ipſum & de Traiano refert Plinius, laudans ipſum ex eo, H quòd delatores, quos impunitos reliquerat *Nerva*, punivcrit; quorum turba inſulas complevit; quorum ſupina ora retortaſque cervices ſpectavêre Romani, cùm velut piaculares victimæ ad ſupplicia ducerentur". Quin & ante iſtos *Veſpaſianus*, & *Titus* ejus filius, ut refert ſuprà Alexander ab Alexandro," Adeò delatores inſectati ſunt, & odio proſecuti, velut publico exitio deſtinatos; ut flagellis cæſos per Amphitheatri arenam ſpectandos traducerent: ut pœnis coërciti, à noxijs deferendis abſtinerent". Sed non ſic *Saul*, de quo nobis ſermo: alioquin enim *Doëgum* proditorem morte potiùs vel exilio mulctaſſet, quàm Sacerdotes Domini ab eo proditos contrucidari mandaſſet: præſertim cùm ſcriptum haberet in lege Domini; *Non eris criminator, nec ſuſurro in populo: non ſtabis contra ſanguinem proximi tui.* Lev. 19. 16.

Z. Martialis lib. 1. Epig. 4.
A. Ammian. Marcel. l. 14.
B. Seneca Epiſt. 125.
C. Alex. ab Alex lib. 4. Genialium cap. 22.
D. Lamprid. in vit. Commodi.
E. Idem in vita Pertinacis. Vide Herodian. lib. 2.
F. Julius Capitol. in vita Macrini.
G. Herodian lib. 5.
H. Plin. in paneg. ad Trajanum.
Alexand. ab Alexandro.

XLIX. Altera per *Doëgum* præſtita hic opera fuit; ſacrilegæ ſententiæ per *Saulem* latæ executio: *Noluerunt ſervi Regis*, ait Scriptura, *extendere manus ſuas in Sacerdotes Domini. Et ait Rex ad Doëg: convertere tu, & irrue in Sacerdotes. Converſuſque Doëg Idumæus irruit in Sacerdotes, & trucidavit in die illa octoginta quinque viros veſtitos ephod lineo.* Quâ in re typum geſſit eorum, qui ſe terrenorum Principum nutui ſic accommodant; ut quamlibet facinora perpetrare prompti ſint, ne ipſorum gratiâ excidant: quales fuêre miniſtri Herodis in cæde infantium, & alterius Herodis in nece Ioannis Baptiſtæ: qualis item fuit Pilatus, qui tametſi noſſet Chriſti innocentiam, metu incurrendi Cæſaris offenſam protulit in eum mortis ſententiam, cùm plebem audiſſet vociferantem, *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris*: I. Exceſſit quidem, inquit Leo Papa; Pilati culpam facinus Iudæorum, qui illum nomine Cæſaris territum & inſidioſis vocibus increpatum, ad effectum ſui ſceleris impulerunt: ſed nec ipſe evaſit reatum, qui cooperatus ſeditioſis reliquit judicium proprium, & in crimen tranſivit alienum". Unde meritò Theodoretus §. 46. relatus laudat cæteros *Saulis* miniſtros, qui ſpretâ Regis iniquâ juſſione, *noluerunt extendere manus ſuas in Sacerdotes Domini*: K. Nemo, inquit Auguſtinus, hominum Regis *Saul* auſus eſt, nec jubente quidem Rege, mittere manum in Sacerdotes Domini, niſi ille qui prodiderat, ſicut Iudas: qui à propoſito ſuo non receſſit, & uſque in finem perſeveravit de illa radice fructus ferre. Quales, niſi quales fert arbor mala? Occidit *Doëg* iſte manu ſuâ, jubente Rege, Sacerdotem Domini, & omnes ejus: deinde debellata eſt civitas etiam Sacerdotum. Invenimus ergò *Doëg* iſtum inimicum Regi *David*, & Sacerdoti *Achimelech*. Unus homo eſt *Doëg*, ſed & genus hominum eſt *Doëg*". Unus nimirùm in perſona, genus autem hominum in figura. Sed quodnam genus hominum? Illud utique, quod Chriſto per Davidem figurato, inimicum eſt; & quod Regibus terrenis Clerum infeſtantibus, ſeu prodendo ſeu exequendo, operam præſtat: quod aures ſuas obſtruit, ne illam Apoſtolorum audiat ſententiam, *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus*: quod detrectat dicere cum adoleſcente Machabæo, *Non*

1. Reg. 22. 17. & 18.
Ioan. 19. 12.
I. Leo Serm. 8 de Paſſione cap. 2.
K. Auguſt. in titulum Pſalmi 51.
Act. 5. 29.
2. Machab. 7. 30

obedio

obedio pracepto Regis, sed pracepto legis: quod denique spernit Sapientem sibi insonantem, *In tota anima tua time Dominum, & Sacerdotes* (Eccl. 7. 32. & seqq.) *illius sanctifica: in omni virtute tua dilige eum, & ministros eius ne derelinquas: honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes.* Hoc itaque hominum genus præfiguratum fuit in Doëgo Idumæo, in quem *David* composuit Psalmum 51. (Psalm. 51. 7.) ubi inter alia ait ei, *Deus de. ruet te in finem, evellet te* &c. Quod quàm verè prophetatum sit de ipso in sua persona, indicat ex Hebræorum traditione Hieronymus ad illa verba, *Arripuit Saul gladium & irruit* (1 Reg. 31. 4. & 5.) *super eum. Quod cùm vidisset armiger eius, videlicet quod mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum, & mortuus est cum eo*: L. Armige- (L. Hieron. in Tradit. Hebr. super l. 1. Reg.) „rum illum, ait Hieronymus, Hebræi *Doëg* „Idumæum dicunt fuisse: qui cernens *Saul* „mortuum, seipsum ob metum Davidis interemit". Justa utique retributio, ut qui Sacerdotibus Domini necem intulit jussu improbi Regis, sibi ipsi carnifex fieret in extrema clade ejusdem Regis. Addunt prætereà Hebræi apud eundem Hieronymum, hujus carnificis filium fuisse illum *Amalècitam*, qui, perlatis ad Davidem diademate & armillâ *Saulis*, finxit se eundem occidisse, atque ipse idcircò Davidis jussu peremptus est. Sic nimirum verificavit in se & de se impius Sacerdotum proditor & tortor quod scriptum est, *Spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt: & si in ramis in* (Sap. 4. 3. & seqq.) *tempore germinaverint, infirmiter posita, à vento commovebuntur & à nimietate ventorum eradicabuntur: confringentur enim rami inconsummati, & fructus illorum inutiles.*

CAPVT XIII.

Quemadmodùm Saul perimendo Sacerdotes Moysaicos præfiguravit persecutores Cleri Christiani in suis personis, ita & demoliendo civitatem Sacerdotalem prænotavit vastatores & usurpatores Ecclesiæ in suis bonis, quorum plurima recensentur genera. Constantini Magni munificentia erga Clerum refertur. Iulianus apostata Saulem maluit imitari, quàm Constantinum: sed quem imitatus est persequentem, imitatus est pereuntem. Historia necis ejus, & blasphemia finalis. Quàm miserabiliter perierint, qui ei in Ecclesiæ expilatione subservierunt. Pestilentes palàm flagellantur, ut incauti sapere doceantur.

L. Non contentus Rex *Saul* nece Sacerdotum, etiam bona eorum penitùs destruxit, sicut scriptum est: *Nobe civitatem Sacerdotum percussit in ore gladij, viros & mulieres,* (1. Reg. 22. 19.) *parvulos & lactentes, bovemq; & asinum & ovem in ore gladij.* Qua in re figuram in se expressit Regum ac Principum, qui bona Ecclesiastica sacrilegè invadunt, sive ut ea evertant, sive ut sibi usurpent, sive ut in alios transferant, vel in alium usum convertant, vel quomodolibet suis legitimis possessoribus inutilia reddant. Nomine porrò *bonorum Ecclesiasticorum* intelligi generaliter possunt ac debent non modò res externæ, quæ dicuntur bona fortunæ; sed jura omnia ac privilegia, exemptiones, immunitates, libertates, quæ vel singularibus personis, vel communitatibus, vel denique locis Ecclesiasticis, quatenùs talibus, competunt. Ex quo patet, materiam istam amplissimè diffundi: ut proinde mirum non sit, etsi planè dolendum sit, homines terrenis opibus deditos, suæ salutis incurios, ac Dei immemores, in eam pro aliqua saltem parte impingere. Prædixerat Ecclesiæ olim per Prophetam Deus, *Erunt Reges nutritij tui,* (Isa. 49. 23.) *& Reginæ nutrices tuæ*: & rursùs eidem per eundem Prophetam ait: *Suges lac Gentium &* (Isa. 60. 16.) *mamillâ Regum lactaberis.* Hoc impleri cœptum est à Constantino Magno, qui Imperatorum primus, abjurato ethnicismo, Ecclesiam non modò mirificè ampliavit ac propagavit, sed munificè quoque dotavit, ac ditavit: M. Con- (M. Socrat. l. 1. Hist. c. 3. Vide Niceph. l. 7. c. 30.) „stantinus, ait Socrates, quæ Christi sunt jam „sapiens, cuncta agebat ut Christianus: „Ecclesias erigebat, & pretiosissimis donarijs „honorabat: deinde Gentilium templa clau„debat ac repurgabat, & statuas in eis positas publicabat". Cui consonans Eusebius ait de eodem: N. Ecclesijs Dei excellenter (N. Euseb. l. 4. de vita Constantini) „ac singulariter plurima præstitit, hìc agros, illic frumentorum largitiones". Sed non contentus largiri ministris Ecclesiæ congruam sustentationem, adjecit insuper immunitatem & exemptionem: O. Quâ ob- (O. Niceph. l. 7. c. 44.) „servantiâ, inquit Nicephorus, fuerit Imperator

„ rator Constantinus erga fidei nostræ profes-
„ sionem, illud quoque abundè testatur, quòd
„ Clericos omnes Constitutione latâ immu-
„ nes liberosque esse permisit; judiciumque &
„ jurisdictionem in eos Episcopis, siquidem
„ civilium Judicum cognitionem declinare
„ vellent, mandavit: & quod Episcopi judi-
„ cassent, id robur & authoritatem sententiæ
„ omnem habere debere decrevit. Firma quo-
„ que & immutabilia esse voluit, quæ in Sy-
„ nodis constituta essent: & quæ ab Episco-
„ pis judicata forent, ut à Magistratibus Re-
„ publicas administrantibus, militaribusque, quæ
„ sub eis essent, manu executioni mandaren-
„ tur, constituit. Libertatem quoque Eccle-
siæ lege latâ concessit". Extat apud Euse-
bium lib. 10. Histor. Eccles. cap. 7. exem-
plar Edicti quod Constantinus in hanc rem
destinavit ad Anulinum Africæ Præfectum,
Constantini Magni Edictum. ubi ait: Quoniam ex pluribus rebus apparet,
„ Religionem, in qua summa custoditur San-
„ ctitatis reverentia, si extenuetur, magna
„ pericula adferre rebus publicis; ac rursus
„ eandem, si legitimè tractetur ac custodia-
„ tur, maximam prosperitatem Romano no-
„ mini, & cunctis mortalium rebus præci-
„ puam præstare felicitatem, divinâ illa ex-
„ hibente beneficentiâ: visum est, ut viri illi
„ qui debitâ sanctitate ac sedulâ legis hujus
„ observantiâ divinæ huic Religioni minu-
„ strant, laborum suorum præmia reportent.
„ Quapropter illos qui in Provinciâ tibi con-
„ creditâ in Catholica Ecclesia, cui Cæcilia-
„ nus præsidet, sanctæ huic Religioni mi-
„ nistrant, quos *Clericos* nominare solent, ab
„ omnibus publicis oneribus in universum
„ liberos & immunes servari volo; ne con-
„ tingat ut errore quopiam vel exorbitatione
„ sacrilegâ à cultu divinitati debito abstra-
„ hantur, sed potiùs sine omni perturbatione
„ suæ legi serviant; qui dum maximâ divini
„ cultus ministeria perficiunt, communibus
rebus plurimùm prodesse noscuntur". Simili
quoque modo ad aliarum regionum ac pro-
vinciarum Præfectos sive Præsides aut Gu-
bernatores perscripsisse non dubium est: ne-
que enim minorem Ecclesiæ curam in cæte-
ris suis ditionibus, quàm in Africa gessisse
P Sozom. l. 1. Hist. c. 8. credendus fuerit: P. Superatis cunctis bellis,
„ ait de ipso Sozomenus, quæ sub ipso con-
„ tigerant, velut vicem redditurus Christo,
„ studio erga Religionem illi respondebat,
„ dum subditos hortabatur, ut eam solam
„ colerent, ac salutarem judicarent. De pu-
„ blico verò tributariæ terræ proventu, per
„ singulas civitates, certum vectigal ademit, &
„ cujusque loci Ecclesijs & Clericis deputavit:
„ eamque munificentiam porrò perpetuam &
firmam habendam, lege constituit". Patet igi-
tur quemadmodùm à *Constantino* cœpta sit
impleri prophetia illa quâ prædictum fuerat
Ecclesiæ, *Erunt Reges nutritij tui*: item illa, *Su-
ges lac Gentium, & mammillâ Regum lactaberis*.

LI. Sed non omnes successores *Constantini* in
dignitate, imitati sunt eundem in pietate: qui-
dam enim sibi potiùs imitandum proposue-
runt *Saulem* Regem Hebræorum, Ecclesias in
suis bonis ac personis persequentem; quàm
Constantinum Imperatorem Christianorum,
easdem dotantem, & Clero providentem. Ex-
emplo sit *Iulianus*, apostata de Christiano: qui,
teste Sozomeno, Q. Clericis omnem immuni- Q. Idem lib. 5. cap. 5. Vide Niceph. lib. 10. cap 1.
„ tatem, honorem, & annonam à Constantino
„ delatam ademit, & leges pro eis latas abro-
„ gavit, curiæque tradidit: à virginibus quo-
„ que & viduis, Clero propter inopiam con-
„ sociatis, exigi jussit quicquid ex ærario pu-
„ blico antenùs acceperant. Cùm enim Con-
„ stantinus res Ecclesiarum disponeret, ex cu-
„ jusque civitatis tributis tantum desumpsit,
„ quantum necessariæ sustentationi sufficie-
„ bat, ac singularum Clericis distribuit: atque
„ hoc lege invaluit, quæ etiamnum ex quo Ju-
„ lianus interijt diligenter custoditur. Fer-
„ porrò prædictam exactionem fuisse sævissi-
„ mam & gravissimam: deque eâ testantur ta-
„ bulæ à Patribus de exactis factæ ad reddi-
„ tionis demonstrationem. Verùm nec hîc
„ substitit Imperatoris (*Iuliani*) erga Christia-
„ nam Religionem inimicitia, sed vehementiâ
„ odij adversùs dogmata Christiana nullum
„ malitiæ genus prætermisit, quo Ecclesias de-
„ strueret, pecunias, anathemata, & vasa sacra
„ auferret, templa sub Constantini & Con-
„ stantij Imperio dejecta reædificari à destru-
„ ctoribus, aut æstimatam pro illis pecuniam
„ solvi, cogeret. Cùm autem nihil horum præ-
„ stare possent, atque insuper ut sacros thesau-
„ ros proferrent, graviter torquebantur & in
„ carceres conjiciebantur Sacerdotes & Cleri-
„ ci aliorumque Christianorum complures".
Sicut autem *Saul* in persequendo Sacerdotes
Moysaicos, & destruendo eorum bona, usus
fuerat operâ *Doëgi*; ita *Iulianus* in persequendo
Clerum Christianum, & spoliando Ecclesias,
usus fuit potissimùm operâ alterius *Iuliani*,
avunculi sui, quem constituerat Orientis Præ-
fectum. Hic ab Imperatore nepote suo iussus
vasa sacra Ecclesiæ Antiochenæ in Regios in-
ferre thesauros, assumptis secum Præpositis
thesaurorum, *Felice* & *Elpidio*; Imperatoris co-
apostatis, introivit in templum, atque, ut Theo-
doretus memorat, R. adversùs sacram men- R Theodoret. l. 3 c. 8.
„ sam minxit; Euzoio autem prohibere ni-
„ tenti colaphum impegit, & dixit, *res Christia-
„ norum divinâ providentiâ destitui*. Ejus quoque
„ comes, *Felix*, sacrorum vasorum magnificen-
„ tiam conspicatus: *En*, inquit, *qualibus vasis
filio Mariæ ministratur*". Est præterea aliud in
quo Imperator *Iulianus* imitatus est *Saulem*,
E quòd

quòd nimirùm sicut *Saul* evertit urbem *Nobe*, quam Iosephus §. 47. relatus *alumnam Sacerdotum ac Prophetarum* congruenter appellat: ita *Iulianus* everterit, vel saltem occluserit Scholas Christianorum, quæ sunt seminaria atque *alumna* Clericorum ac Doctorum: [S]. Lege cavit, ait de eo Socrates, ne „Christiani literis instituerentur: *ne si linguas*, „inquiens, *acuerint, expeditè Gentilium Dialecticis resistant*". Hanc ejus machinationem perpendens Augustinus, negat eos esse audiendos, qui decem duntaxat persecutionibus Ecclesiam Christi infestatam fuisse censebant, primâ nimirùm sub *Nerone*, secundâ sub *Domitiano*, tertiâ sub *Traiano*, quartâ sub *Antonino*, quintâ sub *Severo*, sextâ sub *Maximino*, septimâ sub *Decio*, octavâ sub *Valeriano*, nonâ sub *Aureliano*, decimâ demùm sub *Diocletiano* & *Maximiano*. Illos ergò refellens Augustinus, inter alia ait: [T]. Quid respondent de „*Iuliano*, quem non numerant in decem? An „ipse non est Ecclesiam persecutus, qui Christianos liberales literas docere ac discere vetuit"? Censet ergò Augustinus, *Iulianum* vel ex hoc præcisè capite persecutoribus Ecclesiæ esse annumerandum, quòd tametsi ab effusione sanguinis abstinendum sibi duxerit, Christianorum tamen scholas claudendas edixerit. Et reverà gravissimum fuisse istud genus supplicij jam olim censuerant ipsi etiam Gentiles, siquidem [V]. *Mitylenenses*, ut refert Ælianus, cùm maris imperium tenerent, socijs, qui desciverant, hanc pœnam imposuerunt, ut liberos suos non docerent literas, nec artes liberales; omnium suppliciorum hoc gravissimum judicantes, in inscitia & ignorantia artium liberalium transigere vitam".

[S]. Socrat. l. 3. cap. 12. Vide Niceph. l. 10. cap. 25. & Theodor. l. 3. cap. 4.

[T]. August. l. 18. de Civit. cap. 52.

[V]. Ælian. l. 7. varia Historia.

LII. Videamus porrò quemadmodùm *Iulianus*, qui *Saulem* imitatus est Ecclesiam vastando, & Clerum persequendo; eundem quoque secutus sit, infeliciter pereundo. Itaque uti *Saul* ducto in Philisthæos exercitu perijt in prælio, ita & *Iulianus* ducto exercitu in Persas perijt in prælio. Qua de re Nicephorus: [W]. In summo, inquit, discrimine versabatur exercitus, difficultate itineris & penuriâ alimentorum confectus: cùm ecce splendida Persarum acies de repentè adest, & prælio ingenti commisso, turbidus ventus vehementer flare incipiens, densâ nube cælum Solemque obscurat, pulverem in aërem sublatum ventilat; caliginemque & tenebras ingentes excitat: & Persicus exercitus in nostros irruens, socios atque auxiliares secum Saracenos hastatos adduxerat. Horum quispiam hastâ protensâ Imperatorem (*Iulianum*) graviter vulnerat: membranâ peritoneo, quæ exta omnia intrinsecùs tegit, ita disruptâ, ut cuspide extractâ, excrementa sanguine mixta eam sint consecuta". [X]. Quis autem, inquit Theodoretus, justum illud vulnus inflixerit, nemini exploratum est in hunc usque diem. Sunt qui ab invisibili quopiam incussum dicant: alij ab uno è Nomadibus, quos Ismaëlitas vocant: alij à milite, famis & solitudinis molestias non ferente. Verùm sive homo, sive Angelus ferrum impulerit, certum est, quisquis fuit, divinæ voluntatis ministrum fuisse. Ferunt porrò *Iulianum*, vulnere accepto, manum sanguine implesse, & hoc in aërem projecto dixisse, *Vicisti Galilæe*; simulque victoriam confessum esse, & blasphemiam evomuisse: adeò vecors erat". Talis fuit exitus *Iuliani*, consentaneus utique priori ejus vitæ. Refert autem Sozomenus, Beatum Athanasium paulò anteà prædixisse imminentem tyranno finem suæ tyrannidis: [Y]. Cùm enim ille *Iuliani* Edicto proscriptus, Alexandriâ discedens, vidisset Christianorum multitudinem circa se plorantem: „*Bono animo*, inquit, *estote*, *nubecula est*, *& citò transibit*". Legerat quippe Vir sanctus & eruditus illud Salomonis, *Quasi tempestas transiens non erit impius*. Refert item Theodoretus, & post eum Nicephorus, pium quendam Christianum, Antiochiæ puerorum pædagogum, à Libanio Sophista rogatum eo tempore quo Julianus in Persidem cum exercitu ierat, *Quid ageret iam fabri filius*? Respondisse, *Sandapilam fabricatur ad mortem Imperatoris tui rerum omnium Conditor, quem tu per ludibrium fabri filium appellas*. Eo quoque die quo *Iulianus* interemptus est, Didymus Alexandrinus in sua sede dormituriens, visus est sibi videre equites equis candidis insidentes, ac per aërem discurrentes, quorum unus quispiam alijs insonuerit: [Z]. *Renunciate Didymo, hâc ipsâ horâ Iulianum esse peremptum: idipsum quoque magno significetur Athanasio*. Quidam præterea monachus nomine *Iulianus*, eodem ipso die necem Imperatoris in magna distantia, divinitùs didicit: [A]. Cùm enim enixiùs oraret, & clementi Deo supplicaret, fluentes lachrymas subito repressit, effusus in lætitiam & vultus hilaritatem, quæ animi gaudium testaretur. Quam ejus mutationem conspicati familiares ejus, rogarunt quatenùs lætitiæ causam ipsis aperiret. Tum ille, *Suem agrestem, vineæ Dominicæ vastatorem, pœnas iniuriarum suarum iam exolvisse* dixit, *& nunc iacere mortuum, insidiarumque fecisse finem*". Ex quibus patet non modò qualem sortitus sit *Iulianus* vitæ exitum, sed etiam quam ob causam sortitus sit tam funestum vitæ exitum.

[W]. Niceph. l. 10. cap. 34.

[X]. Theodoret. l. 3. c. 20.

[Y]. Sozom. l. 5. c. 15.

Athanasius.

Prov. 10. 25.

Vide Theodoret. l. 3. c. 18. & Niceph. l. 10. cap. 35.

[Z]. Niceph. l. 10. c. 35.

[A]. Theodoret. l. 3. c. 19.

LIII. Sed quandoquidem impio Imperatori conjunxerimus sacrilegos aliquot ministros

ministros in perpetratione culpæ, videamus an etiam eidem commixti fuerint in perpessione pœnæ, *Iulianus* nimirùm avunculus ipsius, *Felix* & *Elpidius*, de quibus §. præcedenti fuimus: fuerunt prorsùs: siquidem *Iulianus* eorum primus, ut Sozomenus memorat, B. Postquàm sacra vasa diripuisset, projectis illis in terram, cum subsannatione ac blasphemijs adversùs Christum, sedit super illa, & contumeliam exaggeravit. Quo facto, confestim pudenda ejus, ac necessarij circa illa meatus, corrumpuntur, carnesque illorum putrefactæ vertuntur in vermes: sicque morbus ille invaluit, ut Medicorum artem vinceret. Et quamvis reverentiâ ac metu Imperatoris pharmaca omnis generis adhibuissent Medici, nec non compluribus pretiosis volatilibus mactatis pinguedine illorum putrefactas corporis partes oblinissent, vermesque ad extimam cutem elicere conati fuissent, nihil tamen profecerunt. Etenim in profundo abditi vermes vivam carnem tantisper depascebantur, donec eam interimerent". De eodem quoque *Iuliano* loquens Theodoretus, cùm commemorasset ea quæ in templo circa sacra vasa gesserat: C. Statim, ait, gravi morbo correptus, putrescentibus intestinis interijt; cùm excrementa non jam per solitos meatus egereret, sed scelestum os, quod blasphemiæ fuerat instrumentum, excrementorum famularetur egestioni". Addit & idem inferiùs ibidem de *Felice*, qui cum eodem *Iuliano* templum ingressus sacra vasa in thesauros profanos retulit:" *Felix* verò, & ipse divino flagello repentè percussus, sanguinem ex ore die noctuque emittens, quùm eò undique omnibus è corporis venis conflueret, ita sanguine tandem omni effuso extinctus est, mortique æternæ traditus. Atque has isti pœnas persolverunt impietatis suæ". De eodem infelici *Felice* Nicephorus quoque in hunc modum scribit: D. Ex interioribus ejus venis unâ, quæ maxima esset, rupta, tanquam per fistulam, sanguinem per os ejus emisit. Sic & ipse, horrendum cernentibus cunctis spectaculum factus, non totum perduravit diem: sed circa crepusculum, unà cum sanguine jam deficiente, etiam animam evomuit". Sequitur ibidem continuò de *Elpidio*, altero *Iuliani* Præfecti comite in templi expoliatione:" At tertius *Elpidius*, qui blasphemus quoque in Christum extiterat; tardiùs quidem quàm alij pœnas luit: sed tandem inter eos, qui tyrannidem affectarunt, deprehensus, bonis omnibus exutus, aliasque graves ærumnas in carcere perpessus, turpiter vitam finijt, execrandus ac detestandus ab omnibus habitus". Patet igitur, ministros Imperatoris *Iuliani*, imitatores *Doëgi* Idumæi, infeliciter perijsse, perinde ac illum: quemadmodùm & ipse Imperator *Iulianus*, imitator Regis *Saulis*, infeliciter perijt, perinde ac ille. Quapropter tam horum quàm illorum respectivè imitatoribus ingerenda est illa Christi comminatoria sententia: Si *pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Illi enim, prout in simili monet Beda, E. vel ad correctionem viventium, ut pestilente flagellato, stultus sapientior fieret; vel certè ad exemplum corrigi nolentium, ideoque pessimè periturorum, tali sunt morte mulctati".

B. Sozom. lib. 5 c. 8.

C. Theodoret. l. 3. c. 9.

D. Niceph. lib. 10 cap.

Luc. 13. 5.

E. Beda in caput 13. Lucæ.

CAPVT XIV.

Rex David usque adeò typus extitit Christi, ut & hic diceretur David, & *ille* Christus. *Hinc Saul persequendo Davidem, præfiguravit persecutores Christi: quorum antesignanus Herodes infanticida, in aliorum commonitionem, deploratissimè supervixit, & afflictissimè perijt. Augusti Cæsaris dictum*, Melius est Herodis porcum esse, quàm filium. *Herodiana progenies memoratur, & funestè perijsse monstratur, juxta veridicam Scripturæ divinæ sententiam*, Domus impiorum delebitur. *Tres Herodes in Iudæa malè celebres, ut inter se cognomines, sic & tyrannide haud omninò dissimiles, & exitio parùm dispariles.*

LIV. IN eo quòd *Saul* innocentem *Davidem* iniquâ persecutione vexaverit, typum gessit eorum, de quibus idem ipse *David* prophetico spiritu afflatus aiebat: *Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adversùs Dominum, & adversùs Christum eius.* [Psalm. 2. 2.] Adeò enim luculentè expressit in se *David* typum Christi, ut in sacro Eloquio & Christus *David*, & David reperiatur appellatus *Christus*. [Vide Aug. lib. 99 ad Dulcitium q. 9.] Quis enim nisi Christus denotatur nomine *Davidis*, cùm Deus longè post obitum Davidis aiebat per Prophetam, *Suscitabo super oves meas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David*? [Ezech. 34. 23.] Nunquid item David dictus est *Christus*, quando Deus inducitur *Faciens misericordiam Christo suo David, & semini eius usque in sæculum*? [Psalm. 17. 51.] Rectè proindè ab Isidoro scriptum est: [F] David propheticè Christum significavit: *David* enim interpretatur *manu fortis*, sive *desiderabilis*. Et quid fortius *Leone de tribu Iuda*, qui *vicit Mundum*? [Apoc. 5. 5.] [Ioan. 16. 33.] Et quid desiderabilius illo de quo dicitur, *Venit desideratus cunctis gentibus*? [Agg. 2. 8.] Ungitur iste David in Regem, futurum denuncians per unctionem illam Christum: *Christus* enim à Chrismate appellatur. *David* ab officio pastorali pecorum, ad hominum regnum transfertur: noster autem *David* ipse IESVS, ab ovibus Judaicæ plebis ablatus, in regnum Gentium translatus est: in Judaica enim plebe non est modò Christus, ablatus est inde, nunc Gentium greges pascit. Erat etiam *David* in canticis musicis eruditus: diversorum autem sonorum rationabilis moderatusque concentus, concordi varietate, compactam ordinatæ Ecclesiæ insinuat unitatem: quæ varijs modis quotidie resonat, & suavitate mysticâ modulatur. Iste autem puer in cythara suaviter imò fortiter canens, malignum spiritum in *Saule* operantem compescuit; non quòd cytharæ illius tanta virtus esset, sed figurâ crucis Christi, quæ de ligno & extensione nervorum mysticè gerebatur, ipsaque passio cantabatur, jam tunc spiritum dæmonis opprimebat. Leonem quoque & ursum idem *David* necavit: ursum videlicet diabolum, Leonem Antichristum; alterum nunc hominibus latenter insidiantem, alterum in posterum manifestissimè sævientem. Iste David in prælio gigantem superavit, cùm adversùs populum Dei alienigenæ dimicarent: provocavit superbia humilitatem, provocavit diabolus Christum". [G]. Extincto prostratoque hoste, adversùs *Davidem* concepit *Saul* iniquè invidiam ex victoria; retribuensque mala pro bonis, fugat, odit, persequitur innocentem. Dicit & Dominus noster de talibus, *Retribuebant mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.* [Psalm. 108. 5.] Quòd verò *David* per latebras montium, per speluncas, & per deserta, *Saule* persequente, discurrit: Dominus noster sui corporis, id est, Sanctorum membrorum suorum, Martyrum videlicet, in hac figura persecutiones expressit, de quibus Apostolus Paulus dicit, *Cùm dignus non esset his orbis terrarum, per deserta errabant, & per speluncas, & per cavernas terræ.* [Hebr. 11. 38.] Quod verò persecutorem suum *Saulem* non occidit *David*, cùm ei traderetur in manibus, *abscindensque pinnam chlamidis eius*, odienti se pepercit: [1. Reg. 24. 5.] hoc quotidie agit noster Pastor Christus Dominus circa osores persecutoresque suos; à quibus dum abscindit vitium magnum superbiæ, parcit etiam Regibus sævientibus, quia *Non vult mortem impiorum, sed ut revertantur, & vivant*; [Ezech. 33. 11.] quod in omnibus suis fecit & facit inimicis ille, qui non meritis, sed *gratis iustificat impium*. [Rom. 4. 5.] Eundem *Davidem* rursùs insidias *Saulis* declinantem excipiunt Gentes: sic & Dominus noster Christus se subtrahens Judæis sævientibus, dedit Gentibus. Prodiderunt Allophyli Regi

[Margin notes: F Isidor. in 1. Reg. cap. 9. & 10. — Vide Aug. lib. 22. contra Faust. c. 37. & Bedam in qq. super lib. 1. Reg. q. 9. — Vide Aug. l. 17. de Civit. cap. 14. — G Prosp. de Promiss. & prædict. p. 2. cap. 25.]

1. Reg. 23. 19.

Regi *Sauli*, quòd *David esset penès eos absconditus in Geth*: proditum quoque Regem nostrum idem Propheta dicens,

Psalm. 40. 8.

Adversùm me, inquit, *susurrabant omnes inimici mei, adversùm me cogitabant mala mihi*: Et iterùm,

Psalm. 2. 2.

Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus. Sed *David* proditum se cognoscens agit quædam, imò per eum aguntur futura mysteria, arreptitium simulans,

1. Reg. 21. 13. juxta 70.

Saliva ejus in barbam defluebant, ferebaturque, ut dicit Scriptura, *totus in manibus suis*. Talem Rex illius Gentis aspiciens, à se projiciendo dimittit, dicens,

Ibid. v. 14.

Quid mihi introduxistis istum fanaticum? Nihil autem in Lege dictum gestumve est, quod vacuum esse possit, aut à figurata actione sit aliquatenùs alienum. Dicunt enim & Domino nostro Judæi inimici,

Ioan. 8. 48.

Samaritanus es, & dæmonium habes: quem conspuentes, etiam de quibusdam civitatibus miserunt foras. Portatus est quoque Jesus Dominus noster in manibus suis, dum suum corpus in sanctificato pane gestans manibus suis, dixit:

1. Cor. 11. 24.

Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur".

LV. Cùm igitur *David* tam multifariè typum in se prætulerit Christi, consectarium profectò est, ut *Saul* eum persequendo præfiguraverit Reges ac Principes persequentes Christum. Horum primus post adventum Christi fuit *Herodes*, qui in Iudæa, primus alienigenarum, regnavit nascente Christo. De quo Sabellicus, præmisso exemplo *Saulis* in Davidem impiè ingratèque furentis:

H. Sabell. l. 3. Exemplorum cap. 9.

[H]. *Herodes*, subdit, non sævus fuit solùm, sed & impius; qui tot millia puerorum obtruncavit, ut innocentem & Sanctum interciperet partum. Dirum facinus, atque eò omni sævitiâ sævius, quò longiùs ab eorum ætate, qui interfecti sunt, omnis abfuit culpa. Sed neque Rex propositum tenuit; & sanguis, qui tunc temerè effusus est, in Regiæ stirpis, totiusque generis caput redundavit". Ferunt eum in hac puerorum lanienâ nec proprio quidem filio pepercisse, sed communi strage involvisse. Unde Macrobius in Saturnalibus loquens de Augusto Cæsare, tunc Romæ imperante:

I. Macrob. l. 2. Saturn. cap. 4.

[I]. Cùm audisset, inquit, inter pueros, quos in Syria *Herodes* Rex Iudæorum intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait:

Augustus.

Meliùs est Herodis porcum esse, quàm filium". Parcunt quippe Iudæi eorumque proselyti porcis, ut ab altari & à mensa quoque vulgari per legem exclusis: cùm tamen *Herodes* proprio suo filio non pepercerit:

K. Eusebius lib. 1. Hist. cap. 8.

[K]. Sed operæ pretium fuerit, inquit Eusebius, crudelitatis *Herodis* in Christum & ejus coævos intueri mercedem: statim namque, & absque mora, ultio in eum divina convertitur, quæ non præsens duntaxat inferret exitium, sed prætereà ostenderet quibus post interitum excruciandus foret supplicijs. Longum fuerit, si prosperitates imperij ejus in illud usque tempus, domesticis calamitatibus obscuratas, referam: ignominiam matrimonij, funera liberorum quorum ipse extiterat parricida, sororis quoque, ac propinquorum omnium si prosequar clades, tragœdiam potiùs quàm historiam texere videbor: de quibus si quis pleniùs erudiri cupiat, Josephum referentem evolvat. Igitur cùm pro sacrilegio quod in Salvatorem nostrum commiserat, & pro scelere quod in æquævos ejus peregerat, ultio eum divina urgeret in mortem; quem habuerit exitum, non puto incongruum, si ejusdem Josephi in decimoseptimo Antiquitatum libro verbis commemoremus, ubi ait:

Josephus Vide eund. lib. 1. de Bello Iud. cap. ult.

Herodem porrò molestior indies morbus exacerbabat, supplicia commissi paulò anteà sceleris exposcens. Lento namque igne extrinsecùs in superficie corporis urebatur, intrinsecùs verò vastum latebat incendium: aviditas cibi semper inerat inexplebilis, nec tamen satiari unquam poterat nimia gulæ ingluvies rabidis incitata faucibus: intestina intrinsecùs ulceribus objecta: doloribus quoque coli quàm maximis cruciabatur: humor liquidus ac lividus erga pedes tumidos oberrabat, & inferius pube tenùs tumore distentus erat: quin & ipsa verenda putredine corrupta scatere vermibus cœperunt, acuta item ac vehementer acerba spiritus intensio, respirationis gravitas, & spissi anhelitus. Erat igitur omni ex parte convulsus, nec vires aderant perferendi. Dicebant porrò ij, quibus divinandi peritia inerat, pœnas istas ab eo divinitùs exposci, ob multa ejus impiè ac crudeliter gesta". Refert quoque idem Eusebius ibidem subsequenter ex ejusdem Iosephi libro 1. de Bello Judaico cap. 21. eundem tyrannum, magnitudine cruciatuum adactum, tentasse cultello seipsum perfodere: tandemque eam historiam, nisi malis dicere trogœdiam, terminat his verbis:

Eusebius.

„Talis igitur *Herodis* extitit finis, quo supplicia digna pro scelere in Bethleem erga parvulos gesto, & pro insidijs in Dominum nostrum Salvatorem, exactus est".

LVI. Habent ergò Reges in isto primo Christi persecutore exemplum funesti exitus, sibi impendentis, si eundem persecutorem sæviendo imitentur. Si igitur sapiant, quoties tyranni istius casum legerint vel audierint, dicant Deo cum animi submissione ac gratiarum actione:

Psalm. 59. 6. & 7.

Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus, ut liberentur dilecti tui. Attendant quoque ad ejusdem tyranni progeniem, & deprehendent verissi-

mium esse illud quòd superiùs ad calcem capitis 12. ex Sacro Eloquio transcripsimus, *Spuria vitulamina non dabunt radices altas* &c. De *Herode* itaque infanticida loquens Hugo Victorinus: L. Reliquit, inquit, successores filios, *Archelaum* Regem in Judæa, *Herodem* Tetrarcham in Galilæa, *Philippum* Tetrarcham in Iturea & Trachonitide regione, & *Lysaniam* in Abilina. *Archelaus* autem cùm post Patrem novem annis regnasset, apud Romanos à Judæis de insolentia accusatus, regno exulans Lugdunum in exilium mittitur, ubi & vitâ functus est: Romani autem ad procurandam Judæam Præsides posuerunt. *Herodes* Tetrarcha Galilææ, *Philippo* fratri suo uxorem ejus nomine *Herodiadem*, filiam Aretæ Regis Arabum, abstulit; eamque sibi contra morem in conjugium copulavit. Pro quo scelere cùm à Joanne Baptista argueretur, suggestione ejusdem *Herodiadis*, ipsum Joannem decollavit. Hic est *Herodes* Tetrarcha, filius magni *Herodis*, qui in Passione Domini Hierosolymam ascendisse legitur, & qui Iesum à Pilato Præside ad se missum, *albâ veste indutum illusit, atque ad Pilatum iudicandum remisit.* Porrò *Aristobulus*, *Herodis* magni filius, atque hujus *Herodis* frater ex Mariamne matre natus, quem pater *Herodes* ob suspicionem parricidij trucidaverat, filium habuit nomine *Agrippam*: qui cùm adultus esset, orbatum & exhæredatum se cernens, quantâ potuit pecuniâ collectâ, Romam perrexit: ibique Caio Caligulæ, nepoti Tiberij Cæsaris, familiaritate junctus est. Qui Caius cùm post mortem Tiberij Imperium sumpsisset, eundem *Agrippam* ob meritum præstitæ devotionis in Phœnicia Regem constituit. *Herodias* autem hoc audito, *Herodem* suum de ignavia reprehendere cœpit, quòd videlicet ipse divitijs major & potentiâ, hanc dignitatem à Romano Principe sibi non acquisivisset. Quâ exprobratione irritatus *Herodes*, cum ipsa *Herodiade*, pecuniâ multâ assumptâ, Romam profectus est. Cumque apud Caium quereretur, quòd non sibi potiùs hic honor collatus fuisset, indignatus Caius inconcessa petenti, etiam concessa tollenda decrevit: sicque *Herodes* cum sua pariter *Herodiade* ad Hispanias in exilium missus est. Hic finis Herodis. Verùm *Agrippa*, qui & ipse cognominatus est *Herodes*, idem ipse est *qui Iacobum fratrem Ioannis gladio peremit, Petrumque in carcerem missum quatuor quaternionibus militum custodiendum tradidit.* Hic quùm quâdam die cum Tyrijs & Sidonijs causam acturus processisset, ac pro splendore deauratarum vestium, Solisque radio lucentium, *Deus, & non homo* conclamaretur, in superbiam elatus *subitò ab Angelo percussus est.* Huic successit filius *Agrippa*, qui in Actibus Apostolorum *cum Bernice matre sua ad Festum Præsidem visendum & salutandum descendisse* legitur, atque cum Paulo eidem Præsidi præsentato quædam jucundè confabulatus memoratur. Hujus tempore regnum Iudæorum à Tito & Vespasiano subversum est. Primus itaque *Herodes* fuit ille, sub quo Christus natus est, qui & parvulos trucidavit: Secundus, filius ejus, sub quo Christus passus est, qui & Ioannem Baptistam decollavit: Tertius, *Agrippa Herodes*, cujus avus fuit primus *Herodes*, patruus secundus, qui Iacobum interfecit". De ijsdem extat & illud Sabellici in suo Exemplorum volumine: M. Fuerunt tres clari in Iudæa *Herodes*, non magis inter se similes nomine, quàm humanæ salutis interpolandæ studio: quorum primus innocentium cruore crudele solium respersit: filius Christum Regem pro despicato à se dimisit: nepos Barionam vinxit, & Iacobum Zebedæi interfecit". Sed receperunt singuli condignam ultionem; siquidem primus horrendè excruciatus interijt, secundus bonis omnibus exutus in exilio cum complice vitam finijt, tertius ab Angelo percussus & subsequenter *à vermibus consumptus expiravit.* Sic nimirùm verificatur quod scriptum est, *Spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt*: item quod scriptum est, *Nomen impiorum delebitur*: & item illud, *In fructibus impij conturbatio*: ac denique illud, *Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos, & radices immundæ super cacumen petræ sonant.* Quid ergò nunc superest, nisi ut viritim usurpent illud Propheticum, *Cecidimus quasi folium universi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos?*

Sap. 4. 3.

L. Hugo Victor in Prænotat. elucid. de Scriptura & Scriptorib. Sacris c. 13.

Vide Ioseph l. 17. Antiq. cap. 11. aliàs 13. & l. 2. de Bello cap. 6.

Vide Ioseph l. 18. Antiq. cap. 7. & 9. aliàs 10. & 14. & Isid. Pelus. l. 4. Epist. 90. & Bed. in c. 12. Actor. & in Homil. de decol. Ioan. Baptistæ.

Luc. 23. 11.

Act. 12. 1. & 4.

Ibid. v. 22. & 23.

Vide Ioseph l. 19. Antiq. c. 7. alias 8.

Act. 25. 23.

M. Sabell. l. 9. Exemplor. cap. 4.

Act. 12. 23.

Sap. 4. 3.

Prov. 14. 11.

Prov. 15. 6.

Eccl. 40. 15.

Isa. 64. 6.

CAPUT XV.

Non soli persecutores personæ Christi, sed etiam membrorum Christi, imitantur Saulem in culpa, adeóque obnoxij fiunt consimili vindictæ. Christi tum Saulo Christianos persequente expostulatio, Quid me persequeris? *Quo sensu dictum*, Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo? *Qui in seipso pridem fuerat crucifixus, in Apostolo suo Petro iterùm se dixit crucifigendum. Christianorum infestatores imitantur Christi crucifixores. Quinam sint qui pretium Christi machinantur repellere, & quodnam illud pretium? Nunquàm deest persecutio Christiano adeòque nec Christo.*

LVII. SCRUPULUS. EXCUTITUR.

Sed cùm *Herodes Agrippa* nullas legatur molestias intulisse Christo, quomodò præfigurari dicitur in *Saule*, persequente *Davidem* typum Christi? Respondeo, eum persequendo Ecclesiam Christi, persecutorem extitisse ipsius etiam Christi. Hoc planum fit testimonio non aliunde quæsito, sed ipsiusmet Christi, qui tametsi in cælo tunc gloriosus ac securus consisteret, ei tamen qui Ecclesiam suam in terris adhuc peregrinantem infestabat, ait: *Saule, Saule, quid me persequeris?* [N]. Cùm „beatus Paulus Apostolus, inquit Augu„stinus, persequeretur Ecclesiam, Christus „de cælo clamavit: *Saule, Saule, quid me per„sequeris?* Non dixit, Quid persequeris servos „meos? Nec dixit, Quid persequeris mem„bra mea? Sed dixit, *Quid me persequeris?* „quasi pede calcato lingua clamat, *Calcasti* „*me*: cùm utique lingua calcari non possit, „sed per concordiam charitatis caput pro membris omnibus clamat". Et rursùs Præfat. in Psalm. 123. " In Christo, inquit, mem„bra Christi unum faciunt cum Christo, & „horum omnium membrorum caput in cælo „est: corpus autem etiamsi laboret in terra, „non est præcisum à capite suo. Desuper „enim caput prospicit & consulit corpori; „nam si non consuleret, non diceret illi per„secutori adhuc Saulo, nondùm Paulo, *Saule, Saule, quid me persequeris*". Item in „Explanatione Psalmi 130. " Dominus de„super clamávit pro corpore suo, *Saule, Saule,* „*quid me persequeris?* Et ipsum nemo tange„bat, sed pro corpore laborante in terra caput de cælo clamabat". Et item Serm. 14. de Sanctis: " Membris adhuc positis in terra, „caput clamabat de cælo: & non dicebat, „quid persequeris fideles meos? Sed, *Quid me persequeris*"? Unde cùm idem persecutor confestim interrogasset quisnam esset, respondit, *Ego sum Iesus, quem tu persequeris.* Non ait, *Ego sum Iesus*, cujus Ecclesiam, vel cujus servos, vel cujus fratres, vel cujus membra tu persequeris: sed *quem tu persequeris*. Ipsum ergò persequebatur, qui discipulis ejus cædem machinabatur. Tanta quippe est vis illius incorporationis, quâ fideles inseruntur Christo, ut omnes dicantur unus Christus, juxta illud Apostoli: *Sicut corpus unum est, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cùm sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus*, [O]. Non dixit, inquit Augustinus, ita & „Christi, sed, *ita & Christus*: ostendens, „*Christum* rectè appellari etiam universum, „hoc est, caput cum corpore suo, quod est „Ecclesia. Et multis Scripturarum locis in„venimus Christum etiam hoc modo appel„lari, ut cum omnibus suis membris intelli„gatur, quibus dictum est: *Vos estis corpus Christi, & membra*". Huc etiam refert idem Augustinus illam Christi sententiam in colloquio cum Nicodemo, *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo*; id est, nemo in cælum ascendit, nisi ita incorporetur Christo, ut & ipse fiat quodammodò Christus: [P]. Homines „sancti, ait ille, & fideles Christi, fiunt cum „homine Christo unus Christus: ut omnibus „per ejus gratiam societatemque ascendenti„bus, ipse unus Christus *ascendat in cælum, qui* „*de cælo descendit*. Sic & Apostolus ait, *Sicut* „*in uno corpore multa membra habemus, omnia* „*autem membra corporis cùm sint multa, unum* „*est corpus: ita & Christus*. Non dixit ita „& Christi, id est, corpus Christi, vel mem„bra Christi; sed, *ita & Christus*: unum Christum apppellans caput & corpus".

Marginal notes: Actor. 9. 4. N. August. Serm. 79. de Tempore. Vide Serm. 49. & 53. de Verbis Domini, & ser. 35. de Diversis. — Vide Serm. 40. de Verb. Dom c. 6 & in Psalm. 26. & Epist 139 cap. 17. — Actor. 9. 5. — 1. Cor. 12. 12 — O. August. q 69. inter 83. — Ibid. v. 27. — Ioan. 3. 13. — P Idem l. 1. de Pec mer. cap 31. Vide Tract. 12. in Ioan. & Præfat. in Psalm. 142. & Serm 63. de Verbis Domini & Serm. 314. de Tempore.

LVIII. Liquet igitur ex ista deductione, non solùm *Herodem* infanticidam, qui Christum in cunis adhuc vagientem trucidare tentavit; vel *Archelaum*, cujus metu Josephus ex Ægypto cum puero redux *in Galilaam* (Mat. 2. 22.)

declinavit;

declinavit; vel *Herodem Antipam*. qui eundem [Luc.23. 11.] jam maturum *illusit, ac Pilato iudicandum remisit*: verum etiam *Herodem Agrippam*, qui Iaco- [Act. 12.2. & 4.] bum Christi Apostolum *gladio occidit*, & Petrum Apostólorum Principem carceri mancipatum *perimere constituit*, persecutoribus Christi congruenter annumerati. Neque enim minùs *Christi* fuerunt, quos ipse vel neçavit vel neci destinavit; quàm quos ille oppressit aut opprimendos suggessit, cui Christus insinnuit: [Act. 9.4.] *Saule, Saule, quid me persequeris*? De hoc quip- [Act. 7. 59.] pe scriptum est, quòd fuerit *consentiens neci* [Act. 9. 1.] *Stephani*, item quòd fuerit *spirans minarum & cadis in discipulos Domini*; de illo scriptum est, [Act. 12. 2.] quòd Apostolum *Iacobum gladio occiderit*, item [Ibib. v.4.] quòd *Petrum populo producendum apprehenderit*. Illum scilicet *Petrum*, qui præcipuus extitit [S. Leo Ser. 1. in Natali Apost. cap 7] eorum duorum, Q. quos gratia Dei in tan„tum apicem inter omnia Ecclesiæ membra „provexit: ut eos in corpore, cui caput est „Christus, quasi geminum constituerit lumen oculorum". Quisquis proinde quempiam talium tangit, quid nisi oculum Domini tangit? Et quid dico oculum? Etiam ocu- [Zach. 2. 8.] li pupillam, dicente ipso: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*. Qui ergò persecutus est Iacobum & Petrum Apostolos Christi, is absque ulla dubitatione persecutor fuit Christi. Quaprópter sicut *Nero* crucifigendo Petrum crucifixit in ipso Christum, ita *Herodes Agrippa* incarcerando Petrum incarceravit in [R. Ambros. Concione de non tradendis Basilicis. Vide Hegesip. lib. 3 de Excidio Hierosol. cap. 2. & Ivonem in Decreto p. 4. c. 140.] ipso Christum: R. Petrus, inquit Ambrosius, „victo Simone (*Mago*) cùm præcepta Dei „populo seminaret, doceret castimoniam, „excitavit animos Gentilium: quibus eum „quærentibus, Christianæ animæ deprecatæ „sunt ut paulisper cederet. Et quamvis esset „cupidus passionis, tamen contemplatione „populi precantis inflexus est: rogabatur „enim ut ad instituendum & confirman„dum populum se reservaret. Quid multa? „Noctę egredi muro cœpit, & videns sibi „in porta Christum occurrere, urbemque „ingredi, ait: *Domine, quò vadis*? Respon„dit Christus: *Venio Romam, iterum crucifigi*. „Intellexit Petrus ad suam crucem pertine„re divinum responsum: Christus enim „non poterat iterum crucifigi, qui carnem [Rom. 6. 10.] „passionis susceptâ morte exuerat: *Quòd enim* „*mortuum est, peccato mortuum est semel; quòd au*„*tem vivit, vivit Deo*. Intellexit ergò Petrus „quòd iterum Christus crucifigendus esset „in servulo". Ex persona Christi ait ad Deum [S. Greg. in Ps. 3. Pœnit. Vid Inno. 3. Ser. 2. de Pet. & Paulo. & Pet Blesen. Tr. de Convers. Pauli.] Psalmographus, *In quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam*. In quem locum Papa Gregorius: S. Ecce, inquit, jam caput no„strum sedet à dextris Dei, & tamen se di„cit tribulari. Ubi ergò *tribulatur*, nisi in cor„pore suo? Nam quod in corpore *tribulatur*,

„manifestè ostendit, quum *Saulo* persecutori „dixit, *Saule, Saule, quid me persequeris*? Et „quum ait *Petro*: *Venio Romam, iterum cru*„*cifigi*. Qui enim in seipso jampridem cru„cifixus fuerat, in *Petro* iterum se crucifigendum dicebat".

LIX. Sed ne fortè putarent ij qui post [PRÆOCCUPATIO.] Apostolorum decessum persequuntur fideles, se in eis non persequi Christum, nec imitari *Saulem* persecutorem Davidis præfigurantis Christum, nec obnoxios fieri pœnis persequentium Christum; notandæ sunt duæ sententiæ ipsius Christi; una nimirum quâ ait suis, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*, [Mat. 28. 20.] *usque ad consummationem seculi*: altera quam in extremo judicio prolaturum se prærindicat, videlicet: *Quamdiu uni ex fratribus meis mini-* [Mat. 25. 40.] *mis fecistis, mihi fecistis*. Non ait, ex Apostolis meis; sed, *ex fratribus meis*. Rursùs ne putaretur de eminentioribus duntaxat fratribus loqui, addidit, *minimis*. Porrò fratres suos reputat, quos suo sanguine promiscuè sanctificat: *Qui sanctificat*, inquit Apostolus, *& qui sancti-* [Hebr. 2. 11. & 12.] *ficantur, ex uno omnes: propter quam causam non confunditur* FRATRES *eos vocare, dicens:* [Psal. 21. 23.] *Nuntiabo nomen tuum fratribus meis*. Quicquid igitur unicuilibet horum fit, Christo fit; juxta illud Petri Blesensis: T. Qui in Euangelio ait, [T. Petr. Blesens. Tract. de Conversione Pauli.] „*Quamdiu uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*, injuriam suorum suam reputat". Imò verò, si Bernardo auscultamus, gravius est facinus pervertentium fratres istos Christi, facinore Judæorum crucifigentium ipsum Christum. Loquens quippe ille de *Saulo*, persequente in suis fratribus Christum: V. An non per- [V. Bernard. Serm. 1. de Conversione Pauli.] „sequebatur Christum, inquit, qui Chri„sti membra trucidabat in terris? An verò „persecuti sunt Christum, qui sacratissimum „illud corpus affixêre crucis patibulo, & non „persequebatur eum qui adversùs corpus „ejus, quod est Ecclesia, odio furebat ini„quo? Denique si proprium sanguinem „dedit in pretium redemptionis animarum, „non tibi videtur graviorem ab eo sustine„re persecutionem, qui suggestione ma„lignâ, exemplo pernicioso, scandali occa„sione, avertit ab eo animas quas redemit; „quàm à Judæo, qui sanguinem illum fudit? „Agnoscite, & expavescite consortia eorum „qui salutem impediunt animarum: horren„dum penitùs sacrilegium, quod & ipsorum „videtur excedere facinus, qui Domino majestatis manus sacrilegas injecerunt". De talibus rectè intelligitur scripsisse Psalmographus ex persona Christi, *Pretium meum* [Psal. 61. 5.] *cogitaverunt repellere*. Pretium utique, non quod pro me solutum, sed quo à me pro alijs est exolutum: pretium, non quo redemptus fuerim captivus, sed quo redemi captivos,

quibus

1. Cor 6. 20. 1. Pet 1. 18. & 19. quibus dicitur, *Empti estis pretio magno*: quibus dicitur, *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis; sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* W. Ille quippe, ut ait Augusti- W August. Tract. 47. in Joannem.
„ nus, emit, qui pretiosum sanguinem fu„ dit. Pretiosus sanguis est illius sine pec„ cato: fecit tamen ipse etiam suorum san„ guinem pretiosum, pro quibus dedit san„ guinem pretium: nam si suorum sangui„ nem non faceret pretiosum, non dicere- Psal. 115. 15
„ tur, *pretiosa in conspectu Domini Mors sanctorum ejus*". Qui ergò redemptos à Christo satagunt persecutionibus suis à recta fide abducere, ij sunt de quibus ex persona Psalm. 61. 5. Christi Psaltes ait, *Pretium meum cogitaverunt repellere*. In quem locum, Basilius: X Basil. in Psal 61. v. 5. 1. Cor. 7. 23. X. Pretium hominis, inquit, sanguis Christi „ est: *Pretio*, inquit, *empti estis*, *nolite fieri* „ *servi hominum*. Hoc itaque pretium cogi„ taverunt inutile nobis reddere, qui semel „ liberatos in servitutem rursus nos admo„ liuntur retrahere, malignissimi milites diaboli". Tales sunt non solùm pagani, qui Christo apertè adversantur; sed complures etiam Pseudochristiani, qui Catholicos in quaslibet hæreses aut schismata adigere moliuntur. De qualibus Bernardus loco proximè citato:" Videbatur, inquit, jam cessasse Bernardus.
„ persecutionis tempus, sed, ut palàm fa„ ctum est, nunquam deest persecutio „ Christiano, sed neque Christo. Et nunc, „ quod gravius est, ipsi Christum persequun„ tur, qui ob eo utique Christiani dicuntur; „ *Amici tui, Deus, & proximi sui adversùm te appropinquaverunt & steterunt*". Et hoc est Psal. 37. 12. quod Psaltes ibidem ex Christi persona subtexit: *Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.* Imò verò non solùm corde, sed & opere quoque maledicunt, qui, juxta Apostoli sententiam, *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Psal 61. 5. Vide Aug. Serm 11 de Verbis Apostoli. Tit. 1. 16.

CAPUT XVI.

A lapsu Protoplasti, omnium ævorum sancti membra fuêre Christi; qui proinde ab origine Mundi persecutionem est passus, & in suis membris occidi cœptus. Zara filius Judæ præmittendo manum capiti in sua nativitate, præsignavit Christum præmittentem quædam membra sua ante suam nativitatem. Sicut Christus præmisit membra sua, sic quoque Antichristus præmittere non cessat sua. Quotquot adversùs Ecclesiam prodeunt hæretici, præcursores sunt Antichristi. Si plenè discutiantur omnes hæreses, deprehendentur adventum Christi inficiari, atque adeò viam Antichristo præparare. Inaniter jactant se credere in Christum, qui Ecclesiam respuunt sponsam & corpus Christi. Qui Christum ab Ecclesia nititur separare, convincitur niti Christi corpus decollare, ac sic tam caput quàm corpus perimere.

LX. Quotquot igitur tyranni membra Christi persequuntur, quantumlibet Christiano nomine glorientur, Christum ipsum persequuntur, *ejusque pretium repellere moliuntur*. Psal. 61. 5. Unde & Christus cuilibet eorum regerit, quod olim *Saulo* Christianos infestanti regesserat, *Quid me persequeris?* Act. 9. 4. DUBIUM. Dubitatur autem utrùm Christus persecutionem passus fuerit etiam ab ijs, qui in lege naturæ vel Moysaica pios infestaverant, antequam ex utero matris indutus trabeâ carnis prodijsset, vel etiam in ipso matris utero eandem carnis trabeam induisset? DECISIO. Omninò passus fuerat. Quis enim, eum neget persecutionem pati, quem cernit occidi? Apoc. 13. 8. Cùm ergò Scriptura testetur Christum *Ab origine Mundi fuisse occisum*, planum est eundem ab origine Mundi persecutionem fuisse passum. Cæterùm circa modum quo Christus ab origine Mundi fuerit occisus, variant Interpretum sententiæ: alijs asserentibus eum ex tunc dici *occisum*, quia occisioni destinatum. Certitudo namque divinæ præordinationis efficit, ut etiam ea quæ futura sunt, facta dicantur; sicut de Deo scriptum est, quod *Fecerit quæ ventura sunt*. Isa. 45. 11. juxta 70. Verùm quia juxta hanc interpretationem omnes Sancti Martyres dicendi similiter essent ab origine Mundi, imò etiam ab æterno, occisi; idcircò ut aliquid peculiare censeatur Christo hîc attributum, alij existimant Christum eatenùs dici ab origine Mundi occisum, quatenùs occisio seu passio ejus cœpit exercere vim suam in justificandis hominibus ab origine Mundi, sive à lapsu primorum hominum, qui per meritum passionis Christi *educti sunt*

T. August. Epist. 157. Actor 4.12. *à delicto suo*: T. Profectò, inquit Augustinus,
,, quod scriptum est, *Non esse aliud nomen sub*
,, *cælo, in quo oporteat salvos fieri nos*, ex illo
,, tempore valet ad salvandum genus huma-
,, num, ex quo in Adam vitiatum est genus
humanum". Alij censent Christum ideircò
dici ab origine Mundi occisum, quia in
Abele primo Mundi Martyre figuraliter seu
Z Iren. l.4. cap.43. Vide ibid. cap.67. repræsentativè fuit occisus: Z. Passio justi,
,, ait Irenæus, ab initio præfigurata fuit in
,, *Abel*, & descripta à Prophetis, perfecta
,, verò in novissimis temporibus in filio
A. August. lib. 12. contr. Faust. c. 9. Vide l. 15. de Civit. c. 7 & 17. Dei". Et Augustinus: A. Occiditur *Abel* mi-
,, nor natu, inquit, à fratre majore natu: oc-
,, ciditur Christus caput populi minoris na-
,, tu, à populo Judæorum majore natu; ille
in campo, iste in Calvariæ loco". Et Serm.
29. in Psalmum 118.". Ecclesia tenis ab ini-
,, tio generis humani non defuit, cujus pri-
,, mitiæ *Abel* sanctus est, immolatus & ipse in
,, testimonium futuri sanguinis Mediatoris,
,, ab impio fratre fundendi: Nam & illud ab
Gen. 2.24. ,, initio dictum est, *Erunt duo in carne una*.
Ephes. 5. 32. ,, Quod *Magnum Sacramentum* Apostolus Pau-
,, lus exponens, *Ego*, inquit, *dico in Christo*
& in Ecclesia". Et Rupertus de eodem *Abele*
B. Rupertus l. 4. in Genes. cap. 4. loquens: B. Quid enim, inquit, nisi hoc
,, ipsum nobis de Christo loquitur vitâ &
,, morte suâ, quod literis Prophetiæ loquun-
,, tur & Evangelia? Totum utique quod
,, fecit, quod pertulit, parabola est & figura
Domini nostri JESV CHRISTI". Quapro-
pter sicut Christus in *Ioseph* fuit venditus,
in *Iacob* profugus, in *Isaac* supra naturam
genitus, in *Abraham* circumcisus, in *Noë* nu-
datus & irrisus: ita fuit in *Abel* primo Mar-
C. D. Thom. in c. 9. ad Hebræos lect. 5. tyre occisus: C. Id est, inquit Divus Tho-
,, mas, præfiguratus occidi, in occisione
Abel". Videri potest idem Lect. 4. in caput
12. ad Hebræos, item in 3. p. q. 13. art. 1.
in Corpore. Author Commentarij in Apo-
D. Ambrosiast. in c. 13. Apocalyp. calypsim sub nomine Ambrosij: D. *Agnus*,
,, inquit, *ab origine Mundi occisus est*, quia ejus
,, mors ab exordio generis humani in San-
,, ctis Patribus præfigurata est. In primo
,, namque homine præfigurata est, quando
,, eo dormiente, Eva de costa ejus facta est.
,, Similiter & in *Abel* præfigurata est, qui à
,, fratre *Cain* peremptus est. Præfigurata est
,, & per *Isaac*, quem pater in holocaustum
,, obtulit Domino: similiter & per *Ioseph*,
,, quem fratres vendiderunt. Præfigurata
,, etiam est mors ejus in diversis sacrificio-
,, rum ritibus. Quoties ergò mors Christi à
,, Sanctis Patribus aut præfigurata aut præ-
dicata est, quasi toties *Agnus occisus est*".

LXI. Aliâ quâdam ratione Christus dici
potest persecutionem passus in antiquis San-
ctis, qui incarnationem ejus præcesserant: ni-
mirum quia cùm impetuntur corporis cujus-
piam membra, persecutionem patitur caput
cui subordinantur eadem membra; siquidem
membrorum amputatio etsi non sit omni-
moda occisio, est saltem quædam mutilatio.
Porrò veteres omnes Sancti qui præcesserant
incarnationem Christi, membra fuerant cor-
poris Christi; adeoque eorum relectio fuit
quædam corporis istius mutilatio, ac per con-
sequens capitis persecutio. Unde ille qui di-
xit, *Pretium meum cogitaverunt repellere*, mox Psalm. 61. 5.
ibidem præmiserat, *Quousque irruitis in homi-* Ibid. v. 4.
nem? sive, ut Augustinus legit, *Quousque ap-*
ponitis super hominem? E. Unus enim homo cum E. August in Psalm. 61. Ephes. 2. 15.
,, capite & corpore suo JESVS CHRISTVS Sal-
,, vator corporis & membrorum corporis, duo
,, in carne una, & in voce una, & in passione
,, una, &, cùm transierit iniquitas, in requie
,, una. Passiones itaque Christi non in solo
,, Christo: imò passiones Christi non nisi in
,, Christo. Si enim *Christum* intelligas caput &
,, corpus, passiones Christi non nisi in Christo:
,, si autem *Christum* intelligas solum caput,
,, passiones Christi non in solo Christo. Si
,, enim passiones Christi in solo Christo, ni-
,, mirum in solo capite, unde dicit unum
,, quoddam membrum ejus Paulus Aposto-
,, lus, *Vt suppleam quæ desunt pressurarum Christi* Col. 1. 24.
in carne mea"? Et rursùs ibidem post pauca:
,, Passionum omnium, inquit, non erit finis, Vide Serm. 40. de Tempore, & l. de Catech. Rudibus c. 19. Mat. 23. 35.
,, nisi cùm sæculum fuerit finitum. Hinc est
,, illud, *Quousque apponitis super hominem*?
,, Quicquid enim passi sunt Prophetæ, *A san-*
,, *guine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ*,
,, appositum est super hominem: quia præces-
,, serunt adventum Christi quædam mem-
,, bra Christi, sicut in nascente quodam,
,, *Nondum quidem procedente capite præcessit* Gen. 38. 27.
,, *manus*, sed tamen capiti connectebatur
,, manus. Nolite ergò putare, omnes justos
,, qui passi sunt persecutiones impiorum,
,, etiam illos qui venerant missi ante Domi-
,, ni adventum prænunciare Domini adven-
,, tum, non pertinuisse ad membra Christi.
,, Absit ut non pertineat ad membra Christi,
,, qui pertinet ad civitatem quæ Regem ha-
,, bet Christum. Illa una est Hierusalem cæ-
,, lestis, Civitas sancta; hæc una civitas
,, unum habet Regem, Rex hujus civitatis
,, Christus est, ipse enim ei dicit: *Mater Sion*, Psalm. 86. 5.
,, *dicet homo*. Dicit ei mater, sed homo: *Mater*
,, enim *Sion dicet homo, & homo factus est in ea,*
,, *& ipse fundavit eam Altissimus*. Ille ergo Rex
,, ejus, qui eam fundavit Altissimus, ipse in ea
,, homo factus est humillimus. Ipse ergò ante
,, adventum incarnationis suæ præmisit quæ-
,, dam membra sua, post quæ prænuncian-
,, tia se venturum, venit & ipse: connexus
,, eis refert similitudinem nascentis illius,
,, quia *manus ante caput procedens* & cum ca-
,, pite est, & sub capite est. De Christo enim
dictum

„ dictum est cùm laudaretur excellentia po-
„ puli primi, & delerentur fracti rami na-
Rom. 9. 4. & 5. „ turales, *Quorum adoptio & testamenta & „ legis constitutio, quorum Patres ex quibus „ Christus secundùm carnem, qui est super om- „ nia benedictus in secula Deus.* Ex quibus „ Christus secundùm carnem tanquam ex „ Sion, quia *homo factus est in ea*: quia Chri- „ stus super omnia Deus benedictus in secu- „ la, quia *ipse fundavit eam Altissimus.* Ex qui- „ bus Christus secundùm carnem, filius Da- „ vid: qui est super omnia Deus benedictus „ in secula, Dominus David. Tota ergò „ illa civitas loquitur, *à sanguine Abel justi,*
Matt. 23. 35. „ *usque ad sanguinem Zachariæ*: inde & dein- „ ceps à sanguine Ioannis, per sanguinem „ Apostolorum, per sanguinem Martyrum, „ per sanguinem fidelium Christi: una civi- „ tas loquitur, unus homo dicit: *Quousque* „ *apponitis super hominem*"?

LXII. Et quid mirum est præmisisse Christum quædam membra sua, in quibus passus fuerit persecutionem; cùm etiam Antichristus præmiserit & præmittat satellites suos, per quos intulit & infert Christi membris persecutionem? Omnes ab initio sectatores pietatis membra fuerunt Christi, sicut ex adverso persecutores veritatis ac sanctitatis prodromi sunt Antichristi; usque adeò quidem, ut Beatus Joannes non vereatur eos vocare *Antichristos*, ampliando nimirùm ad impia membra nomen execrandi capitis.
1. Joan. 2. 18. Nam cùm dixisset *Antichristum venire*, id est, appropinquare, accedere, adventare, continuò subdidit, *Et nunc Antichristi multi facti sunt.* Ejusdem quoque Apostoli est illa regula generalis: *Omnis spiritus qui solvit* JESUM, *ex Deo*
1. Joan. 4. 3. *non est; & hic est Antichristus.* Monet Cyrillus
F. Cyrillus Catech. 15. Vide Orig. Homil. 30. in Matth. Hierosolymitanus in Catechesibus, F. Anti- „ christum jam aliqua ex parte cœpisse præ- „ mittere suos præcursores, ut paratus deindè veniat ipse ad venationem". Quandonam verò ipse adveniet, qui præcursores suos jam pridèm præmittere cœperat, indicat idem Cyrillus, ibidem paulò inferiùs addens: Ve- „ niet autem hic prædictus Antichristus, cùm „ impleta fuerint tempora Imperij Romani, „ & Mundi consummatio appropinquabit". Veniet igitur tunc demùm in sua persona, qui jam dudum præmittere cœpit suos prodromos, quos Tertullianus perindè ac Cyril-
G Tert. l. 5. cont. Marc. cap. 16. Irenæus. lus, G. *Antichristi præcursores spiritus*, nominat. Irenæus quoque lib. 1. c. 8. Marcum quendam hæresiarcham vocat *Antichristi præcursorem.*
Tertullian. Quin & Tertullianus lib. de Præscr. c. 4. hæreticos indiscriminatim appellat Antichristos, translato scilicet vocabulo ducis ad satellites, capitis ad membra, præfigurati ad præfigurantes, subsecutoris ad præcursores: „ Qui sunt *Antichristi*, inquiens, interim &

„ semper, nisi Christi rebelles? Hoc etiam „ hæreses, non minùs doctrinarum perversi- „ tate Ecclesiam lacessentes, quàm tunc Antichristus persecutionum atrocitate perse- „ quetur, nisi quòd persecutio & Martyres facit, hæresis apostatas tantùm". Ambrosius item *Arium* hæresiarcham appellat *Antichristum*, similiter & hæresiarcham *Sabellium*: ac
H Ambros. l. 10. in cap. 21. Luc. Vide de ea-lione Aug. l. 3. Operis Imperf. c. 132. tunc subdit generaliter, H. Imò omnes sunt „ *Antichristi*, qui pravà nos interpretatione seducunt". Quòd si hæreticæ hujusmodi seductioni commisceatur atrocitas persecutionis, ex commixtione potiori titulo *Antichristos* con-
Athanasius. stituet. Sic Athanasius §. 46. relatus *Constantium* Cæsarem Arianismi propugnatorem, & Catholicorum persecutorem, *Antichristum* ap-
Hilarius. pellat. Idem facit & Hilarius aliquoties in libris ad eundem *Constantium*. Qui tamen in libello ad eundem jam vità functum, ita se explicat, ut non tam Antichristum, quàm Antichristi præcursorem haberi eum velit: "Chri- „ stianum te mentiris, inquiens, Christi novus „ hostis es: *Antichristum* prævenis, & arcanorum ejus mysteria operaris". Lucifer item
Lucifer Calaritanus. Calaritanus lib. De non parcendo in Deum delinquentibus, eundem *Constantium* his verbis alloquitur: Non me debes contumelio- „ sum judicare, quòd dicam te immundo spi- „ ritu agi, quòd dicam te Antichristi præcursorem". Et mox iterum: " Non credimus „ tibi dicenti de Filio, *Factus est ex nihilo*: cog- „ novimus enim hoc non posse dicere nisi „ Pseudoprophetæ spiritum, nisi *Antichristi* „ præcursorem, nisi satellitem atque mancipium dæmonum". Notanda denique in hanc
I. Hilar. lib. contra Auxentium. rem est illa Hilarij sententia, dicentis: I. *An-* „ *tichristos* plures esse, etiam Apostolo Ioanne „ prædicante, cognovimus. Quisquis enim „ Christum, qualis ab Apostolis est prædi- „ catus, negavit, *Antichristus* est. Nominis „ *Antichristi* proprietas est, Christo esse contrarium". Neque verò hanc ignominiæ notam effugiunt, qui hæresim quamcunque vel invehunt, vel fovent, quantumlibet integrè se in Christum credere jactent. Nam, ut rectissimè Augustinus asserit & astruit,
K. Aug. Ser. 51. de Verb. Apost. c. 9. K. Si discutiamus omnes hæreses, invenie- „ mus eas negare *Christum in carne venisse*". Quod cùm ita sit, consequens profectò est
1. Joan. 4. 3. omnem hæreticum *solvere* JESUM; atque adeò, juxta sententiam Ioannis Apostoli mox relatam, *ex Deo non esse*, sed *Antichristum esse.* Maximè verò omnium detestandi & execrandi videntur, qui cùm profiteantur se Christum venerari, Ecclesiam persequuntur. Cùm enim juxta veridicam Apostoli do-
Ephes. 4. 15. Ephes. 5. 23. ctrinam *Ecclesiæ caput sit Christus*, & vicissim *Ecclesia Corpus Christi*: profectò qui Ecclesiam persequuntur, separare corpus à capite moliuntur; atque adeò caput cum corpore per-

 dere

dere atque extinguere velle convincuntur. Quod ne gratis à me confictum putetur, adduco Augustinum pro me loquentem, ac cum unoquoque taliter sentientium, aut potiùs sævientium ita expostulantem: L. Quare „ credis de capite, & non credis de corpore? „ Quid tibi fecit Ecclesia, ut eam velis quo„ dammodò decollare? Tollere vis Ecclesiæ „ caput, & capiti credere, corpus relinquere „ quasi exanime. Sine causa capiti, quasi fa„ mulus devotus, blandiris: qui decollare „ vult, & caput & corpus conatur occide„ re". Ecce quàm truces tyranni, quàm sævi præcursores Antichristi sint, qui profitentes se credere in Christum, & colere Christum, Ecclesiam aversantur & persequuntur Christi: quasi hoc non sit adversari Christo, & persequi Christum! Quis enim magis *Antichristus*, hoc est, adversarius Christi, & persecutor Christi, quàm qui parricidali machærâ jugulum impetit Christi, & sacrilego nisu gestit decollare Christum, divellendo corpus Christi à capite Christo? Si Augustinus non dubitavit Julianum hæreticum appellare M *novum Antichristum*, eò quòd contradiceret Apostolo in quo loquebatur Christus; quanto magis ij sunt *Antichristi*, qui gladios suos distringunt in cervicem Christi, ut separent caput à corpore Christi, atque ita cùm corpore perimant caput Christum?

L. August. Serm 41 de Verbis Domini cap. 8.

M. August. lib. 1. Operis imperf. cap. 112.

CAPVT XVII.

Saul in suis angustijs consulendo pythonissam, eorum prætulit typum, qui, pro tutando vel ampliando Principatu, parati sint suscitare Leviathan. Diabolus ambiendo divinitatem, invexit divinationem; cujus multiplices recensentur species. Quantoperè Christus suo adventu genus bearit humanum, quod anteà passim fuerat nequissimorum dæmonum ludibrium? De oraculorum silentio quid Iulianus & Porphyrius apostata prodiderint, quid item Plutarchus ethnicus censuerit? Apollinis Pythij de silentij sui causa responsum, Augusto Cæsari sciscitanti perhibitum. Primogenito Dei ara maxima in Romano Capitolio ab eodem Cæsare erecta. Tiberij Cæsaris temporibus Pana Magnum obijsse Epithersis evulgat. Funus corvi loquacis sub idem tempus Romæ celebratum, quid innuerit?

LXIII. IN eo quòd Rex *Saul* in suis angustijs *consuluerit pythonissam*, typum gessit Regum sive Principum, qui Deo diffisi ad ejus hostes pro ope recurrunt; replicantes viritim illud Junonis deastræ apud Maronem, N. *Quòd si mea numina non sunt magna satis, dubitem haud equidem implorare quod usquam est: Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo.* Duplici olim præcepto Deus cavit, ne quisquam de suo populo recursum haberet ad pythones aut pythonissas: primò namque jussit tales personas occidi, ac sic omnem ansam recurrendi præcidi: *Vir*, inquiens, *sive mulier, in quibus pythonicus vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur. Lapidibus obruent eos: sanguis eorum sit super illos.* Secundò in eventum negligentiæ super isto primo, adjecit alterum, quo vetuit directè ipsum recursum, dicens: *Non inveniatur in te qui ariolos sciscitetur, & observet somnia atque auguria; nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, aut quærat à mortuis veritatem: omnia enim hæc abominatur Dominus.* Rectè sanè abominatur, quia omnia & singula includunt vel supponunt & approbant fœdus quoddam cum jurato hoste Dei, qui nihil omninò agit nisi ex capitali odio Dei, & perversè semper ambit similitudinem Dei. Unde quia Deus ex peculiari quadam prærogativa dicitur *Deus scientiarum*, & *docens hominem scientiam*, ipse item per Prophetam ait, *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dij estis*: idcircò perversus ille divinitatis æmulator, docere hominem scientiam, etiam eorum quæ in futurum ventura sunt, affectat, ut se *Deum scientiarum* vel Deo scientiarum æqualem esse persuadeat. Circumspiciens ergò & quærens aptos suo magisterio discipulos, seligit è toto hominum cœtu aliquos, quos curiositatis vitio præ alijs cernit infectos: O. Omnium, inquit „ Papa Leo, discutit consuetudines, ventilat curas,

1. Reg. 28. 8.

N Lib. 7. Æneidos.

Lev. 20. 27.

Deut. 18. 10. & seqq.

1. Reg. 2. 3.

Psalm. 93. 10.

Isa. 41. 23. Vide Theodoret. Sermo 10 contra Græcos sub initium, & Lactant. Lib. 2. c. 16. & 17.

O. Leo Ser. 7 de Nativit. Christi c. 3.

„ curas, ſcrutatur affectus: & ibi cauſas quæ-
„ rit nocendi, ubi quemque viderit curioſitas
„ occupari. Habet enim multos ex eis, quos
„ tenacius obligavit, aptos ſuis artibus, quo-
„ rum ad alios decipiendos & ingenijs utatur
„ & linguis. Per iſtos remedia ægritudi-
„ num, indicia futurorum, placationes dæ-
„ monum, & depulſiones promittuntur um-
„ brarum. Adduntur & illi, qui totam hu-
„ manæ vitæ conditionem, de ſtellarum pen-
dêre effectibus mentiuntur". In quibus ver-
bis illa clauſula, *indicia futurorum*, cunctas
diabolicarum divinationum ſpecies genera-
liter complectitur: de quibus videri poteſt
Iſidorus. Rabanus. Iſidorus lib. 8. Originum cap. 9. & Rabanus
Maurus lib. 15. de Univerſo cap. 4. & rursùs
in peculiari libello, *de Magorum præſtigijs falſiſ-
que divinationibus* inſcripto. Sed & jam olim
Plinius aliquot earum commemoraverat ex
P. Plin. l. 30. cap. 2. Oſthane: P. Species magiæ, inquiens, plu-
„ res ſunt: nam & ex aqua, & ſphæris, &
„ aëre, & ſtellis, & lucernis, & pelvibus, &
„ ſecuribus, & multis alijs modis divina pro-
„ mittit; præterea umbrarum, inferorumque
Joan. Sarisberienſ. colloquia". Joannes quoque Sarisberienſis
in ſuo Policratico pluries eandem materiam
eventilat: nam lib. 1. cap. 11. ſpecies divi-
nationum ex Varrone recenſet quatuor, to-
tidem elementis Mundi reſpectivè corre-
ſpondentes, *Pyromantiam*, *Aëromantiam*, *Hy-
dromantiam*, & *Geomantiam*. Rursùs capite
proximè ſequenti tractat de *Incantatoribus*,
Ariolis, *Pythijs*, *Vultivolis*, *Imaginarijs*, *Conjecto-
ribus*, *Chiromanticis*, *Specularijs*, *Mathematicis*,
qui & *Genethliaci* dicuntur & *Horoſcopi*, *Saliſſa-
toribus*, *Haruſpicibus*, *Auſpicibus*, *Auguribus*, *Sor-
tilegis*. Iterùm lib. 2. cap. 19. fusè diſputat
contra *Aſtrologos judiciarios*, & cap. 27. exagitat
Haruſpices & *Chiromanticos*, ſed longè prolixiùs
diſſerit contra *Pythonicos*.

LXIV. Omnium verò qui hanc diaboli-
cam artem proſcripſerunt accuratiſſimus ex-
titit Auguſtinus, ex cujus Scriptis poſteriores
quique Tractatores ſua paſſim decerpſerunt.
Scripſit quippe ille peculiarem librum, *de Di-
vinatione dæmonum* intitulatum. Alibi quo-
que crebrò eandem materiam occaſione datâ
vel arreptâ verſat, ſignanter lib. 2. de Doctri-
na Chriſtiana cap. 20. & aliquot ſequenti-
Q. Aug. l. 2. de Doctrina Chriſt. c. 23. bus, ubi hæc inter alia occurrunt: Q. Occulto
„ quodam judicio divino cupidi malarum
„ rerum homines traduntur illudendi & de-
„ cipiendi pro meritis voluntatum ſuarum,
„ illudentibus eos atque decipientibus præva-
„ ricatoribus Angelis, quibus iſta pars Mundi
„ infima, ſecundùm pulcherrimum ordinem
„ rerum, divinæ providentiæ lege ſubjecta eſt.
„ Quibus illuſionibus & deceptionibus eve-
„ nit, ut iſtis ſuperſtitioſis & pernicioſis divina-
„ tionum generibus multa præterita & futu-
„ ra dicantur, nec aliter accidant, quàm di-
„ cuntur; multaque obſervatoribus ſecundum
„ obſervationes ſuas eveniant, quibus impli-
„ cati curioſiores fiant, & ſeſe magis magiſ-
„ que inſerant multiplicibus laqueis perni-
„ cioſiſſimi erroris. Hoc genus fornicationis
„ animæ ſalubriter divina Scriptura non ta-
„ cuit; neque ab ea ſic deterruit animam, ut
„ propterea talia negaret eſſe ſectanda, quia
„ falſa dicuntur à profeſſoribus eorum: ſed
„ etiam *ſi dixerint vobis* inquit, *& ita evene- Deut. 13. 2. & 2.
„ rit, non credatis eis*. Non enim quia imago
„ *Samuëlis* mortui vera *Sauli* Regi prænuncia-
„ vit, propterea talia ſacrilegia, quibus imago
„ illa præſentata eſt, minùs execranda ſunt:
„ aut quia in Actibus Apoſtolorum *ventrilo- Actor. 16. 16
„ qua fœmina* verum teſtimonium perhibuit
„ Apoſtolis Domini, ideò Paulus Apoſtolus
„ pepercit illi ſpiritui, ac non potiùs fœminam,
„ illius dæmonij correptione atque excluſione
„ mundavit. Omnes igitur artes hujuſmodi
„ vel nugatoriæ vel noxiæ ſuperſtitionis, ex
„ quadam peſtifera ſocietate hominum & dæ-
„ monum, quaſi pacta infidelis & doloſæ
„ amicitiæ conſtituta, penitùs ſunt repudianda
„ & fugienda Chriſtiano: *Non quod idolum ſit 1. Cor. 10. 19 & 20.
„ aliquid*, ut ait Apoſtolus, *ſed quia quæ immo-
„ lant, dæmonijs immolant, & non Deo: nolo au-
„ tem vos ſocios fieri dæmoniorum*. Quod autem
„ de idolis, & de immolationibus quæ honori
„ eorum exhibentur, dixit Apoſtolus, hoc
„ de omnibus imaginarijs ſignis ſentiendum
„ eſt; quæ vel ad cultum idolorum, vel ad
„ creaturam ejuſve partes tanquam Deum
„ colendas trahunt; vel ad remediorum,
„ aliarumque obſervationum curam perti-
„ nent, quæ non ſunt divinitùs ad dilectio-
„ nem Dei & proximi tanquam publicè con-
„ ſtituta, ſed per privatas appetitiones rerum
„ temporalium corda diſſipant miſerorum.
„ In omnibus ergò iſtis doctrinis ſocietas
„ dæmonum formidanda, atque vitanda
„ eſt; qui nihil, cum Principe ſuo diabolo,
„ niſi reditum noſtrum claudere atque ob-
ſerare conantur". Et mox initio capitis ſe-
quentis, loquens de prognoſticis divinato-
rum ſignis: " Quæ omnia, inquit, tantum
„ valent, quantum præſumptione animo-
„ rum, quaſi communi quâdam linguâ cum
„ dæmonibus fœderata ſunt. Quæ tamen
„ omnia plena ſunt peſtiferæ curioſitatis, cru-
„ ciantis ſollicitudinis, mortiferæ ſervitutis.
„ Non enim quia valebant, animadverſa
„ ſunt; ſed animadvertendo atque ſignando
„ factum eſt, ut valerent: & ideò diverſis
„ diverſa proveniunt, ſecundum cogitationes
„ & præſumptiones ſuas. Illi enim ſpiritus,
„ qui decipere volunt, talia procurant

cuique, qualibus eum irretirum per suspiciones & consensiones ejus viderint". R. Hi ergò spiritus, inquit Cyptianus, sub statuis, atque imaginibus consecratis delitescunt: hi afflatu suo vatum pectora inspirant, extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt, falsa veris semper involvunt; nam falluntur & fallunt: vitam turbant, somnos inquietant, irrepentes etiam in corpora occultè mentes terrent, membra distorquent, valetudinem frangunt, morbos lacessunt; ut ad cultum sui cogant, ut nidore altarium, & rogis pecorum saginati, remissis quæ constrinxerant, curasse videantur: hæc est de illis medela, cùm illorum cessat injuria: nec aliud illis studium est, quàm à Deo homines avocare, & ad superstitionem sui ab intellectu veræ Religionis avertere; cùm sint ipsi pœnales, quærere sibi ad pœnam comites, quos ad crimen suum fecerint errore participes ".

R. Cypr. lib. de Idolor. vanitat. Vide Minutium in Octavio.

LXV. Ingens sanè beneficium generi humano vel ex uno isto capite præstitit Christus, quòd statim à suo in Mundum appulsu obmutescere fecerit dæmones, pridem in suis oraculis loquacissimos: S. Ante adventum quippe Salvatoris nostri, inquit Theodoretus, quâdam veluti nebulâ terram obregente, infesti hominibus maligni dæmones, velut sicarij quidam atque grassatores, insidijs ac laqueis utebantur, omni retium genere humanam naturam captantes: postquàm verò lux veritatis exorta est, in fugam se dederunt universi, & sua deseruêre oracula. Itaque cùm apparuisset, exclamarunt: *Sine, quid nobis & tibi, Iesv fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos?* Alij verò rursùs *obtestabantur eum, ne ipsos in abyssum mitteret.* Philippis autem pythonis spiritus, de Apostolis vociferando testatus est: *Hi homines servi sunt Dei Altissimi, qui annunciant vobis viam salutis.* Videntes itaque præconium veritatis per omnes terras diffundi, transfugarum militum more, cùm, post magna horrendaque perpetrata facinora, sentirent instare Regis præsentiam, fugam arripuerunt, & vacua insidiarum loca deseruerunt, universorum autem Rex stationes illorum funditùs destruxit. Nullæ proinde divinationes ad Castaliæ aquas fiunt, nullæ ad Colophonium fontem: nihil prædicit lebes Thesbrotius, nihil tripos Cirrhæus, nec Dodonæum æs garrit, nec vulgatissima illa quercus: Sed tacet Dodonæus, tacet & Colophonius, & Delius, & Pythius, & Clarius, & Didymæus, & Lebadia, & Trophonij antrum, & Amphilochus, & Amphiaraus, & Ammon, Chaldæorumque & Tyrrhenorum per mortuos divinatio: silentium enim illis imperavit, *qui*, ut ait Propheta, *increpat abyssum, & exsiccat eam*: qui dicit abysso, *Relinquêris deserta, & fluvios tuos exsiccabo*". Hæc ibi Theodoretus: cui consonans Magnus Athanasius: T. Olim quidem, inquit, ubique Delphica, Dodonæa, Bæotia, Lycia, Ægyptiaca, Cabirorum oracula imposturis vaticiniorum scatebant, Pythia apud homines in admiratione erant: nunc ex quo Christus ubique prædicatur, ejusmodi vesania conquieverunt, nec superest ullus fatidicus". Silentium istud oraculorum ethnici ipsi facilè notarunt, licet veram ejus causam vel penitùs ignorarent, vel certè dissimularent. Iulianus apostata contendit cessisse oracula conversionibus temporum, hoc est, senio quodam vel morte, vel fato conticuisse: V. *Divinus ille afflatus*, ait ipse, *qui homines invadit, rarò sanè & in paucis fit: nec quivis facilè particeps eius esse potest, nec quovis tempore.* ... *inde cessavit apud Hebræos, nec apud Ægyptios item perdurat adhuc: sed videntur quidem genuina oracula cedere temporum conversionibus.* Cui respondens ibidem subsequenter Cyrillus ita ait: " *Afflatum divinum* hic appellat falsorum vatum instinctum, qui divinum furorem ac fatidicam vim præ se ferre solebant, ut mendacium suum faciliùs venditarent. Plurimi verò hi fuerunt, & multiplex imposturæ modus: alij enim avium inspectione, alij ex igne, alij ex farinis vaticinabantur. Adde his haruspices, & qui victimarum nidorem in aëra erumpentem curiosè scrutabantur. Erant & qui mortuorum umbras evocarent ventriloqui, & prodigiorum interpretes. In his igitur *afflatum* diabolicum *cessasse* ait: quæ verba laudo quidem & approbo, sed causam ipse ignoravit cur cessarit mendacium, & *genuina*, ut ait, *oracula siluerint.* Postquàm enim Mundo Christus illuxit, concussa est omnis illa dæmoniorum tyrannis, & velut scena quædam puerilibus crepundijs scatens soluta fraus est, ac impurissimi execrandique dæmones Inferorum portis coerciti sunt, licèt olim terram omnem quæ sub Sole est pervagati". Et rursùs post pauca ibidem subdit: " Quod autem ait, *Apud Hebræos ipsos propheticum Spiritum defecisse*: respondemus, Christum fuisse legis ac Prophetarum finem: omnes enim quotquot olim sancti fuerunt, & rerum futurarum præscij, immissâ à Deo per sanctum Spiritum cognitione mysterium Christi proclamarunt: posteaquàm autem advenit ipse, ac mortalibus apparuit, cessavit quidem Prophetiæ veteris gratia, Deus tamen

nunc

S. Theodor. de curandis Græc. affect. Serm. 10.

Mat. 8. 29.

Luc. 8. 31.

Act. 16. 17.

Nah. 1. 4.

Isa. 50. 2.

T. Athanas. Orat. de Incarn. Verbi.

V. Julian. apud Cyrillum l. 6 contra ipsum.

Cyril. Alexandrinus.

"nunc quoque sanctis pro sua voluntate inspirat futura, & in sanctis animabus habitat. Quamobrem non dicas *Spiritum defecisse*, sed nos in novitatem gratiæ translatos".

LXVI. Quin etiam Juliano non ætate duntaxat, sed & apostasiâ à Christiana Religione vetustior Porphyrius, W. *Christianorum*, ut Augustinus ait, *acerrimus inimicus*: ipsos Gentium Deos inducit confitentes oraculorum cessationem: X. Audias nunc, inquit Eusebius, quæ responsa Deorum deficientibus oraculis in suo libro de Responsis Porphyrius recitat: *Ablata est Pythij vox, haud revocabilis illi, Temporibus longis. Etenim iam cessit Apollo: Clavibus occlusus silet*". Evenit itaque Apollini quod scriptum est, *Fortior illa superveniens vicit eum, & universa arma eius abstulit, in quibus confidebat*. Usque adeò quidem *universa*, ut ne linguam ipsam ei reliquerit ad seducendos homines expeditam. Alibi quoque legimus eum cuidam dæmonio adulatoriè sibi dicenti, *Scio quis sis, Sanctus Dei*; comminatoriè dixisse, *Obmutesce*. Rursùs post pauca ibidem de ipso subditur: *Dæmonia multa ejiciebat, & non sinebat ea loqui*. Ipse profectò Apollo, in oraculis fundendis pridem vocalissimus, silentium sibi impositum à Christo adhuc puero confessus est. Historiam refert Nicephorus, consonante Suidâ, his verbis: Y. "Cæsar Augustus rebus quàm plurimis præclarè feliciterque gestis clarus, primusque ipse Monarcha renuntiatus, provectiore jam ætate ad oraculum Pythij Apollinis venit: & sacrificio omnium maximo, quod *Hecatombe* dicitur, dæmoni oblato, quæsivit, quisnam post ipsum administraturus esset Imperium? Sed cùm nullum ederetur responsum, alterum quoque adjecit sacrificium, denuò rogans, cur oraculum pluribus aliàs verbis uti consuetum, nunc obticuisset? Cui post parvulam interpositam moram, hunc in modum fuit responsum: *Me Puer Hebræus, divos Deus ipse gubernans, Cedere sede iubet, tristemque redire sub orcum. Aris ergò dehinc tacitus abscedito nostris*. Tali responso accepto, Cæsar Romam est reversus, atque ibi in Capitolio aram maximam extruxit, cum ejusmodi latina inscriptione: *Ara primogeniti Dei*". Veram istam silentij oraculorum causam, ab ipso etiam Apolline etsi coactè proditam, ethnici Scriptores sive Christianismi odio, sive Imperatorum adhuc idololatriæ deditorum metu ducti, dissimularunt; sed ne nihil dicere viderentur, alias causas, planè futiles ac ridiculas, excogitarunt: signanter Plutarchus cum suis Collocutoribus in Dialogo, quem *de Oraculorum defectu*, hoc est, *de Deorum silentio*, inscripsit: cujus Dialogi bonam partem huc spectantem transcripsit Eusebius lib. 5. Præparationis Euangelicæ cap 8. & 9. Unde cernere licet, Collocutores illos eousque devolutos esse, ut existimarent dæmones esse mortales. In cujus rei confirmationem proferunt testimonium *Epitherfis*, qui temporibus Tiberij Cæsaris navigans propè Echinadas insulas audierit navarchum ingenti clamore nominatim compellari, ac juberi, *ut quando ad paludem perveniret, annunciaret, Pana magnum obiisse*. Quod cùm ille præstitisset, ingens inde ejulatus in palude subsecutus est. Cui sive historiæ, sive fabulæ, ex Plutarcho relatæ idem Eusebius addit hanc coronidem: Z. "Animadvertendum arbitror diligenter, quo tempore dæmonem obiisse memoret: quippe Tiberij tempore Salvator ac Dominus noster cum hominibus conversatus, omne dæmonum genus ab humana depulit vita. Habes igitur etiam à summis apud Gentiles viris, non alio tempore unquam, quàm temporibus Salvatoris nostri, dæmones fuisse extinctos". Non utique secundùm naturam, quà immortales sunt & inextinguibiles: sed secundùm Principatum, quem catenùs exercuerant in genus humanum. Unde dicit Apostolus, Christum participasse carni & sanguini, *ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum*. Quoniam igitur ista diaboli destructio facta est per Christi Passionem, in tempus Tiberij Cæsaris incidentem; idcircò de ea intelligi debent, quæ de magni dæmonis interitu relata sunt ex Plutarcho. Rursùs quia dæmon non tantùm fuit per Christi crucem *destructus*, sed etiam in barathrum retrusus; hæc ipsa retrusio adumbrata fuit tempore ejusdem Tiberij Cæsaris, per sepulturam *corvi*, typi nimirum aterrimi cacodæmonis: A. Cujus funus, teste Plinio, innumeris "celebratum fuit exequijs, tibicine præcedente loculum, super duorum Æthiopum humeros constratum": nigris utique deportantibus nigrum. Ubi & illud observatu dignum est, quòd sicut diabolus priusquàm per Christum destrueretur, fuerat valde loquax in oraculis, ita & *corvus* ille in rostris; dicente ibidem Plinio de ipso: "Maturè sermoni assuefactus, omnibus matutinis evolans in rostra, in forum versus, *Tiberium*, deinde *Germanicum* & *Drusum* Cæsares nominatim, mox transeuntem populum Romanum salutabat".

W. August. l. 19 de Civit. cap. 22.

X. Euseb. l. 5. Præparat. Euang. c. 8.

Luc. 11. 22.

Marc. 1. 25.

Ibid. v. 34.

Y. Nicep. l. 1. Hist. Eccl. cap. 17.

Apollo.

Plutarchus.

Eusebius.

Z. Euseb. l. 5. Præp. Euangel. cap. 9.

Heb. 2. 14.

A. Plin. lib. 10. cap. 43.

CAPUT

CAPVT XVIII.

Engastrimythi sive ventriloqui cur Pythonici *dicti, & cur Apollo dictus* Pythius*? Perplexæ oraculorum ambages compluribus attulêre perniciem. Apollo cur* Loxias *cognominatus? Futurorum certâ prænotione destitutus, oracula sua involvebat caligine obscuritatis; ancipiti prædictione cavens, ne falsitas deprehenderetur. Saulis ad pythonissam recurrentis sacrilega temeritas expenditur, & prætensa expurgatio amputatur. Utrùm in atheismi voraginem sit prolapsus? An Samuel in veritate ei apparuerit, aut verò dæmon præstigiosè illuserit? Rursùs si Samuel reverâ apparuerit, cujusnam operâ adductus eò fuerit? Habeantne dæmones potestatem in animas justorum corporibus exolutas?*

LXVII. His ita generaliter de multifariâ per dæmones invectâ divinatione, deque oraculorum per Christum factâ abolitione, præmissis; redeundum nobis est ad *Saulem* & ejus *Pythonissam*, quorum occasione digressionem illam fecimus. Recolendum itaque est ex ijs quæ §. 63. dicta sunt, inter divinatores recenseri eos qui peculiari vocabulo appellantur *Pythij*, subinde & *Pythones*, de quibus Isidorus, „ *Pythones*, inquit, à *Pythio* „ Apolline dicti sunt, quòd is author fuerit divinandi". Cur autem ille dictus fuerit *Pythius*, exponit inferiùs cap. 11. *Pythium*, „ inquiens, Apollinem vocari aiunt, à *Pythone* „ immensæ molis serpente, cujus non magis „ venena quàm magnitudo terrebat. Hunc „ Apollo sagittarum ictibus sternens, nomi- „ nis quoque spolia reportavit, ut *Pythius* „ vocaretur: unde & ob insigne victoriæ Pythia sacra celebranda constituit". Quoniam igitur Apollo à Gentilibus habitus fuit divinationis author, & is dicebatur *Pythius*; idcircò qui ipso velut inhabitante vel inspirante divinabant, *Pythij* dicti sunt, vel *Pythones*. Rursùs quia hi ut plurimum è ventre videbantur divinatoria verba proferre, hinc à Græcis *Engastrimythi*, à Latinis æquipollenter *ventriloqui* nuncupantur: de quibus videri potest Rhodiginus lib. 8. Lectionum antiq. c. 10. Quocunque interim nomine exprimantur, & undecunque nomen sortiantur, verum est quod de ipsis, & simul de ijs qui consulunt ipsos, scribit in suo Policratico Sarisberiensis: c. Pythonicorum, in- „ quiens, eò perniciosior est consultatio, quò „ fallacia malignorum spirituum in ijs ma- „ nifestior est: qui sive mentiantur, sive non, „ in proposito semper habent ut noceant. „ Fallunt autem interdum studio fallendi, „ interdum cæcitatis suæ errore decepti. Id „ tamen agunt assiduè, ut futurorum conscij „ per omnia videantur. Inde est quòd ambi- „ guitate verborum obnubilare student ora- „ cula, ut cùm mendaces aut fallaces inventi „ fuerint, aliquo rationis velamento suam „ queant tueri fallaciam. Sic utique fallaciæ „ non desistunt, donec auditores suos præ- „ cipitent in ruinam. Cui enim à sæculo „ vatum profuêre responsa? An Crœso? An „ Pyrrho? An præcedentium, aut subse- „ quentium cuiquam? Dux Thebanus dum „ de oraculo sperat victoriam, fratris mucro- „ ne perfoditur. Ei tamen avus Laius succes- „ sus belli visus est polliceri: quid enim aliud „ significaret quod post multas ambages intulit, *Certa est victoria Thebis*? Cæterùm ne „ interempto Duce, mendacij arguatur; ut „ fallaciam ambiguâ veritatis notâ obduce- „ ret, quò malitiam tueatur, subjecit: *Heu* „ *mihi per gladios vicit pater*. Sic ergò dum qua- „ si fatorum consilio securus ad parricidium „ invitatur, laqueo impietatis trahitur ad „ occasum. Patris quoque parricidæ deside- „ rium adimpletur, dum fratres impij, qui- „ bus imprecatus optaverat ut *ferro generis* „ *consortia dissilirent*, mutuis vulneribus pe- „ reunt. *Crœsus* maxima regna, si Halin trans- „ grediatur, de oraculorum fide sibi sub- „ jectum iri confidit: sed cùm res in con- „ trarium cesserit, fallax Apollo se unius „ verbuli æquivocatione absolvit ab invidia „ mentiendi. Quid *Pyrrhus*? Romanis victis, „ quos sæpe in acie virtute fuderat, beneficio „ Phœbi sibi promittit Imperium: sed irre- „ parabiliter stratus, in seipsum retorsit cul- „ pam, qui oraculi amphibologiam minùs „ utiliter intellexit. Ad notiores transeatur „ historias: *Appius* cùm unica & singularis „ belli civilis tempestas urbem concuteret, docente

E Isidor. l. 8. Orig. cap. 9.

Vide Macr. l. 1. Saturn. cap. 17.

C. Ioan. Sarisb. l. 2. Policrat. c. 27.

Vide Euseb. l. 5. de Præp. Evang. c. 16. & seq.

Vid. Hieron. in caput 41. Isaiæ v. 22.

„ docente Phœbo in sinu Euboico quietem
quærit, & mortem invenit". Plura in
Theodoretus, eandem rem exempla congerit Theodo-
retus Serm. 10. de curandis Græcorum affe-
ctionibus: ubi & hanc generalem senten-
tiam notatu dignam præmittit:" *Perplexa*
oraculorum ambages multis perniciem attulerunt.
Atque hinc factum, ut oraculorum ille
Præses & inspirator Apollo, à Græcis co-
gnominaretur *Loxias*, id est, obliquus, tor-
D. Rhodig. lib. 26 c. 4. Vide Gyraldum de Dijs Gent. Syntag. 7. & Synesium. l. de Insomnijs. tuosus: ". Non immeritò, inquit Rho-
„ diginus, à Græcis *Loxia* cognomento ce-
„ lebratur Apollo, quòd obliqua, tortuo-
„ sa, vel numero Platonis obscuriora fo-
„ rent ejus responsa". Causam ex Sarisbe-
riensi mox memoravimus: cui consonans
Theodoretus sermone proximè citato, cùm
retulisset qualiter Apollo ambiguo oracu-
lo Aristomachum fefellisset, atque in exi-
Theodoretus. tium præcipitasset, adjunxit:" Decuit au-
„ tem vaticinantem Deum, si futuri con-
„ scius erat, obscuritatis caligine oraculum
„ non involvere; sed vafrè ancipitem præ-
„ dictionem dedit, ne falsitas deprehendi
posset".

LXVIII. Sanè nisi Rex *Saul*, in gente
Prophetarum natus & educatus, atque
in lege congruenter suo statui eruditus,
jam pridem pro suis demeritis in repro-
bum sensum traditus fuisset; nequaquam
ad Apollinis *Loxia* opem in suis angu-
stijs implorandam recurrisset; quem pau-
1. Reg. 28. 3. lò anteà, *Auferendo magos & ariolos de terra*,
graviter offendisset. Verùm, ut Sarisbe-
Joan. Sarisberiensis. riensis loco jam citato subjungit," in ty-
„ rannum versus ex Principe, quùm exi-
„ gentibus culpis esset à Domino derelì-
„ ctus, & eo Duce adversùs populum Do-
„ mini invalesceret manus hostilis; sollici-
Ibid. v. 6. „ tus fractis rebus exitum inquirebat: *Con-*
„ *suluit* ergò *Dominum, & non respondit ei ne-*
„ *que per somnia, neque per Sacerdotes, neque*
„ *per Prophetas*. Hoc tamen ei antè denun-
1. Reg. 15. 35 „ ciaverat *Samuël*, quia *Dominum pænitue-*
rat quòd eum constituisset Regem". Imò verò
denunciaverat insuper ei, quòd *Dominus tra-*
Ibid. v. 28. *didisset regnum alteri meliori*. Sed huic divinæ
dispositioni adeò ille non acquievit, ut
hunc sibi divinitùs prælatum varijs insidijs
perdendum impetierit. Hinc author pro-
ximè allegatus addit ibidem inferiùs de
ipso:" Adeò intumuerat spiritus ejus, ut
„ se non modò homini, sed & ipsi Deo
„ quodammodò, propriæ impietatis ausu,
„ præferret. Quem enim Dominus ei præ-
„ tulerat, quanto majori gratiâ videbat
„ præditum, tanto acriori invidiâ occul-
„ tas ei tendebat insidias; tam manife-
„ stas, quàm iniquas exercens inimicitias:
„ & quò manifestiùs eum Dominus ex-
„ tollebat, eò avidiùs non tam depri-
„ mere, quàm extinguere properabat:
„ ipsique Deo se è regione ponit opposi-
„ tum, dum ei surripere aut eripere niti-
„ tur jura regnorum. Dignum ergò fuit
„ ut non maneret in eo Spiritus Domini,
„ qui cor suum non modò habitaculum,
„ sed & tantæ nequitiæ fecerat fundamen-
„ tum. *Exagitavit eum* itaque *spiritus nequam*, 1. Reg. 16. 14.
„ *à Domino*; & ex illo retrofluere, & in-
„ dies labi, ac minui regni vires cœpe-
„ runt, salus populi fluctuare; hostium cre-
„ brior, major, clariorque victoria, tam
„ Regis, quàm populi animos validiùs
„ fregit: ipse tamen eum, cui Dominus
„ regnum firmaverat, exterminatum ha-
„ bebat à finibus suis. Quid ergò tan-
„ dem cepit consilij? Non utique ut re-
„ gnum traderet meliori se, ut dispositio-
„ ni divinæ jam sibi notæ acquiesceret,
„ ut pœnitentiam anteactæ vitæ ageret
„ fructuosam. Sed qui calcaneum tumo-
„ ris adversùs Dominum extulerat, po-
„ pulum in montes Gelboë, ubi punien-
„ dus & occidendus erat, eduxit in præ-
„ lium: occidi siquidem in monte de-
„ buit, qui non nisi alta in seipso re-
„ spexit. Quia ergò eum veritas ipsa de-
„ seruit, ad fontem mendacij falsus &
„ iniquus Princeps confugit. Dixit itaque
„ servis suis, *Quærite mihi mulierem haben-* 1. Reg. 28. 7.
„ *tem pythonem, & vadam ad eam, & scisci-*
„ *tabor per illam*. Quid aliud dixisset Gen-
„ tilis, idemque perfidus? Nonne idem
„ est ac si dicat: *Flectere si nequeo Superos,*
„ *Acheronta movebo*? aut fidelioribus ver-
„ bis, & insaniori perfidiâ: si mihi Deus
„ notitiam subtrahit veritatis, eam tamen
„ per patrem mendacij, eo invito, co-
„ gnoscam, &, velit nolit, arcanum con-
„ silij ejus, per Potestates adversarias ex-
plorabo".

LXIX. Non deerit fortè hìc quispiam, OBJECTIO.
qui pro *Saule* respondeat, eum nequa-
quam ex dæmone, sed ex Propheta Dei
Samuële, vel potiùs ex Deo per ipsum,
expectasse notitiam veritatis. Sed nunquid DILUITUR.
ex dæmonis ope ipsum *Samuëlem* expecta-
vit? Qui ergò à dæmone petijt notifica-
torem veritatis, ejusdem profectò bene-
ficio, vel potiùs maleficio, ambivit noti-
tiam veritatis. Accedit præterea quòd tur-
pissimo errore præoccupatus autumaverit,
Samuëlem quantumlibet olim in vita Deo
charum & bonis operibus jugiter intentum,
traditum fuisse post obitum in manus dæmo-
nis, ut ei ad nutum subserviret, & obseque-
retur. Ex hoc ejus errore processit illa ad
pythonissam, uti dæmonis organum, di- 1. Reg. 28. 11
recta supplicatio, *Suscita mihi Samuëlem*:

E. Ioan Sarisb. supra. Heb. 11. 6.

s. Omnium temporum, subdit loco citato „ Sarisberiensis, una est fides, *Deum esse*, „ eundemque justum & bonum, *& remune-* „ *ratorem sperantium in se*; omnium plenè „ meritis respondentem, ante legem, sub „ lege, sub gratia: nemini rectè sapientium „ venit istud in dubium: sine ista fide nemo „ unquam ingressus est ad salutem. Verùm „ qui errat in minimis, paulatim ad majo- „ ra prolabitur. Sic iste (*Saul*) primò ne- „ gligens, deindè inobediens, postmodùm „ contumax, exindè obstinatus; postremò „ ad eam prolapsus est cæcitatem, ut nec „ prædictum fidei articulum sibi servarit „ incolumem. Deum etenim justum usque- „ quaquè non credidit, opinans etiam in „ Sanctos post exitum vitæ hujus conces- „ sam malignis spiritibus potestatem. No- „ verat enim Sanctum *Samuëlem* pythoni- „ cis non obtemperasse dum viveret, nec „ aliquod cum eis initæ familiaritatis ha- „ buisse commercium: nunc verò ad pytho- „ nis imperium sibi sperat & petit excitari: „ vult etiam ad hoc cogi defunctum, ad „ quod vivus impelli non potuit: Regi si- „ quidem noluit indicare dum viveret, nisi „ quod indicandum Dominus inspirabat". Ex quibus apparet, *Saulem* per ea quæ objecta sunt non modò non purgari, sed etiam ex adverso fœdiùs maculari, & atheismi labe deturpatum prodi. Si enim prædicto fidei articulo discredidit, consequens profectò est, ut aut Dei existentiam, aut certè providentiam abnegaverit; atque ita vel formaliter, vel saltem virtualiter atheus extiterit. Etenim qui negat Dei providentiam, convincitur per ambages negare ejusdem existentiam: prout in simili de Dei præscientia ratiocinatur adversùs Ciceronem Augustinus lib. 5. de Civitat. cap. 9.

Augustinus.

quem imitatur Salvianus lib. 4. de Gubernatione Dei, ubi loquens de negatoribus præscientiæ providentiæque Divinæ:" Ad „ tales, inquit, rectissimè Propheticum „ illud referri potest, *Dixit insipiens in cor-* „ *de sua, Non est Deus.* Nam qui nihil aspi- „ ci à Deo affirmant, propè est ut cui as- „ pectum adimunt, etiam substantiam „ tollant: ut quem dicunt omninò nihil „ cernere, omninò etiam dicant non esse. „ Et quidem licèt nullum malum facinus „ ratione subsistat, quia rationi non pos- „ sunt scelera conjungi: nullum tamen, „ ut puto, vel irrationabilius, vel insa- „ nius isto est. Quid enim tam furiosum, „ quàm ut aliquis cùm Deum Creatorem „ rerum omnium non neget, guberna- „ torem neget? Et cùm factorem esse fa- „ teatur, dicat negligere quæ fecit? Qua- „ si verò hæc ei faciendorum omnium cura fuerit, ut negligeret quæ fecisset". Optimè quoque Lactantius Epicurum antilogiæ insimulat, quòd admissa Dei existentia ademerit ei providentiam s[r]. Quo, ait ipse; „ quid repugnantius dici possit, non video? „ Etenim si est Deus, utique providens est; „ ut Deus: nec aliter ei potest divinitas at- „ tribui, nisi & præterita teneat, & præsen- „ tia sciat, & futura prospiciat. Cùm igitur „ *Epicurus* providentiam sustulit, etiam Deum „ esse negavit: cùm autem Deum esse pro- „ fessus est, etiam providentiam simul esse „ concessit: alterum enim sine altero nec esse prorsùs, nec intelligi potest". Hæc eo fine adduxi, ut appareat in quantam perfidiæ voraginem prolapsus fuerit Rex *Saul*, quando Prophetam Dei sanctissimè defunctum postulavit ad imperium pythonissæ, vel potiùs dæmonis in ea latitantis & inoperantis, sibi sisti; ut ab eo tanquam Apollinis jam mancipio condisceret, quod Deus eum docere renuerat.

Salvianus.

Psalm. 52. 1.

F. Lactant. l. de ira Dei cap. 2.

OBIECTIO.

LXX. Dicturus forsan est aliquis, eventus probavit non frustrà recurrisse *Saulem* ad opem dæmonis in pythonissa latitantis, siquidem hic *Samuelem* et suscitavit, & suscitatus notitiam veritatis concupitam impertivit. Hæc objectio postulat ut indagemus primò utrùm *Samuël* eo tempore reverà fuerit resuscitatus? Secundò an saltem anima ejus in assumptitio aliquo corpore præsentem se *Sauli* exhibuerit? Tertiò denique utrùm ad imperium aut per operam pythonici spiritûs eò adductus fuerit? Ad quorum trium primum negativè est respondendum: nam *Samuëlem* tunc revixisse, nemo hactenùs docuit, nec Scripturæ locutiones ampliùs quàm animæ Samuëlis comparentiam important: prout benè advertit Salianus ad annum Mundi 2979. Ad secundum videtur omninò dicendum, *Samuëlem* quoad animam reverà ibi comparuisse in assumptitio aliquo corpore, verisimiliter aërio, in quo eum pythonissa *viderit ascendentem de terra, & amictum pallio*, & in quo vel ex quo *locutus fuerit Sauli*. Scriptura enim in narratione rei gestæ 1. Reg. 28. eum qui apparuit, & qui Regi collocutus est, aliquoties nominat *Samuëlem*. Alibi quoque in eadem Scriptura juxta editionem 70. Interpretum legitur, *Interrogavit Saul in ventriloqua ad quærendum, & respondit ei Samuël Propheta.* Ubi author canonicus sicut *Saulem* asserit in ventriloqua interrogasse, ita & *Samuëlem Prophetam* ei respondisse. At verò si nec anima quidem Prophetæ ibi adfuisset ac respondisset, non apparet quâ ratione dictum istud verificari possit. In libro item Ecclesiastici, cùm veterum Sanctorum elogia digererentur, ubi ventum est ad

Salianus.

Vid. Ioseph. lib. 6. Antiquit. c. 15.

1. Reg. 28. 12 & 14.

Ibid. v. 15.

1. Par. 10. 13

Vide Theodoret in lib. 1. Reg. q. 63.

Samuë-

Samuëlem, scriptum est de eo inter alia: *Et post hæc dormivit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltavit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem Gentis.* Quod sanè encomium perperàm adhiberetur *Samuëli*, si, ut quidam contendunt, non ipse in sua anima, sed dæmon quispiam personatus ea peregisset, quæ ipsi adscribuntur. Unde licèt Augustinus lib. 2. ad Simplicianum q. 3. & rursùs q. 6. ad Dulcitium, quæstionem istam quasi problematicam ventilasset; in posterioribus tamen Scriptis, authoritate jam relatâ permotus, nostram sententiam determinatè amplectitur, dicens: G. *Samuël* „Propheta defunctus, vivo *Sauli* etiam Regi futura prædixit: quamvis nonnulli non ipsum fuisse qui potuisset magicis artibus evocari, sed aliquem spiritum, tam malis operibus congruentem, illius existiment similitudinem figurasse: cùm Liber Ecclesiasticus, quem Iesus filius Sirach scripsisse traditur, & propter eloquij nonnullam similitudinem Salomonis pronunciatur, contineat in laude Patrum, *quòd Samuël etiam mortuum prophetaverit*". Ambrosius quoque, Augustini Præceptor: H. *Samuël*, inquit, post „mortem, secundùm Scripturæ testimonium, futura non tacuit". Plures alios ejusdem sententiæ patronos citant & sequuntur Salianus suprà, & Tornielius ad annum Mundi 2579. n. 7. & Serarius in caput 28. libri 1. Reg. & Delrio l. 2. Disquis. Magicarum c. 26. & Bellarminus l. 2. de Purgatorio cap. 6. Unde ad tertium dubium transeundo, dicendum videtur, non per imperium, aut operam pythonici spiritus; sed virtute divini spiritûs, & sponte propriâ, *Samuëlem* adductum fuisse, & *Sauli* imminens exitium prænunciasse. Indicat hoc Scriptura, quatenùs refert *pythonissam visa Samuële exclamasse*, tanquam nimirum perturbatam inopinato ejus appulsu, cùm necdum ipsa consuetas incantationum suarum cæremonias inchoasset, nedum complevisset. Deus ergò prævênit eam, mittendo Samuëlem ad increpandum Regem, & denunciandum ei exitium promeritum: eoque facto voluit præoccupare suspiciones hominum, quibus fortè autumarent, *justorum animas, quæ in manu Dei sunt*, nutui dæmonum subjacere; si audirent aut legerent, *Samuëlem* sanctissimum, non nisi demùm post adhibitas sacrilegas cæremonias comparuisse, & Regi ea, quæ concupierat, prænunciasse.

Eccl. 48. 23.

G. Aug. l. de Cura pro mortuis. c. 15. Vid. D. Thomam 1. p. q. 89. art. 8. ad 2.

H. Ambr. l. 1. in caput 1. Lucæ.

1. Reg. 28. 12

Sap. 3. 1.

SOLVTIO.

LXXI. Quibus præmissis facilis est ad objectionem §. præcedenti propositam solutio, negando assumptum. Neque enim ope dæmonis consecutus est *Saul* sive *Samuëlis* evocationem, sive concupitam futuri eventus prædictionem: atque adeò frustraneè eò recurrit, quamvis per accidens contigerit ut aliunde obtineret quod desiderarat. Ut autem sciret non ad incantationem pythonissæ comparere *Samuëlem*, prævênit hic comparendo ipsam incantationem, prout jam suprà expendimus. Cæterùm qui putant pythonissæ incantationem præcessisse *Samuëlis* comparitionem, divisi sunt inter se opinionibus; alijs existimantibus animas defunctorum, etiam justorum, evocabiles esse per incantationes magorum vel sagarum, ad nutum dæmonum: alijs verò, qui hoc rectiùs negant, asserentibus non *Samuëlis* animam, sed dæmonem pro ea ad pythonissæ incantationem comparuisse, & *Sauli* collocutum fuisse. Prioris sententiæ videtur fuisse Josephus lib. 6. Antiquit. c. 15. quem secutus Justinus Martyr: I. Animas, „inquit, manere superstites, etiam eo demonstraverim, quòd *Samuëlis* animam ventriloqua pythonissa, ita ut *Saul* petierat, evocavit. Apparet autem, ad eum modum omnes animas virorum justorum, & Prophetarum, sub potestatem ejusmodi virtutum cadere, qualem & in ventriloqua illa fuisse, rebus ipsis declaratur". Huc etiam nonnulli advocant suffragium Basilij Magni, quatenùs Epist. 80. asserit," mulierem pythonicam incantationibus suis *Samuëlem* ab inferis evocasse". Posterioris sententiæ fuit Ioannes Sarisberiensis lib. 2. Policratici cap. 27. & ante eum Pseudo-Augustinus lib. 2. de Mirabilibus Sacræ Scripturæ cap. 11. & q. 27. Veteris Testamenti: item Pseudo-Justinus q. 52. ad orthodoxos, necnon Tertullianus lib. de Anima cap. 57." Ecce, inquiens, hodie „Simonis hæreticos tanta præsumptio artis extollit, ut etiam Prophetarum animas ab inferis movere se spondeant. Et credo, quia mendacio possunt: nec enim pythonico tunc spiritui minùs licuit animam *Samuëlis* effingere, post Deum mortuos consulente *Saule*. Absit alioquin ut animam cujuslibet Sancti, nedum Prophetæ, à dæmonio credamus extractam; edocti quòd *Ipse Satanas transfiguretur in Angelum lucis*, nedum in hominem lucis". Nostra itaque sententia, inter duas istas extremas media, ex singulis sumit, quod veritati consentaneum astruunt; & item ex singulis rejicit, quod eidem veritati dissentaneum inducunt. Ex priori sumit & approbat, quòd *Samuël* verus, & non personatus, *Sauli* locutus fuerit, & postridianum exitium prædixerit; quia ut superiori §. visum fuit, Scriptura Sacra id planè evincit: Rejicit verò quod eadem astruit de animabus justorum sub dæmonum potestate constitutis; asserens, *Samuëlem* non operâ dæmonis

Josephus.

I. Justin. in Dialog. cum Tryphone.

Basilius.

Sarisberiensis.

Pseudo-Augustinus.

Pseudo Justinus.

Tertullian.

2. Cor. 11. 14

adductum fuisse ad Saulis colloquium; sed
Sap. 3. 1. virtute Dei, de quo scriptum est, *Iustorum animæ in manu Dei sunt*. Ex secunda pariter sententia rejicit quod illa astruit de dæmone personam *Samuëlis* induente, & ad pythonissæ incantationes sese *Sauli*, tanquam Prophetam, sistente: sumit verò & approbat, quod eadem astruit de impotentia dæmonum erga animas justorum: [K]. Nonnulli di-
K. Theodoret. q. 63 in l. 1. Regum.
„ cunt, inquit Theodoretus conformiter
„ Tertulliano mox relato, ventriloquam ve-
„ rè tulisse *Samuëlem*. Ego autem existimo
„ hoc esse nefarium & impium: nec enim
„ credo, mulieres necromanticas vel quam-
„ libet reducere animam; tantum abest ut
Prophetæ, & tanti Prophetæ". Non negat *Samuëlem* verè comparuisse, sed negat eum incantatione pythonissæ adductum fuisse.
Pseudo Augustinus supià.
Cui consonans Pseudo-Augustinus locis mox citatis: "Quomodo fieri poterat, in-
„ quit, ut arte magicâ attraheretur vir &
„ nativitate sanctus, & operibus justus"?
Hic verò author, in extremum declinans, censet non *Samuëlem*, sed personatum pro eo dæmonem comparuisse, prout suprà diximus. Cæterùm, quod Theodoretus proximè relatus *nefarium* dixit *& impium*, Eugubinus adhuc exaggerantiùs, *sceleratissimum* dixit *& improbissimum*. Verba ejus sunt:
[L]. Sceleratissimum & omnibus rationibus
L. Eufeb. in Cosmopœia ad caput 3. Geneseos.
„ improbissimum est, tantæ potentiæ crede-
„ re mulierculam fuisse, ut virum sanctitate
„ & amicitiâ commercioque divino maxi-
„ mum, frigidis incantationibus exsuscita-
„ rit". Maneat igitur fixum quod præstruximus, *Samuëlem* quidem reverà comparuisse, non tamen dæmonis operatione aut pythonissæ incantatione ad comparendum compulsum, sed Dei inspiratione adductum.

CAPUT XIX.

Vnde diabolo, per Christum debellato ac protrito, tanta adhuc potestas in homines, etiam per eundem Christum redemptos? Error Ioviniani, contendentis, baptizatos in Christo non posse tentari à diabolo. Iuliani Cæsaris dæmonibus litantis, eosdemque signo crucis incogitanter formato fugantis, historiola. Idem Iulianus fallacibus Iovis Dodonæi, & Apollinis Delphici oraculis delusus, Persas bello impetijt, & perijt. Andronici Imperatoris Constantinopolitani divinatoriæ superstitioni addicti tragœdia. Ratus aut nullus inter superstitiosos extitit prognosticatores, qui condignam manus Dominica evaserit ultionem.

LXXII. QUamvis Christus per sanguinem crucis suæ destruxerit eum qui habebat mortis imperium, *& ex-*
Col. 2. 15. *polians principatus & potestates, traduxerit confidenter, palàm triumphans illas in semetipso*: quidam tamen tantæ liberationis immemores, & liberatori ingrati, spontè revertuntur ad pristinam captivitatem; imitantes veteris populi partem refractariam, quæ post liberationem de servitute Ægyptiaca sub tyrannide Pharaonis, dicebat
Num. 14. 4. in deserto: *Constituamus nobis ducem, & revertamur in Ægyptum*. Quo exemplo compesci deberet illorum murmur, qui solent objicere: Si Christus diabolum debellavit, & genus humanum in libertatem perduxit, undè fit quòd
2. Tim. 2. 26. tam multi debellato tyranno famulantur, *A qua captivi tenentur ad ipsius voluntatem?* [M]. Ante
M. Aug. Sermon 197. de Tempore. Vide l. 20. de Civit. c. 7. 8. & 9. & Epi. 107.
„ adventum Christi, inquit Augustinus, solu-
„ tus erat diabolus: veniens Christus fecit de
„ eo quod in Evangelio dictum est, *Nemo po-*
Mat. 12. 29.
„ *test intrare in domum fortis, & vasa ejus diripere,*
„ *nisi prius alligaverit fortem*. Venit ergò Chri-
„ stus, & alligavit diabolum. Sed dicet ali-
„ quis: Si alligatus est, quare tantùm adhuc
„ prævalet? Verum est, quia multùm præva-
„ let; sed tepidis, & negligentibus, & Deum
„ in veritate non timentibus dominatur. Al-
„ ligatus est enim, tanquàm canis innexus
„ catenis; & neminem potest mordere, nisi
„ eum qui se illi mortiferâ securitate con-
„ junxerit. Iam videte, quàm stultus est
„ homo ille, quem canis in catena positus
„ mordet! Tu te illi per voluntates & cupi-
„ ditates sæculi noli conjungere, & ille ad
„ te non præsumet accedere. Latrare potest,
„ sollicitare potest; mordere omninò nisi
„ volentem non potest: non enim cogendo,
„ sed suadendo nocet; nec extorquet à nobis
consensum, sed petit". Quamvis ergò, ut Hieronymus ait, [N]. alligatus sit *fortis*, & re-
N. Hieron. in caput 12. Matthæi.
„ legatus in tartarum, & Domini contritus
„ pede, & direptis sedibus tyranni captivà
ducta sit captivitas": tamen qui etiam

Aposto-

Ioan. 6. 68. Apostolis suis dixit, *Numquid & vos vultis abire?* nemini potestatem redeundi ad tyrannum, & conjungendi se cani catenato, ademit. Nam, ut Beatus ait Prosper, O. "Sicut qui crediderunt, juvantur ut in fide maneant; sic & qui nondum crediderunt, juvantur ut credant: & quemadmodum illi in sua habent potestate ut exeant; ita & isti in sua habent potestate ne veniant". Neque enim aures præbendæ sunt hæresiarchæ Ioviniano, ante mille annos ab Ecclesia damnato; qui dogmatizabat, P. *Non posse peccare hominem, lavacro regenerationis acceptæ*: imò quod amplius est, efforiebat apud Hieronymum, *Eos qui fuerint baptizati, non posse à diabolo tentari*. Quo nihil dici potuit infulsius; præsertim cùm legamus ipsum quoque Dei filium *ductum fuisse in desertum à spiritu, ut tentaretur à diabolo*. Q. "Nemo igitur se fallat, nemo se decipiat: neque ita quisquam de cordis sui puritate confidat, ut putet se nullis tentationum periculis subjacere; cùm pervigil ille tentator eos acrioribus pulset insidijs, quos maximè viderit abstinere à peccatis. Nam à quo dolos suos contineat, qui ipsum quoque Dominum majestatis ausus est calliditatis suæ fraude tentare? Viderat superbiam suam baptizati Domini JESU humilitate calcatam, intellexerat quadraginta dierum jejunio omnem cupiditatem carnis exclusam; & tamen non desperavit de artibus suæ malitiæ spiritalis improbitas: tantumque sibi de naturæ nostræ mutabilitate promisit, ut quem verum experiebatur hominem, præsumeret posse fieri peccatorem. Si ergò ab ipso Domino & Salvatore nostro deceptionum suarum diabolus non revocavit insidias, quantò magis fragilitatem nostram impugnare præsumit, quos exinde vehementiori odio & invidiâ læviore persequitur, ex quo ei in Baptismo renunciavimus, & ab illa origine cui dominabatur, in novam creaturam divinâ regeneratione transivimus"?

Q. Prosp l. 2. de Vocat. Gent. c. 25.
P. Iovinian. apud Aug. l. De hæres. c. 82. Hieron. l. 2. cont. Iovin. cap. 3.
Mat. 4. 1.
Q. Leo Ser. 3. de Quadragesima c. 2. Vide ibid. Ser. 2. c. 3.

LXXIII. Hæc ita esse tum alij complures, tum maximè Julianus Augustus cognomento Apostata luculenter in seipso monstravit; qui pridem in Christo per Baptismum regeneratus, quamprimùm ad Imperij fastigium pervenit, abjurato Christianismo amplexus est Gentilismum. R. "Fertur enim, ait de ipso Sozomenus, fidem Christi confestim adeò manifestè & impudenter abnegasse, ut sacrificijs quibusdam & invocationibus, quas ethnici *depulsivas* vocant, & victimâ cruentâ baptismum à nostris susceptum abluerit, & initiationi Ecclesiasticæ renunciarit, & ex eo tempore litationibus, & alijs victimis, prout Gentilium superstitio exigit, privatim ac publicè usus fuerit. Accidisse autem aliquando ipsi memoratur, ut in extis pecudum appareret ei signum crucis coronâ circumdatum; eamque ob causam alij divinationis consortes metu corriperentur, conjicientes ex eo; quanta & quàm sempiterna futura esset Religio & doctrina crucifixi, propterea, quòd corona crucem circumdans & symbolum haberet victoriæ, & ambitus circuli undequaque exordium sumens, & in seipsum desinens, haudquaquàm terminaretur. Princeps verò ejus scientiæ jussit eos bono esse animo, eò quòd victimæ illæ prospera quædam pro ipsorum voto ostenderent, per id, quòd symbolum dogmatis, id est, crucem, circumcirca clauderent, & in idipsum constringerent, ne dilataretur & liberè vagaretur quò vellet, terminum habens circuli circumferentiam. Audivi præterea & illud, quòd cùm aliquando in adytum quoddam famosissimum ac terrificum vel sacrorum vel divinationis gratiâ introisset, irruentibus confestim ad ipsum spectris illis quæ per incantationes magicas evocata comparebant, perturbatione atque horrore perculsus, suique oblitus, ex consuetudine pristina quam Christianus existens contraxerat, in illa perplexitate se crucis Christi signo obsignarit: quo facto, subitò illa spectra evanuerint; & quod tentabatur impeditum fuerit. Princeps porrò sacrorum illorum perplexus redditus, cognitâ causâ aufugij dæmonum, *scelus* vocans quod commissum erat, jussit eum virili esse animo, mandavitque ne quidquam Christianum ageret vel cogitaret, rursùs eum ad eadem sacra reducens. Christianos autem haud mediocriter contristavit & attonitos reddidit studium Imperatoris circa sacra Gentilium; ob id præsertim quòd anteà Christianus fuisset. Etenim tanquam religiosus erga paternam Religionem, à puero secundùm Ecclesiæ consuetudinem initiatus, & in sacris Scripturis institutus, ac sub Episcopis & viris Ecclesiasticis enutritus fuerat". Patet igitur ex hac Juliani historia, non defuisse inter Christianos, etiam Principes, qui, ad imitationem *Saulis*, violatâ Nominis Religione, recurrerint ad diabolicam ethnicorum superstitionem. Verùm qui ad imitationem *Saulis* hac in re deliquerunt, ad ejusdem similiter imitationem infeliciter perierunt: prout in particulari de hoc ipso Iuliano & nonnullis complicibus ipsius visum est §. 52. & 53. Interest tamen, quòd Propheta *Samuël*, sive Deus per ipsum, non fefellerit Regem *Saulem*, sed verè ei prænunciaverit imminens

R. Sozom. l. 5. c. 2. Vide Ioan. Sarisb. l. 8. Policrat. c. 21.

 exitium:

exitium: at verò Pseudoprophetæ, sive dæmon per ipsos, præcipitarunt Julianum falsis suis oraculis in verum exitium[s]. "Exercitum quippe, ut scribit Nicephorus, adversùs Persas ducturus, misit Delphos & Dodonem nuncios, qui vates ibi consulerent. Illi autem non solùm bellum suaserunt, verùm etiam victoriam promiserunt. Tantùm verò à veritate ipsa aberrarunt, quantum posteà rerum exitus ostendit. Porrò ex eorum responsis unum hoc loco apponere libuit, ad mendacium redarguendum; *Nunc Dii Deaque omnes consurgite: sumite bellum, Atque Fera certam de flumine ferte trophaeum; Dux ego vester ero Mars sævus belligerator.* Fluvium Tigrim nominavit feram, quia animantem sibi habet cognominem. Ejuscemodi oraculis deceptus miser, victoriam somniavit; & tandem confirmatus, se ad Persicum bellum armavit. Aliàs quoque cùm oracula simul & seorsim omnia respondissent, alterum Julianum Imperatoris avunculum, ægrum, nequaquam esse moriturum; dum is responsa ipsa legeret, ærumnosè ac miserabiliter expiravit: multi etiam alij, qui in Christianos & veram pietatem suo fuerant furore debacchati, justas luerunt pœnas".

s. Niceph. l. 10 Hist. c. 29. Vide Theodoret. lib. 3. Hist. c. 16. & Serm. 10. contra Græcos.

LXXIV. Quòd si fortè quis aveat cernere imitatores *Saulis* quoad culpam & pœnam, inter Principes professione Christianos, qui Christianismum nequaquam abjurarint sicut Julianus; exhibebimus ei cernendum Constantinopolitanum Imperatorem Andronicum, qui, ut in ejus vita scribit Nicetas Choniates,[t]. "Cùm propter multiplices Procerum cædes se à Deo desertum existimaret, quamvis se ad Christi mandram pertinere affirmaret, ijsdemque elementis constaret quibus ij quos extirpabat; ad futura per noxiorum dæmonum cultum cognoscenda se convertit, ut & olim *Saul* ad engastrimythos tandem abijt, quos antè placandi Numinis gratiâ pepulerat. Nam cum aruspicinam ante annos plurimos obsolevisse & penitùs abolitam esse, auguralem item superstitionem, uti & somniorum & ominum interpretationem, jam olim à Romanis finibus avolasse; solos verò eos impostores qui è pelvi divinant, & qui astrorum positionem rimantes æquè fallunt ac falluntur, superesse comperisset; astrologiam quidem, ut magis familiarem, & futura obscuriùs innuentem, seposuit; seque totum permisit ijs, qui futura ex aquis quasi per caliginem conjiciunt, & imagines futurarum rerum velut ex umbra solarium radiorum consectantur". Ecce culpam, Saulinæ haud absimilem: sed quam mox divina ultio subsecuta est. Nam cùm ex dæmonis vaticinio percepisset, quendam sibi in Imperio successurum, cujus nomen ab *IS* inciperet, tentavit per suos *Isaacium Angelum* carceri, mutilandum ac fortè etiam perimendum, mancipare. Sed is viriliter sese defendens, detestabiles ministros partim occidit, partim læsit, partim denique fugavit; se verò ipsum in Ecclesiam fugiendo salvavit, ubi statim à confluente populo Imperator salutatur & proclamatur. Superstitiosus porrò *Andronicus* confestim apprehenditur, atque, ut Nicetas ibidem refert, "duabus gravibus catenis superbo collo injectis, in Anemæ castellum, compedibus etiam oneratus, intruditur; moxque eodem habitu indutus ad Isaacium perducitur, ubi contumeliosis verbis ei primùm insultatur, ac deinde alapæ impinguntur, nates pulsantur, barba vellitur, dentes excutiuntur, capilli evelluntur: publicè omnium ludibrijs expositus, etiam à mulieribus pugnis cæditur, ijs præsertim quarum maritos occiderat vel excæcaverat. Deindè præcisâ dextrâ in idem castellum reducitur, sine cibo, sine potu, sine ullo cujusquam officio. Post aliquot dies altero oculo effosso, scabioso camelo impositus, per forum, triumphi specie traducitur, calvâ glabrâ instar aridæ quercus, & ovo nudiore, & brevi tunicellâ tectus; spectaculum miserabile, quod rivos lachrymarum elicere queat ex oculis non inhumanis. Sed stolidissimi ac petulantissimi urbis incolæ, præsertim fartores, coriarij, opifices, & circumforanea sordidaque turba, muscarum instar verno tempore ad mulctras & pinguia cymbia convolantium, nullâ ratione habitâ quòd is nudiustertius Imperator, regio diademate ornatus, ab omnibus laudatus, celebratus, adoratus esset, quodque sanctissimo jurejurando fidem & benevolentiam suam erga illum testati essent: efferatis animis sine ullo respectu ruentes, nihil mali prætermiserunt, quo *Andronicum* non afficerent. Alij clavas in caput ejus impegerunt, alij stercore nares ejus fœdarunt, alij spongias excrementis hominum & pecudum oppletas in faciem ejus expresserunt, alij verbis obscœnis parentes ejus insectati sunt. Erant & qui verberibus latera ejus tunderent: impudentiores alij lapidibus conjectis, rabidum canem eum appellabant: impudens quædam meretrix ollam ferventi aquâ plenam è culina raptam in faciem ejus effudit. Nemo denique erat, quin malè faceret *Andronico*. Ita ignominiosè in theatrum ridiculo triumpho perductum, ac misero illi camelo detractum, juxta duas columellas, quibus

t. Nicetas Choniates in Andronico Comneno Imperatore.

Vide Baronium ad annum 1185. num. 13.

„ quibus supernè lapis incumbebat, prope „ æneam lupam, & byænam; quæ inflexis „ cervicibus, quasi altera in alteram impe„tum facturæ, concitatæ astans, pedibus fune ligatis suspenderunt". Comparet lector hunc Andronici exitum, cum exitu Regis *Saul*; & facilè sibi persuadebit, multò fuisse funestiorem: salvo quòd *Saul* à seipso, hic verò à suis paulò anteà subditis fuerit intetemptus. Pluribus exemplis commemorandis supersedeo, contentus hâc sententiâ Ioannis Sarisberiensis de superstitiosis hujusmodi futurorum Prognosticatoribus: V. Plurimos eorum audivi, novi mul„tos: sed neminem in hoc errore diutiùs „ fuisse recolo, in quo manus Domini condignam non exercuerit ultionem".

Vide alia exempla apud Lipsium in Monitis Politicis l. 1. c. 5. in fine.

V. Ioan. Sarisb. lib. 2. Policrat. § 28.

CAPVT XX.

Diaboli per Christum de idolis exturbati malignitas, longo usu propriæ nequitiæ imbuta, non deposuit odium, sed vertit ingenium. Videns quippe simulacbra deseri, atque ad Christi nomen certatim confluì, hæreticos suscitavit, qui sub vocabulo Christiano doctrinæ resisterent Christianæ. Hæresis & idololatria ejusdem sunt authoris & operis. Sicut ethnici manibus, ita hæretici sermonibus idola fabricant. Quid apud Psalmographum Deus recens? *Pejus est erigere idolum intùs in corde, quàm foris in templo. Hæreses dæmoniorum doctrinæ, diabolici commenti probra, diabolicarum inspirationum virulenta mendacia. Hæretici progenies satanæ, Apostoli & ministri diaboli, contubernales draconis apostatæ, linguæ Dæmonis venenatæ, diaboli organa & ora, chorus & propugnaculum Satanæ, Scarabæi cum patre suo diabolo circumeuntes, feræ humanam formam præ se ferentes, prædones habitu oves, astu vulpes, crudelitate lupi, columnæ sepulcbrales, mali cauponatores, Pseudoprophetæ, Antichristi.*

LXXV. ANtiquus humani generis hostis prædicatione Euangelicæ legis detectus, & virtute crucis Christi de veteri sua possessione exturbatus, non tam novas tentat sedes conquirere, quàm pristinas novo artificio recuperare: W. Cruciatur „ enim, ut Papa Leo ait, vocatione Gentium, „ & quotidianâ potestatis suæ destructione „ torquetur: dolens ubique se deseri, & „ verum Regem in locis omnibus adorari, „ parat frandes, fingit dissensiones, erumpit „ in cædes; & ne reliquijs eorum quos ad„ huc fallit utatur, invidiâ utitur in Iudæis, „ simulatione insidiatur in hæreticis, sævitiâ „ accendit in paganis. Videt enim insu„perabilem esse potentiam Regis æterni, cu„jus mors ipsius vim mortis extinxit; & „ ideò totam nocendi artem in eos, qui vero „ Regi famulantur, armavit: alios per infla„ tionem scientiæ legalis obdurans, alios per „ furorem persecutionis instigans, alios per falsæ fidei commenta depravans". Et Beatus Cyprianus de eodem veteratore disserens: X. Videns ille, inquit, idola derelicta, & per „ nimium credentium populum sedes suas „ ac templa deserta, excogitavit novam fraudem, ut sub ipso Christiani nominis titulo „ fallat incautos: hæreses invênit & schis„ mata, quibus subverteret fidem, veritatem „ corrumperet, scinderet unitatem: quos „ detinere non potest in viæ veteris cæcitate, „ circumscribit & decipit novi itineris erro„ re. Rapit de ipsâ Ecclesia homines, & dum „ sibi appropinquasse jam lumini, atque eva„sisse sæculi noctem videntur, alias nescien„tibus tenebras rursùs infundit; ut cum „ Euangelio Christi, & cum observatione „ ejus & lege non stantes, *Christianos* se vo„ cent: & ambulantes in tenebris, habere se „ lumen existiment, blandiente adversario „ atque fallente, qui secundum Apostoli „ vocem *Transfigurat se in Angelum lucis, & „ ministros subornat suos velut ministros justitiæ;* „ asserentes noctem pro die, interitum „ pro salute; desperationem pro obten„tu spei, perfidiam sub prætextu fidei, „ Antichristum sub vocabulo Christi: ut dum

W. Leo Ser. 6. de Epiphan. cap. 2.

X. Cyprian. lib de unit. Ecclesiæ. Vide Theodoret. lib 3. Hist. Eccles. cap. 1 & in Præfat. libri 1 Hæreticar. fabularum, & August. lib 18 de Civit. c. 51.

2. Cor. 11. 14 & 15.

dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur". Patet igitur quàm sit veritati consentaneum quod prædictus Papa Leo inferiùs in eodem sermone subjungit: "Malignitas, inquiens, longo usu propriæ imbuta nequitiæ, non deposuit odium, sed vertit ingenium: quò sibi mentes fidelium blandiùs subdat. Inflammat enim concupiscentiis, quos non potest vexare tormentis: serit discordias, accendit iras, incitat linguas; & ne ab illicitis dolis cautiora corda se revocent, consummandorum scelerum ingerit facultates: quia illi totius fraudis hic fructus est, ut qui immolatione pecudum & thuris incensione non colitur, quibuslibet ei criminibus serviatur".

Leo.

LXXVI. Crimen hæreseos adeò affine est crimini idololatriæ vanæque superstitionis, ut non dubitarit Tertullianus dicere ac scribere: [T]. "Neque à diabolo immissa esse *Spiritalia nequitiæ*, ex quibus etiam hæreses veniunt, dubitare quis debet; neque ab idololatria distare hæreses; cùm & authoris & operis sint ejusdem, cujus & idololatria. Deum aut fingunt alium adversùs Creatorem: aut si unicum Creatorem confitentur, aliter eum disserunt quàm in vero est: itaque omne mendacium, quod de Deo dicunt, genus quodammodò est idololatriæ". Hinc & Hieronymus universaliter pronuntiat: [Z]. "Singuli hæreticorum habent Deos suos, & quodcunque simulaverint, quasi sculptile colunt atque conflatile". Et superiùs in cap. 8. ejusdem Prophetæ: "Sicut Nationes, inquit, corporalia simulachra venerantur, sic hæretici idola Deos putant, quæ de suo corde finxerunt; & ideò reputabuntur in numero Nationum". Et Tertullianus adversùs Praxean c. 18. "Sicut Nationes, inquit, manibus: ita & hæretici verbis idola fabricantur". Modum hujus fabricationis exprimit Hieronymus in cap. 44. Isaiæ, ubi cùm multa de idolis Gentium & Judæorum manufactis præmisisset, adjecit: "Quicquid autem de idolis dictum est, potest referri & ad hæreseon Principes, qui simulachra dogmatum suorum atque mendacii, artifici corde componunt, & venerantur ea quæ à se sciunt esse simulata. Nec sufficit eis error proprius, nisi etiam simplices quosque adoratione eorum deceperint: *Qui quæstum putant esse pietatem*, & *devorant domos viduarum*; abutentes vulgi imperitiâ. Ita arte dialecticâ quasi asciâ, & terebro, & limâ, & runcinâ formant Deum suum, & cudunt malleo: atque inaurant sermonis Rhetorici venustate". Consonat Origenes Homil. 12. in Hieremiam, dicens: "Omnes hæretici, qui authores ad aliter credendum de Deo miseris mortalibus extiterunt, idola sibi fecerunt". Et juxta hunc sensum Augustinus interpretatur verba illa Iosue ad populum in postrema sua concione: *Auferte Deos alienos de medio vestri*: sive, ut ipse legit, *qui sunt in vobis*: [A]. "Propheta sanctus, ait ille, in cordibus eorum esse cernebat cogitationes de Deo, alienas à Deo; & ipsas admonebat auferri. Quisquis enim talem cogitat Deum qualis non est Deus, alienum utique Deum & falsum in cogitatione portat". Hujusmodi Deus alienus, in corde erroneo ex tempore cultus, ab ipso Deo vero & veteri, appellatur *Deus recens*, hoc est, phantasma sive simulachrum novum, cùm dicitur: *Israël si audieris me, non erit in te Deus recens*. In quem locum Augustinus [B]. "Movet me, inquit, quod dixit, *in te*. Non enim dixit, à te; quasi simulachrum forinsecùs adhibitum: sed, *in te*, in corde scilicet tuo, in imagine phantasmatis tui, in deceptione erroris tui tecum portabis *Deum tuum recentem*". Præmiserat quoque idem ibidem superiùs: "Multi hæretici cum paganis alios & alios Deos ipsi sibi finxerunt, ipsi sibi fecerunt: & eos, si non in templis; tamen, quod est pejus, in corde suo posuerunt: & falsorum ridendorumque simulachrorum templa ipsi facti sunt. Magnum opus est intùs hæc idola frangere, & locum Deo viventi, non recenti mundare. Omnes autem isti, aliud atque aliud sentientes, alios atque alios Deos sibi facientes, ipsamque fidem falsitate variantes, videntur dissentire: sed omnes à terrenis cogitationibus non recedunt, in terrenis cogitationibus consentiunt sibi: opinio diversa est, vanitas una est. De illis in alio Psalmo dicitur, *Ipsi de vanitate in unum colligantur*. Quamvis enim opinionum varietate discordent, simili tamen vanitate colligantur". Hinc habemus, hæreticos in crimine idololatriæ non modò comparari, sed præponi paganis, manufactorum simulachrorum fictoribus ac cultoribus: quia nimirum pejus est erigere idolum in corde humano, quàm in ligneo vel saxeo fano; & sceleratius est fieri idoli templum, quàm struere idolo templum.

[T]. Tertull. l. de Præscrip. cap. 40. — Ephes. 6. 12.
[Z]. Hier. in c. 11. Oseæ.
Tertullian.
Hieronym.
Vide Lyranum c. 25.
1. Tim. 6. 5.
Luc. 20. 47.
Origenes.
Iosue 24. 23.
[A]. Aug. q. 29. in Iosue.
Psal. 80. 10.
[B]. August. in Psal. 80. Vide lib. de Vera Relig. cap. 38.
Psalm. 61. 10.

LXXVII. Porrò quod Tertullianus superiori §. relatus aiebat, *Hæreses eundem habere authorem cum idololatria*: firmatur authoritate Apostoli, qui eas appellat *doctrinas dæmoniorum*: quem imitatus Papa Leo, easdem vocat [C]. *diabolici commenti probra*: & alibi, [D]. *Diabolicarum inspirationum virulenta mendacia*. Unde & ipsi hæretici in Scriptura divina nominantur interdum *Pseudoprophetæ*; ideò utique, quia sicut veri Prophetæ à Spiritu divino, ita

1. Tim. 4. 1.
[C]. Leo Ser. 4. de Nativitate cap. 4.
[D]. Ibid. Ser. 8. cap. 6.
1. Ioan. 4. 1.

Clemens Romanus. Damascenus.

ita ipsi à diabolico spiritu inspirantur: ut proinde à Clemente Romano lib. 6. Constit. cap. 10. vocabulo satis apposito vocentur *diaboli organa.* Cui consonans Damascenus Orat. de Transfiguratione: *Hæreticorum ora,* inquit, *sunt dæmonum organa.* Inde est & illud

Paulinus.

Paulini Nolani Epist. 24. *Ora diaboli in hæreticis latrant.* Inde item est, quòd Papa Leo,

E. Leo Ser. 5. de Jejunio 10. Mensis.

loquens de diabolo, scripserit: E. Quos „ apertis & cruentis persecutionibus impugnare non finitur, sub falsa Christiani nominis professione corrumpit; habens hæreticos huic operi servientes, quos à Catholica fide devios, sibique subjectos, militare in castris suis sub diversis erroribus „ facit. Et sicut decipiendis primis hominibus ministerium sibi serpentis assumpsit, „ ita horum linguas ad seducendos rectorum „ animos, veneno suæ falsitatis armavit". Qui & alibi loquens de hujusmodi diaboli

F. Idem Ser. 18. de Passione cap. 5.

clientibus: F. Solo nomine, inquit, sunt „ Christiani; non enim templum sunt Spiritus Dei, nec membra Christi: sed falsis „ opinionibus implicati tot species habent diaboli, quot simulachra mendacij". Eos-

G. Synesius Epist. 5.

dem & Synesius vocat G. *Satanæ Apostolos:* Et Basilius Magnus H. *Satanæ progeniem:* Et Ignatius Martyr I. *Diaboli propaginem:* idem item in Epistola ad Philadelphienses, *Draconis apostatæ contubernales:* & mox iterùm, *columnas sepulchrales:* & in Epistola ad Smyrnenses, *feras humanam formam præ se ferentes:* & in Epistola ad Tarsenses, *ministros Satanæ:* & Gregorius Nyssenus K. *malos cauponatores:* qui totidem lib. de Virginitate cap. 8. dicit eos *in spelunca diaboli ad eius voluntatem commorari.* Eosdem Augustinus vocat L. *adjutores & filios diaboli:* Lactantius M. *Dæmoniacis fraudibus irretitos:* Nazianzenus N. *clypeum & propugnaculum diaboli:* Martyr Cyprianus Epist. 40. *linguam diaboli venenatam:* & Epist. 74. *Antichristos:* Bernardus Serm. 66. in cantica, *prædones habitu oves, astu vulpes, actu ac crudelitate lupos:* Athanasius Orat. 1. contra Arianos. *alienos à Christianismo, & diaboli eiusque dæmonum amicos:* & rursùs Orat. 4. contra eosdem, *scarabæos cum patre suo diabolo circumeuntes, causásque iniquitatis undequaque aucupantes.* Testatur quoque Tertullianus O. Notata esse commercia hæreti- „ corum cum Magis quamplurimis, cum circulatoribus, cum astrologis".

H. Basilius Epist. 141. I. Ignatius Epistola ad Trallianos.

K. Gr. Nyss. Or. in dictū Apost. Tunc & ipse filius subjicietur.

L. Aug. 1 de Pastor. c. 12. M. Lactant. lib 4. c. 30. N. Nazianz. Orat. 48. Cyprianus. Bernardus.

Athanasius.

O. Tertul. l. de Præscrip. cap. 43.

CAPUT XXI.

Hæreticorum superba curiositas sub mulieris stultæ *parabola clamat in Parœmijs,* Qui parvulus est, declinet ad me &c. *Hæretici promiscuè omnes pollicitatione Sapientiæ abstrusioris alliciunt, præsertim eos, qui curiositatis impetigine pruriunt: & in hoc similes sunt hæretici pythonicis, ariolis, & cæteris divinatoribus. Aliter mulier ista fatua, aliter Sapientia transeuntes invitat.* Mulieri stultæ *in ijsdem Parœmijs contraponitur* Mulier fortis, *quæ est Ecclesia: ideò utique* fortis, *quia ab initio Mundi tot tantisque tribulationibus fatigata, non vincitur. Perdix typum gerit diaboli; atque etiam cujusque hæresiarchæ, congregantis quos non peperit, & facientis divitias sine judicio. Parùm curat diabolus quo quisque errore desipiat, modò erret. Sive enim hìc, sive illic quis existat, dummodò erret, ad eum spectat, qui universis erronibus superintendit ac præsidet.*

LXXVIII. Cum talis ac tanta sit hæreseon cum veteri Gentilium superstitione propinquitas, ut juxta Tertulliani effatum §. 76. relatum, *& authoris & operis sint eiusdem,* consectarium omninò videtur, ut Rex *Saul* consulendo Pythonissam præfigurarit non solùm Reges ac Principes ethnicæ divinationi auscultantes, sed etiam hæresibus aurem præbentes, aut quomodolibet sese accommodantes. Utrobiq; enim & ad diaboli scholam pro ope recurritur, & curiositati exitiosæ litatur. Quam curiositatem Salomon in Proverbijs, *mulierem stultam, & clamosam, plenamq; illecebris* nominat: P. Hæreticorum quippe, ut „ ait Augustinus, superba & curiosa cupiditas „ in libro Proverb. clamat sub mulieris ima„ gine, & dicit: *Qui stultus est, divertat ad me:* Et „ *inopes sensu exhortatur, dicens: panes occultos* „ *edite libenter, & aquam dulcem furtivam bibite*".

Prover. 9. 13.

P. August. l. 2. de Genesi contra Manich. c. 27. Ibid. v. 16. & 17.

Alibi quoque idem Augustinus de hac eadem muliere fusiùs disserens, admonet omnes ne ad eam declinent, sive Gentilium superstitiones renovando, sive hæreses quascunque cudendo vel amplectendo: ^Q „Cavete, inquiens, timendo & orando, ne irruatis in illud ænigma Salomonis, ubi *Mulier insipiens & audax, inops panis effecta, convocat prætereuntes, dicens: Panes occultos libenter attingite, & aquæ furtivæ dulcedinem.* Hæc enim mulier vanitas est impiorum, cùm sint insipientissimi, aliquid se scire opinantium; sicut de illa muliere dictum est, *inops panis effecta.* Quæ cùm sit inops panis, promittit panes: id est, cùm sit ignara veritatis, promittit scientiam veritatis. *Occultos* tamen *panes* promittit, quos dicit *libenter attingi*, & *aquæ furtivæ dulcedinem*: ut ea scilicet libentiùs & dulciùs audiantur & agantur, quæ palàm in Ecclesia dici credique prohibentur. Ipsâ quippe occultatione condiunt quodammodò nefarii Doctores sua venena curiosis: ut ideò se existiment aliquid discere magnum, quia meruit haberi secretum; & suaviùs hauriant insipientiam, quam putant scientiam, cujus prohibitam quodammodò furantur audientiam. Hinc & nefarios ritus suos hominibus, sacrilegâ curiositate deceptis vel decipiendis, magicarum artium doctrina commendat. Hinc illæ illicitæ divinationes, inspectis pecudum visceribus occisarum, aut vocibus & volatibus avium, aut signis multiformibus dæmonum, insusurrantur auribus hominum imperitorum, per colloquia perditorum. Propter hæc illicita atque punienda secreta, *mulier illa* non solùm *insipiens*, verùm *audax* etiam nuncupatur. Sed hæc non solùm à re ipsâ, verùm à nomine nostræ Religionis aliena sunt. Quid quòd *mulier* hæc *insipiens & audax*, sub Christiano vocabulo tot scelestas hæreses condidit, tot nefandas fabulas finxit? Atque utinam tales, quales in theatris sive cantantur, sive saltantur, sive inimicâ scurrilitate ridentur: & non quasdam tales, quales adversùs Deum fingere potuisse sic illam doleamus *insipientiam*, ut miremur *audaciam*. Omnes autem insipientissimi hæretici, qui se Christianos vocari volunt, audacias figmentorum suorum, quas maximè exhorret sensus humanus, occasione Evangelicæ sententiæ colorare conantur, ubi Dominus ait: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*: quasi hæc ipsa sint quæ tunc discipuli portare non poterant, & ea docuerit Spiritus Sanctus, quæ palàm docere atque prædicare, quantùlibet feratur audaciâ, spiritus erubescit immundus. Hoc Apostolus in Spiritu Sancto prævidens, ait: *Erit enim tempus, quo sanam doctrinam non sustinebunt; sed secundum desideria sua magistros sibi coacervabunt, prurientes auribus: & à veritate quidem auditum suum avertentes, ad fabulas convertentur.* Illa enim secreti furtíque commemoratio, quâ dicitur: *Panes occultos libenter attingite, & aquæ furtivæ dulcedinem*: pruritum facit audientibus in auribus spiritaliter fornicantibus, sicut prurito quodam libidinis etiam in carne corrumpitur integritas castitatis. Audite ergò Apostolum talia prævidentem, & ea vitanda salubriter admonentem: *Profanas*, inquit, *verborum novitates evita: multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum sicut cancer serpit*".

^Q Idem Tr. 97 in Ioan. Vide Gregorium l. 28. Moral. c. 17. aliàs 25.

Vide Bedam in caput 9. Proverbior. & Rabanum ibid. & Isidor. in Genesim c. 4. & Rupert. l. 7. de Glorif. Trin. cap. 5. & seqq.

Ioan. 16. 12.

2. Tim. 4. 3. & 4.

Prov. 9. 17.

2. Tim. 2. 16. & 17.

LXXIX. Mulier itaque ista, *insipiens* pariter & *audax*, compellat & invitat transeuntes promiscuè omnes, ut ad se ab itinere recto *declinent*; sed ei morem non gerunt, nisi *parvuli* & *vecordes*: parvuli utique non annis, sed sensibus; de qualibus ait Apostolus: *Nolite pueri effici sensibus.* Hanc mulierem rectè dixeris esse curiositatem, de qua Author libri *De modo benè vivendi* inter Opera Bernardi: „Curiositas, inquit cap. 54. periculosa præsumptio est: curiositas damnosa peritia est: ad hæresim provocat, in fabulas sacrilegas mentem præcipitat, in causis obscuris audaces reddit, in rebus ignotis facit homines præcipites". Ad hanc mulierem declinare vetiti fuerant veteres Israëlitæ, quibus dictum est: *Non inveniatur in te qui ariolos sciscitetur, & observet somnia atque auguria; nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, aut quærat à mortuis veritatem.* Ad eandem quoque declinare vetantur Christiani, quibus dicitur: *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa Mundi, & non secundùm Christum*: quibus item dicitur, *Attendite à falsis prophetis*: quibus pariter injungitur, ut *abstineant se à contaminationibus simulachrorum*: quibus denique dicitur, *custodite vos à simulachris*. ^R „Curiosi esse prohibemur, inquit Augustinus, quod magnum temperantiæ munus est: *Cavete ne quis vos seducat per philosophiam*". Et rursùs ibidem post pauca: „Reprimat igitur se anima ab hujusmodi vanæ cognitionis cupiditate, si se castam Deo servare disposuit. Tali enim amore plerunque decipitur, ut aut nihil putet esse, nisi corpus; aut etiamsi authoritate commota fateatur aliquid esse incorporeum, de illo tamen nisi per imagines corporeas cogitare non possit, & tale aliquid esse credere, quale fallax corporis sensus infligit.

1. Cor. 14. 20.

Vide Isidor. l. 2. Synonimorum c. 6. & 15.

Deut. 18. 10. & 11.

Col. 2. 8. Vide Tertul. l. de Præsc. c. 7. & lib. de Anima c. 3. & l. 5. cont. Marcion. cap. 19.

Matt. 7. 15.

Act. 15. 20.

1 Ioan. 5. 21.

^R Aug. l. de Morib. Ecclesiæ c. 19.

Ad

"Ad hoc etiam valet quòd præcipitur *cavendum esse à simulachris*". Undè benè monet Tertullianus, ut [s]. memores simus tam Dominicarum prænuntiationum, quàm Apostolicarum literarum, quæ nobis & futuras hæreses prænuntiarunt, & fugiendas præfinierunt; ut sicut esse illas non expavescimus, ita & posse id propter quod fugiendæ sunt non miremur. Instruit Dominus, *multos esse venturos sub pellibus ovium lupos rapaces*. Quænam istæ *sunt pelles ovium*, nisi nominis Christiani extrinsecùs superficies? Qui *lupi rapaces*, nisi sensus & spiritus subdoli, ad infestandum gregem Christi intrinsecùs delitescentes? Qui *Pseudoprophetæ*, nisi falsi Prædicatores? Qui *Pseudoapostoli*, nisi adulteri Euangelizatores? Qui *Antichristi* interim & semper, nisi Christi rebelles"? Observat porrò Beda discrimen duarum mulierum à Salomone sub nomine *Sapientiæ*, & *Mulieris stultæ* commemoratarum; discrimen, inquam, quoad modum vocandi ad se homines. Tametsi enim utraque vocet *parvulos*, Sapientia tamen utitur verbo *veniendi*, Mulier stulta verbo *declinandi*; [T]. quia nimirùm, ait ipse, illa ad rectum actionis iter, quos errantes cernit, accersit; hæc, rectè gradientes, ab itinere suo deviare, & ad se divertere docet".

s. Tert. l. de Præscript. cap. 4. Vide Cypr. lib. ad Novatian. & Lyrinensem c. 36. & 37. & Ambros. l. 7. in cap. 20. Lucæ. Mat. 7. 15.

Mat. 24. 11.

2. Cor. 11. 13.

1. Joan. 2. 18.

Prov. 9. 4.

Ibid. v. 16.

T. Bed. in cap. 9. Proverbiorum.

LXXX. Cæterùm quamvis mulier ista à Salomone dicatur *stulta*, alibi tamen ab eodem describitur ut astuta, cùm ait: *Ne attendas fallaciæ mulieris*. Nec mirum, cùm Apostolus velit Christianos *esse sapientes in bono, & simplices in malo*. Sic enim ex adverso diabolus vult clientes suos esse in bono simplices, in malo astutos. Si autem reliquos clientes, quanto magis mulierem istam Salomonicam, quam sibi peculiariter velut sponsam consociavit; quemadmodùm & è diverso Deus *Mulierem fortem*, ab eodem Salomone prædicatam, sibi desponsavit? *Mulierem* quippe *fortem* Interpretes passim intelligunt Ecclesiam, Sponsam Domini, matrem eorum omnium, *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*. Qua de re Augustinus: [V]. "Ecclesia Catholica, inquit, non solùm post adventum Domini & Salvatoris nostri prædicata est, sed etiam ab initio Mundi multis figuris & Sacramentis secretioribus designata. Nam & in Sancto *Abel* Ecclesia Catholica fuit, & in *Noë*, & in *Abraham*, & in reliquis usque ad adventum Domini Salvatoris. De ipsa etiam ait Salomon, *Mulierem fortem quis inveniet?* Quod dixit, *quis inveniet?* difficultatem inveniendi, non impossibilitatem oportet intelligi. *Mulier ista fortis*, Ecclesia est. Quomodò enim non est fortis, quæ ab initio Mundi tantis tribulationibus fatigatur, & tamen non vincitur? *Mulierem fortem quis inveniet?* Quis alius, nisi Christus? Non autem eam fortem invenit, sed inveniendo fortem fecit: tiam ut eam inveniret, *Nonaginta novem dimisit in montibus, & quæsivit unam ovem quæ erraverat; & humeris suis impositam, ad ovile proprium revocavit*". Hic est ille, qui per Ezechielem prædixit *se pasturum oves suas in judicio*: [W]. "Pascit ergò ille cum judicio, ait alibi idem Augustinus, dispertiens propria propriis, hæc istis, illa illis, debita eis quibus debetur hoc aut illud. Novit enim quid agat: *cum judicio pascit*; quos judicatus redemit. Pascit ergò ipse *cum judicio*: in Propheta autem Hieremia ait, *Clamavit perdix, congregavit quæ non peperit, faciens divitias suas non cum judicio*. Contra istum perdicem, facientem divitias suas *non cum judicio*, pascit iste pastor *cum judicio*. Quare ille *non cum judicio*? Quia *congregavit quæ non peperit*. Quare iste *cum judicio*? Quia fovet quod peperit". Ex quibus apparet, quàm congruenter pastori, *pascenti cum judicio*, pro sponsa assignetur *Mulier fortis*, de qua inter alia ait Salomon, *Os suum aperuit sapientiæ*: & item quàm congruenter *pastori stulto*, sive *perdici facienti divitias suas non cum judicio*, pro sponsa assignetur *Mulier stulta & clamosa*, quæ indiscretim convocat *parvulos & vecordes*; "Perdix quidem ille, subdit ibidem Augustinus, à quibusdam Majoribus, & ante nos Scripturarum Tractatoribus, diabolus intellectus est, *congregans quæ non peperit*: non enim ille Creator, sed deceptor est. *Faciens divitias suas non cum judicio*: non enim ad eum pertinet quis isto aut illo modo erret: omnes errantes vult, quibuslibet erroribus. Quàm diversæ sunt hæreses, quàm diversi errores? Ille in omnibus vult errare homines. Non dicit diabolus, Donatistæ sint, & non Ariani: sive hìc sint, sive illic, ad eum pertinent, *congregantem sine judicio*. Idola, inquit, adoret quis, meus est: in Judæorum superstitione remaneat, meus est; desertâ unitate in illam vel illam hæresim pergat, meus est. *Congregat* ergò *sine judicio, faciens divitias suas*".

Prov. 5. 2.

Rom. 16. 19.

Prov. 31. 10.

1. Joan. 13.

V. Aug. Ser. 107. de tempore. Vide Serm. 119. ibidem & Serm. 41. de diversis. & Ambros. in cap. 31. Proverb.

Luc. 15. 4. & 5.

Ezech. 34. 16

W. Aug. l. de Pastoribus cap. 12.

Hier. 17. 11.

Prov. 31. 26.

Zach. 11. 15.

Prov. 9. 13.

Ibid. v. 16.

Vide Ambr. in cap. 17. Hieremiæ, aliàs lib. 7. Epist. 41. ad Irenæum. & l. 6. Hexam. c. 3. & Hieron. in c. 17. Hierem.

CAPVT XXII.

Hæreticos extremo supplicio obnoxios fieri ostenditur ex antiqua Dei sanctione adversus maleficos. Pejus est animas, quàm corpora intoxicare. Erasmi insultatoria joculatio retunditur. Erasmiano ovo incubans Lutherus malum exclusit pullum, hæreticorum *scilicet* combustionem contrariari voluntati spiritus. *Martyris Roffensis de hæreticis extremo supplicio plectendis sententia suis probationibus munita refertur, & comprobatur. Hæretici fures sunt & latrones, adeóque plectendi. Elucidatur Christi dictum*, Quotquot venerunt, fures sunt & latrones. *Vetustis exemplis conficitur, temeratores Religionis reos esse mortis.*

LXXXI. DIctum est superiùs c. 17. §. 63. Deum dupliciter præcavisse veteri suo populo, adversùs diabolicas pythonicorum præstigias: priùs quidem præcipiendo ipsos interimi deprehensos, secundò item vetando ne quisquam eos consuleret quomodolibet reservatos. Quapropter cùm ex ijs, quæ duobus capitibus proximè præcedentibus disseruimus, appareat, hæreticos pythonicis prorsùs esse germanos, eodem patre diabolo satos & inspiratos, eádemque matre
Prov. 9. 13. *stultâ ac clamosâ* conceptos ac partos; ambigere non debemus, quin ea quæ contra pythonicos & alios consimiles diaboli clientes antiquitùs sancita à Deo fuerant, nobis adversùs hæreticos servire pro instructione
Rom. 15. 4. debeant: *Quæcunque enim scripta sunt, ad no-*
Vide supra hic cap. 2. *stram doctrinam scripta sunt.* Unde cùm Apostolus quasdam illius veteris populi transgressiones, cum subsecutis ultionibus commemorasset, adjunxit: *Hæc autem omnia in*
1. Cor. 10. 11. *figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt.* Quæ omnia si ritè ac maturè pe-
Erasmus. pendisset Erasmus, nequaquàm in sua *Moria* in scenam produxisset, & legentium ludibrio exposuisset quendam Theologum, seu verum, seu fictum, qui rogatus ubinam extaret scriptum, hæreticos morte esse plectendos, respondit allegando locum illum Exo-
Exodi 22. 18. di: *Maleficos non patieris vivere.* Sed multò rectiùs Augustinus Erasmum ludibrio exposuit in Donatistis, qui cùm faterentur idololatras & veneficos à Christianis Imperatoribus morte esse plectendos, negabant tamen hæ-
X. Aug. l. 1. cont. Epist. Parm. c. 10. Gal. 5. 19. & seqq. reticos eâdem pœnâ esse mulctandos: ˣ. Ma-
„ nifestè, ait ipse, enumerat Apostolus opera
„ carnis: *Quæ sunt*, inquit, *fornicationes, im-*
„ *munditia, contentiones, æmulationes animosi-*
„ *tates, dissensiones, hæreses, invidiâ ebrietates,*
„ *comessationes, & his similia* Quid istis (*Donati-*
„ *stis*) videtur, ut crimen idololatriæ putent
„ justè ab Imperatoribus vindicari: aut si nec
„ hoc volunt, cur in veneficos vigorem le-
„ gum exerceri justè fatentur; in hæreticos
„ autem atque schismaticos impiâ dissen-
„ sione nolunt fateri; cùm in ijsdem iniqui-
„ tatis fructibus authoritate Apostolicâ nu-
„ merentur? An fortè nec talia Potestates
„ istæ humanæ constitutionis permittuntur
„ curare? Propter quid ergò gladium portat
„ qui dictus est *Minister Dei, vindex in iram eis* Rom. 13. 4.
„ *qui malè agunt*? Nisi fortè, quemadmodum
„ nonnulli eorum sanè imperitissimi hoc in-
„ telligere solent, de honoribus Ecclesiasticis
„ dictum sit; ut *gladius* intelligatur vindicta
„ spiritalis, quæ excommunicationem ope-
„ ratur: cùm providentissimus Apostolus
„ consequenti contextione lectionis satis
„ aperiat quid loquatur: Ille quippe addi-
„ dit, *Propter hoc enim & tributa præstatis*: ac Ibid. v. 6.
„ deinde subjunxit, *Reddite omnibus debita;* Ibid. v. 7.
„ *cui tributum, tributum; cui vectigal, vecti-*
„ *gal; cui honorem, honorem; cui timorem, ti-*
„ *morem* Hoc ergò jam restat, ut isti dispu-
„ tationibus suis prohibeant Christianos tri-
„ buta persolvere: cùm & Dominus talia
„ sentientibus Pharisæis, quos imitantur
„ ipsi, nummo inspecto, responderit, *Red-* Mat. 22. 21.
„ *dite Cæsari quod Cæsaris est, & Deo quod Dei*
„ *est.* Hi verò in utroque inobedientes at-
„ que impij, nec Deo reddunt Christianum
„ amorem, neque Regibus humanum
timorem".

LXXXII. Igitur qui prædictum Donatistarum dogma sequuntur, quid superest nisi ut Regem *Saulem* non tam culpent propter
impunitatem promissam consultæ abs se pythonissæ, 1. Reg. 28. 10
quàm propter *erasas magos & ariolos de ter-* Ibid. v. 3.
ra? Par enim, si non etiam potior, est ratio eradendi hæreticos, quæ & eorum fratres ariolos & pythonicos. Quod cùm vel ignorasset vel dissimulasset in sua *Moria* Erasmus, Theologum rectè respondentem exposuit ludibrio, & ovum excludendum supposuit hæresiar-

Lutherus. Vide Art. 14. Joan. Hussij damnatum in Syn. Constant. Sess. 45. 3. Reg. 22. 22.

hæresiarchæ Luthero; cujus Articulus trigesimus tertius, à Leone X. damnatus, velut pullus ex Erasmiano ovo exclusus, est iste: *Hæreticos comburi, est contra voluntatem Spiritus.* Si de illo loqueretur spiritu, qui ait: *Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum Achab*, verum profectò loqueretur, nec censuram eatenùs mereretur. Sed quia divinum Spiritum intelligi voluit, explosum olim Donatistarum dogma renovavit, atque adeò notam censoriam promeruit, & accepit. In cujus censuræ defensione, & erroris censurati confutatione, ita scribit Martyr

Y. Roffensis contra Articulum 33. Luther.

Roffensis: [Y]. Nequaquam neoterica est hæresis ista, quippe quæ multos jam annos vexavit Ecclesiam. Nihil enim hæretici magis cupiunt, quàm ut suis pestiferis dogmatibus impunè possint Christianam inficere plebem; cui devorandæ studént avidiùs, quàm ovibus lupi. Propter quod & eos

Mat. 7. 15.

Christus in Evangelio lupos vocat: *Attendite*, inquiens, *à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Et quis tam imprudens est, ut lupos cum ovibus committat, at non potiùs arceat eos ab ovili? Sed inquies,

PRÆOCCVPATIO.

Aliud est arcere, aliud interimere. Arcere licet, nam hoc permisit Christus: at interimere non licet. Ego quidem & interimendos opinor, ubi non potes aliter salvare gregem. Quam rem & Christus ipse mihi visus est apertè satis indicasse, quandoquidem *rapaces lupos* vocavit eos. Quis enim *rapacem lupum*, ubi gregi metuit suo, non priùs occiderit, quàm sinat oves ab eo dilaniari? Quis est qui nesciat, quòd pastori charior esse debeat suarum ovium salus, quàm luporum vita? Quamobrem cum alterutros perire necesse sit, hoc est, aut oves, aut lupos, quid stolidius excogitari potest, quàm ita lupis indulgere, ut gregis tandem universi jacturam patiaris? Id quod haud dubiè futurum est, si lupos non interemeris. Et ut istis lupis nemo prudens pastor ita favere debet, ut interim oves pereant: ita nec hæreticis parcendum est, ne per eorum virulenta dogmata depereant orthodoxi. Nam hæreticorum sermo multò perniciosior est

2. Tim. 2. 17.

hominibus, quàm lupi ovibus: *sermo enim illorum*, ut ait Paulus, *velut cancer serpit.* Quod genus morbi, nisi quàmprimum ei subveniatur, ut nullum admittit remedium; ita nec hæreticorum sibilus, ubi semel ejus virus per aurem ad cor penetraverit, remedium accipit ullum: nam *irremediabiliter*, ut Hieronymus ait, *mentes auditorum vulnerat.* Quamobrem si liceat feras non arcere modò, sed etiam interimere, ne pecudibus noceant; multò magis id licebit de hæreticis statuere, ne tantam animabus sanguine Christi redemptis inferant perniciem. Nam quâ, precor, aliâ ratione Christiano gregi contra lupos istos succurrere poteris? Num censuris Ecclesiasticis? Sed has ipsi contemnunt penitùs. An amissionis rerum suarum metu? Sed isti nec Deum, nec hominem metuunt. An exilio? Sed per literas poterunt hæreses suas disseminare. An carceribus? At custodes crebrò per illos corrupti sunt. Breviter, quocumque loco vivere permittantur, nunquam ab eorum dentibus tuta fuerit Christiani gregis salus".

LXXXIII. In omni Republicâ benè constitutâ fures & latrones extremo habentur obnoxij supplicio: atque adeò cùm Christus hæreticos vocet *fures & latrones*, quippe qui *non per ostium in ovile intrent, sed aliunde ascendant*; procuidubiò indicavit eos morti esse obnoxios: [Z]. Ille, inquit Augustinus, fur est & latro, qui suas vult dicere oves alienas: ad hoc suas, id est, furto ablatas, non ut salvet, sed ut occidat. Ergò *fur* est, quia quod alienum est, suum dicit: & *latro*, quia & quod est furatus, occidit". Tales autem esse hæreticos innuerat ibidem superiùs, præmittens:" Videamus illos si fortè ipsi *intrant per ostium*, qui ipsius Christi nomine gloriantur: innumerabiles enim sunt, qui se videntes non solùm jactant, sed à Christo illuminatos videri volunt; sunt autem hæretici. Fortè ipsi *per januam intraverunt*? Absit". Absit proinde ut veri ovium pastores, ac non potiùs invasores, mactatores, perditores sint: [A]. quos Joannes, teste Cypriano, *Antichristos* appellat, quos Euangelista *paleis* similat, quos Dominus Christus fures & latrones designat, sicut ipse in Euangelio declarat, dicens: *Qui non introit per ostium in ovile ovium, sed descendit per alteram partem, ille fur & latro est*: item in eodem quoq; ait, *Omnes qui venerunt, fures sunt & latrones.* Qui isti sunt, nisi desertores fidei, & transgressores Ecclesiæ Dei, qui contra ordinationem Dei nituntur? Quos meritò Spiritus Sanctus per Prophetam increpat, dicens. *Fecistis consilium, non per me; & conventionem, non per spiritum meum, adjicere peccata super peccata*". Nec movere quenquam debet, quòd Christus dicendo, *quotquot venerunt, fures sunt & latrones*, non videatur de futuris Pseudoprophetis, sed de præteritis loqui. Loquitur namq; indiscriminatim de omnibus, qui non cum ipso, sed præter ipsum quovis tempore veniunt: " Ante adventum ipsius, ait ibid. Augustinus, venerunt Prophetæ: nunquid *fures & latrones* fuerunt? Absit: Non præter illum venerunt, quia cum illo

Marginal notes, right column: Joan. 10. 1. — Z August. Tract. 45. in Joan. — A Cyprian. lib. ad Novatianum, sub initium. 1. Joan. 2. 18. — Mat. 3. 12. — Joan. 10. 8. — Isa. 30. 1. — SCRVPVLVS. — EXCVTITVR. — Augustinus.

,, venerunt: venturus ipse præcones mittebat, sed eorum quos miserat corda possidebat. Vultis nosse qui cum illo venerunt, ,, qui est ipse semper, carnem quippè accepit ,, ex tempore? Quid est ergò semper? *In principio erat Verbum.* Cum illo ergò venerunt, qui cum Verbo Dei venerunt. *Ego sum*, inquit, *via, & veritas, & vita.* Si ipse est ,, *veritas*, cum illo venerunt qui veraces fuerunt. Quotquot ergò præter illum, *fures* ,, *sunt & latrones*, id est, ad furandum & occidendum veniunt". Hæc ibi Augustinus.

Ioan. 1. 1. *Ioan.* 14. 6.

LXXXIV. Objecit aliquando Faustus Manichæus Catholicis præfatum Christi eloquium adversùs authoritatem Veteris Testamenti, cujus Scriptores universim contendebat fuisse Pseudoprophetàs, eò quòd Christus dicat, *fures fuisse & latrones quotquot ante se venissent.* Correspondens Augustinus:[a] ,, *Venisse*, inquit, ita vult Christus intelligi, ,, qui missi non sunt; nam qui missi sunt, ,, sicut Moyses & Sancti Prophetæ, non ,, ante ipsum, sed cum ipso *venerunt*; quia ,, non eum per superbiam præcedere voluerunt, sed eum per ipsos loquentem humiliter portaverunt". Et rursùs ibidem post pauca:" Si ille intellectus est verus, inquit, ut ,, ipsi ante Christum venisse dicantur, qui ,, cum Christo, id est, cum Verbo Dei venire ,, noluerunt, sed cùm eos non misèrit Deus, ,, mendacia sua hominibus attulerunt: vos ,, quoque ipsi, quamvis post Christi passionem & resurrectionem in hoc Mundo nati ,, fueritis, *fures & latrones estis*: quia priusquam vos ipse illuminaret, ut veritatem ,, ipsius prædicaretis, *ante eum venire* voluistis, ut vestram fallaciam jactaretis". Ecce quemadmodùm Manichæi, atque adeò cæteri omnes hæretici, quantumvis Christi adventu posteriores, ante Christum venerint, ac per hoc *fures & latrones fuerint*: quia nimirum non à Deo missi, sed à seipsis ingesti cucurrerunt; nec Dei, sed suum verbum portaverunt: de qualibus ait Deus apud Hieremiam, *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Et iterum, *Non misi eos, ait Dominus, & ipsi prophetant in nomine meo mendaciter.* Et rursùs inferiùs ad populum, *Non vos seducant Prophetæ vestri, qui sunt in medio vestrûm, & divini vestri; & ne attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis: quia falsò ipsi prophetant vobis in nomine meo, & non misi eos, dicit Dominus.* Cui admonitioni consona est illa Christi apud Matthæum, *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos*, id est, qui se vobis ingerunt non missi, *in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces*: & illa item Apostoli ad Ecclesiæ Præfectos, *Attendite vobis, & universo gregi.* Quare? Quia, ut mox subdit, *Intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos.* Quid est *intrabunt*, nisi se ipsos ingerent, non à Deo missi, sed à se intrusi: *Non parcentes gregi*, sed more *furum* abducentes, & more latronum perimentes? Unde sequitur, *Exurgent viri loquentes perversa.* Quid est *exurgent*, nisi ipsi se erigent, non à Deo erecti? Quid est *loquentes perversa*, nisi effutientes noxia, pestifera, mortifera; quibus tanquam *latrones* interimant partem gregis, quam velut *fures* insidiantes ovili *abducent post se*?

a. *Aug. l.* 16. *contra Faustum c.* 12.

Hier. 23. 21. *Hier.* 27. 15. *Hier.* 29. 8. *& 9.* *Mat.* 7. 15. *Act.* 20. 28. *Ibid. v.* 29. *Ibid. v.* 30.

LXXXV. Non est præsumendum, quòd Deus minùs voluerit cautum esse contra Pseudoprophetarum insidias gregi Christiano, quàm veteri Israëlitico; cùm scriptum sit, *Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob.* De Pseudoprophetis autem veteri gregi insidiantibus ita statuit: *Propheta aut fictor somniorum interficietur, quia locutus est ut vos averteret à Domino Deo vestro.* Et rursùs ibidem post pauca: *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, sive uxor quæ est in sinu tuo, aut amicus quem diligis ut animam tuam clam dicens: Eamus, & serviamus Dijs alienis, quos ignoras tu & Patres tui cunctarum in circuitu Gentium quæ iuxta vel procul sunt, ab initio usque ad finem terræ; non acquiescas ei, nec audias, nec parcat ei oculus tuus ut miserearis, & occultes eum: sed statim interficies.* Et tanquam quæreres, quorsùm ista severitas, etiam in tam propinquos? sequitur: *ut omnis Israël audiens timeat, & nequaquam ultrà faciat quidpiam huius rei simile.* Sed quid si integra aliqua civitas, aut hominum societas, à Religione avitâ desciscat, aut certè desciscentibus conniveat? Audi quod subtexitur: *Si audieris in una urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos: Egressi sunt filij Belial de medio tui, & averterunt habitatores urbis suæ, atque dixerunt: Eamus, atque serviamus Dijs alienis quos ignoratis: quære sollicitè, & diligenter rei veritate perspectâ, si inveneris verum esse quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, statim percuties habitatores civitatis illius in ore gladij, & delebis eam, ac omnia quæ in illa sunt, usque ad pecora: quicquid etiam supellectilis fuerit congregabis in medio platearum eius, & cum ipsa civitate succendes, ita ut universa consumas Domino Deo tuo, & sit tumulus sempiternus: non ædificabitur amplius, & non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tua; ut avertatur Dominus ab ira furoris sui & misereatur tui.* [c]. ,, Cujus præcepti, inquit Cyprianus, & rigoris memor Mathathias, *interfecit eum qui ad aram sacrificaturus accesserat.* Quòd si ante ,, adventum Christi circa Deum colendum, ,, & idola spernenda, hæc præcepta servata ,, sunt; quanto magis post adventum Christi servanda

Psalm. 86. 2. *Deut.* 13. 5. *Ibid. v.* 6. *& seqq.* *Ibid. v.* 11. *Ibid. v.* 12. *& seqq.*

c. *Cypr. l. de Exhortat. Mart. cap.* 5. 1. *Machab.* 2. 24.

servanda sunt"? Hine Optatus Milevitanus occisionem quorundam Donatistarum, à Macario Cæsaris delegato factam, justificat
D. Optatus lib. 3 contra Parmen. exemplis de veteri lege excerptis: D. Temporibus *Moysis*, inquiens, populus Israël „ caput vituli coluit, quod illis sacrilega „ flamma conflavit: ideò tria millia hominum occidi meruerunt, quia Dei vox videbatur esse contempta. *Phinees* adulteros „ uno ictu percussit, & laudari à Deo meruit: quoniam divinorum præceptorum „ contemptores occidit. Et quadringenti „ quinquaginta, quos *Elias* occidisse legitur, „ ideò occisi fuer, quia contra jussionem „ Dei, per quod falsi vates erant, Dei præcepta contempserant. Et illi, quorum nominibus *Macarium* criminatis, nec à falsis „ vatibus longè sunt, quia vos Deus dixit „ futuros esse *falsos vates*, quod proximo Mat. 7. 15.
„ loco probaturi sumus: & dum pacem noluerunt recipere, nec in uno cum fratribus „ habitare, contra præcepta & voluntatem „ Dei pertinaciter obstiterunt. Ergò videtis, à *Moyse*, & *Phinee*, & *Elia*, & *Macario*, „ similia esse facta: quia ab omnibus unius Dei præcepta sunt vindicata".

CAPUT XXIII.

Insidiantur hæretici Catholicis, ut Philisthæi priscis Israëlitis. Inaniter pro sua impunitate obtendunt dictum Christi ad Petrum, Converte gladium tuum in vaginam. *De duplici gladio Ecclesiæ, altero ab Ecclesia, altero pro Ecclesia stringendo. Hæretici ita tractandi sunt ab Ecclesia, ut Pseudoprophetæ olim à Synagoga. Cur dicti* vulpes? *Quænam sit vinea, quam demoliri nituntur? Cur ubi jubemur* capere vulpes, *addatur*, parvulas? *Hæresibus ebullientibus indilatè obviandum. Unica scabra pecus totum corrumpit ovile. Quod lex statuit de non procrastinando supplicio veneficorum, admonitio est non differendi supplicia hæreticorum.*

LXXXVI. FAmiliare est committentibus digna supplicio, odisse non solùm ministros justitiæ, sed ipsa etiam instrumenta supplicij: naturale quippe est odisse quem timeas, & quod timeas. Oderunt ergò hæretici Catholicorum gladios, haud secùs ac Philisthæi gladios Hebræorum, de quibus scri-
1. Reg. 13. 19 ptum est: *Caverant Philisthym, ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam.* Et mox ite-
Ibid. v. 22. rum: *Cùm venisset dies prælij, non est inventus ensis & lancea in manu totius populi, qui erat cum Saule & Ionatha.* Quoniam igitur hæretici, suorum criminum conscij, timent supplicium gladij, conantur suis disputationibus adimere Ecclesiæ Christianæ usum gladij, si non in alios criminosos stringendi, saltem in ipsos propter hæresim exerendi. Hinc Optatus Milevitanus loco proximè allegato
Optatus. subdit ad Donatistas: " Sed video vos huc „ loco tempora separare, ut alia fuerint ante „ Evangelium, alia post Evangelium: in „ quo potestis dicere, quia scriptum est,
Ioan. 18. 10. & 11. „ *Ut à Petro iam gladius conderetur, quo auriculam servi Sacerdotis abstulerat*, quo servum poterat quasi devotus Petrus occidere". Respondet Optatus, præceptum Petro datum de recondendo in vaginam gladio, non fuisse perpetuum aut stabile, sed temporarium ac transitorium, quod proinde cessantibus circumstantijs tunc intercurrentibus cessarit: " Christus, inquit „ ille ibidem, pati venerat, non defendi. „ & si cogitatum suum Petrus impleret, „ in passione Christi videretur servus vindicari, non populus liberari". Quibus verbis duplicem assignat rationem interdicendi tunc Petro usum gladij: Prima est, ne impediretur passio, ad quam subeundam Christus in Mundum advenerat: Secunda, ne si Petrus servum Pontificis occideret, & equidem Christus passionem subiret; ansam arriperent infideles divulgandi, Christum supplicio affectum fuisse propter homicidium illius servi, & non innocenter pro salute Mundi. Quibus rationibus modò cessantibus, cessat pariter obligatio illius præcepti. Notandum præterea est, Christum non jussisse ut Petrus gladium à se penitùs abjiceret, sed duntaxat ut in vaginam reconderet, utique servandum, & suo tempore exerendum. Sed cujus manu? Re-
S. Bern. l. 4. de Consid. cap. 3. Vide Epist. 256 & Sermbaren. sem l. 4. Policrat. c. 4. spondeo cum Bernardo, si non Petri manu, at saltem nutu: B. Fac opus Evangelistæ, ait ille Successori Petri, & Pastoris „ opus implesti. *Dracones*, inquis, *me mones pascere & scorpiones, non oves.* Propter „ hoc, inquam, magis aggredere eos, sed verbo,

verbo, non ferro. Quid tu denuò usurpare gladium tentes, quem semel jussus es *ponere in vaginam*? Quem tamen qui *tuum* negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini, dicentis sic: *converte gladium TUUM in vaginam*. Tuus ergò est ipse, tuo fortsitan nutu, etsi non tuâ manu evaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret & is, dicentibus Apostolis, *Ecce gladij duo hic*, non respondisset Dominus, *Satis est*; sed, nimis est. Uterque ergò Ecclesiæ est, & spiritalis scilicet, & materialis; sed is quidem pro Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia exerendus est: ille Sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum Sacerdotis, & jussum Imperatoris". Conformiter huic suæ doctrinæ idem Bernardus alibi censet coërcendos esse quosdam sui temporis hæreticos, quos existimat denotari per *vulpes parvulas*, de quibus in Canticis scriptum legitur, *capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*: [F] Melius procul dubio, inquiens, gladio coërcerentur, illius videlicet qui *non sine causa gladium portat*, quàm in suum errorem multos trajicere permittantur: *Dei enim minister ille est, vindex in iram ei qui malè agit*".

Luc. 22. 38.
Cant. 2. 15.
F. Bern. serm. 66. in Cant.
Rom. 13. 4.
Ibid.

LXXXVII. Atque ut in hac *vulpium* metaphorâ aliquantisper subsistamus, sicut in *luporum* metaphorà superiùs §. 82. & 83. substiteramus, advertendum est, hæreticos sive Pseudoprophetas apud Ezechielem assimilari vulpibus, cum dicitur: *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum: quasi vulpes in desertis, Prophetæ tui Israel erant*: [G] "Cum Prophetarum nomen, inquit in eum locum Hieronymus, secundum regulam Scripturarum, bonis malisque commune sit, in eo differunt, quòd boni Prophetæ esse dicuntur *sapientes*, mali autem *stulti & insipientes*: quorum alterum refertur ad Ecclesiasticos viros, alterum ad omnes hæreticos; qui Dei spiritum relinquentes, *sequuntur spiritum suum*: quia nequaquàm divino instincto, sed proprio corde vaticinantur, unde & nihil vident". Et mox iterum post paucula ibidem: "Prophetæ Israël *vulpium* similes sunt, quotidiè domesticarum avium furta facientes". Et adhuc inferiùs: "Omnes hæretici, inquit, propter fraudulentiam ac nequitiam similes vulpium sunt, de quibus Salvator loquitur, *vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos*: & ut Herode scriptum est, *Dicite vulpi huic*. & de eisdem *vulpibus*, quæ parvulos simplicesque decipiunt, & populantur vineam Christi, Salomon loquitur: *capite nobis vulpes parvulas, dissipantes vineas*". In quem Salomonis locum Theodoretus: [H] "Per *vulpeculas*, inquit, hæreticos innuit, qui animas oppugnant Ecclesiasticas, & dolis ac fraudibus passim eos decipere conantur, qui nondum in fide sunt confirmati. Isti enim orationis suavitate, & laqueis ac retibus argumentorum simpliciores decipiendo, *vites demoliuntur*". Neque verò addendo, *parvulas*, significavit parcendum esse provectioribus *vulpibus*, id est, hæreticis jam grandibus & inveteratis; sed voluit ut mox incipientes opprimantur, nec adolescere sinantur: [I] "Mox incipientes, inquit Beda, fraudulentorum versutias deprehendere se debellare jubemur: ne majores effectæ per tempus, tantò difficiliùs à læsione vinearum spiritalium depellantur, quantò has diutiùs depascere consueverunt. Et pulchrè qui priùs numero plurali *vineas* dixerat, rursùs numero singulari posuit, *Nam vinea nostra floruit*. Ita enim multas *vineas* unam appellavit *vineam*; sicut multas per orbem Ecclesias, unam Ecclesiam voluit appellari. *Vineam* namque *florêre* dixit, ut latè germinantem electorum plebem ostenderet. Et benè, ubi *capiendas vulpeculas* admonuit, ibi mox *vineam* singulari appellatione signavit; ut ob id maximè insequendos ac proterendos doceret hæreticos, ne fidem Ecclesiæ, quam unam esse oportet, eorum infestatio scinderet, atque in partes distraheret. Aptè autem *vulpium* natura moribus ac verbis hæreticorum convenit, quia nimirum valde fraudulenta sunt animalia, quæ in fossis vel specubus absconduntur: cumque apparuerint, nunquam rectis itineribus, sed tortuosis anfractibus currunt. Quæ quomodò congruant hæreticorum dolis ac fraudibus facilè quisque intelligit". His consonum est illud Origenis: [K] "Sancti quique Doctores & Magistri Ecclesiæ sicut acceperunt potestatem *calcandi super serpentes & scorpiones*, ita accipiunt potestatem etiam *capiendi vulpes*: sic enim data est eis potestas *super omnem virtutem inimici*. Una autem sine dubio ex cæteris inimici virtutibus est *vulpes*, *quæ exterminat vineas florentes*, quæque cùm adhuc *parva* est, *capi* jubetur; sicut & in centesimo trigesimo septimo Psalmo, *Beatus* dicitur *qui tenet & allidit parvulos Babylonis ad Petram*, nec permittit sensum Babylonium crescere in semetipso & augeri, sed cùm est adhuc in initijs *allidit eum & tenet ad Petram*: tunc enim facilè perimitur".

Ezech. 13. 3. & 4.
G. Hieron. in caput 13. Ezechielis.
Vide Orig. Homil. 4 in Cantica.
Mat. 8. 20.
Luc. 13. 32.
Cant. 2. 15.
H. Theodor. in caput 2. Canticor.
I. Beda l. 3. in caput 2. Canticor.
Cant. 2. 13.
K. Orig. Homil. 4. in Cantica.
Luc. 10. 19.
Cant. 2. 15.
Psalm. 136. 9.

LXXXVIII. Non itaque connivendum est dogmatistis recèns exorientibus; sed confestim ut apparuerint, reprimendi vel proterendi sunt: [L] "Minoris enim laboris est, prout benè notat Nazianzenus, primùm improbitati non cedere, sed eam accedentem fugere, quàm progredientem altiùsque grassan-

L. Nazianz. Orat. 26.

„ grassantem reprimere atque superare: non „ secùs videlicet ac facilius est lapidem initio „ firmare & retinere, quàm ruentem sursùm retrahere". Hoc ipsum innuit Apostolus ubi ait, *Modicum fermentum totam massam corrumpit*: M. Scintilla; ait in eum locum Hieronymus, res parva est; & penè dum cernitur „ non videtur: sed si fomitem comprehenderit, & nutrimenta sui quamvis parvus ignis „ invenerit, moenia, urbes, latissimos saltus, regionesque consumit. Fermentum „ quoque, cujus ad aliam partem in Euangelio parabola temperata est; res modica „ videtur & nihil: sed cùm farinæ conspersum, totam massam suo vigore corruperit, „ in illius vim transit omne quod mixtum „ est. Ita doctrina perversa, ab uno incipiens, vix duos aut tres primùm in exordio reperit auditores: sed paulatim *ut cancer* „ *serpit* in corpore; & juxta vulgare proverbium, *Unius pecudis scabies totum commaculat* „ *gregem*. Igitur & scintilla statim ut apparuerit extinguenda est, & fermentum à „ massæ vicinia semovendum; secandæ putridæ carnes, & scabiosum animal à caulis „ ovium repellendum; ne tota domus, massa, corpus, & pecora, ardeat, corrumpatur, putrescat, intereant. *Arius* in Alexandria una „ scintilla fuit, sed quia non statim oppressa „ est, totum orbem flamma ejus populata est". Optimè & appositissimè Augustinus: N. Timendum est, inquit, ne plures putrescant, dum putribus parcitur". Et Innocentius Papa apud eundem Epist. 92." Præci„ dendum est, inquit, quod velut puro sano„ que corpori vulnus obrepsit; ne eùm tar„ diùs abstergitur, in ipsis penè visceribus non „ exhaurienda pòst sentina mali consîdat". Huc etiam referri possunt quæ de Pseudoprophetis, populum seducere nitentibus, confestim interficiendis, relata sunt ex veteri lege §. 85. necnon quæ de maleficis, quibus hæretici æquiparantur; scribit Philo Judæus: O. Lex, inquiens, vult veneficos & veneficas „ ne unum quidem diem vivere; sed mori „ quamprimum deprehensi fuerint, nec ullo pacto differri supplicium". Et congestis eam in rem varijs rationum congruentijs, quæ etiam in hæreticos quadrant, subdit idem Author inferiùs:" His omnibus, opinor, considaratis, legislator noster non sinit procrasti„ nari veneficorum supplicia, sed absque mo„ ra vult exigi quòd dilatio noxijs opportu„ nitatem peccandi præbeat, ultrò ad mor„ tem properantibus; cæteros verò suspicio„ ne metuque repleat, existimantes quicquid „ illorum vitæ accedit, suæ securitati decedere. Idcircò sicut viperas, scorpios, aliasque „ venenosas bestiolas, prinsquàm mordeant, „ aut saucient, aut omninò se commoveant, „ sine mora ad primum aspectum occidimus, „ præcavendo genuinam eorum malitiam „ prinsquàm noceant: sic etiam homines ple„ ctendi sunt, qui cùm sint animalia rationalia, nihilò seciùs à nativa mansuetudine in „ ferinos mores degenerant, & pro delecta„ mento habent lædendi quotquot possunt licentiam".

Gal. 5. 9.

M. Hieron. l. 3. in cap. 5. ad Galatas. Vid. D. Thomam 2. 2. q. 11. art. 3. in corp.

2. Tim. 2. 17.

Unica Scabra pecus totum corrumpit ovile.

N. Aug. Ep. 89. q. 2.

Innocen. tius.

Vide Bosl. Regul. 29. inter Iustos. ...

O. Philo lib. de specialibus legibus.

CAPUT XXIV.

Sicut in veteri lege non cuique, sed publicæ Potestati fas fuerat plectere veneficos: ita & in nova lege non nisi publicæ Potestati licet perimere hæreticos. Quæ à communi Iure exorbitant, trahi in consequentiam non debent. Hæresis quantùm ad cognitionem criminis spectat ad forum Ecclesiasticum, quantùm ad peremptionem criminosi, ministerium impendit manus laica. Constantius Cæsar Athanasio Antichristus & abominatio desolationis stans in loco sancto, *eò quòd sibi laico usurpasset judicium Ecclesiasticum. A quibus proficiscuntur instituta doctrina, ab ijsdem & discordis eruditionis solvenda est repugnantia. Sanctorum Patrum atque etiam orthodoxorum Cæsarum in eam rem dicta, & exempla. Imperator in numero ovium se contineat, non munus Pastoris arripiat.*

LXXXIX. NEmo tamen hinc præsumat, authoritate privatâ hæreticos interimere: nec etiam publicâ, ante legitimam criminis discussionem, & sententiæ lationem, secundùm juris ordinem, & judicis competentiam. Neque enim in veteri etiam lege licitum fuerat ipsos veneficos, de quibus mox diximus, nisi servato judicij ordine ac ritu, perimere. Generalis quippe fuit illa legis cautio tam quoad criminosos, quàm quoad ipsa crimina: *In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur.*

Deut. 17. 6.

Deut. 19. 15. Similiter & ista, *Non stabit testis unus contra aliquem, quicquid illud peccati & facinoris fuerit: sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Usqueadeò enim in plectendis criminosis servandum esse juris ordinem ac judicij ritum censet Augustinus, ut neget hominem judicialiter damnatum posse perimi, nisi ab eo cui sententiæ executio fuerit demandata. Cùm enim ille sibi objecisset: [r] *Malus iste tanta fecit tantos oppressit, tantos ad mendicitatem egestatemque perduxit.* Respondet: " Habet Judices „ suos, habet Potestates suas: ordinata est „ Respublica: *Quæ enim sunt, à Deo ordinata* „ *sunt.* Tu quare sævis? Quam potestatem ac„ cepisti, nisi quia non sunt ista publica sup„ plicia, sed aperta latrocinia? Quid enim? „ Considerate in ipsis ordinibus Potesta„ tum, destinatum supplicio, & damnatum, „ cui gladius imminet, non licere feriri, „ nisi ei qui ad hoc militat. Militat Quæ„ stionarius: ab illo percutitur damnatus. „ Si damnatum jam supplicio destinatum, „ percutiat Exceptor, nonne & damna„ tum occidit, & tanquam homicida ipse „ damnatur? Certè quem occidit, jam dam„ natus erat, jam supplicio destinatus erat: „ sed inordinatè ferire, homicidium est. Si „ homicidium est inordinatè ferire dam„ natum, quid est velle ferire inauditum, „ velle ferire non judicatum, velle ferire „ nullâ acceptâ potestate hominem malum"? Quod si aliquando Pseudoprophetæ, vel alij criminosi, absque consueto juris ordine perempti fuerint à personis in Scriptura laudatis: ut à Phinees idololatræ fornicantes Numer. 25. 8. item à Levitis, adoratores vituli aurei Exod. 32. 28. item ab Elia, Pseudoprophetæ Baal, 3. Reg. 18. 40. & bini Pentacontarchi cum suis respectivè quinquagenis 4. Reg. 1. 14. item à Jehu, posteri Achabi, cum Sacerdotibus Baal 4. Reg. 10. item ab Eliseo pueri petulantes 4. Reg. 2. 24. item à Mathathia, Judæus idolis sacrificans 1. Machab. 2. 14. item à Beato Petro, Ananias & Saphira Act. 5. non tamen idcircò licebit unicuique arrogare sibimet consimilem authoritatem. Nam quòd isti fecerunt, Deo vel patenter mandante, vel latenter instigante fecerunt. Quæ autem præter ordinariam agendi regulam Deo authore fiunt, nequaquam in consequentiam trahenda sunt: [q] Quædam enim facta, inquit Augustinus, lex illa æterna, quæ „ ordinem naturalem conservari jubet, per„ turbari vetat, ita medio quodam loco „ posuit hominibus, ut in eis usurpandis „ meritò reprehendatur audacia, in exe„ quendis autem jure laudetur obedien„ tia: tantum interest in ordine naturali,

Rom. 13. 1.

[r] Aug. Ser. 311. de Diversis c. 14.

PRÆOCCUPATIO.

[q] Aug. l. 22. contra Faustum c. 71. Vide lib. 1. contra Gaudentium c. 31.

„ quid, à quo agatur, & sub quo quisque „ agat. Abraham si filium spontè immo„ laret, quid nisi horribilis & insanus? Deo „ autem jubente, quid nisi fidelis & devotus apparuit"? Et mox infrà iterùm: „ Quapropter, inquit, si in occidendo fi„ lio spontaneus motus execrabilis, Deo „ autem jubente obsecundans famulatus „ non solùm inculpabilis, verùm etiam „ laudabilis invenitur: quid Moysen re„ prehendis, quòd expoliarit Ægyptios? „ Si irritat velut humana facientis improbi„ tas, divina terreat jubentis authoritas. An „ talia fieri volentem, etiam ipsum Deum vituperare paratus es"?

XC. Cùm igitur citra specialem Dei jussum vel instinctum non liceat quenquam neglecto juris ordine perimere, quæritur quinam juris ordo in perimendis hæreticis sit observandus? Respondeo, cognitionem criminis spectare ad judicem Ecclesiasticum, sed pro plexione criminosi jam convicti ac declarati implorari opem brachij sæcularis. Prior pars inde probatur, quòd ejusdem sit errores fidei contrarios censere, cujus est fidem ipsam discernere, & controversias super eâ emergentes decidere. Hoc autem ad Ecclesiasticum judicem spectare, utriusque Testamenti Paginæ contestantur, quibus orthodoxi quoque Tractatores consonant, & perpetuus Ecclesiæ usus conspirat, ipsi denique Mundi Principes suffragantur: prout latè deducit Cardinalis Bellarminus lib. 3. de Verbi Dei interpretatione cap. 4. & aliquot sequentibus; & nos pridem in nostro *Goliathismo profligato* satis multa diximus, signanter cap. 69 & sequentibus: hic quoque superiùs cap. 9. §. 36. rem breviter perstrinximus, occasione Regis *Saulis*, qui, Scripturâ teste, *stultè egit*, quando laicus existens Sacerdotalem functionem sibi arrogavit: cujus in ea arrogatione imitatorem se præbuit non tantùm Rex *Ozias adolendo incensum*; sed etiam Constantius Imperator Arianus; cum alijs Principibus sæcularibus ibidem memoratis, qui usurpando sibi Canonum constitutionem, & controversiarum Religionis cognitionem ac decisionem, officium Sacerdotale invaserunt, atque adeò falcem in alienam messem miserunt: [R] Certè, inquit Ambrosius, si vel Scripturarum „ series divinarum, vel vetera tempora „ retractentur, quis est qui abnuat, in „ causa fidei Episcopos solere de Impera„ toribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare"? Et Athanasius: [S] Quando à condito ævo auditum est, quòd „ judicium Ecclesiæ suam ab Imperatore authori-

1. Reg. 13. 13.

2. Par. 26. 18

R. Ambros. Epistolâ 32. aliàs 33.

S. Athan. Ep. ad Solitar. vitam agentes.

„ authoritatem acceperit? Aut quando „ nunquam hoc pro judicio agnitum est? „ Plurimæ antehac Synodi fuere, multa Iu- „ dicia Ecclesiastica habita sunt: sed neque „ Patres istiusmodi res Principi persuadere „ conati sunt, nec Princeps se in rebus Ecclesiasticis curiosum præbuit". Et rursus ibidem inferiùs: " Quid igitur hic, inquit, „ quod Antichristi sit, omisit? Aut quid ille, „ ubi venerit, plus committere poterit? Aut „ quomodò ille in adventu suo non repe- „ rerit sibi expeditam viam ad dolos, ab isto „ præparatam? Siquidem jam denuò in lo- „ cum Ecclesiasticæ cognitionis suum pala- „ tium constituit earum causarum tribunal, „ seque earum litium summum Principem & authorem facit". Et adhuc iterum inferiùs ibidem: " Gravia, inquit, sunt ista, & „ plusquam gravia; sed tamen istiusmodi „ quæ congruant in eum, qui Antichristi „ imaginem induerit. Quis enim videns „ eum in decernendo Principem se facere „ Episcoporum, & præsidere Judicijs Ecclesiasticis, non meritò dicat illum esse eam „ ipsam *abominationem desolationis, quæ à Daniele prædicta est*"? Hæc ille in Constantium Cæsarem scripsit, eò quòd hic existens Laicus judicium de fidei controversijs usurparet, atque adeò Sacerdotalibus munijs se sacrilegè ingereret: non quidem sacrificium offerre præsumendo, sed Judicem Religionis, & canonum conditorem sese exhibendo. Quam etiam ob causam Hosius Cordubensis graviter cum eodem Constantio expostulat, per Epistolam ab Athanasio ibidem relatam:" „ Reformida, inquiens ei, diem judicij, „ serva te in illam diem purum, ne te misceas „ Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere „ præcipe, sed potiùs à nobis disce. Tibi „ Deus Imperium commisit, nobis quæ sunt „ Ecclesiæ concredidit: & quemadmodùm „ qui tuum Imperium malignis oculis car- „ pit, contradicit ordinationi divinæ; ita „ & tu cave, ne, quæ sunt Ecclesiæ ad te „ trahens, immani crimini obnoxius fias: „ Date, scriptum est, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari; „ & quæ Dei, Deo*. Neque igitur nobis fas est „ Imperium in terris tenere, nec tu Imperator potestatem habes thymiamatum, & sacrorum".

Mat. 24. 15.

Hosius.

Mat. 22. 21.

XCI. Ad praxin quod attinet, nemo ita desipit, ut autumet, trecentis primis Christianismi annis controversias Religionis ad tribunalia Cæsarum fuisse delatas; cum interea Cæsares idola promiscuè venerarentur, & Christianæ Religionis sectatores immaniter persequerentur. Quamvis enim *Philippus* Cæsar Christianismum utcunque professus fuisse memoretur, nihil tamen peculiare sive pro extirpando idololatrismo, sive pro dilatando Christianismo gessisse perhibetur: sed hanc gloriam *Constantino* Magno reliquit, qui anno Christianæ æræ duodecimo supra trecentesimum cælesti signo recreatus, & subsequenti victoriâ adauctus, animum ad Christi cultum inflexit, Christianamque Religionem palàm posteà professus, nihil non egit ut eandem & latiùs propagaret, & ab ebullientium hæreseon labe puram conservaret. Hic verò nequaquam ad suum, sed ad Ecclesiasticum tribunal controversias suo tempore super Religione emergentes vocavit: prout ex Actis Niceni Concilij, & posteà Atelatensis, atque ex historia Ecclesiastica, & ex ipsius vitâ per Eusebium digestâ perspicitur. Hinc Beatus Ambrosius Valentiniano Cæsari scribens: T. Si tractandum „ est, inquit, tractare in Ecclesia didi- „ ci: quod Majores fecerunt mei. Si „ conferendum de fide, Sacerdotum de- „ bet esse ista collatio; sicut factum est „ sub *Constantino* augustæ memoriæ Prin- „ cipe; qui nullas leges antè præmisit, „ sed liberum dedit judicium Sacerdoti- „ bus. Factum est etiam sub *Constantio* „ augustæ memoriæ Imperatore, paternæ „ dignitatis hærede: sed quod benè cœ- „ pit, aliter consummatum est. Nam „ Episcopi sinceram primò scripserant fi- „ dem: sed dum volunt quidam de fide „ intra palatium judicare, id egerunt, „ ut circumscriptionibus illa Episcoporum judicia mutarentur". *Constantinum* imitatus *Theodosius* Magnus, Macedonianos perperàm de Spiritûs Sancti divinitate sentientes non ipse judicavit, sed Synodo Episcoporum Constantinopoli convocatæ judicandos dimisit. Quem secutus *Theodosius* junior, prioris ex Arcadio filio nepos, nestorianam hæresim suo tempore exortam, Episcopis Ephesi Synodaliter congregatis discutiendam damnandamque reliquit: ubi etiam Pelagiani, dum cognatis confœderarentur erroribus, iterum fuere prostrati. *Iterùm*, dico: quia, ut Beatus canit Prosper, V. *Pestem subeuntem prima recidit Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris Facta caput Mundo, quicquid non possidet armis Religione tenet.* Mitte quidem Theodosius ad Ephesinam istam Synodum unum quendam è suis familiaribus, *Candidianum* domesticorum Comitem: W. Sed, ut ipse profitetur, ea lege „ & conditione, ut cum quæstionibus & „ controversijs circa fidei dogmata incidentibus nihil habeat commune: nefas est enim, qui Sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, „ illum Ecclesiasticis negotijs & consultationibus

T. Ambros. Epist. 32. alias 13.

Vide Synodum 1. Constantin. in Synodica ad Damasum Papam, & Synodum 6. generalem Act. 18. In Prosphonetico ad Imperatorem Constantin. Pogonati.

V. Prosp. lib. de Ingratis cap. 2.

W. Theodos. jun. in Epist. ad Synodum Ephesinam, quæ extat in Synodi Act. p. 1. c. 35.

Gratianus cum Valentiniano & Theodosio.

nibus sese immiscere". *Gratianus* quoque Imperator, cum *Valentiniano & Theodosio* Imperij consortibus, in Rescripto ad Valerianum de Synodo Aquileiensi, quod extat in Actis ipsius Synodi inter Opera Ambrosij, testatur se obortæ altercationis judicium dimisisse Antistitibus:" Ut videlicet à quibus profitentur instituta doctrinæ, ab ijsdem discordis eruditionis repugnantia solveretur".

PRÆOCCUPATIO.

Ubi ne quis suspicari possit, dignationis id fuisse, non necessitatis: occurrit statim Ambrosius, subdens:" Ecce quod Christianus constituit Imperator: noluit injuriam facere Sacerdotibus, interpretes ipsos constituit Episcopos". Adeò igitur id fuit necessitatis, & non solius dignationis: ut si Imperator decisionem controversiæ vel sibi usurpasset, vel cuiquam extra numerum Episcoporum existenti commisisset, *injuriam Sacerdotibus fecisset. Martianus* item Augustus loquens de Episcopis, in Chalcedonensi Synodo, super controversia Religionis ab Eutychianis suscitatâ, congregatis [x]. Quid observari, inquit, in Religione debeat, perspicuâ definitione docuerunt. Cesset igitur jam profana intentio: nam verè impius est atque sacrilegus, qui post tot Sacerdotum sententiam, opinioni suæ aliquid tractandum relinquit". *Iustinianus* item Augustus, Epistolam suam Patribus Synodi quintæ generalis directam, his verbis inchoat:" [y]. Semper studium fuit orthodoxis & pijs Imperatoribus Patribus nostris, exortas pro tempore hæreses per congregationem religiosissimorum Episcoporum amputare". Hos ille antecessores suos profitetur ibidem se velle imitari; adeoque trium capitulorum vigentem tunc controversiam non per seipsum, nec per sæculares Judices, sed *per congregationem religiosissimorum Episcoporum* terminare. *Constantinus* item Augustus, cognomento *Pogonatus*, sub quo habita fuit Synodus sexta generalis, in Epistola ad Leonem Papam ejus nominis secundum, de gestis in eadem Synodo sub Pontificatu Agathonis: [z]. Non aliter, inquit, morbum Ecclesias Dei opprimentem curare in animum induximus, quàm ut Dei Sacerdotes & cultores, talium malorum curatores, ad deliberationem & consilia habenda hortaremur. Compluriès enim Ecclesia impressionibus hæresum periculosè ægrotavit; at non aliter orthodoxiæ accepit medicinam, quàm piorum & Christi amantium Imperatorum adhortatione, Sacerdotum verò à Deo instinctorum consensionibus ac cœtibus". *Constantinus* item sextus, cognomento *Porphyrogenitus*, cum matre suâ *Irene*, in Epistola ad Patres Synodi septimæ generalis, ita eos alloquitur; [a]. Iam adestis "Dei voluntate per Præsides Provinciarum, perque descriptas sæpiùs Synodicas litteras missas à sanctissimo Patriarcha. Hæc est enim à multis sæculis Synodica lex per universam Ecclesiam, quæ à sæculis per sæcula duravit Evangelicè instituta: cujus hortatu atque jussu vos sanctos viros Sacerdotes congregavimus, qui dispensatores Testamenti illius per incruenta sacrificia vocamini: quò rectè sentientium Synodorum determinationibus judicium vestrum conformetur, omnisque splendor Spiritûs sancti reluceat". Sub idem penè tempus celebrata est in Occidente Synodus Francofordiensis adversùs hæresim in Hispania recèns ortam de adoptione Christi secundùm humanitatem: de qua sic loquitur *Carolus Magnus* qui eam procuraverat: [b]. Jussimus Sanctorum Patrum Synodale ex omnibus undique nostræ ditionis Ecclesijs congregari Concilium, quatenùs sancta omnium unanimitas firmiter decerneret, quid credendum sit de adoptione carnis Christi". Non ergò ipse sibi authoritatem decernendi usurpavit, sed quid Episcoporum Synodaliter congregatorum *sancta unanimitas firmiter decerneret* expectavit. Post avulsum Occidentale Imperium ab Orientali in persona jam dicti Caroli Magni, celebrata est Constantinopoli Synodus octava generalis: in qua *Basilius Macedo* Orientis Imperator Orationem habuit, ubi inter alia ait: [c]. Laicis non est datum secundùm Canonem, ut quidquam penitùs dicant de Ecclesiasticis causis: opus enim hoc Pontificum & Sacerdotum est". Et rursùs ibidem post pauca:" De vobis laicis, inquit, tam qui in dignitatibus, quàm qui simpliciter conversamini, quid ampliùs dicam non habeo, quàm quòd nullo modo vobis liceat de Ecclesiasticis causis sermonem movere, neque penitùs resistere integritati Ecclesiæ, aut universali Synodo adversari. Hoc enim investigare & quærere, Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est; qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui ligandi & solvendi potestatem habent, qui Ecclesiasticas & cælestes adepti sunt claves: non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamento solvi egemus. Quantæcunque enim religionis & sapientiæ laicus existat, vel etiam si universâ virtute interiùs polleat, quamdiu laicus est, ovis vocari non desinet: rursùsque quantâcunque Episcopus sit irreverentiâ & irreligiositate plenus, & nudus omni virtute, quamdiu Antistes est, & veritatis verbum rectè prædicaverit, pastoris notionem retinebit, & dignitatis damna non patietur.

Quæ

Ambrosius.

x. Martian. in Actis Synodi Chalcedon. p. 3. cap. 1.

y. Iustinian. in Actis Synodi 5. generalis collatione 1.

z. Constant. Pogon. Epi. ad Leonem 2. Papam, in Actis sextæ Synodi Act. 18.

a. Constan. 6 Epist. ad Synodum 7. generalem. in Act. ejusdem Synodi Act. 2.

b. Carolus Magnus in Ep. ad Episcopos Hispaniæ, in Actis Synodi Francofordiensis.

c. Basilius Imperator in Synod. 8. generali Act. 10.

„ Quæ ergò nobis ratio est, in ordine ovium „ constitutis, pastores subtilitate verborum „ discutiendi, & ea quæ super nos sunt quæ„ rendi & ambiendi? Oportet nos cum ti„ more & fide sincera hos audire, & à facie „ eorum vereri, cùm sine Ministri Domini „ Omnipotentis, & hujusmodi formam „ possideant: & nihil amplius quàm ea „ quæ sunt nostri ordinis requirere". Ubi planùm est, Imperatorem generaliter loqui de cujuscunque conditionis aut dignitatis laicis, comprehensu etiam semetipso. Id enim evincent vocabula illa, *Nobis, nos, nostrum* &c. Cæterùm plura in hanc rem congerere sive exempla sive testimonia, superfluum fuerit ac tædiosum. Certè enim cui prædicta non sufficerint, nimis durus & contentiosus fuerit.

CAPUT XXV.

Uberior præmissorum elucidatio ac persuasio. Ad Episcopos divinarum rerum interpretatio, ad sæculi Principes pertinet Religionis obsequium. Constantini Magni ad Proceres Ecclesiasticos sermo, Vos eorum quæ intra Ecclesiam gerenda sunt Episcopi estis, Ego extra eandem gerendorum Episcopatum gero. *Ejusdem Constantini, & subsequentium aliquot Imperatorum Edicta adversùs hæreticos ab Ecclesia prædamnatos. Priscilliani hæresiarcha à Synodo Cæsaraugustanâ præjudicati supplicium Cæsareo gladio peractum. Graviùs dilaceratur plebs Catholica à pravis Doctoribus, quàm à cruentissimis hostibus. Hæreticorum vocabulo continentur, & latis adversùs eos legibus plectuntur, qui vel levi argumento à Catholica Religionis tramite deviant.*

XCII. POstquam Ecclesiastici Judices de crimine hæreseos plenè cognoverint, & sententiam declaratoriam judicialiter protulerint; potestas sæcularis tum demum se ingerit, & reum sibi traditum pro meritis plectit. Cùm Arcadius Imperator B. Joannem Chrysostomum præcipitatâ sententiâ in exilium misisset, Honorius ejus frater, & Occidentis tunc Imperator, indignissimè eam præcipitantiam tulit, deque ea per litteras cum Arcadio graviter expostulavit, inter alia scribens: [D]. Quis in facinore tam cruento, Dei „ omnipotentis non timeret offensam? Aut „ quo pacto extra summum Romani orbis „ omniumque mortalium putaret esse discri„ men: cùm ipse Author nostri Imperij, & „ Reipublicæ, quam nobis credidit, guber„ nator, omnipotens Deus, funestis admo„ dum execrabilibusque commissis credatur „ irasci. Cùm & si quid de causa Religionis „ inter Antistites ageretur, Episcopale opor„ tuerit esse judicium: ad illos enim divina„ rum rerum interpretatio, ad nos Religio„ nis spectat obsequium. Sed esto, sibi de „ mysticis & Catholicis quæstionibus am„ plius aliquid principalis cura præsumpse„ rit: itane, usque ad exilia Sacerdotum, „ usq; ad hominum cædes debuit indignatio concitata procedere"? Hæc ille ad fratrem Arcadium: Sed an fortè ipse occasione datâ id observavit, cujus neglectum tantopere in altero redarguit? Observavit prorsùs, siquidem aliquanto pòst cùm suborta esset contentio de Romano Papatu inter *Bonifacium & Eulalium*, noluit Imperator sententiam in alterutrius favorem aut præjudicium præcipitare, sed negotium plenè & integrè Episcopali judicio relinquere. Patet hoc ex ipsius Epistola ad Romanum populum, quam recitat Baronius anno 419. n. 18. sic incipiente: „ Curam fidei maximam judicantes, nihil fe„ stinum aut immaturum credidimus profe„ rendum. Ea enim in causa Religionis de„ cerni censemus, quæ sine errore ac repre„ hensione sententiæ, ab omnibus comproben„ tur. Itaq; cùm in cognitione quam de Epi„ scopis, qui in urbe fuerant constituti, sub „ judicio Sacerdotum intentionis hæreret „ ambiguum, nec, nascentibus subinde cau„ sis, finis certantibus studijs posset imponi, ac „ diu de rebus varijs deliberatio nostra pen„ dêret: futuram cognitionem ad integrum „ Sacerdotum pleniore numero Concilium, „ omne negotium constituimus differen„ dum: ut causa ex omni parte librata, trans„ actis Paschæ diebus, terminum, quem æqui„ tas & Religio poscebat, acciperet". Porrò decisâ demum per Episcopos istâ concertatione in favorem Bonifacij, adversùs Eulalium,

D. Honor. Epist. ad Arcadi. apud Baronium Anno Christi 404. n. 32.

lium, Imperator absque mora illum suscepit, istum abjecit; non minùs festinus in exequendo, quàm longanimis in expectando. Simili quoq; modo se gessit in causa Pelagianorum, quæ ipso pariter imperante emersit: nam nihil contra eos edixit, nisi demum post Episcopale judicium. Postquàm verò beatæ memoriæ Pontifex Innocentius nefandi erroris capita Apostolico mucrone percussisset, & Pelagium ad proferendam in se suosque sententiam Palæstinorum Episcoporum Synodus coarctasset, & Africanorum Conciliorum Decretis beatæ recordationis Papa Zosimus sententiæ suæ robur annexuisset, atque ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium Antistitum armasset sanctæ memoriæ Papa Bonifacius pijssimorum Imperatorum Catholicâ devotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei non solùm Apostolicis, sed etiam Regijs utebatur Edictis.

Vide Prosp. lib. contra Collat. c. 41.

Ad hæc Edicta alludit Augustinus cùm dicit, [E]. in tam nefandi erroris authores, & „Episcopalia Concilia, & Apostolicam Sedem, universamque Romanam Ecclesiam, Romanumque Imperium, quod Deo propitio Christianum est, rectissimè fuisse commotum, donec resipiscant de laqueis diaboli". Exemplar Edicti Honoriani extat apud Baronium Tomo 5. Annalium ad annum 418. n. 20. & seqq. Apud eundem quoque Baronium ad annum 419. n. 57. extat Rescriptum ejusdem Honorij, ad Aurelium Episcopum Carthaginensem transmissum, quo disertè profitetur se fuisse secutum sententiam Ecclesiasticam adversùs eosdem hæreticos latam, & quidem ab ipso Aurelio, in Synodo nimirum Carthaginensi, [F]. *Cui dux Aurelius, ingeniumq; Augustinus erat*. Rescriptum porrò illud sic incipit: [G]. „Dudum quidem fuerat constitutum, ut Pelagius & Celestius, nefandi dogmatis repertores, ab urbe Roma, veluti quædam Catholicæ veritatis contagia, pellerentur. In quo secuta est Clementia nostra judicium Sanctitatis tuæ, quo constat eos ab universis justæ sententiæ examinatione esse damnatos. Sed quia obstinati criminis pertinax malum, ut constitutio geminaretur exegit, recenti quoque Sanctione decrevimus, ut si quis eos in quacunque Provinciarum parte latitare non nesciens, aut propellere aut prodere distulisset, præscriptæ pœnæ velut particeps subjaceret &c.

E. Aug. lib. de Peccato Orig. c. 17.

F. Prosp. lib. de Ingratis cap. 2.

G. Honorij Rescriptum apud Baron. anno 419. n. 57.

XCIII. Sed non fuit hic Imperatorum primus aut postremus, qui Ecclesiæ in reprimendis aut opprimendis hæreticis ab eadem ipsa Ecclesia prædamnatis, manum assistricem præstitit. De *Constantino* Magno refert Eusebius, quod [H]. cùm aliquando Episcopos „splendido excepisset convivio, sermonem deprompserit, quasi & ipse Episcopus esset, hisce eos verbis alloquens: *Vos quidem eorum quæ intra Ecclesiam gerenda sunt, Episcopi estis: Ego verò eorum quæ extra eandem sunt, Episcopus à Deo constitutus sum*". Quibus verbis indicavit sui esse officij superintendere ut Decreta Episcoporum à suis subditis observarentur, refractarij compellerentur, adversarij punirentur: "Considerabat enim, ut ibidem subdit Eusebius, necessarium esse, ut cuncti subditi piæ doctrinæ sese conformarent: admonebatque quantam vim habeat piæ vitæ studiosa conversatio. Hinc etiam, ut par erat, creberrimis legibus ac constitutionibus interdicebat universis, ne simulachris sacrificarent, ne vaticinia sciscitarentur, ne statuas erigerent; ne sacrificia occulta facerent". Extat prætereà apud eundem Eusebium, superiùs ibidem lib. 3. prope finem, lex ejusdem *Constantini* adversùs quoscunque hæreticos condita, ubi hæc inter alia leguntur ad ipsos directa: "Quoniam impossibile est, ut ampliùs perniciei vestræ exitium feratur; per hanc legem interdicimus, ne qui vestrûm posthàc congregari audeant. Quapropter cunctas etiam domos, in quibus convenitis, è medio tolli præcipimus, curâ hâc nostrâ eousque progrediente, ut non modò non in publico, sed nec in privatis ædibus, aut locis quibusdam separatis, superstitiosæ vestræ dementiæ cœtus concurrere liceat: sed, quod multò est honestius, quotquot veræ ac puræ Religioni studetis, ad Catholicam Ecclesiam accedatis, & sanctitati illius communicetis, per quam & veritatem consequi poteritis. Separetur autem omninò à status nostri felicitate perversæ vestræ sententiæ seductio, hoc est, scelesta & perniciosa hæreticorum & schismaticorum sententia. Decet enim felicitatem nostram, quâ cum Deo fruimur, ut qui bonâ spe vivunt, ab omnigeno inordinato errore ad rectam viam, à caligine ad lucem, à vanitate ad veritatem, à morte ad salutem ducantur. Ut autem ad hanc curam etiam necessaria potentia accedat, præcipimus, sicut dictum est, ut cuncti superstitionis vestræ conventus, omnium, inquam, hæreticorum oratoria, si tamen oratoria nominare convenit, sine omni contradictione auferantur, & Catholicæ Ecclesiæ absque ulla mora tradantur, & reliqua loca rebus publicis adjudicentur: ita ut ab hoc præsenti die nulla vobis deinceps conveniendi facultas prorsùs relinquatur, nullo loco sive publico, sive privato, infandi vestri conventus congregari præsumantur".

H. Eus. l. 4. de Vit. Constantini.

Constantinus.

Eusebius.

Na

PRÆOCCUPATIO.

Ne autem quis suspicetur *Constantinum* hâc suâ lege prævenisse judicium Ecclesiæ, recolat ea quæ §. 91. ex Ambrosio memoravimus, qui de ipso loquens ait inter alia: *Nullas leges antè præmisit, sed liberum dedit judicium Sacerdotibus.* Notanda quoque sunt ipsius verba ad Patres Synodi Nicenæ, quorum aliqui libellos supplices ei porrexerunt, quibus de coëpiscopis suis querelas exponebant: [l]. *Deus, ait ipse, constituit vos Sacerdotes & potestatem vobis dedit de Nobis quoque judicandi: & ideo Nos à vobis rectè judicamur, vos autem non potestis ab hominibus judicari. Quapropter Dei solius inter vos expectate judicium, & vestra jurgia, quæcunque sunt, ad illud divinum reserventur examen. Vos etenim nobis, à Deo dati estis Dij, & conveniens non est ut homo judicet Deos, sed ille solus de quo scriptum est: Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos discernit.* Cùm ad ipsum provocassent Donatistæ, in Ecclesiastico judicio prædamnati, indignabundus exclamavit: [k]. *O rabida furoris audacia: sicut in causis Gentium fieri solet; appellationem interposuerunt.* Et mox iterum: *Quid hi detractores Legis, qui renuentes cæleste judicium, meum putaverunt postulandum, sic sentire de Christo Salvatore? Ecce jam proditores! Ecce sine ulla acriori disquisitione, ipsi per semet prodiderunt facinora sua.* De eodem quoque Imperatore loquens Eusebius: [L]. „Episcoporum definitiones, inquit, in Synodis promulgatas, confirmavit: ut licitum „non sit Gentium Præsidibus infringere, „quæ ab eis fuerint decreta: esse enim Dei Sacerdotes quovis Judice probatiores".

Ambrosius suprà.

l. Constantinus apud Ruffinum l. 1. Histor. Eccles. cap. 2.

Psalm. 81. 1.

K Idem in Epist. ad Synod. Arelaten tomo 1. Concilior. Galliæ pag. 8.

L. Euseb. l. 4. de Vita Constantini

XCIV. Varia sequentium Imperatorum adversùs hereticos ab Ecclesia prædamnatos Edicta, corpori Juris Cæsarei sparsim inserta habentur, signanter in Cod. Justinianæo lib. 1. Tit. 5. ubi & illud notanter advertendum, à *Theodosio & Valentiniano* decerni pœnam capitis in Manicheos hæreticos, l. 5. ibid. Rursùs l. 8. per Edictum *Valentiniani & Martiani* decernitur ut nemo sub pœna deportationis audeat hereticorum libros servare; aut disputantes de hæresi, sub pœna decem librarum auri, audire: ac tum subditur, *ultimo etiam supplicio coerceantur, qui illicita docere tentaverint.* Ante istos quoque *Maximus* occupato Imperio *Priscillianum* hæresiarcham, à Synodo Cæsaraugustana propter hæresim prædamnatum, capite plecti, cum compluribus complicibus suis curavit; [M]. Quid loquar de Pri„scilliano, inquit Hieronymus, qui & sæculi „gladio, & totius orbis authoritate damnatus est"? Et Leo Papa de ipsa Priscillianica hæresi disserens; [N]. Meritò, inquit, Pa„tres nostri, sub quorum temporibus hære„sis hæc nefanda prorupit, per totum Mun„dum instanter egerunt, ut impius furor „ab universa Ecclesia pelleretur: quando „etiam Mundi Principes ita hanc sacrile„gam amentiam detestati sunt, ut authorem „ejus, ac plerosque discipulos, legum publicatum ense prosternerent". Hujus prostrationis meminit etiam Orosius in Epistola ad Augustinum, quæ extat præfixa libro ejusdem Augustini, *contra Priscillianistas & Origenistas* inscripto: ubi ait ipsi, [O]. Per te Domi„nus Deus noster quos castigavit in gladio, emendet in verbo". Priscillianistas nimirum, qui nec morte quidem hæresiarchæ sui deterriti quieverunt. Addit porrò Orosius ibidem ex communi Hispanorum suorum persona: " Dilacerati graviùs sumus à pravis „Doctoribus, quàm à cruentissimis hostibus". Ideò utique quia hi non nisi corpora peremerunt, aut externas opes abstulerunt: illi verò pravam doctrinam instillando ipsas animas interfecerunt, & fidem subvertendo totam spiritalium opum molem ei superstructam dissipaverunt. Quę profectò ratio protsùs evincit, supplicio digniores esse hereticos, quàm fures aut publicos latrones. *Gratianus* tamen Imperator ab eorum sanguine temperandum sibi duxit, ita tamen ut Edictum condiderit, [P]. quo, prout Sulpitius memorat, *universi heretici excedere non Ecclesijs tantùm & urbibus, sed extra omnes terras propelli jubebantur.* Hujus prædecessor & Patruus, *Valens* Imperator, Arianâ hæresi infectus, Ecclesias passim hæreticis tradiderat, exclusis & proscriptis orthodoxis hierarchis. Verùm *Gratianus* ei, miserabiliter in pœnam perfidię extincto, surrogatus, [Q]. Regni sui primitias, ut „Theodoretus ait, Regi omnium Christo „obtulit; lege latâ, quâ jubebat tum ejectos „in exilium Pastores redire, gregibusque suis „restitui, tum sacras ædes eis tradi qui Da„masi cómunionem amplecterentur. Dama„sus hic Romanus erat Episcopus, & lauda„bili vitâ conspicuus, & omnia pro Apo„stolicis dogmatibus dicere ac facere paratus". Lex prima totius Codicis, authoritate hujus *Gratiani*, necnon *Valentiniani* ac *Theodosij*, edita, sic incipit: " Cunctos populos, quos „Clementiæ nostræ regit Imperium, in tali „volumus Religione versari, quam Divum „Petrum Apostolum tradidisse Romanis, „Religio usque adhuc ab ipso insinuata „declarat: quamque Pontificem Damasum sequi claret". Sequitur quoque inferiùs ibidem:" Hanc legem sequentes, *Christiano„rum Catholicorum* nomen jubemus amplecti; „reliquos verò dementes vesanosque judi„cantes, hæretici dogmatis infamiam sustine„re: divinâ primùm vindictâ, pòst etiam „motûs animi nostri, quem ex cælesti ar„bitrio sumpserimus, ultione plectendos".

Vide Aug. Epist. 166.

M. Hieron. Epistolâ ad Ctesiphontem cap. 2.

N Leo Ep. 93. ad Turribium sub initium.

O. Orosius Epist. ad Augustinum.

Vide c. tres genere 10. de Hæreticis.

P. Sulpit. Severus l. 2. Sacræ Hist.

Q Theodoret l. 5. Hist. Eccles. c. 2. Vid Sozom. lib. 7. c. 4. & Niceph. lib. 12. cap. 4.

Ubi

Ubi duæ hæreticis pœnæ intentantur, una infamiæ, altera arbitrariæ ultionis, præter impendentem cælitùs vindictam. Cæterùm quia hæretici passim affectant nomen *Christianorum Catholicorum*, & præsumunt intrare vel etiam occupare Ecclesias, subditur adhuc inferiùs ibidem:" Desinant affectatis dolis alienum „ veræ Religionis nomen assumere, & suis „ apertis criminibus devotentur; atque ab „ omni subpoti Ecclesiarum limine, penitùs „ arceantur: cùm omnes hæreticos illicitas „ agere inter oppida congregationes vetemus. At si quid eruptio factiosa tentaverit, „ ab ipsis etiam urbium mœnibus exterminato furore propelli jubemus". Denique ne hæretici prætexere possint impunitatem propter materiæ levitatem, conditum est ab ijsdem Imperatoribus aliud Edictum, quod refertur ibidem inferiùs titulo 5. lege 2. §. 1. sic sonans: *Hæreticorum* autem vocabulo con„ tinentur, & latis adversùs eos sanctionibus „ succumbere debent, qui vel levi argumen„ to à judicio Catholicæ Religionis, & tramite, detecti fuerint deviare".

CAPVT XXVI.

Ioannis Huszij de impunibilitate hæreticorum erroneus Articulus, in Constantiensi Synodo ritè damnatus. Ejusdem insulsa comparatio Ecclesiasticorum Iudicum tradentium hæreticos sæculari brachio, cum Iudaicis Pontificibus, Scribis, & Pharisæis, tradentibus Christum Cæsareano Iudici Pilato. Vti ineptè assimilatur hæreticus Christo, ita & traditores hæreticorum traditoribus Christi. Traditiones Christi variæ factæ à varijs, nempè ab ipso Christo, à Patre, à Iuda, à Iudæis. Persequuntur boni malos; mali bonos, atque etiam malos. Non possunt habere Martyrum gloriam, qui Christianam non duxerint vitam; cùm Martyres non faciat pœna, sed causa. Quos similitudo facti conjungit, dissimilitudo causæ discernit. Complura ejus rei exempla congeruntur.

XCV. Patet igitur ex dictis cap. 22. & tribus sequentibus, meritò damnatum fuisse in Synodo Constantiensi hunc Articulum Ioannis Huszij: [R]. *Doctores ponentes quòd aliquis per censuram Ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, sæculari iudicio est tradendus: pro certo in hoc sequuntur Pontifices, Scribas, & Pharisæos, qui Christum non volentem eis obedire in omnibus, sæculari iudicio tradiderunt, dicentes: Nobis non licet interficere quenquam: & tales sunt homicidæ graviores quàm Pilatus.* Cùm enim hæretici in suâ perfidia obstinati promereantur pœnas non solùm spiritales, sed etiam corporales, etiam extremum supplicium, cujus executio non satis congruit lenitati Clericali, convenienter profectò eorum plexio committitur Potestati sæculari, quæ *non sine causa gladium portat: Dei enim ministra est, vindex in iram ei qui malum agit.* Porrò quia Christus nihil mali egit, perperàm & à Iudæorum Pontificibus traditus fuit Potestati sæculari plectendus, & ab ipsa Potestate sæculari plexus: quia verò hæretici pessimum agunt, & Ecclesiam Christianorum matrem parricidaliter vexant, atque etiam politicum statum perturbant; rectissimè non solùm spiritali Ecclesiæ gladio feriuntur, sed & sæculari Potestati corporaliter plectendi traduntur. Sicut ergò non nisi impijssimè & insulsissimè quis assimilet hæreticos Christo quoad innocentiam, ita non nisi perfidissimè & petulantissimè quis assimilet vel traditores hæreticorum traditoribus Christi, vel plexores hæreticorum plexoribus Christi. Quòd si propterea Huszitica illa comparatio subsistit, quia in utroque ejus extremo quædam traditio intervenit; certè pari æquitate, vel potiùs futilitate, quis dixerit, Paulum Apostolum secutum fuisse Iudæorum Pontifices & Pharisæos: quia nimirum & *Hi tradiderant Christum Pilato*, & ipse *Tradidit Corinthium incestuosum diabolo*. Atque ut luculentiùs appareat ineptia Huszij, describam hic Augustini discursum super ipsa nua traditione Christi: [S]. Ecce, ait ille, Christum „ tradidit Pater, tradidit Judas. Nunquid „ non quasi simile factum videtur? Tradi„ tor est Iudas: ergò traditor est & Deus „ Pater? Absit, inquis: non dico. Sed Apo„ stolus dicit: *Qui filio proprio non pepercit, sed* „ *pro nobis omnibus tradidit eum.* Et Pater eum „ tradidit, & ipse se tradidit: ait enim Apostolus,

R. Huszij articulus 14 in Syn. Constant. Sess. 45. damnatus.

Ioan 18. 31.

Rom. 13. 4.

Ioan. 18. 35.

1. Cor. 5. 5.

S. Aug. Tr. 7. in Epist. Ioan. Vide eund. in Psalm. 93. ad v. 23

Rom. 8. 32.

Gal. 2. 20. „ Apostolus, *Qui me dilexit, & tradidit seipsum* „ *pro me*. Si Pater tradidit Filium, & tradidit „ seipsum Filius, Judas quid fecit? facta est „ traditio à Patre, facta est traditio à Filio, fa„cta est traditio à Iuda. Una res facta est: Sed „ quæ res discernit Patrem tradentem Filium, „ Filium seipsum tradentem, & Iudam disci„pulum tradentem Magistrum suum? Quia „ hoc fecit Pater & Filius in charitate, fecit „ autem hoc Iudas in proditione. Videtis quia „ non quid faciat homo considerandum est, „ sed quo animo & quâ voluntate faciat. In „ eodem facto invenimus Deum Patrem, in „ quo invenimus Iudam: Patrem benedici„mus, Iudam detestamur. Quare Patrem be„nedicimus, Iudam detestamur? Benedici„mus charitatem, detestamur iniquitatem".

XCVI. Sed transeamus à traditione, ad persecutionem: & videamus, utrùm Ecclesia persequendo hæreticos, dicenda sit imitari vel Iudæos persequentes Christum, vel tyrannos persequentes Martyres Christi? Si sic: quid superest, nisi ut similiter hæretici persecutionem patiendo dicantur imitari Christum, vel Martyres Christi? Si autem hæretici, cur non & fures? Cur non & latrones? Cur non venefici? Cur non & idolorum cultores? Cur non homicidæ? Cur non & monetarum falsatores? Cur non Majestatis rei? Cur non patriæ proditores? An eousque insaniendum est, ut hi omnes dicantur imitari Christum, vel sequi Christum; imitari Martyres Christi, vel sequi Martyres Christi: quia idem patiuntur quod passus fuerat Christus, aut Martyres Christi? Si sequuntur Christum, habent ergò lumen vitæ cum Christo, & cum Martyribus sequacibus Christi: scriptum quippè est dixisse aliquando Christum, *Qui* [Ioan. 8. 12.] *sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*. Ubi, nisi cum ipso Christo? Alibi quippè ipse ait, *Si quis mihi ministrat, me sequa-* [Ioan. 12. 26.] *tur: & ubi ego sum, illic & minister meus erit*. Vides quia præmium repromittitur sequenti, non sine sequela ministranti. Ministravit etiam Iudas Christo, sed non idcircò habebit lumen [Vide Aug. Tract. 51. in Ioan.] vitæ cum Christo; quia non piè secutus, sed impiè persecutus est Christum. Sed nunquid quia Iudas impiè persecutus est Christum, idcircò omnis qui persecutionem alteri infert sequitur Iudam, aut cui infertur sequitur Christum? Absit. Est enim persecutio pia, est & impia: nam & pij piè persequuntur impios, & impij impiè persequuntur pios: T·*Agar*, inquit Augustinus, passa est persecu- [T. August. Epist. 50.] „ tionem à *Sara*: & illa erat sancta quæ facie„bat, illa iniqua quæ patiebatur. Nunquid „ huic persecutioni, quam passa est *Agar*, com„parandus est sanctus *David*, quem persecu„tus est iniquus *Saul*? Valde utique distat, non „ quia patiebatur, sed quia propter justitiam „ patiebatur. Et ipse Dominus *cum latronibus* [Mat. 27. 38.] „ *crucifixus est*: sed quos passio jungebat, cau„sa separabat. Ideò in Psalmo vox illa intel„ligenda est verorum Martyrum, volentium „ se discerni à Martyribus falsis: *Iudica me* [Ps. 42. 1.] „ *Deus, & discerne causam meam de Gente non san„cta*. Non dixit, discerne pœnam meam: sed, „ *discerne causam meam*: potest enim esse im„piorum similis pœna, sed dissimilis est Mar„tyrum causa: quorum & illa vox est, *Injustè* [Ps. 118. 86.] „ *persecuti sunt me, adjuva me*. Ideò se dignum „ existimavit qui adjuvaretur justè, quia illi persequebantur injustè".

XCVII. Sed error ille Husziı multò antiquior est Huszio, & ideò tantò rectius damnatus est in Huszio, quantò solidiùs expugnatus in præcursoribus Huszij; quibus Augustinus ait: V. Quæ est ista dementia, ut cùm [V. August. Epist. 166.] „ malè vivitis, latronum facta faciatis: & cùm „ jure puniminі, gloriam Martyrum requiratis"? Et superiùs Epist. 61. "Iam, inquit, „ nescio quoties disputando & scribendo „ monstravimus, non posse eos habere Martyrum mortem, qui Christianorum non „ habent vitam: cùm Martyrem non faciat pœna, sed causa". Quod ipsum fusiùs quoque prosecutus fuerat idem Augustinus adhuc superiùs Epist. 48. ubi inter alia ait: „ Cùm boni & mali eadem faciunt, eadem„que patiuntur; non factis & pœnis, sed „ causis utique discernendi sunt. *Pharao* po- [Exo. 5. 9.] „ pulum Dei duris laboribus atterebat: *Moyses* [Exo 32. 27.] „ eundem populum impiè agentem duris „ coërcitionibus affligebat: similia fecerunt, „ sed non similiter prodesse voluerunt; ille „ dominatione inflatus, iste dilectione in„flammatus. *Iezabel* occidit Prophetas, *Elias* [3. Reg. 19. 4. Ibid. v. 40.] „ occidit Pseudoprophetas: puto quod di„versa sint merita facientium, & diversa „ passorum. Aspice etiam tempora Novi „ Testamenti, quando jam ipsa mansuetu„do charitatis non solùm in corde erat ser„vanda, verùm etiam in luce monstranda; [Ioan 19. 11.] „ quando *Petri gladius in vaginam revocatur à* „ *Christo*, & ostenditur non debuisse de vagi„na eximi nec pro Christo. Legimus tamen „ non solùm quòd *ceciderunt Iudæi Paulum* [2. Cor 11. 24.] „ *Apostolum*, verùm etiam quod Græci *Sosthe-* [Act. 18. 17.] „ *nem Iudæum ceciderunt* pro Paulo Apostolo: „ nonne similitudo facti quasi utrosque con„jungit, & tamen eos causæ dissimilitudo „ discernit? Nempè *Deus proprio Filio suo non* [Roma. 8. 32.] „ *pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*: „ nempè de Filio ipso dicitur, *Qui me dilexit,* [Gal. 2. 20.] „ *& tradidit semetipsum pro me*: nempè & de „ Iuda dicitur, quòd *introierit in eum Satanas* [Ioan. 13. 2.] „ *ut traderet Christum*. Cùm ergò & Pater tra„diderit Filium suum, & ipse Christus cor„pus suum, & Iudas Dominum suum; cur in „ hac traditione Deus est pius, & homo reus, nisi

„nisi quis in re una quam fecerunt, causa non „una est ob quam fecerunt? Tres cruces in „ loco uno erant, in una latro liberandus, in „ alia latro damnandus; in media Christus, „ alterum liberaturus, alterum damnaturus. „ Quid similius istis crucibus? Quid dissimi- Act. 16.23. „ lius istis pendentibus? *Traditus est Paulus in- „ cludendus & colligandus.* Sed quolibet custo- „ de carceris pejor est utique Satanas, cui ta- 1.Cor. 5.5. „ men ipse Paulus *tradidit hominem in interi- „ tum carnis, ut spiritus salvus fit in die Domini „ Iesu.* Et hic quid dicimus? Ecce minori „ tradidit crudelis traditor, crudeliori tradidit „ misericors traditor. Discamus igitur in si- „ militudine operum discernere animos ope- „ rantium; nec clausis oculis calumniemur, & „ benevolos pro nocentibus accusemus: Item 1.Tim. 1.20. „ cùm ait Apostolus *tradidisse se quosdã Satanæ, „ ut discerent non blasphemare,* malum pro malo „ reddidit, an potiùs malos per malum emen- „ dare, bonum opus esse judicavit? Si semper „ esset laudabile persecutionem pati, sufficeret Mat. 5.10. „ Dominum dicere, *Beati qui persecutionem pa- „ tiuntur;* nec adderet, *propter justitiam.* Item „ si semper esset culpabile persecutionem fa- „ cere, non scriptum esset in sanctis libris, „ *Detrahentem proximo suo occultè, hunc persequ- „ bar.* Psal. 100.5. Aliquando ergò & qui eam patitur, in- „ justus est; & qui eam facit, justus est. Sed „ planè semper & mali persecuti sunt bonos, „ & boni persecuti sunt malos: illi nocendo „ per injustitiam, illi consulendo per discipli- „ nam: illi immaniter, illi temperanter: illi „ servientes cupiditati, illi charitati. Nam qui „ trucidat, non considerat quemadmodùm „ laniet: qui autem curat, considerat quem- „ admodùm secet. Ille enim persequitur sa- „ nitatem, ille putredinem. Occiderunt impij „ Prophetas, occiderunt & impios Prophetæ: „ flagellaverunt Judæi Christum, Judæos fla- „ gellavit & Christus: traditi sunt Apostoli ab „ hominibus Potestati humanæ, tradiderunt „ & Apostoli homines Potestati Satanæ. In „ his omnibus quid attenditur, nisi quis eo- „ rum pro veritate, quis pro iniquitate; quis nocendi causâ, quis emendandi"?

CAPVT XXVII.

Vlterior prosecutio ac refutatio præcedentis comparationis ab Husso institutæ. In Iudæorum facinore duo spectanda occurrunt: primum, quòd non per seipsos Christum occiderint; alterum, quòd Pilato occidendum tradiderint. In priori nequaquam peccarunt, in posteriori enormiter & multiformiter sese inquinarunt, ipsumque Iudicem impietate iniquitatéque superarunt. In priori figuraverunt Ecclesiam, ab effusione sanguinis temperantem; in posteriori non item, quia cùm illi tradidissent innocentem, hæc solos tradit nocentes. Multò nocentiores sunt fidei corruptores, quàm monetæ falsatores: ac per hoc si morte digni sunt isti, quanto magis illi? Possitne sæcularis Magistratus hæretico per Ecclesiam prædamnato ac sibi tradito parcere, aut pœnam mitigare?

XCVIII. SEd quia Hussius videtur similitudinem à se institutam fundare in eo, quòd Ecclesia non per se ipsam hæreticos perimat, sed sæculari Potestati perimendos tradat; quemadmodùm Iudæorum Pontifices cum Scribis & Pharisæis non per se ipsos Christum Crucifixerunt, sed Cæsareanis ministris crucifigendum tradiderunt: idcircò de eadem similitudine sic consideratâ ac fundatâ videndum est. Porrò in facto isto Iudæorum duo quædam intervenerunt, unum velut negativum, & alterum positivum: negativum in hoc consistit, quòd non per seipsos occiderint Christum; positivum in hoc, quòd Potestati sæculari tradiderint occidendum. De hoc secundo jam diximus superiori capite: de primo autem nunc dicimus, Iudæos nequaquam in eo esse culpandos quod non occiderint per seipsos Christum, imò verò culpandos fuisse si occidissent: non solùm quia innocentem peremissent, sed prætereà quia jus gladij sibi pridem per Romanos ademptum usurpassent. Neque enim falsum finxerunt, sed quod res erat dixerunt, quando Præsidi responderunt: *Nobis non licet interficere quenquam.* Ioan. 18.31. Si ergò in hoc negativo substitissent, nec alterũ admiscuissent, immunes à culpa mansissent: sed quia innocentẽ apprehenderunt, falsis testimonijs oneraverunt, Iudici criminali damnandum tradiderunt, & damnationis sententiam ab eodem Iudice violentis precibus ac minis extorserunt; idcircò immane scelus omni execratione dignum commiserunt, ipsumque Iudicem

cem nequitiâ ac sævitiâ transcenderunt: W. Non dicant Judæi, inquit Augustinus, Non occidimus Christum: etenim propterea eum dederunt Iudici Pilato, ut quasi ipsi à morte ejus viderentur immunes. Nam cùm dixisset eis Pilatus, *Vos eum occidite*, responderunt: *Nobis non licet interficere quemquam*. Iniquitatem facinoris sui in Judicem hominem refundere volebant: sed nunquid Deum Judicem fallebant? Quod fecit Pilatus, in eo ipso quod fecit aliquantùm particeps fuit, sed in comparatione illorum multò ipse innocentior. Institit enim quantum potuit, ut illum ex eorum manibus liberaret: nam propterea flagellatum produxit ad eos. Non persequendo Dominum flagellavit, sed eorum furori satisfacere volens: ut vel sic jam mitescerent, & desinerent velle occidere, cùm flagellatum viderent. Fecit & hoc: at ubi perseveraverunt, nostis illum lavisse manus, & dixisse, quòd ipse non fecisset, mundum se esse à morte illius. Fecit tamen: sed si reus quia fecit vel invitus, illi innocentes qui coëgerunt ut faceret? nullo modo. Sed ille dixit in eum sententiam, & jussit eum crucifigi: & quasi ipse occidit. Et vos, ô Iudæi, occidistis. Unde occidistis? Gladio linguæ: *Acuistis enim linguas vestras*. Et quando percussistis, nisi quando clamastis, *Crucifige, crucifige*"? Utrique igitur occiderunt, & occidendo peccaverunt: verumtamen, ut Papa scribit Leo, X. Excessit Pilati culpam facinus Judæorum, qui illum *nomine Cæsaris territum*, & invidiosis vocibus increpatum, ad effectum sui sceleris impulerunt: sed nec ipse evasit reatum, qui cooperatus seditiosis reliquit judicium proprium, & in crimen transivit alienum". Et rursùs ibidem post pauca de iisdem: " Obtinuerunt iniqui, inquit, in damnationem suam, quod pertinaciter exigebant: *quorum dentes*, sicut Propheta attestatus est, *arma erant & sagitta, & lingua eorum gladius acutus*. Frustrà enim a crucifigendo Majestatis Domino manus proprias continebant, in quem læthalia vocum spicula & venenata verborum tela jaciebant. Vobis, vobis, falsi Judæi, & sacrilegi Principes populi, totum facinoris istius pondus incumbit: & licet immanitas sceleris & Præsidem obligarit, & milites, omnis tamen facti summa vos arguit: & quicquid in supplicio Christi, vel Pilati peccavit judicium, vel cohortis obsequium, hoc vos facit humani generis odio digniores; quia vestri furoris impulsu nec illis innocentes esse licuit, quibus iniquitas vestra non placuit".

W. Aug. in Psalm. 63.
Vide Basil. Reguli 46. inter Ascet.
Ioan. 19. 6.
Psal. 139. 4.
Ioan. 19. 6.
X. Leo Ser. 2. de Passione.
Ibid. v. 12. & 13.
Psalm. 56. 5.

XCIX. Illud præterea iniquitatem istam Judæorum aggravavit, quòd cùm Præses optioni eorum permisisset ut è duobus vinctis alterutrumlibet à supplicio liberarent, *Barabbam* latronem innocenti Christo prætulerint. Unde & idem Papa Leo alibi in eos detonans: Y. Invictis, inquit, insanum ac cruentum consilium, tauri pingues, vituli multi, frementes bestiæ, canes rabidi, ut morti authorem vitæ & Dominum gloriæ traderetis: & tanquam extenuanda esset furoris vestri immanitas, si ejus sententiâ qui Provinciæ præsidebat uteremini, vinctum Iesum ad Pilati judicium deduxistis: ut clamoribus improbis trepido cognitore superato, interfectorem hominum eligeretis ad veniam, & Salvatorem Mundi peteretis ad pœnam". Quod si solùm *Barabbam*, homicidii ac latrocinii convictum, Potestati sæculari perimendum tradidissent, nemo eos, ob id justè reprehendisset. Ac per hoc nemo Ecclesiam justè reprehenderit, tradentem Potestati sæculari hæreticos, qui fidelium animabus spiritaliter enecandis invigilant, & latronibus corporum truculentiùs sæviunt, prout §. 83. indicavimus: Z. Circa hæreticos, inquit Thomas, duo sunt consideranda: unum quidem ex parte ipsorum, aliud verò ex parte Ecclesiæ. Ex parte quidem ipsorum est peccatum, per quod meruerunt non solùm ab Ecclesia per excommunicationem separari, sed etiam per mortem à Mundo excludi. Multò enim graviùs est corrumpere fidem, per quam est animæ vita; quàm falsare pecuniam, per quam temporali vitæ subvenitur. Unde si falsarii pecuniæ, vel alii malefactores, statim per sæculares Principes justè morti traduntur; multò magis hæretici statim, ex quo de hæresi convincuntur, possunt non solùm excommunicari, sed & justè occidi. Ex parte autem Ecclesiæ est misericordia ad errantium conversionem: & ideò non statim condemnat, sed *post primam & secundam correptionem*, ut Apostolus docet: postmodùm verò si quis adhuc pertinax invenitur, Ecclesia de ejus conversione non sperans, aliorum saluti providet, eumque ab Ecclesia separando per excommunicationis sententiam ulteriùs relinquit judicio sæculari, à Mundo exterminandum per mortem".

Y. Leo Ser. 3. de Passione cap. 6.
Z. D. Thom. 2. 2. q. 11. a. 3. in corp.
Tit. 3. 10.

C. Quæri autem potest, an Potestas sæcularis possit hæretico sibi ab Ecclesia tradito pœnam mortis in totum condonare, vel saltem in aliam mitiorem commutare? Affirmat Bannez in 2. 2. q. 11. art. 3. & 4. concl. 2. ita scribens: " Advertendum est, pœnâ mortis directè puniri hæreticos à Principibus sæcularibus: quoniam Ecclesia non judicat in causa sanguinis, sed Inquisitores hæreticæ pravitatis solùm relinquunt hæreticos brachio sæculari, declarantes esse verè

Bannez.

hæreticos

„ hæreticos: ut patet ex cap. *Ad abolendam*, „ de Hæreticis; & cap. *super eo*, eodem tit. in „ 6. Ex quo sequitur, quòd Rex sæcularis „ possit condonare aliquando pœnam capitis, & hæreticos punire alio modo". Negat ex

Tannerus. adverso Tannerus in 2. 2. Disp. 1. Quæst. 8. Dub. 6. n. 128. allegans pro se caput, *Excommunicamus*, de Hæreticis, §. *Damnati*, & §. *Moneantur*, in quorum priori sancitur, ut hæretici præsentibus sæcularibus Potestatibus aut earum Ballivis damnati, iisdem *relinquantur*, *animadversione debitâ puniendi*; in posteriori verò, ut sæculares Potestates pro defen-

Vide suprà §. 27. sione fidei præstent publicè juramentum, *quòd de terris suæ iurisdictioni subiectis universos hæreticos ab Ecclesia denotatos, bona fide, pro viribus exterminare studebunt*. Sed profectò posterior hic paragraphus parùm juvat allegantem; nam sæculares Potestates isti suo juramento satisfecerint, si hæreticos, aut deprehensos, aut sibi traditos, extra ditionum suarum terminos propellant: hoc quippe faciendo, ipsos *exterminant*. Prior quoque paragraphus interpretationem recipere videtur ex capite, *Ad abolendam*, mox citato, ubi decernitur, ut *quicunque manifestè fuerit in hæresi deprehensus, si Clericus est vel cuiuslibet Religionis obumbratione fucatus, totius Ecclesiastici Ordinis prærogativâ nudetur, & sic omni officio & beneficio Ecclesiastico spoliatus, sæcularis relinquatur arbitrio Potestatis, animadversione debita puniendus*. Sequitur quoque mox ibidem de Laico similiter deprehenso: *Sæcularis Iudicis arbitrio relinquatur, debitam recepturus pro qualitate facinoris ultionem*. Ubi signanter attendenda est illa clausula utrobique ingesta, *relinquatur arbitrio*; quæ exequendi libertatem sonare potiùs videtur, quàm necessitatem. Quapropter subintelligendo eandem clausulam in verbis ex § *Damnati* objectis, nihil ea obstant sententiæ priori ex Bannezio relatæ. Sed quid si hæretici fuerint relapsi? Sanè non distinguit Bannezius: adeoque videtur etiam relapsorum interfectionem relinquere Potestatis sæcularis arbitrio: præsertim cùm alleget caput, *Super eo*, de Hæreticis in 6. Ubi de relapsis disertè tractatur, & *sæculari decernuntur iudicio, sine ulla penitùs audientia relinquendi*: audienti à nimirum à judice Ecclesiastico præstandâ, quâ disceptetur utrùm Potestati sæculari tradi debeant. Tradendi igitur sunt brachio sæculari, ubi constiterit de relapsu, idque sine ulla nova audientia per Ecclesiam eis præstanda: sed utrùm Potestas sæcularis eos morte afficiat, an aliâ ultione plectat, prædicti canones judicio vel arbitrio ipsius relinquunt, prout censet Bannezius: cui tamen obstare videtur caput, *Ut inquisitionis*, de Hæreticis in 6. ubi decernitur, ut sæculares Potestates de hæresi condemnatos *sibi relictos statim recipiant, indilatè animadversione debitâ puniendos*. Sicut ergò tenentur *statim recipere*, ita pariter tenentur *animadversione debitâ indilatè punire*. Unde & ibidem subsequenter prohibetur districtè sæcularibus Potestatibus, eorundemque Officialibus, ne executionem sibi hac in re à judice Ecclesiastico injunctam *promptè, prout ad suum officium spectat, facere seu adimplere detrectent*. Quod superiùs dixerat *statim*, & *indilatè*, hoc ipsum nunc repetit voce, *promptè*. Quapropter cùm ex hactenùs per multa capita deductis pateat, *animadversionem* hæreticis in sua perfidia obstinatis *debitam*, esse mortis supplicium; consequenter elucet, sæculares Potestates teneri *statim recipere* à judice Ecclesiastico hæreticos pro sua perfidia condemnatos, eisdemque *indilatè* ac *promptè* pœnam istam infligere. Quâ de re videri potest Castropalaus tomo 1. Tractatu 4. Disput. 8. Puncto 14. cum aliis quos ibidem citat. Castropalaus.

CAPUT

CAPVT XXVIII.

Frustrà recentiores Sectarij, post veteres Donatistas, obtendunt exemplum Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ Catholicorum, qui nusquam leguntur adversùs hæreticos implorasse brachium aut gladium Regum vel Imperatorum. Reges cùm in errore sunt, leges pro errore contra veritatem ferunt; cùm item in veritate sunt, pro ipsa contra errores decernunt. Ad Reges Christianos pertinet, ut temporibus suis pacatam velint Ecclesiam matrem suam, unde spiritaliter prognati sunt. Augustinus provectior & expertior retractavit, quæ pro hæreticorum ac schismaticorum impunitate pridem conscripserat. Post factum hæreticis competens judicium, ubicunque apparuerint, conterendi sunt velut lupi. Rex Nabuchodonosor perversus legem sævam dedit, ut simulachrum adoraretur; idem correctus severam, ne Deus verus blasphemaretur.

CI. OBIECTIO. Contra hanc doctrinam Apostolicis Regijsque Edictis comprobatam, ac diuturno Ecclesiæ usu corroboratam, obtendunt Sectarij exemplum Apostolorum, qui nusquam adversùs hæreticos, suo ævo grassantes & crebrescentes, auxilium Potestatis sæcularis implorasse, aut quempiam fidei desertorem gladio corporali obtruncandum tradidisse leguntur. Sed nihil novi dicunt, qui hoc clypeo impunitatem sibi modò arrogant. ELIDITUR. Iam enim ante tredecim sæcula idem impunitatis velamen obtenderant Donatistæ: quibus respondendo Augustinus, non solùm ipsos, sed & nostros istos exarmavit, & exarmando debellavit: A. Quod enim dicunt, ait A. August. Epist. 50. „ille de Donatistis, qui contra suas impietates „constitui leges justas nolunt, *non petiisse à „Regibus terræ Apostolos talia*: non considerant, „aliud fuisse tunc tempus, & omnia suis „temporibus agi. Quis enim tunc in Christum crediderat Imperator, qui ei pro pie„tate contra impietatem leges ferendo servi„ret, quando adhuc illud Propheticum com„plebatur, *Quare fremuerunt Gentes, & populi* Psal. 2. 1. & 2. „*meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, &* „*Principes convenerunt in unum, adversùs Domi„num, & adversùs Christum eius*: nondum au„tem agebatur, quod paulò pòst in eodem „Psalmo dicitur: *Et nunc Reges intelligite, eru-* Ibid. v. 10. & 11. „*dimini qui iudicatis terram: servite Domino in ti„more, & exultate ei cum tremore*? Quomodò „ergò Reges Domino serviunt in timore, nisi „ea quæ contra jussa Domini fiunt, religiosâ „severitate prohibendo atque plectendo? „Aliter enim quis servit quia homo est, ali„ter quia etiam Rex est. Quia homo est, ei „servit vivendo fideliter: quia verò etiam „Rex est, servit, leges justa præcipientes; & „contraria prohibentes, convenienti vigore „sanciendo: sicut servivit *Ezechias*, lucos & 4. Reg. 18. 4. „templa idolorum, & illa excelsa quæ con„tra Dei præcepta fuerant constructa, de„struendo: sicut servivit *Iosias*, talia & ipse 4. Reg. 23. 4. & 5. „faciendo: sicut servivit *Rex Ninivitarum*, uni- Ion. 3. 8. „versam civitatem ad placandum Dominum „compellendo: sicut servivit *Darius*, idolum Dan. 14. 21. & 41. „frangendum in potestatem Danieli dando, „& inimicos ejus leonibus ingerendo: sicut „servivit *Nabuchodonosor*, omnes in regno suo Dan. 3. 96. „positos à blasphemando Deo, lege terribili „prohibendo. In hoc ergò serviunt Domino „Reges, in quantum sunt Reges, cùm ea fa„ciunt, ad serviendum illi, quæ non possunt „facere nisi Reges. Cùm itaq; nondum Re„ges Domino servirent temporibus Aposto„lorum, sed adhuc *meditarentur inania adversùs* Psalm. 2. 2. „*Dominum, & adversùs Christum eius*, ut Pro„phetarum prædicta omnia complerentur; „non utique tunc possent impietates legibus „prohiberi; sed potiùs exerceri. Sic enim „ordo temporum volvebatur, ut & Iudæi „occiderent prædicatores Christi *putantes se* Ioan. 16. 2. „*officium Deo facere*, sicut prædixerat Chri„stus; & Gentes fremerent adversùs Christia„nos, & omnes patientia Martyrum vinceret. „Posteà verò quàm cœpit impleri quod scri„ptum est: *Et adorabunt eum omnes Reges ter-* Psal. 71. 11. „*ræ omnes Gentes servient ei*: quis mente so„brius Regibus dicat, nolite curare in regno „vestro à quo teneatur vel oppugnetur Ec„clesia Domini vestri? Non ad vos pertineat, „in regno vestro quis velit esse sive religio„sus, sive sacrilegus: quibus dici non potest, „non ad vos pertinet, in regno vestro quis „velit pudicus esse, quis impudicus? Cur Vide Aug. Epist. 61.

 enim,

„ venerunt: venturus ipse præcones mittebat, sed eorum quos miserat corda possidebat. Vultis nosse qui cum illo venerunt, qui est ipse semper, carnem quippè accepit ex tempore? Quid est ergò semper? *In principio erat Verbum.* Cum illo ergò venerunt, qui cum Verbo Dei venerunt. *Ego sum*, inquit, *via, & veritas, & vita.* Si ipse est veritas, cum illo venerunt qui veraces fuerunt. Quotquot ergò præter illum, *fures sunt & latrones*, id est, ad furandum & occidendum veniunt". Hæc ibi Augustinus.

Ioan. 5. 5.

Ioan. 14. 6.

LXXXIV. Objecit aliquando Faustus Manichæus Catholicis præfatum Christi eloquium adversùs authoritatem Veteris Testamenti, cujus Scriptores universim contendebat fuisse Pseudo-prophetas; eò quòd Christus dicat, *fures fuisse & latrones quotquot ante se venissent.* Cui respondens Augustinus[a]. *Venisse*, inquit, ita vult Christus intelligi, qui missi non sunt; nam qui missi sunt, sicut Moyses & Sancti Prophetæ, non ante ipsum, sed cum ipso *venerunt*; quia non eum per superbiam præcedere voluerunt, sed eum per ipsos loquentem humiliter portaverunt". Et rursus ibidem post pauca: "Si ille intellectus est verus, inquit, ut ipsi ante Christum venisse dicantur, qui cum Christo, id est, cum Verbo Dei venire noluerunt, sed cùm eos non miserit Deus, mendacia sua hominibus attulerunt: vos quoque ipsi, quamvis post Christi passionem & resurrectionem in hoc Mundo nati fueritis, *fures & latrones estis*: quia priusquam vos ipse illuminaret, ut veritatem ipsius prædicaretis, *ante eum venire* voluistis, ut vestram fallaciam jactaretis". Ecce quemadmodùm Manichæi, atque adeò cæteri omnes hæretici, quantumvis Christi adventu posteriores, ante Christum venerint, ac per hoc *fures & latrones fuerint*: quia nimirum non à Deo missi, sed à seipsis ingesti cucurrerunt; nec Dei, sed suum verbum portaverunt: de qualibus ait Deus apud Hieremiam, *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Et iterum, *Non misi eos, ait Dominus, & ipsi prophetant in nomine meo mendaciter.* Et rursùs inferiùs ad populum, *Non vos seducant Prophetæ vestri, qui sunt in medio vestrûm, & divini vestri; & ne attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis: quia falsè ipsi prophetant vobis in nomine meo, & non misi eos, dicit Dominus.* Cui admonitioni consona est illa Christi apud Matthæum, *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos*, id est, qui se vobis ingerunt non missi, *in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*: & item Apostoli ad Ecclesiæ Præfectos, *Attendite vobis, & universo gregi.* Quare? Quia, ut mox subdit, *Intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos.* Quid est *intrabunt*, nisi se ipsos ingerent, non à Deo missi, sed à se ingressi: *Non parcentes gregi*, sed more furum abducentes, & more latronum perimentes? Unde sequitur, *Exurgent viri loquentes perversa.* Quid est *exurgent*, nisi ipsi se erigent, non à Deo erecti? Quid est *loquentes perversa*, nisi effutientes noxia, pestifera, mortifera; quibus tanquam *latrones* interimant partem gregis, quam velut *fures* insidiantes ovili *abducent post se*?

a Aug. l. 16. contra Faustum c. 12.

Hier. 23. 21.

Hier. 27. 15.

Hier. 29. 8. & 9.

Matt. 7. 15.

Act. 20. 28

Ibid. v. 29.

Ibid. v. 30.

LXXXV. Non est præsumendum, quòd Deus minùs voluerit cautum esse contra Pseudoprophetarum insidias gregi Christiano, quàm veteri Israëlitico; cùm scriptum sit, *Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob.* De Pseudoprophetis autem veteri gregi insidiantibus ita statuit: *Propheta aut fictor somniorum interficietur, quia locutus est ut vos averteret à Domino Deo vestro.* Et rursùs ibidem post pauca: *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, sive uxor quæ est in sinu tuo, aut amicus quem diligis ut animam tuam clam dicens: Eamus, & serviamus Dijs alienis quos ignoras tu & Patres tui, cunctarum in circuitu Gentium quæ juxta vel procul sunt, ab initio usque ad finem terræ, non acquiescas ei, nec audias, nec parcat ei oculus tuus ut miserearis, & occultes eum: sed statim interficies.* E tanquam quæreres, quorsùm ista severitas, etiam in tam propinquos? sequitur: *ut omnis Israël audiens timeat, & nequaquam ultrà faciat quidpiam huius rei simile.* Sed quid si integra aliqua civitas, aut hominum societas, à Religione avitâ desciscat, aut certè desciscentibus conniveat? Audi quod subtexitur: *Si audieris in una urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos: Egressi sunt filij Belial de medio tui, & averterunt habitatores urbis suæ, atque dixerunt: Eamus, atque serviamus Dijs alienis quos ignoratis: quære sollicitè, & diligenter rei veritate perspectâ, si inveneris verum esse quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, statim percuties habitatores civitatis illius in ore gladij, & delebis eam ac omnia quæ in illa sunt, usque ad pecora: quicquid etiam supellectilis fuerit congregabis in medio platearum eius, & cum ipsa civitate succendes, ita ut universa consumas Domino Deo tuo, & sit tumulus sempiternus: non ædificabitur amplius, & non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tua; ut avertatur Dominus ab ira furoris sui & misereatur tui.* "Cujus præcepti, inquit Cyprianus[c], & rigoris memor Mathathias, *interfecit eum qui ad aram sacrificaturus accesserat.* Quòd si ante adventum Christi circa Deum colendum, & idola spernenda, hæc præcepta servata sunt; quanto magis post adventum Christi servanda

Psalm. 86. 2.

Deut. 13. 5.

Ibid. v. 6. & seqq.

Ibid. v. 11.

Ibid. v. 12. & seqq.

c Cypr. l. de Exhortat. Mart. cap. 5. 1. Machab. 2. 24.

servandæ sunt"? Hinc Optatus Milevitanus occisionem quorundam Donatistarum, à Macario Cæsaris delegato factam, justificat exemplis de veteri lege excerptis: D. Temporibus *Moysis*, inquiens, populus Israël caput vituli coluit, quod illis sacrilega flamma consumpsit: ideò tria millia hominum occidi meruerunt, quia Dei vox videbatur esse contempta. *Phinees* adulteros uno ictu percussit, & laudari à Deo meruit: quoniam divinorum præceptorum contemptores occidit. Et quadringenti quinquaginta, quos *Elias* occidisse legitur, ideò occisi sunt, quia contra jussionem Dei, per quod falsi vates erant, Dei præcepta contempserant. Et illi, quorum nominibus *Macarium* criminatis, nec à falsis vatibus longè sunt, quia vos Deus dixit futuros esse *falsos vates*, quod proximo loco probaturi sumus: & dum pacem noluerunt recipere, nec in uno cum fratribus habitare, contra præcepta & voluntatem Dei pertinaciter obstiterunt. Ergò videtis, à *Moyse*, & *Phinee*, & *Elia*, & *Macario*, similia esse facta: quia ab omnibus unius Dei præcepta sunt vindicata".

D. Optatus lib. 3 contra Parmen.

Mat. 7. 15.

CAPUT XXIII.

Insidiantur hæretici Catholicis, ut Philisthæi priscis Israëlitis. Inaniter pro sua impunitate obtendunt dictum Christi ad Petrum, Converte gladium tuum in vaginam. *De duplici gladio Ecclesiæ, altero ab Ecclesia, altero pro Ecclesia stringendo. Hæretici ita tractandi sunt ab Ecclesia, ut Pseudoprophetæ olim à Synagoga. Cur dicti vulpes? Quænam sit vinea, quam demoliri nituntur? Cur ubi jubemur capere vulpes, addatur*, parvulas? *Hæresibus ebullientibus indilatè obviandum. Unica scabra pecus totum corrumpit ovile. Quod lex statuit de non procrastinando supplicio veneficorum, admonitio est non differendi supplicia hæreticorum.*

LXXXVI. Familiare est committentibus digna supplicio, odisse non solùm ministros justitiæ, sed ipsa etiam instrumenta supplicij: naturale quippe est odisse quem timeas, & quod timeas. Oderunt ergò hæretici Catholicorum gladios, haud secùs ac Philisthæi gladios Hebræorum, de quibus scriptum est: *Caverant Philisthijm, ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam.* Et mox iterum: *Cùm venisset dies prælij, non est inventus ensis & lancea in manu totius populi, qui erat cum Saule & Ionatha.* Quoniam igitur hæretici, suorum criminum conscij, timent supplicium gladij, conantur suis disputationibus adimere Ecclesiæ Christianæ usum gladij, si non in alios criminosos stringendi, saltem in ipsos propter hæresim exerendi. Hinc Optatus Milevitanus loco proximè allegato subdit ad Donatistas: " Sed video vos hoc loco tempora separare, ut alia fuerint ante Evangelium, alia post Evangelium: in quo potestis dicere, quia scriptum est, *Ut à Petro iam gladius conderetur, quo auriculam servi Sacerdotis abstulerat*, quo servum poterat quasi devotus Petrus occidere". Respondet Optatus, præceptum Petro datum de recondendo in vaginam gladio, non fuisse perpetuum aut stabile, sed temporarium ac transitorium; quod proinde cessantibus circumstantiis tunc intercurrentibus cessavit: " Christus, inquit ille ibidem, pati venerat, non defendi: & si cogitatum suum Petrus impleret, in passione Christi videretur servus vindicari, non populus liberari". Quibus verbis duplicem assignat rationem interdicendi tunc Petro usum gladij: Prima est, ne impediretur passio, ad quam subeundam Christus in Mundum advenerat: Secunda, ne si Petrus servum Pontificis occideret, & equidem Christus passionem subiret, ansam arriperent infideles divulgandi, Christum supplicio affectum fuisse propter homicidium illius servi, & non innocenter pro salute Mundi. Quibus rationibus modò cessantibus, cessat pariter obligatio illius præcepti. Notandum prætereà est, Christum non jussisse ut Petrus gladium à se penitùs abjiceret, sed duntaxat ut in vaginam recondered, utique servandum, & suo tempore exerendum. Sed cujus manu? Respondeo cum Bernardo, si non Petri manu, at saltem nutu: B. Fac opus Evangelistæ, ait ille Successori Petri, & Pastoris opus implesti. *Dracones*, inquis, *me mones pascere, & scorpiones, non oves.* Propter hoc, inquam, magis aggredere eos, sed verbo,

1. Reg. 13. 19
Ibid. v. 22.
Optatus.
Ioan. 18. 10. & 11.
B. Bern. l. 5. de Consid. cap. 3. Vide Epist. 256 & Sarisburien. sem l. 4. Policrat. c. 4.

„ verbo, non ferro. Quid tu denuò usurpare „ gladium tentes, quem semel jussus es *ponere* „ *in vaginam*? Quem tamen qui *tuum* negat, „ non satis mihi videtur attendere verbum „ Domini, dicentis sic: *converte gladium TUUM* „ *in vaginam*. Tuus ergò est ipse, tuo forsitan „ nutu, etsi non tuâ manu evaginandus. Alio- „ quin si nullo modo ad te pertineret & is,

Luc. 22. 38. „ dicentibus Apostolis, *Ecce gladij duo hic*, non „ respondisset Dominus, *Satis est*; sed, nimis „ est. Uterque ergò Ecclesiæ est, & spiritalis „ scilicet, & materialis: sed is quidem pro „ Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia exerendus „ est: ille Sacerdotis, is militis manu, sed sanè „ ad nutum Sacerdotis, & jussum Imperato- „ ris". Conformiter huic suæ doctrinæ idem Bernardus alibi censet coërcendos esse quosdam sui temporis hæreticos, quos existimat denotari per *vulpes parvulas*, de quibus in

Cant. 2. 15. Canticis scriptum legitur, *capite nobis vulpes*

F. Bern. ser. 66. in Cant. *parvulas, quæ demoliuntur vineas*: [F] Melius pro- „ culdubio, inquiens, gladio coërcerentur, il-

Rom. 13. 4. „ lius videlicet qui *non sine causa gladium por-* „ *tat*, quàm in suum errorem multos trajice-

Ibid. „ re permittantur: *Dei enim minister ille est, vindex in iram ei qui malè agit*".

LXXXVII. Atque ut in hac *vulpium* metaphorâ aliquantisper subsistamus, sicut in *luporum* metaphorâ superiùs §. 82. & 83. substiteramus, advertendum est, hæreticos sive Pseudoprophetas apud Ezechielem assimi-

Ezech. 13. 3. & 4. lari vulpibus, cum dicitur: *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum: quasi vul-*

G. Hieron. in caput 13. Ezechielis. *pes in desertis, Prophetæ tui Israel erant*: [G] Cum „ Prophetarum nomen, inquit in eum locum „ Hieronymus, secundum regulam Scriptu- „ rarum, bonis malisque commune sit, in „ eo differunt, quòd boni Prophetæ esse di- „ cuntur *sapientes*, mali autem *stulti & insi-* „ *pientes*: quorum alterum refertur ad Eccle- „ siasticos viros, alterum ad omnes hæreticos; „ qui Dei spiritum relinquentes, *sequuntur spi-* „ *ritum suum*: quia nequaquam divino instin- „ ctu, sed proprio corde vaticinantur, unde & nihil vident". Et mox iterum post paucula ibidem: "Prophetæ Israël *vulpium* similes sunt, „ quotidiè domesticarum avium furta facien- „ tes". Et adhuc inferiùs: " Omnes hæretici,

Vide Orig. Homil. 4. in Cantica. „ inquit, propter fraudulentiam ac nequi-

Mat. 8. 20. „ tiam similes vulpium sunt, de quibus Sal- „ vator loquitur, *vulpes foveas habent, & volu-* „ *cres cæli nidos*: & ut Herode scriptum est,

Luc. 13. 32. „ *Dicite vulpi huic*. & de eisdem *vulpibus*, quæ „ parvulos simplicesque decipiunt, & popu- „ lantur vineam Christi, Salomon loquitur;

Cant. 2. 15. „ *capite nobis vulpes parvulas, dissipantes vineas*".

H. Theodor. in caput 2. Canticor. In quem Salomonis locum Theodoretus: [H] „ Per *vulpeculas*, inquit, hæreticos innuit, qui „ animas oppugnant Ecclesiasticas, & dolis „ ac fraudibus passim eos decipere conantur, „ qui nondum in fide sunt confirmati. Isti „ enim orationis suavitate, & laqueis ac re- „ tibus argumentorum simpliciores deci- „ piendo, *vites demoliuntur*". Neque verò addendo, *parvulas*, significavit parcendum esse provectioribus *vulpibus*, id est, hæreticis jam grandibus & inveteratis: sed voluit ut mox incipientes opprimantur, nec adolescere si- nantur: [I] Mox incipientes, inquit Beda, I. Beda l. 3. in caput 2. Canticor. „ fraudulentorum versutias deprehendere ac „ debellare jubemur: ne majores effectæ per „ tempus, tantò difficiliùs à læsione vinea- „ rum spiritalium depellantur, quantò has „ diutiùs depascere consueverunt. Et pulchrè „ qui priùs numero plurali *vineas* dixerat, „ rursùs numero singulari posuit, *Nam vinea* Cant. 2. 15. „ *nostra floruit*. Ita enim multas *vineas* unam „ appellavit *vineam*; sicut multas per orbem „ Ecclesias, unam Ecclesiam voluit appellari. „ *Vineam* namque *floruisse* dixit, ut latè germi- „ nantem electorum plebem ostenderet. Et „ benè, ubi *capiendas vulpeculas* admonuit, ibi „ mox *vineam* singulari appellatione signa- „ vit: ut ob id maximè insequendos ac pro- „ terendos doceret hæreticos, ne fidem Ec- „ clesiæ, quam unam esse oportet, eorum in- „ festatio scinderet, atque in partes distra- „ heret. Aptè autem *vulpium* natura moribus „ ac verbis hæreticorum convenit, quia ni- „ mirum valde fraudulenta sunt animalia, „ quæ in fossis vel specubus absconduntur: „ cumque apparuerint, nunquam rectis „ itineribus, sed tortuosis anfractibus cur- „ runt. Quæ quomodò congruant hæretico- „ rum dolis ac fraudibus facilè quisque in- „ telligit". His consonum est illud Orige- K. Orig. Homil. 4. in Cantica. nis: [K] Sancti quique Doctores & Magistri „ Ecclesiæ sicut acceperunt potestatem *cal-* Luc. 10. 19. „ *candi super serpentes & scorpiones*, ita acci- „ piunt potestatem etiam *capiendi vulpes*: sic Cant. 2. 15. „ enim data est eis potestas *super omnem vir-* „ *tutem inimici*. Una autem sine dubio ex cæ- „ teris inimici virtutibus est *vulpes*, *quæ exter-* „ *minat vineas florentes*, quæque cùm adhuc „ *parva* est, *capi* jubetur; sicut & in centesi- „ mo trigesimo septimo Psalmo, *Beatus* dici- Psalm. 136. 9. „ tur *qui tenet & allidit parvulos Babylonis ad* „ *Petram*, nec permittit sensum Babylonium „ crescere in semetipso & augeri, sed cùm „ est adhuc in initijs *allidit eum & tenet ad Petram*: tunc enim facilè perimitur".

LXXXVIII. Non itaque connivendum est dogmatistis recèns exorientibus; sed confestim ut apparuerint, reprimendi vel proterendi sunt: [L] Minoris enim laboris est, prout L. Nazianz. Orat. 26. „ benè notat Nazianzenus, primùm improbitati non cedere, sed eam accedentem fu- „ gere, quàm progredientem altiùsque grassan-

„ graſſantem reprimere atque ſuperare : non „ ſecùs videlicet ac faciliùs eſt lapidem initio „ firmare & retinere, quàm ruentem ſurſùm retrahere". Hoc ipſum innuit Apoſtolus ubi ait, *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit*: M. Scintilla, ait in eum locum Hieronymus, res parva eſt ; & penè dum cernitur „ non videtur : ſed ſi fomitem comprehenderit, & nutrimenta ſui quamvis parvus ignis „ invenerit, mœnia, urbes, latiſſimos ſaltus, regioneſque conſumit. Fermentum „ quoque, cujus ad aliam partem in Euangelio parabola temperata eſt, res modica „ videtur & nihil : ſed cùm farinæ conſperſum, totam maſſam ſuo vigore corrumperit, „ in illius vim tranſit omne quod mixtum „ eſt. Ita doctrina perverſa, ab uno incipiens, vix duos aut tres primùm in exordio reperit auditores : ſed paulatim *ut cancer* „ *ſerpit* in corpore ; & juxta vulgare proverbium, *Unius pecudis ſcabies totum commaculat* „ *gregem*. Igitur & ſcintilla ſtatim ut apparuerit extinguenda eſt, & fermentum à „ maſſæ vicinia ſemovendum ; ſecandæ putridæ carnes, & ſcabioſum animal à caulis „ ovium repellendum; ne tota domus, maſſa, „ corpus, & pecora, ardeat, corrumpatur, putreſcat, intereant. *Arius* in Alexandria una „ ſcintilla fuit, ſed quia non ſtatim oppreſſa „ eſt, totum orbem flamma ejus populata eſt". Optimè & appoſitiſſimè Auguſtinus: N. Timendum eſt, inquit, ne plures putreſcant, dum putribus parcitur". Et Innocentius Papa apud eundem Epiſt. 92." Præcidendum eſt, inquit, quod velut puro ſanoque corpori vulnus obrepſit ; ne cùm tardiùs abſtergitur, in ipſis penè viſceribus non „ exhaurienda pòſt ſentina mali conſidat".

Gal. 5. 9.

M. Hieron. l. 3. in cap 1. ad Galatas Vid. D. Thomam 2. 2. q. 11. art. 3. in corp.

2. Tim. 2. 17.

Unica Scabra pecus totum corrumpit ovile.

N. Aug. Ep. 23. q. 2.

Innocentius.

Huc etiam referri poſſunt quæ de Pſeudoprophetis; populum ſeducere nitentibus, confeſtim interficiendis, relata ſunt ex veteri lege §. 85. necnon quæ de maleficis, quibus hæretici æquiparantur ; ſcribit Philo Judæus: O. Lex, inquiens, vult veneficos & veneficas „ ne unum quidem diem vivere ; ſed mori „ quamprimum deprehenſi fuerint, nec ullo pacto differri ſupplicium". Et congeſtis eam in rem varijs rationum congruentijs, quæ etiam in hæreticos quadrant, ſubdit idem Author inferiùs:" His omnibus, opinor, conſideratis, legiſlator noſter non ſinit procraſtinati veneficorum ſupplicia, ſed abſque mora vult exigit quòd dilatio noxijs opportunitatem peccandi præbeat, ultrò ad mortem properantibus ; cæteros verò ſuſpicione metuque repleat, exiſtimantes quicquid „ illorum vitæ accedit, ſuæ ſecuritati decedere. Idcircò ſicut viperas, ſcorpios, aliaſque „ venenoſas beſtiolas, priuſquàm mordeant, „ aut ſaucient, aut omninò ſe commoveant, „ ſine mora ad primum aſpectum occidimus, „ præcavendo genuinam eorum malitiam „ priuſquàm noceant: ſic etiam homines pleƈtendi ſunt, qui cùm ſint animalia rationalia, nihilò ſeciùs à nativa manſuetudine in „ ferinos mores degenerant, & pro delectamento habent lædendi quotquot poſſunt licentiam".

Vide Baſil. Regula 28. Inter fuſiores.

O. Philo lib. de ſpecialibus legibus.

CAPUT XXIV.

Sicut in veteri lege non cuique, ſed publicæ Poteſtati fas fuerat plectere veneficos : ita & in nova lege non niſi publicæ Poteſtati licet perimere hæreticos. Quæ à communi Iure exorbitant, trahi in conſequentiam non debent.

Hæreſis quantùm ad cognitionem criminis ſpectat ad forum Eccleſiaſticum, quantùm ad peremptionem criminoſi, miniſterium impendit manus laica. Conſtantius Cæſar Athanaſio Antichriſtus & abominatio deſolationis ſtans in loco ſancto, *eò quòd ſibi laico uſurpaſſet judicium Eccleſiaſticum. A quibus proficiſcuntur inſtituta doctrinæ, ab iiſdem & diſcordis eruditionis ſolvenda eſt repugnantia, Sanctorum Patrum atque etiam orthodoxorum Cæſarum in eam rem dicta, & exempla. Imperator in numero ovium ſe contineat, non munus Paſtoris arripiat.*

LXXXIX. NEmo tamen hinc præſumat, authoritate privatâ hæreticos interimere : nec etiam publicâ, ante legitimam criminis diſcuſſionem, & ſententiæ latonem, ſecundùm juris ordinem, & judicis competentiam. Neque enim in veteri etiam lege licitum fuerat ipſos veneficos, de quibus mox diximus, niſi ſervato judicij ordine ac ritu, perimere. Generalis quippe fuit illa legis cautio tam quoad criminoſos, quàm quoad ipſa crimina: *In ore duorum aut trium teſtium peribit qui interficietur.* Deut. 17. 6.

Similiter

Deut. 19. 15. Similiter & ista, *Non stabit testis unus contra aliquem, quicquid illud peccati & facinoris fuerit: sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Usqueadeò enim in plectendis criminosis servandum esse juris ordinem ac judicij ritum censet Augustinus, ut neget hominem judicialiter damnatum posse perimi, nisi ab eo cui sententiæ executio fuerit demandata. P. Aug. Ser. 111. de Diversis c. 14. Cùm enim ille sibi objecisset: P. *Malus iste tanta fecit tantos oppressit, tantos ad mendicitatem egestatemq; perduxit.* Respondet: " Habet Judices „ suos, habet Potestates suas: ordinata est Rom. 13. 1. „ Respublica: *Quæ enim sunt, à Deo ordinata* „ *sunt.* Tu quare sævis? Quam potestatem ac„ cepisti, nisi quia non sunt ista publica sup„ plicia, sed aperta latrocinia? Quid enim? „ Considerate in ipsis ordinibus Potesta„ tum, destinatum supplicio, & damnatum, „ cui gladius imminet, non licere ferire, „ nisi ei qui ad hoc militat. Militat Quæ„ stionarius: ab illo percutitur damnatus. „ Si damnatum jam supplicio destinatum, „ percutiat Exceptor, nonne & damna„ tum occidit, & tanquam homicida ipse „ damnatur? Certè quem occidit, jam dam„ natus erat, jam supplicio destinatus erat: „ sed inordinatè ferire, homicidium est. Si „ homicidium est inordinatè ferire dam„ natum, quid est velle ferire inauditum, „ velle ferire non judicatum, velle ferire „ nullâ acceptâ potestate hominem ma„ lum"? PRÆOCCUPATIO. Quod si aliquando Pseudoprophetæ, vel alij criminosi, absque consueto juris ordine perempti fuerint à personis in Scriptura laudatis: ut à Phinees idololatræ fornicantes Numer. 25. 8. item à Levitis, adoratores vituli aurei Exod. 32. 28. item ab Elia, Pseudoprophetæ Baal, 3. Reg. 18. 40. & bini Pentacontarchi cum suis respectivè quinquagenis 4. Reg. 1. 14. item à Jehu, posteri Achabi, cum Sacerdotibus Baal 4. Reg. 10. item ab Eliseo pueri petulantes 4. Reg. 2. 24. item à Mathathia, Judæus idolis sacrificans 1. Machab. 2. 24. item à Beato Petro, Ananias & Saphira Act. 5. non tamen idcircò licebit unicuique arrogare sibimet consimilem authoritatem. Nam quod isti fecerunt, Deo vel patenter mandante, vel latenter instigante fecerunt. Quæ autem præter ordinariam agendi regulam Deo authore fiunt, nequaquam in consequentiam trahenda sunt: Q. Aug. l. 22. contra Faustum c. 73. Vide lib. 1. contra Gaudentium c. 31. Q. Quædam enim facta, in„ quit Augustinus, lex illa æterna, quæ „ ordinem naturalem conservari jubet, per„ turbari vetat, ita medio quodam loco „ posuit hominibus, ut in eis usurpandis „ meritò reprehendatur audacia, in exe„ quendis autem jure laudetur obedien„ tia: tantum interest in ordine naturali, „ quid, à quo agatur, & sub quo quisque „ agat. Abraham si filium spontè immo„ laret, quid nisi horribilis & insanus? Deo „ autem jubente, quid nisi fidelis & devo„ tus apparuit"? Et mox infrà iterùm: „ Quapropter, inquit, si in occidendo fi„ lio spontaneus motus execrabilis, Deo „ autem jubente obsecundans famulatus „ non solùm inculpabilis, verùm etiam „ laudabilis invenitur: quid Moysen re„ prehendis, quòd expoliarit Ægyptios? „ Si irritat velut humana facientis improbi„ tas, divina terreat jubentis authoritas. An „ talia fieri volentem, etiam ipsum Deum „ vituperare paratus es"?

XC. Cùm igitur citra specialem Dei jussum vel instinctum non liceat quenquam neglecto juris ordine perimere, quæritur quisnam juris ordo in perimendis hæreticis sit observandus? Respondeo, cognitionem criminis spectare ad judicem Ecclesiasticum, sed pro plexione criminosi jam convicti ac declarati implorari opem brachij sæcularis. Prior pars inde probatur, quòd ejusdem sit errores fidei contrarios censere, cujus est fidem ipsam discernere, & controversias super eâ emergentes decidere. Hoc autem ad Ecclesiasticum judicem spectare, utriusque Testamenti Paginæ contestantur, quibus orthodoxi quoque Tractatores consonant, & perpetuus Ecclesiæ usus conspirat, ipsi denique Mundi Principes suffragantur: prout latè deducit Cardinalis Bellarminus lib. 3. de Verbi Dei interpretatione cap. 4. & aliquot sequentibus; & nos pridem in nostro *Goliathismo profligato* satis multa diximus, signanter cap. 69 & sequentibus: hic quoque superiùs cap. 9. §. 36. rem breviter perstrinximus, occasione Regis *Saulis*, qui, Scripturâ teste, *stultè egit*, quando laicus existens Sacerdotalem functionem sibi arrogavit: 1. Reg. 13. 13. cujus in ea arrogatione imitatorem se præbuit non tantùm Rex *Ozias adolendo incensum*; sed 2. Par. 26. 18 etiam Constantius Imperator Arianus; cum alijs Principibus sæcularibus ibidem memoratis, qui usurpando sibi Canonum constitutionem, & controversiarum Religionis cognitionem ac decisionem, officium Sacerdotale invaserunt, atque adeò falcem in alienam messem miserunt: R. Ambros. Epistolâ 32. aliàs 13. R. Certè, inquit Ambrosius, si vel Scripturarum „ series divinarum, vel vetera tempora „ retractentur, quis est qui abnuat, in „ causa fidei Episcopos solere de Impera„ toribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare"? Et Athanasius: S. Athan. Ep. ad Solitar. vitam agentes. S. Quando à condito ævo auditum est, quòd „ judicium Ecclesiæ suam ab Imperatore authori-

„ authoritatem acceperit? Aut quando „ unquam hoc pro judicio agnitum est? „ Plurimæ antehac Synodi fuere, multa Iu- „ dicia Ecclesiastica habita sunt: sed neque „ Patres istiusmodi res Principi persuadere „ conati sunt, nec Princeps se in rebus Ecclesiasticis curiosum præbuit". Et rursùs ibidem infertur: " Quid igitur hic, inquit, „ quod Antichristi sit, omisit? Aut quid ille, „ ubi venerit, plus committere poterit? Aut „ quomodò ille in adventu suo non repe- „ rerit sibi expeditam viam ad dolos, ab isto „ præparatam? Siquidem jam denuò in lo- „ cum Ecclesiasticæ cognitionis suum pala- „ tium constituit earum causarum tribunal, „ seque earum litium summum Principem & authorem facit". Et adhuc iterum inferius ibidem:" Gravia, inquit, sunt ista, & „ plusquam gravia: sed tamen istiusmodi „ quæ congruant in eum, qui Antichristi „ imaginem induerit. Quis enim videns „ eum in decernendo Principem se facere „ Episcoporum, & præsidere Judicijs Ec- „ clesiasticis, non meritò dicat illum esse eam

Mat 24. 15. „ ipsam *abominationem desolationis, quæ à Daniele prædicta est*"? Hæc ille in Constantium Cæsarem scripsit, eò quòd hic existens Laicus judicium de fidei controversijs usurparet, atque adeò Sacerdotalibus munijs se sacrilegè ingereret: non quidem sacrificium offerre præsumendo, sed Judicem Religionis, & canonum conditorem sese exhibendo.

Hosius. Quam etiam ob causam Hosius Cordubensis graviter cum eodem Constantio expostulat, per Epistolam ab Athanasio ibidem relatam:" „ Reformida, inquiens ei, diem judicij, „ serva te in illam diem purum, ne te misceas „ Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere „ præcipe, sed potiùs à nobis disce. Tibi „ Deus Imperium commisit, nobis quæ sunt „ Ecclesiæ concredidit: & quemadmodùm „ qui tuum Imperium malignis oculis car- „ pit, contradicit ordinationi divinæ; ita „ & tu cave, ne, quæ sunt Ecclesiæ ad te „ trahens, immani crimini obnoxius fias:

Mat. 22. 21. „ *Date*, scriptum est, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari; „ & quæ Dei, Deo*. Neque igitur nobis fas est „ Imperium in terris tenere, nec tu Impe- „ rator potestatem habes thymiamatum, & „ sacrorum".

XCI. Ad praxin quod attinet, nemo ita desipit, ut autumet, trecentis primis Christianismi annis controversias Religionis ad tribunalia Cæsarum fuisse delatas; cum interea Cæsares idola promiscuè venerarentur, & Christianæ Religionis sectatores immaniter persequerentur. Quamvis enim *Philippus* Cæsar Christianismum utcunque professus fuisse memoretur, nihil tamen peculiare sive pro extirpando idololatrismo, sive pro dilatando Christianismo gessisse perhibetur: sed hanc gloriam *Constantino* Magno reliquit, qui anno Christianæ æræ duodecimo supra trecentesimum cælesti signo recreatus, & subsequenti victoriâ adauctus, animum ad Christi cultum inflexit, Christianamque Religionem palàm posteà professus, nihil non egit ut eandem & latiùs propagaret, & ab ebullientium hæreseon labe puram conservaret. Hic verò nequaquam ad suum, sed ad Ecclesiasticum tribunal controversias suo tempore super Religione emergentes vocavit: prout ex Actis Niceni Concilij, & posteà Arelatensis, atque ex historia Ecclesiastica, & ex ipsius vitâ per Eusebium digestâ perspicitur. Hinc Beatus Ambrosius Valentiniano Cæsari scribens: [T]. Si tractandum „ est, inquit, tractare in Ecclesia didi- „ ci: quod Majores fecerunt mei. Si „ conferendum de fide, Sacerdotum de- „ bet esse ista collatio; sicut factum est „ sub *Constantino* augustæ memoriæ Prin- „ cipe; qui nullas leges antè præmisit, „ sed liberum dedit judicium Sacerdoti- „ bus. Factum est etiam sub *Constantio* „ augustæ memoriæ Imperatore, paternæ „ dignitatis hærede: sed quod benè cœ- „ pit, aliter consummatum est. Nam „ Episcopi sinceram primò scripserant fi- „ dem: sed dum volunt quidam de fide „ intra palatium judicare, id egerunt, „ ut circumscriptionibus illa Episcoporum „ judicia mutarentur". *Constantinum* imitatus *Theodosius* Magnus, Macedonianos perperàm de Spiritûs Sancti divinitate sentientes non ipse judicavit, sed Synodo Episcoporum Constantinopoli convocatæ judicandos dimisit. Quem secutus *Theodosius* junior, prioris ex Arcadio filio nepos, nestorianam hæresim suo tempore exortam, Episcopis Ephesi Synodaliter congregatis discutiendam damnandamque reliquit: ubi etiam Pelagiani, dum cognatis confœderarentur erroribus, iterum fuere prostrati. *Iterùm*, dico: quia, ut Beatus canit Prosper, [V]. *Pestem subeuntem prima recidit Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris Facta caput Mundo, quicquid non possidet armis Religione tenet*. Hinc quidem Theodosius ad Ephesinam istam Synodum unum quendam è suis familiaribus, *Candidianum* domesticorum Comitem: [W]. Sed, ut ipse profitetur, eâ lege „ & conditione, ut cum quæstionibus & „ controversijs circa fidei dogmata inci- „ dentibus nihil habeat commune: ne- „ fas est enim, qui Sanctissimorum Epis- „ coporum catalogo adscriptus non est, „ illum Ecclesiasticis negotijs & consultationibus

T. Ambros. Epist. 32. alias 13.

Vide Synodum 1. Constantin. in Synodica ad Damasum Papam, & Synodum 6. generalem Act. 18. in Prosphonetico ad Imperatorem Constantin. Pogonatû.

V. Prosp. lib. de Ingratis cap. 2.

W. Theodos. Jun. in Epist. ad Synodum Ephesinam, quæ extat in Synodi Act. p. 1. c. 35.

Gratianus cum Valentiniano & Theodosio. nibus sese immiscere". *Gratianus* quoque Imperator, cum *Valentiniano* & *Theodosio* Imperij consortibus, in Rescripto ad Valerianum de Synodo Aquileiensi, quod extat in Actis ipsius Synodi inter Opera Ambrosij, testatur se obortæ altercationis judicium dimisisse Antistitibus:" Ut videlicet à quibus profi- ,, tebantur instituta doctrinæ, ab ijsdem dis- ,,cordis eruditionis repugnantia solveretur".

PRÆOCCUPATIO. Ubi ne quis suspicari possit, dignationis id fuisse, non necessitatis: occurrit statim Ambrosius, subdens:" Ecce quod Christianus ,, constituit Imperator: noluit injuriam fa- ,, cere Sacerdotibus, interpretes ipsos constituit Episcopos". Adeò igitur id fuit necessitatis, & non solius dignationis: ut si Imperator decisionem controversiæ vel sibi usurpasset, vel cuiquam extra numerum Episcoporum existenti commisisset, *injuriam Sacerdotibus fecisset*. *Martianus* item Augustus loquens de Episcopis, in Chalcedonensi Synodo, super controversia Religionis ab Eutychianis suscitatâ, congregatis: [x]. Quid ob- ,, servari, inquit, in Religione debeat, per- ,, spicuâ definitione docuerunt. Cesset igi- ,, tur jam profana intentio: nam verè im- ,, pius est atque sacrilegus, qui post tot Sa- ,, cerdotum sententiam, opinioni suæ aliquid tractandum relinquit". *Iustinianus* item Augustus, Epistolam suam Patribus Synodi quintæ generalis directam, his verbis inchoat:" [y]. Semper studium fuit orthodoxis ,, & pijs Imperatoribus Patribus nostris, ex- ,, ortas pro tempore hæreses per congrega- ,, tionem religiosissimorum Episcoporum amputare". Hos ille antecessores suos profitetur ibidem se velle imitari; adeoque trium capitulorum vigentem tunc controversiam non per seipsum, nec per seculares Judices, sed *per congregationem religiosissimorum Episcoporum* terminare. *Constantinus* item Augustus, cognomento *Pogonatus*, sub quo habita fuit Synodus sexta generalis, in Epistola ad Leonem Papam ejus nominis secundum, de gestis in eadem Synodo sub Pontificatu Agathonis: [z]. Non aliter, inquit, morbum Ec- ,, clesias Dei opprimentem curare in ani- ,, mum induximus, quàm ut Dei Sacerdotes ,, & cultores, talium malorum curatores, ,, ad deliberationem & consilia habenda hor- ,, taremur. Compluriès enim Ecclesia im- ,, pressionibus hæresum periculosè ægrota- ,, vit; at non aliter orthodoxiæ accepit me- ,, dicinam, quàm piorum & Christi aman- ,, tium Imperatorum adhortatione, Sacer- ,, dotum verò à Deo instinctorum consensionibus ac cœtibus". *Constantinus* item sextus, cognomento *Porphyrogenitus*, cum matre suâ *Irene*, in Epistola ad Patres Synodi septimæ generalis, ita eos alloquitur; [A]. Iam adestis ,, Dei voluntate per Præsides Provinciarum, ,, perque descriptas sæpiùs Synodicas litte- ,, ras missas à sanctissimo Patriarcha. Hæc est ,, enim à multis seculis Synodica lex per ,, universam Ecclesiam, quæ à seculis per ,, secula duravit Evangelicè instituta: cujus ,, hortatu atque jussu vos sanctos viros Sa- ,, cerdotes congregavimus, qui dispensatores ,, Testamenti illius per incruenta sacrificia ,, vocamini: quò rectè sentientium Syno- ,, dorum determinationibus judicium ve- ,, strum conformetur, omnisque splendor Spiritûs sancti reluceat". Sub idem penè tempus celebrata est in Occidente Synodus Francofordiensis adversùs hæresim in Hispania recèns ortam de adoptione Christi secundùm humanitatem: de qua sic loquitur *Carolus Magnus* qui eam procuraverat: [B]. Jus- ,, simus sanctorum Patrum Synodale ex ,, omnibus undique nostræ ditionis Ecclesijs ,, congregari Concilium, quatenùs sancta ,, omnium unanimitas firmiter decerneret, ,, quid credendum sit de adoptione carnis Christi". Non ergò ipse sibi authoritatem decernendi usurpavit, sed quid Episcoporum Synodaliter congregatorum *sancta unanimitas firmiter decerneret* expectavit. Post avulsum Occidentale Imperium ab Orientali in persona jam dicti Caroli Magni, celebrata est Constantinopoli Synodus octava generalis: in qua *Basilius Macedo* Orientis Imperator Orationem habuit, ubi inter alia ait: [C]. Laicis non est datum secundùm Cano- ,, nem, ut quidquam penitùs dicant de ,, Ecclesiasticis causis: opus enim hoc Pontificum & Sacerdotum est". Et rursùs ibidem post pauca:" De vobis laicis, inquit, tam qui ,, in dignitatibus, quàm qui simpliciter con- ,, versamini, quid ampliùs dicam non habeo, ,, quàm quòd nullo modo vobis liceat de Ec- ,, clesiasticis causis sermonem movere, neque ,, penitùs resistere integritati Ecclesiæ, aut ,, universali Synodo adversari. Hoc enim ,, investigare & quærere, Patriarcharum, ,, Pontificum, & Sacerdotum est; qui regi- ,, minis officium sortiti sunt, qui sanctifican- ,, di, qui ligandi & solvendi potestatem ha- ,, bent, qui Ecclesiasticas & cœlestes adepti ,, sunt claves: non nostrum, qui pasci de- ,, bemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à li- ,, gamento solvi egemus. Quantæcunque ,, enim religionis & sapientiæ laicus existat, ,, vel etiam si universâ virtute interiùs pol- ,, leat, quamdiu laicus est, ovis vocari non ,, desinet: rursùsque quantàcunque Episco- ,, pus sit irreverentiâ & irreligiositate ple- ,, nus, & nudus omni virtute, quamdiu ,, Antistes est, & veritatis verbum rectè ,, prædicaverit, pastoris notionem retine- ,, bit, & dignitatis damna non patietur.

Quæ

X. Martian. in Actis Synodi Chalcedon. p. 3. cap. 3.

Y. Iustinian. in Actis Synodi 5. generalis collatione 1.

Z. Constant. Pogon. Epist. ad Leonem 2. Papam, in Actis sextæ Synodi Act. 19.

A. Constan. 6. Epist. ad Synodum 7. generalem. in Act. ejusdem Synodi Act. 1.

B. Carolus Magnus in Ep. ad Episcopos Hispaniæ, in Actis Synodi Francofordiensis.

C. Basilius Imperator in Synod. 8. generali Act. 10.

„ Quæ ergò nobis ratio est, in ordine ovium „ constitutis, pastores subtilitate verborum „ discutiendi,& ea quæ super nos sunt quæ„ rendi & ambiendi? Oportet nos cum ti„ more & fide sincera hos audire. & à facie „ eorum veteri, cùm sint Ministri Domini „ Omnipotentis, & hujusmodi formam „ possideant: & nihil amplius quàm ea quæ sunt nostri ordinis requirere". Ubi planùm est, Imperatorem generaliter loqui de cujuscunque conditionis aut dignitatis laica, comprehenso etiam semetipso. Id enim evincunt vocabula illa, *Nobis, nos, nostrum* &c. Cæterùm plura in hanc rem congerere sive exempla sive testimonia, superfluum fuerit ac tædiosum. Certè enim cui prædicta non sufficerent, nimis durus & contentiosus fuerit.

CAPUT XXV.

Uberior præmissorum elucidatio ac persuasio. Ad Episcopos divinarum rerum interpretatio, ad sæculi Principes pertinet Religionis obsequium. Constantini Magni ad Proceres Ecclesiasticos sermo, Vos eorum quæ intra Ecclesiam gerenda sunt Episcopi estis, Ego extra eandem gerendorum Episcopatum gero. *Ejusdem Constantini, & subsequentium aliquot Imperatorum Edicta adversùs hæreticos ab Ecclesia prædamnatos. Priscilliani hæresiarchæ à Synodo Cæsaraugustana præjudicati supplicium Cæsareo gladio peractum. Graviùs dilaceratur plebs Catholica à pravis Doctoribus, quàm à cruentissimis hostibus. Hæreticorum vocabulo continentur, & latis adversùs eos legibus plectuntur, qui vel levi argumento à Catholicæ Religionis tramite deviant.*

XCII. Postquam Ecclesiastici Judices de crimine hæreseos plenè cognoverint, & sententiam declaratoriam judicialiter protulerint; potestas sæcularis tum demum se ingerit, & reum sibi traditum pro meritis plectit. Cùm Arcadius Imperator B. Joannem Chrysostomum præcipitatâ sententiâ in exilium misisset, Honorius ejus frater, & Occidentis tunc Imperator, indignissimè eam præcipitantiam tulit, deque ea per litteras cum Arcadio graviter expostulavit, inter alia scribens[D]. Quis in facinore tam cruento, Dei „ omnipotentis non timeret offensam? Aut „ quo pacto extra summum Romani orbis „ omniumque mortalium putaret esse discri„ men: cùm ipse Author nostri Imperij, & „ Reipublicæ, quam nobis credidit, guber„ nator, omnipotens Deus, funestis admo„ dum execrabilibusque commissis credatur „ irasci. Cùm & si quid de causa Religionis „ inter Antistites ageretur, Episcopale opor„ tuerit esse judicium; ad illos enim divina„ rum rerum interpretatio, ad nos Religio„ nis spectat obsequium. Sed esto, sibi de „ mysticis & Catholicis quæstionibus am„ plius aliquid principalis cura præsumpse„ rit: itane, usque ad exilia Sacerdotum, „ usq; ad hominum cædes debuit indignatio concitata procedere"? Hæc ille ad fratrem Arcadium: Sed an fortè ipse occasione datâ id observavit, cujus neglectum tantopere in altero redarguit? Observavit prorsùs, si quidem aliquanto pòst cùm suborta esset contentio de Romano Papatu inter *Bonifacium & Eulalium*, noluit Imperator sententiam in alterutrius favorem aut præjudicium præcipitare, sed negotium plenè & integrè Episcopali judicio relinquere. Patet hoc ex ipsius Epistola ad Romanum populum, quam recitat Baronius anno 419. n. 18. sic incipientèt „ Curam fidei maximam judicantes, nihil fe„ stinum aut immaturum credidimus profe„ rendum. Ea enim in causa Religionis de„ cerni censemus, quæ sine errore ac repre„ hensione sententiæ, ab omnibus comproben„ tur. Itaq; cùm in cognitione quam de Epi„ scopis, qui in urbe fuerant constituti, sub „ judicio Sacerdotum intentionis hæreret „ ambiguum, nec, nascentibus subinde cau„ sis, finis certantibus studijs posset imponi, ac „ diu de rebus varijs deliberatio nostra pen„ dêret: futuram cognitionem ad integrum „ Sacerdotum pleniore numero Concilium, „ omne negotium constituimus differen„ dum: ut causa ex omni parte librata, trans„ actis Paschæ diebus, terminum, quem æqui„ tas & Religio poscebat, acciperet". Porrò decisâ demum per Episcopos istâ concertatione in favorem Bonifacij, adversùs Eulalium,

[D] Honor. Epist. ad Arcadi. apud Baronium Anno Chri. sti 404. n. 82.

lium, Imperator absque mora illùm suscepit,
istum abjecit; non minùs festinus in exe-
quendo, quàm longanimis in expectando.
Simili quoq; modo se gessit in causa Pelagia-
norum, quæ ipso pariter imperante emersit:
nam nihil contra eos edixit, nisi demum post
Vide Prosp. lib. contra Collat. c. 41. Episcopale judicium. Postquàm verò beatæ
memoriæ Pontifex Innocentius nefandi er-
roris capita Apostolico mucrone percussisset,
& Pelagium ad proferendam in se suisque
sententiam Palæstinorum Episcoporum Sy-
nodus coarctasset, & Africanorum Conciliо-
rum Decretis beatæ recordationis Papa Zo-
simus sententię suæ robur annexuisset, atque
ad impiorum detruncationem gladio Petri
dexteras omnium Antistitum armasset san-
ctæ memoriæ Papa Bonifacius pijssimorum
Imperatorum Catholicâ devotione gaude-
bat, & contra inimicos gratię Dei non solùm
Apostolicis, sed etiam Regijs utebatur Edi-
ctis. Ad hæc Edicta alludit Augustinus cùm
E. Aug. lib. de Peccato Orig. c. 17. dicit, E. in tam nefandi erroris authores, &
„ Episcopalia Concilia, & Apostolicam Se-
„ dem, universamque Romanam Ecclesiam,
„ Romanumque Imperium, quod Deo pro-
„ pitio Christianum est, rectissimè fuisse
„ commotum, donec resipiscant de laqueis
diaboli". Exemplar Edicti Honoriani extat
apud Baronium Tomo 5. Annalium ad an-
num 418. n. 20. & seqq. Apud eundem
quoque Baronium ad annum 419. n. 57. ex-
tat Rescriptum ejusdem Honorij, ad Aure-
lium Episcopum Carthaginensem transmis-
sum, quo disertè profitetur se fuisse secutum
sententiam Ecclesiasticam adversùs eosdem
hæreticos latam, & quidem ab ipso Aurelio,
F. Prosp. lib. de Ingratis cap. 2. in Synodo nimirum Carthaginensi, F. *Cui
dux Aurelius, ingeniumq; Augustinus erat.* Rescri-
G. Honorij Rescriptum apud Baron. anno 419. n. 57. ptum porrò illud sic incipit: G. Dudum qui-
„ dem fuerat constitutum, ut Pelagius & Cæ-
„ lestius, nefandi dogmatis repertores, ab
„ urbe Roma, veluti quædam Catholicæ ve-
„ ritatis contagia, pellerentur. In quo secuta
„ est Clementia nostra judicium Sanctitatis
„ tuæ, quo constat eos ab universis justæ sen-
„ tentiæ examinatione esse damnatos. Sed
„ quia obstinati criminis pertinax malum, ut
„ constitutio geminaretur exegit, recenti
„ quoque Sanctione decrevimus, ut si quis
„ eós in quacunque Provinciarum parte la-
„ titare non nesciens, aut propellere aut pro-
„ dere distulisset, præscriptæ pœnæ velut
particeps subjaceret &c.

XCIII. Sed non fuit hic Imperatorum
primus aut postremus, qui Ecclesiæ in repri-
mendis aut opprimendis hæreticis ab eadem
ipsa Ecclesia prædamnatis, manum assistri-
H. Euf. l. 4. de Vit. Constantini. cem præstitit. De *Constantino* Magnó refert
Eusebius, quod H. cùm aliquando Episcopos
„ splendido excepisset convivio, sermonem
„ deprompserit, quasi & ipse Episcopus
„ esset, hisce eos verbis alloquens: *Vos qui-* Constantinus.
„ *dem eorum quæ intra Ecclesiam gerenda sunt,*
„ *Episcopi estis: Ego verò eorum quæ extra eandem
sunt, Episcopus à Deo constitutus sum*". Quibus
verbis indicavit sui esse officij superintendere
ut Decreta Episcoporum à suis subditis ob-
servarentur, refractarij compellerentur, ad-
versarij punirentur: " Considerabat enim, ut Eusebius.
„ ibidem subdit Eusebius, necessarium esse,
„ ut cuncti subditi piæ doctrinæ sese confor-
„ marent: admonebatque quantam vim ha-
„ beat piæ vitæ studiosa conversatio. Hinc
„ etiam, ut par erat, creberrimis legibus ac
„ constitutionibus interdicebat universis,
„ ne simulacbris sacrificarent, ne vaticinia
„ sciscitarentur, ne statuas erigerent, ne sa-
crificia occulta facerent". Extat præterea
apud eundem Eusebium, superiùs ibidem
lib. 3. prope finem, lex ejusdem *Constantini*
adversus quoscunque hæreticos condita, ubi
hæc inter alia leguntur ad ipsos dire-
cta: " Quoniam impossibile est, ut amplius
„ perniciei vestræ exitium feratur; per hanc
„ legem interdicimus, ne qui vestrûm post-
„ hàc congregari audeant. Quapropter cun-
„ ctas etiam domos, in quibus convenitis, è
„ medio tolli præcipimus, curâ hâc nostrâ
„ eousque progrediente, ut non modò non
„ in publico, sed nec in privatis ædibus, aut
„ locis quibusdam separatis, superstitiosæ
„ vestræ dementiæ cœtus concurrere liceat;
„ sed, quod multò est honestius, quotquot
„ veræ ac puræ Religioni studetis, ad Catho-
„ licam Ecclesiam accedatis, & sanctitati il-
„ lius communicetis, per quam & veritatem
„ consequi poteritis. Separetur autem omni-
„ nò à status nostri felicitate perversæ vestræ
„ sententiæ seductio, hoc est, scelesta & per-
„ niciosa hæreticorum & schismaticorum
„ sententia. Decet enim felicitatem nostram,
„ quâ cum Deo fruimur, ut qui bonâ spe
„ vivunt, ab omnigeno inordinato errore ad
„ rectam viam, à caligine ad lucem, à vani-
„ tate ad veritatem, à morte ad salutem du-
„ cantur. Ut autem ad hanc curam etiam
„ necessaria potentia accedat, præcipimus,
„ sicut dictum est, ut cuncti superstitionis
„ vestræ conventus, omnium, inquam,
„ hæreticorum oratoria, si tamen oratoria
„ nominare convenit, sine omni contradi-
„ ctione auferantur, & Catholicæ Ecclesiæ
„ absque ulla mora tradantur, & reliqua loca
„ rebus publicis adjudicentur: ita ut ab hoc
„ præsenti die nulla vobis deinceps conve-
„ niendi facultas protsùs relinquatur, nullo
„ loco sive publico, sive privato, infandi ve-
„ stri conventus congregari præsumantur".
Ne

PRAOCCUPATIO.

Ambrosius suprà.

l. Constantinus apud Ruffinum l. 1. Histor. Eccles. cap. 2.

Psalm. 81. 1.

k Idem in Epist. ad Synod. Arelaten tomo 1. Concilior. Galliæ pag. 1.

L. Euseb. l. 4. de Vita Constantini

Ne autem quis suspicetur *Constantinum* hâc suâ lege prævenisse judicium Ecclesiæ, recolat ea quæ §. 91. ex Ambrosio memoravimus, qui de ipso loquens ait inter alia: *Nullas leges antè præmisit, sed liberum dedit judicium Sacerdotibus*. Notanda quoque sunt ipsius verba ad Patres Synodi Nicenæ, quorum aliqui libellos supplices ei porrexerunt, quibus de coëpiscopis suis querelas exponebant: l. *Deus*, ait ipse, *constituit vos Sacerdotes & potestatem vobis dedit de Nobis quoque judicandi: & ideo Nos à vobis rectè judicamur, vos autem non potestis ab hominibus judicari. Quapropter Dei solius inter vos expectate judicium, & vestra jurgia, quæcunque sunt, ad illud divinum reserventur examen. Vos etenim nobis, à Deo dati estis Dii, & conveniens non est ut homo judicet Deos, sed ille solus de quo scriptum est: Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos discernit.* Cùm ad ipsum provocassent Donatistæ, in Ecclesiastico judicio prædamnati, indignabundus exclamavit: k. *O rabida furoris audacia: sicut in causis Gentium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Et mox iterum: *Quid hi detractores Legis, qui renuentes cæleste judicium, meum putaverunt postulandum, sic sentire de Christo Salvatore? Ecce jam proditores! Ecce sine ulla actiori disquisitione, ipsi per semet prodiderunt facinora sua.* De eodem quoque Imperatore loquens Eusebius: L. Episcoporum definitiones, inquit, in Sy-„nodis promulgatas, confirmavit: ut licitum „non sit Gentium Præsidibus infringere, „quæ ab eis fuerint decreta: esse enim Dei Sacerdotes quovis Judice probatiores".

Vide Aug. Epist. 166.

M. Hieron. Epistolâ ad Ctesiphontem cap. 1.

N. Leo Ep. 93. ad Turribium sub initium.

XCIV. Varia sequentium Imperatorum adversùs hereticos ab Ecclesia prædamnatos Edicta, corpori Juris Cæsarei sparsim inserta habentur, signanter in Cod. Justinianæo lib. 1. Tit. 5. ubi & illud notanter advertendum, à *Theodosio & Valentiniano* decerni pœnam capitis in Manicheos hæreticos, l. 5. ibid. Rursùs l. 8. per Edictum *Valentiniani & Martiani* decernitur ut nemo sub pœna deportationis audeat hæreticorum libros servare; aut disputantes de hæresi, sub pœna decem librarum auri, audire: ac tum subditur, *ultimo etiam supplicio coerceantur, qui illicita docere tentaverint.* Ante istos quoque *Maximus* occupato Imperio *Priscillianum* hæresiarcham, à Synodo Cæsaraugustana propter hæresim prædamnatum, capite plecti, cum compluribus complicibus suis curavit: M. Quid loquar de Pri-„scilliano, inquit Hieronymus, qui & sæculi „gladio, & totius orbis authoritate damnatus est"? Et Leo Papa de ipsa Priscillianica hæresi differens: N. Meritò, inquit, Pa-„tres nostri, sub quorum temporibus hære-„sis hæc nefanda prorupit, per totum Mun-„dum instanter egerunt, ut impius furor „ab universa Ecclesia pelleretur: quando „etiam Mundi Principes ita hanc sacrile-„gam amentiam detestati sunt, ut authorem „ejus, ac plerosque discipulos, legum publicarum ense prosternerent". Hujus prostrationis meminit etiam Orosius in Epistola ad Augustinum, quæ extat præfixa libro ejusdem Augustini, *contra Priscillianistas & Origenistas* inscripto: ubi ait ipsi, O. Per te Domi-„nus Deus noster quos castigavit in gladio, emendet in verbo". Priscillianistas nimirum, qui nec morte quidem hæresiarchæ sui deterriti quieverunt. Addit porrò Orosius ibidem ex communi Hispanorum suorum persona: " Dilacerati graviùs sumus à pravis „Doctoribus, quàm à cruentissimis hostibus". Ideò utique quia hi non nisi corpora peremerunt, aut externas opes abstulerunt: illi verò pravam doctrinam instillando ipsas animas interfecerunt, & fidem subvertendo totam spiritalium opum molem ei superstructam dissipaverunt. Quę profectò ratio prorsùs evincit, supplicio digniores esse hęreticos, quàm fures aut publicos latrones. *Gratianus* tamen Imperator ab eorum sanguine temperandum sibi duxit, ita tamen ut Edictum condiderit, P. quo, prout Sulpitius memorat, *universi heretici excedere non Ecclesiis tantùm & urbibus, sed extra omnes terras propelli jubebantur.* Hujus prædecessor & Patruus, *Valens* Imperator, Arianâ hæresi infectus, Ecclesias passim hæreticis tradiderat, exclusis & proscriptis orthodoxis hierarchis. Verùm *Gratianus* ei, miserabiliter in pœnam perfidię extincto, surrogatus, Q. Regni sui primitias, ut „Theodoretus ait, Regi omnium Christo „obtulit; lege latâ, quâ jubebat tum ejectos „in exilium Pastores redire, gregibusque suis „restitui, tum sacras ædes eis tradi qui Da-„masi cõmunionem amplecterentur. Dama-„sus hic Romanus erat Episcopus, & lauda-„bili vitâ conspicuus, & omnia pro Apo-„stolicis dogmatibus dicere ac facere paratus". Lex prima totius Codicis, authoritate hujus *Gratiani*, necnon *Valentiniani* ac *Theodosii*, edita, sic incipit: " Cunctos populos, quos „Clementiæ nostræ regit Imperium, in tali „volumus Religione versari, quam Divum „Petrum Apostolum tradidisse Romanis, „Religio usque adhuc ab ipso insinuata „declarat: quamque Pontificem Damasum sequi claret". Sequitur quoque inferiùs ibidem: " Hanc legem sequentes, *Christiano-„rum Catholicorum* nomen jubemus amplecti; „reliquos verò dementes vesanosque judi-„cantes, hæretici dogmatis infamiam sustine-„re: divinâ primùm vindictâ, pòst etiam „motûs animi nostri, quem ex cælesti ar-„bitrio sumpserimus, ultione plectendos".

O. Orosius Epist. ad Augustinum.

Vide c. vergentis 10 de Hæreticis.

P. Sulpit. Severus l. 2. Sacræ Hist.

Q. Theodoret l. 5. Hist. Eccles. c. 2. Vid Sozom. lib. 7. c. 4. & Niceph. lib. 12. cap. 4.

Ubi

Ubi duæ hæreticis pœnæ intentantur, una infamiæ, altera arbitrariæ ultionis, præter impendentem cælitùs vindictam. Cæterùm quia hæretici passim affectant nomen *Christianorum Catholicorum*, & præsumunt intrare vel etiam occupare Ecclesias, subditur adhuc inferiùs ibidem:" Desinant affectatis dolis alienum „ veræ Religionis nomen assumere, & suis „ apertis criminibus denotentur; atque ab „ omni submoti Ecclesiarum limine, penitùs „ arceantur; cùm omnes hæreticos illicitas „ agere inter oppida congregationes vete„ mus. At si quid eruptio factiosa tentaverit, „ ab ipsis etiam urbium mœnibus exterminato furore propelli jubemus". Denique ne hæretici prætexere possint impunitatem propter materiæ levitatem, conditum est ab ijsdem Imperatoribus aliud Edictum, quod refertur ibidem inferiùs titulo 5. lege 2. §. 1. sic sonans: *Hæreticorum* autem vocabulo con„ tinentur, & latis adversùs eos sanctionibus „ succumbere debent, qui vel levi argumen„ to à judicio Catholicæ Religionis, & tramite, detecti fuerint deviare".

CAPVT XXVI.

Ioannis Huszij de impunibilitate hæreticorum erroneus Articulus, in Constantiensi Synodo ritè damnatus. Ejusdem insulsa comparatio Ecclesiasticorum Iudicum tradentium hæreticos sæculari brachio, cum Iudaicis Pontificibus, Scribis, & Pharisæis, tradentibus Christum Cæsareano Iudici Pilato. Vti ineptè assimilatur hæreticus Christo, ita & traditores hæreticorum traditoribus Christi. Traditiones Christi variæ factæ à varijs, nempè ab ipso Christo, à Patre, à Iuda, à Iudæis. Persequuntur boni malos; mali bonos, atque etiam malos. Non possunt habere Martyrum gloriam, qui Christianam non duxerint vitam; cùm Martyres non faciat pœna, sed causa. Quos similitudo facti conjungit, dissimilitudo causæ discernit. Complura ejus rei exempla congeruntur.

XCV. PAtet igitur ex dictis cap. 22. & tribus sequentibus, meritò damnatum fuisse in Synodo Constantiensi hunc Articulum Ioannis Huszij: R. *Doctores ponentes quòd aliquis per censuram Ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, sæculari judicio est tradendus: pro certo in hoc sequuntur Pontifices, Scribas, & Pharisæos, qui Christum non volentem eis obedire in omnibus, sæculari judicio tradiderunt, dicentes: Nobis non licet interficere quenquam: & tales sunt homicidæ graviores quàm Pilatus.* Cùm enim hæretici in sua perfidia obstinati promereantur pœnas non solùm spiritales, sed etiam corporales, etiam extremum supplicium, cujus executio non satis congruit lenitati Clericali; convenienter profectò eorum plexio committitur Potestati sæculari, quæ *non sine causa gladium portat: Dei enim ministra est, vindex in iram ei qui malum agit.* Porrò quia Christus nihil mali egit, perperàm & à Iudæorum Pontificibus traditus fuit Potestati sæculari plectendus, & ab ipsa Potestate sæculari plexus; quia verò hæretici pessimum agunt, & Ecclesiam Christianorum matrem parricidaliter vexant, atque etiam politicum statum perturbant; rectissimè non solùm spiritali Ecclesiæ gladio feriuntur, sed & sæculari Potestati corporaliter plectendi traduntur. Sicut ergò non nisi impijssimè & insulsissimè quis assimilet hæreticos Christo quoad innocentiam, ita non nisi perfidissimè & petulantissimè quis assimilet vel traditores hæreticorum traditoribus Christi, vel plexores hæreticorum plexoribus Christi. Quòd si propterrà Huszitica illa comparatio subsistit, quia in utroque ejus extremo quædam traditio intervenit; certè pari æquitate, vel potiùs futilitate, quis dixerit, Paulum Apostolum secutum fuisse Iudæorum Pontifices & Pharisæos: quia nimirum & Hi *tradiderant Christum Pilato*, & ipse Ioan. 18. 35.
Tradidit Corinthium incestuosum diabolo. Atque 1. Cor. 5. 5.
ut luculentiùs appareat ineptia Huszij, describam hic Augustini discursum super ipsa una traditione Christi: S. Ecce, ait ille, Christum „ tradidit Pater, tradidit Judas. Nunquid „ non quasi simile factum videtur? Tradi„ tor est Iudas: ergò traditor est & Deus „ Pater? Absit, inquis: non dico. Sed Apo„ stolus dicit: *Qui filio proprio non pepercit, sed* Rom. 8. 32.
„ *pro nobis omnibus tradidit eum.* Et Pater eum „ tradidit, & ipse se tradidit: ait enim Apostolus,

R. Huszij articulus 14 in Syn. Constant. Sess. 45. damnatus.

Ioan. 18. 31.

Rom. 13. 4.

S. Aug. Tr. 7. in Epist. 1. Ioan. Vide eund. in Psalm. 93. ad v. 23.

Gal. 2. 20. ,, Apostolus, *Qui me dilexit, & tradidit seipsum*
,, *pro me*. Si Pater tradidit Filium, & tradidit
,, seipsum Filius, Judas quid fecit? facta est
,, traditio à Patre, facta est traditio à Filio, fa-
,, cta est traditio à Iuda. Una res facta est: Sed
,, quæ res discernit Patrem tradentem Filium,
,, Filium seipsum tradentem, & Iudam disci-
,, pulum tradentem Magistrum suum? Quia
,, hoc fecit Pater & Filius in charitate, fecit
,, autem hoc Iudas in proditione. Videtis quia
,, non quid faciat homo considerandum est,
,, sed quo animo & quâ voluntate faciat. In
,, eodem facto invenimus Deum Patrem, in
,, quo invenimus Iudam: Patrem benedici-
,, mus, Iudam detestamur. Quare Patrem be-
,, nedicimus, Iudam detestamur? Benedici-
mus charitatem, detestamur iniquitatem".

XCVI. Sed transeamus à traditione, ad persecutionem: & videamus, utrùm Ecclesia persequendo hæreticos, dicenda sit imitari vel Iudæos persequentes Christum, vel tyrannos persequentes Martyres Christi? Si sic: quid superest, nisi ut similiter hæretici persecutionem patiendo dicantur imitari Christum, vel Martyres Christi? Si autem hæretici, cur non & fures? Cur non & latrones? Cur non venefici? Cur non & idolorum cultores? Cur non homicidæ? Cur non & monetarum falsatores? Cur non Majestatis rei? Cur non patriæ proditores? An eousque insaniendum est, ut hi omnes dicantur imitari Christum, vel sequi Christum; imitari Martyres Christi, vel sequi Martyres Christi: quia idem patiuntur quod passus fuerat Christus, aut Martyres Christi? Si sequuntur Christum, habent ergò lumen vitæ cum Christo, & cum Martyribus sequacibus Christi: scriptum
Joan. 8. 12. quippè est dixisse aliquando Christum, *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*. Ubi, nisi cum ipso Christo? Alibi
Joan. 12. 26. quippè ipse ait; *Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi ego sum, illic & minister meus erit*. Vides quia præmium repromittitur sequenti,
Vide Aug. Tract. 51. in Ioan. non sine sequela ministranti. Ministravit etiam Iudas Christo, sed non ideircò habebit lumen vitæ cum Christo; quia non piè secutus, sed impiè persecutus est Christum. Sed nunquid quia Iudas impiè persecutus est Christum, idcircò omnis qui persecutionem alteri infert sequitur Iudam, aut cui infertur sequitur Christum? Absit. Est enim persecutio pia, est & impia: nam & pij piè persequuntur impios, & impij impiè persequuntur pios:
T. August. Epist. 50. ᵀ *Agar*, inquit Augustinus, passa est persecu-
,, tionem à *Sara*: & illa erat sancta quæ facie-
,, bat, illa iniqua quæ patiebatur. Nunquid
,, huic persecutioni, quam passa est *Agar*, com-
,, parandus est sanctus *David*, quem persecu-
,, tus est iniquus *Saul*? Valde utique distat, non
,, quia patiebatur, sed quia propter justitiam
,, patiebatur. Et ipse Dominus *cum latronibus* Mat. 27. 38.
,, *crucifixus est*: sed quos passio jungebat, cau-
,, sa separabat. Ideò in Psalmo vox illa intel-
,, ligenda est verorum Martyrum, volentium
,, se discerni à Martyribus falsis: *Iudica me* Ps. 42. 1.
,, *Deus, & discerne causam meam de Gente non san-*
,, *cta*. Non dixit, discerne pœnam meam: sed,
,, *discerne causam meam*: potest enim esse im-
,, piorum similis pœna, sed dissimilis est Mar-
,, tyrum causa: quorum & illa vox est, *Injustè* Ps. 118. 86.
,, *persecuti sunt me, adjuva me*. Ideò se dignum
,, existimavit qui adjuvaretur justè, quia illi
persequebantur injustè".

XCVII. Sed error ille Huszij multò antiquior est Huszio, & ideò tantò rectius damnatus est in Huszio, quantò solidiùs expugnatus in præcursoribus Huszij; quibus Augu-
V. August. Epist. 166. stinus ait: ᵛ. Quæ est ista dementia, ut cùm
,, malè viviris, latronum facta faciatis: & cùm
,, jure punimini, gloriam Martyrum requira-
tis"? Et superiùs Epist. 61. " Iam, inquit,
,, nesciò quoties disputando & scribendo
,, monstravimus, non posse eos habere Mar-
,, tyrum mortem, qui Christianorum non
,, habent vitam: cùm Martyrem non faciat pœna, sed causa". Quod ipsum fusiùs quoque prosecutus fuerat idem Augustinus adhuc superiùs, Epist. 48. ubi inter alia ait:
,, Cùm boni & mali eadem faciunt, eadem-
,, que patiuntur; non factis & pœnis, sed
,, causis utique discernendi sunt. *Pharao* po- Exo. 5. 9.
,, pulum Dei duris laboribus atterebat; *Moyses* Exo. 32. 27.
,, eundem populum impiè agentem duris
,, coërcitionibus affligebat: similia fecerunt,
,, sed non similiter prodesse voluerunt; ille
,, dominatione inflatus, iste dilectione in-
,, flammatus. *Iezabel* occidit Prophetas, *Elias* 3. Reg. 18. 4.
,, occidit Pseudoprophetas: puto quod di- Ibid. v. 40.
,, versa sint merita facientium, & diversa
,, passorum. Aspice etiam tempora Novi
,, Testamenti, quando jam ipsa mansuetu-
,, do charitatis non solùm in corde erat ser-
,, vanda, verùm etiam in luce monstranda;
,, quando *Petri gladius in vaginam revocatur à* Ioan. 18. 11.
,, *Christo*, & ostenditur non debuisse de vagi-
,, na eximi nec pro Christo. Legimus tamen
,, non solùm quòd *ceciderunt Iudæi Paulum* 2. Cor. 11. 24.
,, *Apostolum*, verùm etiam quod Græci *Sosthe-* Act. 18. 17.
,, *nem Iudæum ceciderunt* pro Paulo Apostolo:
,, nonne similitudo facti quasi utrosque con-
,, jungit, & tamen eos causæ dissimilitudo
,, discernit? Nempè *Deus proprio Filio suo non* Rom. 8. 32.
,, *pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*:
,, nempè de Filio ipso dicitur, *Qui me dilexit,* Gal. 2. 20.
,, *& tradidit semetipsum pro me*: nempè & de
,, Iuda dicitur, quòd *introierit in eum Satanas* Ioan. 13. 2.
,, *ut traderet Christum*. Cùm ergò & Pater tra-
,, diderit Filium suum, & ipse Christus cor-
,, pus suum, & Iudas Dominum suum; cur in
,, hac traditione Deus est pius, & homo reus,

R nisi

nisi quia in re una quam fecerunt, causa non una est ob quam fecerunt? Tres cruces in loco uno erant, in una latro liberandus, in alia latro damnandus; in media Christus, alterum liberaturus, alterum damnaturus. Quid similius istis crucibus? Quid dissimilius istis pendentibus? *Act. 16. 23.* *Traditus est Paulus includendus & colligandus.* Sed quolibet custode carceris pejor est utique Satanas, cui tamen ipse Paulus *1. Cor. 5. 5.* *tradidit hominem in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini* IESV. Et hic quid dicimus? Ecce mitiori tradidit crudelis traditor, crudeliori tradidit misericors traditor. Discamus igitur in similitudine operum discernere animos operantium; nec clausis oculis calumniemur, & benevolos pro nocentibus accensemus: Item *1. Tim. 1. 20.* cùm ait Apostolus *tradidisse se quosdã Satanæ, ut discerent non blasphemare*, malum pro malo reddidit, an potiùs malos per malum emendare, bonum opus esse judicavit? Si semper esset laudabile persecutionem pati, sufficeret *Mat. 5. 10.* Domino dicere, *Beati qui persecutionem patiuntur*; nec adderet, *propter justitiam.* Item si semper esset culpabile persecutionem facere, non scriptum esset in sanctis libris, *Detrahentem proximo suo occultè, hunc persequebar.* *Psal. 100. 5* Aliquando ergò & qui eam patitur, injustus est; & qui eam facit, justus est. Sed planè semper & mali persecuti sunt bonos, & boni persecuti sunt malos: illi nocendo per injustitiam, illi consulendo per disciplinam: illi immaniter, illi temperanter: illi servientes cupiditati, illi charitati. Nam qui trucidat, non considerat quemadmodùm laniet: qui autem curat, considerat quemadmodùm secet. Ille enim persequitur sanitatem, ille putredinem. Occiderunt impij Prophetas, occiderunt & impios Prophetæ: flagellaverunt Judæi Christum, Judæos flagellavit & Christus: traditi sunt Apostoli ab hominibus Potestati humanæ, tradiderunt & Apostoli homines Potestati Satanæ. In his omnibus quid attenditur, nisi quis eorum pro veritate, quis pro iniquitate; quis nocendi causâ, quis emendandi"?

CAPVT XXVII.

Vlterior prosecutio ac refutatio præcedentis comparationis ab Husæo institutæ. In Iudæorum facinore duo spectanda occurrunt: primum, quòd non per seipsos Christum occiderint; alterum, quòd Pilato occidendum tradiderint. In priori nequaquam peccarunt, in posteriori enormiter & multiformiter sese inquinarunt, ipsumque Iudicem impietate iniquitateque superarunt. In priori figuraverunt Ecclesiam, ab effusione sanguinis temperantem; in posteriori non item, quia cùm illi tradidissent innocentem, hæc solos tradit nocentes. Multò nocentiores sunt fidei corruptores, quàm monetæ falsatores: ac per hoc si morte digni sunt isti, quanto magis illi? Possitne sæcularis Magistratus hæretico per Ecclesiam prædamnato ac sibi tradito parcere, aut pœnam mitigare?

XCVIII. SEd quia Husæus videtur similitudinem à se institutam fundare in eo, quòd Ecclesia non per se ipsam hæreticos perimat, sed sæculari Potestati perimendos tradat; quemadmodùm Iudæorum Pontifices cum Scribis & Pharisæis non per se ipsos Christum Crucifixerunt, sed Cæsareanis ministris crucifigendum tradiderunt: idcircò de eadem similitudine sic consideratâ ac fundatâ videndum est. Porrò in facto isto Iudæorum duo quædam intervenerunt, unum velut negativum, & alterum positivum: negativum in hoc consistit, quòd non per seipsos occiderint Christum; positivum in hoc, quòd Potestati sæculari tradiderint occidendum. De hoc secundo jam diximus superiori capite: de primo autem nunc dicimus, Iudæos nequaquam in eo esse culpandos quod non occiderint per seipsos Christum, imò verò culpandos fuisse si occidissent: non solùm quia innocentem peremissent, sed prætereà quia jus gladij sibi pridem per Romanos ademptum usurpassent. Neque enim falsum finxerunt, sed quod res erat dixerunt, quando Præsidi responderunt: *Nobis non licet interficere quenquam.* *Ioan. 18. 31.* Si ergò in hoc negativo substitissent, nec alterũ admiscuissent, immunes à culpa mansissent; sed quia innocentẽ apprehenderunt, falsis testimonijs oneraverunt, Iudici criminali damnandum tradiderunt, & damnationis sententiam ab eodem Iudice violentis precibus ac minis extorserunt; idcircò immane scelus omni execratione dignum commiserunt, ipsumque Iudicem

cem nequitiâ ac sævitiâ transcenderunt: W. Non dicant Judæi, inquit Augustinus, Non occidimus Christum: etenim propterea eum dederunt Judici Pilato, ut quasi ipsi à morte ejus viderentur immunes. Nam cùm dixisset eis Pilatus, *Vos eum occidite*, responderunt: *Nobis non licet interficere quemquam.* Iniquitatem facinoris sui in Judicem hominem refundere volebant: sed nunquid Deum Judicem fallebant? Quod fecit Pilatus, in eo ipso quod fecit aliquantùm particeps fuit, sed in comparatione illorum multò ipse innocentior. Institit enim quantum potuit, ut illum ex eorum manibus liberaret: nam propterea flagellatum produxit ad eos. Non persequendo Dominum flagellavit, sed eorum furori satisfacere volens: ut vel sic jam mitescerent, & desinerent velle occidere, cùm flagellatum viderent. Fecit & hoc: at ubi perseveraverunt, nostis illum lavisse manus, & dixisse, quòd ipse non fecisset, mundum se esse à morte illius. Fecit tamen: sed si reus quia fecit vel invitus, illi innocentes qui coëgerunt ut faceret? nullo modo. Sed ille dixit in eum sententiam, & jussit eum crucifigi: & quasi ipse occidit. Et vos, ô Judæi, occidistis. Unde occidistis? Gladio linguæ: *Acuistis enim linguas vestras.* Et quando percussistis, nisi quando clamastis, *Crucifige, crucifige*"? Utrique igitur occiderunt, & occidendo peccaverunt: verumtamen, ut Papa scribit Leo, X. Excessit Pilati culpam facinus Judæorum, qui illum *nomine Cæsaris territum*, & invidiosis vocibus increpatum, ad effectum sui sceleris impulerunt: sed nec ipse evasit reatum, qui cooperatus seditiosis reliquit judicium proprium, & in crimen transivit alienum". Et rursùs ibidem post pauca de ijsdem: " Obtinuerunt iniqui, inquit, in damnationem suam, quod pertinaciter exigebant: *quorum dentes*, sicut Propheta attestatus est, *arma erant & sagitta, & lingua eorum gladius acutus.* Frustrà enim à crucifigendo Majestatis Domino manus proprias continebant, in quem læthalia vocum spicula & venenata verborum tela jaciebant. Vobis, vobis, falsi Judæi, & sacrilegi Principes populi, totum facinoris istius pondus incumbit: & licet immanitas sceleris & Præsidem obligarit, & milites, omnis tamen facti summa vos arguit; & quicquid in supplicio Christi, vel Pilati peccavit judicium, vel cohortis obsequium, hoc vos facit humani generis odio digniores; quia vestri furoris impulsu nec illis innocentes esse licuit, quibus iniquitas vestra non placuit".

W. Aug. in Psalm. 63.
Vide Basil. Reguli 46. inter Brev.
Ioan. 19. 8.
Psal. 139. 4.
Ioan. 19. 6.
X. Leo Ser. 8. de Passione.
Ibid. v. 12. & 13.
Psalm. 56. 5.

XCIX. Illud præterea iniquitatem istam Judæorum aggravavit, quòd cùm Præses opinioni eorum permisisset ut è duobus vinctis alterutrumlibet à supplicio liberarent, *Barabbam* latronem innocenti Christo prætulerint. Unde & idem Papa Leo alibi in eos detonans: Y. Inivistis, inquit, insanum ac truculentum consilium, tauri pingues, vituli multi, frementes bestiæ, canes rabidi, ut mortiauthorem vitæ & Dominum gloriæ traderetis: & tanquam extenuanda esset furoris vestri immanitas, si ejus sententiâ qui Provinciæ præsidebat uteremini, vinctum Iesvm ad Pilati judicium deduxistis: ut clamoribus improbis trepido cognitore superato, interfectorem hominum eligeretis ad veniam, & Salvatorem Mundi peteretis ad pœnam". Quod si solùm *Barabbam*, homicidij ac latrocinij convictum, Potestati sæculari perimendum tradidissent, nemo eos ob id justè reprehendisset. Ac per hoc nemo Ecclesiam justè reprehenderit, tradentem Potestati sæculari hæreticos, qui fidelium animabus spiritualiter enecandis invigilant, & latronibus corporum truculentiùs sæviunt, prout §. 83. indicavimus: Z. Circa hæreticos, inquit Thomas, duo sunt consideranda: unum quidem ex parte ipsorum, aliud verò ex parte Ecclesiæ. Ex parte quidem ipsorum est peccatum, per quod meruerunt non solùm ab Ecclesia per excommunicationem separari, sed etiam per mortem à Mundo excludi. Multò enim graviùs est corrumpere fidem, per quam est animæ vita; quàm falsare pecuniam, per quam temporali vitæ subvenitur. Unde si falsarij pecuniæ, vel alij malefactores, statim per sæculares Principes justè morti traduntur; multò magis hæretici statim, ex quo de hæresi convincuntur, possunt non solùm excommunicari, sed & justè occidi. Ex parte autem Ecclesiæ est misericordia ad errantium conversionem: & ideò non statim condemnat, sed *post primam & secundam correptionem*, ut Apostolus docet: postmodùm verò si quis adhuc pertinax inveniatur, Ecclesia de ejus conversione non sperans, aliorum saluti providet, eumque ab Ecclesia separando per excommunicationis sententiam ulteriùs relinquit judicio sæculari, à Mundo exterminandum per mortem".

Y. Leo Ser. 8. de Passione cap. 2.
Z. D. Thom. 2. 2. q. 11. a. 3. in corp.
Tit. 3. 10.

C. Quæri autem potest, an Potestas sæcularis possit hæretico sibi ab Ecclesia tradito pœnam mortis in totum condonare, vel saltem in aliam mitiorem commutare? Affirmat Bannez in 2. 2. q. 11. art. 3. & 4. concl. 2. ita scribens: " Advertendum est, pœnâ mortis directè puniri hæreticos à Principibus sæcularibus: quoniam Ecclesia non judicat in causa sanguinis, sed Inquisitores hæreticæ pravitatis solùm relinquunt hæreticos brachio sæculari, declarantes esse verè

Bannez.

 hæreticos;

„ hæreticos: ut patet ex cap. *Ad abolendam*, „ de Hæreticis; & cap. *super eo*, eodem tit. in „ 6. Ex quo sequitur, quòd Rex secularis „ possit condonare aliquando pœnam capitis, & hæreticos punire alio modo". Negat ex adverso Tannerus in 2. 2. Disp. 1. Quæst. 8. Dub. 6. n. 128. allegans pro se caput, *Excommunicamus*, de Hæreticis, §. *Damnati*, & §. *Moneantur*, in quorum priori sancitur, ut hæretici præsentibus secularibus Potestatibus aut earum Ballivis damnati, iisdem *relinquantur, animadversione debitâ puniendi*: in posteriori item, ut seculares Potestates pro defensione fidei præstent publicè juramentum, *quòd de terris suæ jurisdictioni subjectis universos hæreticos ab Ecclesia denotatos, bona fide, pro viribus exterminare studebunt*. Sed profectò posterior hic paragraphus parùm juvat allegantem: nam seculares Potestates isti suo juramento satisfecerint, si hæreticos, aut deprehensos, aut sibi traditos, extra ditionum suarum terminos propellant: hoc quippe faciendo, ipsos *exterminant*. Prior quoque paragraphus interpretationem recipere videtur ex capite, *Ad abolendam*, mox citato, ubi decernitur, ut *quicunque manifestè fuerit in hæresi deprehensus, si Clericus est vel cujuslibet Religionis obumbratione fucatus, totius Ecclesiastici Ordinis prærogativâ nudetur, & sic omni officio & beneficio Ecclesiastico spoliatus, secularis relinquatur arbitrio Potestatis, animadversione debita puniendus*. Sequitur quoque mox ibidem de Laico similiter deprehenso: *Secularis Iudicis arbitrio relinquatur, debitam recepturus pro qualitate facinoris ultionem*. Ubi signanter attendenda est illa clausula utrobique ingesta, *relinquatur arbitrio*; quæ exequendi libertatem sonare potiùs videtur, quàm necessitatem. Quapropter subintelligendo eandem clausulam in verbis ex § *Damnati* objectis, nihil ea obsunt sententiæ priori ex Bannezio relatæ. Sed quid si hæretici fuerint relapsi? Sanè non distinguit Bannezius: adeóque videtur etiam relapsorum interfectionem relinquere Potestatis secularis arbitrio: præsertim cùm alleget caput, *Super eo*, de Hæreticis in 6. Ubi de relapsis disertè tractatur, & *seculari decernuntur judicio, sine ulla penitùs audientia relinquendi*: audientiâ nimirum à judice Ecclesiastico præstandâ, quâ disceptetur utrùm Potestati seculari tradi debeant. Tradendi igitur sunt brachio seculari, ubi constiterit de relapsu, idque sine ulla nova audientia per Ecclesiam eis præstanda: sed utrùm Potestas secularis eos morte afficiat, an aliâ ultione plectat, prædicti canones judicio vel arbitrio ipsius relinquunt, prout censet Bannezius: cui tamen obstare videtur caput, *Vt inquisitionis*, de Hæreticis in 6. ubi decernitur, ut seculares Potestates de hæresi condemnatos *sibi relictos statim recipiant, indilatè animadversione debitâ puniendos*. Sicut ergò tenentur *statim recipere*, ita pariter tenentur *animadversione debitâ indilatè punire*. Unde & ibidem subsequenter prohibentur districtè secularibus Potestatibus, eorundemque Officialibus, ne executionem sibi hac in re à judice Ecclesiastico injunctam *promptè, prout ad suum officium spectat, facere seu adimplere detrectent*. Quod superiùs dixerat *statim*, & *indilatè*, hoc ipsum nunc repetit voce, *promptè*. Quapropter cùm ex hactenùs per multa capita deductis pareat, *animadversionem* hæreticis in sua perfidia obstinatis *debitam*, esse mortis supplicium; consequenter elucet, seculares Potestates teneri *statim recipere* à judice Ecclesiastico hæreticos pro sua perfidia condemnatos, eisdemque *indilatè* ac *promptè* pœnam istam infligere. Quâ de re videri potest Castropalaus tomo 1. Tractatu 4. Disput. 8. Puncto 14. cum aliis quos ibidem citat.

Tannerus.

Vide suprà §. 17.

Castropalaus.

CAPUT

CAPVT XXVIII.

Frustrà recentiores Sectarij, post veteres Donatistas, obtendunt exemplum Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ Catholicorum, qui nusquam leguntur adversùs hæreticos implorasse brachium aut gladium Regum vel Imperatorum. Reges cùm in errore sunt, leges pro errore contra veritatem ferunt; cùm item in veritate sunt, pro ipsa contra errores decernunt. Ad Reges Christianos pertinet, ut temporibus suis pacatam velint Ecclesiam matrem suam, unde spiritaliter prognati sunt. Augustinus provectior & expertior retractavit, quæ pro hæreticorum ac schismaticorum impunitate pridem conscripserat. Post factum hæreticis competens judicium, ubicunque apparuerint, conterendi sunt velut lupi. Rex Nabuchodonosor perversus legem sævam dedit, ut simulachrum adoraretur; idem correctus severam, ne Deus verus blasphemaretur.

[CI. OBIECTIO.] Contra hanc doctrinam Apostolicis Regijsque Edictis comprobatam, ac diuturno Ecclesiæ usu corroboratam, obtendunt Sectarij exemplum Apostolorum, qui nusquam adversùs hæreticos, suo ævo grassantes & crebrescentes, auxilium Potestatis sæcularis implorasse, aut quempiam fidei desertorem gladio corporali obtruncandum tradidisse leguntur. [ELIDITVR.] Sed nihil novi dicunt, qui hoc clypeo impunitatem sibi modò arrogant. Iam enim ante tredecim sæcula idem impunitatis velamen obtenderant Donatistæ: quibus respondendo Augustinus, non solùm ipsos, sed & nostros istos exarmavit, & exarmando debellavit: [A. August. Epist. 50.] A. Quod enim dicunt, ait „ille de Donatistis, qui contra suas impietates „constitui leges justas nolunt, *non petijsse à „Regibus terræ Apostolos talia*: non considerant, „aliud fuisse tunc tempus, & omnia suis „temporibus agi. Quis enim tunc in Chri„stum crediderat Imperator, qui ei pro pie„tate contra impietatem leges ferendo servi„ret, quando adhuc illud Propheticum com„plebatur, [Psal. 2. 1. & 2.] *Quare fremuerunt Gentes, & populi „meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & „Principes convenerunt in unum, adversùs Domi„num, & adversùs Christum eius*: nondum au„tem agebatur, quod paulò pòst in eodem „Psalmo dicitur: [Ibid. v. 10. & 11.] *Et nunc Reges intelligite, eru„dimini qui iudicatis terram: servite Domino in ti„more, & exultate ei cum tremore?* Quomodò „ergò Reges Domino serviunt in timore, nisi „ea quæ contra jussa Domini fiunt, religiosâ „severitate prohibendo atque plectendo? „Aliter enim quis servit quia homo est, ali„ter quia etiam Rex est. Quia homo est, ei „servit vivendo fideliter: quia verò etiam „Rex est, servit, leges justa præcipientes; & „contraria prohibentes, convenienti vigore „sanciendo: sicut servivit *Ezechias*, lucos & [4. Reg. 18. 4.] „templa idolorum, & illa excelsa quæ con„tra Dei præcepta fuerant constructa; de„struendo: sicut servivit *Iosias*, talia & ipse [4. Reg. 23. 4. & 5.] „faciendo: sicut servivit *Rex Ninivitarum*, uni- [Ion. 3. 1.] „versam civitatem ad placandum Dominum „compellendo: sicut servivit *Darius*, idolum [Dan. 4. 21. & 41.] „frangendum in potestatem Danieli dando, „& inimicos ejus leonibus ingerendo: sicut „servivit *Nabuchodonosor*, omnes in regno suo [Dan. 3. 96.] „positos à blasphemando Deo, lege terribili „prohibendo. In hoc ergò serviunt Domino „Reges, in quantum sunt Reges, cùm ea fa„ciunt, ad serviendum illi, quæ non possunt „facere nisi Reges. Cùm itaq; nondum Re„ges Domino servirent temporibus Aposto„lorum, sed adhuc *meditarentur inania adversùs „Dominum, & adversùs Christum eius*, ut Pro- [Psalm. 2. 1.] „phetarum prædicta omnia complerentur; „non utique tunc possent impietates legibus „prohiberi, sed potiùs exerceri. Sic enim „ordo temporum volvebatur, ut & Iudæi „occiderent prædicatores Christi *putantes se* [Ioan. 16. 2.] „*officium Deo facere*, sicut prædixerat Chri„stus; & Gentes fremerent adversùs Christia„nos, & omnes patientia Martyrum vinceret. „Posteà verò quàm cœpit impleri quod scri„ptum est: *Et adorabunt eum omnes Reges ter-* [Psal. 71. 11.] „*ra, omnes Gentes servient ei*: quis mente so„brius Regibus dicat, nolite curare in regno „vestro à quo teneatur vel oppugnetur Ec„clesia Domini vestri? Non ad vos pertineat, „in regno vestro quis velit esse sive religio„sus, sive sacrilegus: quibus dici non potest, „non ad vos pertinet, in regno vestro quis „velit pudicus esse, quis impudicus? Cur [Vide Aug. Epist. 61.] enim,

„ enim, cùm datum sit divinitùs homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & sacrilegia permittantur? An fidem non servare levius est animam Deo, quàm fœminam viro"?

CII. Qui ergò sic argumentantur, ut autument non debere Ecclesiam Christianam implorare nunc opem Regum Christianorum contra hæreticos, eò quòd primitiva Ecclesia non implorarit opem Regum ethnicorum contra illius temporis Sectarios: interrogandi sunt, cur hujus temporis fideles Catholici non implorent opem Regum aut Principum reformatæ, ut vocant, Religionis, contra professores ejusdem Religionis: aut cur professores ejusdem reformatæ Religionis non recurrant ad Romanum Pontificem pro ope adversùs professores Catholicæ Religionis? Cui interrogationi, ubi pertinenter responderint, eâdem responsione elidi suam objectionem perspicient. Interrogandi præterea sunt, cur ipsi implorent assistentiam Regum suæ novitiæ Religionis adversùs Catholicos, cùm non imploraverint similem eorundem assistentiam priusquàm desijssent esse Catholici? Quis Lutheranorum imploravit assistentiam Henrici VIII. Regis Anglorum pro tuenda Religione Protestantica, quando ille librum edebat & Pontifici inscribebat adversùs Religionem Protestanticam? Nunquid tamen non ad eum posteà confugerunt, & opem ejus imploraverunt, quando abjuratâ Ecclesiæ communione deflexit ad Religionem Protestanticam? Idem cum proportione inquiri potest de Rege Suecorum, de Rege Danorum, de Rege Scotorum, necnon de aliquot Principibus ac Dynastis Germanorum, Gallorum, Hungarorum, Polonicorum. Absit proindè ut Catholici desistant ab imploranda ope Principum Catholicorum, pro vindicanda injuria religiosæ veritatis; cùm nec ipsi cessent implorare opem Principum acatholicorum, pro obtrudenda perfidia suæ superstitiosæ vanitatis. An fortè repetituri sunt veterem illam Donatistarum cantilenam: [B]. *Quid Christianus cum Regibus? aut quid Episcopus cum palatio?* Audiant ergò & ipsi, quod Optatus ibidem responderat illis: *Si nota est nosse Reges, vos tota perfundit invidia*. Audiant item ex Augustino commercia Regum cum Christianis, sive in bonum, sive in malum, hoc est, sive pro ipsis, sive contra ipsos: [C]. Reges, ait ipse, „ cùm in errore sunt, pro ipso errore leges „ contra veritatem ferunt: cùm in veritate „ sunt, similiter contra errorem pro ipsa veritate decernunt. Ita & legibus malis probantur boni, & legibus bonis emendantur mali. Rex *Nabuchodonosor* perversus legem „ sævam dedit, ut simulachrum adoraretur; „ idem correctus severam, ne Deus verus „ blasphemaretur. In hoc enim Reges, sicut „ eis divinitùs præcipitur, Deo serviunt in „ quantùm Reges sunt, si in suo regno bona „ jubeant, mala prohibeant, non solùm quæ „ pertinent ad humanam societatem, verùm „ etiam quæ ad divinam Religionem. Frustrà „ dicis: *Relinquat libero arbitrio.* Cur enim non „ in homicidijs, & in stupris, atque in quibusvis alijs facinoribus & flagitijs, libero „ te arbitrio dimittendum esse proclamas? „ quæ tamen omnia justis legibus comprimi, „ utilissimum ac saluberrimum est. Dedit quidem Deus homini liberam voluntatem, „ sed nec bonam infructuosam, nec malam „ esse voluit impunitam. *Quisquis Christianum,* „ inquis, *persequitur, Christi est inimicus.* Verum dicis, si hoc in illo persequitur, quod „ Christo non est inimicum. Neque enim „ Dominus in servo, pater in filio, maritus „ in conjuge, cùm sint utrique Christiani, non „ debent persequi vitia Christianæ contraria „ veritati. An verò si non persequantur, non rei negligentiæ meritò tenebuntur"? Superiori Donatistarum cantilenæ affinis est & illa eorundem, Gaudentij sui verbis expressa: [D]. *Mundana militia nunquam Deus expectavit auxilium qui solus potest de vivis & mortuis judicare.* Cui respondens ibidem subsequenter Augustinus: " Non Mundanæ militiæ, inquit, Deus expectat auxilium, quando Regibus largitur potiùs beneficium, qui eis inspirat, ut in regno suo curent fieri Domini „ sui præceptum. Quibus enim dictum est, „ *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis* „ *terram; servite Domino in timore:* sentiunt „ suam potestatem ita Domino servire debere, ut eâ potestate plectantur, qui nolunt ejus voluntati servire". Et superiùs ibidem capite proximo: " Quamdiu, inquit, vos non „ tenetis Ecclesiam, quam prænunciaverunt „ piscatores, Apostoli plantaverunt: tamdiu „ Reges, qui eam tenent, rectissimè ad suam „ curam judicant pertinere, ne vos adversùs eam rebelletis impunè". Et rursùs lib. 2. adversùs eundem cap. 12. " Profectò, inquit, „ Religio est, quâ te ad nostram communionem præceptum Imperatoris impellit. „ Unde fit consequens, ut Religio sit etiam, „ quâ Christianus Imperator ad curam suam „ judicat pertinere, ne in res divinas impunè peccetur".

CIII. Ex quibus Augustini verbis perspicuum est, Imperatores, Reges, ac Principes quosque Christianos, non modò posse, sed & debere ditiones suas in unica vera Catholica Apostolica Religione continere, omnesque ejusdem Religionis desertores ad reditum pro viribus compellere, refractarios, deficien-

B. Donatistæ apud Optatum Milevitan. l. 1. Optatus.

C. Aug. l. 3. contra Cresconium c. 51.

PRÆOCCUPATIO.

PRÆOCCUPATIO.

D. Gaudent. apud Aug. l. 1. contra ipsum c. 35.

Augustinus.

Psalm. 2. 10. & 11.

deficientibus alijs medijs opportunis & efficacibus, etiam extremo supplicio afficere. Dixi, *deficientibus alijs medijs* &c. quia non me latet, Augustinum crebrò inculcare Christianam mansuetudinem in extirpatione hæresum ac schismatum, quæ exigit ut vitæ corporali parcatur, dummodò securitati Religionis sufficienter provideatur. Hinc scribens de hæreticis ad Africæ Proconsulem x. Cor-

x August. Epist. 127. Vide Epist. 158. 159. & 160.

,, rigi eos cupimus, inquit, non necari; nec
,, disciplinam circa eos negligi volumus, nec
,, supplicijs, quibus digni sunt, exerceri. Sic
,, igitur eorum peccata compesce, ut sint
quos pœniteat peccasse". Unde non credit Parmeniano asserenti *Osium* Episcopum *Constantino* Imperatori suggessisse, ut Donatistas extremo supplicio plecteret: non quòd ipsi talem pœnam non meruissent, sed quòd talis suggestio Episcopali lenitati non admodum congruisset y. Quinetiam, inquit ipse, audet

y Aug. l. 1. contra Epist. Parmen. c. 8.

,, conqueri *Parmenianus*, quòd eos (*Donatistas*)
,, Constantinus ad campum, id est, ad sup-
,, plicium duci jussit: qui victi apud Ecclesia-
,, sticum Iudicem, nec apud ipsum quæ dice-
,, bant probare potuerunt, & adhuc in san-
,, ctæ Ecclesiæ præcisione sacrilego furore
,, ferebantur. Et hoc eum tanquam immani-
,, ter jussisse Hispano *Osio* suggerente, crimi-
,, natur; suspicionibus scilicet suis sicut sem-
,, per, damnando inauditos. Quasi verò non
,, humaniùs ac probabiliùs alius crediderit,
,, *Osio* tanquam Episcopo suggerente potiùs
,, factum, ut in leniorem coërcitionem,
,, quamvis immanissimi sceleris, id est, sacri-
,, legi schismatis, sententiam flecteret Impe-
,, rator. Quid enim non illi justè patiuntur,
,, cùm ex altissimo Dei præsidentis, & ad
,, cavendum ignem æternum flagellis talibus
,, admonentis, judicio patiuntur, & merito
,, criminum, & ordine Potestatum? Priùs
,, enim probent se non esse hæreticos vel
,, schismaticos, & tum demum de indignis
pœnis suis lividam emittant vocem". Nemini igitur cordato dubium esse potest, quin Augustinus censuerit hæreses & schismata esse crimina extremo supplicio dignè justèque plectenda, tametsi mansuetudini Ecclesiasticæ magis congruum reputet intercedere apud Iudicem pro mitigando in eos rigore, quàm eundem impellere ad exercendam condignam ultionem: signanter ubi spes aliqua emendationis affulget, & periculo ulterioris seductionis obviari aliter potest. Unde & alibi ad eosdem Donatistas alludens z.

z August. Tract. XI. in Ioan.

,, Mirantur, inquit, quia commoventur
,, Potestates Christianæ adversùs detestandos
,, dissipatores Ecclesiæ. Non ergò moveren-
,, tur? Et quomodò redderent rationem
,, Deo de imperio suo? Intendat Charitas
,, vestra quid dicam: quia pertinet hoc ad
,, Reges sæculi Christianos, ut temporibus
,, suis pacatam velint matrem suam Eccle- Vide Aug. Epist. 62.
siam, unde spiritaliter nati sunt". Quandò igitur ad pacationem Ecclesiæ necessaria judicabitur cædes hæreticorum, proculdubiò ex Augustini mente ad Principes Christianos pertinet eam inferre; ita ut si id negligant, rationem Deo reddere de suo imperio nequeant. Exemplum quippe quod Augustinus ibidem in confirmationem sui dicti subjungit, istam ejus mentem liquidissimè patefacit. Subdit quippe evestigiò: "Legimus Da-
,, niëlis visiones & gesta prophetica: *Tres pueri* Dan. 3. 51. & 91.
,, *in igne laudaverunt Dominum: miratus est Na-*
,, *buchodonosor Rex laudantes Deum pueros*, &
,, circa eos ignem non nocentem. Et cùm ad-
,, miratus esset, quid ait Nabuchodonosor
,, Rex, non vel Iudæus, vel circumcisus? Ille
,, qui statuam suam erexerat, & ad eam ad-
,, orandam omnes coëgerat, tamen laudibus
,, trium puerorum commotus, ubi vidit Ma-
,, jestatem Dei præsentem in igne, quid ait?
,, *Et ego proponam Decretum omnibus tribubus &* Ibid. v. 96.
,, *linguis in omni terra.* Quod decretum? *Qui-*
,, *cunque dixerit blasphemiam in Deum Sidrac, Mi-*
,, *sac, & Abdenago, in interitum erit, & domus eius*
,, *in perditionem.* Ecce quomodò sævit Rex Vide eund. l. 2. contra literas Petiliani c. 92.
,, alienigena, ne blasphemetur Deus Israël,
,, qui potuit tres pueros de igne liberare! Et
,, nolunt isti, ut sæviant Reges Christiani,
,, quia Christus exsufflatur; à quo non tres
,, pueri, sed orbis terrarum, cum ipsis Regi-
,, bus, à gehennarum igne liberatur? Nam
,, tres illi pueri liberati sunt de igne tempora-
,, li. Nunquid non ipse est Deus Machabæo-
,, rum, qui & trium puerorum? Illos ab igne
,, liberavit, illi in tormentis igneis corpore
,, defecerunt, sed in legitimis mandatis ani-
,, mo permanserunt; illi apertè liberati sunt,
,, illi occultè coronati sunt. Plus est liberari de
,, flammis gehennarum, quàm de fornace
,, Potestatis humanæ. Si ergò *Nabuchodonosor*
,, Rex laudavit, & prædicavit, & gloriam
,, dedit Deo, quia liberavit de igne tres pue-
,, ros; & tantam gloriam dedit, ut Decre-
,, tum mitteret per regnum suum, *Quicunque*
,, *dixerint blasphemiam in Deum Sidrac, Misac, &*
,, *Abdenago, in interitum erunt, & domus eorum in*
,, *perditionem*: quomodo isti Reges non mo-
,, veantur, qui non tres pueros attendunt li-
,, beratos de flamma, sed seipsos liberatos
,, de gehenna; quando vident Christum, à
,, quo liberati sunt, exsufflari in Christianis;
,, quando audiunt dici Christiano, Dic te
,, non esse Christianum? Talia facere isti vo-
,, lunt, & saltem talia pati nolunt. Nam vi-
,, dete qualia faciunt, & qualia patiuntur:
,, Occidunt animas, affliguntur in corpore:
sempi-

„ sempiternas mortes faciunt, & temporales se perpeti conqueruntur".

CIV. Quoniam Sectarij, modò Ecclesiam vexantes, ac pro viribus dissipantes, utuntur potissimùm authoritate Augustini, ut suam à gladio seculari immunitatem impunitatemque astruant: idcircò crebriùs ejus authoritate in hac materia uti libuit, ut appareat quàm fuerit eis adversus in eo, in quo se jactant ipsum habere patronum. Nam inprimis ex ejus verbis §. 81. relatis constat, redargui ab ipso Donatistas exemplo interemptionis idololatrarum & veneficorum, quam fatebantur justam; prætendentes nihilominùs hæreticorum cædem esse injustam. Item §. 83. relatus, hæreticos asserit *fures esse & latrones*; adeoque ei supplicio obnoxios, cui fures & latrones. Item §. 96. relatus, dicit similem esse pœnam hæreticorum & Martyrum, sed dissimilem causam; & ideò hos & non illos reputandos esse Martyres, quia Martyrem non facit pœna, sed causa. Unde rursùs §. 97. irridet Donatistas, qui *iure puniti* *tos* voluerunt Martyres haberi: fuerant autem puniti propter hæresim, atque adeò *iure* plectuntur hæretici: nam de pœna mortis ibi agi claret ex affectatione martyrij, quod non nisi morte peragitur. Item §. 103. relatus, hæreticos censet *dignos supplicio*, utique extremo, pro quo mitigando intercedebant apud judices Episcopi. Ibidem quoque justificat factum Constantini, jubentis hæreticos *in campum*, id est, *ad supplicium duci*. Addit item eos pati *& meritis criminum, & ordine Potestatum*: ubi *criminum* nomine hæreses intelliguntur & schismata. Unde statim sequitur, *Priùs probent se non esse hæreticos vel schismaticos, & tum demùm de indignis pœnis suis lividam emittant vocem*. Censet ergò eos non posse justè conqueri de supplicijs, quamdiu se non purgent ab hæresum ac schismatum sacrilegijs. Eodē item Paragrapho proponit Regibus Christianis in hæreticos animadvertendis & coercendis exemplum *Nabuchodonosor*, in blasphematores Dei Israël sævientis. Sævijt verò ille in tales usque ad supremum exitium, prout patet ex tenore Edicti per eum conditi, & ibidem relati. Ac tandem concludit, eos inaniter conqueri quòd *temporales mortes patiantur*, quandoquidem ipsi seducendo animas, atque in suam pelliciendo sacrilegam sectam, *sempiternas mortes faciant*. Fatetur quidem Augustinus se aliquando censuisse, H. „Neminem ad unitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione „pugnandum, rationibus vincendum: ne „fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus". Hanc verò opinionem postea experimento contrario edoctus mutavit. Unde & ibidem continuò subdidit: „Sed hæc opinio mea non contradicentium „verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis". Qui rursùs lib. 2. Retract. cap. 5. „Sunt, inquit, duo Libri mei, quorum titu„lus est, *Contra partem Donati*: in quorum „primo Libro dixi, *non mihi placere ullius secu*„*laris Potestatis impetu schismaticos ad commu*„*nionem violenter arctari*. Et verè tunc mihi „non placebat: quia nondum expertus eram „vel quantum mali eorum auderet impuni„tas, vel quantum eis in melius mutandis conferre posset diligentia disciplinæ". Experimento igitur edoctus pristinam lenitatem in rigorosiorem severitatem mutavit. Unde cùm circa finem vitæ suæ adversùs Julianum hæreticum Pelagianum scriberet, & ille Episcopalem audientiam pro hæreticis jam anteà damnatis denuò flagitaret, respondit ipse: I. „Hæresis ab Episcopis non adhuc „examinanda, sed coërcenda est Potestatibus Christianis". Anteà quoque de eodem Juliano alijsque Pelagianis scribens ad Papam Bonifacium: K. „Istorum superbia, inquit, „hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut „propter illos Orientis & Occidentis Syno„dus congregetur: orbem quippe Catholi„cum quoniam Domino eis resistente per„vertere nequeunt, saltem commovere co„nantur; cùm potiùs, vigilantiâ pastorali „post factam illis competens sufficiensque „judicium, ubicunque isti lupi apparuerint, conterendi sint".

H. August. Epist. 48.

I. Aug. L. 1. Operis imperf. c. 103.

K. Aug. l. 4. ad Bonif. cap. 12.

CAPUT

CAPUT XXIX.

Ioannis Lensæi Doctoris ac Professoris Theologi Lovaniensis sententia, compluribus argumentis undequaque conquisitis firmata; justam astruens hæreticorum punitionem, usque ad ipsam etiam extremam peremptionem.

CV. SCripsit ante annos jam octoginta Joannes Lensæus, Doctor ac Professor Theologus Lovaniensis, libellum mole quidem exiguum, sed sententiarum ubertate accuratâque propositi thematis discussione vastissimum, *De unica Religione, studio Catholicorum Principum in Republica conservanda*, inscriptum: ubi postquàm duobus primis capitibus necessitatem Religionis, & quidem unicæ, pro qualibet Republica benè constituenda atque in pace conservanda astruxisset, mox capite tertio propiùs ad rem nostram accedens, ait: "Quemadmodùm exposcit ratio justitiæ, ut suum cuique reddatur: ita pœnam exigit in transgressorem. Quocircà si per falsam Religionem justitia violatur, & in ea quidem sui parte, quam constat esse primariam: esse debebit illa multò minùs à justis ac severis animadversionibus libera, quàm crimina cætera injustitiæ, quibus homini quod ejus sit non redditur, sive injuria quæpiam irrogatur. Quàm enim hoc alioqui præposterum videri necesse est, ut à proximis quidem nostris vel virulentas aliorum linguas, vel violentas manus pœnâ cohibeamus: in Deum verò nostrum blasphemarum tela linguarum impunè mitti patiamur? Quamobrem Deus ipse, sapientissimus Reipublicæ conditor, temperatorque justissimus, leges tulit pœnales in eos, qui hac in parte justitiam violassent. Ex quibus quidem legibus non difficile est elicere justitiæ rationem, quâ nostrorum quoque temporum injustitiæ, mala similia, pœnarum æquitati subjiciantur. Cùm igitur duce quondam Moyse, quispiam è populo Dominum in jurgio blasphemasset, atque in vincula propterea conjectus esset tantisper dum cognosceretur divinum de reo judicium, consultus Dominus hanc legem tulit: *Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum: & qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur; lapidibus opprimet eum omnis multitudo populi, sive ille civis, sive peregrinus fuerit.* Lex judiciaria est in blasphemum, eaque procul dubiò justissima, quia divina. Cui si quâ severitate consimilis, à Principe fortè statuatur in Religionis novatores hæreticos, quid is tum aliud quàm Dei judicium, legumque ejus æquitatem imitatur? An fortè blasphemus non est hæreticus? Non igitur blasphemus *Arius*, qui Filio divinitatem æternitatemque detraxit? Non blasphemus, & modis quidem innumeris, *Manichæus*, qui de duobus rerum principiis, Diisque duobus, fabulas illas, seu potiùs deliramenta contexuit? Quid? Non blasphemus *Calvinus*, qui omnipotentiæ derogans, fieri vel à Deo posse negat, ut quando in cælo est Christi corpus, in altari quoque simul ad verba efficacissima Christi Servatoris existat? Non *Brentius* Blasphemus, qui in diversum nunquam tempestate delatus, quod divinitatis proprium est, ubique simul esse, naturæ in Christo humanæ adscribit? Omitto alias aliorum neque paucas neque leves blasphemias: ex quibus perspici clarissimè possit, quantâ legum æquitate, & quàm justâ earundem severitate, mortis supplicium blasphemis hæreticis irrogetur.

Ioannes Lensæus.

Levit. 24.15. & 16.

"CVI. Præterea Deuteronomij cap. 13. Pseudopropheta, qui visis somniorum fictis, ad cultum alienorum Deorum populum sollicitet, quàmlibet propinquus is sit, vel amicus, occidi jubetur à Domino. Ac si quam fortè urbem abominandus falsorum Deorum cultus inquinasset: *Statim*, inquit, *percuties habitatores urbis illius in ore gladij, & delebis eam, omniaq; quæ in illa sunt, usque ad pecora: quicquid etiam supellectilis fuerit congregabis in medium platearum ejus, & cum ipsa civitate succendes, ita ut universa consumas Domino Deo tuo.* Nihilne hìc est quod debeant hæretici formidare? Et qui magis à cultu veræ Religionis populum Christianum abducunt? Falluut enim incautos reverà suis somnijs, & ab unius veri Dei vero ac legitimo cultu ad fictorum opinionumque suarum idola colenda pertrahunt. Surgunt è medio populi Christiani, & cùm se alijs Magistros arrogantissimè

Deut. 13.15. & 16.

,, tissimè præbuerint, ex aliqua eos inspira-
,, tione cælesti proferre cuncta fascinati audi-
,, tores arbitrantur. Dicere proindè non du-
Ibid. v. 2. ,, bitant: *Eamus, sequamurque Deos alienos, quos*
,, *ignoras tu: & serviamus eis*. vetera jam toties
,, repetita fastidimus, novas & inauditas se-
,, quamur de Religione sententias, & creda-
,, mus eis. Nam hæreticorum nova dogma-
Vide Lyrin. cap. 13. ,, ta, ut rectè Vincentius Lyrinensis annota-
,, vit, vetus Testamentum allegorico sermone
,, Deos alienos appellare consuevit, propterea,
,, quòd sic ab hæreticis ipsorum dogmata,
,, ut à Gentilibus Dij proprij, observantur.
,, Quis igitur jam de summa æquitate du-
,, bitet, si vel sigillatim è medio morte tol-
,, lantur, vel cùm se in unum collegerint,
,, bello petiti deleantur? Ac ne solos in illa
,, veteri Judæorum Republica idolorum cul-
,, tores neci traditos fuisse putes, verùm &
,, eos, qui unius Dei retento cultu, aliâ quâ-
,, piam ratione in Religionem peccarent,
Deut. 18. 20. ,, hanc quoque de his legem accipito: *Pro-*
,, *pheta*, inquit summus Legislator *qui arrogan-*
,, *tiâ depravatus voluerit loqui in nomine meo,*
,, *quæ ego non præcepi ei ut diceret aut ex nomine*
,, *alienorum Deorum, interficietur*. Hic si nè illi
,, utcunque hæreticos non esse alienorum
,, Deorum cultores ostendant, ut tamen
,, minimè dicere, quæ Dominus haud ei
,, præceperit, videantur, nunquam efficient.
,, Currunt enim non missi, & cùm nova esse
,, fides non possit, illi novam atque inaudi-
,, tam cudere moliuntur; omnes divinitùs
,, afflatos se loqui profitentur, & pugnantia
,, interim tradunt, atque inter se acerrimè
1. Cor. 14. 33. ,, digladiantur; cùm *non sit dissensionis Deus,*
,, *sed pacis*. Nullos, per tot annorum centurias,
,, quæ ante ipsorum fluxêre ortum, reperiunt,
,, qui eadem per omnia vel crediderint, vel
,, docuerint, vel scripserint: cùm vera Christi
,, Ecclesia nullo unquam tempore ab his
,, mortalium sedibus abesse potuerit. Quâ-
,, nam igitur illos ratione quisquam tueatur,
,, quos modò id facere perspicuum est, quod
,, Dominus pœnâ mortis vindicandum esse
,, sancivit?

,, CVII. Sed his & aliam adjungamus le-
,, gem, ex Deuteronomio quoque repetitam:
Deut. 17. 12. ,, *Qui superbierit*, inquit, *nolens obedire Sacerdo-*
,, *tis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo*
,, *tuo, ex Decreto Iudicis morietur homo ille; & au-*
,, *feres malum de medio Israël*. Non hic quis-
,, quam ob idololatriam, sed ob superbiam,
,, non quia Duci aut Principi obtemperare
,, recusaverit, sed quia summi Sacerdotis ju-
,, dicio non acquieverit, mortis supplicio
,, afficiendus decernitur. Quidnam autem
,, esse causæ possit, cur illi quidem meritò
,, interficerentur, qui summi Sacerdotis ju-
,, dicium fuissent aspernati; isti verò nostri,
,, qui primario Ecclesiæ in terris Pastori,
,, Christique summi Sacerdotis vicario neque
,, obtemperent, neque obtemperandum esse
,, & sentiant, & doceant, nullâ digni mor-
,, tis pœnâ credantur? Neque enim opinor,
,, quisquam plus honoris Moysaico, quàm
,, Euangelico ministerio deferet; præsertim
,, cùm illud umbras rerum venturarum con-
,, tineret, hoc rerum exhibitarum claram at-
,, que illustrem proponat veritatem: illud ser-
,, vitutis ac timoris esset, hoc libertatis sit &
,, amoris: illud mortis, hoc vitæ. Proindè si
,, illius imperium recusasse crimen fuit, pro-
,, fectò huic se noluisse subjicere, postquàm
,, esset cognitum, gravius multò censeri de-
,, bebit. An non hæc Apostoli collectio est:
,, *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla mi-* Heb. 10. 28. & 29.
,, *seratione duobus vel tribus testibus moritur;*
,, *quantò deteriora putatis mereri supplicia, qui Fi-*
,, *lium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti*
,, *pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, &*
,, *Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Illos au-
,, tem ipsos designat, de quibus dixerat
,, antea: *Voluntariè peccantibus nobis post acce-* Ibid. v. 26. & 27.
,, *ptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro*
,, *peccatis hostia: terribilis autem quædam expecta-*
,, *tio judicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura*
,, *est adversarios*. Non sibi hic blandiantur hæ-
,, retici: Dei Filius cùm in seipso jam concul-
,, cari non possit, in suis sæpè Ministris ab
,, illis conculcatur: nec gravior Spiritui gra-
,, tiæ fieri contumelia potest, quàm si quis
,, ad eam totis viribus oppugnandam, invi-
,, dentiæ vel odij facibus agitetur.

,, CVIII. Sed ne quisquam istiusmodi leges
,, ita proprias illius populi fuisse putet, ut in
,, alijs Gentibus absurda futura sit earum, si-
,, militudine severitatis, imitatio: meminе-
,, rit is Regis *Nabuchodonosor*, intentè audiat
,, quid ille dixerit: *A me*, inquit, *positum est* Dan. 3. 96.
,, *hoc Decretum, ut omnis populus, tribus, & lin-*
,, *gua, quæcunque locuta fuerit blasphemiam con-*
,, *tra Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, disper-*
,, *reat, & domus eius vastetur: neque enim est alius*
,, *Deus, qui possit ita salvare*. Nova tum Genti-
,, bus & odiosa res erat unius veri Dei præ-
,, dicatio; præsertim cùm is ita tunc colere-
,, tur à pauculis hominibus, ut cæterorum,
,, quos sibi fingebat stulta Gentilitas, vene-
,, ratio damnaretur. Et tamen ne hic unus
,, Deus impeteretur blasphemijs, Rex ille ter-
,, ribili lege prohibuit. Quid igitur miran-
,, dum sit, talem hisce quoque temporibus
,, & inter Gentium, sed Christianarum, po-
,, pulos, à Principe Catholico legem profi-
,, cisci, quâ non modò blasphemæ hæretico-
,, rum linguæ coërceantur, verùm etiam fa-
,, cta sacrilega dignis supplicijs puniantur?

Non

„ Non enim Catholica & Romana Religio, quam insectantur odijs implacabilibus, aut nova videri potest, uti tum unius Dei cultus atque professio; aut paucis probata atque usitata: cùm hanc unam constet esse, quã non aliam Christianus orbis, continuâ ad nos usque serie populorum, ab ipsis Apostolorum temporibus decurrentem, noverit. Cur ergò videatur iniquum, severitate legum aliquantâ, ab injurijs Pseudo-Christianorum defendi hanc unam, tantâ populorum consensione probatam, tantâ vetustate in summam authoritatem adductam, tam frequenti adversariorum oppugnatione roboratam? Et Augustinus quidem ipse, cujus isti nobis sententiolas quasdam objiciunt, non dubitavit factum illud Regis *Nabuchodonosor*, adumbrationem quandam ac typum habuisse dicere rerum earum, quæ multò pòst in Ecclesia gererentur, hoc est, disciplinæ & severitatis hujus, quæ per fideles ac pios Reges exerceretur adversùs impios & sacrilegos depravatores dogmatis Christiani. Non dubitavit idem ipse colligere: Si decreverit ille Rex ne blasphemaretur Deus temperator ignium, & liberator trium puerorum; multò magis cogitare debere Christianos Reges, quid decernere debeant in regno suo, ne in suis fidelibus idem ipse Deus exsufflectur, condonator peccatorum, & liberator jam totius orbis terrarum. Tale igitur ille tantæ severitatis exemplum, ad imitationem, voluit Christianorum Principum animis obversari. Ac durum id quidem fatetur esse, disperdere miseros, vastareque eorum domos, quod Regia illa comminabatur lex. Sed si aliter pacem habere non meruit domus David, nisi Absalon filius ejus in bello, quod contra patrem gerebat, fuisset extinctus; nihil superesse dicit, nisi ut Ecclesiæ, quæ domus est Christi, tales inimicos, qualis fuit ille Davidis patris sui, obstinatione suâ perdendos lugeamus, & regni Christiani tranquillitate partâ, fideique integritate, quoad fieri potest, conservatâ, mœstitiam nostram consolemur.

Vide Aug. Epist. 50. & D. Th. 2. 2. qu. 10. a. 8. ad 4.

„ CIX. Prætereundam modò non arbitror legem ab *Artaxerxe* Rege latam in eos, qui Dei Regisque Decretis minimè paruissent: *Omnis*, inquit Esdram Sacerdotem alloquens, *qui non fecerit legem Dei tui, & legem Regis diligenter, judicium erit de eo sive in mortem, sive in exilium, sive in condemnationem substantiæ ejus, vel certe in carcerem.* Quæ quidem lex, cum cæteris quæ ab eodem Rege constituta erant, usque adeò Esdræ Sacerdoti probata fuit, ut lætus in hanc vocem erumperet: *Benedictus Deus Patrum nostrorum qui dedit hoc in corde Regis, ut glorificaret domum Domini quæ est in Hierusalem.* 1. Esd. 7. 26. Ibid. v. 27.

Quòd si tum ij, qui legem Dei non implessent, justâ morte plecterentur; quid passuros eos fuisse censes, qui impleri impossibile, aut non necesse esse docuissent? At quid nunc ab his agitur? An non ut ijs assentiamur, divinam legem observatu impossibilem: ut fieri multa non debere credamus, quæ fieri oportere & Christi verbo, & Apostolorum traditione accepimus? Imò verò non dubitant, cùm os perfricuerunt, & docere & scribere, nihil præceptum in Evangelio præter Fidem: cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita: item Præcepta decem nihil pertinere ad Christianos: rursùm hominem justificatum & perfectum non teneri ad observantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ, sed tantummodò ad credendum: item Christum esse datum hominibus ut Redemptorem cui fidant, non etiam ut legislatorem cui obediant. Quæ cùm per se ipsa statim absurda sint, justiùsque os talia proferentis tunderetur fustibus, quàm rationibus occluderetur; nemo non intelligit, penes quem aliquid residet mentis integræ, quantum pro gloria domûs Dei quæ est in Hierusalem, id est, pro Ecclesia, cujus illa typum gessit, Princeps Catholicus facturus sit, si istiusmodi Rabulis, de sanctissimis Dei & Ecclesiæ legibus quicquid in buccam venerit, temerè & impudenter effutientibus, justissimæ severitatis suæ metum incusserit".

CAPVT XXX.

Ejusdem Auctoris dissertatio, de obligatione Christianorum Principum, ad purgandum suas ditiones à contagione hæresum: deque obligatione Ecclesiasticorum Procerum, ad erigendum animos Principum, ne conniveant satoribus aut fotoribus hæresum.

CX. VIdimus jam superiori capite quemadmodùm à *Lensæo* astruatur justitia punitionis hæreticorum, etiam usque ad ipsam corporis peremptionem: videamus porrò quemadmodùm idem astruat obligationem Principum Christianorum exercendi erga eosdem condignam ultionem:

L. Ioannes Lensæus ibid. cap. 9. „Adductis, inquit, ad Christum Regibus, quid esse potest, in quo laudabiliùs authoritate suâ potestateque utantur, quàm si Christi Ecclesiam, cujus sunt filij, adversùs inimicos ejus, omnibus opibus viribusque propugnent? Quid verò turpius atque indignius, quàm ut regni sui hostes arceant armis, atque propulsent: Ecclesiam verò matrem, quæ illos in Christo genuit, suo gremio fovit, suæ doctrinæ lacte nutrivit, hostiliter vastari permittant? Ut temporariam quandam pacem, tranquillitatem, concordiam in regno suo curent: in Fide verò & Religione consensionem non curent? Et ut regni sui statum quàm florentissimum efficiant, elaborent; domus verò Dei decorem nihili pendant? Ut læsæ Majestatis reos gravibus supplicijs afficiant: ad blasphemas verò in Deum voces aures clausas habeant? Itaque si Regibus illius honos, à quo in alios accepêre potestatem, curæ esse debet; & si illi ferendum auxilium est, cujus partu veram vitam & salutem sunt assecuti: profectò hæreticos, & alios quoscunque, qui divinum nomen impijs vocibus maculant, & gravissima Ecclesiæ inferunt damna, non coërcere modò districtis in eos gladijs poterunt, sed etiam officij potestatisque ratione debebunt.

Vide suprà hic §. 108. *Pertinet hoc omninò ad Principes sæculi Christianos*, quod Augustinus ait, *ut pacatam suis temporibus velint matrem suam Ecclesiam habere, unde spiritaliter sunt nati.*

Vide Leon. Epist. 75. cap. 1. Idcircò Leo Pontifex, furentibus in Ecclesiam Eutychianis hæreticis, Imperatorem Leonem ejusmodi literis censuit admonendum: *Debes, Imperator, incunctanter advertere, Regiam potestatem tibi non solùm ad Mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam: ut ausus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta defendas, & veram pacem his quæ sunt turbata restituas.* Scripsit idem Pontifex Epistolam ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum; in qua & eum castigat, quòd perniciosâ quâdam patientiâ hæreticos toleraret; & admonet, ut à Principe poscat opem ad eosdem comprimendos: *Illud*, inquit, *sanè plurimùm mihi displicere significo, quòd inter Dilectionis tuæ Clericos quidam esse dicuntur, qui adversariorum conniveant pravitati, & vasa ira vasis misericordiæ misceantur. Quibus investigandis, & severitate congruâ coërcendis, debet diligentia tua vigilanter insistere; ita ut his quibus prodesse non potuerit correctio, non parcat abscissio. Oportet enim nos Evangelici meminisse mandati, quod ab ipsa Veritate præcipitur, ut si nos oculus, aut pes, aut dextera scandalizaverit manus, à compage corporis auferatur: quia melius sit, his in Ecclesia carere membris, quàm cum ipsis in æterna ire supplicia. Nam superfluò extra Ecclesiam positis resistimus, si ab his qui intùs sunt, in ijs quos decipiunt vulneramur. Abjicienda prorsùs pestifera hæc à Sacerdotali vigore patientia est, quæ sibimet, peccatis aliorum parcendo, non parcit: sicut Heli quondam Sacerdos filiorum suorum delicta tolerando, cum ipsis divina justitia sententiam meruit experiri; quia segni indulgentiâ dissimulavit plectere peccatores. Quantum itaque opportunitas invitat officij, religiosissimum Principem Dilectio tua studeat frequentare; & non solùm regiam, sed & sacerdotalem ipsius mentem precibus meis obsecrare persiste, ut memor communis fidei, quam Spiritu Sancto docente suscepimus, omnia hæreticorum machinamenta confringat, neque quidquam illis in Ecclesijs Christi licere patiatur; ne in eorum potestate sint divina mysteria, quibus in domo Dei pro scelerum suorum magnitudine nec habitandi ius residet, nec orandi.* Hæc doctissimus prudentissimusque Pontifex, probè scilicet intelligens has esse pij Principis partes, Ecclesiæ Præfectis assistere, suâque authoritate & severitate opitulari ad repurgandas perniciosæ doctrinæ sordes, atque *ad confringenda*, ut ait, *machinamenta hæreticorum*: quemadmodùm & *Ezechias*, & *Iosias*, Sacerdotibus quondam ac Levitis adfuerunt potentiæ suæ præsidijs, ad idololatriam exterminandam.

Vide eund. Epist. 76.

Matt. 18. 8.

1. Reg. 4. 17. & 12.

„CXI. Est enim hic ordo, ut primùm de doctrina judicent Sacerdotes, juxta id quod

(Malach. 2. 7.) quod scriptum est, *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est*: deindè ut iidem vigilantiâ pastorali curent definita retineri à populis, errantes revocent quos possint, docendo, corripiendo; quos autem sanare haud queant, abscindant, atque ut putrida membra resecent à compage corporis. Denique si nec isto modo perniciies arceatur, Catholici Principis implorent opem, ut adjutor esse velit ad communis matris tutelam. Est enim Præfectis quidem Ecclesiasticis spiritalis gladius, quem in sceleratos, suisque in sceleribus obfirmatos, exerant subinde, dum ab Ecclesiæ visceribus & communione divellunt, divinaque protectionis nudatos præsidijs, in potestatem Satanæ tradunt: quò nimirum tanti mali, in quo versantur, magnitudine perculsi, tandem aliquando resipiscant. Verùm cùm ea multorum mentibus offusa caligo est, ut animi mala atque pericula nec videant, nec curent omninò; sola verò ea quæ sensu percipiunt pertimescant; alium profectò gladium, qui & sentiatur & videatur, & majorem afferat metum, educi subinde necesse est à propugnatoribus Ecclesiæ: quæ tanquam pia & sedula mater omnem dat operam, ut profugientes à se filios, aut à suis avulsos uberibus, in gremium suum redire compellat; modò per Ecclesiæ Præsules excommunicationis virgâ feriendo, modò per Reges & Principes, ubi priorem illam severitatem contempserint, etiam exilij vel mortis interminatione terrendo. Nam quemadmodum is qui pestem patriæ, qui civium perniciem nefariè molitur, non ut perditus civis, sed ut hostis importunissimus infestissimusque tractandus est: ita illum qui non jam Christianorum more, Christianæ disciplinæ leges ac pœnas pertimescat, sed ut hostis omni ratione impugnet, omni arrogantiâ contemnat; non ut perditum Christianum excommunicationis gladio coërceri, sed ut profanum & impium Dei atque Ecclesiæ hostem, conspicuis illis communibusque facinorosorum supplicijs affici par est.

„CXII. Quanquam enim quod Dei famulus Moyses in multos gladio vindicavit, quòd Phinees Sacerdos adulteros simul inventos ferro ultore confixit; *significaverit*, (Vide Aug. lib. de Fide & Operibus cap. 2.) Augustino quidem interprete, *quæ degradationibus & excommunicationibus esset faciendum, cùm in Ecclesiæ disciplina visibilis fuerat gladius cessaturus*: tamen extra eam, quæ Ecclesiæ propria est, & quæ per illius Præsides administratur, disciplinam, visibilem interdùm gladium educi necesse est: in eos sanè maximè, qui Ecclesiasticæ disciplinæ gladium invisibilem, quòd eum nec videant nec sentiant, lædere minimè putant. Quæ res ut operâ Christianorum Principum circumspectè & prudenter agatur, ad vigilantiam Ecclesiæ Præsulum & curam pertinet; quemadmodùm hoc Leo sanctissimus, tum exemplo suo, tum & literis suprà commemoratis ostendit. Qui profectò si illorum opem cum res postulat non implorarent, non modò non esset eorum laudanda patientia, verùm etiam negligentia jure meritoque culpanda: non quòd semetipsos vitamque suam negligere, sed Christi Ecclesiam viderentur. Neque enim & Beatus Apostolus vitæ suæ temporariæ consulebat, sed Ecclesiæ Dei, quando hostium suorum consilium *Tribuno* ut proderetur effecit. (Act. 23. 17.) Quo factum est ut eum miles armatus deduceret, ne præsidijs destitutus, illorum pateret insidijs. Romanas quoque leges implorare minimè dubitavit, *civem Romanum se esse* proclamans; quos (Act. 22. 25.) tunc affligi verberibus non licebat. Denique ne Iudæis ipsum interimere cupientibus traderetur, *Cæsaris* poposcit auxilium, (Act. 25. 11.) Romani quidem Principis, sed minimè Christiani. Quibus factis suis nonne id satis ostendit, quid facere posteà deberent Christi dispensatores, quando Imperatores Christianos periclitante Ecclesiâ reperirent? Sic igitur temporum ordo volvebatur, ut priùs Iudæi atque Gentiles Christum ejusque præcones occiderent, ac se interim his factis arbitrarentur obsequium præstare Deo; cum scilicet impleretur illud, *Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus.* (Ps. 2. 1. & 2.) Inter quos inimicorum crucis Christi furores, elucebat invicta Martyrum patientia: sanguisque ille tot in locis effusus, velut multiplicandis Christianis semina copiosè præbebat. Posteà verò cùm impletum esset illud, *Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes Gentes servient ei*; (Ps. 71. 11.) illi ipsi Reges, terræque Principes, ad Christi regnum honoremque tuendum, sceptra sua & vires conferre debuerunt".

CAPVT

CAPUT XXXI.

Quinque objectiones hæreticorum pro sua impunitate astruenda referuntur per eundem Lensæum, & refelluntur: quarum prima contendit Ecclesiam iisdem artibus conservari debere, quibus est cœpta: Secunda nititur vaticinijs Prophetarum de futura Ecclesiæ lenitate: Tertia fundatur in exemplo mansuetudinis Christi; cui deceat conformari Christianos, signanter Ecclesiasticos: Quarta nititur authoritate Gamalielis, suadentis insurgentium in Religione novitatum eventum dimitti supernæ providentiæ: Quinta denique nititur increpatione discipulorum facta per Christum, ob concupitam necem resistentium Christo.

CXIII. NOn satis esse debet debellatori falsitatis, astruere quod verum est, nisi insuper propugnatores erroris exarmet: *Cùm fortis armatus*, ait Dominus, *custodit atrium suum,* (Luc. 11. 21. & 22.) *in pace sunt omnia quæ possidet. Si autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet, in quibus confidebat.* Cujus documenti non ignarus *Lensæus*, postquam suam de unica Religione tenenda sententiam varijs munimentis & exemplis astruxisset, atque adversæ sententiæ patronos vicisset; arma eorundem auferre confringereque cœpit; nec antea destitit, quàm universa vel protrivisset, vel obtudisset; atque adeò inutilia reddidisset, aut in ipsos hostes retorsisset: M. Ne- (M. Lensæus ibidem cap. 10.)

OBJECTIO. „que verò est, inquit, quòd quisquam di„cat, *iisdem artibus regnum facilè retineri, qui„bus initio partum sit: Quare si humilitate & „patientiæ virtute partum est Christi regnum, „tam florens & amplum, neque inferendis au„ctum est supplicijs, sed perferendis: iisdem prorsùs „nunc artibus retineri oportere.* Primùm enim

DILUITUR. „perferendis supplicijs crevit eousque, ut & „Reges ei servire possent, supplicijs inferen„dis. In quo quidem officio, propria est Re„gum servitus quatenùs sunt Reges, ut eo „pacto eùm necesse est, Ecclesiam tueri co„nentur. Deinde hoc interim verissimum est, „uti patientiæ virtute partum est initio Chri„sti regnum, ita nunc quoque eâdem retine„ri. Quis enim neget magnâ patientiâ tam „multos superbos, tam multos ebriosos, tam „multos omnis penè generis peccatores in „Ecclesia tolerari; inter quos boni gemere „coguntur & lugere, magnâque vigilantiâ „niti, ne quandoque victi humanâ quâdam „amicitiâ, vitæ consortio maculentur? Si pa„tientiæ virtute non esset modò quoque re„tinendum Christi regnum, cur diceret Apo„stolus Timotheo, *Argue, obsecra increpa in* (2. Tim. 4. 2.) „*omni patientia & doctrina?* Et rursùm, *Servum* (2. Tim. 2. 24. & 25.) „*Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse „ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia „corripientem eos qui resistunt veritati?* Quis vel „seipsum sustinet, vel proximi supportat „infirmitatem sine patientia? Denique om„nes, qui *quod non videmus speramus, per pa-* (Rom. 8. 25.) „*tientiam expectamus?* itàque patientiâ in (Vide Cypr. l. de Bono Patientiæ.) „Christi regno retinemur. Impatientia ve„rò schismaticos & hæreticos facit, & ad „Judæorum similitudinem, contra Christi „pacem & charitatem rebelles, ad hostilia „& furiosa odia compellit, inquit D. Cy„prianus. Contra quos aliud accessit pro„gressu temporis, quo retineri etiam Christi „regnum possit: cum nempe filios Ecclesia „habere cœpit, eâ præditos potestate, ut „ferro quoque & armis pro illa depugnare „possent: quibus pro Christi, cui serviunt, „causâ; pro Religione, per quam solam ijs „aditus ad veram felicitatem patet; pro „Ecclesia matre, quæ illos in Christo ge„nuit, fovit, educavit: ut sese non mo„veant, nemo profectò mente sobrius dictu„rus est.

„CXIV. Aiunt tamen, *Parùm ista congruere* (OBJECTIO 2.) „*vaticinio Isaiæ Prophetæ, à quo prædictum esse vi„deatur, usum gladij inter filios novi Testamenti „cessaturum: Contundent enim,* inquit, *gladios suos* (Isa. 2. 4.) „*in vomeres, & lanceas hastasque suas in falces: ne„que ultrà aut bellum addiscent, aut prælio assues„cent.* Hoc illi proferre solent qui cùm sibi (DILUITUR.) „malè conscij sint, impunitatem interim pos„cunt; quam ut concedi commonstrent „oportere, tota vexant Biblia, ut ab ijs ali„quod vel frigidum testimonium extor„queant: apud quos tamen, cum adest po„testas, magis illud semper valet quod ait „Poëta, *Et curvæ rigidum falces conflantur in* (Virgil. l. 1. Georg.) „*ensem.* Sed eorum jam mittamus gladios, „quos promptissimè in Catholicos exerunt. „Quid si communis exurgat hostis omnium „eorum qui nomen Christianum profiten„tur? Num hic se opprimi patientur Reges „Christiani? Et ut proprias ipsi coronas de-

beant

„ beant parvi pendere, Christi gloriam nullâ „ dignam defensione judicabunt? Tot Christianis animabus, ne sub Antichristi dominatu miserabiliter intereant, nullam opem „ sui præsidij censebunt afferendam? Quid „ tot Imperatorum & Regum Christianorum adversùs Gothos, Wandalos, Hunnos, „ Saxones, Normannos, Longobardos, Mahometistas arma & prælia loquuntur? Quid „ Armeniorum olim Gens, amicissima & amicissima populo Romano: quæ cùm, Maximino tyrannidem in pios exercente, Christianæ Religionis ritum in idolorum cultum mutare cogeretur, & dæmones venerari pro Deo, inimica & adversaria effecta „ est; manumque se adversùs nefaria ejus Edicta defensare paravit, ac sponte bellum intulit? Hæc igitur omnia num ita quisquam improbanda censebit, ut dicat non „ debuisse filios novi Testamenti falces suas „ in gladios convertere, contra Isaiæ vaticinium? Imò verò quonam modo potest „ illud Isaias prædixisse videri, nec defensores quidem se gladio Christianos adversùs suæ Religionis hostes; cùm hoc „ eos sæpissimè constet, summo omnium „ bonorum consensu & ardore, fecisse? Non „ hoc igitur prædixit, quia factum esset indubiè si prædixisset. Verùm vim gratiæ „ novi Testamenti Propheta divinus expressit, quâ tam admirabilis, adeòque stupenda hominum metamorphosis effecta est, „ ut qui anteà Christi Ecclesiam hostili oppugnatione vastabant, iidem posteà Christianam fidem amplexi, ejusdem Ecclesiæ „ spirituales fierent agricolæ: qui & vomere „ prædicationis peccatorum corda verterent „ ad satus divinos accipiendos, & ejusdem „ prædicationis tanquam falce quâdam, albos ad messem populos colligerent in regna cælorum. Nam illud quod prætendunt „ hæretici si prædixisse Propheta putandus „ est, quonam modo vaticinatus est ex eodem Spiritu Zacharias Propheta de tempore novi Testamenti hunc in modum: *In die „ illa*, inquit, *erit fons patens domui David, & habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris „ & menstruatæ. Et erit in die illa, dicit Dominus „ exercituum, disperdam nomina idolorum de „ terra, & non memorabuntur ultrà: & Pseudoprophetas, & Spiritum immundum auferam de „ terra: & erit, cùm prophetaverit quispiam ultrà, „ dicent ei pater eius & mater eius, qui genuerunt „ eum: Non vives, quia mendacium locutus es in „ nomine Domini: & configent eum pater eius & „ mater eius, genitores eius, cùm prophetaverit?* „ Tam pias in Deum mentes fore Propheta „ significat, ut qui adversùs Religionem „ quidpiam protulerint, dignine illi morte „ sint, *non expectetur publicum iudicium, sed*

Vide Euseb. l. 9. Histor. Eccles. c. 7. & 8.

Zach. 13. 1. & seqq.

Vid. Hieron. in caput 13. Zachariæ.

„ *pereant qui tales sunt*, inquit D. Hieronymus, *etiam sententiâ propinquorum*. Usque „ adeò paterni maternique affectus homines „ obliviscentur, quò Dei retineant in unâ vera Religione servitutem.

„ CXV. Objiciunt nihilominùs hæretici, „ & qui eorum in hac causa partes agunt; „ *Cognitâ Christi mansuetudine, Christianos clementes esse decere, nullâque, præsertim in causâ „ Religionis ac fidei, severitate uti, perferreque illatas supplicia, non inferre.* Sed errat vehementer quisquis hæc rà mente dicit; ut putet „ cum severitate disciplinæ, mansuetudinem „ clementiamque constare non posse. Quis „ enim *Moysen*, primum Israëlitici populi „ Ducem, mansuetum fuisse neget: cùm „ etiam *mansuetissimum fuisse omnium hominum, „ quòs tum quidem terrarum Orbis haberet*, divina „ Scriptura testetur? Atque is tamen, idololatriâ populi cognitâ, tantam indignationem præ se tulit, ut quas de monte tabulas afferebat, ad radicem montis projectas confringeret: tantâque eâ irâ ad ultionem „ inflammatus, ut adjunctis sibi Levitis, „ *nec fratribus, nec amicis, nec proximis parci „ voluerit*: tantaque tum est hominum illius „ jussu edita strages, ut circiter viginti tria „ millia hominum gladius absumpserit. An „ non mansuetus & mitis *Samuel*? Et tamen „ cùm illi *oblatus esset pinguissimus Agag tremens, repentè eum in frusta concidit*; cui vitiosâ clementiâ Rex *Saul vitam anteà donaverat*. Puto & *Mathathiam*, Iudaici populi Sacerdotem, ac Principem laudatissimum, „ fuisse clementem: & tamen sacrificantem „ idolis Iudæum, accensus irâ secundùm judicium legis, *super ipsam aram trucidavit: simul „ que virum eum, quem Rex miserat Antiochus ut „ sacrificare cogeret, occidit ipso in tempore, & „ aram evertit*: atque ob hæc facta laudatur „ à Scriptura, quòd nimirum, *fecit Phinees, „ zelatus sit legem Domini*. Quem filius ejus „ *Iudas* imitatus, eodem zelo *perscrutabatur „ iniquos, qui populum eius conturbabant, flammisque succendebat*. Et quid alios hisce consimiles commemorem? *Christus* Dominus nonne mitis & mansuetus? Imò nonne elementiæ totius vivum & perfectum exemplar? „ Et is tamen *facto sibi flagello, ementes vendentesque templo ejecit, & mensas nummulariorum, „ ac vendentium columbas evertit*; illud de se „ conscriptum implens vaticinium, *zelus domûs tuæ comedit me*. Princeps Apostolorum „ *Petrus*, *Ananiam & Saphiram*, quia votum „ violassent, *verbo interemit*: nec eum tamen, „ opinor, fuisse clementem, aut novi Testamenti filium, quispiam est negaturus. „ Ut igitur illi mansueti clementesque fuerunt, ita Principes Christianos, cæterosque omnes, clementes esse decet: nempe

ut

OBJECTIO.

DILUTIO.

Num. 12. 3.

Exod. 32. 27.

1. Reg. 15. 32. & 33.

Ibid. v. 9.

1 Machab. 2. 24. & 25.

Ibid. v. 26.

1. Mach. 3. 5.

Ioan. 2. 15.

Psalm 68 10.

Act. 5. 1 & 10.

ut mansuetudinem ac misericordiam assiduè animis gerant, clementesque se, quantum quidem in ipsis est situm, semper exhibeant.

Vide Ambr. Epistol. 58. aliàs 51. ad Studium.

Si enim Gentilium non pauci, teste Ambrosio, *gloriari soliti erant, quòd incruentam de administratione Provinciali securim revexissent: quid Christiani facere debent, qui in Christi mansuetudine dicentis, Nec ego te, mulier, condemnabo;*

Ioan. 8. 11.

propositum habent quod sequantur? Foris interim quod pro tempore, pro locis, pro ingenijs, ac Reipublicæ necessitate faciendum esse prudentia dictaverit, editis etiam severitatis exemplis, exequantur. Talis Imperator Theodosius extitit, *vir*, Ambrosio teste, *misericors, humilis imperio, corde puro, & pectore mansueto*: Et is tamen non sine severitatis exemplo sacrilegos removit errores, clausit impia templa, simulachra destruxit, bella gessit: è quibus tamen victoriam fide magis quàm armorum vi reportavit. Quod si ea esset clementiæ mansuetudinisque ratio, ut nihil molestum, nihil durum, nihil asperum cuiquam inferri ob scelus oporteret, quem, rogo, nunc civitatum, quem regnorum ac provinciarum omnium statum haberemus? *Saltem*, aiunt quidam, *leviora supplicia ut sint, temporis ratio postulat.* Nec advertunt, nunc fures è medio tolli morte, justissimis probatissimisque Principum ac civitatum legibus: cùm solam dupli aut quadrupli pœnam lex vetus deposceret.

Vide Ambr. Ser. de Obitu Theodosij.

PRÆOCCUPATIO.

OBIECTIO 4.

CXVI. Sed aliud est quod vehementer urgent, nempè *exortâ novâ quâpiam Religione in Republica, sequendum esse Principi Gamalielis iudicium, atque consilium. Dixit enim ille cùm de Christianis interficiendis cogitaretur à quibusdam, productis Theoda & Iuda Galilæi exemplis: Et nunc itaq; discedite ab hominibus istis, & sinite illos; quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur: si verò ex Deo, non poteritis dissolvere; ne fortè & Deo repugnare videamini. Voluisse videtur*, aiunt, *Gamaliel vir integerrimo iudicio, nova atque inaudita proferentibus dogmata vim nullam esse faciendam: sed liberâ eis professione permissâ exitum esse præstolandum; propterea, quòd si in errore illi versentur, novasque & à vero abhorrentes opiniones pro veritate vendittent, eorum studium conatusque omnis ut in nihilum concidat, ultròque evanescat, necesse sit.*

Act. 5. 38. & 39.

DILVITVR.

Verùm cùm Gamalielis consilium penitùs inspicitur, non modò non eorum causam adjuvat, sed labefactat etiam, atque subvertit. Nam si noluit eos ullâ vi coërceri qui novam de Religione doctrinam protulissent, censuitque ultrò & quasi suâ sponte posse concidere quod Deum non haberet authorem; quid sibi ergò volunt exempla *Theodæ & Iudæ Galilæi*, quorum furorem non ignorabat armis fuisse repressum? Fadum enim Præsidem scribit Josephus, misso exercitu, seductos à Theoda partim tradidisse neci, partim captivos abstulisse, ipso sublato seductionis authore: *Cùm Fadus*, inquit, *provinciam gubernaret, quidam vir magus nomine Theodas, populis multis suasit, ut sumentes substantias suas, sequerentur eum ad Iordanem fluvium; semetipsum asserens esse Prophetam, & præcepto fluvium dividere, ut eis facilem transitum præberet. Hæc ergò dicens seduxit multos: non tamen permisit eos Fadus ad experimentum suæ insipientiæ pervenire, sed repentè cohortem misit equestrium super eos, quæ inopinatò irruens multos peremit: plurimos autem vivos cepit, ipsumque Theodam deprehendentes, capitis sectione mulctaverunt.* Et cap. 5. ejusdem libri: *Insuper*, inquit, *Iacobum & Simonem filios Iudæ Galilæi, qui populum à Romanorum potestate subducere nitebatur, sub Tiberio Iudææ Præside crucifigi Alexander imperavit.* Hæc igitur ab Iosepho conscripta, multòque minùs incognita Gamalieli, num significant non obviàm eundum esse Pseudoprophetarum conatibus? Non armorum vim, cùm viribus valent, objiciendam? Quid illud etiam declarat, quòd cæteri, probato Gamalielis consilio, *convocatis Apostolis, ijsque cæsis, denunciarunt, ne ampliùs quidquam de Christi nomine loquerentur?* An non satis fortasse quid diceret Gamaliel fuerant assecuti, sed istorum operâ qui explicarent indigebant? Hoc igitur Gamaliel, quod omnibus causis commune est, in causa quoque Apostolorum voluit observari, ne præcipitaretur in ijs damnationis sententia, neque temerè Crucifixi discipulos ut blasphemos, aut falsæ Religionis authores è medio tollerent, cùm nondùm id satis exploratum haberent, divinane esset an commentitia doctrina quam proferrent: sed differrent paulisper, reique exitum expectarent. Nam si humanum figmentum esset, mox deprehensum iri; impietatem suo semet judicio prodituram, continuòque per ordinatas Potestates, Deo sic comparante, comprimendam esse. Sic enim *Theodæ* ac *Iudæ Galilæi* cœpta, quòd nullo Dei spiritu fulciebantur, in nihilum abiêre. At si quod ab illis traderetur, divinitùs esset patefactum, nullis molitionibus, nulloque hominum conatu evertendum esse. Contra hoc consilium nihil ab ijs agi, qui manifestas maturoque judicio damnatas hæreses armatâ manu, cùm opus est, persequuntur, quivis nunc, ut opinor, intelligit. Neque enim est Ecclesiæ infantia aut ruditas ea, ut adhuc ei difficile sit, qualia sint hæreticorum dogmata, judicare: sed certissimas acceptas à Christo doctrinæ fideique regulas sequens, quid salutare, quid noxium, quid

Vide Joseph. l. 20. Antiq. c. 2. aliàs 4.

Act. 5. 40.

„ quid amplectendum, quid fugiendum esset, sine omni tempore errore perspexit. Quamobrem nec id timendum, ut Deo fortassè repugnare velle videantur, qui hæreticorum & schismaticorum obsistunt conatibus: sed id verendum potiùs, ne illis nostrâ socordiâ magis quàm virtute suâ vincentibus, verâ tandem Religione justo Dei judicio spoliemur.

OBJECTIO 5.

„ CXVII. Jam non illud magni est momenti, quod objiciunt ex Evangelio, discipulis vindictam poscentibus à Domino responsum esse: *Nescitis cujus spiritus estis: Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Ex quo loco Lutherus non dubitavit colligere, *contra voluntatem spiritûs esse, hæreticos extremo tradi supplicio.* Scilicet Spiritus divinus, qui ceteras pestes è Republica profligari atque exterminari voluerit, eamque ob rem gladij jus ministris suis tribuerit, hanc unam perniciem exuperantem reliquas alì voluerit ac foveri? Ergonè cui blasphemos, cui Religionis corruptores, populique seductores, cui homicidas, cui generatim maleficos perimi placuit: hic ut profligarentur hæretici, carnifices animarum crudelissimi, non satis æquum esse, aut non expedire judicavit? Et quid ergò, Luthere, causæ est, cur apud eos qui te uno præceptore se esse gaudebant, *contra Spiritus voluntatem* tanta esset in Catholicos licentia gladiorum, ut non modò pietatis, sed ipsius etiam humanitatis principia sublata esse viderentur: cùm & crudelissimis odijs arderent animi atque oculi singulorum, & cædibus ac sanguine maderent manus, & bellis plusquàm civilibus cives committerentur? Illi nimirùm sanctè, justè, utiliter cuncta peregerunt; nos audire cum discipulis illis debebimus, *Nescitis cujus spiritus estis: Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare?* Quanquam & Eliam supià meminimus, in suos Deique contemptores ignem è cælo devocasse: neque id quin juxta voluntatem Spiritus à sancto Propheta factum sit, dubitari potest. Cur igitur Catholicorum facta Principum, non de hujus potiùs comparatione probantur, quàm de illorum objurgatione damnantur; in quibus quod est à Domino reprehensum nullus est qui ab Ecclesia fieri patet, nisi qui ab ea sit alienus? Cùm enim illos animadverteret non correctionem amare eorum qui hospitium negavissent, sed odij amaritudine vindictam expetere: castigatos docuit propriæ quidem personæ injuriam patienter & infractè ferendam esse: divinæ verò servitutis injuriam inultam relinquere si spiritus voluntati prohiberetur, nunquam B. Apostolus *Magum illum, qui Proconsulem Paulum Sergium avertere à fide conabatur, cæcitate percussisset.* Quod igitur ille fecit, divino indubiè spiritu incitatus, ne cujus salus impediretur nequissimi hominis astutiâ; non id facerent Principes traditâ sibi potestate, ne innumerabiles animæ, plurimorum circumcircà vagantium dolis serpentinis perderentur? Et tamen *quanquam Dominus*, inquit Augustinus, *per servos suos regna subvertat erroris, ipsos tamen homines, inquantum homines sunt, emendandos esse potiùs, quàm perdendos jubet: & quicquid divinitùs ante ultimum judicium vindicatur, sive per improbos, sive per justos, sive per scientes, sive per nescientes sive occultè, sive palàm; non ad interitum hominum, sed ad medicinam valere credendum est, quam qui respuunt, extremo supplicio præparantur.* Nec igitur erit homini in hominem sæviendum, sed si quando pœnas efflagitabit noxia hominum generi quorundam improbitas, eæ sanandi vel præservandi misericordi animo, non intentione perdendi, irrogandæ erunt. Quisquis enim in peccantes animadvertit, humanæ debet infirmitatis & pravitatis ingenitæ, quâ nec ipse careat, meminisse: ejusque contemplatione lugere miserandum hominis statum, neque nisi invitus & dolens ad inferendum supplicium trahi: *Illi*, inquit Augustinus Manichæos alloquens, *in vos sæviant, qui nesciunt, cum quo labore verum inveniatur, & quàm difficilè caveantur errores. Illi in vos sæviant, qui nesciunt quàm rarum & arduum sit carnalia phantasmata piæ mentis serenitate superare. Illi in vos sæviant, qui nesciunt cum quanta difficultate sanetur oculus interioris hominis, ut possit intueri solem suum*".

Lucæ 9.56.

Vide suprà §. 82.

DILUITUR.

Act. 13. 8. & 11.

Vide Aug. lib. contra Epistolam Fundamenti cap. 1.

Vide Aug. ibid. c. 2.

CAPUT XXXII.

Rex Saul impunitatem Pythonissæ contra legis sanctionem promittendo ac jurando, figuravit Reges & Principes hæreticis perperàm conniventes, securitatem pollicentes, societate se nectentes. Affines invicem sunt venefici, & hæretici; sicut etiam fascinatio illorum, & dogmatizatio istorum. Exprobrat Apostolus Galatis, quòd fascinari *se fiverint à Pseudoapostolis. Fascinatrices quædam familiæ in Africa mirè nocivæ. Hæreses non modò quoad spiritalia, sed quoad ipsa etiam temporalia bona plurimùm officiunt humanæ societati; prout experimento patuit in Ariana, quæ instar Bellonæ vel Furiæ Romanum Imperium fœdè afflixit, & tetrè vastavit. Hæreticis non deest sæviendi voluntas, etiam cùm non suppetit exequendi facultas. Assimilantur leonibus, lupis, milvis, ac denique perdicibus. Indignum est homicidia & furta extremo supplicio vindicari, & sacrilegas hæreses impunitas tolerari.*

CXVIII. DIximus superiùs cap. 9. §. 37. Regem *Saulem* non parendo jussioni Domini in demoliendo *Amalec*, figurasse Reges ac Principes, hostibus Ecclesiæ veræque Religionis perperàm conniventes: quorum proindè quisque meritò formidare debeat, ne sibi replicetur illud *Sauli* olim divinitùs
1.Reg.15.23 dictum: *Pro eo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis Rex.* Cæterùm quia horum nonnulli eousque interdùm progrediuntur, ut hæreticis non modò simpliciter conniveant, sed conniventiam insuper suam peculiari pacto, etiam jurato, confirment: videamus utrùm hac etiam in re *Saulem* imitentur, atque adeò consimili ultioni obnoxij reddantur. Imitantur prorsùs: nam & ipse impunitatem pythonissæ promisit, & promissionem suam juramento firmavit. Cùm enim ab ea petivisset suscitari sibi quenpiam defunctum, à quo disceret quod nosse avebat; illa, nesciens quisnam ipse esset, re-
1.Reg.28.9. plicavit: *Ecce tu nosti quanta fecerit Saul, & quomodò eraserit magos & ariolos de terra: quare ergò insidiaris animæ meæ, ut occidar?*
Ibid. v.10. Respondit huic replicæ *Saul*, *Vivit Dominus, quia non eveniet tibi quidquam mali propter hanc rem.* Ecce impunitatem non modò promissam, sed & jurisiurandi adjectione roboratam! Nam illa phrasis, *vivit Dominus*, ritu Iudaico jurationem importat. Unde Ioannes
N. Ioannes Sarisb. L.2. Policrat. c. 37. Sarisberiensis hunc ipsum locum ex professo expendens: „ Verum quidem est, inquit, „ quia qui *versatur in sordibus, sordescit amplius*: & quem gratia deserit, *fiunt semper novissima illius deteriora prioribus*. Sacrilegij igitur conscia pythonissa expavescit: Apoc.22.11. Mat.12.45.
„ & potestas à Domino constituta ad sacrilegia evellenda, aliàs quidem timida, cùm „ negotia populi, cùm Domini bella geruntur; idololatriæ præstat audaciam, & „ sacrilegijs Regiam accommodat authoritatem. *Ariolos*, inquit Dominus, *& magos ne patiaris vivere*. At ille, *ad quem sermo Dei dirigitur*, & qui *gladium portat ad vindictam malefactorum, & bonorum gloriam*, non modò talibus securitatem dat, sed promissam pacem etiam juramenti religione confirmat: & sic evênit, ut in proprio periculo discat, *quàm perplexi sint nervi testiculorum Leviathan*, cùm sibi tetenderit laqueum Exod.22.18. Ioan.10.35. 1.Pet. 2.14. Iob.40.12.
„ proprij operis, à quo sine salutis dispendio „ non evadit. Et jam arcta complexio, & „ cornutus quidam imminet syllogismus: „ Si pythonissæ parcitur, Domini violatur „ imperium, præcipientis, ut maleficia hujusmodi de terra eradantur: si non parcitur, juramenti religio vitiatur. Quòcunque „ se vertat impius, comprehenditur in operibus suis".

CXIX. Hæreticorum cum veneficis & alijs consimilibus diaboli clientibus analogiam attigimus superiùs cap. 20. & 21. Addidimus prætereà cap. 22. §. 81. illam Augustini expostulationem cum Donatistis: *Cur in veneficos vigorem legum exerceri justè fatentur, in hære-* Augustinus suprà.

in hæreticos autem atque schismaticos impiâ dissensione notant fateri (Eandem quoque analogiam astruit Apostolus, cùm ait Galatis à quopiam Pseudoapostolo in hæresim seductis: O *insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati?* In quem locum Anselmus: O. Vere, ,, tu se Apostolus, inquit, ad increpationem ,, Galatarum, & fortiter arguit dementiam ,, illorum, quia doctrinam ejus tantis authori- ,, tatibus fultam deseruerant, & falsitati Pseu- ,, doapostolorum credebant. Unde subversio- ,, nem illorum attendens prorupit subitò in ,, exclamationem, ut tantæ magnitudi- ,, nem reatus illorum, faciliùs revocare eos ,, possit: quod quidem more Rhetorum vi- ,, detur facere. O, inquit, *insensati Galatæ*, id ,, est, omni sensu rationis carentes, sicut anima- ,, lia bruta. *Quis vos fascinavit*, id est, lividò ,, intuitu læsit? *Non obedire*, id est, ut non ,, credatis *Evangelicæ veritati*. Ne enim vera ,, insensati estis, qui mortiferam suasionem ,, accepistis cujuslibet Pseudoapostoli, qui nul- ,, lius nominis & authoritatis est, qui in po- ,, pulo latet, cujus etiam vocabulum ignoro; ,, nicamque doctrinam postponitis, quam à ,, solo Deo, non ab homine accepi; ego Apo- ,, stoli nihil novi in collatione Evangelii con- ,, tulêre, sed à me certiores facti sunt. *Quis vos* ,, *fascinavit*, id est, respectu invidiæ vos tene- ,, los lætit, dolentque de promotu vestræ per- ,, fectionis ac fidei, suo livore nocuit; sicut ,, aliquis qui solo respectu dicitur posse res al- ,, terius diminuere, & ita vos livenit aspectu ,, suo tabefecit, ut non credatis veritati meæ ,, prædicationis, sed falsitati sui pravi dogma- ,, tis? vel sicut incantatores *fascinant* & delu- ,, dunt homines, ut credant verum esse quod ,, falsum est, ita nescio quis *fascino* suæ dece- ,, ptionis adeò vos incantavit, ac verbis suis ,, immutavit, ut falsitatem pro veritate tene- ,, tis: unde & scriptum est; *Fascinatio nugaci-* ,, *tatis obscurat bona*". Scribit Aulus Gellius in Noctibus Atticis, legisse se in quibusdam ve- tustis libris, atque etiam in Naturali Historia Plinii: P. Esse quasdam in terra Africa fami- ,, lias hominum, voce atque linguâ effasci- ,, nantium: qui si impensiùs fortè laudaverint ,, pulchras arbores, segetes lætiores, infantes ,, amœniores, egregios equos, pecudes pastu ,, atque cultu opimas, emoriantur repentè ,, hæc omnia, nulli aliæ causæ obnoxia". Quòd si hujusmodi fascinatores corporum exter- minandi sunt è Republica, quantò potiori jure fascinatores animarum exterminari de- bent; qui utique illis prioribus tantò sunt nocentiores, quantò est anima corpore, & incolumitas illius incolumitate illorum præcel- lentior? Si ergò non liceat impunitatis pa- ctum inire cum fascinatoribus corporum,

Gal. 3. 1.

O. Anselm. in cap. 3. ad Galat. Vide Hieron. & Raban. & D. Thomam ibidem.

Sap. 4. 12.

P. Gellius. lib. 9. cap. 4.

quantò minùs licebit illud inire cum fascina- toribus animarum? Accedit præterea, quòd non animarum duntaxat, sed ipsorum quo- que corporum immanem stragem, bonorum temporalium luctuosam jacturam, totius po- litici status perturbationem hæreses tolerata plerunque progenerent: ut proindè ex hoc etiam capite incumbat Principibus onus eas exterminandi, nec ullam hæreticis impuni- tatem polliceendi. Exemplo sit hæresis Aria- na, quæ prima sub Imperatoribus Christia- næ professionis emersit; atque ut Hierony- mus §. 88. relatus perhibet, *quia non statim oppressa est, totum orbem flamma eius populata est*; & quidem populatione non spirituali tantùm, sed & temporali. Nam de spi- rituali loquens alibi idem Hieronymus: Q. Tunc, inquit, *Usia* nomen abolitum est; ,, tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata ,, est: ingemuit totus orbis, & Arianum se ,, esse miratus est". Et mox iterùm ibidem: ,, Periclitabatur navicula Apostolorum, ur- ,, gebant venti, fluctibus latera tundebantur, ,, nihil jam supererat spei". De temporali de- nique loquens Vincentius Lyrinensis: R. Ejus ,, temporis periculo, inquit, satis super- ,, que monstratum est, quantum inveha- ,, tur calamitatis, novelli dogmatis indu- ,, ctione. Tunc siquidem non solùm parvæ ,, res, sed etiam maximæ labefactatæ sunt. ,, Nec enim tantùm affinitates, cognatio- ,, nes, amicitiæ, domus; verùm etiam ur- ,, bes, populi, provinciæ, nationes, univer- ,, sum postremò Romanum Imperium fun- ,, ditùs concussum & emotum est. Namque ,, cùm profana ipsa Arianorum novitas, ,, velut quædam Bellona aut Furia, capto ,, priùs omnium Imperatore, cuncta dein- ,, dè palatii culmina legibus novis subju- ,, gasset, nequaquam deinceps destitit uni- ,, versa miscere atque vexare; privata ac pu- ,, blica, sacra profanaque omnia; nullum ,, boni & veri gerere discrimen, sed quos- ,, cunque collibuisset, tanquam de loco su- ,, periore percutere. Tunc temeratæ con- ,, juges, depullatæ viduæ, profanatæ virgi- ,, nes, monasteria demolita, disturbati Cle- ,, rici, verberati Levitæ, acti in exilium Sa- ,, cerdotes, oppleta sanctis ergastula, carce- ,, res, metalla: quorum pars maxima in- ,, terdictis urbibus, protrusi atque extorres, ,, inter deserta, speluncas, feras, saxa; nu- ,, ditate, fame, siti afflicti, contriti, & tabe- ,, facti sunt. Atqui hæc omnia nunquid ,, ullam aliam ob causam, nisi utique dum ,, pro cælesti dogmate superstitiones hu- ,, manæ introducuntur; dum benè funda- ,, ta antiquitas novitate scelestâ subruitur; ,, dum superiorum instituta violantur; dum

Vide Lessium lib. de variis potentum perfect. c. 13.

Hieron. supra.

Q. Hieron. lib. advers. Luciferianos cap. 7.

R. Vincent. Lyrin. c. 6.

resciu-

rescinduntur scita Patrum; dum convelluntur definita Majorum; dum sese intra sacratæ atque incorruptæ vetustatis castissimos limites profanæ ac novellæ curiositatis libido non continet"?

CXX. Quod de Arianis ille ait, in reliquis pariter hæreticis locum habet, quantùm saltem attinet ad affectum cordis & sævitiam voluntatis, licèt non semper quoad effectum operis, ob defectum potestatis. Omnes lupi æqualiter sævi sunt affectu, tametsi non omnes sævire sinantur effectu. Quinimò, ut Augustinus scribit [s]. "Lupus tantùm vult nocere, quantum leo: & dissimiliter nocent, sed non dissimiliter cupiunt. Leo enim non solùm contemnit canem latrantem, sed etiam fugat, & venit ad ovile, & obmutescentibus canibus rapit quod potest: lupus non audet inter latratus canum. Nunquid propterea quia non potest auferre à canibus territus, innocentior remeavit"? Iidem hæretici dum suppetit facultas sæviunt ut leones, qui adempta facultate mentiuntur se oves: sed non minùs sunt intrinsecùs lupi quando simulant se oves, quàm quando ferociunt ut leones. Leoninam Donatistarum ferociam perstringens Augustinus: [t] "Illorum furor, inquit, occupavit Africam totam, nec prædicari à Catholicis veritatem contra suum errorem patiebantur; violentis aggressionibus, latrocinationibus, itinerum obsidionibus, rapinis, ignibus, cædibus multa vastantes, cuncta terrentes". At verò amissâ postmodùm ferociendi facultate, ovinas pelles sumpserunt, gloriantes de sua mansuetudine, ut qui neminem ad suam sectam compellerent: [v]. *Absit, absit*, ait unus ipsorum, *à nostra conscientia, ut ad nostram fidem aliquem compellamus*. Cui respondens ibidem subsequenter Augustinus: "Etiam de mansuetudine gloriamini, inquit, quòd ad vestram partem neminem cogitis. Isto modo & milvus cùm pullos rapere territus non potest, columbum se nominet. Ubi enim potuistis, & non fecistis? Unde ostenditis, quod plura faceretis, si possetis; Quando Iulianus (*apostata*) vobis, Christi invidens paci, basilicas reddidit unitatis; quæ strages à vobis factæ sunt; quando vobiscum, apertis templis suis, etiam dæmones exultabant"? Et rursùs inferiùs ad calcem ejusdem capitis, postquàm complura exempla ferocitatis eorum commemorasset, subdit ad Petilianum: "Noli ergò dicere; *Absit, absit à nostra conscientia, ut ad nostram fidem aliquem compellamus*. Facitis enim ubi potestis: ubi autem non facitis, non potestis; sive legum sive invidiæ timore, sive resistentium multitudine". Cùm item Petilianus ibidem superiùs cap. 78. sibi ac suis arrogasset excellentem illam charitatem, quæ *omnia tolerat, omnia sustinet*: irridens eum Augustinus confestim respondit: "Quàm eleganter sub pelle ovina dicitur, *charitas omnia tolerat, omnia sustinet*! ubi autem ventum fuerit ad examen, lupini dentes operiri non possunt". Optimè hoc novit ille, qui monuit cavendos esse Pseudoprophetas, etiam ovinâ pelle amictos, eò quòd etiam tunc *intrinsecus sint lupi rapaces*. Semper ergò sunt lupi, tametsi subindè velint videri pacifici [w]. "Existat aliquis hæreticus, inquit Augustinus, etsi non frater diaboli, certè adjutor & filius; & ipsum dixerim *perdicem*, contentiosum animal. Hoc enim animal, ut aucupes norunt, etiam contendendi studio capitur. Contendunt isti contra veritatem, & contenderunt ex quo se diviserunt. Modò dicunt, *contendere nolumus*. Quia jam capti sunt, nolunt contendere. O capte, aliquando tu eras qui primis temporibus seditionis tuæ traditores arguebas, innocentes damnabas, judicium Imperatoris quærebas, judicio Episcoporum non consentiebas, victus sæpius appellabas, apud ipsum Imperatorem studiosissimè litigabas, *congregabas quæ non peperisti*. Ubi est nunc vox tua? ubi lingua tua? ubi sibilus tuus"? Qui plura exempla hæreticarum contentionum ac atrocium in Catholicos persecutionum nosse cupit, Ioannem Lensæum in peculiari libello, *de variis piarum persecutionibus* inscripto, pervolvat, præsertim cap. 32. & multis sequentibus. Qui rursùs lib. *de unica Religione in Rep. servanda* cap. 12. postquàm aliquot earundem persecutionum exempla recensuisset, adjunxit: "Tam sæpè aliàs ejusmodi fructus nobis hæresis peperit, ut ubi talia facta non sint, non voluntas defuisse, sed facultas abfuisse credenda sit. Sævire Donatistæ aliquando se nolle dicebant: *Ego autem*, inquit Augustinus, *non potuisse arbitror. Nulla bestia, si neminem vulneret, propterea mansueta dicitur, quia dentes & ungues non habet*. Hoc igitur crimen, tanta impietatis plenum, ut ipsius pietatis fundamentum cadicemque tollat: tam pestilens ac perniciosum, ut nisi attentissimè quisque caverit, proculque separetur, in periculum perdendæ salutis adducatur: hoc tam inquietum malum, turbulentum, rerumque mutationis avidum, non exilio, non vinculis, non facultatum amissione, non omni persecutione, adeoque ipsâ morte dignum censebimus? Ergò puniantur isto modo homicidia, adulteria, furta: sola sacrilegia impunita remanebunt? Quid quòd facultatibus exuantur, quòd suppliciis excrucientur

summâ

[s] Augustin. in Psalm. 95.

[t] Aug. l. 3. contra Iul. cap. 1.

[v] Petilian. apud Aug. lib. 2. contra ipsum c. 83.

Augustinus.

1. Cor. 13. 7.

Matt. 7. 15.

[w] Aug. lib. de Pastorib. cap. 12.

Hier. 17. 11.

Ioannes Lensæus.

„ summâ æquitate necentur, id nos permo„vebit; quòd verò simpliciorum animos „ mortiferis suasionibus perdiderint, pro ni„hilo putabimus? Cur indignum videatur „ morte corporis, qui animæ gravissimam „ mortem intulerit"?

CAPVT XXXIII.

Varij recensentur tituli, quibus obstringuntur Christiani Principes exterminare è suis ditionibus hæreses. Pejor est desertor fidei, & ex desertore oppugnator, quàm qui non deseruit, quam nunquam tenuit. Vindicta divina de schismaticis arguit enormitatem ipsius schismatis. Iudas Iscariotes, hæreticorum novæ legis primipilus, immanitatis sui facinoris meritò seipsum perpessus est & culpæ judicem, & pœnæ carnificem. Cuncti Reges ac Principes terreni, vasalli sunt Regis superni; cui servire jubentur in timore, & exultare cum tremore. Non servit dignè Regi Christo, qui finit infestari sponsam Christi: nec filij nomen congruè usurpat, qui matris honorem non zelat. Tyranni & Regis discrimen, quòd ille ad suam propriam, hic ad communem subditorum utilitatem omnia referat. Hinc cùm hæresum toleratio publico subditorum bono non prosit; sed obsit; consectariè evincitur, authorem ejus & indultorem exuere personam Regis, incurrere notam tyranni. Socratis de ritu colendi Numinis notanda sententia, Unumquemque Deum sic coli oportere, quomodò se ipse colendum esse præscripserit. *Cur Romani veteres, omnium promiscuè cultores Deorum, incultum præterierint Deum Hebræorum?*

CXXI. Obstringuntur itaque Catholici Principes multifariis titulorum nexibus, nullam conniventiam hæreticis intra suas respectivè ditiones præstare, multò minùs impunitatem polliceri, nedum juramenti religione firmare. Primò namque si ad veterem respiciant legem, non illam ceremonialem quæ Christo commortua est, sed judiciariam ipsi naturali legi consentaneam, reperient illic varias constitutiones adversùs Pseudoprophetas, & adversùs quoslibet adulterinæ Religionis sectatores emissas, prout cernere est hic superiùs cap. 17. & 22. quibus addi potest illud, veteri populo injunctum, circa alienigenarum in superstitione perseverantium convictum: *Non inibis cum eis fœdus, nec cum Dijs eorum: non habitent in terra tua, ne fortè peccare te faciant in me, si servieris Dijs eorum, quod tibi certè erit in scandalum.* (Exod. 23. 33.) Quæ lex denuò reperitur Exodi 34. 15. & Deuteronomij 7. 2. & seqq. Recolendum verò est ex dictis superiùs cap. 20. §. 76. hæreticorum commenta reputari idola sive Deos alienos, atque adeò ipsos hæreticos computari inter idololatras: X. (X. Vincent. Lyrin. c. 15.) Nova do„gmata, ait quidam, vetus Testamentum „ allegorico sermone *Deos alienos* appellare „ consuevit; eò quòd scilicet ita ab hæreticis „ ipsorum opiniones, sicut à Gentilibus Dij sui observentur". Quinimò Augustinus idololatriam hæreticorum pejorem esse censet idololatriâ paganorum. Cùm enim dixisset „ paganos in simulachra præcipitari, & ab „ operibus Dei usque ad opera sua demergi, quæ tamen adhuc visibilia sunt"; adjecit continuò: Y. (Y Aug. lib. de Vera Religione c. 38.) Est & alius deterior & infe„rior cultus simulachrorum, quo phantas„mata sua colunt, & quicquid animo erran„te cum superbia vel tumore cogitando ima„ginati fuerint, Religionis nomine obser„vant". Alibi quoque idem Augustinus hæreticos & apostatas fidem susceptam deserendo, desertamque oppugnando, pejores fieri asserit ethnicis eâdem fide nunquam imbutis: Z. (Z. Aug. l. 18. de Civ. c. 25. Vide Chrysost. Homil. 50. ad populum Ant.) Pejor utique est, inquit, desertor fidei, „ & ex desertore oppugnator ejus effectus, „ quàm ille, qui non deseruit quam nunquam tenuit". Cui consonans Hieronymus super illis Isaiæ verbis, *Væ terræ cymbalo alarum*: (Isa. 18. 1.) A. (A Hieron. in caput 18. Isaiæ v. 1.) Planguntur alæ hæreticorum, inquit, „ quæ instar navium per mare hujus seculi „ volitant, & impietatem superant ethnicorum". Subscribunt passim Scholastici Doctores

D.Thomas. ctores post D. Thomam 2.2.q.10.art.6. Favet quoque divina Scriptura 2. Petri 2. 21. Et sanè cùm semper hæresis adjunctum habeat crimen schismatis, ex immanitate hujus accessorij liquidò arguitur enormitas ipsius principalis. Comparat porrò inter se Optatus Milevitanus tria ista Dei præcepta, *Non occides*, item *Non ibis post Deos alienos*, item *Non facies schisma*: atque ex modo quo se Deus gessit erga singulorum violatores, colligit immanitatem schismatis præ homicidio & idololatriâ: [a]. "Videamus, inquiens, de ijs tribus, quid oportuit puniri, & quid meruit relaxari. Parricidium principale delictum est: & tamen *Cain* nec reus à Deo percutitur, sed occisus insuper vindicatur. In *Ninive civitate hominum centum viginti millia* sacrilega, quæ Deos alienos sequi videbantur: post iracundiam Dei, & nuncium Jonæ Prophetæ, jejunium parvi temporis & oratio indulgentiam meruit. Videamus si aliquid tale consecuti sunt ij, qui populum Dei primitùs ausi sunt scindere. Tot millibus virorum Israël, quorum à cervicibus divina providentia jugum servile dejecerat, *Aaron* sanctum unum præfecerat Sacerdotem: sed cùm ministri ejus Sacerdotium non sibi debitum concupiscentes, seductâ parte populi, illicitè invaderent, ritum imitati sacrorum ducentos, & quod excurrit, ministros secum perituros, cum thuribulis in fronte seducti populi posuerunt. Deus, cui displicet schisma, hoc libenter videre non potuit. Indixerant quodammodò Deo bellum, quasi esset alter Deus, qui alterum acciperet sacrificium. Igitur Deus pro neglectis mandatis iratus est irâ magnâ: & quod in sacrilegos & parricidam non fecerat, in schismaticos fecit. Stabat ministrorum acies & multitudo sacrilega, cum interdictis sacrificijs suis illicò peritura: negatum & subductum est pœnitentiæ tempus, quia non talis erat culpa quæ veniam mereretur. Mandata est terræ fames, statim *fauces suas in populi divisores aperuit*, & contemptores mandatorum Dei avido ore absorbuit. Intra momenti spatium, ad transglutiendos tales terra patuit, rapuit, clausa est: & ne beneficium de mortis compendio consequi viderentur, dum non essent digni vivere, ijs nec mori concessum est; tartareo carcere subitò clausi, antè sunt sepulti quàm mortui. Et miramini vobis aliquid tale asperè factum, qui schisma aut facitis aut colitis; cùm videatis quid magistri primi schismatis pati meruerunt"?

B. Optatus lib. 1 contra Parmen.

Gen. 4. 15.

Ion. 4. 11.

Num. 3. 10.

Num. 16. 32.

CXXII. Secundò si novam intueamur legem, reperietur in ea sancitum, ut *quisquis Ecclesiam non audierit, sicut ethnicus & publicanus habendus sit*. Repetient quoque *Iudam Iscariotem*, omnium hæreticorum novæ legis Patriarcham, ne sibi quidem ipsi pepercisse; sed, atrocitate sui criminis perculsum, morte dignum se censuisse, sententiam in seipsum protulisse, demumque carnificis munere functum *laqueo se suspendisse*. Ne igitur ij, qui jure gladij in Republica Christiana pollent, isto execrando proditore laxiores reputentur, ejusdem proditoris imitatoribus non conniveant, sed pœnalium in eos legum rigorem exerceant. An fortè quis ambiget Judam fuisse hæreticorum præcursorem; aut hæreticos Judæ imitatores? Sed communis Patrum consensus huic cunctationi occurrit: è quibus Origenes: [c]. "Cùm nihil mysterio vacuum sit, inquit, apud Christum, existimo duos discipulos *Iudas*, in mysterio fuisse Christianorum, profitentium fidem Christi: quorum una quidem pars fideliter permanet apud Christum, cujus mysterium fuit *Iudas Iacobi*; altera autem pars postquam credidit, & confessa est fidem Christi, propter avaritiam reliquit fidem Christi; & facta proditrix veritatis ipsius, transijt ad hæreses, & ad falsos Sacerdotes falsorum Judæorum, id est, simulatorum Christianorum, & tradidit eis Christum quantùm ad se, id est, verbum veritatis, ut crucifigatur & occidatur verbum veritatis ab eis; cujus mysterium fuit *Iudas Scarioth*". Sed quid de osculo hujus proditoris? "Ego puto, subdit idem Origenes inferiùs ibidem, quòd etiam omnes proditores veritatis, amare veritatem fingentes, & osculi signo utentes quasi quâdam indicatione charitatis, produnt verbum Dei volentibus ipsum tenere adversarijs ejus, nihil pacificum indutis, bellicos autem gladios & fustes injustè gerentibus. Et dicit proditor IESV, *Rabbi*: omnes enim hæretici, quemadmodum Iudas, sic IESV dicunt, *Rabbi*; qui & osculantur eum, sicut *Iudas*". Porrò Iudam non modò hæreticorum prodromum, sed & hæreticum multimodis extitisse; probat ex variorum Patrum suffragijs Theophilus Raynaudus in libello cui titulus, *Optima vita finis pessimus* cap. 6. & 15. Cui consonat Prateolus in catalogo hæresum lib. 9. c. 30. Cæterùm ut appareat quâ pœnâ digni sint qui invehendo vel fovendo hæreses imitantur Iudam, produntque veritatem, ipse Iudas velut supplens negligentiam custodum & executorum justitiæ, in seipsum tulit sententiam, egitque carnificem: [D]. "Tali ergò hæreticus, ait Maximus Taurinensis, quali & Iudas pœnâ damnatur: ut idem sui & reus sit sceleris, & Iudex ultionis". Non ideò autem in seipsum permissus est Iudas sævire, quòd ab alijs non meruerit ac deberent pro

Mat. 18. 17.

Mat. 27. 5.

C. Orig. Tr. 35. in Matthæum.

Raynaudus.

Prateolus

D. Max. Homil. 2 de accusato & judicato apud Pilatum Domino.

pro tanto scelere occidi; sed quòd tam immani facinori vindicando nullus potuerit truculentior vindex usquam reperiri. Unde ad eum exclamat Papa Leo: E. Meritò tibi „ tua pœna commissa est, quia in supplicium „ tuum nemo te sævior potuit inveniri". Et superiùs ibidem Serm. 3. cap. 3." Homo „ incorrigibilis; *Spiritus vadens & non rediens*, „ cordis tui secutus es rabiem, & *stante diabolo* „ *à dextris tuis*, iniquitatem, quam in sanctorum „ omnium armaveras caput, in tuum „ verticem retorsisti: ut quia facinus tuum „ omnem mensuram ultionis excesserat, te „ haberet impietas tua judicem, te pateretur tua pœna carnificem".

E. Leo Serm. 2. de Passione c. 4.
Psalm. 77. 39.
Psalm. 108. 6.

CXXIII. Tertiò si officium munusque suum attentiori reflexione considerent, deprehendent se esse Vasallos summi Regis, cui jussi sunt *servire in timore, & exultare cum tremore: apprehendere disciplinam nequando irascatur Dominus, & pereant de via justa*: F. Quo„ modò verò, inquit Augustinus, Reges *ser„ viunt Domino cum timore*, nisi ea quæ contra „ jussa Domini fiunt, religiosâ severitate prohibendo atque plectendo"? Quod ne quis putaret ad politicas duntaxat materias, vitam temporalem concernentes, restringendum esse; inprimis notet illam clausulam, *religiosâ severitate*. Quid est enim severitas religiosa, nisi quæ ex Religionis zelo procedit? Deindè advertat exempla hujus religiosæ severitatis ab eodem Augustino ibidem subjuncta, & hìc superiùs §. 101. transcripta. Tertiò attendat ad alium ejusdem Augustini, seipsum quodammodò explicantis, locum, ubi ait: G. In hoc Reges, sicut eis divinitùs „ præcipitur, Deo serviunt inquantum Re„ ges sunt, si in suo regno bona jubeant, ma„ la prohibeant; non solùm quæ pertinent „ ad humanam societatem, verùm etiam ad divinam Religionem". Quibus verbis ultra id quod intendebamus, etiam hoc significat Augustinus, Reges non solùm posse, sed etiam teneri, & quidem ex divino præcepto, *servire Domino*, jubendo bona, & prohibendo mala, ad divinam Religionem spectantia: hoc enim clarè importat illa clausula, *sicut eis divinitùs præcipitur*. Ubi allusio est ad illud præceptum: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram: servite Domino in timore &c.*" Imperatores, „ ait ipse Epist. 50. quando pro falsitate con„ tra veritatem constituunt malas leges, pro„ bantur benè credentes, & coronantur „ perseverantes: quando autem pro veritate „ contra falsitatem constituunt bonas leges, „ terrentur sævientes, & corriguntur in„ telligentes. Quicunque ergò legibus Im„ peratorum quæ contra veritatem Dei fe„ runtur obtemperare non vult, acquirit „ grande præmium: quicunque autem le„ gibus Imperatorum quæ pro Dei veritate „ feruntur obtemperare non vult, acquirit „ grande supplicium. Nam & temporibus „ Prophetarum omnes Reges, qui in populo „ Dei non prohibuerunt nec everterunt quæ „ contra Dei præcepta fuerant instituta; cul„ pantur: & qui prohibuerunt & everte„ runt, super aliorum merita laudantur. Et „ Rex *Nabuchodonosor* cùm servus esset ido„ lorum, constituit sacrilegam legem, ut si„ mulachrum adoraretur: sed ejus impiæ con„ stitutioni qui obedire noluerunt, piè fide„ literque fecerunt. Idem tamen Rex, divi„ no correctus miraculo, piam & laudabi„ lem legem pro veritate constituit, *ut quicun„ que diceret blasphemiam in Deum verum Sidrac,* „ *Misac, & Abdenago, cum domo sua penitùs interiret*". Cavendum tamen est Regibus, ne ita se causis fidei Religionisve immisceant, ut de veritate falsitateve dogmatum decidere quidquam velint. Hoc enim ad Episcopos, non ad terrenos Principes spectat; prout superiùs partim §. 36. partim §. 90 & aliquot sequentibus visum est. Itaque, ut jam pridem benè animadvertit Ruardus Decanus Lovaniensis, H. ad Episcoporum curam & „ officium præcipuè pertinet, ut ad omnem „ undecunque introductam novitatem dili„ gentissimè attenti occurrant, ut aberran„ tes à caulis Dominicis oviculas, modis qui„ bus possunt commodis, reducant: quos „ post tentata reductionis media omnia, ob„ stinatâ mentis pertinaciâ in lupos jam de„ generasse constat, & Christiano gregi per„ niciosos & noxios, notent, vitandosque „ omnibus præcipiant, & disciplinâ Eccle„ siasticâ ac canonicâ in eos utantur; & ne „ libri eorum pestilentes spargantur in vul„ gus, aut ab ullis legantur, diligenter pro„ spiciant. Authoritatis verò sæcularis est, „ agnoscere se *Ministros Dei esse*, à quo & gla„ dium acceperunt, ut regno ejus & Christi „ filii ipsius serviant, clamante Prophetâ Isaiâ „ ad Christum, & ad civitatem quam ædifi„ cat hìc in terris, Ecclesiam suam: *Gens &* „ *regnum, quod non servierit tibi, peribit*: Ideòque „ eorum officium est, ut suâ authoritate ad„ sint, curentque ne negligi contemnique „ possit Episcoporum authoritas; & ut re„ frænetur grassantium in Christi ovile lu„ porum audacia, & ferina rabies. Ad hoc „ enim præcipuè in Christi regno *gladium por„ tant*, ut sacrosanctæ authoritatis, quam in „ Ecclesia Christus constituit, & per quam „ gubernari eandem voluit, adversùs rebelles contumacesque, assertores sint".

Psalm. 2. 11. & 12.
F August. Epist. 50. Vide eund. Epist. 61 & lib. 2. contra literas Petiliani cap. 92.
G. Aug. lib. 3. contra Cresconium c. 51.
Psalm. 2. 10. & 11. Vide Aug. l. 1. contra Gaudent. cap. 15.
Dan. 3. 96.
H. Ruardus Oratione 6. Academica.
Rom. 13. 4.
Isa. 60. 12.
Rom. 13. 4.

CXXIV. Quartò si idem officium suum pleniùs introspiciant, deprehendent se obstrictos custodire ac tueri Ecclesiam, & tanquam

tanquam matrem suam, & tanquam sponsam Domini sui: [L] Pertinet hoc, inquit (I. Aug. Tract. 33. in Ioan.) „Augustinus, ad Reges sæculi Christianos, ut „temporibus suis pacatam velint matrem „suam Ecclesiam, unde spiritaliter nati sunt". An fortè quis ambigit Ecclesiam esse Regum matrem? Ambigat ergò idem an Deus sit eorundem pater: siquidem, ut non minùs verè quàm facundè Martyr olim scripsit Cyprianus, K. (K. Cyprian. lib. de Unit. Ecclesiæ.) Habere jam non potest „Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem". Unde & idem ipse Cyprianus maternitatem istam distinctiùs exprimens, ait de Ecclesia ex persona omnium Christianorum, nullo Rege vel Imperatore secluso: L. (L. Ibid. inserà.) Una „mater est, fœcunditatis successibus copiosa: „illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur". Hujus typum gessit *Eva*, (Gen. 3. 20.) quando dicta est *mater cunctorum viventium*. Hæc est illa mater, *cui homo adhæsurus* prædicitur, *relicto patre & matre*: (Gen. 2. 24.) unde dicit Apostolus, *Sacramentum hoc magnum est, ego autem* (Ephes. 5. 32.) *dico in Christo & in Ecclesia*. Hæc est illa *Mulier* (Prov. 31. 11.) *fortis*, de qua scriptum est, *confidit in ea cor viri sui*: & rursùs, *Surrexerunt filij ejus & beatissimam prædicaverunt*. (Ibid. v. 28.) Hi profectò ii genuini tantæ matris filij sint, non linguâ tantùm aut verbo *beatissimam* prædicabunt, *sed opere & veritate* prædicationem suam firmabunt: (1. Ioan. 3. 18.) ne dicatur eis respectu matris, quod scriptum est de alijs respectu patris; *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*. (Tit. 1. 16.) Ut autem opere & veritate matrem suam prædicent beatissimam, non satis est quòd ipsi eam colant, nec ullas in eam blasphemias effutiant, sed necesse insuper est ut blasphemantes cohibeant, nec eis ullatenùs conniveant: etenim, ut Papa Celestinus olim aiebat, M. (M Celestin. Epist. ad Episcop. Galliæ cap. 1.) *In talibus causis non caret suspicione taciturnitas*. Laudat quoque Christus quendam, quòd *non potuerit sustinere malos; & tentaris eos qui dicebant se Apostolos esse, cùm non essent*: (Apoc. 2. 2.) alium autem ex adverso redarguit, quòd in sua ditione *haberet tenentes doctrinam Nicolaitarum*: (Ibid. v. 15.) & alium item quòd *permitteret mulierem Iezabel, dicentem se Propheten docere, & seducere servos suas*. (Ibid. v. 20.) Quin imo videtur pejori loco habere languidos hujusmodi convictores, quàm apertos oppugnatores: *Utinam*, ait cuidam, *frigidus esses aut calidus: sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo*. (Apoc. 3. 15. & 16.) Nimis profectò durus, inhumanus, & impius fuerit, quem injuria matri suæ irrogata non commoverit, non exciverit, non accenderit. Quid igitur superest, nisi ut hujusmodi filij in Ecclesiæ matris suæ vastatores insurgant, aut certè eidem matri palàm renuncient? Quin etiam ex alio titulo in eosdem insurgere obstringuntur, quia nimirùm illi sponsam Regis sui polluere adulterio moliuntur.

Legimus in Regum sacra Historia, quòd cùm tentasset *Adonias* pervenire ad nuptias *Abisag Sunamitidis*, Davidi pridem conjugatæ, (3. Reg. 2. 17. & 23.) licet ab ipso nequaquam tactæ; Rex Salomon eundem, fratrem suum, confestim *curavit occidi*. Quo exemplo monentur Reges Christiani, ut à fortiori perimant eos, qui stuprum intentant sponsæ Christi. De quo eorum stupro loquens Tertullianus: N. (N Tertull. l. de Præscript. cap. 44.) Apud „nos, inquit, testimonia disciplinæ ad testimo„nium veritatis accedunt; à qua devertere „nemini expedit, qui in eminentem futuri Iu„dicij, quo *omnes nos necesse est apud Christi* (2. Cor. 5. 10.) „*tribunal adstare*, reddentes rationem impri„mis ipsius fidei. Quid ergo dicent, qui „illam stupraverint adulterio hæretico, vir„ginem traditam à Christo"? (Vide Petri Damiani l. 7. Epist. 10.) Si morte dignum fuit, attentare connubium sponsæ Regis terreni, jam vitâ functi; quantò magis intentare stuprum sponsæ Regis cælestis, etiamnunc vivi? Cùm igitur Rex *Salomon* ne ad unum quidem diem distulerit necem fratris sui *Adoniæ*, (3. Reg. 2. 24.) attentantis illud primum; quantò arctiùs obstringuntur Christiani Reges, indilatè vindicare in hæreticis istud postremum? O. Cognoscant ergò Principes sæ„culi, ait Isidorus, (O. Isidor. l. 3. Sentent. c. 51.) Deo debere se rationem „reddere propter Ecclesiam, quam à Chri„sto tuendam suscipiunt: nam sive augea„tur pax & disciplina Ecclesiæ per fideles „Principes, sive solvatur; ille ab eis ratio„nem exiget, qui eorum Potestati Ecclesiam suam credidit".

CXXV. Quintò, si intueantur finem ob quem evecti sunt ad apicem Principatûs, reperient eum non alium esse, quàm publicum subditorum bonum: ut proindè ex vi muneris sui obstringantur providere populorum sibi respectivè concreditorum commoda, & avertere incommoda: P. (P. Isidor. Pelusiota l. 3. Epist. 74.) Imperij regu„la, ait quidam, hæc demùm est, quæ ad „subditorum utilitatem omnia molitur. „Nam qui Imperij disciplinam compositum„que ordinem in tyrannidem perturbatio„nemque immutat, & labores quidem sub„ditis comparat, sibi autem voluptates au„cupatur; hic non Imperij, sed tyrannidis regulam ac legem describit". Et rursùs inferiùs Epist. 194. ibidem: " Tyrannis, in„quit, ad suam, Regnum autem ad subditorum utilitatem omnia refert". Consonat Sepulveda lib. 1. de Regno: (Sepulveda.) " Multa sunt, „inquiens, quibus Rex à tyranno discerni„tur: Primum, quòd tota Regis admini„stratio ad subditorum bonum publicum „refertur, tyrannica verò ad privatam ipsius tyranni commoditatem". Eòdem collimat & Synesius: Q. (Q. Synesius Orat. de Regno. Vide Dion. Chrysost. Orat. 1. & 3. de Regno.) Rectè omninò, inquiens, „verus ait sententia: *Subditorum multitudinem* „*non potiùs Regem facere, quàm tyrannum*; *sicut*

nec

nec ovium multitudo pastorem potiùs, quàm coquum, qui illas abigit, ut ys mactatis non modò ipse famem expleat, sed & alys epulandas pretio distrahat. Iisdem prorsùs limitibus Regem à tyranno distare censeo: nam quod ad fortunam pertinet, ambobus haud dissimilis est. In multos uterque homines imperium habet: verùm qui id in vitæ ratione sequitur, quod ijs quibus imperat commodum videtur; qui laborem & molestiam perferre vult, ne quid illis molesti accidat; qui pro illis periclitatur, ut in pace & securitate degant; qui vigilare & in maximo sollicitudinum concursu versari sustinet, ut noctu & interdiu illi malis omnibus vacent: hic in genere quidem ovium *pastor*, in hominum verò genere *Rex* est habendus. At qui per luxum potestate abutitur, & imperium voluptate ac delicijs conterit, suas omnes cupiditates explendas sibi esse ducens, unde subjecti sibi gravissimis afficiantur damnis, idque ex multorum imperio lucrum deputat, si quamplurimi suis libidinibus ac cupiditatibus serviant; &, ut uno verbo dicam, qui gregem non saginare, sed à grege saginari vult: eum inter pecora coquum appello, eum tyrannum esse censeo, si is cui præest populus, ratione sit præditus". Breviter Aristoteles: ^R. Tyrannus suum, inquit, Rex autem eorum qui ab ipso reguntur, considerat commoda". Et Aristotele vetustior Socrates: ^S. Rex creatur, inquit, non ut egregiè sui ipsius curam gerat: sed ut ij etiam qui eum crearunt, beati per ipsum sint". Et Jamblichus apud Stobæum Serm. 44." Hunc sibi finem, inquit, proponit honestus Princeps, ut subditos suos efficiat felices". Et Architas Tarentinus apud eundem Stobæum ibidem: " Optimus erit Princeps, inquit, qui lege divinissimâ usus fuerit: qualis futurus est, qui nihil sui gratiâ fecerit, sed omnia propter subditos". Quibus consonat Isidorus Hispalensis, cùm ita scribit: ^T. Non statim utile est omne potestatis insigne: sed tunc verè est utile, si benè geratur: tunc autem benè geritur, quando subjectis prodest, quibus terreno honore præfertur". Et Franciscus Patricius: ^V. Regis officium est, inquit, justè gubernare eos quibus præest, & illorum commodis semper adesse. Nam sicut medicus utilitati languentis, non suæ; & gubernator, eorum quos vehit, consulere debet: sic Rex, eorum quibus imperat. Aliter Rex neutiquam habendus fuerit, sed tyrannus". Et rursùs ibidem inferiùs:" Non Rex habendus est, inquit, sed tyrannus, qui non ut ratio, verùm ut homo imperat; tenditque ad proprium commodum, non autem ad utilitatem eorum quibus præest". Et superiùs lib. 1. cap. 3." Si Rex, inquit, oblitus utilitatis eorum quibus præest, proprium duntaxat quærit commodum, sibi suisque studet; justitiam negligit; voluptati inservit; tunc à dignitate sua discedit, fitque tyrannus".

R. Arist. 8. Ethic. c. 10. vide ibidem c. 11. & l. 5. Polit. c. 10.
S Socrates apud Xenophon. lib 3. Memorab.
Iamblichus
Architas Tarentinus.
T. Isidorus l. 3. Sentent. cap. 48.
V. Francisc. Patricius l. 2. de Reg. cap. 1.

CXXVI. Cùm igitur ad hoc Reges ac Principes in Republica constituantur, atque ad fastigium humanæ dignitatis ac potestatis evehantur, ut publicæ subditorum utilitati consulant, provideant, atque prospiciant; planum fit, eos ex vi muneris & officij sui obstringi ad præcavendum pro viribus ne in suis ditionibus hæreses insurgant, neve quæ fortè ipsis inscijs aut invitis subintrolerint, invalescant. Hoc enim bono publico adeò necessarium est, ut sine eo nec procurari, nec procuratum conservari queat. Publicum quippè humanæ societatis bonum ex pace & prosperitate civium coalescit, quarum neutra absque veritate simul & unitate Religionis stare potest. Author namque veræ pacis veræque prosperitatis solus est Deus, qui falsæ cujusque religionis professione, sive solitariâ sive sociariâ, non invitatur ut prosperet, sed irritatur ut proterat. Unde cùm Scriptura præmisisset: *Noli adorare Deum alienum*: mox subdidit, *Dominus zelotes nomen eius, Deus est æmulator*: ^W. Quoniam *zelando*, inquit Augustinus, solent mariti uxorum pudicitiam custodire, potestatem & disciplinam Dei, quâ fornicari animam impunè non sinit, *zelum Dei* Scripturæ vocaverunt. Est enim animæ fornicatio, aversio à fœcunditate sapientiæ, & ad conceptum temporalium illecebrarum corruptionumque conversio". Discutit alibi idem Augustinus, undenàm provenerit quòd veteres Romani, apud quos diligentissimâ superstitione habebatur collectum quicquid usquàm fuerat vanis erroribus institutum, solum Hebræorum Deum excluserint, cùm cæterorum quorumlibet populorum Deos & sedulò conquirerent, & inventos introducerent. Rejectis autem alijs hujusce exclusionis causis obtendi consuetis, subdit ipse: ^X. Nihil ergò restat ut dicant cur hujus Dei sacra recipere noluerint, nisi quia solum se coli voluerit; illos autem Deos Gentium, quos isti jam colebant, coli prohibuerit". Et rursùs ibidem post paucula:" *Socratis*, inquit, sententia est: *unumquemque Deum sic coli oportere, quomodo se ipso colendum esse præceperit.* Proindè istis summa necessitas facta est non colendi Deum Hebræorum: quia si alio modo eum colere vellent quàm se colendum ipse dixisset, non utique illum colerent, sed quod ipsi finxissent: si autem illo modo vellent quo

Exod. 34. 14.
W. August. lib. contra Adimant. cap. 7 Vide Theodoret. q 29. in Exodum.
X. August. l. 1 de consensu Evangel. cap. 18.
Socrates.

 ipse

„ ipse diceret, alios sibi colendos non esse cernebant, quos ille coli prohibebat". Idem profectò Deus modò est Christianorum, qui & olim Hebræorum: ac per hoc sicut olim noluit alios, præter se, Deos coli; ita & modò non vult alia, præter sua, dogmata introduci: & rursùs sicut olim noluit se alio quàm à se præscripto ritu coli, ita & modò non vult aliâ se Religione, quàm à se per seipsum, aut per Ecclesiam suâ vice fungentem, præscriptâ, honorari. Quapropter quicunque eum aliter honorare seu colere tentant, non eum colunt, sed quod ipsi sibi fingunt: atque adeò tali cultu non eum placant, sed irritant; nec impetrant ab eo prosperitatem, sed accersunt sibi calamitatem. Ex quo ulteriùs conficitur, eos qui Reipublicæ curam gerunt, teneri ex vi muneris sui exterminare universas hæreses è suis ditionibus, atque unicam veram Catholicam Religionem pati ac fovere in iisdem suis ditionibus: aliter enim nec pacem subditis procurabunt stabiliter, nec prosperitatem; sed seditionem accersent, & calamitatem.

CAPUT XXXIV.

Præmissorum confirmatio ex Petro Ribadeneira, multis argumentis ac documentis monstrante, fieri non posse, ut in eadem Republica Catholici cum hæreticis firmâ societate jungantur. *Ex quo consectarium est, eos qui pacem Reipublicæ sibi concreditæ procurare ac conservare ex officio tenentur, pro viribus cavere teneri ne hæretici Catholicis in suis respectivè ditionibus commisceantur. Variorum Principum in eam rem Edicta proferuntur.*

CXXVII. EXtat P. Petri Ribadeneira luculentus Tractatus, duobus libris comprehensus, *Principis Christiani* titulo prænotatus, à P. Joanne Orano in Latinum de Hispanico versus: in quo multa sparsim præassertæ à nobis jam doctrinæ consentanea occurrunt, sed præcipuè lib. 1. cap. 23. cui pro summario præfigitur Lemma istud: *Fieri non posse, ut in eadem Republica Catholici cum hæreticis firmâ societate conjungantur.* Textus porrò subnectitur hujusce tenoris:" Sancta & augusta, „ quàm colimus, Religio, persimilis est Reginæ singularis pulchritudinis, eximiæque „ Majestatis; è cælo delapsa, quæ nihil fœditate deforme, nihil opinione disjunctum, „ nihil nisi cæleste prorsùsque divinum admittit. Itaque quemadmodùm inter corporis membra unicum est caput, inter planetas & errantes septem stellas Sol unus, „ unica singulis corporibus movendis ac regendis anima data est, Rex unus in regno, in „ exercitu militariter instructo unus est Imperator, unus denique Deus qui hanc rerum universitatem administrat: ita fieri „ non potest, ut in hoc spirituali Mundo, „ quæ est Ecclesia, sit alia atque alia fides: „ sed una est Religio, quâ tanquam necessitudine quâdam consuetudinis & amoris, „ ut Rebecca cum suo Isaac, Rachel cum Jacobo, Regina cum Rege, Ecclesia cum „ Christo conjungitur. Quis ergò cum hac „ Regina virgineque castissima, turpissimum „ ac infame scortum, cujusmodi est hæresis, „ copulet? Quis in eadem acerra sacrum, & „ profanum ignem offerat? Quis in eadem „ ara & ædicula arcam Dei, & idolum *Dagon* „ collocet? Christum, & Antichristum societ? Si Christus Deus est, cur Baalem sequimur? Si Baal Deus est, cur Christum „ amplectimur ac confitemur? *Non benè convenit*, ut cum Tertulliano loquar, *signo* „ *Christi, & signo diaboli; castris lucis, & castris* „ *tenebrarum: non potest una anima duobus deberi.* (Vide Tertull. lib. de Idololatr. c. 19.) „ Et, ut dicit D. Cyprianus, *Cohærere non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine,* „ *pluvia cum serenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas.* (Vide Cypr. lib. de Unit. Ecclesiæ) Qui justitiam & sanctitatem Abelis vult factis exprimere, oportet „ illum à Caini, etsi fratris, consortio divelli. Qui saluti suæ cupit consultum, cum „ Loth à Sodomis recedat; cum Ismaële „ non ludat, ut Isaac; Esau fugiat, ut Jacob; „ & ut tyrannidem Pharaonis, durumque „ Ægyptiacæ servitutis populum opprimentis jugum evadat, Ægyptum cum Israële „ deserat. In eos enim qui hæc caverint, verè „ conveniet benedictio, quam Levitarum „ tribui largitus est Moyses, ut his verbis in „ Deuteronomio refertur: *Qui dixit Patri &* „ *matri suæ, Nescio vos; & fratribus suis, Ignoro* „ *vos, & nescierunt filios suos: hi custodierunt* „ *eloquium tuum, & pactum tuum servaverunt.* (Deut. 33. 9.) „ Verissimè proindè dictum est ab Ambrosio „ in Epistola ad Valentinianum Imperatorem:

(Ribadeneira)

Vide Ambr. Epist. 81. aliàs 12.

rem: *Præsentior est qui se animis inserit, quàm qui oculis protestatur: plus enim est mente connecti, quàm corpore copulari.*

CXXVIII. Simul atque Israëliticus populus de Ægypto pedem extulit, præceptum est illi à Deo, ne cum *Chananæis, Iebusæis,* & *Amorrhæis* ullius contubernij aut matrimonij communionem haberet: ne cum hominibus à fide alienis pacem iniret, sed perpetuo bello lacesseret, eorum oppida everteret, urbes solo æquaret, falsos Prophetas morte de medio tolleret: ut his nos doceret Deus; quantum odisse Christi hostes, quantum à Religionis nostræ adversarijs abhorrere debeamus. Nihil enim, ut diximus, commercij est Deo cum Satana, nihil Christo cum Belial, fideli cum infideli. *Nemo potest bibere calicem Christi, & dæmoniorum*: nam, ut Christus ait, *Qui non est mecum, contra me est; & qui non congregat mecum, spargit.* Propterea & Jehu Propheta dicebat Regi Josaphat, *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitiâ iungeris, idcircò iram Dei merebaris*: quam senserunt Amasias, & Asa ob ejusmodi sacrilegas conjunctiones. Ut enim ait Cyrillus Hierosolymitanus Antistes, *Amicitia cum serpente, cum Deo inimicitia est.* Ad hanc rem maximè facit, quod de S. Glyceriæ sacris ossibus proditum est à Nicephoro. Narrat enim author, ex ejus corpore pretiosissimum unguentum, tanquam ex jugi ac perenni fonte, manare solitum: Antistitem verò ejus loci *Perinthium* pelvim argenteam Constantinopoli comparasse, quam, ob reverentiam sacri liquoris, sublato vase æreo, supposuerit, cultui unguenti divinitùs manantis maximè convenire arbitratus: ignorabat enim in ea detestandum cruorem exceptum fuisse, quem incantator & magus in usus incantationum ac veneficiorum adhibuisset. Quo facto, rivum unguenti constitisse: Deus enim tantum piaculum detestatus, gratiam & donum cohibuit, haudquaquam fas esse judicans ut immundo mundum conjungeretur. Latentem causam graviter tulisse Episcopum, & ad lachrymas & preces conversum, eâ divinitùs patefactâ subduxisse argenteum vasculum, & prius illud æneum, quasi virginem & immaculatum restituisse. Et ecce tibi denuò unguentum cursu pridèm consueto scaturisse & exundasse. Graviter & eruditè dixit Marsilius Ficinus suis in Platonem argumentis: *Ad impietatem etiam pertinet familiaritas & communicatio omnis seu in cibo, seu in verbis, cum iis initâ, qui ob nefaria scelera à sacris arcentur: qui & contaminati, cæteros quoque vel ipsâ propinquitate contaminant.* Tanta enim, ut D. Cypriani solerter hoc observantis utar verbis, *indignatio Domini existit adversùs illos qui schisma faciunt, ut etiam cùm homo Dei ad Ieroboam missus esset, qui ei peccata sua exprobraret, atque ultionem futuram prædiceret; panem quoque apud illos edere, & aquam bibere vetaretur. Quod cùm non custodisset, & contra Dei præceptum prandisset, statim divinæ censuræ ultione percussus est: ut indè digrediens, à leone in itinere necaretur.* D. Ambrosius in Epistola ad Vigilium Tridentinum Antistitem & gloriosum Martyrem; in qua docet quæ probi Pastoris sint partes; admonet inprimis *vitandum diligenter ne fiat veluti commune corpus Ecclesiæ, Gentilium admixtione.* Gregorius Nazianzenus Nectarium, suum in sede Constantinopolitana successorem, culpavit, quod hæreticos ea in civitate permitteret. D. Chrysostomum è Pontificia dignitate deturbandi ansam occasionemque indè sumpserunt ejus adversarij; quòd dicerent eum in Origene damnando remissiorem, & in libris ejus prohibendis tardiorem fuisse. Potestne is, qui in sinu serpentem gestat, ab ejus morsibus non ulcerari? Aut *qui picem tangit*, ut cum sacra Scriptura loquar, *non inquinari*? Aut qui hominem noxiâ peste laborantem, ad eandem mensam, ad idem cubiculum admittit, à morbi contagione se eximere? An fortè majores inimicitiæ innatæ sunt lupis cum agnis, quàm quæ inter hæreticos & Catholicos intercedant oportet? Præclarè proindè Petrus Venerabilis: *Quo vultu*, inquit, *quâ conscientiâ ad altare Salvatoris accedere, quâ fronte ad colloquia pia matris eius venire tentabo, quum blasphemis hostibus eius blanditus fuero?*

Vide Cypr. Epist. 70.

3. Reg. 13. 16.

Ibid. v. 26.

Vide Ambr. Epist. 24. aliàs 72.

Vide Nazian. Orat. 46.

1. Cor. 10. 20.

Matt. 12. 30.

2. Par. 19. 2.

Vide Cyrill. Catech. 18.

Vid. Niceph. lib. 18. Hist. cap. 32.

Vide Ficin. in argumento Dial. 10. Platonis de Legibus.

Eccles. 13. 1.

Vide Petr. Cluniac. l. 2. de Miraculis c. 13.

CXXIX. Judæi principiò amicitias cum Assyrijs junxerunt, sensimque consuetudine & decursu temporis factum est; ut eorum mores doctrinamque sequerentur, atque in ejus sceleris ultionem, Deo permittente, ab illis ipsis, quos sibi familiares & amicos fecerant, ea Judæis inferretur pernicies, quam sanctissimi Vates, futuri supplicij timore permoti, multo antea tempore prædixerant. *Arius* in urbe Alexandrinâ, necessitudine contubernij, & fictâ pietatis simulatione, septingentas virgines voto castitatis Deo obstrictas circumvenit, & hereticæ impietatis veneno infecit: quæ, ne puellas alias societate suâ contaminarent, *cum Ario*, ut testatur Epiphanius, *è civitate electæ sunt.* Quin & omnia sacra Concilia severis legibus cavent, ne cum hæreticis oremus aut psallamus, ne cibum cum eis capiamus, ne affinitatem ineamus, nec aliarum rerum cum illis ulla nobis prorsùs communitas intercedat. Fabianus Papa in Epistola ad omnes Orientales Episcopos: *Manifestum est*, inquit, *quòd hi*

Vide Epiph. Hæresi 69.

Fabianus Papa.

extra nos sunt, & à nobis discreti esse debent; cum quibus nos nec edere, nec cibum sumere licet. Legibus civilibus prohibetur, ne hæreticus ad testimonium admittatur, nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis successionem accedat, nec publicis muneribus fungi possit: prout liquet ex Codice Theodosiano, & Justinianæo. Constantinus etiam Imperator legem tulit, quæ sic habet:

Vide lib. 1. Cod. tit. 5. leg. 1.

Privilegia quæ contemplatione Religionis indulta sunt, Catholicæ tantum legis observatoribus prodesse oportet: Hæreticos autem, atque schismaticos, non tantùm ab his privilegijs alienos esse volumus, sed etiam diversis muneribus constringi, & subijci. Et in quodam adversùs hæreticos Edicto sic ipsos alloquitur:

Constantinus apud Euseb. l. 3. de vita eius cap. 65.

O veritatis inimici, hostes vitæ, internecionis authores & consiliarij, omnia apud vos veritati contraria, turpibus consentientia, maleficijs, ineptijs, & commentitijs fabulis exultantia, quibus certè mendacia struitis, premitis insontes, fidelibus lucem veritatis denegatis. Nam falsâ visione & specie pietatis semper delinquentes, omnia contagione vestra contaminatis, conscientias integras & labe vacuas lethalibus plagis vulneratis; ipsum diem, penè dixerim, hominum oculis ademistis. Quo etiam in loco cùm plura in eos scripsisset Imperator, tandem sic edicit: *Sic igitur hoc ratum statutumq; ut post hunc diem nullo in loco, vel publico vel privato, nefarij vestri conventus in unum coire audeant.* Gratianus, Valentinianus, & Theodosius Augusti, Edictum ad populum urbis Constantinopolitanæ in hæc verba promulgarunt:

Lib. 1. Codicis tit. 1. leg. 1.

Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit temperamentum, in tali volumus Religione versari, quam divinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, Religio usque nunc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum, virum Apostolicæ sanctitatis. Et paulò pòst: *Hanc legem sequentes, Christianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti: reliquos verò dementes vesanosque iudicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere; nec conciabula eorum Ecclesiarum nomen accipere: divinâ primùm vindictâ, pòst etiam motus nostri, quem ex cælesti arbitrio sumpserimus, ultione plectendos.*

CXXX. Justinianus etiam lege editâ omnes hæreticos ac paganos de finibus totius Imperij jussit expelli, nisi intra tres menses fidem Christianam complecterentur. Honorius & Arcadius hæreticos Manichæos & Donatistas lege latâ, pro criminosis habendos sanxerunt, in qua lege hæc habentur:

Lib. 1. Codicis tit. 5. leg. 4.

Huic itaque hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus commune sit cum cæteris. Ac primùm quidem volumus esse publicum crimen: quia quod in Religionem divinam committitur in omnium fertur iniuriam: quos bonorum etiam publicatione persequimur: quæ tamen cedere iubemus proximis quibuscunque personis; ita ut ascendentium, vel descendentium, vel venientium ex latere cognatorum, usque ad secundum gradum, velut in successionibus ordo servetur. Ipsos quoque volumus amoveri ab omni liberalitate & successione, quolibet titulo veniente. Præterea, non donandi, non emendi, non vendendi, non postremò contrahendi, cuiquam convicto relinquimus facultatem. In mortem quoque inquisitio tendit: nam si in criminibus Maiestatis licet memoriam accusare defuncti, non immeritò & hic debet subire iudicium. Ergò & suprema illius scriptura irrita sit voluntatis, qui aut Manichæus, aut Phryga, aut Priscillianista fuisse convincitur. Hoc quoque casu eadem illa circa gradus superiùs comprehensos conditione servatur: alioquin nec filios existere aut adire permittimus, nisi à paterna pravitate discesserint. Et in lege 64. Theodosius & Valentinianus sic habent: *Manichæos hæreticos, sive schismaticos, omnemq; Sectam Catholicis inimicam, ab ipso aspectu urbium diversarum exterminari præcipimus: ut nec præsentia criminosorum contagione fœdentur.* Et Lege 65. de Hæreticis loquentes, statuunt, *ut nusquam in Romano solo conveniendi orandiq; habeant facultatem: quoniam nihil his relinquendum loci est, in quo ipsis etiam elementis fiat iniuria.* Et lege 42. eodem Codice, sic Honorius & Theodosius loquuntur: *Qui Catholicæ Sectæ sunt inimici, intra patriam militare prohibemus. Nullus nobis sit aliquâ ratione coniunctus, qui à nobis fide & Religione discordat.* Ex Concilijs Toletanis certum est, decretum fuisse, ut quisquis succedentium temporum regni sortiretur apicem, non antè conscenderet Regiam sedem, quàm inter reliqua sacramento polliceretur, se nullum non Catholicum in suo regno degere permissurum, sed armis hæreticos persecuturum, qui Ecclesiæ pacem perturbarent. Quæ cùm ita sint, quî fieri potest, ut in eadem Republica cum Catholicis quietam & tranquillam vitam degant, quos leges omnes, divinæ pariter atque humanæ, damnant, & procul exterminandos volunt "?

CAPVT

CAPUT XXXV.

Quemadmodùm Reges & Principes tenentur hæreticis sibi detectis non parcere, ita & subditi tenentur hæreticos sibi notos detegere, atque ad suos Principes aliosve Superiores deferre: proindè sicut Principes, hæreticis sibi delatis parcentes, imitantur Saulem pythonissæ sibi detectæ indulgentem; sic & subditi, hæreticos sibi notos non deferentes, imitantur servos Saulis pythonissam sibi notam celantes. Qui hæreticos sibi compertos non produnt, in judicio Christi invenientur rei de silentio, etiamsi non contaminentur assensu. In causa Dei, ubi communionis periculum est, etiam dissimulare, peccatum non leve est. Utrùm hæreticorum denuntiationi vel accusationi præmittenda sit secreta fraternave correptio?

CXXXI. Quemadmodùm Reges ac Principes Christiani, qui hæreticos de suis respectivè ditionibus exterminant, imitatores se exhibent Regis *Saul*, *eradentis magos & ariolos de terra*: (1. Reg. 28. 9.) ita ex adverso, qui hæreticis connivent, aut impunitatem promittunt, imitantur eundem Regem *Saul*, pythonissam sibi detectam vivere permittentem, permissionemque suam pacto, etiam jurato, firmantem: prout cap. 32. §. 118. visum est. Rursùs quemadmodùm *Doëgus*, mulio Regis *Saulis*, prodendo Sacerdotes eidem *Sauli*, præfiguravit exploratores, qui veritatis asseclas persecutoribus perimendos deferunt: ita & illi ejusdem *Saulis* famuli, qui pythonissam scienter celaverant, ne cum cæteris magis & ariolis eraderetur; præfigurarunt eos, qui hæreticos sibi notos occultant, nec justitiæ Ministris exterminandos deferunt: (1. Reg. 28. 7.) *Quærite mihi*, inquit Saul, *mulierem habentem pythonem, & vadam ad eam, & sciscitabor per illam. Et dixerunt servi eius ad eum: Est mulier pythonem habens in Endor.* Quando Rex pythonissas de terra juxta Dei legem eradendas conquisierat, servi Regis de illa in Endor commorante siluerunt: quando verò ad illicitam divinationem uti ejus operâ constituit, confestim indicarunt: non ut illa plecteretur, sed ut Regis perire volentis nutui obsequeretur. Sanè nisi Rex *Saul* in reprobum sensum jam traditus fuisset, atque à lege Domini cor ejus recessisset; servos istos suos debitâ ultione plexuisset, quòd criminosam plecti jussam celassent, nec cum reliquis magis & ariolis eradendam traduxissent. Neque enim ignorantiam prætexere poterant, qui non ipsam duntaxat, sed & locum & domum habitationis ejus tam accuratè norunt, ut Regem eò perducere per nocturnas etiam tenebras potuerint: (1. Reg. 28. 8.) *Abyt ipse*, ait contextus, *& duo viri cum eo: veneruntque ad mulierem nocte.* Duo isti viri proculdubiò domum pythonissæ, ipsamque pythonissam probè norant, qui Regi duces nocturni itineris se præbuerunt. Quia ergò norunt, & tamen celarunt, mortis supplicium utique promeruerunt: *Qui talia agunt*, inquit Apostolus, *digni sunt morte: & non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*: (Rom. 1. 32.) Y. Consentire autem est, ut „ait Anselmus, si quis cùm possit reprehendere, taceat, vel aduletur". (Y. Anselm. in caput. 1. ad Rom. v. 12.) Unde & Regula 43. Juris in 6. ait: *Qui tacet, consentire videtur.* Si ergò qui criminosis consentit, mortem promeretur: consequens profectò est, ut qui tacendo, criminosos celat, mortis reatu implicetur. Mortis proindè reatum incurrerunt servi *Saulis*, pythonissam morte dignam suâ taciturnitate celando: eundemque reatum incurrit etiam ipse *Saul*, iisdem celatoribus parcendo, nec promeritam ultionem inferendo: Z. Qui facit peccatum, inquit Haymo, & non consentit, dignus est morte: „qui non facit, & consentit in subditis non „puniendo; dignus est morte; qui autem „faciunt & consentiunt, illi duplici morte digni sunt". (Z. Haymo in caput 1. ad Roman. v. 32.) Dignus igitur morte est Princeps, qui tametsi crimina cum subditis non perpetret, perpetrantibus tamen subditis connivet: A Princeps enim, ut Sarisberiensis „ait, tenetur de omnibus, & omnium author „esse videtur: quia cùm omnia possit corrige„re, eorum meritò particeps est, quæ noluit emendare". (A. Ioan. Sarisb. lib. 4. Policrat. cap. 12.) Hùc non importunè referri potest quod in suis Subcisivis memorat Camerarius, de Principis cujusdam morione; qui cum vidisset Principem suum à quopiam interpellari pro remissione tertij homicidij à se perpetrati, exclamavit ad Principem: *Domine, ille rem primum duntaxat homicidium perpetravit, tu secundum, & tertium: nam si primi veniam ei non dedisses, nec secundum nec tertium* (Vide Camerarium Centuriâ 1. Operæ subcisivæ cap. 100.)

commi-

commisisset. Porrò quod ille de homicidio peculiariter ait, de cæteris quoque criminibus pariliter plectendis dici potest; signanter de sacrilegio circa Dei Religionem commisso vel permisso. Eteniìm, ut benè monet Augustinus, B: Pertinet ad religiosos Reges terræ non solùm adulteria, vel homicidia, vel hujusmodi alia flagitia vel facinora, verùm etiam *sacrilegia* severitate congruâ cohibere". *Nam scelus infandum est dextram præstare benignam Illis, qui Superis indicunt bella Beatis.*

B. August. Epist. 61.

Vide Julianum Apostatam Epistola 49.

CXXXII. Cæterùm sicut Reges muneri suo desunt, qui, ad imitationem *Saulis*, pythonissæ sibi jam detectæ parcentis, hæreticis sibi proditis parcunt: ita & eorum subditi desunt suo officio, qui, ad imitationem servorum *Saulis* pythonissam sibi jam pridèm notam celantium, hæreticos sibi notos prodere negligunt. Quemadmodùm enim Reges Deo servire debent, hæreticos sibi proditos exterminando: ita & subditi servire Deo debent, hæreticos sibi notos deferendo: C. Omnes enim homines, inquit Augustinus, servire Deo debent, aliter communi conditione quâ homines sunt; aliter diversis donis, quòd ille aliud agit in rebus humanis, ille aliud. Non enim auferenda idola (*hæretica dogmata*) de terra, quod tantò antè futurum prædictum est, posset quisquam jubere privatus. Habent ergò Reges, exceptâ generis humani societate, eo ipso quo Reges sunt, unde sic Domino serviant, quomodò non possunt qui Reges non sunt". Habent igitur omnes homines Domino serviendi modum suum, Reges suum, subditi suum. Postquam enim Ecclesia dogmata nefaria condemnaverit, atque ad eorum extirpationem auxilium Potestatis Regalis imploraverit, incumbet subditis dogmatistas sibi compertos prodere, incumbet & Regibus proditos plectere: D. Sub Religionis disciplinâ, inquit Isidorus, Potestates sæculi subjectæ sunt: & quamvis culmine regni sint præditi, vinculo tamen fidei tenentur adstricti; ut & fidem Christi suis legibus prædicent, & ipsam fidei prædicationem moribus bonis conservent. Principes sæculi nonnunquam intra Ecclesiam adeptæ potestatis culmina tenent: ut per eandem potestatem, disciplinam Ecclesiasticam muniant. Cæterùm intra Ecclesiam Potestates necessariæ non essent, nisi ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, Potestas impleret per disciplinæ terrorem. Sæpè per regnum terrenum, cæleste regnum proficit: ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem & disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur; ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ humilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum Potestas Principalis imponat; & ut venerationem mereatur, virtute Potestatis impertiat. Cognoscant Principes sæculi, Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, sive solvatur; ille ab eis rationem exiget, qui eorum Potestati suam Ecclesiam credidit".

C. Aug. l. 2. contra literas Petiliani cap. 92.

D. Isidorus l. 3. Sentent. cap. 51.

CXXXIII. Quoniam autem Reges & Principes rigorem suæ potestatis exercere nequeunt in hæreticos, nisi subditi prodant eosdem hæreticos; idcircò sicut ipsi obstringuntur delatos plectere, sic & subditi obstringuntur deprehensos deferre. Quod si negligant, rei erunt de silentio, quamvis non contaminentur assensu: E. Parum prodest unicuique, inquit Leo Papa, quòd protegente Spiritu Sancto ab istis (*hæreticis*) ipse non capitur, si cùm alios capi intelligit, non movetur. Contra communes hostes, pro salute communi, una communis debet esse vigilantia: ne de alicujus membri vulnere etiam alia possint membra corrumpi. Et qui tales non prodendos putant, in Iudicio Christi invenientur rei de silentio, etiamsi non contaminentur assensu". Et Serm. 4. de Collectis & Eleëmosyna: "Magna est pietas, inquit, prodere latebras impiorum, & ipsum in eis, cui serviunt, diabolum debellare". Et mox iterum ibidem: "Cavendi sunt, inquit, ne cuiquam noceant: prodendi sunt, ne in aliqua civitatis nostræ parte consistant". Huc etiam spectat illud Ambrosij documentum: F. Licet tibi silere in negotio pecuniario, quanquam sit constantiæ, adesse æquitati: in causa autem Dei, ubi communionis periculum est, etiam dissimulare, peccatum est non leve". Eòdem quoque spectat lex Deuteronomij superiùs hìc cap. 22. §. 85. relata, quatenùs præcipit non tantùm ut non acquiescas Pseudoprophetæ seducere nitenti, nec audias eum: sed *nec parcat ei oculus tuus*, inquit, *ut miserearis, & occultès eum*. Hinc Augustinus, loquens de Pelagianis pridem synodaliter hæreseos condemnatis, ait plebi Catholicæ: G. Fratres mei, compatimini mecum. Ubi tales inveneritis, occultare nolite; non sit in vobis perversa misericordia. Prorsùs ubi tales inveneritis, occultare nolite. Redarguite contradicentes, & resistentes ad nos perducite. Jam enim de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam Rescripta venerunt: causa finita est, error utinam aliquando finiatur". Ex Augustini igitur testimonio *perversa misericordia est*, hæreticos

E. Leo Serm. 3. de Jejun. 10 Mensis. Vide Epist. 8.

F. Ambr. l. 2. Offic. cap. 24.

Deut. 13. 8.

G. August. Serm. 2. de Verb. Apost. cap. 10.

ticos celare; atque adeò officij ratio exigit, indilatè eos deferre: [H]. Quædam enim peccata, ait Divus Thomas, occulta sunt, quæ sunt in nocumentum proximorum, vel corporale, vel spiritale: puta si aliquis occultè tractet quomodò civitas tradatur hostibus, vel si hæreticus privatim homines à fide avertat. Et quia ille, qui sic occultè peccat, non solùm in te peccat, sed etiam in alios; oportet statim procedere ad denuntiationem, ut hujusmodi nocumentum impediatur: nisi fortè aliquis firmiter existimaret, quòd statim per secretam admonitionem posset hujusmodi mala impedire". Benè autem monet Bonacina, vix unquam dari locum huic finali exceptioni respectu hæreticorum formalium, qui nimirum in perfidia persistunt cum pertinacia adversùs Ecclesiæ decisionem sibi notam: [I]. Cùm enim hæreticus, ait ille, negligat monitionem & determinationem totius Ecclesiæ, multò magis contemnet privatam, adhærendo suæ falsæ opinioni cum pertinacia. Ita communior Doctorum sententia". Id ipsum ante Bonacinam disertè tradiderat Bannez: [K] Conditionalis illa exceptiva, inquiens, quam ponit Divus Thomas, vix aut nunquam poterit verificari quantùm ad effectum correptionis, quamvis possit verificari quantùm ad æstimationem quam aliquis de seipso potest habere, *æstimans firmiter* quòd valeat corrigere hæreticum. Et tunc non est mirum, si ex conscientia erronea teneatur corripere hæreticum. Utrùm autem illa conscientia erronea sit cum ignorantia vincibili, Deo rationem reddet: interim tamen magno periculo se exponit apud Iudices Ecclesiasticos, ad quorum judicium si pervenerit hujusmodi factum, meritò acerrimè punietur. Quoniam esto ita, quòd ille hæreticus corrigatur, tamen de consortibus illius, à quibus didicit, vel quos ipse dogmatizavit, non potest esse tuta Respublica Christiana. Justissima ergò lex est, experientiâ docente, quòd in hujusmodi crimine necessarium sit, statim, propter boni communis conservationem, denuntiare".

[H] D. Thom. 2.2. q. 33. a. 7. in corp. Vide Sylviū in hunc articulum Divi Thomæ conclus. 2. & Vignerium cap. 12. Institutionum §. 2. vers. 7. & 10.

[I] Bonacina Tr. de Obete denunciandi p. 1. § 1. n. 5.

[K] Bannez in 2. 2. q. 33. art. 7 & 8. conclus. 3. ad 4. Vide ibid. suprà in quæst. a 4 conclus 4. & inferius q. 62. artic. 1. & Navarrum in Manuali cap. 21. n. 32. & 38.

CAPUT XXXVI.

Promissio non deferendi hæreticum occultum, vel non puniendi detectum, promittentem non obligat, quando ipsius observatio in perniciem publicam vergit; dummodò tamen citra forum confessionale provenerit. Iuramentum quoque eidem adjectum non stringit; quippè non ob hoc institutum, ut vinculum esset iniquitatis. Satius proindè est Davidem imitari juramento incauto contravenientem, quàm Herodem obsequentem. Quod in Religionem divinam committitur, in omnium fertur injuriam: ideòque hæresis inter crimina publica jure censetur. Negligere, cùm possis deturbare perversos, nihil aliud est, quàm fovere: nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare: meritò namquè causa nos respicit, si nostro silentio faveamus errori. Cùm canes latrent pro dominis suis, quantò magis latrare debent Christiani pro Christo?

CXXXIV. Sed quid si vel subditus promiserit hæretico occulto quòd non eum deferret, vel Princeps quòd non eum puniret? Respondeo recolendam hîc esse doctrinam Divi Thomæ, ita scribentis: [L]. De illis quæ homini sunt commissa in secreto per confessionem, nullo modo debet testimonium ferre: quia hujusmodi non scit ut homo, sed tanquam Dei minister; & majus est vinculum Sacramenti, quolibet hominis præcepto. Circa ea verò quæ aliter homini sub secreto committuntur, distinguendum est: quandoque enim sunt talia, quæ statim cùm ad notitiam hominis venerint, homo ea manifestare tenetur: puta si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritalem vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ, vel si quid aliud est hujusmodi, quod quis propalare tenetur vel testificando, vel denuntiando. Et contra hoc debitum obligari non potest per secreti commissum; quia in hoc frangeret fidem, quam alteri debet. Quandoque verò sunt talia, quæ quis prodere non tenetur: unde potest obligari ex hoc, quòd sibi sub secreto commit-

[L] D. Thom. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2.

committuntur", &c. Præmiserat quoque idem author superiùs q. 68. art. 1. ad 3. „ Revelare secreta in malum personæ, est „ contra fidelitatem: non autem si revelen„tur propter bonum commune, quod sem„per præferendum est bono privato. Et „ ideò contra bonum commune, nullum secretum licet recipere". Porrò sicut non licet recipere, ita nec illicitè receptum servare: quia non minùs servando, quàm recipiendo, læditur bonum commune, quod semper præferendum est bono privato ejus cui facta est promissio. Quinimò non ob aliud illicita est ejusmodi secreti receptio, nisi quia illicita est ipsius servatio. Unde si hæc foret licita, illa nequaquam esset illicita. Quia ergò illicita est, rescindenda est, juxta regulam 69. Juris in 6. quæ ait: *In malis promissis fidem non expedit observari.* Cui consonum est illud Isodori, etiam corpori Juris insertum: M. In „ malis promissis rescinde fidem, in turpi vo„to muta decretum; quod incautè vovisti, „ non facias. Impia enim est promissio, quæ scelere impletur". Et illud item Synodi 8. Toletanæ: N. Cùm noxia promissa comple„mus, Dei jussa superbè contemnimus, & „ proximis impiâ crudelitate nocemus, & „ nos ipsos crudeliore mortis gladio trucidamus". Et illud item Ambrosij: O. Pulchrum „ ac sincerum oportet esse affectum, ut unus„quisque simplicem sermonem proferat, vas „ suum in sanctificatione possideat, nec fra„trem suum circumscriptione verborum in„ducat, nihil promittat inhonestum; aut si „ promiserit, tolerabilius est promissum non facere, quàm facere quod turpe est". Præmiserat quoque idem superiùs lib. 1. cap. 50. hanc sententiam: " Est etiam contra offi„cium nonnunquam solvere promissum, sacramentum custodire". Basilius item Magnus propositæ sibi interrogationi, *Si quis præoccupatus factorum se aliquid constituerit eorum quæ Deo non placent, utrum ei potius faciendum sit ut revocet quod malè constituerat an metu mendacij committendum peccatum?* Respondet: P. Re„scindendum esse quicquid præter Domini „ voluntatem quis constituerit, apertè de„monstratur in Apostolo Petro; qui priùs „ constituerat, ac dixerat, *Non lavabis mihi „ pedes in æternum*: ubi verò affirmatè audi„vit Dominum dicentem, *Nisi lavero te, non „ habebis partem mecum*; confestim senten„tiam mutavit, ac dixit: *Domine, non tantùm pedes, sed & manus, & caput*". Extat denique apud Ivonem canon Synodi Eliberitanæ huc spectans, & ita sonans: Q. Dif„finitio incauta laudabiliter dissolvitur; „ nec prævaricatio est, sed temeritatis emendatio".

M. Isid. l. 2. Synonim. cap. 10. Vide cap. In malis, 22. q. 4.

N Synod. 8. Tolet. c. 2.

O. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 10.

P. Basil Reguli 60. Inter Breviores.

Joan. 13. 8. & 9.

Q. Apud Ivonem in Decreto p. 12. cap. 10.

CXXXV. Sed quid si promissioni sive taciturnitatis, sive impunitatis, hæretico factæ adjiciatur jurisjurandi vinculum? Respondet Regula 58. Iuris in 6. *Non est obligatorium, contra bonos mores præstitum juramentum.* Etenim, ut rectè monet Augustinus apud Gratianum, R. Juramentum non ob hoc „ fuisse institutum invenitur, ut esset vincu„lum iniquitatis, vel matricidij, vel fratricidij, seu cujuscunque criminis". Hinc providè consulit Venerabilis Beda, ut S. si „ aliquid incautiùs fortè nos jurare contige„rit, quod observatum scilicet pejorem ver„gat in exitum, liberè illud consilio salu„briore mutandum noverimus; ac magis in„stante necessitate pejerandum nobis, quàm „ pro vitando perjurio in aliud crimen gra„vius esse divertendum. Juravit David per „ Dominum, *accidere Nabal*, virum stultum „ & impium, atque omnia quæ ad illum per„tinerent demoliri: sed ad primam inter„cessionem *Abigail*, fœminæ prudentis, mox „ remisit minas, revocavit ensem in vagi„nam, neque aliquid culpæ se tali perjurio „ contraxisse doluit. Juravit Herodes dare „ saltatrici *quodcunque postulasset ab eo*; & ne „ perjurus diceretur à convivis, ipsum con„vivium sanguine polluit, dum Prophetæ mortem saltationis præmium fecit". Peccavit itaque uterque Rex perperàm jurando, sed Herodes peccatum peccato addidit, juramentum implendo: David non addidit, mulieri prudenter dissuadenti acquiescendo. Refert Gratianus Causâ 22. q. 4. & post eum Ivo p. 12. cap. 75. sub nomine Soteris Papæ quendam Canonem decretalem, penè coincidentem cum sententia mox ex Beda relatâ, qui sic sonat: T. Si aliquid fortè in„cautius nos jurasse contigerit, quod obser„vatum vergat in pejorem exitum, illud „ consilio salubriore mutandum noverimus: „ & magis instante necessitate pejerandum „ nobis, quàm pro facto juramento in aliud crimen majus esse divertendum". Appositè in hanc rem scribit Synodus Toletana VIII. cap. 2. ". Malum, inquiens, quod quis factu„rum se sacramento devoverat; omninò „ non faciat: quia stulta vota frangenda sunt". Veteribus Patribus hac in re consonant Scholastici, post Divum Thomam 2. 2. q. 89. art. 7. in Corpore, dicentem: " Si sit „ quidem possibile, quod juratum est, sed „ fieri non debeat, vel quia est per se ma„lum, vel quia est boni impeditivum: tunc „ juramento deest justitia, & ideò juramen„tum non est servandum in eo casu quo est „ peccatum, vel boni impeditivum: secun„dùm Augustinum enim utrumque vergit in deteriorem exitum ". Cui consona est illa Isidori sententia: " V. Non est servan„dum sacramentum, quo malum incautè promit-

R. August. apud Gratianum 22. q. 4. c. Inter cætera.

S. Bed. Homil. de Decollat. Ioan. Bapt. Vide Aug. Serm. 11 inter Parisienses de Sanctis, & Ambros. lib. 3. Offic. c. 50. & l. 9. c. 12. & lib. 3. de Virgin. & Aug. q. 18 in Josue, & Basil. Epist. ad Amphiloch. can. 29.

1. Reg. 25. 22

Marc. 6. 23.

T. Soter Papa apud Gratianum caus. 22. q. 4. cap. 16.

Synodus Toletana.

D. Thomas.

V. Isidor. l. 2. Sent. cap. 31.

promittitur: veluti si quispiam adultera perpetuò cum ea permanendi fidem polliceatur. Tolerabilius est enim non implere sacramentum, quàm permanere in stupri flagitio".

CXXXVI. Non igitur obstat secreti promissio etiam jurata, quo minùs possint ac debeant hæretici, per conscios criminis indilatè deferri. Nam cùm hæresis sit crimen publicum, communi bono extremè nocivum; & singula Reipublicæ membra arctissimè obstringantur publico bono pro viribus subvenire, ac publico malo pariliter obviare: planum est, promissionem secreti in materia hæreseos contrariari officio boni civis, atque adeò ut illicitam omninò esse rescindendam, prout ex dictis §. 134. elucet. Planum pariter est, jurationem eidem promissioni adjectam, non modò illicitam esse, sed irritam quoque ac nullam, prout ex §. proximè præcedenti perspicuum est. Hæresim porrò esse crimen publicum, expressè perhibetur lib. 1. Codicis titulo quinto lege quartâ, additurque hæc ratio: *Quia quod in Religionem divinam committitur, in omnium fertur injuriam.* Et sanè cùm apud omnes Gentes crimen læsæ Majestatis humanæ censeatur publicum, & nullâ secreti profani promissione etiam juratâ celandum; quanto potiori jure hæresis, quâ & divina Majestas supereminenter læditur, & publica tranquillitas immaniter perturbatur? Quapropter etsi fortè Princeps possit, ac subinde etiam debeat, dimittere crimina in suam Majestatem perpetrata vel attentata: non tamen hinc consequens est, ut in crimine hæreseos dissimulare valeat: [W]. "Si peccaverit in nos, inquit Hieronymus, frater noster, & in qualibet causa nos læserit, dimittendi habemus potestatem, imò necessitatem: si autem in Deum quis peccaverit, non est nostri arbitrij. Dicit enim Scriptura, *Si peccaverit homo in hominem, rogabit pro eo Sacerdos: si autem in Deum peccaverit, quis rogabit pro eo?* Nos è contrario in Dei injuria benigni sumus, in nostris contumelijs exercemus odia". Sive igitur subditus, sive Princeps, in detegendis respectivè vel plectendis hæreticis negligens extiterit, jure sanè merito de hæresi suspectus haberi poterit ac debebit: [X]. "Error enim cui non resistitur, approbatur: & veritas cùm minimè defensatur, opprimitur. Negligere quippè cùm possis deturbare perversos, nihil aliud est, quàm fovere: nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare". Nec est quòd occulti hæretici hine sibi quidquam polliceantur, quòd non

Vide cap. Vergentis ii. de Hæretic.

W. Hieron. in cap. 18. Matthæi. Vide Epist. 73. in fine.

1. Reg. 2. 25.

X. Cap. Error Dist. 83.

PRÆOCCUPATIO.

dictum sit, occulto facinori, sed, *manifesto facinori.* Nam imprimis crebrò accidit ut *facinus sit manifestum*, etiamsi facinorosus lateat occultus. Ex quo enim Ecclesia deciderit aliquod dogma esse hæreticum, facinus fit manifestum, etsi dogmatista non nisi uni sit compertus. Hic proindè unus facinoris conscius, *non carebit scrupulo societatis occultæ, si manifesto facinori desinat obviare.* Deindè *facinus* dupliciter dici potest occultum, vel *manifestum*: respectivè scilicet & absolutè. Ut igitur is qui criminis seu facinoris fuerit conscius, teneatur illud cum suo authore vel fautore vel fotore deferre, satis fuerit quòd sibi sit manifestum, etiamsi non fuerit absolutè compertum, sive omnibus promiscuè notum. Si enim tibi fuerit facinus cum suo authore vel fotore perspectum, deferre teneberis; tametsi ante tuam delationem latuerit in tenebris. "In causa enim Dei, prout §. 133. ex Ambrosio retulimus, ubi communionis periculum est, etiam dissimulare, peccatum est non leve". Et Leo ibidem quoque relatus: "Magna est pietas, inquit, prodere latebras impiorum, & ipsum in eis, cui serviunt, diabolum debellare". Ubi ne quis putaret supererogationis esse istam *pietatem*, non necessitatis; notanda est hæc ejusdem Leonis ibidem præmissa sententia: "Qui tales non prodendos putant, in Judicio Christi invenientur rei de silentio, etiamsi non contaminentur assensu". Cui consonum est & illud quod ex eodem Leone refertur in Decretalibus: [Y]. "Qui alios, cùm potest, ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat". Et illud item Pij I. [Z]. "Sine dubio qui contra mandata Dei agit, peccat, & qui consensum præstat erranti. Quid enim prodest illi suo errore non pollui; qui consensum præstat erranti"? Et illud item Celestini I. ad quosdam Præsules, Semipelagianis conniventes: [A]. "Timeo ne connivere hoc sit tacere: timeo ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus causis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Meritò namque causa nos respicit, si cum silentio faveamus errori". Unde & Papa Gregorius loquens de quodam non rectè secundùm Euangelium incedente: [B]. "Qua in re, inquit, non solùm ille culpabilis, sed etiam qui non restiterit, invenitur: nam consentire videtur erranti, qui corrigenda, ut resecari debeant, non corrigit". Et superiùs lib. 1. Epist. 24. & de cura Pastorali parte 2. cap. 4. "Sicut incauta locutio, inquit, in errorem pertrahit, ita indiscre-

Ambrosius suprà.

Leo suprà ibid.

Y. Cap. Qui alios ii. de Hæretic.

Z. Pius Papa Epist. 2.

A. Celestinus Papa 1. Epist. 1. c. 2.

B. Greg. l. 7. Registri Epist. 119. Vide Epist. 9. ad Bonifac. in Appendice tomo 2. Augustini.

 tum

„ tum silentium, hos qui erudiri poterant, in errore derelinquit". Quisquis proinde subditorum indiscreto silentio hæreticos sibi notos celaverit, dicturus est aliquando cum
Isaiæ 6. 5. gemitu, *Væ mihi, quia tacui.* Quisquis item Principum eosdem sibi productos exterminare neglexerit, meritò timere debet, ne dica-
3. Reg. 20. 42. tur ei: *Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius.* [c]. „ Ca-
G. Pet. De mian. lib 7. Epist 9. Vide ibid. Epist. 10. „ vendum est, ait quidam, ne malitia subditorum redundet in Regem, etsi non delinquentem, non tamen pro viribus prohibentem. Nam Gregoriana sententia est: „ *Facti culpam habet, qui quod potest negligit emendare* ". Qui plura hanc in rem deside-
Lucifer Calaritanus. rat, legat Luciferi Calaritani librum, *de non parcendo in Deum delinquentibus*, inscriptum.

Proponat quoque sibi imitandum Hieronymum, qui ait: [D]. Meam injuriam patien- D. Hieron. Epist. 75.
„ ter tuli, impietatem contra Deum ferre non potui". Rursùs quia, ut mox ex Cœlestino Papa audivimus, *In talibus causis non caret suspicione taciturnitas*, attendant tam Reges quàm subditi illud ejusdem Hieronymi Epist. 61. cap. 1. documentum [E]. " Nolo in „ suspicione hæreseos quemquam esse patien„ tem: ne apud eos, qui ejus ignorant inno„ centiam, dissimulatio conscientiæ judicetur, si taceat". Quod si fortè quis eum propter hujusmodi indissimulantiam increpet tanquam impatientem aut inclementem, respondeat ei cum eodem Hieronymo: [F]. Ca- F Hieron. l. 3 contra Ruffin. c. 38.
„ nes latrant pro Dominis suis: & tu non vis me latrare pro Christo"?

CAPUT XXXVII.

Auspicium disceptationis de tolerantia rituum reprobatæ Religionis. Infidelitas hæreticorum deterior est quàm Iudæorum, adeòque quàm paganorum. Hæresis apostasiæ confertur, & penes gravitatem multipliciter præfertur. Hæretici nequaquàm sunt Christiani, sed pseudochristiani. Peccatum peccato accumulant, quatenùs se Christianos fallaciter jactitant. Injuriam Christo & Christianis irrogant, illius nomen polluendo, horum famam maculando. Recensentur tria enormia crimina veteribus Christianis passim ab Ethnicis affficta, infanticidium, anthropophagia, & incestus: ansâ hujus affictionis per hæreticos illius temporis præbitâ, quorum nefandi aliquot ritus perstringuntur.

CXXXVII. QVoniam verò Rex *Saul* non necessitate aliquâ adactus, sed sacrilegâ curiositate instinctus, impunitatem pythonissæ sibi proditæ concessit, ac juramento promissorio firmavit; & servi similiter ipsius absque ulla rationabili causa eandem pythonissam sibi notam, cùm cæteræ eraderentur, celarunt: utrique meritò culpantur, eorumque imitatores inexcusabiles censentur. Sed cùm nonnulli Principes, ac subditi, prætextant causas connivendi hæreticis, vel celandi eosdem sibi jam cognitos; superest disquirendum, an hujusmodi prætextus admitti ullatenùs queant, eorúmve allegatores excusari valeant? Ubi statim occurrit quæstio illa Theologica, quam Divus Thomas peculiari articulo in titulum præfixit, *Utrùm infidelium ritus sint tolerandi*? Responsio porrò authoris, in corpore ejusdem ar-
F. D Thom. 2. 2 q. 10. art 11 in corpore. ticuli subjuncta, hisce continetur verbis: [F]. Humanum regimen derivatur à divino „ regimine, & ipsum debet imitari. Deus „ autem quamvis sit omnipotens, & summè bonus, permittit tamen aliqua mala „ fieri in universo, quæ prohibere posset; ne „ eis sublatis majora bona tollerentur, vel „ etiam pejora mala sequerentur. Sic ergò „ & in regimine humano illi, qui præsunt, „ rectè aliqua mala tolerant, ne aliqua bona „ impediantur, vel etiam ne aliqua mala „ pejora incurrantur, sicut Augustinus di-
„ cit in libro de Ordine: *Aufer meretrices de* Vide Aug. l. 2 de Ordine cap. 4.
„ *rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.* Sic „ ergò, quamvis infideles in suis ritibus peccent, tolerari possunt, vel propter aliquod „ bonum quod ex eis provenit, vel propter aliquod malum quod vitatur". Distinxerat verò idem author ibidem superiùs art. 5. tres species infidelitatis, nimirùm Judaismum, Paganismum, & Hæresim; quibus accenseri solet & Apostasia, juxta eundem inferiùs q. 12. a. 1. eaque cum hæresi convenit quoad terminum unde fit recessus; per utramque enim retroceditur à fide priùs suscepta: convenit autem cum alterutra reliquarum

specie-

ſpecierum quoad terminum ad quem fit acceſſus; ſiquidem apoſtata tranſit à fide Chriſti ad Judaiſmum, vel Paganiſmum. Comparans autem idem author priores tres infidelitatis ſpecies inter ſe penes gravitatem contractam ex oppoſitione ad fidem, Hæreſi adjudicat malitiæ palmam primam, Judaiſmo ſecundam, Paganiſmo infimam: [Q]. Gravius, inquit, contra fidem peccat, qui fidei renititur ſuſceptæ, quàm qui renititur fidei nondum ſuſceptæ; ſicut graviùs peccat qui non implet quod promiſit, quàm ſi non impleat quod nunquam promiſit. Et ſecundùm hoc infidelitas hæreticorum, qui profitentur fidem Euangelij, & ei renituntur, eam corrumpendo, gravior eſt, quàm Judæorum, qui fidem Euangelij nunquam ſuſceperunt. Sed quia ſuſceperunt ejus figuram in veteri lege, quam malè interpretantes corrumpunt: ideò etiam eorum infidelitas eſt gravius peccatum, quàm infidelitas Gentilium, qui nullo modo fidem Euangelij ſuſceperunt". Terminat denique Author eundem iſtum articulum verbis hiſce: "Simpliciter loquendo, infidelitas hæreticorum eſt peſſima".

Q. Idem ibidem art. 6. in corpore.

CXXXVIII. Verùm quia comparatio ibi inſtituitur inter tres determinatas infidelitatis ſpecies, Hæreſim videlicet, Judaiſmum, & Paganiſmum: prædicta finalis concluſio relinquit adhuc locum comparationi inter hæreſim & apoſtaſiam inſtituendæ, penes gravitatem. Cæterùm tametſi apoſtaſia appareat gravior extenſivè, quippè quæ & totam Chriſti fidem, & inſuper *Chriſtiani* appellationem abjurat: nihilominùs aliundè videtur hæreſis ei præponderare: Primò quidem quia ultra propriam malitiam ſuperaddit culpam mendacij: [R]. Si enim diligenter, inquit Auguſtinus, quæ ad Chriſtum pertinent cogitentur, nomine tenùs invenitur Chriſtus apud quoſlibet hæreticos, qui ſe *Chriſtianos* vocari volunt: re verò ipſâ non eſt apud eos". Mentiuntur proindè hæretici omnes, quatenùs Chriſtianum ſibi nomen arrogant, cujus veritatem re ipſâ amiſerunt. Undè & idem ipſe Auguſtinus lib. 1. contra Fauſtum cap. 3. diſertè & iteratò eos appellat *Pſeudochriſtianos*. Ex quo planum eſt, quòd ſicut Pſeudoprophetæ mentiebantur, ſimulando ſe Prophetas; & Pſeudoapoſtoli, jactando ſe Apoſtolos: ita & hæretici, cùm ſint Pheudochriſtiani, dicendo ſe Chriſtianos. An non mentiebantur, qui vigente idololatriâ inſcribebant *Dei* nomen manufactis ſimulachris, quibus nihil penitùs inerat divinitatis? Et tamen non plus hæreticis ineſt Chriſtianitatis, quàm veteribus ſimulachris infuerit divinitatis, dicente de eis Juſtino Martyre [I]. Nihil nobis cum ijs eſt communionis, atheos, atque à Deo alienos, & impios, & injuſtos, & iniquos eos eſſe ſcientibus: quippè qui pro eo ut Jeſum colant, nomine duntaxat illum profiteantur: & *Chriſtianos* ſe eo modo dicant, quo plerique omnes in Gentibus nomen Dei inſcribunt manufactis ſimulachris". Eſt verò notanter perpendendum, hujuſmodi hæreticorum mendacium non eſſe jocoſum tantummodò, vel officioſum; ſed perniciosum, & quidem in gradu ſupremo. Idcircò enim Chriſtianos ſe mentiuntur, [X], quia, ut notat Papa Leo, non poſſent veras & ſimplices oves fallere, niſi *Chriſti* nomine tegerent rabiem beſtialem". Nomine ergò ſacroſancto ſe palliant, ut animas illaqueent, adeòque ut exitialiter noceant. Apoſtatæ autem hanc circumſtantiam aggravantem non adhibent, ſed abjurato nomine unà cum re, quales reipsâ ſunt, tales ſe exhibent. Quapropter minùs impij cenſeri debent, quàm hæretici, juxta regulam illam Bernardi [L]. Quis magis impius, an profitens impietatem, an mentiens ſanctitatem? Nonne is, qui, etiam mendacium addens, geminat impietatem"? Cui conſonum eſt illud Hieronymi documentum: [M]. In comparatione duorum malorum, levius malum eſt apertè peccare, quàm ſimulare & fingere ſanctitatem".

R. Aug. Enchir. cap. 5. Vide lib. 4. de Baptism. contra Donat. c. 9. & 1. de Morib. Eccles. c. 30. & lib. 2. de Doctr. Chri. c. 35 & 's. contra Epist. Parmen. c. 30

I. Justinus Dial. cum Tryphone.

X. Leo Ser. 5. de Jejunio 10. Mensis. Vide Iren. l. 2. c. 30.

L. Bern in Apolog. ad Guilelm. Abbatem.

M. Hieroni in cap. 16. Isaiæ.

CXXXIX. Secundò præponderat hæreſis apoſtaſiæ, quia peculiarem injuriam irrogat Chriſto, quàm non irrogat apoſtaſia: nam prava dogmata venditat ſub nomine Chriſti, quod non facit apoſtaſia, abdicans nomen Chriſti. Cùm Romanus Senatus *Alexandro Severo*, ad Imperij apicem evecto, offerret *Antonini* nomen, conſtanter recuſavit, dicens, [N]. Ne quæſo, Patres conſcripti, me ad hanc certaminis neceſſitatem vocetis, ut cogar tanto nomini ſatisfacere; cùm etiam hoc ipſum nomen, licèt peregrinum, tamen gravare videatur: hæc enim nomina inſignia, oneroſa ſunt". Cenſuit nimirùm eos, qui nomen ſibi glorioſum aſſumunt, teneri exprimere in ſe virtutes eidem nomini conſentaneas: alioqui injurios fieri nomini aſſumpto. Subdit præterea idem ibidem de *Commodo* Imperatore, peſſimis moribus infami: "Nunc *Commodi* meminiſſe nolo, qui hoc ipſo deterior fuit, quòd cum illis moribus *Antonini* nomen obtinuit". Et mox iterum de *Heliogabalo*: "Nuper certè meminiſtis, inquit, cùm ille omnium non ſolùm bipedum, ſed etiam quadrupedum ſpurciſſimus, *Antonini* nomen præferret, & in turpitudine ac luxuriâ *Nerones*, *Vitellios*, & *Commodos* vinceret, qui gemitus omnium fuerint,

N. Alex. Severus apud Lamprid. in vita ipsius.

" cùm per populi, & honestorum coronas " una vox esset: *Hunc non ritè Antoninum dici:* " *& per hanc pestem, tantùm violari nomen*". Ad hunc igitur modum hæretici, *Christianum* nomen sibi arrogantes, atque à Christiana Religione descicentes, proculdubio immanem injuriam inferunt Christo; violando sacrosanctum nomen Christi. Hoc considerans Cyrillus Hierosolymitanus: o. Credens, " inquit, in Dominum nostrum Jesum Christum, agnoscat cujus habeat appellationem. " *Christianus* vocaris: parce huic nomini, ne " propter te blasphemetur Dominus noster Jesus Christus Filius Dei". Et Petrus Chrysologus, exponens illam petitionem Orationis Dominicæ, *Sanctificetur nomen tuum*: p. Non " quod tuâ prece, inquit, sit sanctificandum, " quod te sanctificat nomen: sed quia Christi " nomine vocatus es Christianus; petendum " tibi est, ut actu tuo nomen hoc sanctificetur " & honoretur in te: quia sicut virtutum fa" ma nomini tanto respondet ad gloriam; " ita malæ conversationis infamia ad ejusdem " nominis redundat injuriam; dicente Apostolo, *Nomen Dei per vos blasphematur in Gentibus*". Et Salvianus Massiliensium olim Episcopus: q. Quid est, inquit, in quo nobis de " Christiano nomine blandiamur, cùm utique hoc ipso magis per nomen sacratissimum rei simus, qui à sancto nomine discrepamus? Nam ideò plus Religionis titulo " Deum lædimus, quia positi in Religione peccamus". Et lib. 4. ejusdem Operis: " Cùm " eum spernimus, inquit, quem coli à nobis " credimus atque jactamus, idipsum quod " cultus Dei videtur, injuria est". Et iterum ibidem: " Cujus criminis, inquit, rei sint " Christiani; ex hoc imò intelligi etiam potest, quia nomen Dei infamant". Et rursus infrà ibidem: " Hoc ipso, inquit, Christiani " deteriores sunt, quo meliores esse deberent: non enim probant quod fatentur, & " impugnant professionem suam moribus " suis. Magis enim damnabilis est malitia, " quam titulus bonitatis accusat: & reatus " impij est pium nomen". Huc quoque spectat illud Jacobi Apostoli ad genuinos Christianos, de quibusdam alijs Christum quidem profitentibus, sed non secundùm ejus præscripta viventibus: *Nonne ipsi blasphemant bonum nomen, quod invocatum est super vos?* Quis neget enim peculiari injuriâ affici, cujus nomen conspicit blasphemijs pollui? Unde & ipse Deus graviter olim conquestus fuit de filijs Israël, qui cùm dicerentur *populus Dei*, non tamen vivebant ut condecebat populum Dei: *Polluerunt*, inquit, *nomen sanctum meum, cum diceretur de eis; Populus Domini iste est*. Certè enim proclive est ut qui ignorant Christum, eam animis opinionem imbibant, ut quales cernunt professores nominis Christi, talem æstiment esse & Christum. Unde rectè monet Apostolus, *Discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini*; Ubi per *iniquitatem* potissimè intelligit hæreticam pravitatem: siquidem ex professo ibi redarguit errores, *qui à veritate exciderunt, & quorundam fidem subverterunt*. Monet proindè ut ab hæresi resipiscant, aut certè nomen Domini nominare desistant: quia utique peculiari injuriâ afficiunt Dominum, qui desertâ fide Domini nominant nomen Domini: R. Atrociùs enim, " ut ait Salvianus, sub sancti nominis pro" fessione peccatur: & ubi sublimior est præ" rogativa, major est culpa. Ipsa enim er" rores nostros Religio, quam profitemur, accusat".

O. Cyrillus Hierosol. Catech. 10.

Mat. 6. 9.

P. Pet. Chrysol. Serm. 69.

Rom. 2. 24.

Q. Salvian. l. 3. de Gubern. Dei, in fine. Vide Ambr. Serm 12. in Psalm. 118. in fine, & Chrysostomum Hom. 18, in Ioan.

Iac. 2. 7.

Ezech. 36. 20.

2. Tim. 2. 19.

Ibid. v. 18.

R. Salvian. l. 4. de Gubern. Dei.

CXL. Tertiò præponderat hæresis apostasiæ, quia non solùm Christo, sed veris quoque Christianis infamiam procreat, quam apostasia non procreat. Quanquam enim utraque notam quandam Catholicæ Religioni videatur inurere, quatenùs ab eâ tanquàm malâ præsumit abscedere: quia tamen hæretici commune *Christianorum* nomen cum veris Christianis retinere contendunt, quod apostatæ non faciunt, idcircò ipsorum profani errores & pravi mores non ipsis duntaxat, sed promiscuè omnibus ejusdem nominis comparticipibus, ab exteris adscribuntur. Qui enim verorum falsorumque Christianorum discrimen ignorant, universo cœtui confusim attribuunt quicquid falsi vel pravi doceri vel exerceri à quibusvis inaudiunt. Quis enim Gentilis Christianæ Religionis ignarus, si inciderit in hæreticorum libros, quibus blasphemiæ superiùs §. 105. & 109. commemoratæ traduntur, non statim suspicabitur ista Pseudochristianorum deliramenta, esse Christianorum promiscuè prædicamenta? Quanta verò hinc infamia Christiano nomini procreetur, & quàm fœda nota Christianismi Professoribus apud exteros inuratur, quis non videat? Multùm profectò laborarunt primorum seculorum Christianismi emergentis Patres, ut Christianos orthodoxos à Gentilium calumnijs vindicarent, quibus hæreticorum ritus ansam magnâ ex parte præbuerant: S. Dicimur sceleratissimi, ait ex " Christianorum sui temporis personâ Ter" tullianus, de Sacramento infanticidij, & " pabulo indè; & post convivium incesto". Sed undenàm hujus figmenti sumpta occasio? Respondet Elmenhorstus in Commentario super Minutij Felicis Octavio: " Ca" lumniæ fenestram, inquiens, aperuisse " primus videtur *Simon Magus*: quem postmodùm secuti *Menander, Carpocrates, Nicolaitæ*, & *Gno-*

S. Tertull. in Apolog. cap. 7.

Elmenhorstus.

„ & *Gnostici*, hanc detestandam de Christianis opinionem confirmarunt. Pessimi hi mortales, feralia & flagitiosa sua facta, & sacra sacrilegijs omnibus tetriora, Christianæ cœnæ & synaxeos nomine ornarunt: & licèt neque re, neque doctrinâ Christiani similes essent, nomen tamen *Christianorum* sumptum retinebant. Inde factum, ut cœtum & imperitum vulgus, propter nominis communionem, veros Christianos, & ab istis flagitijs alienissimos, fine discrimine insimularet, quasi monstra colerent, infantes vorarent, conviviis incesta perpetrarent". Refert quoque idem author ibidem conse[...]ter ex Origene, Eusebio, Justino Martyre, Irenæo, Epiphanio, Philastrio, Augustino, Beda, & Nicephoro, " *Cataphryges*, *Pepuzianos*, & *Quintilianos*, de infantis anniculi sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorserant, Eucharistiam conficere, miscentes sanguinem farinæ, panemque inde facientes. Qui puer si mortuus fuisset, pro Martyre habebatur: sin autem supervixisset, pro magno sacerdote". *Cataphrygianos* & *Phrimianos* post occasum Solis in Ecclesia solitos convenire, ibidemque extinctis lucernis promiscuè venereum spargere: *Gnosticos* incesta convivia injre, & non vino incaluissent, partum cum mulieribus misceri; tenellumque fœtum in quodam mortario pistillis contundere, admixto melle & pipere, alijsque condimentis, ad avertendam nauseam; & postmodo omnes contusi pueri carnes devorare". Ac tum subdit author de suo: " His & hujusmodi flagitijs prædicti nebulones, ad detestationis horrorem imperitorum aures adversus Christianos retorserunt: unde quoque horrori maximo & execrationi, apud omnes homines esse cœperunt". Patet igitur ex his, & alijs consimilibus impostoris hæreticos peculiari quadam ratione nocivos esse Christianis, præ apostatis, qui unà cum Religione etiam nomen exuunt Christianum: quo fit, ut nec eorum errores aut mores attribui amplius possint Christianis.

CAPUT XXXVIII.

Cùm hæresis reliquis infidelitatis speciebus deterior sit, non est consequens ut si aliorum infidelium ritus tolerentur, etiam hæreticorum sufferantur. Ad hoc divinitùs sinuntur exurgere & crebrescere hæreses, ut fides habendo tentationem, habeat probationem. Duabus de causis tolerari licitè possunt infidelium ritus, ut nimirum vel proveniant indè bona, vel evitentur mala. Cur præ cæteris infidelibus tolerandi sint Iudæi? Cur ijdem per omnes Mundi plagas dispersi? Cur Scriniarii Christianorum *dicti? In Cain & Cham præfigurati. Eorum non modò codices, sed & Sacramenta ac sacrificia, testimonium perhibent veritati Christianæ fidei.*

CXLI. HÆc de comparatione hæreseos cum reliquis infidelitatis speciebus, signanterque cum apostasis, idcirco paulò fusius præmittenda censuimus, ut appareat, quàm non sit consequens, hæreticos esse tolerandos, etiamsi admitteretur, Judæos, paganos, & ipsos quoque apostatas, posse tolerari. Etenim cùm ex Divo Thoma superiùs §. 137. relato constet, Infidelium ritus nonnisi duabus de causis esse tolerandos, nimirùm *vel propter aliquod bonum quod ex eis provenit, vel propter aliquod ma um quod vitatur*; consequentium est, ut ea infidelitatis species minimè omnium sit toleranda, ex cujus toleran[tia] minimè sperari potest bonum, & maximè timeri potest malum. Talis autem est hæresis, quippe quæ instar gangrenæ serpit jugiter in pejus; & ex sua natura nullum profert fructum nisi nocivum. Nec obstat quòd Deus etiam de malo hæreseon extorquere aliquid salubre possit, & ideò eas ebullire ac proferpere sinat. Hoc enim bonum provenit non ex hæresum natura, sed de ipsius omnipotentia, " melius judicantis de malis benè facere, quàm mala nulla esse permittere". Benè itaque facit de malo hæreseon, ad eum modum quo periti medici de veneno serpentum conficiunt antidotum contra venena serpentium; quo item prudentes legislatores ex subditorum moribus pessimis ansam sumunt condendi leges optimas. Testatur quidem Apostolus, *Oportere hæreses esse*, non tamen ut aliquid boni ex se progignant, sed *ut probati manifesti fiant*: Nam si doctrina Ecclesiastica, inquit Augustinus, simplex esset,

D. Thomas supr.

PRÆOCCUPATIO.

S. August. Enchir. c. 27. Vide ibid. c. 11. & 96.

1. Cor. 11. 19

S. Aug Ser. 91 de temp.

„esset, & nullis extrinsecùs hæreticorum dogmatum assertionibus cingeretur, non poterat tam clara & examinata videri fides nostra: sed idcircò doctrinam Catholicam contradicentium obsidet impugnatio, ut fides nostra non otio torpescat, sed multis exercitationibus elimetur. Propter hoc quippe & Apostolus dicebat, *Oportet hæreses esse, ut probati quique manifesti fiant in vobis*".

1.Cor.11.19.

Et Martyr Cyprianus: W. Quid facit, inquit, in pectore Christiano luporum feritas, & canum rabies, & venenum læthale serpentum, & cruenta sævitia bestiarum? Gratulandum est, cùm tales de Ecclesia separantur; ne columbas, ne oves Christi sævâ suâ & venenatâ contagione prædentur. Cohærere & conjungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum serenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas. Nemo existimet bonos de Ecclesia posse discedere: triticum non rapit ventus, nec arborem solidâ radice fundatam procella subvertit: inanes paleæ tempestate jactantur, invalidæ arbores turbinis incursione evertuntur. Hos execratur & percutit Joannes Apostolus, dicens: *Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum*. Hinc hæreses & factæ sunt frequenter, & fiunt, dum perversa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet unitatem. Fieri verò hæc Dominus permittit & patitur, manente propriæ libertatis arbitrio: ut dum corda & mentes nostras discrimen veritatis examinat, probatorum fides integra, manifestâ luce clarescat. Per Apostolum præmonet Spiritus Sanctus, & dicit: *Oportet & hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis*: sic probantur fideles, sic perfidi deteguntur". Breviter & dilucidè Tertullianus: X. Ad hoc, inquit, sunt hæreses, ut fides habendo tentationem, habeat etiam probationem". Ista porrò probatio tantò est validior, quantò tentatio crebrior & diuturnior; dicente Hilario:" Y. Optimum est, quicquid à pluribus incursatum, à nullo tamen potuerit impelli". Probat autem ista tentatio non fidem modò, sed ipsos etiam fideles, prout Apostoli relata verba evincunt: quibus consonat & Cyprianus mox allegatus, & Vincentius Lyrinensis, ubi ait: Z. Ob hoc hæreseon non statim divinitùs eradicantur authores, *ut probati manifesti fiant*: id est, unusquisque quàm tenax, & fidelis, & fixus Catholicæ fidei sit amator, appareat. Et reverà cùm quæque novitas ebullit, statim cernitur frumentorum gravitas, & levitas palearum". Rursùs hâc tentatione non tantùm probatur fidelium constantia, sed insuper augetur vigilantia, & porrò sapientia: A. Multa quippe, ut Augustinus ait, „ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callidâ inquietudine exagitantur, ut adversùs eos defendi possint, considerantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & instantiùs prædicantur; & ab adversario mota quæstio, discendi existit occasio". Quod beneficium ne quis ipsis hæresibus, vel earum conditoribus; ac non potiùs Deo, benè utenti etiam malis, adscribendum autumaret; idem Augustinus alibi ait: B. Hæreticorum inquietudine, ut Scripturas vigilantiùs perscrutemur, unde, ne ovili Christi noceant, eis possit occurri, tanquam de somno ignaviæ nostra excitatur industria: Ita per multiplicem gratiam Salvatoris etiam quod inimicus in perniciem machinatur, Deus convertit in adjutorium". Rectè igitur & præsenti nostro scopo appositè ait Tertullianus: C. *Oportebat* quidem *hæreses esse*; nec tamen ideò bonum hæreses, quia esse eas oportebat: quasi non & malum oportuerit esse. Nam & *Dominum tradi oportebat*: sed *væ traditori*, ne quis etiam hinc hæresim defendat". Nihil ergò facit ad excusantiam vel tolerantiam hæresum inter fideles, quòd Deus easdem permittat, ac sua potenti virtute in bonum ordinet: sicut nihil facit ad excusantiam vel tolerantiam traditionis inter cives, quòd Deus permiserit & in bonum ordinaverit traditionem Christi factam à Iuda.

W.Cypr.lib. de Unitate Ecclesiæ. — 1.Joan.2.19. — X. Tertull.l. de Præscrip. cap.1. Vide ibid. cap.39. — Y. Hilar.l.2. de Trinit. — Z. Vincent. Lyrin.c.25. — A Aug.l.16. de Civit.c.2. — B. Aug. Ep. 105. in fine. — C.Tertul.l. de Præscrip. cap.30. — Luc.24.7. — Luc.22.22.

CXLII. Si quo igitur casu tolerandi sint hæretici, constat sanè ex jam dictis eos non esse tolerandos propter priorem è duabus illis causis quas Divus Thomas ibidem relatus assignat. An verò propter posteriorem tolerari aliquando possint, postmodùm apparebit. Intereà videamus de Judæis, quos ex Divi Thomæ superiùs relato suffragio ostendimus, graviùs quidem in fidem Christianam peccare quàm ethnicos; sed leviùs tamen quàm hæreticos, quibus ea in parte proximè accedunt apostatæ. Notat porrò Augustinus, tam Judæos quàm hæreticos in *Chame* filio Noë præfiguratos fuisse, qui propheticâ patris sui maledictione *servus servorum fratribus suis* addictus est: D. Quamvis inter se dissentiant, ait ille, & Judæi ab hæreticis, & ipsi hæretici alij ab alijs: unâ tamen conditione servitutis, vel ad aliquam attestationem, vel ad aliquam probationem utiles sunt Ecclesiæ. Nam & de hæreticis dictum est, *Oportet hæreses esse, ut probati manifesti fiant inter vos*". Serviunt itaque hæretici Ecclesiæ ad probationem, de qua jam præcedenti §. dictum est: de qua & Augustinus alibi etiam ait: E. Utitur Ecclesia Gentibus

Vide §.137. — Gen.9.25. — D. Aug.l.12. contra Faustum c.24. — 1.Cor.11.19. — E Aug.l.de Vera Relig. cap.6.

ad

ad materiam operationis suæ, hæreticis ad probationem doctrinæ suæ". Serviunt autem Judæi eidem Ecclesiæ ad attestationem; F. Propter hoc enim, ut idem Augustinus advertit, illa Gens regno suo pulsa est, & per terras dispersa: ut ejus fidei, cujus sunt inimici, ubique testes fieri cogerentur. Perdito quippe templo, sacrificio, sacerdotio, ipsoque regno, in paucis veteribus Sacramenti, nomen genusque custodiunt; ne permixti Gentibus sine discretione dispereant, & testimonium veritatis amittant: velut *Cain* accipientes signum, ut eum nullus occidat, qui fratrem justum invidus & superbus occidit. Hoc nimirum etiam in Psalmo 58. non incongruenter intelligi potest, ubi Christus ex persona sui corporis loquitur, & dicit: *Deus meus demonstravit mihi de inimicis meis; ne occideris eos, nequando obliviscantur legis meæ*. In eis quippe inimicis fidei Christianæ demonstratus Gentibus quomodo prophetatus est Christus; ne fortè, cùm vidissent tantâ manifestatione impleri prophetias, putarent easdem Scripturas à Christianis esse confictas; ut de Christo prædicta putarentur, quæ completa cernuntur. Proferuntur ergò codices à Judæis, atque ita *Deus demonstrat nobis de inimicis nostris*; quos ideò *non occidit*, hoc est, non penitus de terra perdidit, *ne obliviscerentur legis ipsius*: quam propterea legendo, & quædam ejus, quamvis carnaliter, observando, meminerint, ut sibi sumant judicium, nobis præbeant testimonium". Qui rursùs Epist. 3. in eandem rem ait 1". Reproba per infidelitatem Gens ipsa Judæorum, à sedibus suis extirpata, per Mundum usquequaque dispergitur, ut ubique portet codices sanctos: ac si prophetiæ testimonium, quâ Christus & Ecclesia prænunciata est, ne ad tempus à nobis fictum existimaretur, ab ipsis adversariis proferatur". Et rursùs Serm. 67. de Diversis, ostendens quomodò Judæi Christianis serviant ad attestationem: " Sparsi sunt ubique Judæi, inquit, portantes codices, quibus Christus prædicitur, & prædictus præsentatur, ut jam paganis possit ostendi. Profero codicem, lego Prophetam, ostendo impletam esse Prophetiam. Dubitat paganus, ne fortè hoc ipse confinxerim. Inimicus meus habet hunc codicem, antiquitùs sibi à Majoribus commendatum: ambos inde convinco; Judæum, quia id prophetatum & completum ego cognovi; paganum, quia non ego hoc confinxi". Hinc idem Augustinus lib. 12. contra Faustum cap. 23. satis apposito vocabulo Judæos appellat *Christianorum Scriniarios* eò quòd tanquam capsularii quidam portent secum libros veteris Testamenti, quibus Christianæ fidei ac Religionis mysteria confirmentur, & efficaciùs incredulis persuadeantur. Loquens quippe ibi de *Cham* filio Noë, à patre suo ob patefactam suam nuditatem maledicto, ac servituti fratrum mancipato" Medius filius Noë, inquit, id est, populus Judæorum; ideò medius, quia nec primatum Apostolorum tenuit, nec ultimus in Gentibus credidit. *Vidit nuditatem patris sui, & nunciavit foras fratribus*. Per eum quippe manifestatum est, & quodammodò publicatum, quod erat in Prophetia secretum: ideòque fit *servus fratrum suorum*. Quid est enim aliud hodie Gens ipsa Judæorum, nisi quædam *Scriniaria Christianorum*, bajulans legem & Prophetas ad testimonium assertionis Ecclesiæ; ut nos honoremus per sacramentum, quod nunciat illa per literam "?

F August. Serm. 91. de temp. c. 9. Vide Epist. 59. q. 2. & in Psalm. 40. 47 & 58. & Tr. 35. In Ioan. & lib. 18 de Civit. c. 46. & lib. 2. ad Bonif cap 4. & lib. 1. de consensu Evang. cap. 26. & l. 13. cont. Faust. c. 10. & l. 16. c. 21. & Serm. 30. & 78 de tempore. & Serm. 66. de Diversis c. 4. & l. 4. de Civit. c. 34

P al. 58. 12.

Vide Theodoret. Orat. 10 de Providentia.

Gen. 9. 22.

Ibid. v. 25.

CXLIII. Longè igitur major ac potior est ratio tolerandi inter Christianos Sectam Judæorum, suis legibus ac ritibus viventium; quàm ullas Sectas hæreticorum, exotica dogmata condentium, & Christianum nomen falsò injuriosèque gerentium 1 G. Ex hoc enim, ut Divus Thomas ait, quòd Judæi ritus suos observant, in quibus præfigurabatur veritas fidei quam tenemus, hoc bonum provenit, quod testimonium fidei nostræ habemus ab hostibus, & quasi in figura nobis repræsentatur quod credimus: & ideò in suis ritibus tolerantur. Aliorum verò infidelium ritus, qui nihil veritatis aut utilitatis afferunt, non sunt aliqualiter tolerandi; nisi fortè ad aliquod malum vitandum, scilicet ad vitandum scandalum, vel dissidium, quod ex hoc posset provenire; vel impedimentum salutis eorum, qui sic tolerati paulatim convertuntur ad fidem: propter hoc enim etiam hæreticorum & paganorum ritus aliquando Ecclesia toleravit, quando erat magna infidelium multitudo". Quemadmodùm igitur juxta Augustinum præcedenti §. relatum, veteres Judæorum Scripturæ testimonium perhibent veritati Christianæ Religionis, quatenùs continent propheticas ejus prædictiones: ita & Judæorum ritus ac cæremoniæ, quamvis jam illiciti ac sacrilegi, testimonium perhibent eidem veritati, quatenus idipsum præstant facto, quod veteres Scripturæ præstant verbo: H. Omnes enim, ut Augustinus ait, non solùm Prophetiæ, quæ in verbis sunt; nec tantùm præcepta vitæ, quæ mores pietatemque conformant, atque illis literis continentur: verùm etiam sacra, sacerdotia, tabernaculum sive templum, altaria, sacrificia, cæremoniæ, dies festi, & quicquid aliud ad eam servitutem pertinet quæ

G D. Thom. 2 2 qu. 10. art. 11.

H. Aug. l. 7. de Civit. c. 32. Vide lib. de Spir. & lit. cap. 21.

„ quæ Deo debetur & Græcè propriè *latria* „ dicitur, ea significaverunt & prænunciave- „ runt, quæ propter æternam vitam fidelium „ in Christo & impleta credimus, & impleri cernimus, & implenda confi. imus". Et lib. de Catechizandis rudibus cap. 20. loquens de Judæis:" Multis, inquit, Sacramentis „ visibilibus onerati sunt, quò servili jugo „ premerentur, in observationibus ciborum, „ & in sacrificijs animalium, & in alijs innu- „ merabilibus, quæ tamen signa erant re- „ rum spiritalium, ad Dominum JESUM „ CHRISTUM & ad Ecclesiam pertinentium". Et Serm. 32. de tempore cap. 3." Ex „ ipsis Sacramentis, inquit, quibus Judæo- „ rum duritia subditur, nihil aliud quàm „ Christus, in quem nolunt credere, osten- „ ditur. Nonne quando occidunt ovem in „ Pascha, & manducant, Gentibus Christum „ demonstrant, quem cum eis ipsi non adorant"? Quoniam igitur non modò ex veteribus Judæorum Scripturis, sed etiam ex ritibus, divinitùs ad præfiguranda Christianæ Religionis mysteria institutis, provenit Ecclesiæ bonum attestationis: idcircò quamvis ipsi exercendo eosdem ritus graviter peccent, Ecclesia tamen, prædicti boni intuitu, tolerandos censet, & reapse tolerat. Unde Papa Gregorius Paschasio Episcopo Neapolitano de eis scribens: [I]. Fraternitas tua, in- „ quit, eos monitis quidem, prout potuerit „ Deo adjuvante, ad convertendum accen- „ dat; & de suis illos solemnitatibus inquie- „ tari denuò non permittat: sed omnes festi- „ vitates. feriasque suas, sicut hactenùs tam „ ipsi quàm parentes eorum per longa colen- „ tes retrò tempora tenuerunt, liberam ha- „ beant observandi celebrandique licentiam". Idem rursùs inferiùs lib. 12. Epist. 18. mandat ut intra civitatem Tarracinensem vel pristino loco suos ritus exercere sinantur, vel certè de alio loco provideantur, *ubi conveniant, & suas sine impedimento caremonias celebrent.*

I. Greg. l. 11. Registri Ep. 15 Vide lib. 1. Epist. 34. & l. 7. Epist. 20. & 59.

Vide supra quæ fuse ex D. Auct. 45.

CAPUT XXXIX.

Tametsi non sint perpetranda mala ut veniant bona, licitè tamen ea tolerantur sive ob bonorum proventiantiam, sive ob aliorum malorum devitantiam. Quæcunque mala fiunt, non nisi Deo summè bono benè permittente fiunt: nec ille ea fieri sineret, nisi de eis benè facere sciret. Exemplis de Scriptura prolatis conficitur, tolerari posse quædam mala, ad præcavenda vel arcenda alia mala; sed majora, vel certè ut minimùm æqualia. Plerunque nervorum Behemoth perplexitas solvitur, dum ad virtutes maximas per minora commissa transitur. Non solùm possunt, sed interdum etiam debent Reipublicæ moderatores permittere mala minora, ad vitanda immaniora, sive jam grassantia, sive adhuc ingruentia.

CXLIV. DIscussâ in hunc modum atque decisâ Judæorum causâ, remanet discutienda ac decidenda infidelium reliquorum causa, an scilicet tolerandi sint in suis erroribus ac ritibus, Catholicæ veritati pietatique contrarijs? Cùm verò è duabus causis tolerantiæ, ex Divo Thoma §. 137. & 141. relatis, prior solis Judæis appropriata, atque à cæteris infidelibus alienata jam fuerit; restat hìc expendenda sola posterior, quæ in mali devitatione consistit. Notandum interim, longè aliud esse facere malum, & tolerare malum. Unde quamvis scriptum sit, *non esse facienda mala, ut veniant bona*: nusquàm tamen scriptum est, non esse toleranda mala, ut veniant bona. Et rectè scriptum non est,

Rom. 3. 8.

quia verum non est: prout patet imprimis in toleratione Judæorum præcedenti capite justificatâ, ex bono indè proveniente: Deinde ex toleratione omnium scelerum per Deum, quem peccati arguere nefarium est; cùm tamen verissimè ab Augustino scriptum sit, [K]. Non fit aliquid nisi Omnipotens fieri „ velit. vel sinendo ut fiat, vel etiam faciendo". Et lib. de Bono Perseverantiæ cap. 6. „ Voluntate suâ, inquit, quisque deserit „ Deum, ut meritò deseratur à Deo. Quis „ hoc negaverit? Sed ideò petimus, *ne infera-* „ *mur in tentationem*, ut hoc non fiat: & si exau- „ dimur, utique non fit, quia Deus non per- „ mittit ut fiat. Nihil enim fit, nisi quod ipse aut facit, aut fieri permittit". Quicquid igitur mali usquam fit, non nisi Deo permit-

K. August. Enchir. c. 95. Vide lib. de Divinatione dæmonum cap. 1. & 2.

Mat. 6. 13.

permittente fit. Permittenda proindè funt interdùm mala, ut veniant bona; etsi nunquàm facienda fint mala, ut veniant bona: L. Neque enim, teste alibi eodem Augustino, Deus omnipotens, quod etiam infideles fatentur, *rerum cui summa potestas*, cùm summè bonus sit, ullo modo fineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usqueadeò esset omnipotens & bonus, ut benè faceret etiam de malo". Porrò ficut nusquàm scriptum est, non esse toleranda mala, ut veniant bona: ita nusquàm quoque scriptum est, non esse toleranda mala, ut vitentur alia mala. Et rectè scriptum non est, quia verum non est: alioquin fervis volentibus colligere zizania in medio tritici enata, non dixisset paterfamilias, *Sinite utraque crescere usque ad messem*. Hujus quippè tolerantiæ causa sive ratio ibidem præmittitur, non tam expectatio boni, quàm devitatio mali; nimirum *ne fortè colligentes zizania, eradicent simul cum eis & triticum*. Quàmvis ergò malum sit permisceri tritico zizania, id est, orthodoxis heterodoxos; nihilominùs tolerandum est, quando absque periculo eradicationis tritici, quæ etiam grande malum est, aboleri nequit. Permisit quoque Apostolus conjugatis usum mutuorum corporum, propter vitandam pejorem incontinentiam: cùm tamen sciret eum usum illo solo fine exercitum non carere culpâ veniali; prout ipse innuit addendo continuò: *Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium*: M. Putari posset, inquit Augustinus, non esse peccatum, misceri conjugi non filiorum procreandorum causâ, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis: ut fornicationis, sive adulterij, sive cujusquam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quò potest tentante Satanâ libido pertrahere, incontinentium devitet infirmitas. Posset ergò hoc putari non peccatum nisi Apostolus addidisset: *Hoc autem dico secundùm veniam, non secundùm imperium*. Quis autem jam esse peccatum neget, cùm dari *veniam* facientibus, Apostolicâ authoritate fateatur"? Permisit ergò Apostolus minus istud malum, ad præcavendum deterius malum. Unde & idem Augustinus alibi ait: N. Quando conjuges non prolis suscipiendæ, sed carnalis voluptatis explendæ victi cupiditate concumbunt: hoc non laudatur, sed in comparatione mali pejoris ignoscitur, intervenientibus & deprecantibus nuptijs". Ad minoris similiter mali in comparatione pejoris tolerantiam quidam referunt legem repudij, olim Judæis traditam *propter duritiam cordis ipsorum*: O. Moyses, inquit Hieronymus, cùm videret, propter desiderium secundarum conjugum, quæ vel ditiores, vel juniores, vel pulchriores essent, primas uxores interfici, aut malam vitam ducere; maluit indulgere discordiam, quàm odia & homicidia perseverare".

L. August. Ench. c. 11.

Matt. 13. 10.

Ibid. v. 29.

1. Cor. 7. 6.

M. August. Ench. c. 78. Vide lib. de pecc. Orig. c. 38. & l. 1. de Nupt. & concupisc. c. 14. & lib. 2 contr. Iul. cap. 7.

Vide Hugonem Victor. Serm. 33. & Greg. l. 32. Moral. c. 17. aliàs 10.

N. August. l. 3. contra Iulian. c. 16.

Mat. 19. 8. O Hieron in c. 19. Matt. vers. 8.

CXLV. Sed cùm malum tripliciter se habere possit ad aliud malum, nimirùm ut majus, ut æquale, ut minus: meritò quæritur, utrùm horum quodlibet licitè tolerari possit, propter aliud quodlibet? Ubi inprimis certum videtur non licere tolerare majus malum, pro vitando minori malo: est enim omnibus obvia istiusmodi tolerantiæ inordinatio. Cur etenim naturali instinctu quisque exponit periculo cætera membra pro tuitione capitis, nisi quia ipsa natura clamat tolerandum esse minus malum præ majore? Cur item ex adverso, nemo sanæ mentis exponit caput pro tuitione membri ignobilioris, nisi quia contra communem naturæ clamorem est præferre tolerantiam majoris mali tolerantiæ mali minoris? Inde quippe est illud Philosophi: P. Boni rationem subit minus malum, ad majus malum: minus enim malum magis quàm majus est expetibile. At quod expetitur, bonum est: & quod magis, majus". Inde item manavit axioma istud omnium ore tritum: *E duobis malis minus est eligendum*. Cui consonans Toletana Synodus: Q. Duo mala, inquit, licèt sint omninò cautissimè præcavenda, tamen si periculi necessitas ex his unum temerare compulerit, id debemus resolvere, quod minori nexu noscitur obligare". Et Gregorius Papa: R. Dum mens, inquit, inter minora & maxima peccata constringitur, si omninò nullus sine peccato evadendi aditus pateat, minora semper eliguntur: quia & qui murorum undique ambitu ne fugiat clauditur, ibi in fugam se præcipitat, ubi brevior murus invenitur". In cujus rei confirmationem adducit locum Apostoli §. præcedenti expensum, quo indulgetur conjugibus commixtio, ut evitetur fornicatio, cessante prolis spe vel desiderio: "Tunc solùm, inquit, conjuges in admixtione sine culpa sunt, cùm non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur. Ut hoc autem quod concesserat Apostolus, sine culpâ, quàmvis minimâ, non esse monstraret, illicò adjunxit: *Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium*. Non enim est sine vitio, quod ignoscitur, non præcipitur. Peccatum profectò vidit, quod posse indulgeri prævidit. Sed cùm in dubijs constringimur, utiliter minimis subdimur, ne in magnis sine venia peccemus.

P. Aristot. l. 5. Eth. c. 3.

Q. Synodus Tolet. 8. c. 2.

R. Greg. l. 32. Moral. c. 17. aliàs 20.

1. Cor. 7. 6.

Job 40. 18. „Itaque plerunque *nervorum Behemoth perplexitas* solvitut, dum ad virtutes maximas per commissa minora transitur". Quemadmodùm igitur discreta ac provida fuit condescensio ista Pauli, non quidem imperantis, sed tamen tolerantis minus malum, ad evitandum majus malum: ita discreta ac provida est legislatio Principum sive sæcularium sive etiam Ecclesiasticorum, qui ad ejusdem Pauli, imò & ipsius Dei, imitationem, tolerant in Republica minora mala, ut præcaveantur pejora. Quemadmodùm item ex adverso indiscreta atque improvida fuisset Pauli condescensio, si ad præcavenda minora mala tolerasset majora: ita & Principum legislatio, qui pejora dissimularent, ut minoribus perpetrandis obviarent. Sed cùm hæc plana sint, non omninò tamen claret quid agendum sit, quando mala utrinque fuerint æqualia. Verius autem apparet, quòd in casu omnimodæ æqualitatis, & alterutrius mali inevitabilitatis, Principi liberum sit ac licitum eligere tolerandum quod libuerit. Cùm enim nec sit utrunque tolerandum, nec alterum alteri ullo ex motivo ipsis inhærente vel cohærente præferendum; ad Principis arbitrium determinatio referenda videtur: ut quod ipse tolerandum elegerit, toleretur; & quod exterminandum plectendumque censuerit, exterminetur atque plectatur.

DUBIUM DECIDITUR.

CXLVI. Quàm inordinatum est autem tolerare majus malum ad vitandum minus, tam est è contrario ordinatum tolerare minus ad vitandum majus: prout ex mox dictis liquet. Unde Divus Thomas §. 137. relatus: " In regimine humano, inquit, illi „ qui præsunt, rectè aliqua mala tolerant, „ ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala pejora incurrantur". Et 1. 2. qu. 91. art. 4." Lex humana, inquit, non „ potest omnia, quæ malè fiunt, punire vel „ prohibere: quia dum auferre vellet omnia „ mala, sequeretur quòd etiam multa bona „ tollerentur, & impediretur utilitas boni „ communis, quod est necessarium ad conversationem humanam". Hinc quia majus malum est innocentem ferire, quàm nocentem impunitum dimittere, Paterfamilias Euangelicus *noluit à servis colligi zizania*, dum periculum subest *eradicandi simul & triticum*:

D. Thomas.

Ma. 13. 29.

[s]. Inter triticum, inquit Hieronymus, & „ zizania, quod nos appellamus lolium, „ quamdiu herba est & nondum culmus venit ad spicam, grandis similitudo est, & in „ discernendo aut nulla aut perdifficilis distantia. Præmonet ergò Dominus, ne ubi „ quid ambiguum est, citò sententiam proferamus, sed Deo Iudici terminum reservemus". Cæterùm quod de isto uno malo minore ad vitandum majus tolerando diximus, in cæteris pariformiter, occurrentibus similibus circumstantijs, locum habet. Unde generaliter de qualibet lege tolerante minora mala pro vitandis pejoribus, ait Augustinus: [t]. Legem satis video esse muni„ tam contra obtrectantium accusationem, „ quæ in eo populo quem regit, minoribus „ malefactis, ne majora committerentur, dedit licentiam". Quinimò verius omninò apparet, eos, qui Reipublicæ curam gerunt, non solùm posse, sed etiam ex officio debere minora mala tolerare, quando eo modo valent præpedire mala majora aliàs certò occurrenda, aut prudenter pertimescenda. Quibus enim Reipublicæ cura ex officio incumbit, tenentur pro viribus adhibere media, quibus ejus incolumitas servetur, & noxa quantùm fieri potest propulsetur. Ad hoc porrò præstandum necesse est interdùm tolerare mala minora, ad præcavenda aliàs impendentia pejora. Igitur eo casu tenebitur publicus boni communis curator permissione minoris mali obviare impendentiæ pejoris mali: alioquin & suo muneri defuturus, & damni publici causa est futurus. Perperàm verò hinc quisquam contendat hujusmodi minorum malorum toleratores censeri debere eorundem authores aut cooperatores. Nam, ut rectè ait Medina: [v]. Legislator „ qui permittit minora mala ad cavenda ma„ jora, non est causa peccati: sicut guberna„ tor non est causa submersionis navis, ex eo, „ quòd navim non gubernet, sed quan„ do navim non gubernat potens & de„ bens gubernare; sic gubernator Reipublicæ „ quando permittit minora mala ad cavenda „ majora, non est causa peccati, quia non te„ netur ea prohibere: imò si prohiberet, pec„ caret grande peccatum. Itaque ut quis di„ catur causa peccati indirectè, necesse est quòd possit, & teneatur, & non faciat".

s. Hieron. in cap. 13. Matth. v. 10.

t. Aug. l. 1. de lib. arbit. cap. 5.

PRÆOCCUPATIO.

v. Medina in 1. 2 q. 91. a. 2. ad 1.

CAPUT XL.

De immanitate criminis hæreseos differitur, & an ullius mali vitandi intuitu tolerari queat, discutitur. Infidelitas constituit filios diaboli, & antonomasticè vendicat sibi nomen peccati. *Nefas est ut quis vel minimum peccatum committat, quò alios, vel etiam seipsum à sceleribus quantumlibet enormibus præservet, aut liberet. Tolerari possunt, ac debent zizania hæresum, quamdiu subest periculum ne cum eis eradicetur & triticum. Scipionis Æmiliani dictum*, Malle se vel unum civem servare, quàm multos hostes perdere. *Beati Martini apud Cæsarem, pro Priscillianistis confusaneæ internecioni destinatis, intercessio. Cautela Inquisitoribus hæreseon præscripta. Potestas gladij sive spiritalis sive corporalis non in destructionem, sed in ædificationem divinitùs concessa. Cum idem morbus occupaverit plurimos, nihil restat bonis nisi dolor & gemitus. Ambrosij sententia de non irritandis sponte Potestatibus adversis. Elibertinæ Synodi Canon de non inserendis albo Martyrum ijs, qui in idolorum fractione ab idololatris mactarentur.*

CXLVII. Cum autem hærosis tantam in genere & catalogo malorum habeat enormitatem, ut vix aliud reperiri queat quod ei coæquetur, nedùm præferatur; meritò disquiritur, an ullo unquam casu à Christianis Principibus aut alijs Reipublicæ Christianæ moderatoribus, vel curatoribus tolerari licitè possit? Et quidem pro negativa sententia argui potest in hunc modum: Nullum malum in Republica tolerari debet aut potest, nisi intuitu alicujus boni indè provenientis, vel ad vitandum aliquod malum pejus, vel saltem par, aliàs incurrendum. Atqui neutrum horum videtur posse justificare tolerantiam hæresum: nam primum eorum amputatum est superiùs cap. 37. & 38. Alterum quoque ex ibidem dictis abscissum videri potest; suffragante præsertim Augustino, qui ait: W. "Non est mentiendum in doctrina pietatis: magnum enim scelus est, & primum genus detestabilis mendacij". Mentiri autem hæreticos in doctrina pietatis, clarum est ex eo, quòd mentiantur in doctrina fidei, quæ basis est ac fundamentum totius pietatis.

W. Aug. l. de Mendacio cap. 21.

PRÆOCCUPATIO. Quòd si fortè obtendas, Augustinum non præferre hæresim cunctis alijs peccatis, sed duntaxat reliquis sceleribus *detestabilis mendacij*: attende quid idem Augustinus alibi dicat de schismate, sine quo hæresis propriè reperiri usque adeò non potest, ut Hieronymus asseveret, X. "Nullum schisma non sibi aliquam confingere hæresim, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur": & vicissim nulla hæresis sine pedissequo schismate unquam ebullierit. Ait igitur de schismate Augustinus: Y. "Sacrilegium schismatis gravius est omnibus". Et lib. 1. contra Epistolam Parmeniani cap. 4. "Sacrilegium schismatis omnia scelera supergreditur". Hic non fit comparatio cum speciebus duntaxat *detestabilis mendacij*, sed cum reliquis *sacrilegijs*, cum universis alijs *sceleribus*. Quam in rem recoli poterunt dicta superiùs cap. 33. §. 121. Hinc itaque confici videtur, tolerantiam hæreseos nunquam posse excusari prætextu vitandi majoris mali; cùm ipsa hæresis supergrediatur quodcunque aliud malum, adeoque nullum dari possit majus eâ malum. Quò spectat quòd Augustinus Epist. 107. dicat diabolum in suis filijs *inprimis maximèque operari diffidentiam & infidelitatem, quæ sint inimici fidei*. Qui rursùs lib. 3. ad Bonifacium cap. 3. "Filios diaboli, inquit, infidelitas facit; quod *peccatum* proprium vocatur, quasi solum sit, si non exprimatur quale peccatum sit: sicut *Apostolus* cùm dicitur, si non exprimatur quis Apostolus, non intelligitur nisi Paulus: quia pluribus est Epistolis notior, & *plus omnibus illis laboravit*. Undè quod ait Dominus de Spiritu Sancto, *Ipse arguet Mundum de peccato*, infidelitatem intelligi voluit: hoc enim cùm exponeret ait: *De peccato quidem, quia non crediderunt in me*: Et ubi ait, *Si non venissem, & locutus*

X Hieron. in cap. 3. ad Titum.

Y. Aug. l. 2. de Baptism. contra Donat. cap. 7.

1. Cor. 15. 10.

Ioan. 16. 8. Vide Aug. Tr. 89 & 95. in Ioan. & Ep. 105. & Epist. 50. Ioan. 15. 22.

eis fuissem, peccatum non haberent. Non enim peccatum anteà non habebant, sed ipsam voluit intelligi *diffidentiam*, quâ nec præsenti & loquenti crediderunt; pertinentes ad eum, de quo dicit Apostolus, *Secundum Principem potestatis aëris, qui nunc operatur in filijs diffidentiæ.* Ergò in quibus non est fides, filij sunt diaboli". Cùm igitur infidelitas tam grande peccatum sit, ut eam diabolus *inprimis maximèque* inspirare studeat; & Christus eam antonomasticè *peccatum* vocèt; & peculiari quâdam ratione *filios diaboli* constituat: profectò non apparet quod malum ei sic prævalere possit, ut ejus vitandi intuitu tolerari ipsa possit. Quod maximè de hæresi verum videri debet, quippè quæ inter omnes infidelitatis species primum malitiæ gradum tenet: prout superiùs cap. 37. visum, ac D. Thomæ suffragio probatum fuit.

Ephes. 2. 2.

CXLVIII. His tamen non obstantibus dicendum est, tolerationem infidelitatis, etiam hæreticæ, non ita esse malam, aut Reipublicæ noxiam, ut nullo unquam casu excusari valeat. Argumenta in oppositum jam allegata non admodùm premunt, præsertim cùm pleraque eorum militent etiam contra Judaicæ infidelitatis tolerationem, cap. 38. astructam: adeoque nimiùm probando nihil probent. Quanquam igitur hæresis ex sua specie ingens malum sit, & Reipublicæ immaniter nocivum; non tamen idcircò ejus permissio intrinsecè mala est, sed ita indifferens, ut sicut absente justâ causâ non licet, sic & eâdem interveniente liceat. Cujus rei efficax probatio sumitur ex eo, quòd Deus uti cætera mala quæcunque fiunt, ita & hæreses ipsas permittat; prout §. 144. visum est: ubi etiam ostendimus longè aliud esse *facere malum*, & *permittere seu tolerare malum*. Quod usque adeò verum est, ut etiamsi quis posset impedire omnia scelera universi orbis, committendo minimum veniale peccatum, neutiquàm tamen istud liceat: atque adeò illa omnia sint potiùs permittenda, quàm unicum istud committendum. Si enim peccatum est, proculdubiò illicitum est: si autem illicitum est, quomodò licitè fieri putandum est? Quamvis ergò ad vitanda majora peccata possint minora permitti, neutiquam tamen fieri. Undè Augustinus: z. Si hanc, inquit, "peccatis aperimus viam, ut committamus minora ne alij majora committant, lato limite, imò nullo limite, sed convulsis & remotis omnibus terminis infinito spatio cuncta intrabunt atque regnabunt. Quando enim fuerit definitum, peccandum esse homini minùs, ne alius peccet ampliùs, profectò & furtis nostris stupra cavebuntur aliena, & incesta stupris; & si qua impietas visa fuerit etiam pejor incestis, incesta quoque facienda dicentur à nobis, si eo modo agi potuerint, ut illa impietas non committatur ab alijs: & in singulis quibusque generibus peccatorum, & furta pro furtis, & stupra pro stupris, & incesta pro incestis, & sacrilegia pro sacrilegijs facienda putabuntur, nostra pro alienis, non solùm minora pro majoribus, verùm etiam, si & ad ipsa summa & pessima veniatur, pauciora pro pluribus, si se ita rerum verset incursus, ut aliter alij non se abstineant à peccatis, nisi minùs aliquanto, sed tamen peccantibus nobis: ita ut omninò ubi dixerit inimicus, qui hujusmodi habuerit potestatem, *Nisi tu sceleratus fueris, ego sceleratior ero*: aut, *Nisi tu hoc scelus feceris, ego talia plura faciam*: scelus nobis videamur admittere, si velimus ab scelere temperare. Hoc sapere, quid est aliud nisi desipere, vel potiùs insanire? A mea quippè iniquitate, non ab aliena, sive in me, sive in alijs perpetratâ, mihi est cavenda damnatio: *Anima* enim *quæ peccaverit, ipsa morietur*". Hinc perspicuum est, non licere committere ullum peccatum, ut evitetur aliud quodcunque vel quantumcunque peccatum. Longè proindè alia est ratio permissionis, alia commissionis peccati: nam idem ipsè Augustinus, qui hìc improbat cujuscunque peccati commissionem pro quanticunque peccati vitatione; superiùs §. 146. relatus approbat legem, *qua in eo populo quem regit, minoribus malefactis ne maiora committantur, dat licentiam.* Et cùm permissio juris validior sit, quàm permissio facti: quis ambigat Augustino probari, ut minora peccata pro vitandis majoribus permittantur de facto; cùm videat eidem probari, ut permittantur de jure, sive legis scito? Nonne malum est meretricari? Et tamen meretricum permissionem adeò non improbat Augustinus, ut superiùs §. 137. relatus scripserit: *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.*

Z. Aug. lib. contra mendacium c. 9.

Ezech. 18. 4.

CXLIX. Quemadmodùm igitur meretrices in quibusdam locis licitè permittuntur, ne pejora mala incurrantur: ita & hæretici subindè tolerari licitè possunt, quando mala deteriora aliter vitari non possunt. Neque verò casus iste censeri debet impossibilis, sed multipliciter possibilis; ut inprimis quando non possunt evelli zizania, quin simul cum eis eradicetur triticum; prout §. 144. visum est. Majus enim malum est vel unum insontem perimere, quàm myriadem sontium tolerare: illud enim importat peccati commissionem, istud meram permissionem. Dictum est autem §. proximò, peccata quantumcunque enormia potiùs esse toleranda, quàm quantulacunque exilia perpe-

perpetranda. Et sanè quamdiu hæretici à Catholicis nequeunt sufficienter discerni, qui vellet hæreticos exterminare, præsentissimo se periculo Catholicum quempiam cum eis exterminandi exponeret; atque adeò reatum insonticidij incurreret, dicente Scripturâ; *Qui amat periculum, in illo peribit.* Scriptum quidem est, *Maleficos non patieris vivere*: Sed & in eodem libro paulò pòst sequitur, *Insontem & iustum non occides.* Non sunt hæc sibi contraria, sed sua respectivè habent tempora: vel potiùs postremum, utpotè negativum, obligat pro omni tempore; primum verò, quippe affirmativum, obligat duntaxat pro suo tempore. Esse autem affirmativum vel hinc patet, quod actionem positivam quâ malefici perimantur injungat: tanquam diceretur, *Maleficos sine dissimulatione perimes.* Quoniam igitur præceptum *non occidendi insontem*, obligat pro omni tempore, planum est obligare pro eo etiam tempore, quo nequit perimi maleficus sine simultanea nece cujuspiam insontis. Tunc ergò maleficus est potiùs tolerandus, quàm cum ipso insons interimendus: satius quippe est servare civem, quàm perdere hostem, imò etiam hostes. Unde meritò laudatur in Scipione Æmiliano, quòd dixerit, *Malle se civem servare unum, quàm multos hostes perdere.* Quin & major Scipione Christus, hoc ipsum innuendo jussit zizanijs parci, *ne eradicetur cum eis triticum*, prout Hieronymus §. 146. relatus interpretatur: cui consonans Divus Thomas: [A]. Mandatum Domini, inquit, in eo casu est intelligendum, quo „non possunt extirpari zizania, sine extirpatione tritici". Eòdem collimat & Augustinus, cùm ait: [B]. Absit à servis Patrisfamilias, „ut immemores sint præcepti Domini sui, & „sit adversùs zizaniorum multitudinem fragrantia sanctæ indignationis ignescant, ut „cùm ea velint ante tempus colligere, *simul eradicetur & triticum*". Hujus Dominici præcepti non satis memores fuisse videntur Episcopi quidam, qui post peremptum gladio Cæsareo heresiarcham *Priscillianum* apud Treviros, authores fuere Cæsari, pecunijs inhianti, [C]. Tribunos summâ potestate arma„tos ad Hispanias mittendi, qui hæreticos „inquirerent & deprehensis vitam & bona adimerent". Sed memor planè fuit Beatus Martinus Turonensis, qui summis precibus ab eodem Cæsare impetravit ut tribunos jam missos revocaret. Causa subditur ibidem continuò, nimirum quia " Dubium non erat, „quin Sanctorum etiam maximam turbam „tempestas ista depopulatura esset, parvo „discrimine inter hominum genera. Etenim „tum solis oculis judicabatur; cùm quis „pallore potiùs aut veste, quàm fide hæreticus æstimaretur". Quemadmodùm igitur

Eccl. 3. 27. Exodi 22. 18. Exodi 23. 7.
PRÆOCCUPATIO.
Scipio.
Mat. 13. 29.
A D. Thom. 2. 2. q. 1. art. 3. ad 3.
B. Aug. l. 3 contra literas Petil. c. 4
Ibidem.
C. Sulp. Severus Dialogo 3.
Vide Pacatum Drepanium in Panegyrico ad Theodosiu.

in plectendis hæreticis cavenda est supina lenitas; ita & præceps temeritas. Hinc Inquisitorious hæreticæ pravitatis, in virtute sanctæ obedientiæ; & sub interminatione Ecclesiasticæ censuræ ac maledictionis æternæ, præcipitur, [D]. Ut sic discretè & promptè „contra suspectos vel diffamatos de hæreti„ca pravitate procedant; quòd malitiosè „aut fraudulenter tantam labem falsò alicui non imponant". Ratio utriusque partis ibidem præmittitur, nimirum " Quia nimis „est grave, ad exterminationem tantæ pra„vitatis non agere, quod ipsius contagiosa „enormitas agendum requirit: grave est „quoque, & damnatione dignissimum ma„litiosè insontibus eandem imponere pravitatem". Rursùs quia ætas immatura propter juvenilem ardorem magis est obnoxia vitio præcipitantiæ, ibidem cap. 2. statuitur, " Nullis nisi qui quadragesimum æta„tis annum attigerint, officium Inquisitionis committi". Complura quoque alia ibidem servanda constituuntur, quibus extremitates utrimque vitandæ rescinduntur.

CL. Secunda causa tolerandi hæreticos est periculum transfugij aliorum minùs firmorum ad eorum partes, si secundùm legum rigorem invadantur. Est quippe innatus plerisque quidam commiserationis affectus erga concives, præsertim cognatos, vel affines, vel aliâ quâpiam necessitudine junctos, quos cernunt tribulationum pressuris expositos; maximè cùm cogitant eadem sibi posse evenire, si linant à concivibus exordium sumi, & eos videant intrepidè supplicia subire. Unde Augustinus monet ne vel spiritali quidem gladio in contumaces animadvertatur, nisi cùm schismatis suscitandi periculum abest: [E]. Nam & ipse Dominus, inquit, quùm „servis volentibus zizania colligere dixit, „*Sinite utraque crescere usque ad messem*: præmi„sit causam, dicens: *Ne fortè cùm vultis colli„gere zizania, eradicetis simul & triticum.* Ubi „satis ostendit, cùm metus iste non subest, „sed omninò de frumentorum certâ stabili„tate certa securitas manet: id est, quando „ita cujusque crimen notum est omnibus, & „omnibus execrabile apparet, ut vel nullos „prorsùs, vel non tales habeat defensores, „per quos possit schisma contingere: non „dormiat severitas disciplinæ, in quâ tantò „est efficacior emendatio pravitatis, quantò „diligentior confirmatio charitatis. Tunc au„tem hoc sine labe pacis & unitatis, & sine „læsione frumentorum fieri potest, cùm con„gregationis Ecclesiæ multitudo ab eo cri„mine quod anathematizatur aliena est. „Tunc enim adiuvat Præpositum potiùs „corripientem, quàm criminosum resisten„tem". Ad hanc causam respexisse videtur

D. Clementina: Multorum de Hæreticis c. 1.
E. Aug. l. 3. contra Epist. Parmen. c. 2.
Mat. 13. 30. Ibid. v. 29.

Divus Thomas, superiùs §. 143. relatus, quando inter mala propter quæ censuit tolerandos infidelium ritus nihil veritatis aut utilitatis habentes, numeravit *scandalum vel dissidium*, quod ex eorundem rituum abolitione posset provenire. Et sanè cùm potestas gladij, sive spiritalis sive corporalis concessa sit divinitùs non in destructionem, sed in ædificationem; non in ruinam, sed in structuram; non in corruptelam, sed in medelam: consequens est, ut fine isto contrariè cessante neuter exeratur, sed intra vaginam recondatur. Ut autem finis ille contrariè cesset, requiritur & sufficit quòd omnibus prudenti judicio pensatis, plus mali videatur secuturum ex gladij usu, quàm ex ejusdem non usu. Quamdiu igitur hujusmodi status rerum duraverit, cessare usus gladij debebit: cùm autem contrarius rerum status illuxerit, exerere gladium oportebit. Nec obstat quòd Christus non solùm dixerit, *Sinite utraque crescere*, sed insuper addiderit, *usque ad messem*, id est, usque ad *consummationem sæculi*, prout Christus ipse ibidem elucidat. Hoc quippe additamentum hypotheticè sumendum est, suppositâ nimirum duratione periculi *eradicationis tritici*: ita ut si hoc duret perpetuò, etiam zizania tolerentur perpetuò. Cùm enim pro causa tolerationis assignetur periculum eradicationis, consentaneum est ut toleratio quoad durationem commensuretur periculo eradicationis.

PRÆOCCVPATIO. *Mat. 13. 39.*

CLI. Tertia causa hæreticos tolerandi est impotentia eosdem exterminandi: *Nemo enim potest ad impossibile obligari*, prout habet Regula 6. Juris in 6. Hoc contingit quoties in aliqua ditione ita hæretici multitudine crebruerunt, aut viribus vel munitionibus invaluerunt, ut fortiores sint ad resistendum, quàm Catholici ad aggrediendum. Hoc namque casu exterminium eorum attentare, nihil aliud fuerit quàm crabrones temerè irritare, aut Anagyrim commovere, vel octipedem suscitare: *Noli*, ait Ecclesiasticus, *resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvij*: quia utique non solùm nihil efficies, nedum proficies; sed & immanioris mali periculo te tuosque expones. Sibi ergò dictum quisque reputet istud Plautinum: F. *Baccha bacchanti si velis adversarier, ex insanâ insaniorem facies, feriet sapius: si obsequaris, unâ te salvas plagâ*. Satius proinde fuerit hæreticos sinere intra ditionem Catholicis cohabitare, quàm Catholicos eradendi ansam iisdem præbere: G. Neque enim potest esse salubris à multis „ correptio, nisi cùm ille qui corripitur non „ habet sociam multitudinem. Cùm verò „ idem morbus plurimos occupaverit, nihil „ aliud bonis restat, quàm dolor & gemitus: „ ut per illud *signum* quod Ezechieli sancto „ revelatur, illæsi evadere ab illorum vasta„ tione mereantur. Ad eum enim qui errare „ non potest clamant, *Ne perdas cum impijs Deus* „ *animam meam, & cùm viris sanguinum vitam* „ *meam*: *Ne fortè cùm voluerint colligere zizania,* „ *eradicent simul & triticum*; nec per diligen„ tiam segetem Dominicam purgent, sed „ per temeritatem ipsi potiùs inter purgamenta numerentur". Et rursùs ibidem aliquantò inferiùs: " Misericorditer igitur, „ subdit, corripiat homo quod potest, quod „ autem non potest patienter ferat, & dile„ ctione gemat atque lugeat; donec aut Deus „ desuper emendet & corrigat, aut usque ad „ messem differat eradicare zizania, & paleam ventilare". Quòd igitur Ambrosius scribit de non irritandis Gentilibus, sed tolerandis eorum erroribus ac ritibus, quando Christianos ita superant viribus; ut eos possint affligere persecutionibus; inculcandum est pariter & modernis Catholicis, inter hæreticos sese potentiores commorantibus: H. Cavendum reor, ait ille, ne dum aliqui „ nimiâ gloriæ ducuntur cupiditate, insolen„ tiùs abutantur Potestatibus; & plerunque „ aversos à nobis animos Gentilium in studia „ persecutionis excitent, atque inflamment „ ad iracundiam. Itaque ut illi perseverare „ possint, & supplicia vincere, quantos perire faciunt"? Tantos utique sive tot, quot persecutioni excitatæ sunt succubituri, qui alioquin in tranquillitate pacis fuissent perseveraturi. Atque hinc est quòd Eliberitana Synodus decreverit, eos qui velut ex zelo Religionis auderent idola confringere, nequaquàm pro Martyribus esse habendos, etiamsi in ipsa operis patratione ab idololatris trucidarentur: I. Si quis idola fregerit, „ inquit, & ibidem fuerit occisus; quatenùs „ in Euangelio scriptum non est, neque in„ venitur sub Apostolis unquam factum: pla„ cuit in numero eum non recipi Martyrum". Refert quoque Augustinus, *Mensurium* Carthaginensem Antistitem, *Cæciliani* prædecessorem, prohibuisse Christianos ab eis honorandis, qui non comprehensi offerrent se persecutoribus, ultro dicentes se habere sacros Codices, quos tradere nollent Ethnicis juxta Imperialia Edicta exurendos.

Eccles. 4. 32.

F. Plautus apud Erasmum Chiliade 1. Centuriâ 1. c. 60

G. Aug. l. 3. contr. Epist. Parmen. c. 2.

Ezech. 9. 4.

Psalm. 25. 9.

Mat. 13. 29.

H Ambr. l. 1. Offic c. 41. Vide Naz. L. Orat. 3. quæ est prima in Julianum, & Joannem Leusenum l. de Offic. hominis Christiani c. 14.

I. Synodus Eliberitana Can. 60.

Vide Aug. in Breviculo Collationis 3. Diei c. 13.

CAPVT

CAPUT XLI.

Adversùs Elibertinum Canonem superiori capite adductum objiciuntur exempla Eupsychij, Eulaliæ, Marci Arethusij, Cyrilli Diaconi, Audæ Persæ, & similium, qui Gentilium furorem spontè in se inflammarunt, fana evertendo, vel idola frangendo, vel tribunalibus insultando, vel Edicta persecutorum palàm lacerando. Sed idem Canon firmatur authoritate Patrum, & exemplo Christi: conciliaturque cum exemplis in contrarium objectis. Augustini locus à Baronio perperàm allegatus sistitur, & in allegantem retorquetur. Marci Arethusij martyrium revocatur in dubium, non propter ambiguitatem facti, sed ob conditionem personæ. Hæretici, quantumvis ab idololatris occisi in odium Christianismi, non assequuntur palmam Martyrij.

CLII. Cum hæc ita se habeant, disquirendum superest quomodò cum eis consistat praxis Ecclesiæ venerandi tanquam Martyres tam viros quàm fœminas, quibus mors illata est ob idolorum confractionem? Exemplo sit inprimis sanctus *Eupsychius* Martyr Cæsariensis, de quo in Romano Martyrologio sic legitur: K. *Cæsarea in Cappadocia, Sancti Eupsychij Martyris, qui ob eversum Fortunæ fanum sub Iuliano apostata martyrium consummavit.* Accedit huic Sancta *Eulalia*, virgo & Martyr Emeritana, quæ & spontè properavit ad tribunal persecutorum, & eis dixit: L. *Quaritis, ô miseranda manus, Christicolûm genus? En ego sum dæmoniacis inimica sacris, Idola protero sub pedibus, Pectore & ore Deum fateor.* Addit author inferiùs de eadem: *Infremit, inque tyranni oculos sputa iacit, simulachra dehinc dissipat, impositamq; molam thuribulis pede prosubigit.* His tertio loco jungatur *Marcus* ille Arethusius, de quo refert Theodoretus quòd imperante Juliano apostatâ exquisitissimis supplicijs cruciatus ac peremptus sit, eò quòd idolorum quoddam fanum destruxisset. Qua in re nequaquàm ab Historico redarguitur, sed potiùs ita extollitur, ut ejus passionis historiam hoc exordio auspicetur: M. Marci Are„thusij Episcopi tragœdia, Æschyli & So„phoclis grandiloquentiam desiderat, ut ejus ærumnas pro meritis deplorent". Pluribus ejus agonem prosequitur Gregorius Nazianzenus Oratione 3. quæ est prima in Julianum: ubi iteratò repetit, *eum pro pietate certamen inysse.* Græci item in suo Menologio die 29. Martij: *Marcus*, inquiunt, *Arethusiorum Episcopus, Cyrillus Diaconus, & alij. sub Iuliano tyranno pietatem exercentes.* Ubi simulachrorum contractio appellatur *pietas*: nam etiam *Cyrillus* ille ob eandem causam interfectus est, prout Theodoretus loco proximè citato testatur, dicens de eo: *Divino zelo incensus simulachra multa Heliopoli confregerat. Hoc eius factum memoriâ tenentes execrandi, non solùm eum interfecerunt, sed dissecto etiam ventre iecur illius degustaverunt.* Hic ergò pro quarto exemplo servire potest; quem non solum Græci, sed & Latini inter Sanctos Martyres referunt: siquidem in Romano Martyrologio sic de eo legitur die 29. Martij: *Heliopoli apud Libanum, S. Cyrilli Diaconi & Martyris; cuius iecur, discisso ventre, avulsum, Gentiles sub Iuliano apostatâ feraliter depasti sunt.* Quinto loco jungatur Episcopus ille Persicus, nomine *Audas*, qui, regnante apud Persas Isdigerde, Pyræum, id est, ignis delubrum, destuxit; & ob id ab Isdigerde Rege martyrizatus fuit: prout refert Theodoretus lib. 5. Hist. Eccles. cap. 38. aliàs 39. Quibus sexto loco adjungi potest nobilis ille Nicomediensis, qui non quidem idolorum delubrum, sed tamen Imperatorum ethnicorum ferale Edictum, adversùs Christianos, Nicomediæ promulgatum, imperterritus, coram toto populo dilaceravit: N. Zelo Dei „motus, ait de ipso Eusebius, ac ferventi „fide impulsus, in manifesto ac publico posi„tam scripturam, tanquam profanam & im„pijssimam sustulit, ac discerpsit: cùm duo Imperatores in eadem civitate adessent". Mirificè laudat Eusebius ibidem hujus viri non modò zelum, sed imperterriti animi constantiam in perferendo supplicio pro isto suo facto, usque ad extremam spiritûs exhalationem. Atque hi omnes, & consimiles alij plures, istis suis factis tyrannos vehementer irritarunt, & ad persequendos Christianos inflammarunt. Falsum proinde apparet quod superiori capite §. 151. astruximus: alioquin isti

OBIECTIO.

K. Martyrol Roman. die 9 April. Vide Nicephor. l. 10. c. 10. & Sozomen. l. 5. c. 11.

L. Prudent. in Peristeph.

M. Theodoret. lib. 3. Hist. Eccles. c. 3 alias 7.

Vide Sozomen. lib. 5. cap. 10.

Nazianzenus Menolog.

Vide Nicep l. 10. c. 9.

Theodoretus.

Martyrol. Romanum. Vide Sozom. l. 5. c. 10.

Theodoretus.

N. Euseb. l. 8. Hist. c. 5. Vide Niceph. lib. 7. c. 5.

iſti non pro Martyribus colendi, ſed pro temerarijs arguendi fuiſſent; quippe qui perſecutionem ſibi & fratribus ſuſcitaſſent.

CLIII. Nihilominùs inſiſtendum eſt doctrinæ ſuperiùs traditæ, atque Ambroſij, Menſurij, & Eliberitanæ Synodi authoritate firmatæ. Quibus addi poteſt Athanaſius, qui, teſte Socrate, [O]. Metuens ne ſiqua gererentur abſurda, ſibi imputarentur; totos ſe „quatuor menſes in paterno monumento abſcondit". Accedit quoque Cyprianus, qui ne ſuâ causâ perſecutio fidelibus excitaretur, abſceſſit, atque è receſſu ſuo ad plebem ſcripſit: [P]. In tanta, inquiens, ſollicitudine ac „neceſſitate excurrere ad vos ipſe non poſ„ſum, dum per minas & per inſidias perfi„dorum cavemus, ne advenientibus nobis „tumultus illic major oriatur: & cùm paci „& tranquillitati Epiſcopus providere in „omnibus debeat, ipſe materiam ſeditioni „dediſſe, & perſecutionem denuò exacerbaſſe videatur". Et ſuperiùs Epiſtolâ 15. ad Clerum Romanum, aſſignans cauſam ſeceſſionis ſuæ: "Cùm me, inquit, clamore „violento frequenter populus flagitaſſet, „non tam meam ſalutem, quàm quietem „fratrum publicam cogitans, interim ſeceſſi: „ne per inverecundam præſentiam noſtram „ſeditio quæ cœperat, plus provocaretur". Ubi ſermo eſt de *flagitatione*, quâ populus idololatricus ſanctum Epiſcopum flagitabat ad ſupplicium, de qua ſuperiùs item egerat Epiſt. 6. "Viſum eſt, inquiens, adhuc inte„rim latebram & quietem tenere, reſpectu „utilitatum aliarum, quæ ad pacem om„nium noſtrûm pertinent & ſalutem, qua„rum vobis à Tertullo fratre noſtro chariſſi„mo ratio reddetur; qui pro cætera ſua cura, „quam impensè pro divinis operibus imper„tit, etiam hujus conſilij auctor fuit, ut „cautus & moderatus exiſterem, nec me in „conſpectum publicum, & maximè ejus loci „ubi toties flagitatus & quæſitus fuiſſem, temerè committerem". Hujus ergò ſententiæ non tantùm fuit Cyprianus, cum cæteris hactenùs relatis, ſed præterea *Tertullus* iſte, quem Cyprianus hoc loco allegat, & auctorem conſilij à ſe ſuſcepti deſignat. Poterat quoque ad juſtificandum factum ſuum proferre exemplum Chriſti Domini, qui ne ſuâ præſentiâ animos Judæorum ad ſuſcitandum tumultum vel perſecutionem exacerbaret, *cùm cogitarent ut interficerent eum, iam non in palam ambulabat apud eos, ſed abyt in regionem iuxta deſertum*: [Q]. Non quia potentia ejus defece„rat, inquit Auguſtinus, in qua utique ſi „vellet, & palàm cum Judæis converſaretur, „& nihil ei facerent: ſed in hominis infir„mitate, vivendi exemplum diſcipulis de„monſtrabat; quo appareret, non eſſe pec„catum, ſi fideles ejus, qui ſunt membra „ejus, oculis perſequentium ſe ſubtraherent, „& furorem ſceleratorum latendo potiùs „devitarent, quàm ſe offerendo magis accenderent". Et ſanè cùm ſubeſt hujuſmodi *accenſionis* periculum, non ſolùm non eſt peccatum, ſed è contrario potiùs eſt debitum, ut oculis perſequentium nos ſubtrahamus, nec temerè crabrones irritemus: [R]. Oportet, „inquit Cyprianus, nos paci communi con„ſulere; & interdum, quàmvis cum tædio „animi noſtri, deeſſe vobis: ne præſentia „noſtra invidiam & violentiam Gentilium „(*hæreticorum*) provocet; & ſimus authores „rumpendæ pacis, qui magis quieti omnium conſulere debemus". Ubi ſignanter expendendum eſt verbum, *oportet*: quod non tantummodò importat id eſſe licitum, ſed & omninò debitum: quod debitum iteratò exprimitur verbo, *debemus*. Providendum tamen, quoad fieri poteſt, ne per abſentiam aut latentiam Paſtoris, Catholicæ oves neceſſario miniſterio fraudentur: ne fortè dum volumus præcavere unum malum, invehamus alterum deterius aut par. Quâ de re legendus Auguſtinus Epiſt. 180. ad Honoratum, & Divus Thomas 2. 2. quæſt. 185. artic. 5.

CLIV. Neque verò exempla in contrarium objecta hanc ſententiam infirmant, nedùm elidunt. Nam ad *Eupſychij* facinus quod attinet, Cardinalis Baronius ſic reſpondet: [S]. *Eupſychium* conſtat id perpetraſſe autho„ritate legum Conſtantini Magni & Con„ſtantij Imperatorum, quibus Juliani apo„ſtatæ tyrannis adverſabatur: illorum enim „iteratis Sanctionibus templa clauſa, idola „proſtrata, illorumque ſacra prorsùs fuerant „antiquata; quæ omnia Juliani impietas re„ſtituere conabatur. Eſt de his etiam Sancti „Auguſtini doctrina in Epiſtola 50. ad Bo„nifacium comitem, quâ ſignificat à Marty„ris titulo illum non eſſe excludendum, qui „ex Reſcripto Imperatoris Chriſtiani idola „frangens, occiſus ſit. Quòd ſi juſtè quis id „facit, cùm Princeps jubet, & meretur lau„dem: multò magis licebit, cùm Deus jubet, „& privato quodam divini Spiritûs inſtin„ctu quis ad id faciendum impellitur; ut multos feciſſe conſtat". Cæterùm quàmvis hæc poſterior reſponſio, in *divino inſtinctu* fundata, ſufficere videatur quando de tali inſtinctu conſtat, prout conſtare videtur quoties Eccleſia quenpiam taliter occiſum colit ut Martyrem: prior tamen reſponſio, in Edictis Conſtantini & Conſtantij fundata, non videtur ſolida. Nam Edicta illa videntur amiſiſſe vigorem priuſquam *Eupſychius* ſuum facinus peregiſſet. Nec Auguſtinus à Baronio allegatus favet: non enim ille aſſerit

eos

O. Socrat. l. 4. Hiſt. Eccleſ. cap. 13.

P. Cyprian. Epiſt. 40. Vide Epiſt. 33.

Tertullus.

Ioan. 11. 53. & 54.

Q. Auguſt. Tract. 49. in Joan. in fine. Vide Orig. tom. 31 in Joannem.

R. Cyprian. Epiſt. 38. Vide Greg. Nazianzen. Orat. 1.

DILUITUR.

S. Baron. in Notis Martyrologij die 9. Aprilis.

Auguſtinus.

eos qui ex Rescripto Imperatorum frangentes idola occiderentur, insigniendos esse titulo Martyrum; sed tantummodò ait: *Illud si acceptâ legitimâ potestate facere vellent, si quid eis accidisset, possent habere qualemcunque umbram nominis Martyrum.* Quis autem non videat, longè aliud esse, *à Martyris titulo non excludi*, quod ait Baronius; & *qualemcunque umbram nominis Martyris habere*, quod scripserat Augustinus? Ad exemplum igitur *Eupsychy* dupliciter responderi potest: Primò eum divino instinctu fanum Fortunæ destruxisse, & martyrium subijsse; atque idcircò in numerum Martyrum ab Ecclesia, cui obstrepere nefas sit, relatum fuisse. Secundò eum nequaquàm in ipso opere destructionis fani, sed aliquantò posteà in odium Christianæ fidei peremptum fuisse: atque adeò verum Martyrem extitisse, licèt destructio fani occasionem martyrizandi ipsum pro fide præbuerit. Quæ responsio applicari potest reliquis quatuor exemplis ibidem objectis. Nemo quippè eorum qui ibi in scenam proferuntur, occisus fuit in ipso opere destructionis idolorum, vel dilacerationis Edicti Imperatorum; sed post patratum opus martyrizati sunt pro fide: & quidam eorum, quòd nullâ ratione induci potuerint, ut delubrum idololatricum à se destructum restaurarent: prout de *Marco Arethusio*, & de *Auda* Episcopo Persico, tradit expressè Theodoretus locis in objectione citatis. Neque verò consequens est, ut qui temerè vel incircumspectè fana idolorum destruxit, aut idola ipsa confregit, non benè ac religiosè recusarit reparare quod destruxerat, vel confregerat. Unde Theodoretus destructionem Pyræi ab *Auda* Episcopo factam improbat: ut intempestivam, sed subsecutam reparationis recusationem approbat ut religiosam, & aureolâ Martyribus repositâ dignam: "Ego verò, inquit, intempestivam Pyræi demolitionem fuisse aiot ne- que enim divinus Apostolus, cùm Athenas venisset, urbemque idolis deditam vidisset, aram quampiam earum, quas in honore habebant, subvertit; sed verbis eorum ignorantiam redarguit, & veritatem edocuit. Destructum verò fanum non restaurare, sed occidi malle quàm id præstare, magnoperè laudo, & coronis dignum duco. Par quippè mihi videtur esse, ignem adorare, & ei templum extruere". Similia de *Marco* Arethusio habet Gregorius Nazianzenus Orat. 3. quæ est prima in Julianum. Interest tamen quod hic Imperiali authoritate suffultus idololatricum delubrum subverterit, *Audas* verò nullâ publicâ authoritate munitus Pyræum destruxerit. Baronius quidem in Notis Martyrologij die 29. Martij, pernegat hunc *Marcum* titulo Martyris decorandum esse: sed non negat bonam ac martyrio condignam fuisse supplicij ejus causam, dummodò ipse fuisset Catholicus, ac non potiùs hæreticus Arianus. Rectè quidem, si constaret eum in hæresi finaliter perseverasse: sed Græci qui eum inter Martyres referunt, negare debent eum fuisse hæreticum, vel certè asserere eum resipuisse ab hæresi: neque enim prærogativis hæredum gaudere par est filios concubinarum, prout ratiocinatur Augustinus lib. de Patientiâ cap. 27. & 28.

T. Theodoret. libro 1. Hist. Eccles. cap. 38. alias 39. Vide Baron. in notis Martyrolo. die 14. Maij. Vide Ambr. Epist. 17. alias 29 ad Theodos. Augustum.

Nazianzen.

Baronius.

Augustinus.

CAPUT XLII.

Fideles non solùm ex charitate erga seipsos, vel alios confideles, sed etiam ergà suos persecutores, & horum subalternos Apparitores, spiculatores, executores; obstringuntur non temerè ansam præbere persecutioni, irritando crabrones. Apprehensos & traditos loqui voluit Dominus confessores sui nominis. Primus victoriæ titulus est, persequentium manibus comprehensum confiteri Domino; secundus ad gloriam gradus est, cautâ secessione subtractum reservari Domino. Inter confiteri *&* profiteri, *quid intersit? Persecutorem facit, qui provocat; corrigit qui declinat. Si Saulum Martyres non fugissent, Paulum non fecissent. In æquilibrio est seipsum occidere, & se inimicis ad occidendum propinare. Qui fugit, suis etiam persecutoribus cavet, ne usquè ad sanguinis effusionem progressi reatum incurrant homicidij.*

CLV. Est & alia causa, à Sanctis Patribus crebrò allegata, ob quam non liceat Christianis, de communi lege, persecutores ad iracundiam inflammare, sive idola intempestivè destruendo, sive templa idololatrarum, aut hæreticorum demoliendo, sive seipsos ultroneè offerendo, sive alio quòvis modo persecutoribus ansam persequendi, vel persecutionem augendi, temerè præbendo: nimirùm cura salutis ipsorum persecutorum, qui persequendo fiunt deteriores, & æternam sibi mortem accersunt. Hanc causam allegat Clemens Alexandrinus cùm ait: "Quando Dominus dicit; *Si vos persecuti fue-*

V. Cle. Alex. lib. 4. Strom. Mat. 10. 23.

rint in hac civitate, fugite in aliam: non suadet fugere tanquam malum sit pati persecutionem, nec ut mortem extimescentes jubet nos eam fugâ declinare: sed vult nos nulli esse authores, neque alicujus mali cooperatores; nec nobisipsis, nec ei qui persequitur, nec ei qui interimit. Denunciat enim quodammodò ut caveat: qui autem non obedit, audax est & temerarius, & inconsultè se in manifesta pericula conjiciens. Si autem qui hominem Dei interimit, in Deum peccat; is quoque ejus cædis reus tenebitur, qui se offert judicio. Is autem fuerit, qui non vitat persecutionem, se capiendum præbens per audaciam: is quantum in se est adjuvat improbitatem ejus qui persequitur". Huic præceptori suo subscribit Origenes, dum exponens abscessum Christi *in regionem juxta desertum à conspectu Judæorum cogitantium eum interficere*, ita scribit[W]. Hæc & his similia scripta fuisse censeo, volente JESV nos advertere, ne iracundiùs & inconsideratiùs insiliamus in certamen mortis, pro veritate testimonium præbituri. Etenim honestum quidem est, si inciderit certamen pro confitendo JESV, confessionem non differre, neque tardare pro veritate mortem oppetere: at non minùs quàm hoc honestum est tali tantæque tentationi occasionem non dare, sed omni modo vitare eam; non solùm quia tantæ rei incertus nobis sit exitus, verum etiam ne nos occasio simus ut magis peccatores ac magis improbi evadant ij, qui nondùm reipsa effusionis sanguinis nostri rei facti sunt". Subscribit item his Petrus Alexandrinus, dum agens contra eos qui ultrò se persecutoribus offerebant, ut martyrij palmam obtinerent[X]. Verba Christi, inquit, non animadvertunt qui docet *non esse ingrediendum in tentationem*. Fortè etiam ignorant Patremfamilias, ac Dominum nostrum sæpè ab ijs, qui insidiari ei volebant, secessisse, & quòd quandoque *non apud eos liberè incedebat*; & quòd etiam appropinquante passionis tempore non seipsum tradidit, sed expectavit donec ad eum venirent cum gladijs & fustibus. Dixit quippe eis: *Tanquam ad latronem exijstis cum gladijs & fustibus comprehendere me*: qui etiam *tradiderunt ipsum Pilato*. Ad ejus quoque similitudinem ij accedunt, qui ejus scopum sibi proponentes incedunt divinorum ejus verborum memores, quibus nos confirmans, dicit de persecutionibus: *Attendite vobis ipsis: tradent enim vos in concilijs, & in Synagogis suis flagellabunt*. *Tradent* autem dixit, non vos ipsos tradetis: & *ad Reges & Principes ducemini propter nomen meum*, non vos ipsos ducetis. Nos quoque vult de loco in locum transilire, dum sunt qui nos persequuntur propter nomen ejus, sicut eum dicentem audimus: *Quando vos in hac civitate persecuti fuerint, fugite in aliam*. Non vult enim nos ad diaboli stipatores satellitesque confugere; ne ipsis quoque multifariæ mortis causa simus, ut qui ipsos & asperiores esse cogamus, & opera mortifera peragere faciamus: sed expectare nos vult, & nobis cavere; *vigilareque & orare ne intremus in tentationem*.

Ioan. 11. 53. & 54.

W Origen. tom 19. in Joannem.

Vide D. Th. 2. 2. q. 124. a. 1. ad 3. & art. 3. ad 2.

X Pet. Alex. Ser. de Pœnit. Can 9. apud Zonaram

Mat. 6. 13.

Ioan. 11. 54.

Mat. 26. 55.

Mat. 10. 17.

Ibid. v. 18.

Ibid. v. 23.

Mat. 26. 41.

CLVI. Eandem quoque sententiam amplectitur Gregorius Nazianzenus, ita tamen ut velit Christianum licitè ac laudabiliter posse seipsum persecutoribus offerre, quando ipsius causâ alij alioquin ad supplicia trahuntur, quos sui oblatione liberare potest, quemadmodùm fecit *Marcus* Arethusius superiori capite memoratus, de quo ipse ait:[Y]. Cùm populum adversùs se incitatum, nec moderati quidquam vel cogitantem cerneret vel comminantem, consciscendæ fugæ consilium inijt, non tam ignaviâ fractus, quàm præcepto illo permotus, quo *de civitate in civitatem fugere*, & persecutoribus cedere jubemur: neque enim Christianos, quantùmvis fortes ac singulari tolerantiâ præditos, sui tantùm rationem habere oportet, sed persecutoribus quoque consulere, ut ne quantum in ipsis est, ad hostile periculum quidquam conferant. At postquàm multos suâ causâ duci atque abstrahi, multos etiam ob persequentium crudelitatem in animæ periculo versari intellexit, tum verò alios ob cautionem suam periclitantes negligere minimè sustinuit: ac proindè præstantissimum maximèque philosophicum consilium cepit; è fuga quippè rediens, se ultrò plebis arbitrio tradidit, atque adversùs temporis difficultatem velut aciem instruxit". Rursùs Orat. 10. loquens de fratre suo Cæsareo: "Malis temporibus cedit, inquit, in eoque legi nostræ obtemperat, quæ sancit ut urgente quidem tempore pro veritate periculum adeamus, nec pietatem per ignaviam prodamus: quamdiu autem licet, pericula ipsa ne provocemus, sive animarum nostrarum metu, sive ut ijs consulatur qui periculum nobis inferunt". Et iterùm Orat. 20. in laudem Basilij Magni: "Lex martyrij hæc est, inquit, ut nec nos ultrò in certamen accedamus; hâc quippè ratione tum persecutoribus, tum imbecillioribus consulimus: nec, cùm præsentes sumus, certamen detrectemus. Illud quippè temerarij ac præcipitis est animi, hoc timidi & ignavi". Hoc ipsum innuit & Clemens Romanus, cùm ait:[Z]. Ne simus nimis prompti, neque ad pericula præcipites: ait enim Dominus, *Orate ne intretis in tentationem. spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*. Quòd si tempus incidat, ne deturpemus ignaviâ professionem nostram".

Y Greg. Nazianz. Orat. 3. quæ est 2. in Julian.

Mat. 10. 23.

Z. Clemen. Rom. lib. 5. constit. Ap. cap. 7.

Mat. 26. 41.

Et Mar-

A Cyprian. Epist. 83.

Et Martyr Cyprianus, Clerum & plebem suæ diocœseos è secessu suo alloquens: A. „Pro disciplina, inquit, quam de mandatis Dominicis à me semper accepistis, & secundùm quod me tractante sæpissimè didicistis, quietem & tranquillitatem tenete; nec quisquam vestrûm aliquem tumultum de fratribus moveat, nec ultrò se Gentilibus offerat: apprehensus enim & traditus loqui debet, siquidem in nobis Dominus positus illâ horâ loquatur: qui nos confiteri magis voluit, quàm profiteri". In quem locum Pamelius notat, quòd *profiteri* non sit quomodolibet confiteri, sed ultrò & palàm fateri. Hoc Christus non solùm non præcepit, sed quadantenùs vetuit, quatenùs fugam de civitate in civitatem præscripsit. Neque verò qui persecutorem fugiendo secedit, Christum negat, sed potiùs confitetur: nam & ipsa fuga confessio quædam est; cùm non ob aliud quis se fugâ subtrahat, nisi quod diffiteri Christum recuset. Unde & idem Cyprianus alibi ait: B. „Cùm dies negantibus præstitutus excessit, quisquis professus intra diem non est, Christianum se esse confessus est. Primus est victoriæ titulus, Gentilium manibus apprehensum, Dominum confiteri: secundus ad gloriam gradus est, cautâ secessione subtractum, Domino reservari. Illa publica, hæc privata confessio est". Ubi notandum, duos duntaxat confessionis modos à Cypriano agnosci, unum quo palàm confitetur apprehensus, alterum quo clàm confitetur fugiens. Ultronea proindè professio quam nulla præcessit apprehensio, Cypriano non est confessio, sed vetita supererogatio. Quod tamen intellige, extra casum quo alij propter te ad necem pertrahuntur, quos tui oblatione liberare queas: prout ex Nazianzeno mox relato colligitur.

Pamelius.

B. Cyprian. lib. de lapsis n. 12. & 13.

CLVII. Quemadmodùm Christus in ætate adulta declinans persecutionem Judæorum *cogitantium interficere ipsum, abijt in regionem iuxta desertum*, prout superiùs §. 153. & 155. visum est: ita & in ætate infantili declinans persecutionem Herodis volentis interficere ipsum, *fugit in Ægyptum*: utrobique nos instruens, persecutionem potiùs fugere, quàm temerè nos persecutoribus offerre. Et quidem de priori ejus fuga jam suprà disseruimus: de posteriori Petrus Chrysologus ita scribit ad præsens propositum: C. „Christus nos in se suscepit, ut se daret nobis: pertulit passiones nostras, ut nostras tolleret passiones. Hinc est quòd Christus fugit, ut nostras fugas in persecutionibus temperaret. Martyr comprehensus debet tenere constantiam, non comprehensus debet fugere persequentem; ut & persecutori indulgeat resipiscendi tempus, & sibi non auferat tempus supplicandi, dicente Domino: *Si vos persecuti fuerint in hac civitate, fugite in aliam*. Persecutorem, qui provocat, facit: corrigit, qui declinat. Fugere debemus: ergò provocare non debemus; si salvari persecutores nostros volumus, pro quibus præceptum est nos orare: *Orate*, inquit, *pro persequentibus vos*. Orandum est, fugiendum est: ut & ille qui per ignorantiam furit, sanetur; & ille qui patitur, de patientiæ palmam subeat, non subeat de temeritate discrimen. Si Saulum Martyres non fugissent, Paulum non fecissent. Hoc faciendum docuit Christus, hoc nobis reliquit exemplum: ut fugiente Domino, fugere indignum non putet servus". Athanasius item exemplo Christi aliquoties fugientis, & Apostolorum eum ea in re imitantium, suam justificat fugam; ac deindè generaliter concludit, dicens: D. „Utilis igitur, & non infructuosa populis est fuga Sanctorum. Quapropter Sancti fugientes sese occultabant, & per dispensationem, ut Medici in usum indigentium reservabantur. Reliquis autem, & in universum omnibus ea lex proposita est, ut fugiant, dum in persecutionibus appetuntur; & occultent se, dum quæruntur: neque præcipites temerarijque sint in tentando Domino, sed expectent donec definitum moriendi tempus advenerit, aut Judex ille aliquid de ijs quod sibi rectum videatur constituerit: sed tamen nos semper paratos esse voluit, ut vel vocante tempore, vel apprehensi, pro Ecclesiâ usque ad mortem dimicemus. Hæc Beati Martyres temporibus persecutionum observaverunt, ijdemque in latebris existentes sese obdurabant: ubi autem inventi essent, martyrium obibant. Quòd si eorum aliqui se persecutoribus dedidere, non temeritate eò rapiebantur; sed passim apud omnes profitebantur, à Spiritu Sancto hanc promptitudinem, suíque oblationem, profectam esse". Igitur ex Athanasij mente qui se ultrò persecutoribus, nec Deo intrinsecùs instigante, nec aliquâ necessitate perurgente, offerunt; usque adeò Martyres non sunt, ut potiùs temerarij præcipitatores, & Dei tentatores, & divini præcepti violatores reputandi sint. Idem quoque Athanasius in Apologia ad Constantium Cæsarem ita in eandem rem scribit de seipso: „Ego non metu mortis in fugam me dedi, ne quis me timiditatis accuset, sed ut Salvatoris præcepto obtemperarem, cujus mandatum est, ut contra persecutores fugâ, contra indagatores latebris utamur, ne si nos in apertum periculum offeramus, acriùs provocemus persequen-

Joan. 11. 12. & 14.

Matt. 2. 14.

C Pet. Chrysol. Ser. 151.

Matt. 10. 23.

Matt. 5. 44.

D. Athan. Apologia de fuga sua.

„ tium furorem: siquidem in æquilibrio est „ & seipsum occidere, & se inimicis ad oc- „ cidendum propinare. Qui autem fugit, ut „ Dominus præcepit, is temporum articulos „ novit, & verè suis persecutoribus cavet, „ ne usque ad sanguinem fundendum evecti, „ rei fiant ejus præcepti, quod homicidium vetat". Ecce quot pravitates in unum actum ultroneæ oblationis sui in mortem confluunt! Est quippe inprimis quædam præceps temeritas, deindè Dei tentatio, divini mandati fugam injungentis prævaricatio, persecutorum irritatio atque ad peccandum provocatio, aliorum fidelium in pericula conjectio, sui denique occisio. Quæ tamen intelligenda sunt seclusis exceptionibus anteà allegatis.

Vide Cypr. lib. de lapsis num. 48.

CAPUT XLIII.

Possitne Princeps tolerare hæreticos in ditione sua, ne Catholicus suscitetur persecutio in aliena? Charitas Christiana ad omnes quidem homines sese exporrigit, sed in hac exporrectione ordinem servat: cùm enim quis omnibus prodesse nequeat, his potissimùm consulere debet, qui pro locorum, vel temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus, constrictiùs sibi quâdam sorte junguntur. Quod pater est filijs, hoc Princeps debet esse subditis. Patris patriæ *titulus bonus Principibus attributus. Generosi celsique animi vox est,* liberos amo meos, sed patriam magis meam. *Qui omnibus, quos pariter diligit, prodesse non potest; nisi conjunctioribus prodesse malit, injustus est. Concluditur, non posse Principem connivere perversoribus ditionis sua, ad cavendum persecutionem in aliena. Philippi Secundi vox Catholico Rege digna.*

CLVIII

DVBIVM.

QVæri autem potest, utrùm tolerari possint hæretici vel alij infideles in uno quopiam regno, ad præcavendas persecutiones per eorum Consectarios alioquin movendas in alio regno: ut exempli gratiâ an Rex Hispaniæ possit licitè tolerare Lutheranos aut Calvinianos in sua Hispania, ne eos persequendo præbeat ansam Danis, Anglis, aut Suecis Sectarijs, persequendi Catholicos intra suas respectivè ditiones constitutos? Videri posset quòd sic: quia ita eos tolerando consulitur saluti persequentium, quorum alioquin furor provocabitur, saltem ad graviùs peccandum: consulitur quoque saluti persecutionem patientium, qui vel insontes perimentur, vel à fide ad perfidiam transire compellentur. Cùm igitur teneamur lege charitatis consulere *tum persecutoribus, tum imbecillioribus*, prout §. 156. ex Nazianzeno retulimus, consequens apparet, non modò licere, sed etiam oportere tolerare infideles in nostra ditione, ne suscitemus persecutionem in aliena ditione. Confirmatur hic discursus, ex eo, quòd omnes orthodoxi fideles, quantumvis locis dissiti ac ditionibus separati, unius Christi capitis sint membra, atque sibi invicem commembra, dicente Apostolo: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Unde & alibi idem Apostolus perhibet, Deum ita temperasse corpus, *ut non sit schisma in eo, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra.* Ac tum continuò subdit: *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur & omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra: Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.* Ubi ne quis putaret Apostolum de hominibus unius duntaxat regionis aut ditionis loqui, ac non generatim de omnibus Christicolis ubilibet degentibus, præmiserat ibidem superiùs ex persona omnium confidelium: *In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudai, sive Gentiles, sive servi, sive liberi.* Alibi quoque ait fidelibus: *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis: non est enim Iudæus, neque Græcus, non est servus, neque liber; non est masculus, neque femina: omnes enim vos unum estis in Christo IESV.* Et alibi item, *Non est distinctio Iudæi & Græci.* Et item alibi, *Sumus invicem membra.* Et ibidem pauld superiùs: *Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus; ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Ex hac igitur compacturâ ac connexurâ omnium fidelium ubilibet degentium, consequens apparet, ut non minori sollicitudine providere debeat quisque Princeps Christianus, ne ansam præbeat perse-

Nazianzen.

AVGETVR.

Rom. 12. 4. & 5.

1. Cor. 12. 25.

Ibid. v. 26. & 27.

Ibid. v. 13.

Gal. 3, 27. & 28.

Rom. 10. 12.

Eph. 4. 25.

Ibid. v. 15.

persequendi Christianos alienæ ditionis, quàm suæ propriæ. Ex quo ulteriùs fit, ut quomodò tenetur tolerare interdum infideles suæ ditionis, ne reliquis periculum internecionis aut seductionis accersat, neve ipsos persecutores ad furendum accendat: ita & eosdem tolerare debeat, ne simile periculum fidelibus alienæ ditionis procreet, aut ipsos persecutores in suam & eorundem perniciem inflammet. Christianus enim sive parùm sive multùm dissitus sit, quamdiu Christo tanquam membrum capiti adhæret, tamdiu reliquis Christianis tanquàm commembrum commembris cohæret: atque adeò necesse est ut quemadmodùm membra corporis physici pro invicem sollicita sunt, ita & membra corporis istius mystici pro invicem sollicitudinem gerant: præsertim cùm quantumvis loco sint dissita, fide tamen existant propinqua, imò & domestica. Unde ait Apostolus, *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.* Omnes itaque fideles ipsâ suâ fide sunt condomestici, quantumlibet locorum intervallo sint dissiti; ipsi item persecutores censentur nobis proximi; ut proinde non debeamus præbere eis occasionem offendiculi, sed ex adverso *dilectionem impendere sicut nobis ipsis.*

Gal. 6. 10.

Mat. 19. 19.

DECIDITUR.

CLIX. His tamen non obstantibus negativa responsio præferenda videtur; quia tametsi Christiana charitas sollicitudinem suam intra unius terrenæ ditionis arctitudinem non contineat, sed ad omnes ubilibet gentium degentes sese exporrigat; ordinem tamen conservari jubet, perturbari vetat: quem ordinem à Sponso inditum sibi gratulatur Sponsa in Canticis: *Ordinavit*, inquiens, *in me charitatem.* Quem item ordinem intuens Augustinus aiebat: [E]. Ille justè & sanctè vi„vit, qui rerum integer æstimator est. Ipse „est autem, qui *ordinatam* dilectionem habet: „ne aut diligat quod non est diligendum, „aut non diligat quod est diligendum, aut „ampliùs diligat quod minùs est diligen„dum, aut æquè diligat quod vel ampliùs „vel minùs est diligendum, aut minùs vel ampliùs quod æquè diligendum est". Et rursùs capite proximè sequenti ibidem: "Omnes homines, inquit, æquè diligendi „sunt: sed cùm omnibus prodesse non pos„sis, his potissimùm consulendum est, qui „pro locorum, & temporum, vel quarum„libet rerum opportunitatibus constrictiùs tibi quasi quâdam sorte junguntur". Cùm igitur Principi constrictiùs jungantur proprij subditi quibus ex officio peculiariorem curam ac tutelam impendere debet, quàm extranei; consequens omninò est ut quando utrisque consulere nequit, toleret potiùs damna extraneorùm, quàm suorum. Idem quippe servandus est ordo in remotione mali, qui in promotione boni; adeòque tantò arctiùs tenetur Princeps removere malum à subditis, quàm ab extraneis; quantò arctiùs obstringitur promovere bonum subditorum, quàm extraneorum. Ac per hoc quando alterutrum malum vitari non potest, tolerandum potiùs est quod extraneis imminet, quàm quod subditis. Unde ait Apostolus cuidam, *Discat primùm domum suam regere*; & paulò pòst iterùm, *Si quis suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Princeps ad subditos, est velut Paterfamilias ad suos domesticos: imò, quod ampliùs est, velut pater ad filios: unde Chrysantas apud Xenophontem: [F]. Ani„madverti, inquit, nihil inter Principem bonum, & patrem bonum interesse". Aristoteles quoque eòdem collimat, cùm ait: [G]. Societas patris ad filios, regni præ se fert „effigiem: nati quippè patri sunt curæ. Unde „Homerus *Iovem* appellat patrem: ipsum „namque regnum, imperium est suapte naturâ paternum". Et Philo Judæus: [H]. Prin„cipes, inquit, sunt publici parentes civi„tatum ac Gentium, quotquot boni sunt: „nec cedunt pietati naturalium. Contrà „qui in subditorum detrimentum abutun„tur potentiâ, nequaquàm Principes, sed „hostes appellandi sunt, cùm agant hostilia". Et Seneca, [I]. Hoc quod parenti, „inquit, etiam Principi faciendum est: quem „appellavimus *Patrem patriæ*, non adulatione „vanâ adducti. Cætera enim cognomina „honori data sunt; *Magnos*, & *felices*, & *Au*„*gustos* diximus, & ambitiosæ Majestati „quicquid potuimus titulorum congessi„mus, illis hoc tribuentes. *Patrem* quidem „*Patriæ* appellavimus, ut sciret datam sibi „potestatem patriam, quæ est temperatissi„ma, liberis consulens, suaque post illos ponens". Dio item Chrysostomus, bonum describens Principem: [K]. Patrem, inquit, „civium ac subditorum se vocari non ser„mone duntaxat, sed ipsis etiam operibus monstrat". Imò verò non defuere complures, qui patriæ plusquàm parentes sese præstando, ut ei consulerent, filios suos peremerunt: quorum aliquot memorat Valerius Maximus lib. 5. Memorabilium cap. 8. agmen ducente Junio Bruto, de quo sic ibi scriptum habes: "Brutus par gloriâ Romulo; quia ille „urbem, hic libertatem Romanam condi„dit; filios suos, Tarquinij dominationem „à se expulsam reducentes, summum impe„rium obtinens, comprehensos, proque tri„bunali virgis cæsos, & ad palum religatos, „securi percuti jussit. Exuit patrem, ut Con„sulem ageret: orbusque vivere, quàm publicæ vindictæ deesse maluit". Breviter &

Cant. 2. 4.

E. Aug. l. 1. de Doctrina Christ. c. 27. Vide Serm. 7. de Verbis Domini c. 2. & lib. 15. de Civit. c. 22. & Serm. 45. de Diversis c. 13. & 16.

Vide D. Thomam 2. 2. q. 26. art. 6.

1 Tim. 3. 4.

Ibid. v. 8.

F. Chrysant. apud Xenoph. lib. 8. Cyropædiæ.

G. Arist. l. 8. Ethic. c. 10. Vide lib. 1. Polit. c. 8.

H. Philo l. de Creatione Principis.

I. Seneca l. 1. de Clementia cap. 14.

K. Dio Chrysost. Orat. 1. de Regno.

Valer. Maximus. Vide Plutarchum in Parallelis c. 25. & seqq.

Plutarchus.

appositè Plutarchus ad Trajanum Cæsarem lib. de Civili institutione ait : " Generosi „ celsique animi vox est : *Liberos amo meos, sed patriam magis meam*". Ex quibus rectè concludi videtur, quòd quemadmodùm jure naturæ obstringitur pater præferre suum filium extraneo ; adeòque ad avertendum damnum filij, tolerare damnum extranei : ita & Princeps pari vel arctiori vinculo stringatur præponere suos subditos alienis ; atque adeò ad præcavendum nocumentum suorum, tolerare nocumenta alienorum. Etenim ut Augustinus ait : L. Cùm prodesse omnibus quos pariter „ diligit non possit, nisi conjunctioribus prodesse malit, injustus est".

L. Aug. l. de vera Relig. cap. 47.

CLX. Non ergò lex charitatis jubet, sed vetat tolerari à Principe hæreticos in ditione sua, ad præcavendum ipsorum persecutionem in aliena : sicut eadem non jubet, sed vetat tolerari, à patre exitium filij, ad prævertendum vel avertendum exitium extranei. Usque adeò enim charitas ordinem non respuit, sed requirit, ut Augustinus virtutem nihil aliud esse censeat quàm M. *Ordinem amoris*. Huc refert Hieronymus quòd cùm divinitùs inhibitum fuisset Sacerdotibus legalibus, *ne ad mortuum hominem ingrederentur*, subjuncta sit exceptio ista, *nisi ad patrem, & matrem, & filium, & filiam, & fratrem, & sororem*. N. Naturæ, ait ipse, super hoc „ probatur affectus ; ut ordine charitatis, ju„ xta quod scriptum est, *Ordinate in me chari„ tatem*, post rerum omnium parentem, „ Deum, carnis quoque pater diligatur & mater, filius & filia, frater & soror ". Glossa quoque Ambrosiana super illis verbis Canticorum 2. *Ordinavit in me charitatem* :" Mul„ torum charitas, inquit, inordinata est : & „ quod in primo est, ponunt tertium vel „ quartum. Primò Deus diligendus est, se„ cundò parentes, inde filij, pòst domestici". Quàmvis autem omnes fideles, comparatione aliorum quorumlibet fidelium, dicantur & sint *domestici fidei* : tamen subditi comparatione sui Principis, aliam insuper habent domesticitatem, quam non habent extranei : ut proinde duplici vinculo curam eorum gerere oostringatur, quorum vinculorum uno duntaxat extraneis ejusdem fidei consórtibus obstringitur. Elucidatur hic discursus exemplo Principis fidelis, habentis filios similiter fideles. Nemo enim dubitaverit quin talis Princeps majorem debeat gerere curam talium filiorum, quàm extraneorum, quantumvis similiter fidelium : quia præter commune vinculum fidei, adstringitur filijs vinculo pietatis paternæ. Cùm igitur Princeps æquè vel magis obligetur procurare bonum publicum communitatis sibi subditæ, & præcavere malum publicum ejusdem, quàm propriorum filiorum : consequens prorsùs est, ut arctiùs teneatur procurare bonum & prævertere malum publicum suæ communitatis, quàm extraneæ cujuslibet societatis. Quòd autem Princeps æquè vel magis curare debeat publicum communitatis sibi subditæ bonum, & præcavere ejusdem malum, quàm propriorum filiorum, patet ex dictis §. præcedenti. Quibus haud immeritò additur exemplum Philippi Secundi Hispaniarum Regis Catholici : qui filium suum Carolum, tunc unicum, custodiæ fatali mancipavit, ut ditionibus sibi subditis contra imminens malum præcaveret. Qua de re Strada: O. Pau„ cis, inquit, post filij custodiam diebus, „ misso ad Archiepiscopum Rossanum Pon„ tificis Nuncium, Concilij Castellani Præsi„ de. suo Rex illum nomine edocuit, *Novi„ tatis eius causam non esse aliam* (ut Nuncius „ ipse ad Cardinalem Alexandrinum scribit, „ Præsidis verba referens) *quàm quòd Religio„ nis populorumq́, conservationem Sanguini suo „ prahabere voluerit : coactumque propterea se, „ filium sibi unicum eâ ratione propemodùm sacri„ ficare; ne, quibus affluebat à Deo, beneficijs nimis quàm ingratè respondéret*".

M. Aug. lib. 11 de Civit. cap. 22.

Ezech. 44. 25

N. Hier. in c. 44. Ezechiel

Cant. 2. 4.

Vide Magistrum lib. 3. Sentent. Distinct. 29. §. 3. & D. Thomam. q. de Charitate art. 9.

Gal. 6. 10.

O. Strada de Bello Belgico Decade 1. lib. 7.

Philippus Hispaniae, Rex.

CAPUT

CAPUT XLIV.

Duplici objectioni adversùs superiorem decisionem motæ obviatur; eâque occasione disquiritur, num Princeps si non ut terrenus dominus, saltem ut Christianus, aut Christi vasallus, vel Dei imitator, possit aut debeat tolerare hæreticos in territorio proprio ut avertat persecutionem ab alieno, præsertim ampliori ac populosiori? Gallicanorum Procerum severa animadversio in Principem regij sanguinis, ob introductos Anglos in suam ditionem. Romanus Pontifex exemplo suo indicat quid Catholici Principes agere cum hæreticis debeant. Longè faciliùs recti pervertuntur, quàm perversi corriguntur. Non pari jure novitas incessit vetustatem, quo vetustas novitatem: nec sicut Catholici hæreticis, ita vicissim hi illis dicere possunt, Qui estis? Quando, & unde venistis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo. *Expenditur exclamatio Apostoli ad discipulum*, Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.

CLXI. OBJECTIO. Obstare prædictis videtur, quòd tametsi Princeps præponere possit ac teneatur bonum publicum suorum subditorum, non solùm bono suo privato, sed etiam publico extraneorum: nihilominùs cùm non modò Princeps sit, sed simul etiam Christianus, seu Christi supremi Regis vasallus; ex isto capite peculiarem contrahere videtur obligationem procurandi bonum publicum Christianæ Religionis, & præcavendi malum publicum ejusdem Religionis, etiam cum detrimento boni tam sui privati, quàm suorum subditorum etiam publici: siquidem hujusmodi bonum subditorum, comparatione totius Christianitatis censeri debet privatum, etiamsi comparatione singulorum membrorum ejusdem communitatis induat rationem boni publici. Cùm ergò frequenter accidere possit, ut Christiana Religio plus detrimenti patiatur ex persecutionibus hæreticorum in suis ditionibus, quàm ex tolerantia hæreticorum in ditionibus Principum Catholicorum; consequens apparet, teneri in eo casu Principes Catholicos tolerare in suis ditionibus hæreticos, ad præcavendum vel avertendum damnum impendens alibi Catholicis, aut jam actu premens ipsos. Quemadmodùm enim Deus, propter commune bonum totius universi, tolerat multa & grandia mala quarundam particularium Gentium ac regionum: ita & Christiani Principes, quibus inter alios dictum est, *Estote imitatores Dei*, (Ephes. 5. 1.) licitè poterunt ac debebunt tolerare detrimentum aliquod Religionis in suis particularibus ditionibus, propter commune bonum universitatis Christianorum. Quod si renuant, videbuntur imitari eos de quibus dictum est, *Quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi.* (Philip. 2. 21.) Nam si non sua, sed quæ Christi sunt quærerent, bonum publicum universitatis Christianorum, bono privato, vel saltem minùs publico, suarum respectivè ditionum anteferrent. Quam regulam sibi sequendam proposuit Apostolus, cùm diceret: *Ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* (1. Cor. 10. 33.) Sanè si subalternus quisquam Princeps, aut cujusdam Provinciæ Præfectus vel Gubernator, pro conservanda incolumitate districtus sibi concrediti, permitteret reliquas ejusdem regni Provincias vastari, justam omnium indignationem in se provocaret: non ob aliud, quàm quia ut damnum unius partis averteret, damnum totius regni tolerasset; sive quia ut damno minori obviaret, damno majori obviare neglexisset. Expertus id aliquando fuit Dux quidam Alençonius, qui ut damnum suæ ditioni propriæ imminens præverteret, in portus quosdam suos appellere Anglos permisit, ut reliquam Galliam commodè invaderent ac devastarent. Qua de re Rossæus (Rossæus.) lib. de Justâ Reip. Christianæ in Reges impios & hæreticos authoritate cap. 7. nu. 1. " Legimus, inquit, in Annalibus (Vide Haillan de l'Estat de France liu. 1. pag. 71.)
„Galliæ, Joannem Valesium Ducem Alen-
„çonium, Principem sanguinis regij, ge-
„nerali sententiâ nobilium Galliæ Parium
„omniumque in hoc regno Jurisconsultorum
„alicujus nominis, damnatum fuisse, ut ipse
„caput amitteret, omnes ejus ædes usque ad primam

„primam contignationem disturbarentur, „omnibus ejus oppidis dejicerentur muri, in „omnibus ejus sylvis & lucis succiderentur „arbores usque ad humanæ staturæ altitudi„nem, palatiorum ejus fossæ injectâ humo „complanarentur, pontes pensiles destrue„rentur, bona & fundi Regio fisco cede„rent; liberique & posteri ejus omnes nobi„lium ordine moti, rusticani & ignobiles „haberentur: eò quòd Anglos Galliam invadentes suis oppidis recepisset".

DILUITUR. CLXII. Hæc objectio licèt primo aspectu appareat speciosa, penitiùs tamen introspecta deprehenditur ruinosa: quia sub fallaci prætextu consulendi publico bono fidei ac Religionis, per ambages insidiatur eidem bono fidei ac Religionis. Si enim hæc porta semel aperiatur hæreticis, nunquam à progrediendo cessabunt, quoadusque universas Catholicorum ditiones pervadant. Similes quippe sunt sanguisugis, semper dicentibus, *Affer, affer*; & nunquam dicentibus, *Sufficit*. (Prov. 30. 15.) Si fortè ab uno quopiam Principe extorqueant, ut in sua ditione ipsos toleret, confestim tentabunt alium, ac deindè tertium & sequentes: nec priùs ab interminando Catholicis sibi subditis persecutionem desistent, quàm à cunctis Catholicis Principibus, impunitatem gregalibus suis impetrent. Et quidem tantò confidentiùs aggredientur posteriores, quantò magis animabuntur exemplis priorum. Quinimò si percurrerint Principes laicos, mox eorum exemplis obruere volent Ecclesiasticos: præsertim verò Apostolicum Præsulem, cui ratione officij incumbit cura fidelium ubilibèt terrarum, etiam in ditionibus infidelium, degentium. Dicent enim ei, Nisi sinas nostros impunè exercere suos ritus, & prædicare sua dogmata etiam Romæ in arce Religionis, omnibus Catholicis inter nos degentibus parabimus internecionem. Nunquid ergò satius est ut ipse postremum istud potiùs permittat, quàm illud primum flagitantibus annuat? Ita prorsùs: & idcircò nunquam hactenùs induci potuit ad primum, quantumvis hæretici non destiterint minari & exequi postremum. Et profectò cùm is, qui non in partem sollicitudinis, sed in plenitudinem vocatus est potestatis, & cujus *instantia quotidiana est sollicitudo omnium Ecclesiarum*, (2. Cor. 11. 28.) scopo objectionis prædictæ semper suo facto restiterit, cæterisque exemplum resistendi præbuerit: re ipsâ satis ostendit quàm sit ea objectio captiosa & insidiosa, quantumlibet primo aspectu speciosa. Quapropter rectiùs egerint cæteri Principes Catholici ipsum hac in re imitando, quàm hæreticorum iniquæ postulationi annuendo. Dicant igitur viritim: Si is, cui ex officio incumbit omnium fidelium ubilibèt degentium cura, non tolerat hæreticos in sua ditione, ad præcavendam persecutionem in hæreticorum ditione: quantò minùs nos tolerare eosdem debemus in nostro districtu, ut avertamus persecutionem ab alieno districtu? Fideles enim qui in alieno districtu commorantur, & persecutionibus hæreticorum vexantur, non sicuti sunt oves & subditi ipsius, ita sunt oves aut subditi nostri: adeòque non æquè nobis, ac ipsi cura eorum incumbit. Ac per hoc si ipse non censet redimendam esse eorum vexam toleratione hæreticorum in sua temporali ditione, quantò minùs nos in nostra ditione? Nec PRÆOCCUPATIO. est quòd opponatur, Pontificem tolerare Romæ Judæos, tolerare quoque ibidem meretrices: cur igitur non toleret etiam hæreticos, præsertim ut avertat persecutionem alibi à Catholicis? Jam enim ex suprà dictis constat disparem esse rationem: quia nimirum ex toleratione Judæorum magnum bonum provenit, & toleratio meretricum grandius malum præpedit. At verò toleratio hæreticorum in casu proposito plus mali nata est invehere, (Vide suprà c. 17. & 18.) quàm propellere: prout ex deductione mox factâ elucet. Nemo sapiens redimit vexam majori suo damno; aut medicinam adhibet pejorem morbo. Cæterùm quod objectum est de imitatione Dei, permittentis mala in bonum commune universi: non obest prædictis, sed prodest. Nam tolerantia hæreticorum in casu præsenti non cedit in boni publici emolumentum, sed vergit potiùs in detrimentum: prout patet ex mox dictis. Quapropter Catholici Principes renuendo hæreticis tolerantiam sub prætextu hìc allegato, Deum imitantur, qui non permittit mala, nisi intuitu publici boni: non imitarentur autem si contrarium practicarent; quia tunc præjudicium procrearent bono publico, sub prætextu alterius boni non tam publici. Plus enim conducit publico Religionis Christianæ bono repulsio hæreticorum à ditionibus Catholicorum, quàm toleratio Catholicorum in ditionibus hæreticorum: sicut ex adverso plus officit eidem Religionis bono toleratio hæreticorum in ditionibus Catholicorum, quàm divexatio Catholicorum in ditionibus hæreticorum.

CLXIII. Sed hoc est in quo multi falluntur, quòd considerantes multitudinem Catholicorum in ditionibus hæreticorum degentium, & paucitatem hæreticorum impunitatem inter Catholicos poscentium, existimant tolerandam potiùs horum paucitatem, quàm persecutioni dimittendam illorum numerositatem. Verùm non tam conferri hìc debet numerus numero, quàm sequela sequelæ: unde quia ex toleratione hæreticorum inter

Catholi-

Catholicos plura mala sequi nata sunt, quàm ex persecutione Catholicorum inter hæreticos; idcircò hæc potiùs est toleranda quàm illa concedenda. Quòd autem plura mala sequi nata sint ex illa toleratione, quàm ex ista persecutione, satis ostensum est §. præcedenti. Nunc illud insuper addendum est, multò citiùs ac faciliùs integram multitudinem sanorum infici consortio unius contagiosi, quàm ejusdem multitudinis consortio sanari unum contagiosum. Hinc quippè natum est illud vulgare proverbium, ex Hieronymo superiùs memoratum: *Vnum pecudis scabies totum commaculat gregem.* Unde & Hieronymus inidem evestigiò subinfert: *Igitur & scintilla statim ut apparuerit extinguenda est, & fermentum à massa vicinia semovendum; secanda putrida carnes, & scabiosum animal à caulis ovium repellendum: ne tota domus, massa, corpus, & pecora, ardeat, corrumpatur, putrescat, intereant.* In veteri lege Dominus jussit *ejici de castris omnem leprosum.* Quorsùm hoc; nisi quia pronius est ut unus infectus multitudinem suo tactu vel flatu coinquinet; quàm ut ex adverso ipsa eum suo contactu vel flatu emundet? P. Illud exploratum habetur, inquit Nazianzenus, facilius esse vitium contrahere, quàm virtutem impertire: quemadmodùm etiam facilius est morbo alieno infici, quàm sanitatem largiri". In hujus rei confirmationem superiùs Orat. 1. adduxerat legale exemplum, de carnibus nimirùm, quæ quantùmvis sanctificatæ non poterant suo contactu res profanas sibi admotas sanctificare: at contrà, ipsæ statim contactu rei immundæ coinquinari atque immundæ fieri poterant. Quo exemplo præmisso, subdit ipse ibidem: "Citiùs enim exiguum vitium ubertimè largissimèque quispiam perceperit quàm ingentem & copiosam virtutem parcè ac tenuiter. Nam & parum absinthij amaritudinem suam melli celerrimè impertit; cùm contrà; ne duplo quidem copiosius mel dulcedinem suam absinthio infundat". Hinc planè perspicitur, quàm malè Catholicis sibi subditis consulant Principes, qui hæreticos ab eorum contubernio non abigunt, cùm possint: quemadmodùm & Magistratus malè consuleret sospitati civium, qui peste infectos, leprosos, aut alio contagioso morbo laborantes, à sanorum concivium consortio non arceret. Cùm enim hæreses sint pestes animarum, ut post Origenem Tract. 28. in Matthæum tradit idem Nazianz. Orat. 27. quis ambiget hæreticos tantò solliciciùs abigendos esse à societate fidelium, quàm corporaliter pestiferos à societate sanorum civium; quantò pretiosior est anima corpore, ac deterior illius infectio, quàm hujus?

Vide Hieronym. suprà hic § 10.

Vide Vincentium in cap. Ad Apostolicam in verb. Morbida facta pecus totum corrumpit ovile. de Regularibus.

Num. 5. 2.

P. Gregorius Nazianzen. Orat. 20. Vide suprà §. 42.

PRAEOCCVPATIO.

CLXIV. Neque verò omittenda vel remittenda est ista Principum pro arcendis hæreticis sollicitudo, si dicatur eis ab hæreticorum patronis: Si vos arceatis nostros clientes à ditionibus vestris, arcebimus & nos vestros à ditionibus nostris: *in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Nam inprimis iniqua est prorsùs ista retaliatio: perinde enim est, ac si dicerent: Si vos non admittatis novos colonos; nos exturbabimus veteres possessores. Catholica enim fides vetustior est omni hæresi: priùs ergò possedit, quàm hæresis ulla ebullierit: Q. Solemus, inquit Tertullianus, hæreticis compendij gratiâ de posteritate præscribere. Inquantùm enim veritatis regula prior; quæ etiam futuras hæreses prænunciavit; intantùm posteriores quæque doctrinæ hæreses præjudicabuntur". Iure cautum est, ut R. *qui prior est tempore, potior sit iure*: & item ut S. *in pari delicto vel causa, potior sit conditio possidentis.* Potior proindè est conditio Catholicorum, ab antiquo possidentium; quàm hæreticorum, noviter supervenientium: T. Ad quos, ut idem Tertullianus alibi ait, meritò dicendum est. *Qui estis? Quando, & unde venistis? Quid in meo agitis, non mei? Quo denique, Marcion, iure sylvam meam cædis? Quâ licentiâ, Valentine, fontes meos transvertis? Quâ potestate, Apelles, limites meos commoves? Mea est possessio: quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis, & pascitis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo. Habeo origines firmas ab ipsis authoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum: sicut caverunt testamento suo, sicut fideicommiserunt, sicut adiuraverunt, ita teneo. Vos certè exhæredaverunt semper, & abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos".* Quàmvis igitur jure possint ac debeant Catholici Principes à suis ditionibus arcere supervenientes hæreticos, non tamen idcircò possunt aut debent hæretici Principes à suis ditionibus exturbare Catholicos, veteri ritui insistentes, & antiquiorem hæreticis possessionem continuantes. Legimus sanctum quendam, & ipsâ antiquitate suspiciendum Ecclesiæ Præsulem dixisse ac scripsisse: V. *Nihil ultrà liceat novitati, quia nihil adjici convenit vetustati.* Non legimus autem quenquam pari vel suppari authoritate præditum dixisse unquam aut scripsisse; Nihil liceat vetustati adversùs insurgentem novitatem. Imò verò idem ipse Præsul evestigiò subjunxit: *Dilucida & perspicua Maiorum credulitas nullâ cæni permixtione turbetur.* Turbabitur autem permixtione cœni, si in ditiones Catholicas aditus pateat hæreticis. Legimus quoque hujus prædecessorem Celestinum dixisse ac scripsisse: W. *Desinat incessere novitas vetustatem.* Non legimus autem quenquam paris aut suppari authoritatis dixisse unquam aut scripsisse, Desinat vetustas incessere no-

Matth. 7. 2.

Q. Tertull. lib. contra Hermogenem c. 1.

R. Reg. 54. Iuris in 6.

S. Regula 65. ibidem.

T. Tertull. lib. de Præscrip. c. 37.

V. Sixtus 3. Papa Epist. 2.

W. Celestin. 1. Pap. Epist. 1. cap. 1.

sere novitatem. Imò verò legimus Apostolum scripsisse Timotheo, & in ipso cuilibet Deum honoranti, quod interpretamentum ab istius nominis: *Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates*. Quid est, ait quidam, *depositum custodi*? Custodi propter fures, propter inimicos: ne dormientibus hominibus superseminent zizania super illud tritici bonum semen, quod seminaverat filius hominis in agro suo. *Depositum*, inquit, *custodi*. Quid est *Depositum*? Quod tibi creditum est, non quod à te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrinæ; non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis; rem ad te perductam, non à te prolatam; in qua non author debes esse, sed custos". Porrò quis non potest illibatum custodire depositum, nisi caveatur adventitium ac suppositium, subdit Apostolus, *Devitans profanas vocum novitates*. Devitans, inquit idem Lyrinensis c. 33. quasi viperam, quasi scorpionem, quasi basiliscum: ne te non solùm tactu, sed etiam visu afflatuque percutiant". Et superiùs c. 26. "*Devita*, inquit, *profanas vocum novitates*: non dixit antiquitates, non dixit vetustates. Imò planè quid è contrario sequeretur ostendit: nam si vitanda est novitas, tenenda est antiquitas: & si profana est novitas, sacrata est vetustas". Et rursùs inferiùs c. 33. "*Profanas*, inquit, *vocum novitates*. Quid est *profanas*? Quæ nihil habent sacri, nihil religiosi: à penetralibus Ecclesiæ, quæ est templum Dei, penitùs extraneas. *Profanas vocum novitates*: *vocum*, id est, dogmatum, rerum, sententiarum. *Novitates*, quæ sunt vetustati, quæ antiquitati contrariæ: quæ si recipiantur, necesse est ut fides beatorum Patrum aut tota, aut certè magna ex parte violetur". Quæ omnia satis evincunt prædictam hæreticorum Principum retaliationem nullo Jure niti, sed perspicuo Juri adversari. Sed quis expectet ab eis observationem Juris, qui eo ipso quòd hæretici sunt, divino obluctantur Juri? Quando igitur spreto Jure devolvuntur ad violentiam facti, si aliter compesci nequeant quàm toleratione hæreticorum in ditionibus Catholicorum, dimittendi potiùs erunt sævire in Catholicos intra ditiones suas; quàm connivendum ut intromittant hæreticos in ditiones alienas.

CAPUT XLV.

Parasceve disceptationis de fide hæreticis servanda: Multa fieri probibentur, quæ facta obtinent roboris firmitatem. Argumenta pro fide hæreticis violanda referuntur, rationibus, authoritatibus, exemplis suis nixa. Hæreticorum de Catholicis sparsa calumnia, olim quidem cœpta, sed mox explosa; denuò item replicata, & triplicata, sed quoties resumpta, toties repulsa. Hæreticos modernos pejores esse antiquis, eorumque nequitiam majorem astutiâ. Effrontes in calumniando, & ponentes mendacium spem suam. Duæ proferuntur causæ quibus impelluntur ad affingendum Catholicis dogma de fide ipsis violanda, odium scilicet concordiæ, & metus infamiæ. Fidem hæreticis servandam esse docent uniformiter non modò Theologi, sed & omnes clarioris notæ Jurisperiti.

CLXV. Quamvis Jure Cæsareo sancitum sit, [1] "Nullum pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente"; & Regula Juris Canonici dicat, [2] "Quæ contra Jus fiunt, debent utique pro infectis haberi": nihilominus omnium consensu receptum est illud axioma, *Multa fieri fiunt, quæ tamen facta tenent*: cui consonum est & illud corpori Canonum insertum, [4] "Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint obtinent roboris firmitatem". Hinc meritò inquiritur, an Princeps Catholicus teneatur servare hæreticis in sua ditione libertatem impunitatemque, etiam illicitè promissam, ac mutuo partium consensu solemniter pactam? Cujus quæstionis occasione tractari non importunè potest generalior illa difficultas, DIFFICULTAS. *utrùm hæreticis fides sit servanda*. Si enim generaliter non sit hæreticis fides servanda, planum est non teneri Catholicos Principes servare eis impunitatem quomodolibet promissam. Posset autem cuiquam videri fidem hæreticis neutiquam esse servandam, eò quòd ipsi fidem violent, quam Deo & Ecclesiæ in Baptismo obstrinxerint. Æquum igitur apparet, ut in pœnam violatæ fidei, violetur ipsis vicissim fides juxta moralem istum versiculum communi omnium ore tritum, *Frangenti*

1. Tim. 6. 20.

Vincent. Lyrin. c. 27.

1. Lege Non dubium l. 5. Codicis titulo 14.

2. Regula 64. Iur. in 6.

4. Cap. Ad Apostolicam 16. de Regularibus.

genti fidem, fides frangatur eidem. Quid enim æquius, quàm ut quisque per ea puniatur, per quæ peccaverit? Unde Gregorius VII. in Concilio Romano non solùm absolvit à vinculo fidelitatis eos qui excommunicatis fidem dederant, sed insuper prohibet ne eandem adimpleant: B. Nos, inquiens, Sanctorum Prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos qui excommunicatis fidelitate, aut Sacramento constricti sunt, Apostolicâ authoritate à Sacramento absolvimus: & ne eis fidelitatem observent, omnibus modis prohibemus; quousque ipsi ad satisfactionem veniant". Hæreticos verò omnes esse excommunicatos patet ex Bulla Cœnæ, cujus publicatio quotannis iteratur, ne ulla in contrarium præscriptio obtendatur. Extat præterea in Corpore Iuris Constitutio Gregorij IX. ita sonans: C. Excommunicamus & anathematizamus universos hæreticos". Ibidem quoque cap. *Absolutos*, proximè sequitur ejusdem Pontificis ista Constitutio:" Absolutos se noverint à debito fidelitatis, hominij & totius obsequij; quicunque lapsis manifestè in hæresim aliquo pacto quâcunque firmitate vallato tenebantur obstricti". Hinc Divus Thomas prædictarum Sanctionum authoritate nixus ait: D. Quàm citò aliquis per sententiam denuntiatur excommunicatus propter apostasiam à fide, ipso facto ejus subditi sunt absoluti à dominio ejus; & à juramento fidelitatis, quo ei tenebantur". Unde & Pius V. *Elizabetham* Angliæ Reginam in hæresim lapsam anathematis sententiam incurrisse, regnoque excidisse cùm declarasset, consequenter quoque declaravit, E. *Proceres subditos & populos dicti regni, ac cæteros omnes, qui illi quomodocunque iuraverant, à iuramento huiusmodi, ac omni prorsùs dominij, fidelitatis, & obsequij debito, perpetuò absolutos*; Similem declarationem Pauli III. Pontificis adversùs Henricum VIII. Angliæ Regem, hujus Elizabethæ patrem; in hæresim ac schisma prolapsum; refert idem Sanderus lib. 1. ejusdem Operis. Meminit quoque Tannerus consimilis Diplomatis à Sixto V. editi adversùs Regem Navarræ; in hæresim pariter prolapsum: sed qui postmodùm resipiscendo abolitionem impetravit. Innocentius quoque III. in Concilio Generali Lateranensi constituit; ut F. Si Dominus temporalis requisitus & monitus ab Ecclesia, suam terram purgare ab hæretica fœditate neglexerit, per Metropolitanum & cæteros conprovinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur: & si satisfacere contempserit intra annum, significetur hoc summo Pontifici, ut ex tunc ipse vasallos ab ejus fidelitate denuntiet absolutos". Et mox iterùm de quolibet non modò hæretico, sed vel defensore fautoreve hæreticorum, subditur ibidem: " Nullus ipsi super quocunque negotio, sed ipse alijs, respondere cogatur". Ex quo apparet, neminem ei manere obstrictum titulo cujuscunque contractûs aut promissionis, quàmvis ipse ex parte sua obligetur alijs. Accedit denique authoritas Synodi Constantiensis, quæ & verbo & facto declaravit non esse hæreticis fidem servandam. Facto quidem, quia Joannem Husium, & Hieronymum Pragensem, extremo supplicio affecit, non obstante salvo conductu Cæsareo, quo nixi ad Synodum accesserant. Verbo denique, quia disertè declaravit, G. Ex quovis salvo conductu per Imperatorem, Reges, & alios sæculi Principes, hæreticis, & de hæresi diffamatis, putantes eosdem sic à suis erroribus revocare, quocunque se vinculo adstrinxerint, concesso, nullum fidei Catholicæ vel jurisdictioni Ecclesiasticæ præjudicium generari, vel impedimentum præstari posse, seu debere; quo minùs dicto salvo conductu non obstante, liceat Judici competenti & Ecclesiastico, de hujusmodi personarum erroribus inquirere. & aliàs contra eos debitè procedere, eosdemque punire, quantùm justitia suadebit, si suos errores revocare pertinaciter recusaverint, etiamsi de salvo conductu confisi ad locum venerint judicij, aliàs non venturi: nec sic promittentem, cùm fecerit quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum".

CLXVI. Hisce potissimùm subnixi argumentis & exemplis Sectarij hujus temporis præsidenter imponunt Catholicis sententiam negantem, *fidem hæreticis esse servandam*. Quam imposturam Catholici Scriptores validissimè propulsare non cessant, quoties cunque ab adversarijs novo nisu resumitur; non solùm quia calumniosa est, sed quia immaniter perniciosa. Etenim eò collimat, ut omnem aditum pacificandi Ecclesiam, vel reducendi hæreticos, præcludat. Quis enim modus pacificandi discordes suppetere poterit, quandò altera discordantium pars sibi habet persuasum, nullam securitatem sibi ex adversæ partis promissione quomodolibet firmatâ provenire? Huc allusit Molanus, quando de prædictæ imposturæ commentoribus ac seminatoribus scripsit: H. Quia istiusmodi hominum meticulosa & vulnerata conscientia, atque insatiabilis cupiditas, ne pax fiat, omnia turbare mavult; passim ab eis disseminatur, nullam concordiæ rationem, nullos pacis, æquitatis, & honestatis articulos utiliter cogitari aut concipi posse; eò quòd sui adversarij doceant, *nullam hæreticis esse fidem servandam*". Affulgebat nimirùm spes aliqua reducendi confœderatas Belgij

B. Cap. Nos Sanctorum. 15. q. 6. Vide cap. Gravem 11. de pœnis.

C. Cap. Excommunicamus 13. ii. de Hæreticis.

D. D. Thom. 2. 2. qu. 12. a. 2. in corp.

E. Pius V. in Bulla relata apud Sanderum lib. 7. de schismate Anglicano.

Vide Tannerum tom. 3. Disp. 1. q. 9. Dub. 4. nu. 130.

F. Cap. Excommunicamus 13. ii. de Hæreticis.

G. Synod. Constant. Sess. 19.

H. Molanus lib. 1. de fide hæretic. servanda c. 1. Vide lib. 3. cap. 10.

Belgij provincias ad pristinam obedientiam Catholici Regis, quam unà cum jugo Religionis pridem excusserant. Quam spem ut Prædicantij earundem provinciarum penitùs eliderent, conati sunt plebi ac Proceribus persuadere, periculosam fore omnem conventionem cum Rege Catholico ineundam, eò quòd apud eum, uti apud omnes Papistas, receptissimum dogma sit, fidem neque hæreticis neque rebellibus esse servandam: ut proindè cùm confœderatæ provinciæ à Catholico Rege pro hæreticis habeantur ac rebellibus, nulla spes securitatis reconciliandis supersit. Hâc itaque occasione Joannes Molanus, Doctor ac Professor Theologus Lovaniensis, tres edidit libros *de fide hæreticis servandâ*, quartumque adjecit *de fide rebellibus servandâ*: qui Lovanij primùm, ac deindè Coloniæ anno 1584. excusi sunt. Rursùs cùm post aliquot exindè annorum intervallum tractaretur de inducijs inter Belgij Catholici Principes & Belgij confœderati Proceres ineundis, eandem imposturam à Molano pridem propulsam iteravit quidam Daniel Plancius, ut hac ratione animos suorum ab ijsdem inducijs ineundis alienaret. Cui mox respondit Robertus Sweertius, Plebanus Buscoducensis, cujus *Dissertatio de fide hæreticis servanda* prodijt Antuerpiæ anno hujus sæculi XI. Nihilominùs cùm nuper inter Regem Catholicum & eosdem confœderati Belgij Proceres pax dudum tractata perduceretur ad exitum anno hujus sæculi XLVIII. quidam Samuel Maresius, Prædicantius Groninganus, eandem crambem denuò recoxit in Epistola nuncupatoria Tomi II. suæ *Theologiæ Elenchicæ*: seriò admonens suos, ut *semper meminerint, nihil temerè credendum hosti reconciliato; qui, præter cæteras artes politicorum, necessitati ad tempus cedentium, & iras magis dissimulantium quàm deponentium, etiam illud sacrorum suorum sacerrimum retineat axioma sæpissimè Belgico sanguine quasi per rubricam, Historicorum suorum monumentis consignatam*, FIDEM NON ESSE HÆRETICIS SERVANDAM. Constat sanè, Catholicum Hispaniarum Monarcham non alia tenere sacra axiomata, quàm Ecclesia Catholica præscribat tenenda. Ac per hoc, cùm juxta hunc Calvini catulum idem Monarcha teneat *fidem non esse hæreticis servandam*, & quidem tanquam *sacrorum suorum sacerrimum axioma*: consectarium est ut juxta eundem Ecclesia Catholica illud ipsum axioma teneat ac præscribat, tanquam *sacrorum suorum sacerrimum*.

Plancius.

Sweertius.

Maresius.

CLXVII. Quid facias hujusmodi Impostorum fæci, quos non pudet toties replicare, quod probè norunt toties jam fuisse displosum? Nunquid in hunc Maresium rectè quadrat illud Magni Basilij adversùs Eunomium Hæresiarcham similiter olim ineptientem: [I]. Hæc est illa cavillatio, ab alijs olim ad„ inventa, nunc verò ab impudente & inve„ recundâ Eunomij (*Maresij*) linguâ consummata & perfecta"? Jam dudùm Augustinus, occasione Juliani Pelagianistæ consimiliter calumniantis, aiebat generaliter de hæreticis, quorum certè numerum auget apostata Maresius: [K]. Planè possemus dicere, hæreticorum „ frontem non esse frontem; si non mem„ brum quod fecit Deus, significare intelligamur *frontis* nomine, sed pudorem". Omnes verò superiorum temporum hæreticos supergressi sunt in hoc impudentiæ genere moderni Sectarij, prout inter alios jam pridem ostendit Gulielmus Estius in Orat. XI. Academica, cui titulus, *An nostri temporis hæretici peiores sint antiquis*. Videri quoque in eandem rem potest Thomas Stapletonus in peculiari opusculo inscripto, *Speculum pravitatis hæreticæ per orationes ad oculum demonstrata*. Tertia harum Orationum discutit, *utrùm hæreticorum maior sit nequitia, quàm astutia*? Ubi post longam quæstionis discussionem author resolvit: "Hæreticorum in genere majorem esse astu„ tiam & calliditatem, quàm nequitiam & „ impietatem; fuco enim quodam & specie „ pietatis atque doctrinæ ad hæreses ample„ xandas ante hæc tempora Christiani allecti „ sunt, magisque seducti quàm adducti: no„ strorum autem hodie hæreticorum majo„ rem esse nequitiam, quàm astutiam: plus„ que eos scelere & impietate, quàm dolo & calliditate prævaluisse". Recensuerat idem author superiùs in orationis istius decursu plusquàm quadraginta insignes imposturas modernorum illorum hæreticorum adversùs Catholicos in materia Religionis, quæ apud ipsum videri possunt. Quibus perspectis, facilè quisque agnoscet, quàm verè olim scripserit Apostolus, *Mali homines & seductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes*: quàm item appositè in hoc quadret, quod ex veterum Pseudoprophetarum persona scriptum legitur apud Isaiam *Posuimus mendacium spem nostram*. Præterquam enim quòd suo isto mendacio, quo Catholicis affingunt dogma *de non servanda hæreticis fide*, multorum animos avertunt ab ineundo cum ijsdem Catholicis reconciliationis fœdere; etiam hoc lucrari se sperant, ut non ex suæ malæ causæ diffidentiâ, sed ex verâ prudentiâ detrectent comparere coram Judicibus Ecclesiasticis, etiam synodaliter congregatis. Etenim si Protestantios interroges cur ad Synodum Tridentinam, ipsorum præcipuè causâ indictam & peractam, non accesserint, statim respondebunt, non fuisse sibi de securitate satis

I. Basil lib. 2. contra Eunomium.

K. Aug. l. 4. contra Iul. cap. 3.

Estius.

Stapleton.

2. Tim. 3. 13.

Isai. 28. 15.

Vide Hier. l. 3. contra Ruffin. c. 2.

fatis cautum. Quòd si contrà alleges salvum conductum à Synodo Seſſ. 15. eis datum, & Seſſ. 18. iteratum ac ampliatum: illicò respondebunt, nullam sibi securitatem ex Tridentino salvo conductu quantumlibet iterato ampliatoque provenire posse; quippè ab eis dato, qui sacrorum suorum sacerrimum tenuerint axioma, *fidem non esse hæreticis servandam.* Quid, obsecro, aliud dicunt cùm hoc dicunt, quàm *Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus?* Quàm splendidè enim hac in re mentiantur, discat lector ex Molano superiùs memorato, qui tametsi in omni genere Scriptorum versatissimus extiterit, atque ob id in Apostolicum ac Regium librorum Censorem in celeberrima Academia delectus fuerit; nihilominùs asseveranter dicere ac scribere non est cunctatus: L. Nullum scio Theologum, neque „ etiam clari nominis Jurisconsultum, quin „ conformiter doceant; fidem publicam hæretico servandam esse". Ecce omnes Theologi clarique nominis Jurisconsulti, Molano noti, non solùm non docent quod Sectarij Catholicis promiscuè universis affingunt, sed etiam oppositum conformiter perhibent: tantum abest ut pro sacrorum suorum sacerrimo axiomate habeant, *fidem non esse hæreticis servandam.*

L. Molanus lib. 1. de Fide hæreticis servanda c. 10.

CAPUT XLVI.

Vafri homines facilè inducuntur, ut vitia sua de alijs suspicentur, & loquantur. Hæretici affingendo Catholicis dogma de violanda ipsis fide, imitantur impudicam Ægyptiam, pudici Iosephi accusatricem; libidinosos senes, castæ Susannæ traductores; sacrilegos Pharisæos, sacerrimi Christi calumniatores; & patrem mendacij, de quo scriptum est, Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur. *Infidelis Deo, fidelis homini non præsumitur. Memorabilis in eam rem sententia Hormisdæ Martyris, simulque exemplum Theodorici Regis, & Constantij Chlori Cæsaris. Calvinistæ omnium Sectariorum maximè fideifragi. Variorum in id testimonia, & exempla. Iacobi Britannorum Regis de Puritanorum indole parænesis ad filium suum Cambriæ Principem.*

CLXVIII

Binas superiori capite deteximus causas, ob quas moderni Sectarij Catholicis affingunt dogma *de non servanda hæreticis fide*: odium scilicet pacis cum Catholica Ecclesia resarciendæ; & metum infamiæ ob diffidentiam incurrendæ: Tertiam nunc adjicimus, quam idem qui suprà Molanus his verbis expressit: M. Hi qui sine pace & sine fœdere „ sunt, audent de sua fidelitate, homines „ apertè perfidissimi, gloriari, & omnem „ perfidiæ invidiam in nos retorquere: non „ tantùm in privatos Doctores, sed in Uni„ versitates, in Concilia œcumenica, in „ ipsam Romanam Ecclesiam: ab his enim „ omnibus proficisci dicunt illud dogma, *Hæ„ reticis fidem servandam non esse.* Sic illi ex suo „ pravo ingenio de alijs judicant: qui men„ daces sunt, omnes mendaces esse arbitran„ tur: homines lubrici & incontinentes ne„ minem arbitrantur continenter vivere: „ similiter isti, qui in pace & fide vivere ne„ sciunt, ex suo ingenio omnes alios de per„ fidia suspectos habent. Et quia magno „ odio, multàque impietate Ecclesiam Dei „ oppugnant, ideò malitiosè mentiri non „ erubescunt, nostram doctrinam esse, *Hæreticis nullam fidem servandam esse*". Tertia igitur causa calumniandi hac in re Catholicos est, innata hominibus pronitas ad suspicandum de alijs, quod experiuntur in seipsis. Hinc quippe fit ut cùm hæretici experiantur seipsos esse fœdifragos ac fideifragos, etiam Catholicos eidem vitio obnoxios suspicentur; & quod pravè suspicantur etiam temerè loquantur: N. Vafri homines, inquit Nazianzenus, facilè adducuntur, ut vitia sua „ de alijs partim suspicentur, partim loquantur". Minùs quidem temerarij sunt, qui intra claustrum mentis sinistrè de alijs ex seipsis suspicantur, quàm qui perrupto claustro suspiciones suas, verbo scriptove eloquuntur; nec tamen etiam illi vacare culpâ censendi sunt, dicente Domino, *Nolite iudicare, ut non iudicemini.* Pessimi verò omnium sunt, qui contra veritatem sibi manifestatam calumniantur, suosque defectus innocentibus affingere non cunctantur: imitantes in hoc impudicam illam Ægyptiam, uxorem Putipharis, O. quæ, ut Theodoretus ait, turpis desiderij

M. Molanus lib. 1. de Fide hæreticis servanda c. 25.

N. Gregor. Nazianzen. Orat. 28.

Mat. 7. 1.

O. Theodor. Epist. 145.

„ desiderij servitutem amplexa, cùm castum „ Josephum servili adulatione esset aggressa, „ nec inescare eum aut voluptatis suæ laqueis „ irretire posset, alieni thori prædonem ausa est appellare continentiæ amatorem": imitantes item nequissimos illos senes; qui Susannam pudicam accusârunt de adulterio, eò quòd noluerit pollui ipsorum adulterio:

P. Bernard. Serm. 3. de Annunciatione.

P. Vestras manus, ait de talibus Bernardus, „ nec adultera effugit, nec pudica: vestras „ accusationes nec sanctus; nec peccator eva- „ dit. Dissimulatis peccata vestra, ubi in- „ veneritis aliena: alioquin si quis fortè suum „ non habet, vestrum ei impingitis crimen": imitantes denique Scribas & Pharisæos, qui Domino impegerunt crimen sacrilegij, cùm ipsi potiùs rei essent sacrilegij. Qua de re Maximus Taurinensis: Q. Similiter, inquit,

Q. Maximus Homil. 2. de Accusato Dom. apud Pilatũ.

„ persecutores in Susanna passa est pudicitia, „ sicut & in Christo passa est justitia: illa enim „ dum in adulterio convincit presbyteros, „ ipsa tanquam adultera retinetur; hic dum „ in sacrilegio arguit Pharisæos, ipse tanquàm sacrilegus accusatur". Susannam gessisse typum Ecclesiæ, nemo qui historiam ejus apud Danielem cum debita attentione ac devotione pervolvit ignorat. Ex quo consectarium est, ut ejus criminatores præfigurarint falsos Ecclesiæ accusatores. Caveant proinde hi, ne ipsis immineat, quod illis evenerat: "Susannæ accusatores, „ subdit ibidem post pauca Maximus, tan- „ quam falsi testes Propheticâ sententiâ fe- „ riuntur: & ejusdem criminis puniuntur rei, „ cujus damnare innocentis sanguinem gestiebant".

CLXIX. Diximus jam superiori §. innasci hominibus quandam proclivitatem suspicandi de alijs, quod experiuntur in seipsis: R. Omnes

R. Isidor. Pelus. lib. 5. Epist. 110.

„ quippe mortales, ut quidam ait, de se ipsi, „ aut de alijs ex se judicant. Qui enim justus „ est, reliquos credit justos, & temperans re- „ liquos temperantes: sic & latro, cæteros la- „ trones, & homicida homicidas existimat". Alibi item idem author de probis & improbis promiscuè disserens: S. Utrique, inquit,

S. Idem l. 2. Epist. 162.

„ ex suis moribus, de aliorum quoque moribus calculum ferunt". Hinc igitur mirari non debemus, si hæretici Catholicos suspicentur infidos esse ac mendaces, cùm seipsos experiantur esse tales. Experiuntur autem haud dubiè: nam inprimis à Spiritu Sancto, qui nec falli nec fallere potest, tales prænunciati sunt futuri, manifestè de eis dicente: *In novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium.* Et alibi: *In novissimis diebus venient in deceptione illusores.* Atque ut noverimus eos fore etiam criminatores, scriptum alibi est: *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores*: id est, T. Calumniatores, qui

1. Tim. 4. 1. & 2.

2. Pet. 3. 3. 2. Tim. 3. 1. & seqq. Vide Aug. Tract. 123. in Ioan.

T. Guilielm. Estius in caput 3. posterioris ad Timoth. v. 3.

„ mendacijs & confictis criminibus aliorum „ innocentiam vexant. Ab hoc vitio cacodæmonum Princeps nomen accepit". Ille nimirum quem Veritas non solùm *mendacem* appellat, sed & *mendacij patrem*. In quem locum Augustinus: V. Non omnis, inquit, qui

Ioan. 8, 44.

V. August. Tract. 42. in Ioan.

„ mentitur, pater mendacij sui est: si enim „ ab alio mendacium accepisti, & dixisti, tu „ quidem mentitus es proferendo menda- „ cium; sed pater mendacij ipsius non es, quia „ ab altero accepisti mendacium. Diabolus „ autem à se ipso mendax fuit; mendacium „ suum ipse genuit, quod à nemine audivit. „ Quomodò Deus Pater genuit Filium Veri- „ tatem, sic diabolus lapsus genuit quasi filium mendacium". Neque verò diabolus est solummodò *pater mendacij*, sed & omnium loquentium mendacia. Unde & ibidem de quibusdam talibus Veritas præmiserat: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere: ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia veritas in eo non est: cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur.* Hujus filij sive imitatores sunt ij, quorum vox, §. 167. relata, fuit ista: *Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.* Quibus & Beatus Petrus novissimorum temporum hæreticos æquiparans: *Fuerunt,* inquit, *Pseudopropheta in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis.* Vocantur quidem *magistri*, sed comparatione sectarum quas introducunt: cùm tamen etiam discipuli sint ejus, qui *cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur; quia mendax est, & pater ejus*. Quod advertens Theodoretus: W. De patre,

Ibidem.

Isaiæ 28. 15.

2. Pet. 2. 1.

Ioan. 8, 44.

W. Theod. Epist. 142.

„ inquit, loquentium mendacium Domi- „ nus ait, *Cùm loquitur mendacium, ex proprijs* „ *loquitur.* Congruunt autem discipulis quæ „ dicta sunt de magistro: hi enim quùm fal- „ siloquijs in nos utuntur, ex proprijs loquuntur, & nostra non dicunt". Agnoscant igitur cujus patris soboles & cujus magistri sint discipuli, qui dum nobis Catholicis dogma *de non servanda hæreticis fide* imponunt, falsiloquijs in nos utuntur, nec nostra dicunt, sed ex proprijs loquuntur.

CLXX. Est & aliud argumentum, non sanè spernendum, præsumendi inconstantiam hæreticorum in servanda fide hominibus; in eo nimirum fundatum, quòd violent fidem Deo: *Si in viridi ligno,* ait Veritas, *hæc faciunt, in arido quid fiet?* Certè enim gravius est & enormius violare promissionem Deo nuncupatam, quàm homini factam. Unde & Petrus Apostolorum Princeps exaggerando infidelitatem Ananiæ aiebat: *Non es mentitus homini-*

Luc. 23. 31.

Act. 5. 4.

Isa. 7. b.

hominibus sed Deo. Et Propheta redarguendo veteris populi insolentiam dicebat: Numquid parùm vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Planum igitur est, rectè præsumi infidelitatem erga homines, ubi eadem deprehensa fuerit erga Conditorem hominum. Tenetur quippe unusquisque præponere Deum non modò alijs rebus omnibus quantumlibet sibi charis ac pretiosis, verùm etiam sibimet ipsi. Quapropter cùm scriptum sit; *Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit?* profectò præsumendum est, eum qui Deo nequam fuerit, nulli alteri bonum fore vel fidelem. Quæ quidem præsumptio adeò vigorosa est, ut non modò Catholicos, sed ipsos etiam hæreticos, imò & ethnicos habeat assipulatores. De Catholicis id patet ex Hormisda Martyre, qui Persarum Regi, abjurationem Christi imperanti, respondit: "Nec justa, nec utilia, ô Rex, imperas. "Qui enim Deum universorum Dominum "aspernari, abnegareque didicerit, multò "faciliùs te contemnet; cùm homo tantùm "sis, mortalem sortitus naturam. Quòd si "summo supplicio dignus est, qui sceptris "tuis obsistit, quantò gravioribus pœnis promeretur, qui rerum omnium abnegat Conditorem"? De hæreticis quoque idem patet in Theodorico Gothorum Rege, qui, tametsi hæreticus esset Arianus, quemdam tamen familiarem suum decollari curavit, eò quòd à fide Catholica ad Arianismum, studio gratificandi Regi, deflexisset, dicens ei, "Si "Deo fidem non servasti, quomodò homini sinceram conscientiam servabis"? De ethnicis denique idipsum patet in Constantio Chloro, Constantini Magni patre ac prædecessore. Qui, ut perhibet Eusebius, factum designavit auditu stupendum, & sanè "summoperè admirandum. Cunctis quippe "tum aulicis suis, tum alijs qui sub Præsidum "potestate erant, propositâ optione, ænigmatice constituit, ut qui idolis sacrificare "vellent, apud se remanerent, & pristinos "honores retinerent: qui verò id detrectarent, spoliati honoribus à sua familiaritate "pellerentur. Quo facto divisio subsecuta "est Christianorum in duas partes, unâ parte "sacrificare volente, alterâ nolente: atque "hoc pacto confestim apparuit quo animo "quisque erga Christum præditus esset. Hic "jam admirabilis Imperator quod in sophismate latuerat aperuit; et eorum, qui "sacrificare parati erant, metum philautiamque redarguit; eorum autem, qui detrectarant, conscientiam erga Deum magnificè prædicavit. Deinde illos, tanquàm "Dei sui proditores, indignos censuit qui "apud ipsum permanerent: *Quomodo*, inquiens, *Imperatori fidem servaturi essent, qui erga* "*Deum vestrum perfidi deprehendimini*? Quapropter ab aulâ eos Imperatoriâ procul "arcendos decrevit: hos verò, qui veritatem Dei fuerant confessi, & propter eam "ab aulæ splendore pati, dignos esse dixit "qui circa ipsum manerent: atque ita eos "corporis ac regni sui custodes esse jussit". Quibus exemplis liquidò apparet, quàm vehemens apud ipsos quoque infideles sit præsumptio infidelitatis erga homines, ubi præcesserat infidelitas erga Deum.

Eccli. 14. 5.

X Hormisda Martyr apud Theod. l. 5 Hist. Eccles. c. 38. & apud Niceph. l. 14 c. 20.

Y Theodoricus Rex apud Niceph. lib. 16 c. 35. & apud historicos Longobard. l. Collection.

Z Eusebius l. 1 de Vita Constantini cap. 15.

Confessio Christ.

CLXXI. Cæterùm, etsi omnes promiscuè hæretici ob violatam Deo fidem meritò præsumantur hominibus infidi; horum tamen temporum Sectarij reliquos in hoc vitio posthergare videntur; signanter *Calvinistæ*, qui in Gallia *Hugonottæ*, in Britannia *Puritani*, in Belgio dicuntur *Geusij*, & alibi alia sortiuntur nomina. Quorum Patriarcha *Calvinus* omnibus ad suam sectam apostatantibus generalem quorumlibet extraneorum vinculorum undecunque contractorum relaxationem indulget; quippe quæ nihil aliud ipsi sint, quàm *captiosa satanæ retia*. "Ut demus, ait ille, "eos fuisse obligatos, quùm ignoratione "Dei & errore implicati tenerentur; nunc "postquàm veritatis (*Calvinianæ*) notitiâ sunt "illuminati, simul Christi gratiâ liberos esse "dico. Nam si tantam efficaciam habet crux "Christi, ut à legis divinæ maledictione quâ "vincti detinebamur, nos absolvat; quantò "magis ab extraneis vinculis, quæ nihil aliud "sunt, quàm captiosa satanæ retia, nos "eruet"? Hanc Calvini positionem considerans Roffensis, Calvinistarum fidem haud inscitè comparat fidei Pænorum; qui cùm post violata toties fœdera pacem à Romanis flagitassent jurejurando firmandam, interrogati fuerit à quopiam Senatore Romano, "Per "quos Deos fœdus ictum iri essent; cùm eos, "per quos anteà ictum fuisset, fefellissent"? Sed nec hâc comparatione contentus author ille, eosdem Calvini discipulos etiam dæmonibus perfidiâ æquiparare non dubitat, ibidem præmittens: "Si dæmoni humanam induenti "formam, & honore fideque suâ interposita aliquid promittenti nequaquàm credimus; certè nec Calvinistæ fidem suam Catholico de re aliquâ quoad Religionem "efficiendâ obliganti credere debemus aut "possumus. Et Calvinistam Catholico fidelem hoc loco esse, & præstare quod promisit, non modò improbabile est & incredibile, sed vix possibile: imò simpliciter "possibile non est, si verus Calvinista est, & "Calvinianæ doctrinæ principia teneat, atque ex disciplina Euangelij Calviniani "actiones suas moderetur ac dirigat". Ab hoc authore non admodùm discrepat Petrus Coretus in suo *Antipolitico* tum alibi sparsim, tum

A Calvinus l. 4 Institut. c. 13. n. 21.

B. Livius Decade 3. lib. 10.

C. Roffensis lib. de justa Reip. Christ. in Reges hæreticos authoritate c. 10. n. 6.

tum ſignanter cap. 8. ubi hanc theſin præfixit in titulum, toto capite probandam: *Hæreticis ne juratis quidem habendam eſſe fidem, quos Apoſtolus hypocritas & proditores dixit: & fallere ac pejerare, ut rebus ſuis conſulant, verbis & factis docuere Machiavellum, & Calvinum.* Porro de Calvini diſcipulis obſervatu digna ſunt quæ in ſua *Britannomachia* ſcribit P. Henricus Fitz-Simon hiſce verbis: "D. Doctor Biſhopus in Reſponſione ſua ad Robertum Abbatium affirmat, Miniſtrum Anglum nuper diſertis verbis dixiſſe, *Evangelii propaganda cauſâ non poſſe ſufficienter quemquam mentiri.* Quò etiam ſpectant Bezæ illa verba: *Piè & conſtanter amplectendas aſſerimus omnes occaſiones divinitùs oblatas veri cultus divini reſtituendi.* Ut verò eum non intelligas de licitis ſolis occaſionibus loquentem, quaſi illicitas damnaret: mentem ejus in Colloquio Monpelgartenſi his verbis luculentiùs expreſſam habes: *Licitum eſt fucis fraudibuſque, mendacijs ac perjurijs fidem tueri.* Quali fuco fraudéque cum Ducem Wittebergenſem, ſimulatâ juratâque cum Lutheranis concordiâ, ad invadendam Galliam ipſemet Beza induxiſſet, exprobrantibus alijs mendacij perjurijque crimen, reſpondens, inter reliqua dixit: *Niſi ita faceremus, quas Eccleſias haberemus*"? Igitur ex Bezæ ſententia, mendacijs ac perjurijs Calviniſtæ debent quaſcunque Eccleſias intra Galliam tenent. Quibus item fucis ac fraudibus, mendacijs ac perjurijs Belgicas quaſdam Eccleſias ijdem Calviniſtæ obtinuerint, refert idem Fitz-Simon ibidem lib. 2. cap. 7. poſt Roſſæum & Coretum locis proximè citatis. Quales denique ſeſe in Britannia ijdem Calviniſtæ exhibeant, colligere licebit ex verbis Sereniſſimi Regis Jacobi, qui in libello cui titulus, *Baſilicon Doron*, ita filium ſuum primogenitum inſtruit: "E. Cave ſis, mi fili, ab iſta *Puritanorum* Secta, tanquàm à vera Eccleſiæ & Reipublicæ peſte: quos nulla merita devincire, NVLLA IVRAMENTA ASTRINGERE, NVLLA PROMISSA OBLIGARE POSSVNT: præter ſeditionem & calumniam nihil ſpirant, præter modum & modeſtiam ambitiosè aſpirant, ſine ratione maledicta ingerunt; ſua ipſorum commenta ſine authoritate verbi divini, tanquam Lesbias regulas, conſcientijs fabricant. Deum illum ſummum teſtem appello (nam cùm teſtamentum condam nullus erit falſo locus) nuſquam inter Montanos illos barbaros, vel limitaneos latrones, te reperturum magis ingratos, MAGIS PERIVROS, quàm fanaticos illos ſpiritus. Tu verò eorum ductores & anteſignanos in terra tua manere non ſinas, ſi modò quieti & tranquillitati tuæ conſulere cupias: niſi fortè ut Socrates ſuam Xantippen, ita tu eos ad patientiam tuam exercendam retinere velis". Idem rursùs in Epiſtola ad Monarchas & Principes, immani calumniâ pulſatum ſe conqueritur à quodam, qui Puritanum aliquando fuiſſe affirmat: "Satîs equidem, inquiens, mirari non poſſum, quo ore iſte *Apologiæ* meæ cenſor pronunciare potuerit, *Me in Scotia Puritanum, & Proteſtantium inimicum extitiſſe.* Ego igitur Puritanus, qui à Puritanis non ſolùm à nativitate continuò vexatus fui; verùm etiam in ipſo matris utero propemodùm extinctus, antequam in lucem editus eſſem"? Sed quid mirum, Puritanos attentaſſe necem puſionis, ſive in utero materno latentis, ſive in cunis vagientis; cùm videamus eoſdem intuliſſe necem filio ejus ac hæredi, præ maturitate jam caneſcenti, ſceptrum manu, diadema vertice gerenti?

Coretus.

D. Fitz-Simon lib. 1. Britannomachiæ c. 11. p. 4. n. 5.

Vide Bezam Epiſt. 68.

Vide Swertium de fide hæreticis ſervanda c. 32.

E. Iacobus Britanniæ Rex in *Baſilico Doro* libro 2.

CAPVT

CAPUT XLVII.

Catholicorum sententia pro servanda hæreticis fide resumitur, & cavillationum in contrarium objectarum elisio subnectitur. Vulgare profatum, Frangenti fidem, fides frangatur eidem, *explicatur, limitatur, & ritè intellectum admittitur. Perfidiam perfidiâ ulcisci indecorum ac turpe est: cui turpitudini nequaquàm subjacet, qui prævìolatam à compactore conventionem non servat. Pactorum mutuo dissensu solubilium lex generalis est, ut alterutro paciscentium resiliente, alteri quoque resilire fas sit. Decreta Pontificia pro violanda hæreticis fide à calumniatoribus obtensa elucidantur, & inaniter obtendi monstrantur: neque enim de fide pactorum, sed duntaxat de clientelari loquuntur, nec soli hæretici eis feriuntur; ac demùm à Synodo Constantiensi plurimùm molliuntur, & coangustantur.*

CLXXII. NOn obstante tantâ hæreticorum promiscuè omnium in communi, & Calvinistarum in speciali præ cæteris infidelitate; Catholici passim omnes concorditer censent, & occasione datâ dicunt, scribunt, inculcant, fidem inprimis Deo, ac deindè hominibus non solùm fidelibus sed infidelibus etiam quocunque infidelitatis genere detentis servari debere, quoties conditiones ad validam promissionem requisitæ adsunt. Quod ultimum addo, quia siqua conditio ad promissionis valorem necessaria desit, nulla adimplendi obligatio suborietur, sive promissarius interim infidelis, sive fidelis extiterit. Porrò conditiones ad promissionis valorem necessariæ non aliunde commodiùs quàm ex ipsa promissionis definitione communiter receptâ elici possunt, quæ est, *Deliberata ac spontanea fidei obligatio alteri facta, de re licita & possibili.* Ubi cùm nulla ingeratur mentio Religionis sive ejus qui promittit, sive ejus qui promittitur: planum est, impertinens esse ad valorem promissionis, an promittens & promissarius ejusdem sint, an diversæ Religionis. Facit quidem promissarij infidelitas, ut minùs tutò possis cum eo pacisci; non tamen impedit quò minùs ei obligeris, si reapsè pactus fueris, nec ipse ex parte sua implendo pacto defuerit. Aliud quippè est, promissarium habitu infidelem esse, vel etiam in alia materia tibi aut alteri fidem datam infringere; aliud verò in hac determinata materia infidelem se actu præbere. Nec in primo proinde, nec in secundo casu deobligaris ei fidem servare, sed benè in tertio: quia omni promissioni onerosæ inest tacita ista conditio, dummodò promissarius ex parte sua impleat quod ipsi incumbit.

AD OBIECTA §. 165. Hoc quippe & non ampliùs importat vulgare istud effatum §. 165. objectum, *Frangenti fidem, fides frangatur eidem*: cui lux accedit ex illa regula 75. Juris in 6. *Frustrà sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat*: item ex illa alia Regula ibidem 38. *Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare.* Ex priori namque elicitur, limitandum esse vulgare effatum ad easdem personas; & ex posteriori, ad eandem materiam. Quapropter etiamsi quis fidem frangat alteri, non licebit tibi idcircò fidem ei frangere, dummodò non tibi fidem violaverit. Rursùs etiamsi tibi fidem aliquando in una quapiam materia fregerit, non ideò fas tibi fuerit fidem ei in alia materia temerare. Etenim qui uni cuipiam infidelis est, potest alteri fidelis existere: & qui in una quapiam materia fœdifragus est, potest in alia stare promissis. Idcircò autem inter easdem potiùs personas & in eadem materia, quàm inter diversas personas aut in diversa materia locum habet vulgare effatum: quia determinata pacta certas personas certamque materiam respiciunt; & sicut obligatio in fieri, ita & in conservari pendet ab ambarum partium reciproco consensu. Unde fit ut quemadmodùm partes mutuo consensu potuêre obligationem contrahere, ita & possint contractam distrahere. Qui igitur priùs violat datam fidem, eo ipso indicat se pro parte sua distrahere obligationem, atque adeò restituere alterum pristinę libertati, si velit similiter distrahere eandem. Accedente proindè hujus nutu, solvitur integrè initum pactum, perindè ac si nunquam fuisset ictum. Hoc autem non habet locum ubi diversæ sunt personæ, aut materia diversa. Nam qui resilit à pacto inito cum una persona, non per hoc resilit à pactis initis cum alijs personis: & similiter qui resilit à pacto tecum inito in hac materia, non per hoc resilit à pactis tecum initis in alijs materijs, præser-

tim condistinctis. Quod ultimum addo, quia si integra alicujus pacti vel fœderis materia multas includat partes, ei qui fidem fregit in una ejus parte licitè frangetur fides etiam in alia parte: ut si initum sit fœdus pacis aut induciarum inter duos Principes, quoad omnes provincias eis respectivè subjectas, aut quoad terras & maria; frangenti fidem alteri quoad unam provinciam, frangere vicissim fidem licebit etiam quoad alias provincias: similiter frangi poterit fides ei in mari, qui fidem fregerat in terrâ. Notandum interim quosdam dari contractus qui tametsi in fieri pendeant à mutuo contrahentium consensu, semel tamen validè initi nequeunt pro contrahentium arbitrio dissolvi: ut est matrimonium, & alij similes, naturali, vel positivâ superioris lege indissolubiles: in quibus maximè locum habet illa Regula 21. Juris in 6. *Quod semel placuit, ampliùs displicere non potest.* In cæteris militat caput primum 34. de Regulis Juris, quod sic habet: *Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur:* & in ijsdem consequenter locum sibi vendicat vulgare istud dictum, *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.* Quinimò in ipso etiam matrimonij contractu idipsum militat, non quidem quoad vinculum nuptiale, sed saltem quoad fidem conjugalem. Nam si alteruter conjugum violatâ fide conjugali commixtus fuerit extraneo, licebit alteri innocenti eam dimittere quoad thorum, eique denegare debitum conjugale; tametsi propter indissolubilitatem vinculi nequeat ad alias nuptias transire.

CLXXIII. Prædictam solutionem suo suffragio corroborat Molanus, qui cùm sibi objecisset, *P. Hæreticos esse sine fide, esse perfidos, nullam ergò eis securitatem, & fidem publicam deberi;* — P. Molanus l. 3 de fide hæret. servanda c. 11. — continuò respondit: "Sed ex eo rectè sequitur, nulla unquam fœdera aut pacta cum eis ineunda esse, nisi summâ cum prudentiâ, quando evidens necessitas ea flagitat. Quamvis autem illi fidem Deo frangant, non ideò nobis licet pacta cum eis inita violare: qui enim alteri infidelis est, tibi fidelis manere potest. Et Regula Juris intelligenda est de connexis pactis, quæ ab utriusque partis observatione dependent, & mutuam fidem requirunt. De iis dicitur, *Frustrà sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat.* Tametsi igitur Deo infideles, difficulter noverint pacta sua, potissimùm quæ Religionem concernunt, hominibus servare; quando tamen cum eis pacta legitimè ineuntur, sincerè ea servanda sunt. Et tamen aliquando deprehendimus, perfidos homines interdùm meliùs servare fidem, quàm qui eam maximè deberent servare. Docuit quoque nos suo exemplo Simon Machabæus, qui *suspectam habebat Tryphonis fidem,* — 1 Mach. 13. 17. — quòd ex necessitate oporteat aliquando paciscentem se periculo exponere". Idem quoque Molanus superiùs lib. 1. c. 14. præmiserat in eandem rem: "Sanè cùm inter Regulas Juris legatur, *Frustrà sibi fidem ab eo quis postulat servari, cui fidem à se præstitam servare recusat;* eòdemque spectet vulgaris versiculus, *frangenti fidem, fides frangatur eidem:* facilè homo fraudulentus, belli & vindictæ appetens, atque libidine dominandi vitiatus, violandi fœderis causas quærit & prætexit, ut videatur aliquo honestatis prætextu bellum resumere. Illud tamen verum est, perfidiam perfidiâ ulcisci semper turpissimum fuisse: ideòque proprietate sermonis is tantùm quoad mutua pacta fidem frangit, qui eam prior frangit: non autem alter, eò quòd is à sua obligatione liberatus sit, per eam conditionem, quam fœdera & juramenta mutua includunt. Generalis enim lex est omnium conventionum, ut nemo illis stare teneatur, nisi ex adverso in quæ convenerunt præstentur. Si autem nesciatur, uter prior fidem fregerit, *Solet dici,* ait Ayala, *inter paria delicta compensationi locum esse*". Ex quibus Molani verbis apparet, prædictum vulgarem versiculum, *Frangenti fidem, fides frangatur eidem,* in proprietate sermonis reprobandum esse: quia importat violationem fidei tanquam utrobique intervenientem; cùm tamen is qui posterior desinit stare pacto jam ab altero priùs violato, non propriè frangat fidem; quippè jam anteà in nihilum ab altero redactam. Undè ut utrobique interveniat propriè dicta fidei fractio, necesse foret posteriorem violare aliud quodpiam pactum ab eo, quod prior violaverat, diversum. Quod nullatenùs licere, patet ex dictis §. præcedenti: nihil enim hoc fuerit aliud, quàm *perfidiam perfidiâ ulcisci:* quod Molano mox relato visum est *semper turpissimum fuisse.* Ut igitur vulgaris ille versiculus approbari possit, recurrendum fuerit ad scholasticam distinctionem sensûs compositi, & divisi: ut quamvis pro priori parte intelligatur juxta sensum compositum, pro posteriori tamen capiatur in sensu diviso; pro fractione nimirùm fidei, quæ etsi modò non subsit, nihilominùs subfuisset, nisi per alterius perfidiam disrupta jam fuisset. Quoniam igitur disrupta fides non est fides, idcircò qui fidem ab altero jam ruptam non servat, in sermonis proprietate fidem non frangit: neque enim propriè frangitur, nisi quod eatenùs integrum, fractione ipsâ dirumpitur.

CLXXIV. Ad Decreta Pontificia, eodem Paragrapho 165. objecta, respondetur, ea

nequa-

nequaquàm officere prædictis: quia inprimis quædam eorum non tam hæreticos in particulari, quàm excommunicatos in generali concernunt; adeòque hæreticos non faciunt deterioris conditionis, quàm Catholicos excommunicatione innodatos. Secundò illa Decreta nequaquàm relaxare quæcunque fidelitatis vincula erga excommunicatos, etiam hæreticos; sed duntaxat ea, quibus subditi obstringuntur eis, tanquam vasalli suis dominis: adeòque nihil obstare quominùs extranei teneantur eis servare fidem, vel etiam vasalli qui alio quovis titulo se ipsis peculiariter obstrinxerint. Unde nec conjunx liberatur à vinculo fidei conjugalis propter excommunicationem mariti etiam ex hæresi incursam; nec debitor à solutione mutui, vel alterius debiti realis, ob excommunicationem vel hæresim creditoris, quinimò nec vasalli eximuntur à solutione tributorum, propter excommunicationem vel hæresim Principum quibus ea alioquin debentur. Ita expressè cum alijs à se citatis tradit Bonacina Disput. 2. de Excommunicatione Quæst. 2. Puncto 6. §. 2. Propos. 2. nu. 40. " Difficultas est, inquiens, utrùm vasalli possint communicare cum suis Principibus temporalibus excommunicatis vitandis? Respondeo negativè, ut patet ex capite, *Nos Sanctorum* 15. *q.* 6. ubi hoc peculiariter sancitum est: Jus enim, saltem post sententiam criminis declaratoriam, *cap. ultimo de Pœnis*, eximit subditos ab onere, quo se obstrinxerunt ad serviendum Domino ex fidelitate; illosque eximit à jurisdictione subjectionis, cùm Dominus tunc temporis sit suspensus ab usu jurisdictionis. Excipitur solutio tributorum, quæ Principi debetur quamdiu Princeps non privatur dominio temporali. Tributum enim est quoddam debitum: debitum autem solvendum est creditori". Ratio porrò relaxandi vasallis obligationem fidei clientelaris erga Principes excommunicatos, potiùs quàm cæteras obligationes, petenda est ex fine ac scopo excommunicationis, quæ est excommunicati correctio seu emendatio. Nihil enim ita fovet Principes in sua contumacia adversùs Ecclesiæ disciplinarem correptionem, ac fiducia ex clientelari subditorum obsequio concepta. Meritò proindè subtrahuntur eis arma ista, in quibus maximè confidunt: ut cùm se destitutos & exarmatos conspexerint, cristas demittant, ac se Ecclesiæ salubriter corripienti submittant. Qui igitur ex prædictis Pontificum Decretis consequens esse autumant, *fidem hæreticis non esse servandam*, turpiter in Dialecticæ regulas impingunt; procedendo à certa specie ad genus distributum. Sic enim in effectu ratiocinantur: Non est servanda excommunicatis; adeòque nec hæreticis, fides clientelaris quam vasalli ut tales debent suis dominis: Ergò non est eis ulla prorsùs fides servanda, non modò à vasallis, sed nec à quoquam homine. Quæ illatio quàm sit insulsa, neminem latere potest qui vel micam intelligentiæ habet. Sed nec ipsum antecedens universaliter verum est, saltem post Sanctionem Synodi Constantiensis, quam ex Antonino parte 3. tit. 25. cap. 2. recitat Dominicus Sotus in 4. Dist. 22. q. 1. art. 4. quâ indulgetur fidelibus ut possint communicare cum excommunicatis quibuscunque, exceptis duntaxat ijs qui nominatim denuntiati, aut notorij Clericorum percussores extiterint. Unde & Bonacina mox relatus quæstionem ac decisionem suam disertè limitat ac restringit ad *excommunicatos vitandos*, hoc est, ad eos qui in Sanctione Synodi jam dictâ excipiuntur ab indulgentia communicationis passivæ; quemadmodùm idem ipse Bonacina latè disseruerat ibidem superiùs §. 1. puncto 1. Ex quibus claret quàm pauci modò sint hæretici, in comparatione reliquorum, in quos Decreta Pontificum objecta vim suam exerant: ut proindè licèt eadem Decreta omnem prorsùs fidem comprehenderent, & non solam clientelarem seu vasallarem fidelitatem abscinderent; adhuc tamen minimè consequens foret fidem nullis generaliter hæreticis esse servandam. Etenim Synodi Constantiensis Sanctio rigorem dictorum Decretorum sustulit respectu omnium hæreticorum, præter solos nominatim excommunicatos, & notorios Clericorum percussores.

Bonacina.

Vide infrà c. 14. §. 195.

Antoninus.

Sotus.

Synodus Constant.

Bonacina.

CAPUT XLVIII.

Fruſtrà à Sectarijs in ſuæ calumniæ probationem accerſitur Ioannis Huſzi & Hieronymi Pragenſis, Conſtantiæ exuſtorum, hiſtoria, pigmentis ſparſim colorata, & figmentis reſperſa. Synodus Conſtantienſis neutri eorum fidem fregit, quippè quæ & priori nullam dederat, & poſteriori non aliter quàm juſtitiâ ſemper ſalvâ, *dederat. Securitas publica, niſi aliter exprimatur in diplomate, intelligitur dari non contra Iuris executionem, ſed duntaxat contra iniquæ violentiæ illationem. Sigiſmundus Cæſar violatæ fidei à Sectarijs accuſatur, ſed ſynodali declaratione expurgatur. Ad quid teneatur ſalvi conductus conceſſor? Ad quid item teneatur Cæſar ex vi juramenti in ſua inauguratione emiſſi? Salvus conductus non reſpicit crimina committenda, ſed duntaxat præcommiſſa. Illuſtratur id exemplo latronum, qui prætextu acceptæ fidei recuſant deſiſtere à latrocinio. Latrones animarum tantò deteriores ſunt latronibus corporum, quantò anima pretioſior eſt corpore. An, & quo ſenſu hæreticis pertinacibus ſalvus conductus non patrocinetur.*

CLXXV. AUthoritas Synodi Conſtantienſis, eodem §. 165 ad extremum objecta, peculiarem meretur diſcuſſionem; eò quòd nihil eâ crebriùs moderni Sectarij obtendant, quò calumniam Catholicis hac in re impactam juſtificent [G]. "Sigiſmundus Imperator, ait quiſpiam ipſorum, ad Concilium (*Conſtantienſe*) vocavit *Ioannem Huſſum*, & miſſis literis menſe Octobri anno ſalutis 1414 publicâ fide cavit. Itaque comitatus nonnullis ex nobilitate qui deducerent, Conſtantiam venit *Huſſus* die ſabbati omnium Sanctorum 1. Novembris. Etſi autem nihil tam in optatis ei erat, quàm ut à Concilio audiretur, tamen impetrare id minimè potuit; ſed ad Cardinales tantùm ductus eſt, & ab armatis undique ſeptus, tum contra datam fidem cuſtodiæ traditus. Scripſit in carcere aliquot Opuſcula, de decem præceptis, de charitate & cognitione Dei, de conjugio, de pœnitentia, de Oratione Dominica, de Sacramento cœnæ ſanctæ: litteras quoque ad amicos ſcripſit complures, quibus eos in doctrinâ confirmavit. Sigiſmundus, qui tum fortè aberat, ubi comperit M. Huſſum ita tractari, captivumque detineri, graviter tulit; rurſumque Conſtantiam ſe recepit. Sed cùm Pontificij dicerent, *Non eſſe fidem ſervandam hæreticis*, non modò remiſit offenſionem, licèt Bohemi frequenter intercederent, & fidem ſervari peterent, ſed etiam primus omnium acerbè in eum pronunciavit. Quam ob cauſam ſucceſſum & felicitatem ab eo poſteà abfuiſſe animadverſum eſt". Ubi quod ait Sigiſmundum *publica fide caviſſe Huſſo* etſi verum ſit, parùm tamen commodat ſcopo objicientium, qui Synodum Conſtantienſem violatæ fidei accuſant. Sicut enim nemo ſani cerebri accuſavit fœdifragij Regem Galliæ, plectentem eum cui fide publicâ cavit Rex Hiſpaniæ, vel Daniæ, vel Poloniæ: ita culpari jure nequit Synodus Conſtantienſis ob non ſervatam *Huſſo* fidem, quam non ipſa dederat, ſed Imperator Sigiſmundus. Quod verò addit, *Huſſum impetrare minimè potuiſſe ut à Concilio audiretur*, falſum eſſe evincunt ipſius Concilij Acta, quibus conſtat Synodum conſtituiſſe quatuor Commiſſarios de ſuo gremio, in ſacra Pagina Magiſtros, qui authoritate ipſius Synodi procederent in materia fidei contra *Huſſum* cauſam ejus ac ſequacium examinando, & in illa uſque ad diffinitivam procedendo. Quòd ſi fortè hæc audientia cuipiam videatur minùs ſufficiens, accipiat aliam ex Bulla condemnationis tam ipſius hæreſiarchæ, quàm articulorum ejus, quæ habetur inferiùs Seſſ. 15. ubi hæc inter alia leguntur:" Sacroſancta Conſtantienſis Synodus declarat & definit, Articulos infraſcriptos, qui habitâ collatione per plures Magiſtros in ſacra Pagina reperti fuerunt contineri in libris & opuſculis *Ioannis Huſz*, manu ejus propriâ ſcriptis, & quos etiam idem *Ioannes Huſz* in PUBLICA AUDIENTIA

G Chriſtian. Matthiæ lib. IV Theatri Hiſtorici in Sigiſmundo.

Vide Synod. Conſtant. Seſſione 6.

CORAM

CORAM PATRIBUS ET PRÆLATIS HUJUS SACRI CONCILII confessus est in suis libris & opusculis contineri, non esse Catholicos, nec tanquam tales esse dogmatizandos" &c. Quis mente sanus non malit credere Synodo asserenti, *publicam audientiam coram Concilij Patribus, & Prælatis* hæresiarchæ datam; quàm uni Lutherano Historico fingenti, eundem hæresiarcham *impetrare minimè potuisse ut à Concilio audiretur*? Quod item adjicitur, Sigismundum *graviter tulisse detineri Hussum captivum*; id planè admittimus, ipsius Sigismundi testimonio persuasi. Sed ex adverso pernegamus, eundem Sigismundum idcircò *remisisse offensionem, quòd Pontificij dicerent, Non esse fidem servandam hæreticis.* Nusquàm enim Pontificij id tam crudè dixerunt, nedum Imperatori ingesserunt. Quid autem dixerint, & quibus verbis Imperatorem in suas partes induxerint, testatur ipse Imperator in litteris ad Bohemos, ob *Hussi* supplicium exacerbatos; quibus inter alia ait: [H]. "Nobis adhuc in partibus Rheni existentibus, pervenit *Hussus* Constantiam, & ibi fuit arrestatus, sicut de his jam estis sufficienter informati. Verùm si priùs ad Nostram Celsitudinem applicuisset, nobiscumque Constantiam processisset, fortassis negotia ejus alium habuissent progressum. Et Deus novit, quòd tanto dolore fuimus attriti propter casum ipsius, ut verbo benè exprimi non possit. Sed jam omnes Bohemi, qui tunc nobis aderant, benè perpenderunt quomodò nostram sollicitudinem pro ipso interposuimus, quomodò pluries furore permoti de Concilio exivimus; imò veriùs ipsius causâ de Constantia recessimus, quousque nobis intimaverunt, dicentes: *Si noluerimus admittere justitiæ prosecutionem in Concilio, quid tunc in isto loco facere debeant?* Sic cogitavimus, quòd nihil jam hâc in parte facere poteramus, neque enim licuit nobis pro hoc negotio ulteriùs loqui, quia indè Concilium totaliter fuisset dissolutum".

H. Sigism. Cæsar apud Cochlæum lib. 4. Hist. Hussitarum.

CLXXVI. Ecce quàm diversam Synodi suggestionem referat Imperator Sigismundus, & fingat Lutheranus Historicus! Fingit quippè iste Synodum dixisse, *Non esse fidem servandam hæreticis*: refert verò ille eam sibi intimasse, *Si noluerint admittere justitiæ prosecutionem in Concilio, quid tunc isto in loco facere debeant?* Quis tam excors ut nesciat discernere inter justitiæ prosecutionem, & fidei datæ violationem? Certè enim de Jure communi fides publica conceditur non contra prosecutionem justitiæ, sed contra irrogationem violentiæ: [I]. "In Saxonia, inquit Molanus, ex Carolinâ Constitutione, ut Petrus Bremus meminit, formula salvi conductus consueta in causis capitalibus habet, *Damus tibi fidem publicam, causam dicendi in Judicio, contra vim, non tamen contra Juris executionem*: sicut etiam videre licet in Judicijs Spirensibus. Scribit enim Mynsingerus; *Quando datur alicui securitas, vel salvus conductus, tunc intelligitur, solùm de violentia, quæ de facto contra jus infertur: & ideo meo tempore, cuidam habenti salvum conductum, capto propter delictum vel maleficium, & supplicanti in camera pro mandato de relaxando, & citatione ad videndum &c. petiti processus à DD. Assessoribus denegati sunt*". His addit Sweertius Covarruviam: [K] "Auctor, inquiens, est Covarruvias, ordinarij Juris esse, ut non intelligatur salvus conductus sese extendere, nisi ad purgationem causæ: ut excludatur omnis violentia, præter illam quæ post cognitionem causæ, jure infertur. Puta tamen, nisi fiat cum expressa Juris communis derogatione: quod hìc (*in causa nimirum Hussi*) factum fuisse, nemo quantumvis Hussita aut Pragensis, probaverit". Ex quibus apparet, quòd etiamsi Hussus habuisset talem salvum conductum ab ipsa Synodo, qualem habuisse supponitur à Cæsare, nihil equidem ejus patronis adhuc superesset, undè rationabiliter obstrepere Synodo possent. Apparet præthereà quàm irrationabiliter ab ijsdem patronis obstrepatur Synodo, ob illatam necem Hieronymo Pragensi, Hussi socio: quem Synodus quidem ad comparendum citavit, dato salvo conductu; sed in quo disertè caveretur de sola violentia, salvâ semper prosecutione justitiæ: ut nimirum compareret, [L]. "Responsurus ad ea quæ sibi aliquis vel aliqui in causa fidei voluerint objicere, recepturus, & facturus in omnibus justitiæ complementum; ad quod à violentia, justitiâ semper salvâ, omnem salvum conductum nostrum, inquiunt, quantum in nobis est, & fides exigit orthodoxa, præsentium tenore offerimus; & etiam pleniùs assignamus". Ecce Synodus, ad præcidendum omnem cavillandi ansam, signatè expressit, quod alioqui ex communi Juris dispositione subintelligendum Cæsar in suo salvo conductu inexpressum reliquit. Cùm igitur in justitiæ prosecutione Hieronymus ille deprehensus fuerit dignus morte, nihil contra fidem salvi conductus actum est afficiendo eum morte; [M]. "Petebat audiri, ait de eo Cochlæus, sub salvo tamen conductu. Qui ei sic datus est, *ut justitia semper salva maneret, & quantum fides orthodoxa exigeret*: qualis & *Ioanni Huss* datus fuisse creditur. Quòd si Rex Sigismundus in suo conductu eâ cautelâ usus non fuit, Concilium tamen declaravit, aliter hæreticis conductum dari non debere". Declarationem istam Concilij exhibuimus hìc superiùs cap. 45. §. 165. in fine.

I. Molanus lib. 2. de fide hæreticis servanda c. 6.

Vide Schultes de fide hæretic. servanda c. 5. n. 276. & seqq.

K. Sweertius lib. de fide hæretic. servanda c. 11.

Vide Molan. l. 2 de fide hæretic. servanda c. 6.

L. Synod. Constanc. Sess. 6. Vide Schultes de fide hæretic. servanda c. 5. n. 274. & seqq.

M. Cochlæus l. 3 Hist. Hussitarum.

CLXXVII. Nonnulli inter *Husʒi* patronos, Sigismundum saltem excusari à perfidia posse negant, quicquid interim de Synodo censeatur. Sed inprimis etiamsi gratis concederetur Sigismundum hac in re culpabilem extitisse, condemnando & comburendo eum cui fide publicâ caverat; non tamen hinc consequens foret, Catholicos docere *non esse hæreticis fidem servandam*. Neque enim ex facto unius Principis sæcularis, quantumlibet eminentis, colligi potest Ecclesiæ Catholicæ sensus aut sententia. Cur potiùs ex facto Sigismundi colligitur sensum Ecclesiæ, quàm ex ipsa declaratione Constantiensis Synodi, quæ finalibus verbis, §. 165. relatis indicat, eum qui suo salvo conductu cavit hæreticis, obligari saltem *ad faciendum quod in ipso est*, ne quid illi patiantur? Deinde negamus Sigismundum in casu prædictorum hæreticorum extitisse culpabilem, nedùm fideifragum. Nam inprimis nullam fidem publicam Hieronymo Pragensi dederat, sed soli *Husʒo*: atque adeò ex ea parte nihil est undè in suspicionem ullius perfidiæ vocetur. Dederat quidem ille *Husʒo* salvum conductum, sed absque derogatione juris communis, adeoque cum subintellecta clausula communiter inexistente, *Salvâ semper prosecutione justitiæ*. Nisi ergò adversarij probaverint violatam fuisse in causa *Husʒi* prosecutionem justitiæ, nihil habent unde Cæsarem ullius arguant perfidiæ. Quinimò etiamsi in processu adversùs *Husʒum* aliquid intervenisset injustitiæ, non ideò culpandus esset Cæsar, dummodò nihil ipse omisisset debitæ diligentiæ: hoc est enim quod Synodus declaravit superiùs verbis istis, *cùm fecerit quod in ipso est*. Fecisse verò eum quod in ipso fuit, colligi potest ex duobus: Primò enim satagit ut ab initio *Husʒus* suæ libertati restitueretur, prout indicant ipsius verba §. 175. relata. Deindè cùm ex Synodi declaratione persuasus esset non posse id fieri salvâ justitiâ cum authoritate Synodali, annisus est inducere *Husʒum* ut resipisceret, ac Synodali authoritate se liberandum submitteret: [N]. Fecit, ait de eo Cochlæus, „ quantum decuit aut licuit. Sæpè ab ipso „ *Ioanne Husʒ* petijt, ut submitteret se Concilij judicio, ut hæreses abjuraret, ut nolit „ pertinaciter sæpè damnatos asserere Articulos: atque etiam prædixit, ni desisteret „ ab ea pertinacia, fore ut Concilium suo „ in ipsum jure usurum esset, juxta censuram „ sacrorum canonum. Quinimò in faciem ei „ dixit, se Concilio promisisse, si ipse pertinaciter Articulos erroneos assereret, quòd „ nullum hæreticum velit manutenere: imò „ mallet per sese, & solus pertinacem hæreticum comburere, quàm defendere. Ideò „ sæpè suasit ei, ut se omninò submitteret „ Concilio in omnibus. Quòd si faceret, gratiam inventurus esset apud Patres, ad honorem ipsius Regis, fratris ejus, & ipsius „ Regis Bohemiæ: si autem obstinatus per„ maneret, prædixit fore, ut Concilium suo in eum jure sit usurum ". Inferiùs quoque ibidem post multa refertur hæc parænesis Cæsaris ad eundem in consessu Patrum Synodalium: " *Ioannes Husʒ*, Ecce duæ viæ tibi „ propositæ sunt; nempè ut abjures & revo„ ces errores hìc condemnatos, subdasque te „ gratiæ Concilij: sic fiet ut Concilium ali„ quid gratiæ tibi exhibeat. Si autem dictos „ Articulos erroneos de cætero defendere „ volueris, Concilium & Doctores habent „ jura sua quidnam finaliter tecum agere debeant". Quæ eadem denuò repetijt Cæsar postridie: sed cùm nihil apud obstinatum *Husʒi* animum proficere se cerneret, ait demùm Patribus Synodalibus ibidem adhuc inferiùs: " Audistis, Reverendissimi Domini, „ multa ex *Ioannis Husʒ* libris excerpta, quæ „ & ipse confitetur, & sufficienter testibus „ convicta sunt: è quibus vel unum satis fo„ ret ad condemnandum ipsum. Quapro„ pter si noluerit eos errores revocare & „ abjurare, poteritis contra illos decerne„ re, ut ipse comburatur, aut agere cum eo juxta jura vestra, sicut scitis ". Subsecuta est postmodùm Sententia Synodi, quæ refertur in Actis Synodalibus Sess. 15. quâ Synodus inprimis pronunciavit, *Ioannem Husʒ hæreticum fuisse, & tanquam hæreticum judicandum & condemnandum*. Unde & mox iterùm decrevit, *Eundem Ioannem Husʒ ab ordine Sacerdotali, & alijs ordinibus, quibus extitit insignitus, deponendum & degradandum*. Degradatione hâc nonnullis Præsulibus commissâ, subdidit Synodus ibidem ad extremum: *Hæc sancta Synodus Constantiensis, Ioannem Husʒ, attento quòd Ecclesia Dei non habeat ultrà quid gerere valeat, Iudicio sæculari relinquere, & ipsum curiæ sæculari relinquendum fore decernit*. Quibus peractis, ut Cochlæus suprà memorat, " Rex (*Sigismun„ dus*) ait ad Ducem Bavariæ, Ludovicum „ Electorem, qui pomum aureum tenebat: „ *Vade, recipe eum*. Qui recipiens illum, tra„ didit eum lictoribus, capite tonsum, & alto „ pileo papyraceo coronatum, cui inscriptum erat: *Hic est hæresiarcha* ".

CLXXVIII. Hìc rursùs in Cæsarem Sigismundum insurgunt Husʒiticæ causæ patroni, arguentes eum perfidiæ; quippe qui non modò *non fecerit quod in ipso fuit*, ut *Husʒum* liberaret; sed ex adverso, neci ejus cooperatus fuerit, imò necem ei per suos ministros & lictores intulerit. Sed respondetur, optimè consistere ista duo, Cæsarem Sigismundum intulisse *Husʒo* necem, & eundem *fecisse quod in ipso erat* ne *Husʒus* traderetur neci

Marginal notes: Vide suprà §. 165. — N. Cochlæus lib. 5. Hist. Hussitarum. — Sigismundus. — Synod. Constantiensis. — Cochlæus suprà.

neci. Is enim censetur facere quod in se est, qui facit quod potest: is autem facit quod potest, qui facit quicquid sine peccato fieri ab ipso potest: nam, ut præclarè ait Augustinus, c. Quod non potest justè, non potest justus". Si igitur Sigismundus non poterat justè non inferre necem *Husso* per Synodum prævie ob hæresim damnato ac degradato; planum est, nequaquam esse consequens ut si intulerit *Husso* necem, non fecerit, quod in ipso erat ut liberaret eundem à nece. Porrò eum non potuisse justè non inferre *Husso* necem, patet ex cap. *Ut inquisitionis*, de Hæreticis in 6. ubi districtè injungitur universis Potestatibus secularibus, quâcunque dignitate eminentibus; ut de hæresi ab Ecclesiastico Judice condemnatos, ac sibi relictos, *statim recipiant; indilatè animadversione debitâ puniendos*. Quæ Constitutio præcipuè respicit & concernit Cæsarem; quippe qui tanquam Protector, Procurator, Advocatus, ac Defensor Ecclesiæ, in sua inauguratione solemniter jurat, *quòd ipsam juvabit, & consiliis & auxiliis ei assistet opportunu, contra quoscunque inobedientes ac rebelles eidem.*

S. Aug. l. 1. contra Gaudentium c. 30.

Vide supra hic §. 100.

P. Clementini unica de jurejurando.

PROCURATIO.

Sed obstabat, inquiunt, fides publica per Cæsarem Sigismundum data *Husso*. Verùm hic scrupulus jam §. 176. excussus est: & præter rationem ibi allegatam adduci insuper potest, quod *Hussus* non servaverit conditiones sibi à Cæsare præscriptas, signanter eam quâ interdicebatur ei fuga. Etenim ut refert Cochlæus in Historia Hussitica, "Conduxit currum rusticanum, in quem clàm ascendens abdidit sese, straminibus undique tectus: atque ita eductus, pulchrè sibi videbatur evasisse. Ubi verò comperit hoc Magistratus Constantiensis, mox assumptâ satellitum catervâ insecutus est eum, & in fuga deprehensum reduxit secum Constantiam. Facto autem magno, velut ad novum spectaculum, populi concursu, prævolante famâ, *Husso* fugæ graviter intentus, factâ in circumstante populo per hinc inde cursitantes turbatione, subitò è manibus reducentium elapsus, ac populo se immiscens, latibulum quæsivit. Sed mox deprehensus ducitur in Episcopium". Si igitur

Cochlæus l. 2. Histor. Hussitarum.

Cæsar *Husso* fugam interdixerat, nec *Hussus* interdicto paruerit, consequens est ut Cæsarem ab obligatione fidei datæ liberaverit; juxta illud superiùs perpensum, *Frangenti fidem, fides frangatur eidem*. "Nec in Hussum, inquit Campianus, animadversum fuisset, nisi homo perfidiosus & pestilens, retractus ex fuga, quam ei Sigismundus Imperator periculo capitis interdixerat, violatis etiam conditionibus quas scripto pepigerat cum Cæsare, vim omnem Diplomatis enervasset". Accedit præterea quòd *Hussus* post acceptum à Cæsare salvum conductum commiserit novum crimen morte dignum, nimirum crimen pertinaciæ, quâ renuit se judicio Ecclesiæ submittere. Planum autem est Cæsarem non indulsisse ei securitatem criminum committendorum, sed, ut summum, præcommissorum. Quid enim, inquit Molanus, si aliquis, diffamatus de incendiis aut latrociniis, sub salvo conductu citetur, ut coram camera Imperii aut Parlamento regni se sistat; ibidemque fateatur se multa incendia aut latrocinia perpetrasse, nec deinceps velle abstinere; sed propter salvum conductum datum velle liberè redire ad priorem locum? Num talis dimittetur, an verò juris interpretatione securitatem eò se non extendere dicetur? Non dubium est de posteriori parte; cùm eam & dictamen naturæ, & praxis judiciorum doceat. Quod igitur hæretico pertinaci, qui incendiariis & latronibus multò pestilentior est, salvaguardia non prosit, non est ex novo Decreto Concilii Constantiensis, nihil enim illud hac in parte innovavit, sed est ex communi juris dispositione, & ex ipsius naturæ dictu. Eo enim ipso quo hæreticus pertinax est, significat se à latrocinio animarum abstinere nolle, neque ab hæresis suæ propagatione, quæ veluti incendium non unum locum, sed integras devastat provincias, cessare velle. Sed hæc filii hujus sæculi non attendunt: apud quos latrones & incendiarii sunt magni peccatores, hæretici autem parvi".

R. Edmund. Campianus Ratione 4. ad Academicos Anglos. Vide Alanū Copum Dialogo 6 c. 38. & Becanum in Manuali Controvers. l. cap. 15.

J. Molanus lib. 2. de fide hæreticis servanda c. 7.

CAPUT

CAPUT XLIX.

In vanum quoque ab iisdem Sectariis pro astruenda sua calumnia allegatur clades Varnensis historia, non minus quàm præcedens falsiloquiis intermixta. Iuliani Cesarini Cardinalis & Apostolici Legati Sermo Paræneticus ad Regem & Proceres Hungaricos Polonicosque, quo suasit ac persuasit fœdus Turcicum dirumpi; Pontificium perperàm violatum resarciri. Quamvis Cardinalis ille censuisset ac docuisset irrita esse pacta cum infidelibus inita, non equidem pro ea sententia sugillari posset Ecclesia. Imperator Turcicus promissa in diem præstitutum non adimplendo, justam præbuit Hungaris ansam, bellum intermissum resumendi. Absurdum fuerit, de rebus obscuris aliquid audacter velle statuere. Christiani Matthiæ Lutherani in designanda causa cladis Varnensis asseverantia exploditur, & inconstantia redarguitur. Tres causæ illius cladis ab Historicis proditæ recensentur. Turcici fœderis violatio, Hungarici regni injusta usurpatio, & sacrilega Ecclesiarum per Bulgariam profanatio.

CLXXIX. NOn longè post Synodum Constantiensem contigit Christianorum clades Varnensis, qua *Vladislaus* Hungariæ Rex cum florentissimo exercitu à Turcis miserabiliter cæsus, Rempublicam Christianam maximo dispendio affecit. Hinc rursùs Sectarij novam arripiunt ansam calumniandi Catholicos tanquam ejus dogmatis patronos, quod negat *servandam esse hæreticis fidem.* Qui enim generaliter perhibent non esse infidelibus fidem servandam, proculdubiò negant eandem hæreticis esse servandam, cùm hi inter omnes infideles sint deterrimi, prout cap. 37. visum est. Perhibent verò istud Catholici: idque suo malo edoctus testatur Rex *Vladislaus*, qui post obitum inducitur ita loquens in suo Epitaphio: [T]. *Romulida Cannas, ego Varnam clade notavi: Discite mortales non temerare fidem. Me nisi Pontifices jussissent rumpere fœdus Non ferret Scythicum Pannonis ora jugum.* Rem breviter enarrat Christianus Matthiæ paulò superiùs ibidem hisce verbis: " Anno Christi 1444. „ accidit clades Varnensis, omnium celeberrima, & Christianis luctuosissima: cujus „ causa absque ulla dubitatione fuit icti fœderis violatio, quæ impulsu *Iuliani* Cardinalis facta est. Joannes enim Hunniades „ secundis aliquot prælijs, Turcas superaverat, & Amurathem Secundum Turcarum „ Regem septimum ita terruerat, ut pacem „ ultrò posceret, & Christianis decennij inducias offerret. Quas cùm Hungari non „ recusarent, præstitum est ab utraque parte „ juramentum; Christianis quidem Libro „ Euangeliorum, Turcis verò Codici Alcorani digitos inter jurandum imponentibus. „ Factum id anno Christi 1443. die 13. Junij. „ Sed pacis leges, cùm vix Amurathes ex „ Europa in Asiam trajecisset, violavit Uladislaus Hungariæ Rex, juvenis alacer & „ ferox, incertæque belli gloriæ quàm securæ „ pacis avidior. Rupit autem fœdera, *Iuliani* „ Cardinalis insanis & exitialibus consilijs, „ cui prosequenda victoria videbatur: præsertim cùm Eugenius IV. Papa *Iuliano* scripsisset, nullum valere fœdus, quod se inconsultò cum hostibus Ecclesiæ percussum „ esset ". Eandem Historiam quarundam circumstantiarum adjectione auctam digerit Joannes Cluverus, ita scribens: [V]. Uladislaus Polonus, Hungariæ Rex, Joannis „ Hunniadis auspicio rem strenuè adversùs „ Turcas gesserat, Georgium Despotam in „ integrum restituerat, Amurathem felicibus „ prælijs eò redegerat; ut pacem arbitrio „ ipsius faceret, Hungaris Serviam relinqueret Moldaviamque. Juratis utrinque decennij inducijs, Amurathes in Ciciliam „ profectus, Caramanum Principem punire „ cogitabat, Pontum Bithyniamque incursantem. Dum ille ibi bellum trahit, Eugenius Papa per *Iulianum* Legatum Cardinalem instigat Uladislaum, ut violato jurejurando, quod minùs è re publica præstitisset, novum Turcis bellum faciat. Morem „ gerit Uladislaus, in Mysiam progreditur. „ Amurathes compositâ facilè Asiâ, præproperè in Europam revertitur; classeque Italicâ, quæ Hellesponti aut Bosphori transitu eum

[T]. Uladislai Epitaphium apud Christian. Matthiæ lib. 4. Theatri Historici.

[V] Cluverus in Epitome Historiarum in Amurate 2.

T U A)

„ eum arcere debuisset, metu aut perfidiâ
„ quiescente, Genuensi etiam adjuvante,
„ transfretat: itaque inopinatus ad Varnam
„ oppidum supervenit *Vladislao*. Jam incli-
„ natâ suorum acie, triginta enim Turcarum
„ millia ceciderant, Deum, ut fama est, Chri-
„ stianorum in ultionem perfidiæ implorans,
„ ingenti eos clade sternit; Rege etiam ipso,
& *Iuliano* Cardinale interfectis". Sed ne fortè
Sectarios istos quis hac in re suspectos habeat, adjiciemus eis tertium, eumque Catholicum, atque adeò minùs suspicioni obnoxium, Baptistam Campofulgosum, cujus in hanc rem verba sunt: w. Datam fidem, quæ
„ jurejurando vallata sit, etiam hosti adversæ
„ Religionis servari religiosè debere, *Vladislai*
„ Hungariæ & Poloniæ Regis infelix exitus,
„ unà cum cladibus quas Joannes Hunniades
„ Vaiuoda Transylvanus tulit, apertè decla-
„ rant. Nam ut antè sæpiùs feliciter adversùs
„ Catholicæ fidei hostes pugnârant, postea-
„ quàm impulsu *Iuliani Cesarini* Cardinalis, at-
„ que Eugenij IV. Pontificis Legati, inducias
„ violarunt, cum Amurathe Turcarum Rege
„ juratas, solvente eos sacramenti nexu Pon-
„ tifice; adversùs Turcas cum exercitu pro-
„ fecti, juxta Varnam occiso Rege unà cum
„ Legato, Joannes in turpem fugam conje-
„ ctus non solùm viri fortis laudem amisit,
„ verùm etiam cum Amurathe consertâ ma-
„ nu haud longè à Bulgaria, iterùm cum Pan-
„ nonijs, quibus præerat, prælio victus, & in
„ fuga subsistere à Georgio Serviæ Despota
„ coactus, haud parvo labore, non sine ma-
„ gna vi auri ab eo se explicuit. Quâ re satis
„ apertè ostensum est, parùm probasse im-
„ mortalem Deum, ut jurejurando data fides
violaretur".

w. Baptista Campofulgosus lib. 1. Exemplorũ memorabilium cap. 1. in fine.

CLXXX. Ex hac facti specie videntur sibi adversarij conficere suum intentum: nam cùm hinc habeamus, Summum Pontificem per suum Legatum censuisse, rescindendum fœdus induciarum, juramento firmatum cum infidelibus Turcis; negari non posse videtur, quin Catholici, qui pro viva fidei ac morum regulâ habent Summum Pontificem, eam teneant sententiam quam ille & facto & verbo tam solemniter eis præformavit, nimirùm *infidelibus fidem non esse servandam*. Speciosa quidem objectio, & quæ imperitis facilè persuadeat: quam ut planiùs expediamus, exhibebimus hìc integrum Sermonem quem *Iulianus* ille Legatus Pontificius habuit ad Regem *Vladislaum* ejusque Proceres, quo eos à fœdere cum Turcis icto revocaret, atque ad resumendum bellum tantisper interruptum instigaret, qui sic sonat ad verbum: x. Si quis vestrûm
„ fortasse miretur, quòd de rescindenda pace,
„ ac violandâ fide sim verba facturus, is pri-
„ mùm intelligat, me nihil aliud hodie quàm
„ de servando fœdere vobiscum acturum, &
„ pari vobiscum pœnitentiâ corripi. Pœni-
„ tentiâ dixi, non dolore; quando hæc quæ
„ me invito facta sunt, & præter opinionem
„ vestram acciderunt, veluti è speculâ cuncta
„ prospexi: cogor pro Legationis officio, &
„ Christianæ professionis conjunctione, juxtà
„ atque vos animo fluctuare: & eò vel maxi-
„ mè, quòd de communi honoris dignitatis-
„ que jacturâ hodierno die agitur; quam nisi
„ communi consilio & solitâ virtute resarcire
„ enitamur, ô quàm verendum est, ne præ
„ nimia infamia & vobis è Pannonia egredi, &
„ mihi Romam redire non liceat, ubi gravissi-
„ mâ censurâ quæque judicantur! In quas mi-
„ serias præceps consilium nos planè conjece-
„ rit, considerate. Pacem cum Turca fecimus
„ infideli, ut sanctam fidelium fidem viola-
„ remus, & sacrosanctum cum Summo Ponti-
„ fice socijsque Principibus initum antè fœdus,
„ rescinderemus. Et cujus, cujus, inquam, uti-
„ litatis gratiâ? Nempè ut Mysiam diu po-
„ pulatam recuperaremus. Exigua profectò
„ & calamitosa est ista utilitas, quæ ad breve
„ tempus intercipi potest; & cætera commo-
„ da, quæ perpetua fuerant, longè majora,
„ amovet & repellit. Quid enim dementius &
„ magis inconsultum dici potest, quàm in de-
„ liberando privati tantùm commodi, & non
„ publici, item neque honesti & sancti habere
„ rationem? Quid Turcarum perfidiæ præ-
„ stare debeatis, non id quæritur hodie, Pro-
„ ceres, sed à *Iuliano* Pontificis & Latinæ so-
„ cietatis Legato, actore & auctore, irriti pro-
„ missi, violatæ fidei, & soluti fœderis, ante
„ conscientiæ vestræ tribunal postulamini; &
„ vestro potiùs, quàm divino alienove judi-
„ cio, si mea æquo animo dicta patiemini,
„ reos vos efficiam. Respondete mihi, Proce-
„ res, nonne postquam sex menses in Mysia,
„ finibusque Thraciæ, cum Turcis tot bella
„ feliciter gessistis, deinde ovantes in Panno-
„ niam redijstis, ab Eugenio Pontifice, & ab
„ universa ferè Italia, & à Græcorum Impe-
„ ratore honestissimas Legationes accepistis,
„ & congratulationes faustæ victoriæ, & ad
„ continuandum bellum adhortationes? Ac-
„ cepimus. Nonne cum Eugenio Pontifice,
„ & cum Palæologo Imperatore, atque unà
„ cum Italis & Græcis, ut hi à Thracia cum
„ auxiliaribus copijs occurrerent, Latini clas-
„ sem ingentem in Hellespontum mitterent,
„ sacrosanctum ultrò fœdus, me præsente &
„ authore, percussistis? Percussimus. Si per-
„ cussistis, cur cum Turcis, isto violato, aliud
„ transegistis? Quo jure, quamvis transactum
„ sit, servare poteritis? Ergò si superiore anno
„ cum Pontifice Max. qui Christi Dei vicem

x. Iulianus Cardinalis apud Bzovium ad annum 1444. n. 37.

gerit in terris, fœdus inivistis; si humani, si rationis compotes estis, si Christiani, secundum omninò vobis fœdus rescindendum est, ne primum & divinum violetis. Quod nisi feceritis, vereor, ne sicut Judas Christum, ita vos ejus Vicarium prodere videamini; neve Deum, quem hactenùs rebus vestris præsentem & propitium semper habuistis, vobis posthàc infestissimum sentiatis. Nunc autem quæso, dicite, quid Imperatori Constantinopolitano, qui ex composito jam à primo tempore fuit in castris, & vestrum in tanta opportunitate exspectat exercitum: quid Pontifici Maximo: quid Venetis & Genuensibus, qui classem instructam habent, ut constitutum fuerat: quid Burgundionibus, qui ardore fidei ex Oceano diu solvêre, & tot pericula maris emensi nunc in Hellesponto navigant, respondebitis? Commentamini, quæso, si potestis, excusationem, & colorem aliquem, quo non penitùs nostri dissimiles videamur: si quid è recondita arte excudistis, expromite. Promisistis vos primo quoque tempore in castris adfuturos: nunc vernant vestri milites, & æstivant, & per calamitosam ignaviam ac negligentiam tanta & tam salutaris occasio elabitur. O ingentem animorum cæcitatem! O crassam ignaviam! O execrabile fœdus, ad Christianæ Reipub. ictum exitium! Incusaverit me fortassis aliquis, cur id cum cæteris toleraverim? Adfui, fateor: sed quantum in me fuit, ne id fieret, intercessi, improbavi; &, ut multi ex vobis qui hîc adestis, testes esse potestis, instantissimè damnavi. Victus sum *Hunniadis* sapientiâ & authoritate, *Despotisque* commiseratione, ne regno ac liberis intercessione meâ ultrà infelix ipse carere videretur; &, ne me commodorum vestrorum contemptorem oppugnatoremque quisquam appellaret, tristis & invitus cessi; haud inscius, hinc salutem Christianæ Reip. labefactari, spem gloriæ ac immortalitatis extingui, & nos omnes pariter divini humanique fœderis violatores, perfidos, & Christianæ Gentis proditores, ut vestrâ pace dixerim, appellari. Quare, nisi antequàm perfidiæ nostræ rumor longiùs effundatur, nos ipsi ab hac infamia vindicaverimus, nihil turpitudine scelereque vestro majus aut miserius dici potest. Id si voluerimus, non tam facilè, quàm justè ac sanctè facere poterimus. Restitutâ Mysiâ, redditisque captivis, quid vobis aliud agendum est, Proceres, quàm instaurare exercitus, parare quæcunque bello sunt usui, initum priùs fœdus cum Christianis servare: Dicere *Vladislaum* Regem, post percussum cum Latinis Græcisque fœdus, nihil inconsultis socijs, quorum auspicijs commune bellum geritur, pacisci potuisse, præcipuè cum hostibus Christianæ Religionis: Si quid illi cum Turcis convenerit, fore irritum, priori standum esse fœderi? Quisnam ita iniquus humanarum rerum examinator est, qui non facilè judicet, initam cum utroque fidem, Christiano potiùs quàm Turcæ, fideli potiùs quàm perfido esse servandam? Omni in perfidum hostem arte, vi, fraudeque uti licet: ars arte eluditur, & fraus fraude circumvenienda est. Dolo Turca à principio in Europam trajecit, dolo pedetentim regnum invasit, nemini unquam fidem servavit, artibus potiùs quàm armis ad id rerum fastigium evectus est. Et vos eòne cæcitatis pervenistis, ut Turcæ potiùs, omnis fidei ac rationis experti, quàm fidelibus Christianis, imprimisque Pontifici sacrosancto, servandam esse fidem censeatis? Astu & consilio maxima quæque geruntur: Romani Majores nostri semper sociorum fidem rectè sanctèque servarunt, perfidos pari arte eluserunt. Fas est quandoque publicæ salutis gratiâ, neque stare pactis quæ illi contraria, neque perfidis fidem servare: fas est iniqua juramenta rescindere, & præsertim quæ præter æquum, fas, & bonum esse censentur. An *Diomedi*, quicunque in solo patrio primus occurreret, Dijs immortalibus devoventi, obvium sibi filium, ex voto & juramento mactare fas fuit? Nempè nefas. Æquum & justum jusiurandum, omnium judicio est sanctè servandum: quod autem non modò ad privatum, sed ad publicum facit exitium, illud irritum ac vanum esse debet: *Displicet Deo stulta & infidelis promissio.* Eccl. 5. 1. Quas ob res, antequàm perfidia nostra latè divulgetur, vos quæso, & non sine lachrymis obtestor, Proceres, teque imprimis, Rex inclyte, ne datam pro salute Reipubl. Christianæ sacrosancto Pontifici cæterisque fidem, ullo unquam pacto violandam censearis: initam cum Latinis Græcisque societatem fideliter sanctèque servate: susceptam ex convento expeditionem, sociorum exemplo prosequimini: jacta immortalitatis ac gloriæ fundamenta tuemini: provincias servitute Turcarum pressas liberate: collatæ in vos spei satisfacite: nolite expectationem nunc Gentium fallere, quo nihil turpius esse potest. Nulla vos initi cum Turca fœderis Religio teneat: illud censete nefarium & detestabile, Pontificis & Christiani fœderis violare sanctitatem: Deum, quod cælesti benignitate prohibeat, si aliter feceritis, acerrimum violatæ fidei fore vindicem existimate: nihil reputate Christo Opt. Max. gratius, vobisque gloriosius futurum, quàm occupatas à Turcis pro-

„ cis provincias, à fera illorum servitute vin„ dicare. Nolite hanc opportunissimam oc„ casionem prætereire quâ nulla unquam com„ modior dari potest. Destituta est à Turcis „ Europa, Carmanico bello: Pontificiâ classe „ in Hellesponto interdictus est illis reditus: „ Thraciam, Macedoniam, Græciam, Epi„ rumque invisere tantùm & lustrare opus „ est: nullus hostis adest. Proindè Pontifi„ cium, per Deum quæso, servate fœdus; & „ fausta feliciaque castra, veluti vobis cum „ socijs conventum est, in Macedoniam, Thraciamque movete'.

CLXXXI. Ecce integram Cardinalis *Iuliani* concionem, unde ansam calumniandi Catholicos arripuerunt Sectarij: cùm tamen ante omnia nosse debuissent, quòd etiamsi Cardinalis ille reipsâ docuisset, atque Hungaris persuasisset, fidem nullis generaliter infidelibus servandam esse; minimè tamen consequens foret eam sententiam toti Catholicorum coetui attribui sine calumnia posse. Nam, ut aliorsùm non abeam, quis nesciat quàm multa idem ipse Cardinalis pro authoritate Synodi Basileensis, cui tanquam Legatus Pontificius præfuit, dixerit ac scripserit, quæ non possunt cum ullâ verisimilitudine toti Catholicorum cœtui imputari? Deindè ex toto suprascriptæ concionis tenore perspicuum est, nequaquàm ibi disceptari num fides infidelibus generaliter servanda, vel violanda sit: sed hoc unicè agi, ut persuadeatur quòd in illo particulari casu, quo quis inivit fœdus pium & sanctum cum Christianis, & posteà aliud contrarium cùm Christianorum hostibus, standum potiùs esse priori fœderi, quàm posteriori. Clarissima in hanc rem sunt initialia Cardinalitiæ concionis verba. Nec minùs clara illa in progressu: *Secundum omninò vobis fœdus rescindendum est, ne primum & divinum violetis*: sed nec illi, *priori standum est fœderi*: aut item illa, *Quis non facile iudicet, initam cum utroque fidem, Christiano potiùs quàm Turcæ, fideli potiùs quàm perfido esse servandam*? Et denique illa, *Nulla vos initi cum Turca fœderis Religio teneat; illud censete nefarium & detestabile, Pontificis & Christiani fœderis violare sanctitatem.* Quæcunque igitur de Turcarum perfidia, deque eludendis eorum artibus arte ac dolo, ibidem ingeruntur, nequaquàm vagè & illimitatè intelligenda sunt, sed cum restrictione ad præsenrem casum & scopum. Accedit insuper quòd Turca ex parte sua etiam in hac ipsa materia fidem priùs violaverit Christianis, quàm hi ipsi: ut proindè hic locum invenerit vulgaris versiculus §. 172. & 173. elucidatus, *Frangenti fidem, fides frangatur eidem*: & illa item Juris Regula ibidem relata, *Frustrà sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat.* Promiserat quippè Turca Christianis, se intra certum diem, pacto pacis expressum, dimissurum captivos, & traditurum civitates, de quibus fuerat conventum. Quod cùm non præstitisset, fœdus ictum violavit; atque adeò Christianos ab ejusdem observatione liberavit: Y. Vide„ batur, inquit Bzovius, quædam quasi op„ portunitas & causa concordiæ repudiandæ; „ quandoquidem Turca ad constitutam diem „ neque captivos omnes solverat, nec dum „ oppidis civitatibusque, quibus oportuit ex fœdere, cesserat'.

CLXXXII. Sed eventus prælij, inquiunt, liquidò ostendit displicuisse Deo perfidiam Christianorum. Consimili argumento in causa Sigismundi Cæsaris usus fuerat Christianus Matthiæ superius §. 175. relatus, & ante eum alij, quibus respondens Molanus: Z. Multi, inquit, valde proni sunt, „ ut de rebus ex eventu judicent; quod „ Plinius non ineleganter annotavit: *Est*, in„ quiens, *omninò iniquum, sed usu tamen re„ ceptum, quod honesta vel turpia consilia, prout „ malè vel prosperè cedunt, ita vel probantur, vel „ reprehendantur*'. Notum sanè est quàm invidiosè olim Ethnici improperârint Christianis minùs prosperum successum rerum temporalium, quasi inde foret consequens eos Deo non esse cordi, aut certè eorum Deum imbecillem esse vel iniquum, qui cultores suos prosperare nequeat aut nolit: A. Ecce, ait in eam rem Cæcilius ethni„ cus, pars vestrûm maior & melior, ut „ dicitis, egetis, algetis, ope, re, fame la„ boratis: & Deus patitur? Dissimulat, „ non vult, aut non potest opitulari suis? Ita invalidus, aut iniquus est'. Et alius quispiam similis apud Arnobium: B. Cùm „ ergo, inquit, omnipotenti Deo servia„ tis, & eum habere confidatis salutis atque „ incolumitatis vestræ curam; cur persecu„ tiones patitur perpeti vos tantas, atque „ omnia genera pœnarum & suppliciorum subire'? Pulchrè & appositè Isidorus Pelusiota: C. Absurdum est, inquit, de rebus „ obscuris aliquid audacter velle statuere'. Omnium porrò in statuenda causa cladis Varnensis absurdissimus videtur Christianus Matthiæ, quippe qui sui ipsius immemor, confidentissimè asseverat, *Causam eius absque ulla dubitatione fuisse icti fœderis violationem, qua impulsu Iuliani Cardinalis facta est*; cùm tamen idem ipse pauculis anteà paginis aliam longè diversam ejusdem cladis causam designasset, nimirùm Regni Hungarici usurpationem ab *Vladislao* factam, extruso injustè proprio Rege *Ladislao*, Alberti

Vide duas Epist. Iuliani Card. ad Eugenium Papam, pro authoritate Synodi Basileensis.

Y. Bzovius ad annum Chri. 1444. n. 97.

PRÆOCCUPATIO.

Z. Molanus l. 3. de Fide heretic. servanda c. 9.

Carus. [illegible] ab [illegible] anda [illegible].

A. Cæcilius apud Minut. in Octavio.

B. Apud Arnob lib. 2. contra Gentes.

C. Isid. Pelus. l. 4. Epist. 58.

Vide supra §. 179.

Cæsaris, ex filia ac hærede Sigismundi Romanorum & Hungarorum Regis, filio. Sic igitur ille ibi de Uladislalo scripserat: D. *Vladislaus* in bello contra Turcas gesto perijt: „ & ita regni alieni usurpati, pœnas dedit; „ & dum *Ladislaum* Regno paterno spoliare „ quæsivit, suum (*Polonicum.*) amisit. Cæca „ est cupiditas hominum, qui non contenti „ civitatibus dominari, Provincias quærunt, „ pôst Regnum; neque etiam sic expleti, „ Regnis Regna cumulare nituntur: nescien„ tes quòd parva res vitam eripiat homini, & „ omnibus pompis ac dominijs nudum in „ monumento reddat. Corpuscula nostra, „ ubi spiritus evolavit, modico sarcophago „ contenta sunt. Quod si *Vladislaus* animad„ vertisset, quietus in regno satis opulento, nunquam Hungariam attigisset". Sed non solus iste, verùm ante eum Thomas Lansius, & ipse Lutheranus, hanc eandem Varnensis cladis causam priorem assignavit. E. Mortuo „ Alberto, inquiens, in filium ejus *Ladislaum* „ adhuc infantem, sceleratè grassati sunt Op„ timates Poloni. Hic enim licèt hæreditario „ jure possideret Hungariam, & apud Albam„ Regalem jam more solenni inauguratus „ esset; illi tamen perfidis Hungaris & priva„ tis cupiditatibus lenocinantes, *Vladislaum* „ Regem suum Polonum in Hungariam de„ ducunt, legitimum Regem puerum Regno „ patrimoniali spoliant, & ea agunt omnia „ quæ prædones in alieno facere sueti. Deus, „ Deus autem innocentiam pueri *Ladislai* re„ spexit, & ultrice dexterâ Polonos clade Varnensi involvit". Nimis proinde audacter, atque ex Pelusiotæ mox relati sententiâ, *absurdè*, nec satis sibi ipsi consonè, Christianus Matthiæ asseverat, *causam cladis absque dubitatione ulla fuisse isti fœderis violationem, impulsu Cardinalis Iuliani factam.* Malignè quoque & invidiosè inducit Regem *Vladislaum* è sepulchro canentem, *Me nisi Pontifices jussissent rumpere fœdus, Non ferret Scythicum Pannonis ora iugum.* Sed nimirùm homo stolidus, & Lutheranici spiritus afflatu percitus, omnem invidiam subactæ per Turcas Pannonicæ oræ in Pontifices derivare studuit: more videlicet veterum ethnicorum, qui odio Christianismi furentes, omnia mala undecunque in Rempublicam grassantia Christianis imputare gestiebant: F. Prætexentes, ut Tertullianus „ ait, ad odij defensionem, illam quoque va„ nitatem, quòd existimarent, omnis pu„ blicæ cladis, omnis popularis incommodi, „ Christianos esse causam. Si Tiberis ascen„ dit in mœnia, si Nilus non ascendit in arua, „ si cælum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim: *Christianos ad leonem*". Ad istorum itaque imitationem Lutheranus ille Historicus invidiam cladis Varnensis derivare voluit in Pontifices, latenter innuens se flagitare *Pontifices ad leonem.* Verùm præter aliam illam cladis Varnensis causam, ab ipsomet agnitam, & ab ipsius consectario *Lansio* proditam, nos alteram adhuc exhibebimus, nihil prorsùs habentem cum Pontificibus commune: G. Prudentiores, ait Bzo„ vius, causam inauspicati belli afferebant, „ sacrilegium militum fuisse: quando castris „ in Bulgariam motis, in sacra Bulgarorum „ Græcorumque nimis licentiosè à militibus „ grassatum est; quorum templa, quasi pro„ fana essent, manu, ferro, igne, cætero„ que omni scelerum instrumento violabant. „ Id verò adeò, ut certè erat, impium vi„ sum est *Vladislao*, ut edixerit, vulgò in„ quiri, ac restitui desiderantibus, quicquid „ inviolatum esse Religione oportuerat: „ asseverans, *Nullius magis quàm ipsorum in„ teresse, abstinere manu à sacris, pro quibus „ arma sumpsissent. Multùm quidem in armis re„ ponendum esse, sed in Deo plurimùm: qui post„ modum in bello non modo opem non laturus fo„ ret contaminatis sacrilegio, sed etiam pro tem„ plis, pro aris, pro sacris suis contra staturus, „ nisi a tam execrabili rapina abstinerent.* Vates „ fuit eâ in re *Vladislaus*, quod eventus probavit".

D Christ. Matthiæ l. 4 Theat. Histor.

E. Lansius Cons. contra Poloniam.

F Tertul. in Apolog. cap. 40.

G. Bzovius ad Annum Christi 1444. n. 38.

CAPUT

CAPUT L.

Quarta eaque verisimilior causa cladis Varnensis memoratur ac defenditur; fœderis nimirum sacri cum Pontifice & alijs Christianis Principibus pridem icti temeratio. Quàm compendiosa Turcis, & dispendiosa Christianis ea temeratio extiterit. Lutheri paradoxum, de non præliando adversùs Turcas, *quàm Christiano indignum, & justè reprobatum? Vladislaum Regem & Iulianum Cardinalem pro Christi nomine mortem oppetijsse perhibet Palmerius, illius ævi Chronologus. Hungaros oppignorasse Turcis sacram Eucharistiam, comminiscuntur quidam Sectarij; sed adeò falsò, ut ne in conspectum quidem impiorum, quantumvis flagitantium, proferre eam annuerint, cùm in fœderis pacta jurarent. Imperatoris Turcici in angustijs positi exclamatio precatoria quàm variè à varijs pro cujusque scopo fingatur ac transformetur. In pactionibus cæteroqui paribus prior tempore potior est jure. Sponsalia posteriora, etiam jurata, cedunt prioribus etiam injuratis. Iuramenta in præjudicium tertij redundantia, vel in dispendium salutis æternæ vergentia, non ligant.*

CLXXXIII. DIssimulemus interim prædictas duas causas, nihil de fœderis icti violatione participantes, invasionem nimirùm iniquam alieni regni, & profanationem sacrilegam templorum atque altarium per Bulgariam: demus causam fuisse violationem fœderis icti, temerationem fidei datæ, diruptionem pacti initi. Sed cùm bina præcesserint fœdera, bis data fuerit fides, bis initum pactum, atque utrorumque intervenerit violatio, temeratio, diruptio: quæro ab adversarijs, cur potiùs violationi posterioris fœderis cum Turcis icti, quàm prioris cum Christianis initi, adscribant infaustum eventum cladis Varnensis? Cur potiùs inducunt *Vladislaum* è sarcophago canentem, *Me nisi Pontifices jussissent rumpere fœdus, Non ferret Scythicum Pannonis ora jugum*; quàm ita plangentem, *Me nisi Pontifici piguisset fœdere necti, Non ferret Scythicum Pannonis ora jugum*? [h]. Eugenius Pontifex, ait „Thomas Bosius, totus in ea cura fuit, ut „Græcorum Imperium à Turcis haud ever„teretur. Quocirca Joannes (*Hunniades*) „tum proprijs Hungarico regno à Turca il„latis damnis permotus, tum Romani Pon„tificis authoritate ad id instigantis excita„tus, sæpiùs Turcarum innumeras copias „fudit. Missa similiter classis in Hellespon„tum, cui Franciscus Albertus Cardinalis „præerat: atque actum prorsùs fuisset de „Imperio ac rebus Turcicis, nisi *Amurathes* „maximis propositis conditionibus, à Rege „Hungariæ & Poloniæ *Vladislao* pacem mercatus esset". Quis Christianæ Religionis utcunque professor inficiari audeat, standum potiùs fuisse fœderi unde Turcico Imperio ruina imminebat; quàm ei unde ejusdem Imperij incolumitas resultabat? Quis item vel sobriè sapiens non judicet, Deo magis displicuisse violationem illius, quàm istius? Quis denique ambigat, infelicem belli eventum adscribere potiùs violationi fœderis in profectum Christianismi magnopere vergentis, quàm in ampliationem Turcismi turpiter cedentis? Nemo profectò Christianus, sed nec pseudochristianus; nisi fortè quispiam è schola Lutheri, cujus inter alios iste fuit Articulus à Leone X. Pontifice damnatus; atque à Martyre Roffensi validissimè confutatus: [i]. *Præliari adversùs Turcas est repugnare Deo, visitanti iniquitates nostras per illos.* Sanè qui tempore cladis Varnensis vixêre ac scripsêre Historici, non dubitant asserere, *Vladislaum* Regem & *Iulianum* Cardinalem in ea pugna peremptos, pro Christi nomine interijsse; quos tamen Lutherani post sæculum nati, pro suo in Pontifices sacrilego odio, dictitant, in pœnam violati cum Turcis fœderis divinitùs plexos: [k]. Triginta fermè, inquit „Palmerius illius ævi Chronologus, Turca„rum millia inter Adrianopolim Danubium„que à Christianis sunt cæsa. In qua pugna „*Vladislaus* Pannoniæ Rex, & *Iulianus* Cesa„rinus Diaconus Cardinalis, & in eo bello „Pontificis Præfectus, pro Christi nomine interierunt".

h Bosius l. [illegible] Eccl. c. 3.

i. Luther Artic. 34

k. Palmer. in Chronic. anno. 1445.

CLXXXIV. Ut autem adversarij persua-

deant,

deant, infaustum eventum cladis Varnensis non violationi prioris fœderis cum Pontifice & Christianis Principibus icti, sed potiùs posterioris cum Turcis initi, imputandum esse; proferunt preces *Amurathis* in angustijs constituti, quibus Christum invocavit vindicem perfidiæ Christianorum erga seipsum, & statim impetravit optatam victoriam: L. *Vladislaus*, inquit Tympius, contra datam fidem bello *Amurathem* invadit; utrinque pugnatur acriter: in progressu cùm premi se & constringi videret *Amurathes*, multis suorum amissis, depromptis è sinu initi fœderis tabellis, & intentis in cælum oculis, magno clamore in hanc vocem erupit: *Christe, si Deus es, ut Christiani tui de te perhibent; vindica perfidiam tuorum, qui contra hæc pacta, per nomen tuum sanctè iurata, bello me invadunt: tuas meásq; iniurias ulciscere.* Mira res, prælij alea mox mutata est, fœderis violati suasores cadunt: *Vladislaus* ipse in medios Turcas impetum faciens equo excutitur; & capite jussu *Amurathis* truncatus, perfidiæ pœnas dedit". Fateor hæc apud Tympium reperiri scripta, sed ex fide Georgij Schedij, cui ne ipsi quidem Sectarij consonant; quorum vix duo reperias, qui secum ipsi non pugnent: ut vel hinc facilè conjicias, voluntatem eos habere mentiendi, artem fingendi non habere. Thomas Lansius §. 182. citatus, fingit Hungaros in pacis pignus tradidisse Turcis hostiam consecratam, quam *Amurathes* in suis angustijs protulerit, exclamans ad eam: *Crucifixe, crucifixe, vide Gentem tuam perfidam, quæ te mihi pignoravit; nihilaque minus adeò religiosè sancitam pacem per summum scelus violavit: Si Deus es aliquis, fac ut periurij pœnas luat.* Quæ fictio adeò portentosa est, ut non existimem quenquam cordatum posse eam sine horrore audire, nedùm legere. Itanè tam efferi, bardi, sacrilegi fuère illi Christiani Catholici, ut Deum suum immanissimo Christiani nominis hosti oppignorarent, & in manus secum comportandum traderent? refert quidem Bzovius, M. Turcas petijsse, ut in confirmandis pacis conditionibus; prolatâ in medium sacrosanctâ Eucharistiâ Rex juraret": verùm ne vel hoc quidem ipsum impetrare à Christianis potuit, obfirmante eos in contrarium Gregorio Sanoceo, cujus sermonem dehortatorium refert ibidem Bzovius, sic incipientem: "Deus, Deus tam execrabile scelus avertat, ut qui paulò antè contra impios pugnantes, omnia tristia difficiliaque perpessi sumus, dum vinceremus: nunc rursùs pro Religione armati, & propemodùm victoriam manu tenentes, sacrosanctum divini Mysterij arcanum, sub profanorum oculis spontè proferamus". In hujus viri sententiam totus concessit exercitus, atque ita Turcæ alio juramenti genere tandem debuerunt esse contenti: ut proindè mirum sit, ausum fuisse *Lansium* plus fingere, quàm Turcas ipsos postulare. Neque enim hi eousque inverecundiæ processerunt, ut Eucharistiam poscerent sibi in pignus custodiendi fœderis consignari, sed duntaxat per ipsum in conspectu positam jurari. Quod quoniàm à Christianis Religione retractis extorquere nequierunt, juramento per Euangelij codicem, citra Eucharistiæ aspectum præstito, contenti, pepigerunt, & abierunt. Neque verò vel hunc ipsum Euangelij codicem in pignus à Christianis acceperunt, sed tabulas duntaxat fœderis à paciscentibus signatas asportaverunt. Has è sinu suo deprompsisse *Amurathem* tempore prælij, refert ex Schedio Tympius mox relatus. Christianus verò Matthiæ nihil omninò de tabularum fœderalium depromptione memorat, sed hòc solummodò ait: N. Certatum est totos dies noctésque tres, fortunâ diu ancipiti, sed tanto animorum ardore utrinque, tantóque impetu, ut cæsorum sanguine campi stagnârint. Primum in Hungarorum exercitum impetum fecerunt xv. Turcarum equitum millia, qui ita excepti fuerunt, ut ijs partim cæsis, partim in fugam actis, *Amurathes* magno metu percelleretur, fugissétque protinùs prodito exercitu, nisi circumstantes Bassæ, comprehenso ejus equi fræno, ignaviam illius increpâssent, mortemque, si suos desereret, comminati fuissent. Retractus ergò, in statione mansit; & cruce Christi in Christianorum acie conspectâ: *Vindica*, inquit, *Christe, si Deus es, hanc tuorum Christianorum perfidiam*". Ecce nulla hìc mentio sive Eucharistiæ prolatæ, sive tabulæ fœderis è sinu depromptæ; sed crucis duntaxat Dominicæ, in Christianorum acie eminùs conspectæ. Illud prætereà hìc observatu dignum videtur, unumquemque istorum authorum affinxisse *Amurathi* eam precandi formulam, quam suo scopo judicavit maximè congruam. Quia enim Schedius, à Tympio relatus, tabulam fœderis ab *Amurathe* depromptam memoraverat, idcircò eum induxit dicentem Christo: *Vindica perfidiam tuorum, qui contra HAEC PACTA, per nomen tuum iurata, bello me invadunt.* Rursùs quia Lansius dixerat Eucharistiam Turcis fuisse oppignoratam, finxit eundem *Amurathem* Christo sic insonantem: *Crucifixe, crucifixe, vide Gentem tuam perfidam, quæ te mihi pignoravit* &c. Denique quia Christianus Matthiæ nec tabulæ fœderis, nec sacræ hostiæ, sed crucis duntaxat in Christianorum acie eminùs conspectæ meminerat: *Amurathi* verba mox relata, tanquam suæ narrationi consentanea, attri-

L. Matthæus Tympius in Theatro Histor. titulo Fœdifragi puniuntur.

Amurathes.

Schedius.

Lansius.

M. Bzovius ad annum 1444. n. 96.

Gregorius Sanoceus.

N. Christianus Matthiæ l. 4. Theatri Historici.

attribuit. Rectè sanè dixit olim in simili Theodoretus: O. Falsitas non solùm veritati, „ sed & sibi ipsi contraria est: veritas autem „ sibi concors, unam rantummodò falsitatem habet infestam". Quoniam igitur supradicti Romanæ Ecclesiæ ejusque Præsulum æmuli, à seipsis multifariàm in præsenti narratione dissident, omnem profectò fidem sibi apud viros cordatos adimunt; & suas historias ludibrio non solùm Christianorum, sed & Turcarum exponunt: qui, ut Cluverus memorat, P. *Amurathem* sui Numinis opem „ implorasse ferunt, maximoque gaudio eam victoriam celebrasse perhibent". Cui Turcarum relationi verisimilitudo quædam accedit non solùm ex prædictorum pseudochistianorum dissidio, sed insuper ex eo, quòd Turcis, circa suum Principem in prælio existentibus, faciliùs innotuerit quid ille in suis angustijs oraverit.

O. Theodoret de Curand. Græc. affectionib. Sermone 9.

P Cluverus in Epitome Historiar.

CLXXXV. Quando igitur causa demeritoria cladis Varnensis inquiritur, rectè quidem violatio fœderis à Christianis facta assignatur: sed fœderis uti prioris; ita & sanctioris ac Deo placitioris; non verò posterioris; quo recessum est à priori, cui præter materiæ præcellentiam favebat etiam temporis prærogativa, juxta Regulam illam Juris in 6. Q. *Qui prior est tempore, potior est iure.* Quis nesciat eum qui sponsalia contraxerat cum una, non solùm illicitè, sed etiam invalidè attentare secunda sponsalia cum altera? Cur ergò dubitemus illicitum invalidumque fuisse fœdus supradictum Christianorum cum Turcis, subsistente adhuc alio fœdere priùs inito cùm Christianis? Nec obstat fœdus Turcicum fuisse juramento firmatum. Nam etiam præsumendum est prius quoque fœdus initum cum Christianis, fuisse similiter juramento firmatum. Ut autem non fuerit, non proptereà cedere debuit secundo, etiam jurato: prout patet in sponsalibus, quæ si præcesserint etiam non jurata, irritabunt sequentia quantumvis jurata: R. Certum est, inquit „ Basilius Pontius, non subsistere secunda „ sponsalia, etiamsi juramento confirmentur. „ Quia juramentum non est vinculum ini„quitatis: sponsalium autem secundorum pro„ missio fuit illicita, utpotè contra fidem datam primæ". Breviter & dilucidè Richardus de Media Villa: S. Notandum, inquit, quòd „ sponsalia contracta promissione juramento „ firmatâ, non solvant sponsalia nudâ promissione contracta". Si autem non solvant, proculdubiò priora in suo vigore durant; atque adeò omnem vigorem posterioribus quantumlibet juratis adimunt. Ut enim juramenta vigorem obtineant, duo de jure intervenire debent: primò quidem, T. *ut in alterius præjudicium non redundent*, deinde *ut observata in dispendium salutis æternæ non vergant*. Hinc Sanchez, innumeros tam Theologos quàm Canonistas adducens, V. Dicendum est, in„ quit, prævalere priora sponsalia: quia ju„ ramentum illud (*secundis adiectum*) fuit de „ re iniqua, & in præjudicium tertij: quo „ casu nullo modo obligat, Reg. *Non est obli-* „ *gatorium*, de Regulis Juris in 6. & cap. *Cùm contingat*, de jurejurando". Cùm igitur hæc ita se habeant in promissionibus, ab uno quopiam, uni factis; quantò magis in fœderibus publicis, quibus se populus populo, aut Principes Principibus vinciunt? Vidit hoc Cardinalis *Julianus*, quando Regem *Vladislaum* cum suis proceribus enixissimè obtestabatur, *Ne datam pro salute Reip. Christianæ sacrosancto Pontifici cæterisque fidem, ullo unquam pacto violandam censerent: initam cum Latinis Græcisq; societatem, fideliter sanctèq; servarent: susceptam ex convento expeditionem, sociorum exemplo prosequerentur: iacta immortalitatis ac gloriæ fundamenta tuerentur: provincias servitute Turcarum pressas liberarent: collata in eos spei satisfacerent: expectationem tunc Gentium fallere caverent, quo nihil turpius esse possit.* Quibus præmissis subjecit hanc exhortationem pariter & comminationem: *Nulla vos initi cum Turca fœderis religio teneat: illud censete nefarium & detestabile, Pontificis & Christiani fœderis violare sanctitatem: Deum, si aliter feceritis, quod cælesti suâ benignitate prohibeat, acerrimum violatæ fidei vindicem fore existimate.* Fuit quidem Deus violatæ fidei vindex satis acer, sed quis scit an non multò acrior futurus fuisset, nisi Rex & Proceres à Cardinale permoti resipuissent, fœdus sacrum jam violatum restaurassent, & profanum temerè superinductum dirupissent? W. Velle namque peccare, ut Bernardus ait, „ malum est; peccare, pejus; in peccato per„ severare, pessimum; nolle pœnitere, mortale". Si ergò ultricem Dei manum senserunt Hungari, quia fœdus sacrum cum Christianis ictum violaverant, & profanum ei contrarium cum Turcis pepigerant; quantò acriorem eandem sensuri fuissent, si nec serò quidem ad pristinum fœdus redijssent, sed in Turcico obstinati perstitissent?

Q Regula 54 Iuris in 6.

PRÆOCCVPATIO.

R. Basilius Pontius lib. 12 de Matr. cap. 14 n. 2.

S Richard. in 4 dist. 27. art. 3. q. 4.

T Cap. Cùm contingat de iureiurando

V. Sanchez l. 1. de Matr. disp. 50. n. 2.

Vide suprà §. 180.

W. Bernard. l. de interiori Domo c. 24.

CAPVT

CAPUT LI.

Mira Sectariorum erga Ecclesiam Romanam ejusque Præsules malevolentia, atque inde promanans calumniandi libentia. Christiani Matthiæ impudens mendacium, Experientiæ perpetuæ consensu certum esse, nulla fuisse unquàm felicia & salutaria vel fœdera cum Pontificibus facta, vel bella de horum consilio suscepta, & administrata. *Opposita veritas nonnullis exemplis persuadetur, & ipsius etiam adversarij secum pugnantis suffragio communitur. Odium Vatinianum Lutheranorum in Pontificem hæreditariè descendit ex ipso eorum Patriarcha Luthero, cui jugum Pontificium visum fuit decuplò pejus Turcico. Infelix eventus prælij Varnensis imputari potest fœderi Turcico, non ut rupto, sed ut icto. Exemplis ex Scriptura petitis ostenditur, displicere Deo confœderationes fidelium cum infidelibus. Machabæorum fœdera, cum Romanis & Lacedemonijs percussa, discutiuntur, & eventu testificante, displicuisse Deo perhibentur. Authorum pro ea sententia suffragia congeruntur.*

CLXXXVI. CVm igitur bina fuerint fœdera ab Hungaris successivè tunc inita, eademque pariter violata; quorum posterioris invectio fuit prioris elisio, & ejusdem abruptio prioris restauratio: quis non stupeat reperiri homines vel ipso saltem nomine Christianos, qui malint infelicem eventum prælij Varnensis refundere in abruptionem posterioris prout erat restauratio prioris, quàm in substructionem ejusdem posterioris quatenùs extitit abolitio prioris? Sed nimirùm Sectarios illos adeò dementavit malevolentia erga Pontificem, ut omnem Christianorum infelicitatem in caput ejus per fas & nefas detorquere studeant. Hinc quispiam eorum postquàm infausticatum prædictæ pugnæ Varnensis exitum memorasset, & Regi *Vladislao* funestum Epitaphium §. 179. relatum adscripsisset, hæc subdidit [x]. Hoc modo *Vladislaus* rebus Christianis detrimentum summum, hostibus ad acquirendum & stabiliendum Orientis Imperium opportunitatem summam attulit; siquidem tota Christiana Respublica Turcis postmodùm quasi præda fuit. Adeò consensu experientiæ perpetuæ certum est, nulla fuisse unquam felicia & salutaria vel fœdera cum Pontificibus facta, vel bella de horum consilio suscepta, & administrata; præsertim ubi causæ fuerunt aliquâ Religionis specie vestitæ, aut cùm fuit spectata & quæsita dignitatis aut potentiæ Pontificiæ amplificatio". Cui meritò regeritur illud Augustini adversùs Faustum similiter calumniantem [y]. O lascivia immunda, sine fronte adhuc ista garris, adhuc pascis ventos, adhuc amplecteris idola cordis tui"! Vel illud Hieronymi ad Ruffinum [z]. Usqueadeonè obdurasti frontem, ut mendacium ponas spem tuam; & existimes te protegi posse mendacio, & quicquid finxeris, tibi credendum putes"? Excæcavit te certè malevolentia tua ut non modò dissimulares, sed & pernegares ea quæ in eodem libro tuo superiùs tradideras, cùm *Caroli Magni* gesta recenseres; cui feliciter successit expeditio in Italiam adversùs Longobardos, consulente & invitante Pontifice, suscepta; prout ipse ibidem perhibes. Quinimò apud te illic leguntur hæc verba generalia, quibus tuam asseverantiam mox relatam evertis: *Cogitationibus & cœptis Caroli Magni fortuna & successus adfuit prosperrimus. Est enim felicitas fortuna adjutrix consiliorum bonorum.* Et tamen Carolus pleraque, si non omnes, celebriores suas expeditiones, de consilio, vel instinctu Pontificum suscepit. Sed, ut dimissis vetustioribus ad recentiora tecum descendam; nunquid felix fuit eventus belli, quod *Carolus* V. Pontifici confœderatus, & ab eodem persuasus, suscepit in Germania adversùs tuos Protestantes, quorum alligavit Duces in compedibus, & nobiles in manicis ferreis? Vide quæ tu ipsemet de hoc bello scribis in eodem libro tuo, tractans de Carolo V. sub titulo, *Bellum Caroli Imperatoris contra Protestantes*: & profectò perspicies, non solùm falsò, sed & fallaciter jam suprà dixisse te, ac scripsisse, *Consensu experientia perpetua certum esse, nulla fuisse unquam felicia & salutaria vel fœdera*

[x] Christian. Matthiæ l. 4 Theatri Historici in Frederico 3.

[y] Aug. l. 15. contra Faustum cap. 6.

[z] Hieron. lib. 3 contra Ruffin. c. 2.

Vide Lindesanum Dialogo 3. Dubitantij c. 10.

fœdera cum Pontificibus facta, vel bella de horum consilio suscepta, & administrata. Non video sanè quemadmodùm elabi hinc possis, nisi fortè dicendo te ex profectu vel defectu tuorum Lutheranorum metiri felicitatem infelicitatemque bellorum: ut proindè juxta tuas regulas, bellum Cæsareum adversùs Protestantes infelix fuerit, eò quòd Lutheranis tuis infeliciter cesserit. Sed quid dicturus es de pugna Naupactensi adversùs Turcas anno 1571. ab Hispanis & Venetis Pontifici confœderatis felicissimè peractâ? An fortè etiam Turcas eodem loco habes quo & tuos Lutheranos, propter assertionem Lutheri §. 185. relatam? Hoc profectò haud gravatè sibi persuaderi patietur, qui Reverendissimi *Lindani* Tractatulum pervolverit, cui titulus: *De Concordia hæreticorum istius temporis, cum Christomachis, Iudæis, & Turcis Mahumetanis.* Si cui autem non vacet aut non libeat illius *Concordiæ* Articulos percurrere, saltem animadvertat quantâ consensione Lutherani cum Turcis in odium & execrationem Romani Pontificis conspirent: & facilè sibi persuadebit, Lutheranis ex præscripto sui Patriarchæ viventibus feliciores & salutariores videri victorias Turcarum de Papa & ejus confœderatis reportatas, quàm horum de illis. Lutheri enim vox est: A. "Quid mali facit Turca? Occupat provincias, & gubernat temporaliter. At hoc ipsum à *Papa* quoque pati oportet; qui corpus & vitam nobis excoriat; quod *Turca* non facit. Ad hæc *Turca* permittit unumquemque in fide sua permanere, quod *Papa* non facit; sed cogit universum Mundum à fide Christi ad sua diabolica mendacia: ut regimen *Papæ* in corpore, bonis, & animâ, decies pejus sit, quàm Turcæ: & si *Turcam* expugnare velimus, à *Papa* incipiendum nobis esset".

Lindanus.

A. Luther. l. cont. Bullam cœnæ, ad articulũ ejus 6.

CLXXXVII. Non solùm autem ratione prioris fœderis cum Pontifice & socijs initi, sed etiam ex intrinsecis suis circumstantijs illicita fuit illa Hungarorum cum Turcis conventio, quam *Iulianus* Cardinalis rumpendam persuasit, & infausto eventu prælij Varnensis Deus in Christianis vindicavit. Neque enim fas est fidelibus, absque magna necessitate utilitateque, amicitiam cum Dei & Ecclesiæ matris suæ hostibus inire. Nullam autem tunc subfuisse necessitatem vel utilitatem incundi pacem aut amicitiam cum Turcis, patet ex concione *Iuliani* ad Regem & Proceres, §. 180. relatâ. Quinimò magnam fuisse utilitatem prosequendi tunc bellum, indicant illa *Bosij* verba §. 183. descripta: *Actum prorsùs fuisset de Imperio ac rebus Turcicis, nisi Amurathes maximis propositis conditionibus, à Rege Hungariæ & Poloniæ Vladislao pacem mercatus esset*: indicant item Cluveri verba §. 179. digesta, quibus perhibet, *Regem Vladislaum, Ioannis Hunniadis auspicio, tam strenuè adversùs Turcas gessisse, Georgium Despotam in integrum restituisse, Amurathem felicibus prælijs eò redegisse, ut pacem ipsius arbitrio jaceret, Hungaris Serviam Moldaviamve relinqueret.* Quis ambigat, superbissimum Tyrannum præsentissimo exitij periculo expositum se animadvertisse, quando eò usque demittendam suam sublimitatem censuit, ut hostili arbitrio pacem sanciendam committeret? B. "*Amurathes*, inquit Bzovius, audito Carmanici belli periculo, ita animo consternatus est, ut de pace cogitationem susceperit. Cùm enim toties se ab Hungaris & Polonis, auspicijs Pontificij Legati, fusum fugatumque reputabat, pensatis quoque Carmani viribus, omnem in Europa Asiaque victoriam desperabat. Succurrebant Pontificis auxilia, Italorum opes; cum Burgundionum viribus unà conjunctæ, quæ terrâ marique plurimùm posse viderentur. Quare nihil ultiùs in mentem veniebat, quàm conjurante in se uno tempore simul Europâ, & non parva ex parte Asiâ, de pace cogitare; quam propagandi olim Imperij cupiditate semper abominabatur". Patet igitur eam pacem non Christianis necessariam fuisse, sed Turcis; nec Christianis proficuam, sed prorsùs nocivam, Turcis autem opportunam ac salutarem. Ex quo consequenter educet, eam fuisse à Christianis illicitè initam, etiam secluso interventu anterioris fœderis cum Pontifice alijsque Principibus icti: *Quæ enim participatio*, inquit Apostolus, *justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli?* Habent Reges ac Principes Christiani exemplum sibi imitandum, à Davide Rege sanctissimo relictum, qui aiebat Deo: *Nonne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderã illos, & inimici facti sunt mihi.* C. "Oderimus, inquit Cyrillus, qui digni sunt odio, aversemur eos quos aversatur Deus: dicamus & ipsi confidenter ad Deum, universorum de omnibus hæreticis (*idem est de Turcis*). *Nonne odio habentes te oderam Domine, & super inimicos tuos tabescebam?* Sunt enim & inimicitiæ quædam bonæ, quemadmodùm scriptum est, *ponam inimicitias inter te, & semen eius*. Amicitia enim cum serpente, inimicitiam Dei, & mortem efficit". Cùm Deus veterem suum populum introducturus esset in terram promissionis, quæ introductio figurabat introductionem Ecclesiæ Christianæ in terram Gentilium undequaque diffusam, ait ei inter alia: *Cave ne unquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias.* Et mox iterum, *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum.* Quinimò cùm ille ipse populus Dei, post adeptam terræ promissæ possessio-

Bosius.

Cluverus.

B. Bzovius ad an. 1444. num. 94.

2. Cor. 6. 14. & 15.

Ps. 138. 21. & 22.

C. Cyrillus Hierosolym. Catechel. 16. Vide Greg. de Cura pastor. parte 3. cap. 23.

Gen. 3. 15.

Ex. 34. 12.

Ibid. v. 15.

possessionem, divideretur in duos, quorum alter in pristina Dei Religione permansit, alter peregrinum cultum invexit; noluit Deus priorem cum posteriori amicitiam inire, aut fœdus icere. Refert autem Scriptura, quòd *post hac inierit amicitias Iosaphat Rex Iuda cum Ochozia Rege Israël, cuius opera fuerunt impyssima: & particeps fuerit ut facerent naves qua irent in Tharsis, feceruntque classem in Asiongaber.* Sed quid subsecutum sit, audi: *Prophetavit autem Eliezer filius Dodau de Maresa ad Iosaphat, dicens; Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritaque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis.* Idem quoque Iosaphat pridem inierat amicitiam cum Achabo, patre istius Ochoziæ, affine suo, præbueratque ei auxilium in bello adversùs Regem Syriæ. Sed reverso in Hierusalem *occurrit Iehu filius Hanani Videns, & ait ad eum: Impio prabes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitiâ iungeris: & idcircò iram quidem Domini merebaris, sed opera bona inventa sunt in te* &c. Ex quibus apparet, displicere Deo non solùm fœdera, sed ipsas etjam amicitias suorum, cum suis hostibus: sicut videmus displicere terrenis Principibus amicitias subditorum suorum, cum ijs, quibus ipsi extiterint hostes. Quapropter cùm Hungari nullâ necessitate compulsi inierint cum *Amurathe* pacem, Reip. Christianæ non modò inutilem, sed & noxiam, Turcis autem Christiani nominis hostibus perutilem; non est unde in suo illo facto excusentur, sed est unde culpentur.

2. Par 20. 35 & 36. Vide Pseudochrysost. Hom. 1. Op. imperf in Matthaeum. Ibid. v. 37.

2. Par. 19. 2. & 3.

PRÆOCCVPATIO.

CLXXXVIII. Nec est quòd in excusationem Hungarorum obtendatur exemplum Machabæorum, cum Romanis & Lacedæmonijs *amicitiam societatemque* ineuntium, ac renovantium. Nam inprimis ex mox dictis patet, Hungaros nullâ necessitate pressos, aut utilitate publicâ allectos, pepigisse pacem cum Turcis. Machabæos autem necessitate quâdam adactos percussisse fœdus cum infidelibus illis, indicat Scriptura, quæ refert eos misisse suos Legatos Romam, *constituere cum illis amicitiam & societatem, & ut auferrent ab eis iugum Græcorum, quia viderunt quod in servitutem premerent regnum Israël.* [D] Ego, ait de eis Molanus, factum illorum damnare non ausim. „Romanos enim socios & amicos sibi esse „voluerunt, urgente necessitate; *ut auferrent „iugum Græcorum, quod regnum Israël in servitutem premebat.* Prætereà, considerabant nomen „Romanorum; eosque multa regna, & insulas, „& metalla auri atque argenti in potestatem „redegisse. Quæ omnia fusè cap. 8. libri 1. „Machabæorum recensentur. Tertiò attendebant, exterminari ab eis illos, qui aliquando restiterant. Quartò audiebant eos „acquiescere ad omnia quæ postulabantur, „multosque statuere cum eis amicitias, quas „amicis suis, qui in ipsis requiem habebant, „conservabant. Quintò considerabant quas „virtutes bonas fecerant in Galatia, & in „Regione Hispaniæ; quodque suo consilio „& patientiâ obtinuerant regna, quæ erant „proxima, & quæ erant longè. His omnibus consideratis judicarunt Principes viri, „necessariam esse amicitiam & societatem „cum Romanis, ut & præsens Græcorum „jugum excuterent, & prudenter sese „præmunirent contra alia pericula, quæ „porrò à Romanis subsecutura videbantur". Simili penè modo eosdem Machabæos excusandos censet Serarius: [E] „Permittunt divina præcepta, inquiens, suadetque naturæ lex, ut ob sui defensionem, humana divinis præsidia jungantur; vita, patria, Religio humanis etiam armis propugnetur: ideoque & ijs etiam modis ac rationibus, quæ neque per se injustæ, neque „aliàs à Deo vel Magistratu ullo vetitæ sunt. „Fœdera sanè ac societatem coijt olim *Abraham* cum *Eschol* & *Aner* Gen. 14. 13. cum *Abimelech* & *Phicol* Gen. 21. 24. & 27. & 32. „Similiter & *Isaac* cum *Abimelech, Ochozath* & „*Phicol* Gen. 26. 28. & 31. *Iacob* cum *Laban* „Gen. 31. 44. & 53. *David* cum Rege filiorum „*Ammon* 2. Reg. 10. 1. *Asa* cum *Benadado* Damasci Rege 3. Reg. 15. 19. cum alijs alij: licèt „eorum quidam interdùm peccarint, quòd „modum, in omni actione humanâ necessarium, non tenerent; dum in hominum viribus & opibus, quàm in Deo ipso, plus spei ab ijs collocaretur". Hæc sunt quæ pro excusanda Machabæorum confœderatione cum Romanis proferri solent: quibus in Spartiatarum seu Lacedæmoniorum causâ accedebat insuper quædam sanguinis propinquitas, ab ipsis etiam Spartiatis recognita, dicentibus, *Inventum est in Scriptura de Spartiatis & Iudæis, quoniam sunt fratres, & quòd sunt de genere Abraham.* Quam fraternitatem Iudæi quoque non abnuunt, prout indidem v. 6. 7. 10. & 11. claret.

1. Mach. 8. 17. & 1. Mac. 12. & 14.

1. Mach 8. 17. & 18.

D. Molanus l. 1. de fide heret. serv. cap. 21. Vide Torniel. ad an. Mundi 3899 n. 10. à Salian. ad an. 3894. n. 98. & seqq. & Menoch l. 9. de Rep. Hebræor. c. 9. n. 10 & Cornelium à Lapide 10 cap. 8. lib. 1. Machab.

E Serar. in cap. 8. & 12. lib. 1. Mach. q. 11.

1. Mach. 12. 21.

CLXXXIX. Deindè prædictam excusationem Hungarorum nequaquàm admittent, qui ipsum machabæorum factum, pro exemplo obtensum, excusare renuunt, accusare non formidant. Quamvis enim necessitas tunc premens potuerit fortassis Machabæos excusare quoad pactionem amicitiæ cum illis infidelibus, non tamen quoad ictionem societatis ac fœderis, utrosque obligantis ad reciprocè auxiliandum in omnibus bellis hinc indè suborturis. Neque enim licitum fuisset Machabæis auxiliari Romanis in bello non justo, sive offensivè, sive defensivè suscepto: quem tamen casum non fuisse in confœderatione initâ exceptum, patet ex tabulis fœderis 1. Machabæorum 8. à versu 23. relatis.

tis. Deindè ipse recursus ad auxilium illud humanum ac profanum videbatur provenisse ex quadam diffidentia auxilij divini, quo Machabæi eatenùs fuerunt sic adjuti, ut hostiles impetus feliciter eluserint, sicut ipsi fatentur in sua ad Spartiatas Epistola, dicentes: *Circumdederunt nos multa tribulationes, & multa prælia, & impugnarunt nos Reges qui sunt in circuitu nostro. Noluimus ergò vobis molesti esse, neque cæteris socijs & amicis nostris in his prælijs. Habuimus enim de cælo auxilium, & liberati sumus nos, & humiliati sunt inimici nostri.*

1 Mach. 12. 13. & seqq.

F. Judas Machabæus, ait quidam, primus "omnium fœderibus Romanis iter aperuit; primus etiam infelici interitu confestim pœnas dedit. Nam eodem ipso anno, ac penè mense, antequàm Legati Româ redijssent, ipse Judas cum flore exercitus prostratus est, unus fratrum interfectus, alij duo, Jonathas & Simon, velut exules in desertum pulsi, tota regio cum urbibus & præsidijs in Demetrij potestatem tradita, talisque *facta tribulatio in Israël, qualis non fuit ex die, quâ non est visus Propheta in Israël.* Iste fructus primi fœderis cum infidelibus, quo se perspicuè, dum ab hostibus Dei subsidium petunt, divinâ protectione nudaverunt. Qui enim oppressam Rempublicam, divino fretus auxilio, exiguâ suorum manu à casu suo erexerat; ad infideles conversus, eam stantem florentemque præcipitavit. Jonathas, Judæ frater, & in Principatu successor, divinorum immemor mirabilium, post annos paucos idem fœdus cum Romanis renovavit. Quo fructu, vide. Nondum reversis Hierosolymam Legatis, ipse cum duobus filijs, & mille viris proditione Tryphonis interfectus est; & Respublica iterum in summum conjecta periculum, ac trepidationem. Simon fratrum ultimus, necdum edoctus Deo potiùs quàm infidelium fœderibus fidendum esse, tertiò cum Romanis nexuit societatem. Sed ecce ipse tertius, cum duobus itidem filijs, à proprio genero Ptolemæo in convivio trucidatus est". Meminisse potuerunt ac debuerunt Principes isti, exprobrasse jampridem Deum Regi Juda, quòd *habuerit fiduciam in Rege Syria, & non in Domino Deo suo.* Quod si præstitissent, nequaquàm ad extranea sive Romanorum, sive quorumlibet aliorum infidelium auxilia recurrissent; sed in eo fiduciam fixissent, de quo scriptum est, *Oculi Domini contemplantur universam terram, & præbent fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum*: de quo item scriptum est, *Non est Domino difficile salvare, vel in multis, vel in paucis*. Unde cùm Amasias Rex Juda, præter exercitum ex subditis suis fidelibus collectum, conduxisset extraneas copias de schismatico regno decem tribuum, *venit homo Dei ad illum, & ait: O Rex, ne egrediatur tecum exercitus Israël: non est enim Dominus cum Israël, & cunctis filijs Ephraim. Quòd si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus: Dei quippè est adjuvare, & in fugam convertere.* G. Vides, ait quidam, quia nec "dare oportuit auxilium inimicis Dei, nec ab eis accipere"? Et mox rationem hujus dicti assignans subdit: "Qui enim petit auxilium ab inimicis Dei, de auxilio Dei desperat, utiliores sibi existimans inimicos Dei, quàm Deum: qui autem dat auxilium inimicis Dei, adversatur Deo. Deo enim volente conterere inimicum suum, ipse eum defendere tentat". Et alius: H. "Malorum amicitijs, inquit, cùm incautè jungimur, culpis ligamur". Et mox iterum ibidem: "Ab illo qui summè rectus est, eo ipso jam discrepat, quo perversorum amicitijs vita nostra concordat". Et Hincmarus Rhemensis: I. "Cavendum est Principibus, inquit, ne sceleratorum amicitijs conjungantur, vel hujusmodi in familiaritate suscipiant". Et hujus olim prædecessor Fulco, Carolo Francorum Regi scribens: K. "Quis, inquit, vobis fidelis non expavescat, vos inimicorum Dei amicitiam velle"? Et mox iterùm ibidem: "Nihil enim distat, utrum quis se paganis societ, an abnegato Deo idola adoret".

F. Alex. Patricius l. 2. Martis Gallici cap. 42. Vide Emanuelem Sa in caput 9. 1. Machab. & Coretum in Antipolitico cap. 5.

1 Mach. 9. 27.

2. Par. 16. 7.

Ibidem v. 9.

1. Reg. 14. 6.

2. Par. 25. 7. & 8.

G. Pseudo-Chrysost. Hom. 1. Op. imperf. in Matthæum.

H. Greg. de Cura Past. p. 3. cap. 28.

I. Hincmarus Epist. 4. cap. 11.

K. Fulco Rhemensis apud Flodoardum l. 4 Histor. Rhem. c. 5.

CXC. Porrò quia nonnulli indignanter ferunt, Machabæorum pugilum nomini labem ullam ignominiæ aspergi, operæ pretium fuerit disquirere, num sententia eos sugillans ob initam cum infidelibus societatem, ullum ex antiquioribus habeat patronum? Habet sanè, non modò è Judæis, sed è nostris etiam Christianis. Et quidem è Judæis Iosippum pro ea citat Serarius qu. 23. superiori §. citatâ. E Christianis eandem ante annos penè quingentos amplexus est Petrus Blesensis, non solùm in ijs quæ ex propria persona scripsit, sed in ijs quoque quæ sub Reginæ Anglorum nomine ad Romanum Pontificem Celestinum exaravit. Ex propria quippè persona scribens, L. "Machabæorum Principes, ait, quamdiu in Domino confisi sunt, de hostibus suis reportavere titulos triumphales: at ex quo inierunt fœdera cum Romanis, miserabiliter in prælio corruerunt". Et rursùs in Canone Episcopali: "Recolis Machabæos, inquit, qui quoties Romanorum imploraverunt auxilium, eorum amicitia Principibus & populis Israël versa est in singultum". Ex persona denique Aleonoræ Anglorum Reginæ ita alloquitur Papam Celestinum Epistolâ 146."

Iosippus.

L. Petrus Blesensis Epist. 142. Vide Coret. in Antipolitico cap. 5.

" Pugnas Judæ, Ioannis, Simonis, Macha-
„ bæorum fratrum, cælestis dispensatio felici-
„ bus prosperabat auspicijs: missâ verò lega-
„ tione sibi firmantes amicitiam Romano-
„ rum, Dei perdiderunt auxilium; nec eis
„ semel, sed sæpiùs venalis eorum familiari-
tas versa est in singultum". Pridem quoque
M. Rupert. l. 10. de Victoria Verbi Dei c. 26.
ante Blesensem Rupertus Abbas eandem tra-
diderat sententiam. M. Subobscurum quid-
„ dam, inquiens, fratribus victoriosis in me-
„ dio suæ claritatis accidit, Judæ, Jonathæ,
„ atque Simoni; quòd videlicet victorijs cla-
„ rificati, ultrò miserunt, societatem & ami-
„ citiam statuere cum Romanis, potentibus
„ & famosis. Quamvis enim super hac re non
„ culpet eos Scriptura, res gestas continens
„ ipsorum; nihilominùs tamen animadver-
„ tere promptum est, non fuisse tutum coram
„ Deo, neque lege concessum Judæis, ut ex-
„ peterent amicitias Gentium. Verumtamen
„ sicut fuerunt in vita sua, ita & post mor-
„ tem gloriosi sunt: quia si quid pulveris,
„ aut pulvere vanitatis taliter admiserunt,
„ omninò deletum est citâ subsequente mor-
1. Mach. 8. 17.
„ te singulorum. Denique Judas primus *mi-*
„ *serat Romam constituere cum illis amicitiam &*
„ *societatem*; & intereà Demetrius Rex post
„ casum Nicanoris & exercitûs ejus apposuit
„ Bacchidem & Alcimum rursùs mittere in
1. Mach. 9. 21.
„ Judæam, & in illo prælio *cecidit ille potens,*
„ *qui salvum faciebat populum Israël.* Deindè
1. Mach. 12. 1.
„ Jonathas Romàm miserat, *statuere & reno-*
„ *vare cum illis amicitiam*: & postmodùm à
„ Tryphone dolis circumventus, & occisus
1. Mach. 14. 24.
„ est. Similiter Simon misit *renovare cum illis*
„ *amicitiam*: nec multùm pòst à genero suo
„ Ptolemæo per insidias interfectus est. Ta-
„ les eventus singulorum fines obscurare vi-
„ dentur, quòd videlicet in eo sibi cæleste
„ diminuerint auxilium, cum quærunt à sæ-
„ culi hominibus quasi pacis & securitatis fir-
mamentum". His addi potest Hegesippus ille junior, cujus extant de Excidio Hierosolymitano Libri quinque cum Anacephalæosi, origine fortè Judæus, sed Religione Christianus: qui postquàm Judæ ac Jonathæ Machabæorum fratrum vitas necesque memorasset, subdidit de Simone eorundem superstite fratre: N. Posteà rei summam Simon
N. Hegesip. l. 1. Excidij Hierosol. cap. 1.
„ suscepit: ad quam non rudis, sed jam pro-
„ batus fraternæ societatis triumphis appro-
„ pinquavit: utinam ipse tam perspicax ad
„ fraudes cavendas, quàm manu validus, bel-
„ landique artibus satis spectatus. Etenim
„ cum virtutis ope Romanorum Ducibus
„ Regibusque Gentium fœderasset amici-
„ tiam, Ptolemæi generi sui dolo ad convi-
„ vium rogatus, inter mensas & pocula cum
„ duobus filijs præsentibus, circumventus,
„ atque armis exutus, impiè neci traditur".
Quinimò non cunctatur idem hic Scriptor extremam quoque Judæorum ruinam societati cum Romanis initæ, tanquam originali occasioni, imputare. In Prologo quippe ejusdem Operis perhibet, " Iudæos fuisse sibi
„ propriæ cladis authores: primùm quidem,
„ quòd Romanos alia curantes in se con-
„ verterint, & ad regni sui cognitionem in-
„ vitaverint, quibus ignorari satius fuisset:
„ rogaverintque amicitiam, fidem non ser-
vaturi". Quanquam etenim prædicti tres fratres successivè principantes, suppetias militares à Romanis sibi sociatis non petierint, sed in nudis eorum fœderibus substiterint: ipsorum tamen posteri, pristinâ renovatâque confœderatione nixi, ulteriùs progressi etiam suppetias implorarunt, & maximo suo ac totius Gentis malo impetrarunt. Nam Hircanus & Aristobulus inter se Principatu concertantes, primùm à Scauro, ac deinde à Pompeio, auxilium proposcerunt, & Romanas copias in patriæ viscera introduxerunt. Paulò pòst subsecuta est urbis regiæ per eosdem Romanos facta obsidio, templi sancti profanatio, Reipublicæ subjugatio, Hircani interemptio, Aristobuli abductio ac subextinctio, filiorum ejusdem decollatio, Judaici sceptri in Herodem alienigenam à Romanis rerum dominis facta translatio, denique extrema totius Gentis per eosdem Romanos invecta desolatio.

CAPUT

CAPUT LII.

Proponitur difficultas de obligatione Principum ad præstandum hæreticis libertatem impunitatemque pacto promissam. Quædam licitè promittuntur, & promissa licitè præstantur: quædam ex adverso illicitè promittuntur, & illicitè etiam promissa præstantur: quædam item licitè promittuntur, sed illicitè præstantur: quædam denique illicitè promittuntur, sed licitè promissa præstantur. Hæreticorum toleratio ad singula trium priorum membrorum spectare potest. An quoties hæreticis licitè impenditur toleratio, licitè quoque adjiciatur ejusdem tolerationis pactio? Varij recensentur tituli, quibus obstringuntur Catholici Principes non tolerare in suis ditionibus hæreticos absque premente necessitate, multò minùs inire pactum impunitatis cum ijsdem. Refertur & refellitur sententia neoterici cujusdam Jurisconsulti, contendentis licere unicuique à pactis resilire, quoties contingit statum rerum alterari. Familiare Pœnis fideifragium fecit, ut Fides Punica *abierit in proverbium.*

CXCI. PEr ea quæ proximis septem capitibus discussa ac decisa sunt super quæstione *de servanda hæreticis fide*, patefactus est aditus expediendi difficultatem initio capitis 45. propositam, sed huc usque, ex causa ibidem insinuatâ, remissam: videlicet, *An Princeps Catholicus teneatur servare hæreticis suæ ditioni subiectis libertatem impunitatemve, etiam illicitè promissam, mutuoque partium consensu solemniter pactam?* Ubi inprimis ex ibidem dictis recolendum est, *Multa illicitè fieri, quæ tamen facta teneant*: prout, exempli gratiâ cernere licet in matrimonio, quod ab obstrictis simplici castitatis voto, aut præoccupatis aliquo alio obice merè impediente, illicitè quidem contrahitur, contractum nihilominùs roboris obtinet firmitatem. Similiter & de promissione ejusque impletione censendum fuerit, multa nimirum illicitè promitti, quæ tamen promissa debeant præstari: prout cernere est in sponsalibus, illicitè quidem, sed validè tamen initis. Itaque non semper promissionis illicitæ impletio est illicita, sed interdum debita consequenterque licita; cùm repugnet deberi, quod licitè nequit præstari. Generaliùs proinde rem istam considerando, quadrimembris adhiberi potest divisio; juxta quam nonnulla licitè promittuntur, & licitè quoque promissa præstantur; alia ex adverso illicitè promittuntur, & illicitè pariter præstantur; alia item licitè quidem promittuntur, sed illicitè præstantur; alia denique illicitè promittuntur, licitè verò promissa præstantur. Primi membri exempla habemus in votis religionis, debitè ac sine ullo obice emissis; & generatim in ijs promissionibus quæ nec ex parte objecti, nec ex parte promittentis aut promissarij; nec ex parte modi quo fiunt, ullam habent indecentiam sive cùm nuncupantur, sive cùm nuncupatæ præstantur. Secundi membri exempla habemus in promissionibus habentibus indecentiam ex aliquo prædictorum capitum, & cùm nuncupantur, & cùm præstantur: ut si quis promittat se futurum, adulteraturum, mentiturum, idola adoraturum, aut aliud quidpiam lege vetitum patraturum. Tertij membri exemplum habemus in promissione nuptiarum sine ullo obice vel indecentia factâ, cui ante impletionem supervenit impedimentum matrimonij prohibitorium aut diremptorium. Quarti membri exempla habemus in promissionibus, quæ lege vel præcepto inhibente quidem, non tamen irritante, fiunt: ut sunt sponsalia, invitis rationabiliter parentibus aut tutoribus, à prolibus vel pupillis inita: item promissiones prodigæ, quæ sine peccato impleri possunt: necnon promissiones sub conditione turpi factæ, ut promissio facta meretrici sub conditione impetrandi ab ea illicitam copulam: quâ impetratâ, præstandum erit quod fuerat promissum: ⁶. Etenim, ut „ait Covarruvias, dare mulieri aliquam „pecuniam pro usu venereo, antequàm is fe- „quatur, malum est: quia datio illa im- „petratur à luxuria, & à prava sensualita- „te procedit. At datio pecuniæ meretri- „ci promissæ, cùm ea fit post actum vene- reum,

6. Covarr. ad regulam Peccatum, p. 2. §. 2. n. 1.

„ reum, mala non est; sed actus justitiæ, à nullo vitio imperatus". Et rursus ibidem post pauca: " Sententia, inquit, quâ asseritur, „ promissionem factam meretrici servandam „ esse, etiam apud judicem exteriorem, & „ promittentem cogendum fore ad promissi „ solutionem, probatur Gen. cap. 38. quo in „ loco *Iudas* mercedem promissam *Thamar*, „ quæ habitum meretricium assumpserat, ob „ fornicationem, eidem solvit, & misit, post „ ipsum actum venereum: profectò non „ aliâ ratione, quàm quòd teneretur merce- „ dem promissam meretrici solvere. Illud „ enim mendacium perniciosum futurum „ esset, & haberet annexam injuriam, si *Iudas* „ promissum non reddidisset: quod & Divus „ Thomas notavit in 4. Sentent. Dist. 33. q. 1. art. 2. ad 1". Cæterùm cur in præsenti casu promissio potiùs illicita sit, quàm præstatio, ratio obvia est: quia nimirùm promissio præcedit actum venereum illicitum, & est inductiva in ipsum, atque adeò trahit malitiam ex ipso, ut causa ab effectu suo: præstatio autem mercedis promissæ non præcedit illicitum coitum, nec ullum habet influxum in illum: sed, uti supponitur, subsequitur ipsum, nec ex affectu luxuriæ, sed fidelitatis ac justitiæ fit. Quòd si verò quis anticipativè persolvat meretrici mercedem fornicationis, eâque anticipatione eam ad illicitam copulam illiciat, persolutio ista sive præsolutio erit illicita, ob eandem rationem ob quam & promissio eidem copulæ pariter præmissa. Rursùs ex adverso si quis sine prævia promissione vel donatione cum meretrice concubuisset, & post patratum actum venereum ultrò mercedem promitteret, promissamque præstaret, is nec promittendo, nec præstando peccaret: quia nec promittendo, nec præstando, in actum illicitum, quippe jam transactum, induceret, aut quoquo modo influeret.

CXCII. His ita præmissis superest investigandum, ad quodnam è quatuor prædictis membris spectet promissio libertatis sive impunitatis hæreticis facta à Principe Catholico pro sua ditione? Ubi inprimis illa se discutiendam offert quæstio, utrùm hujusmodi promissio semper sit illicita, an verò in certis circumstantijs esse queat licita? Diximus quidem superiùs cap. 40. posse Catholicum Principem in certis casibus ibidem relatis tolerare hæreticos in sua ditione, sed nondum decîdimus utrùm hanc suam tolerantiam possit promittere, atque adeò in pactum promissorium deducere? Censet Molanus unum ex altero esse consequens, ita scribens: [P]. Sicut licet aliquandò, justis „ & gravibus de causis, Religionis libertatem aliquam hæreticis concedere, non qui- „ dem probando malum, sed tolerando: ita „ licet quoque de tolerando pactum inire. „ Potest enim in pactum deduci, quicquid facere licet". Quæ doctrina si vera sit, soluta censenda est præsens quæstio de promissione sive pactione, ex tradita superiùs decisione super hæreticorum toleratione. Nam si licitè in pactum deducitur quicquid licitè toleratur, proculdubiò licitè promittitur quicquid licitè toleratur: siquidem quisquis cum altero paciscitur, observationem pacti pollicetur. In ijs ergò casibus, quibus juxta doctrinam cap. 40. traditam, licita fuerit hæreticorum toleratio, licita pariter erit libertatis impunitatisve eisdem facta promissio, sive in pactum deductio. Quando enim hæretici tolerantur, nihil aliud fit, quàm quòd liberè & impunè suos ritus exercere ac dogmata prædicare sinantur. Licebit igitur ex Molani sententia, libertatem impunitatemve hæreticis pacto promittere, quoties licitum fuerit eosdem in rituum suorum exercitio ac dogmatum prædicatione tolerare. Sed profectò illa Molani doctrina, nisi benignâ interpretatione temperetur, admittenda nequaquàm videtur. Neque enim quoties licitum est id quod minus est, licitum erit id quod majus est. Atqui minus est tolerare hæreticos, quàm libertatem vel impunitatem pacto promittere hæreticis. Non ergò ex eo quòd licitum aliquando sit illud primum, consequens est ut pariter licitum sit istud secundum. Minor probatur, quia qui hæreticos merè tolerat, is licitè eosdem oblatâ quâvis commodâ opportunitate cohibere vel exterminare poterit: at verò qui fidem suam eis pacto promissorio obligat, durante pacto id minimè poterit. Longè ergò minus est impendere eis meram tolerantiam, quàm promissorio pacto impertire licentiam. Quod vel inde etiam patet, quia Princeps ineundo cum eis pactum adimit sibi potestatem adigendi eos ad Catholicæ Religionis cultum pro toto eo tempore cui commensuratur pactum; quam potestatem nullatenùs sibi adimit, quando absque ullo pacto ipsos purè merèque tolerat. Sicut ergò Princeps plus sibi adimit paciscendo, quàm merè tolerando: ita & illis plus confert suo pacto, quàm suo toleratu. Non ergò consequens est, ut si licita sit hæreticorum toleratio, quæ minor est; licita quoque sit promissoria cum eis pactio, quæ major est. Ut igitur Molani doctrina mox relata verificari possit, hâc vel simili interpretatione temperanda erit, ut nimirùm intelligatur de pactione vel promissione, quæ duratione commensuretur ipsi tolerationi: ita nimirùm ut non protrahatur ultra metam temporis, quo licita foret toleratio, quamvis abesset promissio vel pactio.

[P] P. Molan. lib. 3. de fide heret. servanda c. 17.

Quòd

PRÆOCCUPATIO. Quòd si hinc colligas, nunquàm fore licitum pacisci cum hæreticis de libertate vel impunitate ad certum aliquod determinatumque tempus, saltem utcunque diuturnum; eò quòd ante ejusmodi temporis lapsum illicita evadere possit toleratio, si absit pactio. Responderi poterit, prædictam interpretationem intelligi debere de tolerantiæ duratione non tam in se spectatâ, quàm juxta humanæ prudentiæ æstimationem consideratâ. Poterit igitur Princeps licitè pacisci cum hæreticis de libertate vel impunitate, etiam in tempus aliquod certum, pro quo nimirum prudenter existimatur duratura causa licitæ tolerationis. Porrò libertatis sive impunitatis promissio, hæreticis isto modo facta, spectat ad primum membrum divisionis superiori §. positæ; quippè quæ & licitè fit, & licitè impletur.

CXCIII. Videamus nunc, an prætacta promissio spectare possit ad reliqua membra ejusdem divisionis? Ubi inprimis videtur indubitatum, posse ad secundum membrum spectare; ita nimirùm ut & illicita sit ipsa promissio, & illicita pariter ejusdem præstatio. Quoties enim illicita est hæreticorum toleratio, proculdubiò illicitè promittitur, & promissa itidem illicitè præstatur: prout ex dictis cap. 36. §. 134. planum est. Hinc, deficientibus causis tolerationis, cap. 40. allegatis, non poterit ipsa in pactum promissorium deduci, nec deducta præstari. Deficientibus quippe illis, toleratio hæreticorum est mala; ac per hoc ejus promissio illicita & irrita, & similiter præstatio vetita ac peccaminosa. Cujus rei novum sumitur argumentum ex juramento Principibus in sua inauguratione præscripto, quo jurant, *quod de terris suæ jurisdictioni subjectis, universos hæreticos ab Ecclesia denotatos, bonâ fide pro viribus exterminare studebunt*. (Vide suprà c. 9. §. 27. in fine.) Cujus juramenti prævaricatores fient, si absque causis mox memoratis tolerantiam hæreticis impendant, impendendamve promittant. Aliundè præterea tam promissio ejusmodi quàm præstatio inquinari potest: ut si Princeps peculiare pactum sive cum Pontifice, sive cum aliis orthodoxis Proceribus priùs inierit, bellandi adversùs hostes Catholicæ Religionis. Hoc enim casu, subsecuta tolerandi hæreticos promissio, promissionisque præstatio, prioris fœderis erit violatio, atque adeò nova promittentis ac præstantis prævaricatio. In quam rem recolenda erunt quæ duobus præcedentibus capitibus de Hungarorum cum Turcis pactione, contra fidem Pontifici cæterisque confœderatis Principibus priùs datam, disseruimus. Non est item dubitandum, quin possit etiam prædicta promissio spectare ad tertium memoratæ divisionis membrum; ut nimirum ipsa sit licita, præstatio tamen ejus illicita. Idem quippe evenire potest hujusmodi promissioni, quod sponsalitiæ pactioni; quæ juxta dicta superiùs §. 191. iniri subindè potest licitè; tametsi propter obicem supervenientem præstatio ejus fiat illicita. Hoc ipsum namque eveniet promissioni de qua agimus: Primò quidem si vel Deus, vel etiam homo legitimâ authoritate præditus, præstationem ejus prohibeat, & hæreticorum exterminium imperet. Secundo si fraude vel dolo ad eam pars altera promittentem induxerit; nullâ justâ causâ hæreticos tolerandi subsistente. Tertiò, si violenter extorta fuerit, nullâ similiter justâ subsistente tolerationis causâ. Quartò si hæretici quibus facta fuerit, conditiones sibi præscriptas violaverint; & causa tolerationis jam cesset. Non desunt quoque qui censeant eam quantumvis legitimè factam desinere obligare, quandocunque rerum status mutatur: & hi consequenter docere debent, illicitam esse ejus præstationem; quoties rerum status mutatus sustulit necessitatem tolerationis: „Fides, ait quidam[a], conventioque Principis ut urgeri possit, pristinus causæ status „exigitur; etiamsi pactio ipsa jurejurando „sit circumsepta. Verùm non ad Principem „modò, aut etiam negotia certa, sed ad „omnes privatos, omnesque causas generatim „universeque id pertinet; perpetuum enim „est omnibus actibus atque dispositionibus, „ut semper cum hæc intelligantur conditio„ne, *si res in eodem quo nunc est dum geritur statu permanserit*". Citat ille pro hac sententia Tiraquellum, & complures alios Jurisconsultos; sed nullum Theologum. Et sanè non tam mirum est eam Theologis non placuisse, quàm ulli Jurisperito in mentem venisse. Quid enim aliud fuerit sic sentire, quàm omnem vim humanarum pactionum velle inanire? Certè enim si hæ sub prædicta intelligantur conditione; quævis araneatum telâ erunt fragiliores; cùm rerum status, sive ex una sive ex altera paciscentium parte, facillimè mutari possit, ac soleat, aut in meliorem, aut in deteriorem. Unde rectè ait Molanus, & ex ipso Tannerus[b]. Velle re„scindere fidem, quando illud quod rectè „promissum est, aliquid mali vel consequi„tur, vel consequi videtur; quid hoc est „aliud, quàm omnem vim publicæ fidei „enervare? Cùm enim fœdera ferè fiant „inter Regna, Respublicas, Principes, & „Potestates, quàm facilè fœdere inito ali„quid mali consequitur? Undè si fides re„scindi posset, non video quomodo, non „dico omnis, sed unius *controversiæ* civilis, *fi„nis* possit *esse juramentum*, vel fides publica". (Heb 6. 16.) Falsa proindè ac humanæ societati inimica est illa

[a] Iac. Schultes Tract. de Fide hæreticis servanda c. 10. n. 118, & seqq.

[b] R. Molan. l. 3 de fide hæret servanda cap. 12. Vide Tannerum tom. 3. Disp 1. q. 9. Dub 4. nu. 114. & seqq.

Schultes. est illa præfati Schultesij sententia ibidem nu. 342. subnexa. " Novâ aliquâ superveniente causâ, ab omni dispositione recedere licet". Et illa item ejusdem inferiùs num. 365. " Omnibus negotijs, caussisque, & maxima quidem ex parte privatis hominum commercijs, inest clausula illa, *Rebus sic stantibus*. Ideòque etiam cuilibet privato, ob causam novam atque legitimam, à fide conventionum licet recedere, licèt ipsi negotium alioqui sit non cum hæretico, sed cum viro pio". Nec authorem hunc sublevat additio vocis, *legitimam*, in postrema ista sua sententia. Nam pro legitima causa ipse habet eam omnem, quæ includit vel comitatur quamcunque mutationem status rerum, in alium ab eo qui tempore pactionis aut conventionis extiterat. Quapropter rectè ea sententia dicta à nobis est *humanæ societati inimica*. Quæ enim societas inter homines conflari vel constare poterit, si sibi persuasum habeant, omnes pactiones ac conventiones, sive publicas sive privatas, includere hanc vel æquipollentem conditionem, *Si res in eodem quo nunc est statu permanserit*? Quæ securitas haberi poterit, si fides pactorum pro fortunæ instabilitate vacillet? De homine quolibet uno scriptum est, quòd *nunquam in eodem statu permaneat*. Iob 14. 2. Cùm ergò id verum sit de uno quovis homine, quantò magis de quavis integra societate hominum? Neque enim minùs obnoxium est mutationi macrocosmus, quàm microcosmus. Si ergò ex permanentia ejusdem status rerum pendent pactorum conventionumque fides; ô quàm erit fragilis, lubrica, fluxa, caduca, nulla! Profectò si Schultesij sententia apud veteres invaluisset, nequaquàm *fides Punica* in proverbium apud eos abijsset. Neque enim Pœni unquam nisi mutato rerum statu fœdera cum Romanis aut alijs Gentibus icta ruperunt. Sed quia suis commodis semper & ubique intenti, prout instabilis fortunæ facies exigebat, fidem dabant, eandemque violabant; idcircò ita celebres evasêre fideifragio, ut locum fecerint prædicto proverbio, de quo videri potest Erasmus Chiliade 1. Centuriâ 8. cap. 28. Erasmus.

CAPUT LIII.

An quoties illicitè hæreticis libertas impunitasque promittitur, illicitè quoque promissa præstetur? De mali corvi malo ovo, & de arboris malæ fructibus malis. Non nascitur uva de spinis, sed benè de palmite intermixto spinis. Israëlitarum cum Gabaonitis pactum illicitè quidem ictum, sed licitè servatum, nec impunè violatum. Ex Gabaoniticì pacti historia eruuntur quædam corollaria, instructioni Catholicorum Principum cum infidelibus paciscentium opportuna. Non est consequens ut si in malis promissis rescindenda sit fides, etiam in malè promissis rescindenda sit fides. Quoties promissum est malum promissio est mala, sed non reciprocè. Quemadmodùm reprehensi sunt Israëlitæ, quòd inter paciscendum cum Gabaonitis os Domini non interrogarint: *ita culpandi sunt Christiani Principes, qui inter paciscendum cum infidelibus Pontificem non consulunt, siquidem tempus permittat, & materia quoquo modo Religionem concernat.*

CXCIV. Restat demùm examinandum, an libertatis impunitatisvè hæreticis à Catholico Principe factæ promissio, spectare possit ad quartum sive postremum membrum divisionis præmissæ: ita nimirùm ut ipsa quidem promissio sit illicita, præstatio tamen subsequatur licita? Apparet enim quòd non, quia cùm promissio sit causa præstationis, consentaneum videtur ut ei communicet si quam in se habet infectionem. SCRVPVLVS. Si igitur promissio fuerit mala, etiam præstatio erit similiter mala; ut ita verificetur quod proverbialiter usurpatur, *Mali corvi malum ovum*. S. Vide Erasmum Chil. 1. Cent. 9. Cui suffragari videtur Salvator, cùm ait: *Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere*. c. 31. Mat 7. 16. & seqq. Cùm ergò promissio de qua nobis sermo, habeat se instar arboris proferentis præstationem tanquam fructum: consequens apparet hanc ei assimilari penes malitiam. Nec obstat quòd superiori PRÆOCCVPATIO paragra-

paragrapho dixerimus, promissionis licitæ præstationem subindè esse illicitam. Nam cùm bonum sit ex integra causa, malum autem ex singulis defectibus; facilè percipitur quomodò in priori illo casu infici aliundè possit præstatio, etiamsi bona licitaque præcesserit promissio: non apparet verò quomodò in præsenti casu purgari queat promissionis impletio, quando mala supponitur ipsa promissio: siquidem malitia contrahitur ex singulis defectibus. Verùm hæc non admodùm premere, facilè perspiciet qui exempla §. 191. in fine adducta perpenderit, quibus ostensum fuit non semper promissionis illicitæ impletionem esse illicitam, sed subindè licitam. Ratio autem est, quia tametsi promissio ex aliquo capite hauriat malitiam, adeoque simpliciter sit & dicatur illicita; non necesse tamen est ut nihil habeat admixtum boni, unde prodire possit præstatio bona. Sic enim videmus Sacerdotem malum offerre Deo sacrificium bonum, vel impendere pœnitenti absolutionem bonam: quia nimirùm non obstante malitiâ ejus personali, remanet in ipso bonus character sacerdotalis, à quo procedit grata Deo oblatio, ac sacra pœnitentis absolutio. Ad hunc ergo modum potest ex promissione aliundè malâ & illicitâ, provenire præstatio bona ac licita, quinimò debita: quia nimirùm non obstante malitiâ aliundè promissioni aspersâ, intervenit ibi fidelitatis virtus, à qua prodit præstatio sibi similis, id est, virtuosa ac fidelis. Cæterùm proverbium de *mali corvi malo ovo*, non importat perpetuam aut inseparabilem connexionem malitiæ effectus cum malitia causæ, sed ad summum promiscuam sive regularem: imò nec hanc ipsam, nisi ex hypothesi non intervenientis alterius causæ, diffundentis bonitatem in effectum: qualem jam ostendimus subindè intervenire, quando promissio est illicita, & præstatio sequitur licita. Atque hoc ipsum non infirmatur, sed potiùs corroboratur Euangelico exemplo *spinarum & tribulorum*. Quis enim nesciat nasci interdum uvas inter spinas, & ficus inter tribulos; sed ex sua respectivè naturali plantâ spinis aut tribulis intermixtâ? [T] Botrus, inquit Augustinus, aliquando de radice vitis exortus, pendet in sepe, crescit palmes, inseritur spinis, & portat fructum spina non suum. Non enim spinam vitis attulit, sed spinis palmes incubuit. Noli interrogare nisi radices: quære radicem spinæ, extrà invenis à vite: quære originem uvæ, vitis hanc protulit ex radice". Quemadmodùm igitur palmes, etiam circumseptus spinis, profert botrum; sic virtus justitiæ aut fidelitatis, intermixta promissioni aliundè illicitæ, profert fructum præstationis licitæ. Fructus ergò iste bonus non est adscribendus malæ arbori promissionis, sed bonæ arbori virtutis intermixtæ: sicut bona uva non est adscribenda radici spiniferæ, sed vitiferæ; quamvis vitifera sit intermixta spiniferæ. Nullum proindè ex hac nostra sententia infertur præjudicium veritati Euangelicæ, neganti *arborem malam posse facere fructum bonum*: ut omittam quòd Augustinus per arborem bonam & malam passim intelligat voluntatem nostram bonam, & malam: [V] Magister ille Deus, ait ipse, non utique naturam constituit arborem, ex qua fructus, de quo loquebatur, existat; sed voluntatem, seu bonam, seu malam: fructus autem opera, quæ nec bona voluntatis malæ, nec mala possunt esse voluntatis bonæ. Hoc est enim quod ait, *Arbor mala fructus bonos non facit, & arbor bona fructus malos non facit*; tanquam diceret, nec opera bona voluntas mala, nec mala opera facit voluntas bona". Utramque arborem, & utriusque respectivè fructum cernere licet in hac ipsa materia quam discutimus: nam voluntas illicitè promittendi est arbor mala, cujus fructus malus est ipsa illicita promissio: voluntas autem præstandi rem hic & nunc licitam, atque ex justitia vel fidelitate debitam, est arbor bona, cujus fructus bonus est ipsa præstatio.

EXCUTITUR.

T. August. Tract. 46. in Joannem. Vide lib. de Pastor. c. 10.

V. Aug. l. 1. cont. Julian. cap 8. Vide ibid. c 9 & lib. 4. c 3 & lib. contra Fortunatum Disp. 2.

CXCV. Porrò ut pleniùs ac planiùs prædicta perspiciantur, non fuerit abs re proferre exemplum è sacris Litteris petitum, & præsenti nostro scopo satis accommodum. Legitur quippè in libro Josue, quòd idem ipse Josue, cæterique Proceres Israëlitarum, *fecerint cum Gabaonitis pacem, & inito fœdere polliciti sint, quòd non occiderentur*. Quam promissionem fuisse illicitam indicat Scriptura, quatenùs promissoribus improperat, quòd *Os Domini non interrogaverint*. Præceptum quippè in lege jam pridem fuerat, ut *si quid agendum foret, Eleazar Sacerdos consuleret Dominum*: ejusque præcepti neglectum exprobrat eis Scriptura illis verbis. *Os Domini non interrogaverunt*. Quinimò etiam secluso illo præcepto, non defuerunt aliæ circumstantiæ, quibus eadem promissio vitiari videtur, ut inprimis præceps temeritas promittendi absque accuratiori indagine conditionis promissariorum quoad originem, habitationem, vires, Religionem. Deindè periculum impingendi in præceptum *disperdendi cunctos habitatores terræ Chanaan*: item, *non ineundi cum eis fœdus, nec miserendi eorum*: & aliæ similes, de quibus Serarius in caput 9. Josue q. 9. Quòd verò promissio illa, quantumvis in se illicita, præstari licitè potuerit, imò & debuerit, apparet inprimis ex ipsorum promittentium authori-

Vide Aug. q. 13 in Josue & Schulzes de fide hæreticis servan. c 5 n. 268. & seqq. Josue 9. 15.

Ibid. v. 14.

Num. 27. 21.

Num. 33. 52. Deut. 7. 2.

Serarius.

X tate,

tate, qui vulgo adversùs se murmuranti, Gabaonitasque ad internecionem flagitanti, responderunt: *Iuravimus illis in nomine Domini Dei Israël, & idcircò non possumus eos contingere.* Secundò ex ultione divina in prævaricatores istius promissionis exercitâ, de qua sic legitur:

2. Reg. 21. 1. *Facta est fames in diebus David tribus annis jugiter: & consuluit David oraculum Domini. Dixitque Dominus: Propter Saul, & domum ejus sanguinum; quia occidit Gabaonitas:* w. Totus populus, in-

w. Theodoret. in lib. 2. Reg. q. 42.

„ quit Theodoretus, fecerat fœdus cum Ga- „ baonitis, jurisiurandi autem particeps fuit & „ Sacerdos Eleazar, & Jesus Propheta. Opor- „ tebat ergò posteros eorum qui jurarant, fa- „ cta fœdera non transilire; Regi autem con- „ tra legem facienti persuadere, ut servaret jus- „ jurandum. Propterea, etiam post illius mortem, sustinuerunt famis castigationem". Non solùm igitur ij qui primò pepigerant fœdus, etsi illicitè, cum Gabaonitis; sed etiam eorum posteri tenebantur stare promissis, & suadere insuper Regi Saul ut ipse quoque ijsdem staret promissis. Quod quia neglexerunt, cælestem ultionem senserunt. Subdit verò ibidem inferiùs idem author: " Illud „ quoque præter hæc oportet adnotare, quòd „ Saul zelo usus Gabaonitas cum alijs Cha- „ nanæis occidit. Hoc enim docet divina

Ibid. v. 2.

„ Scriptura: *Non erant*, inquiens, *Gabaonitæ* „ *ex filijs Israël quoniam erant ex reliquis Amor-* „ *rhæis: & filij Israël eis juraverant se non eos esse* „ *perdituros. Et quæsivit Saul ut perderet illos in*

Vide Ambr. l. 3. de officijs cap. 10.

„ *zelo Israëlis & Iuda.* Nos ergò docet hic ser- „ mo, ne transgrediamur fœdera quæ fiunt „ adhibito Dei jurejurando, etiamsi fiat transgressio in aliorum utilitatem". Manifestum est igitur Israëlitas, ex Theodoreti sententia, non modò potuisse, sed & debuisse præstare Gabaonitis impunitatem olim à suis Majoribus, tametsi illicitè, promissam, ac juramento firmatam. Neque enim Theodoretus qui hæc de præstatione illius promissionis scripsit, promissionem ipsam culpâ caruisse censuit: prout colligi potest ex hisce ejus verbis q. 13. in Iosue 1" Fefellerant *Gabaonitæ* tam habitu, „ quàm verborum mendacio. Et cùm opor- „ teret consulere Dominum Deum, ac tum „ posteà cum eis inire fœdera, credentes eo- „ rum verbis mendacibus persuasi sunt, & „ fœdera cum eis inita jurejurando firmave- „ runt: præceperat autem Deus omnes illos interfici". Quibus verbis sicut Gabaonitarum fraudulentiam culpat, ita & Israëlitarum cum eis paciscentium præcipitantiam accusat, quòd inconsulto priùs Deo Gabaonitis eatenùs ignotis leviter crediderint, eosque non occidendi pactum peregerint, *Cùm oportuisset consulere Dominum Deum, ac tum demùm inire cum eis fœdera.* Certè enim præcipitanter agit, culpamque incurrit, qui quod præmitti *oportet*, non præmittit. Habemus igitur hinc, promissionis illicitæ præstationem subindè esse licitam, imò & debitam.

CXCVI. Historia ista fœderis Gabaonitici, perperàm quidem initi, sed licitè servati, & illicitè demùm temerati; multiplicem præbet instructionem Principibus Christianis, hæreticos toleraturis, aut cum eisdem de impunitate pacturis. Inprimis enim discere inde possunt, quanto peccandi periculo exponantur, quoties de toleratione cum impijs paciscuntur; quandoquidem videant, talem ac tantum veteris populi Principem, & cum ipso reliquos populi tunc Proceres, nequaquàm evasisse omnem peccati labem in percutiendo cum Gabaonitis fœdus impunitatis. Qualis enim quantusque Princeps fuerit Josue, discere possunt ex sacro Eloquio, ubi legitur: *Fortis in bello Iesus Nave, successor Moysi in Prophetis: qui fuit magnus secundùm nomen suum, maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hæreditatem Israël* &c. Eccli. 46. 1. & 2. Secundò discere possunt, non esse consequens, ut si fœdus cum hæreticis illicitè fuerit initum, eò ipsò fas sit illud reddere irritum. Multa quippe illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent: prout jam superiùs §. 191. aliquot exemplis fuit à nobis monstratum: quibus accedit exemplum Gabaonitici fœderis proximo mox §. discussum. Considerandum itaque fuerit, utrùm pactio vel promissio illicita malitiam hauriat ex subjecta materia, an verò ex aliqua aliundè veniente circumstantia. Nam si materia fuerit mala, durante malitiâ, nec licitè poterit promitti, nec promissa præstari. Notanter dixi, *durante malitiâ*: quia si contingat malitiam abstergi quæ tempore pactionis aut promissionis infuerat, poterit subsequi licita præstatio, quanquam illicita præcesserit pactio vel promissio: sicut ex adverso si materia tempore pactionis aut promissionis licita, postmodùm fiat alicundè illicita; poterit pactio vel promissio licitè iniri vel fieri, sed ob materiæ mutationem, nequibit licitè præstari. Si autem pactionis aut promissionis malitia non proveniat ex materia, sed ex incidente aliundè circumstantia, facilè continget præstationem fore licitam, imò & debitam, quamvis pactio vel promissio fuerit illicita. Cùm enim pactio vel promissio, & ejus præstatio, sint diversæ actiones, diverso etiam tempore exercendæ, facilè eveniet ut altera exerceatur licitè, altera autem illicitè. Aliud certè est promissionem esse malam, aliud autem promissum esse malum: nec de promissionibus, sed de promissis loquitur illa Regula 69. Juris in 6. *In malis promissis fidem non expedit observari.*

vari. Quamvis autem promissio semper sit mala ubi promissum est malum, nihil tamen vetat promissionem esse malam etiam cùm promissum est bonum. Tertiò cùm videant, Josue cum suis Conproceribus in eo culpari, quòd *os Domini non interrogarint* quando fœdus cum Gabaonitis inierunt, discere possunt ac debent, non esse cum hæreticis præcipitanter de toleratione paciscendum, sed pondus negotij maturè trutinandum, Deum precibus exorandum, Pontificem Christi Vicarium ac totius Christiani gregis Archigubernum consulendum, & tanquam os Domini interrogandum. Hujus enim est discernere in Negotio Religionis licitum ab illicito, salubre à noxio, pretiosum à vili; sub cujus typo dictum fuerat ei qui *constitutus est super Gentes & super regna*; *Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Caveant proindè Christiani Principes ne inconsulto Ecclesiæ capite pacta tolerationis cum hæreticis feriant, alioquin audituri increpationem illam veterem, *Os Domini non interrogastis.* X. Quamvis libera Reli„gio, inquit Molanus, non sit ab ullo Prin„cipe admittenda, cogitur tamen aliquando „Catholicus Princeps, & Magistratus, in „quibusdam locis, quæ hæretici violentâ ma„nu retinent, non quidem omnibus, sed „unius tamen aut alterius generis Sectarijs, „libertatem, sub certis conditionibus, con„cedere; aut potiùs non tam eis dare quod „non habent, quàm tolerare in eis quod „jam eo nolente occuparunt: ne si minus „malum tolerare nolit, majora in Repu„blica sua perpeti cogatur. Sed in his re„bus maximâ opus est prudentiâ, eò quòd „res longè omnium gravissima & periculo„sissima tractetur. Cùm enim primo loco „præ omnibus alijs, ab omnibus & singulis „Christianis, Religio sit conservanda, & „sæcularis Potestas atque Principatus nul„lum fœdus inire, aut salvum conductum „dare possint in præjudicium Ecclesiæ aut „Ecclesiasticæ Potestatis: facilè hic aut per „ignaviam, aut per tepiditatem, aut per „timorem ubi non foret timor, aut per im„peritiam & imprudentiam, quædam tra„ctarentur, quæ postmodùm nullius roboris „esse judicarentur. Itaque nihil tutius est, „quàm si furore hæreticorum Respublica ali„qua cogatur ad aliquas iniquas, & bonis ho„minibus præduras conditiones, ut omnia, „antequàm fœdus perficiatur, diligentissimè „& prudentissimè sint examinata & discussa: „atque in re tam arduâ, ad securè conquies„cendum etiam Apostolicæ Sedis interveniat authoritas".

Jos. 9. 14.

Hier. 1. 10.
Hier. 15. 19.

X. Molanus lib. 2. de fide hæretic. servanda c. 23. Vide l. 3. c. 12. & Sweertium de eodem Sect. 9. & Tanerū Tom. 3. Disput. 1 q. 9. Dub. 3. n. 101 & 104.

CAPUT LIV.

Possitne Pontifex pactum impunitatis cum hæreticis se inconsulto vel invito initum abolere? Claves regni cælorum Pontifici commissæ, quarum altera scientiæ, altera est potentiæ. Pontificis est quemlibet Christianum de quocunque crimine corripere, ac refractarium Ecclesiasticâ districtione coërcere. Dispensandi potestas non in destructionem, sed in ædificationem Pontifici concessa. Legitimæ dispensationis causæ ex Bernardo memorantur, quibus deficientibus attentata vinculi relaxatio non tam dispensatio, quàm dissipatio censenda est. Pacta solemnia cæteroqui valida per viam dispensationis velle dissolvere, nihil aliud fuerit quàm disperdere, atque Ecclesiam ingentium damnorum periculis exponere. Calumniosè affingitur Pontifici, quòd scripserit, Nullum valere fœdus cum Ecclesiæ hostibus se inconsulto percussum. *Non obstantibus Principum sæcularium pactis fas est Ecclesiæ sua sibi jura ab hæreticis vendicare, pro eorumque recuperatione etiam bellum indicere. Synodi Constantiensis Sanctio prædictis consentanea.*

CXCVII. Ex prædictis emergit difficultas non spernenda, nec hoc loco ullatenùs prætereunda, An nimirùm Summus Pontifex possit pactum impunitatis cum hæreticis se inconsulto vel invito initum irritare, aut quovis alio modo dissolvere? Respondetur quòd si Pontifex re maturè perpensâ deprehendat ejusmodi pactum omnious spectatis adversari juri naturali, vel divino, aut etiam humano inderogabili per paciscentes, poterit illud declarare irritum, & compellere Catholicum

licum Principem ad reſiliendum. Cùm enim Summus Pontifex ex Chriſti inſtitutione teneat claves regni cælorum, quarum una eſt ſcientiæ, altera potentiæ; proculdubiò ad eum ſpectat diſcernere actiones omiſſioneſque licitas ab illicitis, conformes legi à difformibus, meritorias regni cælorum à demeritorijs; [*Malach. 7.*] *Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent de ore ejus*; ad eundem quoque ſpectat poteſtas compellendi oves rationales ſibi concreditas ad proſequendum ea quæ per clavem ſcientiæ decîderit amplectenda, & deſiſtendum ab eis quæ per eandem cenſuerit reſpuenda. Unde & Pontificum quiſpiam ait: [1] „Nullus, qui ſit ſanæ mentis, ignorat, quin ad officium noſtrum ſpectet de quocunque peccato mortali corripere quemlibet Chriſtianum; & ſi correptionem contempſerit, per diſtrictionem Eccleſiaſticam coërcere. Sed forſitan dicetur, quòd aliter cum Regibus, & aliter cum alijs eſt agendum. Ceterùm ſcriptum novimus in lege divina: [*Deut. 1. 17.*] *Ita magnum iudicabis ut parvum, nec erit apud te acceptio perſonarum*". Inquirit Cardinalis Bertrandus, *An iuriſdictio Eccleſiaſtica ſive ſpiritalis extendat ſe ad omnes actiones perſonales omnium Chriſtianorum, non ſolùm Clericorum, ſed & Laicorum?* Reſpondet autem continuò hiſce verbis: [z] „Dicendum eſt, quòd de ſe & jure ſuo extenditur ad cognoſcendum & judicandum de omnibus peccatis, non ſolùm de illis quæ ſunt contra articulos fidei, & Sacramenta, in quibus principaliter fundatur Religio Chriſtiana; ſed etiam de omnibus peccatis mortalibus. Quod patet ratione irrefragabili, ſic: Cujus eſt conſiderare finem, ejuſdem eſt judicare de his quæ debent ordinari ad finem: quia ratio eorum quæ ordinantur ad finem, ſumitur ex fine: debet enim intendens aliquod bonum, finem eligere; & ea quæ ſunt congrua fini; atque ea tollere, quæ finem impediunt: verbi gratiâ, medicus conſiderat ſanitatem corporum; & certè ejus eſt judicare de ijs, quæ ſervant ſanitatem; & de ijs, quæ eandem impediunt, ut ab eis abſtineatur: & conſimiliter de omnibus. Sed corpus ordinatur ad animam, etiam ſecundùm Gentiles Philoſophos, & temporalia ordinantur ad ſpiritalia; & omnes actiones Chriſtianorum debent ordinari ad conſequendam vitam æternam, tanquam noſtrum finem ultimum, ſecundùm fidem Catholicam in Sacra Scriptura traditam. Ergò cujus vel quorum eſt conſiderare de ſalute animæ, & de ſpiritalibus, ſicut eſt Prælatorum curam & regimen animarum habentium, ut ſunt Papa & alij Epiſcopi & Archiepiſcopi, eorum eſt judicare de actionibus perſonalibus hominum, per quas poſſunt deviare à ſalute ſua, peccando contra quamcunque materiam, ſive contra Articulos fidei & Sacramenta, ſive contra bonos mores, peccando in ſeipſos, vel proximos, verbo, vel facto, vel quocunque alio modo. Et in hac ratione fundatur capitulum, *Novit*, ii. de Judicijs".

[1 *Innoc. III. cap. Novit, de Iudicijs.*]

[z *Bertrand. Cardinalis Tractat. de Orig. & uſu iuriſdict.*]

Cùm igitur conceſſio libertatis ſeu impunitatis, hæreticis indultæ à Principe Catholico, exponatur compluribus peccatorum periculis; dubitari non debet quin ſub ea conſideratione ſpectet ad cognitionem Eccleſiæ, atque adeò ejus qui univerſæ præſidet Eccleſiæ. Unde ulteriùs conficitur, quòd ſi Eccleſia vel ejus Præſul, perpenſo maturè negotio, eam conceſſionem abſque peccato ſervari non poſſe decernat, confeſtim abrumpenda ſit, juxta illud Iſidori ſuperiùs relatum: *In malis promiſſis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum.* [*Vide ſuprà c. 36 §. 134. & 139.*] Nec obſtat quòd forſan eam conceſſionem Princeps juramento firmaverit: quia ut ibidem ſuperiùs adjectum eſt, *Si aliquid fortè incautiùs nos iuraſſe contigerit, quod obſervatum vergat in peiorem exitum, illud conſilio ſalubriore mutandum noverimus.* Ex quibus apparet, quòd etiamſi Pontifex nullam adhibeat diſtrictionem Eccleſiaſticam, quâ Principem compellat à pacto reſilire, ſed duntaxat utatur clave ſcientiæ, quâ declaret pactum non poſſe ſine culpa ſervari; tenebitur Princeps, mox habitâ hujus declarationis notitiâ, renunciare pacto, quod jam didicit non poſſe ſine culpa continuari. Porrò rationi conſentaneum eſt, ut antequàm hoſtile quidquam adversùs compactores exerceat, eoſdem de ſuo reſultu admoneat, nec improviſos & pacto confiſos inopinatò opprimat. Atque ex hoc capite videntur non vacaſſe culpâ Hungari; cùm reſilijſſent à fœdere Turcico, de quo ſuprà cap 49. & ſeqq.

CXCVIII. Peculiaris difficultas ſuper diſpenſatione Pontificia movetur ab hæreticis, qui contendunt nullam ſecuritatem provenire ſibi poſſe ex Catholicorum pactis aut promiſſionibus etiam juratis, quantumlibet ritè ac validè initis; eò quòd Pontifex vendicet ſibi jus & poteſtatem diſpenſandi in hujuſmodi pactis ac juramentis. Hoc argumento uſus fuit Montanus, ad perſuadendum Germanis Proteſtantijs, ne ad Synodum Tridentinam ſub fide publica à Patribus Synodalibus oblatâ pergerent: [A] *Neque Concilio*, inquit, *neque Pontifici fides adhibenda eſt, vel ob eam cauſam, quòd cùm Pontifex Reges & Imperatores à iuramentis, pactis, & conventis abſolvat; quid vetat quò minùs eâ in cauſâ propriâ fruatur?* Sed reſpondet huic argumento Molanus ibidem

[*A. Montan. apud Molanum l. 3 de fide hæretic. ſervanda c. 14.*]

[*Molanus.*]

dem continuò:" Respondeo, inquiens, Romani Pontificis authoritatem nullam esse ad destructionem, sed ad ædificationem. Quia autem absque magna destructione non posset dispensare, ut fides publica à Concilio vel Principe violetur; ideò dispensationis ejus authoritas & potestas eò se non extendit. Neque ullum hactenùs extitit, aut unquam extabit hujus rei exemplum. Nam si Romanus Pontifex semel in fidei publicæ transgressione, dispensaret, quòd hoc non foret legitima dispensatio, sed potiùs dissipatio, probatur: quia deinceps nemo posset securus esse habito à Rege, aut alterius tituli Principe, salvo conductu, aut solemni juramento: eò quòd semper periculum foret ne Regia potestas id viâ dispensationis extorqueat, quod semel concessum esse novit. Et ubi tum erit illud Apostoli, *Homines per majorem sui iurant, & omnis controversia eorum finis ad confirmationem est iuramentum*? Huc etiam spectat quòd Dominicus de Soto, Salmanticensis Theologus, scribat, *Pontificem non posse relaxare iuramentum, cum præiudicio eius, cuius interest*. Quando autem Pontifex subditos à juramento fidelitatis absolvit, quod nunquam facit nisi gravissimis ex causis, &, ut nonnulli Scholastici loquuntur, in ordine ad finem spiritalem, tum etiam dominum suo dominio aut privat, aut privatum esse declarat". Non est igitur quòd Pontificiæ dispensationis metu retrahantur hæretici ab ineundo impunitatis pacto cum Catholicis. Quamvis enim Petro, & in Petro successoribus dictum sit, *Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis*: non tamen hoc crudè aut vagè, sed cum ordine ad debitum Ecclesiæ concredendæ regimen intelligi debet. Unde in confesso apud omnes est non posse Pontificem solvere vincula juris divini, aut naturalis, manente eâdem materiâ legis. Et huc spectat quòd Christus Præfectum familiæ suæ nequaquàm dominum, sed *dispensatorem* nuncupare voluerit. Rectè proinde Bernardus successori Petri scribebat: [B.] Non sum tam rudis, ut ignorem positos vos *dispensatores*, sed *in ædificationem, non in destructionem*. Denique *quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio: ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas, dico, communis, non propria. Nam cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est". Hinc cùm utilitas communis nunquam ad dispensandum in pactis aut promissionibus ritè ac solemniter initis cum hæreticis provocet, sed ex adverso potiùs inde avocet; nullum ex hoc capite imminere periculum poterit. Cur autem communis utilitas à dispensando potiùs avocet, quàm ad dispensandum provocet; perspicua ratio est, quia ejusmodi dispensatio vel semel concessa præcluderet viam omni pacificationi cum hæreticis posteà in perpetuum ineundæ: cùm tamen crebrò incidere possit casus magnæ non modò utilitatis, sed & necessitatis cum eis paciscendi. Quoniam igitur in concedendis dispensationibus non ea sola attendenda sunt quæ hîc & nunc ob oculos versantur, sed exporrigendus est intuitus ad ea omnia quæ per verisimilem sequelam successura existimantur; idcircò nunquam subesse censenda est legitima causa dispensandi, cùm simul subest periculum majora mala incurrendi. Itaque quicunque hæretici metu dispensationis Pontificiæ diffidunt pactis Catholicorum, *trepidant timore ubi non est timor*. Qui verò eis persuadent nullam securitatem haberi posse ex pactis Catholicorum, utpote obnoxijs dispensationi Pontificiæ, sicut Montanus hic suprà; ij profectò aut seducti falluntur, aut scienter volenterque mentiuntur; idque ob causas cap. 45. §. 166. & 167. in simili memoratas. Inter hos rectè, cum Montano jam dicto, numeratur Christianus Matthiæ, qui historiam texens cladis Varnensis asserit Uladislaum Regem *à iuramento fœderis Turcici absolutum fuisse per Iulianum Cardinalem*, de quo superiùs cap. 49. & duobus sequentibus disseruimus. Neque enim opus erat absolutione, ubi juramentum fuerat nullum: nec Julianus talem absolutionem impenderet, postquàm prolixâ oratione nullitatem juramenti coram Rege ac Proceribus jam ostendisset. Ubi obiter notanda est istius Historici inconstantia, qui eodem loco, quo Uladislaum à juramento absolutum fuisse affirmat, hæc verba proximè præmiserat: *Pacis leges, cùm vix Amurathes ex Europa in Asiam traiecisset, violavit Vladislaus Rex Hungariæ, iuvenis alacer & ferox, incertaq; belli gloria, quàm securæ pacis avidior. Rupit autem fœdera, Iuliani Cardinalis insanis & exitialibus consilijs, cui prosequenda victoria videbatur: præsertim cùm Eugenius IV. Papa Iuliano scripsisset, Nullum valere fœdus, quod se inconsulto cum hostibus Ecclesiæ percussum esset.* Si ergò & Papa Eugenius suis ad Julianum litteris, & ipse Julianus in publica oratione ad Regem & Proceres, declararunt fœdus illud quantumvis juratum non valere, sed irritum nullumque esse; quomodò fieri potest, ut Julianus Regem à fœderitio juramento absolverit, cùm absolutio præsupponat subsistentiam vinculi quod per ipsam dissolvitur?

Vide Sweertium de fide hæreticis servanda sect. 9. in fine Et Bodinum l. 1. de Republ. cap. 6.

Heb. 6. 16.

Vide Sotum l. 8. de Iure & Iust. q. 1. & Suarez. l. 6. de Legib. c. 19. nu. 10. & Vasquez in 1. 2. Disp. 178. cap. 4. Vide supra c. 47. §. 174.

Mat. 16. 19.

Luc. 12. 42.

B. Bernard. l. 3. de Consider. c. 4. 2. Cor. 10. 8. 1. Cor. 4. 2.

Psal. 13. 5.

Vide Christ. Matthiæ lib. 4. Theatri Historici in Friderico 3.

CXCIX. Occasione finalium istius Lutheranici Historici verborum, quibus Papam Cardinali scripsisse perhibet, *Nullum valere*

fœdus, quod se inconsulto cum hostibus Ecclesiæ percussum esset; quæri hic non importunè potest, num omnia Catholicorum cum hæreticis pacta, inconsulto Pontifice inita, eo ipso censenda sint inania & irrita? Respondetur negativè: & patet id inprimis in pactis nuptialibus, quæ licèt illicitè cum hæreticis à Catholicis, inconsulto Pontifice, vel alio dispensare valente, ineantur, inita tamen valent. Idipsum quoque patet in pactis emptionum, venditionum, permutationum, & quarumlibet alienationum vel obligationum merè temporalium, nec Religionem ullatenùs concernentium. Quapropter incredibile prorsùs est Papam Eugenium Juliano Legato suo scripsisse quod Lutheranus ille Historicus memorat. Unde & Cluverus, quanquàm & ipse Sectarius, longè aliter scripsisse Eugenium refert: "Eugenius, inquiens, "per Julianum Legatum Cardinalem instigat Uladislaum, ut violato jurejurando, "QUOD MINUS E REPUBLICA PRÆSTITISSET, novum Turcis bellum faciat". Ecce quantoperè inter se discrepent Historici isti, ambo Sectarij, ambo Pontificibus infensi. Prior generaliter de omni fœdere cum Ecclesiæ hostibus percusso Pontificem scripsisse asserit, posterior de illo determinato fœdere, quod Hungari cum Turcis tunc percusserant, eundem loquentem inducit. Rursùs prior fingit Pontificem censuisse omnia istiusmodi fœdera ex eo præcisè capite invalida esse, *quòd se inconsulto percuterentur*: posterior autem Pontificem refert instigasse Regem ad fœderis Turcici violationem, seu juramenti contraventionem, proptereà *quòd minùs è republica præstitum illud fuisset*. Nos interim aliam causam, eamque idoneam ac justam, resiliendi ab illo fœdere Turcico, superiùs cap. 49. & duobus sequentibus assignavimus, atque ex ipsius Cardinalis Juliani verbis ad longum descriptis comprobavimus. His ergò dimissis, superest inquirendum, An pacta cum hæreticis vel alijs infidelibus inconsulto Pontifice à Catholicis inita, ac Religionem quoquo modo concernentia, irrita sint, aut in irritum revocanda? Respondetur, certum inprimis videri

C. Cluverus in Epitome Historiarum

Pontificem hujusmodi pactis, se inconsulto vel invito ictis, minimè obstringi: atque adeò ipsum posse, non obstantibus talibus pactis, patrocinium Religionis suscipere, ac pro eadem tuenda, restauranda, sinæque integritati restituenda, hæreticos vel alios infideles pactis comprehensos bello impetere. Ratio est manifesta, quia nemo potest suo pacto præjudicium inferre tertio, præsertim sibi non subalterno. Ergò Princeps sæcularis non potest suo pacto auferre Principi Ecclesiastico jus quod habet in bona Ecclesiastica, etiam intra suam ditionem sita. Ac per hoc poterit Ecclesiasticus Princeps, non obstante quovis pacto citra suum consensum inito, prosequi jus suum adversùs iniquos usurpatores, etiam viâ belli, quando aliud medium non suppetit. Confirmatur hæc doctrina ex definitione Synodi Constantiensis §. 165. in fine relatâ. Cùm enim inde habeamus licere Judici Ecclesiastico procedere criminaliter contra temeratores Religionis, non obstante pacto vel salvo conductu quorumlibet Principum sæcularium; inde quoque à fortiori deducimus licere Principi Ecclesiastico repetere jura Ecclesiarum ab eisdem temeratoribus Religionis, non obstante quâvis pactione vel conventione quorumvis Principum sæcularium. Respondetur secundò, ejusmodi pacta quatenùs præcisè versantur in materia temporali, ac liberæ dispositioni Principis paciscentis subditâ, habere firmitatis robur, ac per consequens servanda esse ab eodem Principe paciscente. Patet hoc ex generali præscripto legis naturæ, jubentis servari fidem quatenùs licitè servari potest. Deindè idipsum confirmatur ex definitione Synodi Constantiensis mox memoratâ, quatenùs innuit authorem salvi conductus teneri *facere quod in ipso est*, ut præstetur quod promissum fuerat. Ex quibus facilè perspicitur, longè firmiora securioraque esse pacta cum infidelibus ab orthodoxis Principibus consentiente Pontifice inita, quàm eo vel invito vel inconsulto transacta. Illa enim undequaque munita sunt, ista periculis nonnullis obnoxia.

Vide suprà §. 177.

CAPUT

CAPUT LV.

In tolerandis hæreticis amplectenda est Principibus mediocritas, vitanda utrinsecùs extremitas; ut nec nimis se faciles, nec plus æquo exhibeant difficiles. Potest subinde occurrere casus tam prementis necessitatis, ut non modò liceat, sed & oporteat cum hæreticis icere pactum impunitatis. Proferuntur & eliduntur quinque objectiones, cum accessorijs instantijs, quibus contenditur, nunquàm licere, nedùm oportere, pacisci cum hæreticis de impunitate, vel dogmatizandi libertate. Elucidatur Augustini locus; Quæ pejor mors animæ, quàm libertas erroris? *Posse & nolle transgredi, laudabile est. Possitne iniri cum latronibus pactum impunè latrocinandi? Ullumne detur malum dissemination e hæreseos immanius, cujus præpediendi vel excutiendi intuitu illa toleretur, ac impunitatis pacto solemnizetur? Sicut temerarium est necessitati reverà subsistenti non cedere, ita ignavum & impium prætextitiæ deferre. Duplo puniendus venit, qui boni prætextu delinquit. Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas. Diabolus sedes iniquitatis, laborem in præcepto fingentibus adhærens. Divina vindicta talibus impendens.*

CC. PRo complementò hujus materiæ de Pactis Catholicorum supèr impunitate hæreticorum, quam occasione pacti à *Saule* cum pythonissa initi tractandam suscepimus, admonendum atque identidem inculcandum censemus, ut orthodoxi Principes ac Proceres in hoc pactorum negotio viam mediam gnaviter teneant, nec ab ea sive in dexteram sive in sinistram declineat, hoc est, nec nimis faciles nec nimis difficiles se in concedenda hæreticis toleratione exhibeant. Exhibebunt porrò se nimis faciles, si absque periculo immanioris mali eligant eos tolerare, cùm possint exterminare: prout ex dictis cap. 39. & 40. liquet. Cæterùm quia in comparanda inter se amborum malorum immanitate opus est accuratissimâ considerationis trutinâ, qualis in causis divinam Religionem concernentibus rarò sæculari Potestati obtingit; idcircò cavendum fuerit, ne in re tam perplexâ tamque momentosâ quidquam inconsulto supremo Religionis Antistite concludatur, modò tempus patiatur. Alioquin obnoxios se facient Principes reprehensioni divinæ in Israëlitas districtæ, de quibus supproximo capite Scripturam audivimus sigillatoriè dicentem, *Os Domini non interrogaverunt.* (*Jos. 9. 14.*) Exhibebunt denique se nimis difficiles, adeòque declinabunt in alteram extremitatem, si nullius mali quantumlibet immanioris periculo flecti se patianrur, ut cum hæreticis de impunitate paciscantur. Quid enim, si hæretici in ditione cujuspiam Catholici Principis ita sensim invaluerint, ut totam sibi subacturi armatâ manu videantur, nisi suos ritus impunè exercere sinantur? Nunquid satiùs, prudentiùs, ac publico etiam Religionis bono salubriùs inibitur cum eis impunitatis pactum, ut quiescant; quàm eos repellendo subibitur periculum ne universam ditionem occupent, restantes Catholicos pervertant aut perimant, & quicquid sinceræ Religionis superest extinguant vel exterminent? Quis ita cæcutiat, ut hoc non cernat? Quis ita Religionem quam profitetur negligat, ut illud primum præ altero non eligat? Quapropter de hujusmodi impunitatis pacto, rebus sic constitutis cum hæreticis initọ, dicere rectè possumus, quod de lege permissiva Augustinum scripsisse superiùs memoravimus: *Legem,* ait ille, *satis video esse munitam contra obtrectantium accusationem, quæ in eo populo quem regit, minoribus malefactis, ne pejora committerentur, dedit licentiam.* (*Vide supra § 146 & 148.*) Quinimò de huiusmodi pacto, sub tali rerum dispositione icto, dici potest, quod de toleratione minorum malorum dixit Medina ibidem suprà relatus: *Gubernator Reipublicæ, inquiens, quando permittit minora mala ad cavenda maiora, non est causa peccati, quia non tenetur ea prohibere: imò si prohiberet, peccaret grande peccatum.* (*Medina supra § 146.*)

Quam-

Quamvis enim plus hæreticis præstetur quando cum eis pactum impunitatis initur, quàm quando absque ullo pacto pura ac nuda toleratio impenditur: tamen si augeatur necessitas atque utilitas quæ tolerationem reddiderat licitam, poterit sic aucta etiam pactum reddere licitum.

CCI. Non desunt nihilominùs qui huic doctrinæ, quantumvis alioqui perspicuæ, audeant obstrepere, ac Religionis velut zelo hæresesque odio eandem excogitatis quibusdam ratiunculis impetere: quarum prima nititur exemplo Regis *Saul*, qui impunitatem promittendo pythonyssæ, typum hæreticorum præferenti, turpiter peccavit 1 prout §. 118. visum est. Cùm igitur *Saul* illo suo facinore præfigurarit Reges ac Principes, impunitatem hæreticis promittentes; consequens est, ut rei culpæ in hoc sint isti, sicut in illo fuit ille. Cui objectioni confirmandæ servire potest illud Prophetæ ad Regem *Achab* §. 136. adductum: *Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius.* Hæreticos enim dignos esse morte, ostensum est passim in præcedentibus, signanter cap. 22. & aliquot sequentibus. Quicunque igitur Principes eis parcunt, & à fortiori qui cum eis ineunt impunitatis pactum, imitatores sunt non modò *Saulis*, sed & *Achabi*, ejusdemque culpæ ac pœnæ rei. Verùm hæc objectio, ejusque confirmatio, nihil officiunt Christianis Principibus, ex justa necessitate hæreticos tolerantibus, pactoque impunitatis communientibus, de quibus solis modò disserimus. Sed planè redarguunt eos, qui absque ejusmodi necessitate hæreticis connivent, aut pactum impunitatis impendunt. Neque enim necessitate impulsi, sed temeritate illecti, *Saul* & *Achabus* pepercerunt eis de quibus redarguntur. Secunda objectio nititur exemplo ac documento Beati Ioannis Apostoli: exemplo quidem, quia ut ex Polycarpo ejus discipulo refert Eusebius, D. "Cùm Ephesi balneum esset lavandi gratiâ ingressus, inque illo Cerinthum hæreticum vidisset, mox illotus exilijt, dicens: *Fugiamus, ne balneum corruat, in quo Cerinthus inimicus veritatis lavat*". Subdit quoque continuò Eusebius: "Et ipse Polycarpus Marcioni (*hæretico*) sibi in via occurrenti, ac dicenti: *Cognoscis nos?* respondit, *Cognosco primogenitum Satanæ*. Tanta fuit Apostolis & eorum discipulis Religio, illis vel verbo communicandi, qui veritatem corrumpebant: sicut & Paulus dixit, *Hæreticum hominem post unam & alteram admonitionem aversare* &c". Documento denique, quia disertè mandavit, exoticæ doctrinæ hominem, *nec in domum recipi, nec AVE ei dici*. Quis autem non videat, longè minùs esse quenpiam in domum recipere, vel ei AVE dicere, quàm pactum pacis cum eo inire? Cùm ergò Joannes illud primum inhibuerit, quantò magis censendus est istud secundum inhibuisse? Sed hæc objectio eandem cum præcedenti admittit solutionem: neque enim vel exemplo vel documento isto Apostolico ampliùs evincitur, quàm vitanda esse colloquia commerciaque cum hæreticis, ubi nulla justa necessitas ad ea adigit. Verùm instabis, Nullâ necessitate excusari hominum commercia vel pacta cum diabolo: ergò nec cum hæreticis, quippè mancipijs, apostolis, organis, membris, filijs diaboli: prout partim ex Polycarpo statim retulimus, partim superiùs cap. 20. §. 77. astruximus. Negatur consequentia: quia diabolus irreconciliabiliter adversatur Deo, nec quicquam agit nisi ex odio Dei: undè meritò interdicta est hominibus omnis pactio aut conventio cum eo, & indicta perpetua inimicitia erga eum. Ex adverso autem præceptum eis est, ut diligant omnes homines, quantumvis malos, dum adhuc in via sunt, & boni fieri possunt: E. "In eo, inquit Augustinus, quòd malus est quis, utrùm usque in finem perseveraturus sit, ignoramus: & plerunque cùm tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti, & nescis. Diabolus & Angeli ejus in Scripturis sanctis manifestati sunt nobis, quòd ad ignem æternum sint destinati: ipsorum tantùm desperanda est correctio, contra quos habemus occultam luctam, ad quam nos armat Apostolus, dicens: *Non est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem*, id est, adversùs homines quos videmus; *sed adversùs Principes, & Potestates, & rectores Mundi tenebrarum harum*". Porrò hic ipse Apostolus qui armat nos ad pugnandum incessanter adversùs diabolum & Angelos ejus, alibi nos hortatur, ut *Si fieri potest, quod in nobis est, cum omnibus hominibus pacem habeamus.* Nec est quòd objicias, id non posse ex Apostoli mente fieri, quod absque fidei ac Religionis detrimento non potest fieri. Atqui impunitatis pactum cum hæreticis non potest absque fidei ac Religionis detrimento fieri: ergò ex Apostoli mente non potest fieri. Respondetur enim Majorem propositionem, etsi per se loquendo ac omnem hypothesin secludendo, sit vera; tamen ex hypothesi ingruentis mali majoris, falsam esse. Illud enim omne potest ex Apostoli mente fieri, quod recta ratio hic & nunc jubet fieri. Atqui recta ratio jubet fieri pactum impunitatis cum hæreticis, etiamsi aliquod detrimentum indè obveniat fidei ac Religioni, quando alioquin imminet longè majus aliud damnum fidei ac Religioni. In hujus enim majoris damni aliàs imminentis compa-

Margin notes (left column): OBIECTIO 1. — CONFIRMATIO. — 1. Reg. 20. 42. — DILVITVR. — Vide suprà c. 17. §. 117. — OBIECTIO 2. — D. Euseb. l. 4. Histor. cap. 14. Vide Theodoret. lib. 2. hæret. Fab. c. 3 & Niceph. lib. 3. Hist. c. 14. & Iren. l. 1 c. 1. & Epiphan. Hæresi 10. — Tit. 3. 10. — 2. Joan. v. 10.

Margin notes (right column): DILVITVR. — INSTANTIA. — ELIDITVR. — E. Aug. in Psalm. 54. — Ephes. 6. 12. — Rom. 12. 18. — PRÆOCCVPATIO.

comparatione prius illud minus detrimentum non tam censeri debet detrimentum, quàm emolumentum, sive præservativum medicamentum: nam ut Aristoteles §. 145. relatus aiebat, *Boni rationem subit minus malum, ad maius malum: Minus enim malum magis quàm maius est expetibile. At quod expetitur, bonum est: & quod magis, maius.*

Aristoteles.

OBIECTIO 3.

CCII. Objicitur tertiò: Seminare hæresin est per se & intrinsecè malum: ergò approbare illud est malum. Atqui paciscens cum hæreticis de impunitate approbat illud, quatenùs approbat pactum quo indulgetur illud: ergò pacisci cum hæreticis de impunitate est malum. Respondetur negando subsumptum. Neque enim seminatio hæreseos ingreditur pactum, sed sola seminandi impunitas sive libertas. Quod vel indè planum est, quòd si hæretici post initum pactum abstinerent ab hæreseos seminatione, nemo propterea arguere eos posset de pacti violatione. Sicut ergò qui cum meretricibus paciscitur ut possint impunè meretricari, vel cum usurarijs ut possint impunè fœnerari, non approbat ipsam meretricationem aut fœnerationem, nec obligat illas ad meretricandum, vel istos ad fœnerandum: ita qui cum hæreticis paciscitur ut possint impunè suas hæreses seminare, non approbat ipsam hæreseon seminationem, nec obligat hæreticos ad eas seminandum. Instabis fortè replicando, etiam impunitatem, sive seminandæ hæreseos libertatem, non posse licitè approbari, adeoque nec in pactum deduci; tò quòd & ipsa sit mala, juxta illud Augustini, F. *Quæ peior mors animæ, quàm libertas erroris?* quasi diceret, nulla. Respondetur, impunitatem sive malè agendi libertatem, non esse in se ipsa malam, sed voluntatem eâ abutentem suo ipso abusu fieri malam. Quapropter si quis eâ habitâ non abuteretur, sed rectè uteretur, non foret indè culpandus; sed laudandus, juxta illud Ecclesiastici, *Qui probatus est in illo, & perfectus, erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit: ideò stabilita sunt bona illius in Domino* In quem locum Pelusiota sic scribit: G. Non qui omni caret ad „ improbitatem occasione, justus debet ap„ pellari; sed potiùs qui cùm possit nequam „ esse, minimè vult. Nec qui necessitate est „ temperans ac moderatus, temperans me„ ritò vocatur; sed qui voluptati indulgere „ cùm possit, temperantiam libens ac vo„ lens amplectitur. Qui enim quæ volunt „ patrare non possunt, æquitatem sæpè ser„ vant; at cùm suppetit agendi facultas, re„ frænandi sunt. Optimus quisque tum maxi„ mè invalescit, quando injuriam facultas

DILVITVR.

INSTANTIA.

F. August. Epist. 166.

ELIDITVR.

Eccli. 31. 10.

G Isidorus Pelus. lib 5 Epist. 177. Vide Aug. Serm. 19 de verb. Apost. c 6. & Ser. 113. de Diversis c. 9. & in Psal. 91.

pariat. Augustini verò locus intelligendus est non de *libertate erroris* secundùm se sumptâ, sed ut pravæ errandi voluntati conjunctâ. Agit quippè ibi ex professo contra Donatistas, qui cùm jam haberent inveteratam errandi voluntatem, gestiebant impetrare errandi libertatem sive impunitatem. Objicitur quartò: Propter nullam Reipublicæ necessitatem potest Princeps inire cum latronibus pactum, ut liberè seu impunè possint latrocinari: ergò nec cum hæreticis, ut liberè seu impunè valeant suas hæreses disseminare. Cum enim hæretici censeantur latrones, prout §. 53. visum est, & quidem latronibus corporum tantò nocentiores, quantò anima corpore pretiosior est; consequens est, ut propter nullam Reipublicæ necessitatem possit Princeps inire cum eis pactum impunè seminandi suas hæreses. Respondetur negando assumptum. Etenim sicubi latrones sic crebrescerent ac viribus invalescerent, ut morale periculum sit ne universam Rempublicam subvertant, nisi latrocinandi libertatem seu impunitatem obtineant; poterit, imò tenebitur Princeps annuere eorum violentæ postulationi, ad præcavendam totius Reipublicæ subversionem. Objicitur quintò: Princeps jure naturali ac divino tenetur obviare seductoribus animarum sibi subditarum: ergò nunquam poterit eis indulgere seducendi libertatem. Respondetur, preceptum istud non exercere vim suam, nisi pro tempore opportuno: quale non est illud, quo non potest impleri absque majoris mali incursu. Instabis, nullum potest dari majus malum quàm sit perditio animarum, quæ certò subsequetur si hæreticis annuatur seminandi suas hæreses libertas. Respondetur, perditionem omnium animarum integri regni vel Principatûs, esse malum extensivè majus perditione aliquarum duntaxat animarum ejusdem regni vel Principatûs. Quando ergò periculum ingruit illius prioris, quod caveri nequit nisi toleratu posterioris; profectò posterius potiùs erit tolerandum, quàm regnum periculo prioris exponendum.

OBIECTIO 4.

DILVITVR.

OBIECTIO 5.

DILVITVR.

INSTANTIA.

ELIDITVR.

CCIII. Sed hoc est in quo nonnulli Principes seipsos fallunt, aut falli sinunt; quòd nimirùm terrenis suis commoditatibus plus justo intenti, periculorum magnitudinem supra verum exaggerant, apprehendentes exigua mediocria, mediocria magna, & magna extrema: ut videantur ea intueri per specularia auctifica, quibus res perspicitur seipsá prægrandior. Sicut enim quidam apprehendunt periculum ubi non subest, de qualibus scriptum est, *Illic trepidaverunt timore ubi non erat timor*: ita sunt nonnulli qui illud

Psalm. 13. 5.

apprehendunt auctius, quàm subest; quales fuisse videntur exploratores Israëlitarum, qui contemplatâ Chananæâ reversi ad suos dixerunt: *Terra quam lustravimus devorat habitatores suos, populus quem aspeximus proceræ staturæ est. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati quasi locustæ videbamur.* Et alibi rursùs: *Maxima multitudo est, & nobis staturâ procerior: urbes magnæ, & ad cælum usque muratæ: filios Enacim vidimus ibi.* Hos itaque imitantur Reges ac Principes, qui cùm deberent ac possent hæreticos exterminare, eisdem connivent aut impunitatem promittunt, prætextu periculorum quæ vel non subsunt, vel certè non tanta quanta obtenduntur, subsunt. Hi ne videantur sine ratione torpescere, aut causam Religionis ignaviter negligere, locustas transformant in gigantes, culices in elephantes: vires hæreticorum supra modum ac mensuram exaggerant, ut desidiam suam isto honestatis mantelo obvelent; dicentes interim apud semetipsos cum stulto Salomonico, *Melior est pugillus cum requie, quàm plena utraque manus cum labore.* Sed quantumlibet se muniant contra obloquia hominum, verissimum profectò est istud Apostoli, *Deus non irridetur.* Nec mirum: *Homo enim videt ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor.* Hinc quamvis apud homines subindè quis excusetur specioso prætextu, apud Deum tamen *scrutatorem cordis ac renum* plus nocet quàm prodest externus prætextus, quando ei non respondet internus affectus: nam ut Magnus ait Basilius, [H] Duplò puniendus venit qui prætextu boni malum facit: tum quòd operetur quod bonum non est, tum quòd ad perficiendum peccatum bono utitur, uti cooperario". Et rursùs in Homilia de Legendis Gentilium libris: "Hic est, inquit, extremus injustitiæ terminus, si quid Platoni credendum est, justum videri velle eum, qui justus non sit". Et Isidorus Hispalensis: [I] Dupliciter, inquit, damnantur hypocritæ, sive pro occulta iniquitate, sive pro aperta simulatione. Ex illa enim condemnantur, quia iniqui sunt; ex ista, quia ostendunt quod non sunt". Et

Num. 13. 33. & 34. — Deut 1. 28. — Eccle. 4. 6. — Gal. 6. 7. — 1. Reg. 16. 7. — Psalm. 7. 10. — H. Basilius Epist. 74. — Vide Pelag. lib 5. Epist. 149. — I. Isidorus Hispalensis l. 1 de Sum. Bono c. 24.

Richardus Victorinus: [K] Vitium, inquit, quod Deus singulariter detestatur, nullum aliud quàm hypocrisis rectiùs intelligitur: Augustino namque attestante, *Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas*". Huic porrò geminatæ iniquitati subjacent, qui prætextu necessitatis reverà non subsistentis, vel certè non sufficientis, hæreticis connivent, aut inito pacto libertatem dogmatizandi indulgent. Utuntur quippè fallaciâ sophisticâ *non causa, ut causa*; prætexentes necessitatem tolerandi hostes Religionis, cùm reverà ad id moveantur illicio temporariæ cujuspiam commoditatis. Faciunt ergo quod ij, qui ne militare pro patria compellantur, ægros se mentiuntur. Unicuilibet talium congruenter oggeritur istud Psalmographi, *Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* Ubi per *Sedem iniquitatis* satis commodè intelligitur diabolus, in quo utique iniquitas primò omnium resedit, ac residentiam suam hactenùs continuavit, & perpetuò continuatura est: *Ab initio*, ait Joannes, *diabolus peccat.* In quem locum Beda: [L] Cùm præmitteret, inquit, *ab initio*, subjunxit verbum præsentis temporis, *peccat*: quia ex quo ab initio cœpit diabolus peccare, nunquam desijt". Hæc ergò sedes iniquitatis *adhæret eis*, & *stat à dextris eorum*, qui cùm reverà possint, negligunt ditiones suas ab hæresibus purgare, *fingentes laborem in præcepto*, hoc est, prætexentes necessitatem tolerandi hæreticos contra præceptum exterminandi eosdem, eò quòd nimis laboriosum, molestum, arduum, ac periculosum videatur eos aggredi vel exacerbare: cùm reverà non tam operis difficultas, quàm quietis inordinata aviditas, aut alterius commodi terreni cupiditas ipsos pelliciat, atque ab aggrediendo deterreat. Sed advertant quid Psalmographus de *fingentibus laborem in præcepto* subtexat ibidem inferiùs: *Reddet illis*, inquiens, *iniquitatem ipsorum, & in malitia eorum disperdet eos; disperdet illos Dominus Deus noster.* Rectissimè utique reddet eis suam ipsorum iniquitatem, quibus ad fingendum in præcepto laborem adhæret sedes iniquitatis.

K Richard. Victorin. in Benjam. Minori cap. 69. — Psal. 93. 20. — 1. Joan. 3. 8. — L. Beda in cap. 3. Epist. 1. Joannis. — Psal. 108. 4. — Psal. 93. 23.

CAPUT

CAPUT LVI.

Quorumnam typum Rex Saul *in eo gesserit, quòd super gladium suum perimendus irruerit? Præcepto* Non occides, *vetatur suicidium. Sicut parricida eò scelestior est alijs homicidis, quò propinquiorem hominem necat: sic scelestissimus est suiipsius peremptor, cùm nemo sit cuique seipso propinquior. Seipsum interimere non magni est animi, sed pusilli: major quippè est animus, qui vitam ærumnosam potest ferre, quàm qui fugere. Furor est, ne moriare, mori. Vetat summus Imperator suo injussu quenquam statione decedere. Ethnicorum quorundam sapientiorum in suicidas animadversio. Iosephi Hebræi super occisione sui cum contribulibus disceptatio.* Saul *occidendo seipsum ne Philistæorum illusiones subiret, pusillanimitatis sibi notam inussit & æternam damnationem promeruit. Qui primus Imperatorum in Christianos Cæsareano gladio ferocire præsumpsit, violentas sibi ipsi demum manus intulit. Recensentur aliquot sequentes Imperatores, persecutionum post* Neronem *suscitatores, qui quòd in pios sævierint, funestè perierunt: ut* Domitianus, Trajanus, Antoninus, Severus, Maximinus, Decius, Valerianus, Aurelianus, Diocletianus, Maximianus.

CCIV. EOrum quæ superiùs cap. 8. §. 32. proposuimus consideranda circa Regem *Saulem*, duo adhuc supersunt modò tractanda, antequàm ad cætera cap. 3. §. 7. proposita transeamus: quorum primo inquiritur, quidnam ipse in eo figuraverit, *Quòd super gladium suum perimendus irruerit?* Cùm igitur venisset dies punitioni ejus divinitùs præstituta, atque à Samuële pridiè prænunciata, *Philisthym*, ait Sacer Textus, *pugnabant contra Israël, fugeruntque viri Israël Palæstinos, & ceciderunt vulnerati in monte Gelboe. Cùmque appropinquassent Philisthæi persequentes Saul & filios ejus, percusserunt Ionathan, & Abinadab, & Melchisua, filios Saul. Et aggravatum est prælium contra Saul, inveneruntque eum sagittarij, & vulneraverunt iaculis. Et dixit Saul ad armigerum suum: Evagina gladium tuum, & interfice me; ne fortè veniant incircumcisi isti, & illudant mihi. Noluit autem armiger eius hoc facere, timore perterritus: arripuit ergò Saul ensem, & irruit in eum. Quod cùm vidisset armiger eius, videlicet mortuum esse Saul, irruit etiam ipse in gladium suum, & mortuus est. Interijt ergò Saul, & tres filij eius, & omnis domus eius pariter concidit.* [1. Par. 10. 1. & seqq. Vide 1. Reg. 31. 1. & seqq.] Hoc fuit *Saulis* novissimum, ac superiorum omnium consummatorium facinus, quo sibi ipsi violentas intulit manus, horrendum in se exequens carnificium: [M. Aug. l. 1. de Civit. cap. 20.] M. "Neque enim frustrà, ut Augustinus ait, in sanctis Canonicisque Libris nusquam nobis divinitùs præceptum permissumve reperiri potest, ut vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel ullius carendi cavendive mali causâ, nobismet ipsis necem inferamus. Nam & prohibitos nos esse intelligendum est, ubi lex ait, *Non occides*: [Exod. 20. 13.] præsertim quia non addidit, proximum tuum: sicut falsum testimonium cùm vetaret, *Falsum*, inquit, *testimonium non dices contra proximum tuum.* [Ibidem v. 15.] Nec ideò tamen si adversùs seipsum quisquam falsum testimonium dixerit, ab hoc crimine se putaverit alienum: quoniam regulam diligendi proximum à semetipso dilector accepit, quandoquidèm scriptum est, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* [Mat. 22. 39.] Porrò si falsi testimonij non minùs reus est, qui de seipso falsum fatetur, quàm si adversùs proximum hoc faceret, cùm in eo præcepto quo falsum testimonium prohibetur, *adversùs proximum* prohibeatur; possitque non rectè intelligentibus videri non esse prohibitum ut adversùs seipsum quisquam falsus testis assistat: quantò magis intelligendum est, non licere homini seipsum occidere; cùm in eo quod scriptum est, *Non occides*, nihilo deindè addito, nullus, nec ipse utique cui præcipitur, intelligatur exceptus"? Hæc ibi Augustinus, qui & mox sequenti capite generalem istam tradit regulam: "His exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem vel seipsum, vel quemlibet

„ occiderit, homicidij crimine innectitur". Et rursùs inferiùs cap. 26. " Hoc dicimus, „ inquit, hoc asserimus, hoc modis omnibus „ approbamus, neminem sibi spontaneam „ mortem inferre debere, velut fugiendo mo„lestias corporales, ne incidat in perpetuas: „ neminem propter aliena peccata, ne hoc „ ipso incipiat habere gravissimum proprium, „ quem non polluebat alienum: neminem „ propter sua peccata præterita, propter quæ „ magis hâc vitâ opus est, ut possint pœniten„do sanari: neminem velut desiderio vitæ „ melioris quæ post mortem speratur, quia „ reos suæ mortis melior post mortem vita non suscipit". Cùm enim scriptum sit, *Omnis homicida non habet vitam æternam*; quantò minùs eandem habituri sunt parricidæ: si autem parricidæ, profectò à fortiori & suicidæ. Nam ut rectissimè idem Augustinus alibi ratiocinatur, N. Si parricida eò sceleratior est quàm „ quilibet homicida, quia non tantùm ho„minem, verùm etiam propinquum necat; „ & in ipsis parricidis quantò propinquiorem „ quisque peremerit, tantò judicatur imma„nior: sine dubio pejor est qui seipsum „ occidit, quia nemo est homini seipso propinquior".

1. Joan. 3.15

N. August. l. de Poenitentia cap. 13 Vide Lactant. lib. 3. c. 18.

CCV. Quanquàm igitur seipsum periculis etiam præsentissimis interemptionis pro publica necessitate utilitateque exponere, fortitudinis sit ac magnanimitatis; sibi tamen ipsi manus inferre, formidinis potiùs est quàm fortitudinis, & pusillanimitatis quàm magnanimitatis: O. Quicunque, inquit idem qui „ suprà Augustinus, hoc in seipsis perpetra„runt, animi magnitudine fortasse mirandi, „ non sapientiæ sanitate laudandi sunt. Quan„quàm si rationem diligentiùs consulas, nec „ ipsa quidem animi magnitudo rectè nomi„natur, ubi quisque non valendo tolerare „ vel quæque aspera, vel aliena peccata, se „ ipse interemerit. Magis enim mens infirma „ deprehenditur, quæ ferre non potest vel „ duram sui corporis servitutem, vel stultam „ vulgi opinionem: majorque animus meri„tò dicendus est, qui vitam ærumnosam magis potest ferre, quàm fugere". Intellexit hoc ipsum ductu rationis Aristoteles, quando scripsit in suis Ethicis: P. Mortem sibi „ consciscere ob fugiendam paupertatem, aut „ amarum vel molestum aliquid, non fortis „ est hominis, sed potiùs timidi: est enim „ mollitiei laboriosa fugere; nec quia res est „ honesta appetit mortem, sed quia malum fugit". Pulchrè quoque & appositè scribit Seneca: Q. Vir fortis & sapiens non fugere debet è vita, sed exire". Et rursùs inferiùs Epist. 70." Stultitia est, inquit, timore mortis „ mori: venit qui occidat: expecta, quid oc„cupas? Quare suscipis alienæ crudelitatis „ procurationem? Utrùm invides carnifici tuo, an parcis"? In cujus loci Notis Lipsius recitat hanc Arcisilai sententiam: *Multi ob vilitatem ingenij, & criminationes mortis, moriuntur ne moriantur*. Et istam item Diogenis: *Adeò difficilis & mala res metus est, ut multi anteceperint sibi sum factum, hoc est, id quod timebatur: sicut qui in navi tempestate iactantur & periclitantur, non expectato dum ea mergatur, sese interficiunt*. Ex hoc genere hominum fuit Phaunius ille, similis planè *Sauli*, in quem ita lusit Martialis: *Hostem cùm fugeret, se Phaunius ipse peremit: Dic rogo, num furor est, ne moriare, mori?* Author libelli de duplici Martyrio, inter Opera Cypriani: " Si qui, inquit, legun„tur sibi fortiter conscivisse necem, aut in„firmitas erat morte quærens dolorum finem, aut ambitio, aut dementia". Optimè quoque ratiocinatur in hanc rem Lactantius: R. Sicut „ in hanc vitam, inquiens, non nostrâ sponte „ venimus, ita rursùs ex hoc domicilio cor„poris, quod tuendum nobis assignatum „ est, ejusdem jussu recedendum est, qui nos „ in hoc corpus induxit, tamdiu habitaturos, „ donec jubeat emitti; & si vis aliqua infe„ratur, æquâ mente id ferendum est, cùm „ extincta innocentis anima inulta esse non „ possit; habeamusque vindicem magnum, „ cui soli vindicta integra semper est". Consonat & Cicero in 1. Tuscul. " Vetat, in„quiens, Summus ille Imperator (*Deus*) suo injussu statione decedere".

O. August. l. 1. de Civit. cap 22.

P. Aristot. l. 3. Ethic. c. 7.

Q. Seneca Epist. 24.

Aristoteles. Diogenes. Martialis. Cyprianus.

R. Lactant. lib 3. c. 18.

Cicero.

CCVI. Fuerunt quidem non pauci inter Ethnicos, qui gloriosum ac laudabile censuerint morte spontaneâ vitam sibi adimere: sed sapientiores aliter judicarunt: S. Veteribus „ quippè literis, ut ait quidam, & annalium „ monumentis proditum extat, quòd tametsi „ apud varias Gentes vim sibi afferre, & ne„cem suâ sponte consciscere, dignum laude „ & magni fuerit habitum: apud Thebanos „ tamen, qui mortem sibi conscivisset, nullâ „ fuit laude dignus; quin potiùs id crimini „ dabatur & probro: eoque facinore puden„dam inscitiam & imperitiam coarguebat „ ille suam, velut sui carnifex immanisque „ naturæ foret. Athenienses verò cùm ne„cem sibi quisquam manu conscivisset, de„functo cadaveri manum, tanquam facino„rosam, abscindunt, illamque divisam à cor„pore inhumatam relinquunt, reliquum ca„daver humo tegentes. Quod Platonis do„cumentum fuit, qui censuit, optimum „ quemque infracto animo vim fortunæ & „ incursus calamitatum potiùs ferre, & nisi „ cùm dies promissus advenerit, neminem „ injussu Dei mortem sibi consciscere, aut „ ante tempus fato fungi oportere: idque magni-

S. Alexand. ab Alexandro l. 3. Genial. c. 25.

magnificentius præclariusque videri". His consonè scribit Isidorus Pelusiotes, cùm ait: T. Si de duobus, mari scilicet & fœminâ, „ dictum est illud, *Quæ Deus coniunxit, homo ne separet*: qui animam per vim à corpore avel- „ lit, & vel laqueo se strangulat, vel cæde „ violentâ sese necat, ecquam, quæso, ve- „ niam merebitur? Tales nimirùm execran- „ dos atque infames etiam à morte veteres „ judicarunt; manumque abscissam, quâ sibi „ vim intulisset, & à corpore avulsam, ne- „ quaquàm terræ mandabant; iniquum esse „ rati administram cædis cum reliquo cor- „ pore humo condi. Si verò manus ab ho- „ minibus pœnâ etiam post mortem affici- „ tur, anima quæ manum impulit, quam ve- „ niam merebitur"? Cæterùm ut non Chri- stianorum duntaxat & Ethnicorum, sed Ju- dæorum quoque hanc fuisse sententiam ostendamus, describemus hic discursum quem Josephus habuisse se memorat cum quibusdam commilitonibus suis, suadenti- bus ut sibi violentas potiùs manus inferret, quàm Romanis vivum se traderet: V. Pul- „ chrum esse, ait ille, pro libertate mori, fa- „ teor: pugnando tamen, & eorum manibus „ qui eam præripuere. Nunc autem neque „ prælia nobis obstant, neque nos interfi- „ ciunt. Itidem autem timidus est habendus, „ qui mori non vult cùm opus est, & qui vult „ cùm non oportet. Præterea quis nos me- „ tus prohibet ad Romanos ascendere? Nem- „ pè mortis. Ergò quæ ab hostibus dubiæ sub- „ jecta formidini est, eam nobis certam ipsi ir- „ rogabimus. Verùm *servitutem*, dicet aliquis? „ Valde quidem nunc liberi sumus. At *viri* „ *fortis est semet occidere*? Imò verò ignavissi- „ mi, quantum opinor: nam & gubernato- „ rem timidissimum puto, qui tempestatem „ metuens, ante vim turbinis navem spon- „ te submergit. Quin etiam propriâ manu „ perire, à communi omnium animalium na- „ turâ discrepat, eoque modo in Creatorem „ nostrum Deum summum scelus admitti- „ tur. Nullum est animal quod ex industriâ „ vel per se moriatur: siquidem naturæ lex „ validissima, ut velint vivere, in omnibus „ sita est; & idcircò qui nobis adimendum id „ putant, hostes ducimus; & quos nostros „ insidiatores putamus, pœnâ persequimur. „ Deum verò indignè ferre non arbitramini, „ cùm donum ejus homo despiciat? Ab illo „ enim accepimus, ut essemus; rursumque „ ut esse desinamus, illi reddendum est. „ Corpora quidem cunctis mortalia sunt, ex „ caducâ materiâ fabricata: anima verò sem- „ per immortalis est, Deique particula in „ corporibus collocata. Si qui igitur deposi- „ tum hominis surripuerit aut malè tracta- „ verit, pessimus statim ac perfidiosus habe- „ tur: si Dei depositum ex proprio corpore „ quis ejecerit, eum se latuisse quem læserit „ æstimabit? Et servos quidem fugientes „ ulcisci, justum creditur, quamtumvis ne- „ quam dominos fugerint: ipsi verò Deum „ fugientes, & optimum Deum, impiè facere „ non videbimur? An ignoratis, quòd eo- „ rum qui lege naturæ vitâ exeunt, acce- „ ptumque Deo debitum solvunt cum id „ qui dedit recipere voluerit, perpetua „ laus, domusque, ac familia stabiles sunt? „ puræ autem, & quæ invocantes exaudiant „ animæ, retinent locum in cælo adeptæ „ sanctissimum; atque inde rursum, volven- „ tibus sæculis, casta corpora jubentur in- „ colere? Quorum verò manus in seipsos „ insanierunt, eorum animas tenebrosior „ orcus suscipit: pater autem illorum Deus „ authores injuriæ per nepotes ulciscitur. „ Hinc & Deo invisum est, & à sapien- „ tissimo legis nostræ conditore coërcetur. „ Denique si qui se occiderint, apud nos qui- „ dem usque ad solis occasum insepultos ab- „ jici decretum est, cùm etiam hostes sepelire „ fas esse ducamus: apud alios autem & dex- „ teræ jubentur abscindi ejusmodi mortuo- „ rum, quæ in ipsos armatæ fuerant; quo- „ niam ut corpus ab anima, ita & manum à corpore alienam esse existimarent". Hæc ibi Josephus, quibus consona leguntur apud Hegesippum lib. 3. de Excidio Hierosoly- mitano cap. 17. ubi & signanter facinus *Sau- lis* seipsum interimentis adducitur, & multi- pliciter improbatur; nec fortitudini, sed pu- sillanimitati potiùs adscribitur. Et rectè, nam ut Martialis canit, *Rebus in adversis facilè est contemnere vitam: Fortiter ille facit, qui miser esse potest*. Quapropter non possum dissentire Cajetano, qui ad illa verba, *Arripuit Saul gla- dium, & irruit super eum*: W. Hinc apparet, „ inquit, tum damnatio Saulis, utpote qui „ interfecit seipsum; tum mollities animi „ ejus, non valentis sufferre illusiones à Phi- „ listhinis. Nam ad evitandas hujusmodi il- „ lusiones seipsum peremit: quod etiam Phi- losophi molli animo tribuunt".

T. Isidor. Pelusiotes lib. 5. Epist. 117. Vide Ioan. Sarisber. lib. 3. Policrat. cap. 26.

V. Iosephus l. 3. de Bello Jud. cap. 14.

Hegesippus.

Martialis.

1 Reg. 31. 4. W. Cajet. in cap. 31. l. 1. Reg.

CCVII. Figuravit porrò *Saul* isto suo fa- cinore impios quosdam Principes, qui in pœnam violatæ Religionis sic à Deo dese- runtur, atque in extremas angustias redi- guntur, ut mortem ignominiosæ vitæ præ- ferentes, sibimet ipsis manus inferant vio- lentas. Exemplo sit *Nero*, qui Romanorum Imperatorum primus persecutionem adver- sùs Christianos movit. Qua de re Tertul- lianus, ex communi Christianorum personâ, Romanis adhuc ethnicis aiebat: X. Consu- „ lite commentarios vestros: illic reperietis, „ primum Neronem in hanc Sectam, tum „ maximè Romæ orientem, Cæsareano gla- dio fe-

X. Tertull. in Apolog. cap. 5.

„ dio ferociſſe. Sed tali dedicatore damnationis noſtræ etiam gloriamur: qui enim „ ſcit illum, intelligere poteſt non niſi grande aliquod bonum à Nerone damnatum". Et rursùs in Scorpiaco cap. 15." Vitas Cæſarum legimus: orientem fidem Romæ

Joan. 21. 18. „ primus Nero cruentavit. Tunc Petrus *ab* „ *altero cingitur*, cùm cruci adſtringitur: tunc

Act. 22. 28 „ Paulus *civitatis Romanæ conſequitur nativitatem*, cùm illic martyrij renaſcitur generoſitate". Occiderat *Saul* Achimelechum Hebræorum Pontificem, propter paſtionem Davidis: eum imitatus *Nero* martyrizavit Petrum Chriſtianorum primum Pontificem, propter confeſſionem Chriſti. Occiſus eſt *Saul* à ſeipſo, perſequentibus hoſtibus Philiſthinis: occiſus eſt & *Nero* à ſeipſo, perſequentibus hoſtiliter militibus Romanis:

Y Oroſ. lib. 7. c. 7. Y. *Nero*, inquit Oroſius, poſtquàm Galbam „ in Hiſpania Imperatorem ab exercitu creatum cognovit, totus animo ac ſpe concidit: cùmque incredibilia perturbandæ, „ imò ſubruendæ Reipublicæ mala moliretur, hoſtis à Senatu pronuntiatus, & ignominioſiſſimè fugiens, ad quartum ab urbe „ lapidem ſeſe ipſe interfecit; atque in eo „ omnis Cæſarem familia conſumpta eſt".

Z Dio Caſſius lib. 61. Hiſt. in fine. De eodem ſic legitur apud Dionem Caſſium: Z *Nero* ſtudioſè perquiritur, ignoratum eſt aliquamdiu quò profectus eſſet. „ Pòſt ubi cognitum eſt, adversùs eum equites mittuntur: quos ille poſtquàm advenſtare intellexiſſet, his qui ſecum aderant „ imperavit ut ſe interficerent. Cùmque illi „ non obedirent, ingemiſcens ait: *Ego ſolus* „ *nec amicum, nec inimicum habeo.* Interim appropinquantibus equitibus ipſe ſibi manus „ intulit, dixitque pervulgatum illud: *Dij immortales, qualis artifex pereo*". De Neronis ſucceſſoribus, Chriſtianæ Religioni infeſtis, longum eſſet hîc ſingulatim diſſerere. Sufficiat præſenti noſtro ſcopo advertere, famoſos illos Eccleſiæ perſecutores cap. 13. §. 51. recenſitos, qui exemplo *Saulis*, perindè ac Nero, crudelitatem in Antiſtites ac profeſſores Religionis exercuerunt, funeſtâ cataſtrophe vitam finiviſſe. Secundæ namque perſecutionis Edictor, *Domitianus*, teſte Oroſio,

A. Oroſius, lib. 7. cap. 10 A Crudeliter in palatio à ſuis interfectus eſt: „ cujus cadaver populari ſandapilâ per veſpillones exportatum, ignominioſiſſimè ſepultum eſt". Tertiæ perſecutionis author,

B. Dio l. 68. in fine. *Traianus*, teſte Dione, B. Apoplexiâ correptus, aquâque intercute oppletus, interijt". De quartæ perſecutionis authore, *Antonino*, ſic ſcribit Oroſius: C. In Pannoniâ C. Oroſius ibidem c. 13.

„ conſtitutus, repentino morbo diem obijt". Quintæ perſecutionis author, *Severus*, D. Dum D. Aurelius Victor in vita Severi.

„ membrorum omnium, maximè pedum, „ dolorem pati nequiret, veneni vice, quod „ ei negabatur, cibum gravis ac plurimæ carnis avidiùs invaſit: quem cùm conficere „ non poſſet, cruditatem paſſus expiravit". Sextæ perſecutionis author, *Maximinus*, prout Aurelius Victor in vitâ ejus perhibet, " Apud Aquileiam ſeditione militum diſceptus eſt, unà cum filio i conclamantibus „ cunctis militari joco, *Ex peſſimo genere ne catulum habendum*". Septimæ perſecutionis author, *Decius*, teſte eodem in vitâ ipſius, " In ſolo Barbarico inter tonſuſas turbas „ gurgite paludis ſubmerſus eſt, ita ut nec cadaver ejus potuerit inveniri: filius verò ejus bello extinctus eſt". Octavæ perſecutionis author, *Valerianus*, ut idem in vita ejus affert," In Meſopotamia bellum gerens, à „ Sapore Perſarum Rege ſuperatus, mox „ etiam captus eſt; & apud Parthos ignobili „ ſervitute conſenuit. Nam quamdiu vixit, „ Rex ejuſdem provinciæ, incurvato eo, „ pedem cervicibus ejus imponens, equum aſcendere ſolitus erat". Nonæ perſecutionis author, *Aurelianus*, teſte eodem in vita ejus," Fraude ſervi ſui, qui ad quoſdam militares viros, amicos ipſius, nomina pertulit adnotata, falsò manum ejus imitatus, „ tanquam *Aurelianus* ipſos pararet occidere, „ ab iiſdem interfectus eſt, in itineris medio, „ quod eſt inter Conſtantinopolim & Heracleam". Decimæ perſecutionis authores, *Diocletianus* & *Maximianus*, nihilo meliorem præcedentibus ſortiti ſunt vitæ exitum: quorum prior, ut idem in ejus vitâ teſtatur," Morte conſumptus eſt per formidinem voluntariam. Quippè cùm à Conſtantino atque Licinio vocatus ad feſta „ nuptiarum, per ſenectam quo minus intereſſe valeret ſeſe excuſaſſet; reſcriptis „ minacibus acceptis, quibus increpabatur „ Maxentio faviſſe, ac Maximiano favere, „ ſuſpectans necem dedecoroſam, venenum dicitur hauſiſſe". Poſterior, ut idem in vitâ ejus refert," Apud Maſſiliam à Conſtantino „ obſeſſus, ac deindè captus, pœnas genere „ mortis poſtremo dedit, fractis laqueo cervicibus".

CAPUT

CAPUT LVII.

In eo quòd Rex Saul *Prophetam Samuëlem pridèm sanctè defunctum* inquietaverit, *figuravit eos qui non contenti affligere justos in hac adhuc vita peregrinantes, etiam infesti sunt Cælitibus æternâ requie fruentibus. Veteres Sancti incoluerunt subterraneum Abrahæ sinum, donec Christus clave suæ crucis reseravit eis paradisum. Illustratur Psalmographi versiculus,* Posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum transivit in terra. *Iulianus Apostata blasphemiam cum cruore in cælum emittens interijt.* Maria *peculiari prærogativâ* Cælum, *quia Dei incarnati solium. Complura alia ejusdem epitheta & elogia ex Patribus. Angeli sancti non solùm* montes, *sed etiam* cæli, *imò &* cæli cælorum *dicti. Eorum varia encomia ex Syncello & Sophronio. Hominibus sanctis repromissa æqualitas Angelorum in cælo. Ad singulos Angelorum Ordines subvehuntur in supplementum homines: tales enim oportet esse eos qui in supernam Hierusalem pro Angelis indè lapsis assumendi sunt, quales ibi futuri erant, pro quibus ibi erunt. Cur Moyses prius retulerit creationem* cæli, *ac posteà subdiderit formationem* firmamenti?

CCVIII. ALterum quod de *Saule* indagandum restat, est inquietatio illa quâ Samuëlem jam pridem defunctum inquietasse perhibetur, dicente ad eum ipso
1. Reg. 28. 15 Samuele, *Quare inquietasti me?* Nondum quidem tunc anima Samuëlis in cælum conscenderat, aut supernæ mansionis requiem perceperat: unde nec pythonissa ad ejus conspectum aiebat, Deos vidi descendentes de cælo; sed,
Ibidem v. 13. *Deos vidi ascendentes de terra.* Ex quo enim primus Adam sibi ac posteris clausit cælum peccando, nullus hominum quantumvis justus intrare illuc post hànc vitam potuit, quoadusque secundus Adam suâ cruce velut clave
E. Hier in c. 9. Ecclesiastæ. Vide Ep. 3. & 25. c. 3. & 127. Mans. 94. & Leont. Vigilant c. 2. & Epist. 119. illud aperuit: E. Ante adventum Christi, inquit Hieronymus, omnia ad Inferos pariter ducebantur. Unde & Jacob *ad Inferos descensurum se* dixit; & Job *pios & impios Inferno* queritur *retentari*; & Euangelium,
Lucæ 16, 26. *Chaos magnum interpositum* apud Inferos, & *Abraham cum Lazaro*, & *divitem in supplicijs* esse testatur. Et reverà antequàm
Gen. 3, 24. *flammeam illam rotam & igneam romphaam ad paradisi fores* Christus cum latrone reseraret, clausa erant cælestia". Et inferiùs iterùm in caput 9. ejusdem libri, *Samuëlem* nominatim in inferno fuisse asseverat; & ante adventum Christi, omnes, quantumvis sanctos, inferni lege detentos. Verùm etsi Samuël non-
Vide D. Th. 1. p. q. 49. a. 5. & q. 12. a. 5 dum tunc in cælesti requie fuerit, in subterraneâ tamen justorum mansione quiescebat, quam Christus *sinum Abrahæ*, & Doctores Lucæ 16. 22.
promiscuè *Limbum Patrum* nuncupant: quem describit Augustinus [F], *Secreta cujusdam quietis habitationem*, & lib. 4. de Origine animæ cap. 16. *remotam atque secretam quietis sedem*: quem item lib. 20. de Civit. c. 15. *remotissimum ab impiorum tormentis* statuit. Ex hac igitur secreta quietis sede eductus Samuëlis spiritus, ut reprobo Regi imminens exitium prænunciaret, ita est exorsus, *Quare inquietasti me?* Septuaginta Interpretes pro, *inquietasti*, vertunt *Perturbasti*: Pagninus & Vatablus, *Commovisti*. Est porrò indignabundi expostulatio, quasi diceret: Sufficere tibi deberet quòd molestaveris me in terris tecum pridem conversantem, cur me denuò jam vexandum putasti in Patriarcharum sinu quiescentem? [G]. "Meritò, inquit Pineda, Samuel vitæ militiâ jam functus, cùm à Saule, qui nuper excesserat è castris, ab Inferis evocaretur, graviter atque severè conquestus: *Quare*, inquit, *inquietasti me, ut suscitarer?* Quasi diceret, quid tentas iterum non solùm antiquo me includere ludo, sed prælio etiam periculosissimo, non tibi peculiari, sed communi omnibus mortalibus? Cur ad vitæ negotia, ad sollicitudines, ad lites, ad baltheum & gladium, ad excubias & vigilias, ad belli tumultum & incommoda, denique ad armorum me discrimina vocas"? Displicuit planè Samuëli

F. August. Epist. 99. Vide in Psal. 31.

G. Pineda in cap. 3. Iob v. 13. num. 13

Samueli ista inquietatio, & idcircò ait in-
1. Reg. 28. 16. quietanti, necessitatemque prætexenti: *Quid
interrogas me, cùm Dominus recesserit à te?* hoc
Ibidem v. 15. est, cùm tu ipse disertè jam fassus sis, *Deum re-
cessisse à te, & exaudire te noluisse neque in manu
Prophetarum, neque per somnia*: quid est quòd
me divellere à Domino tentas quasi mihi lu-
besceret adversùs Deum insurgere, ac tibi ab
eodem jam derelicto favere? Vis me deterio-
Num. 22. 38. rem facere Balaamo, qui ait: *Nunquid loqui
potero aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo?* Et
Num. 23. 19. iterùm, *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur;
nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergò, &
non faciet? Locutus est, & non implebit?* Absit
omninò: & ideò quod ego tibi eventurum
prædixeram olim vivus, hoc ipsum nunc de-
1. Reg. 28. 17. nuò denuncio mortuus: *Faciet enim tibi Do-
minus sicut locutus est in manu mea, & scindet re-
gnum tuum de manu tua*. An ita obliviosus es,
aut incredulus, ut vel tibi exciderit, vel fal-
sum putes, quod aliàs à me post diploidis meæ
1. Reg. 15. 28. scissionem recedente audisti; *Triumphator in
Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur: ne-
que enim homo est, ut agat pœnitentiam?* Ego
quidem lugere te olim cœpi, sed Domino in-
crepante luctum abrupi, cùm scilicet auribus
meis illa velut indignantis vox insonuit:
1. Reg. 16. 1. *Vsquequò tu luges Saul, cùm ego projecerim eum
ne regnet super Israël?*

CCIX. Porrò Rex *Saul* quiescentem in
Patriarcharum sinù Samuelem inquietando,
figuravit Reges ac Principes impios, qui non
contenti affligere justos in hac adhuc vita pe-
regrinantes, etiam infestant Cælites æternâ re-
quie perfruentes, de qualibus extat illa sanctis-
simi Regis simulque Prophetæ querimonia,
Psal. 72. 9. *Posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum
transivit in terra*: sive, ut in Chaldaica Para-
phrasi luculentiùs exprimitur, *Posuerunt in San-
ctos cælorum os suum, & lingua eorum ussit San-
ctos terræ*. Hos non malè quis assimilaverit
famosis illis Poëtarum Titanibus, qui Cæli-
tibus bellum intulisse memorantur; aut tumi-
do Xerxi Persarum Regi, qui sagittas in So-
lem vibrasse perhibetur. Quem profectò &
fatuitate exæquavit, & impietate superavit
Julianus Apostata, qui Solem Justitiæ Chri-
stum in cælo radiantem, non sagittâ, sed san-
guine proprio in altum projecto, impetere
Vide Niceph. lib. 10. c. 35. tentavit, exclamans: *Vicisti Galilæe, saturare
sanguine Nazarene*. Cujus Apostatæ fatuitati
pariter & impietati appropinquant, qui cùm
illum eundem justitiæ Solem suspicere se ac
venerari profiteantur, in matrem tamen ejus
sanctissimam propudiosè jaculantur: quasi non
Apoc. 12. 1. esset *Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus,
& in capite ejus corona stellarum duodecim*: qua-
Cant. 6. 9. si non esset illa, *quæ progreditur quasi aurora
consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis
ut castrorum acies ordinata*: [H.] quasi non esset H. Damasc. Oratione 1. de Nativit. B. Mariæ.
„cælum ex terrena materia ab illo conditum,
„qui olim firmamentum ex aquis finxerat,
„atque in altum extulerat, ac sanè hoc lon-
„gè illo divinius; nam qui in illo Solem effe-
cerat, ex hoc justitiæ Sol ortus est". [I.] Quis I. Idem Orat. 2. de Assumpt. B. Mariæ.
„ergò eam *cælum* nuncupans aberret à vero,
„nisi fortè rem rectè intelligens ipsis quoque
„cælis incomparabili præcellentiæ modo eam
„superiorem dicere malit? Etenim is qui
„cælorum architectus & conservator est; qui
„rerum omnium conditarum tam munda-
„narum quàm supermundanarum, tam
„aspectabilium quàm inspectabilium arti-
„fex; cujus nullus in omnibus rebus locus est
„(siquidem id quod continet, eorum quæ
„continentur locus esse definitur) in ea à se
„ipso sine semine infans effectus est, eamque
„latum suæ Deitatis omnia complectentis
„promptuarium reddidit: totus nempè citra
„ullam perpessionem in ea collectus, ac to-
„tus intùs manens, locumque sibi habens qui
comprehendi nequeat". Cùm Dominus apud
Prophetam dicat, *Cælum sedes mea*, quis am- Isaiæ 66. 1.
bigat eam rectè *cælum* nuncupari, quæ intra
sua castissima viscera Deum novem mensium
spatio quiescentem gessit, sicut ipsa per Ec-
clesiasticum ait, *Qui creavit me, requievit in ta-* Eccli. 24. 12.
bernaculo meo? Quam prærogativam ei gratu-
lans mox citatus Damascenus Orat. 1. de As-
sumptione, exclamat ad ipsam:" Tu es *solium* Isaiæ 6. 1.
„illud regium, cui astiterunt Angeli, Domi- Vide Ephræm Syrum Ser. de Laudibus B. Mariæ & Orat. ad ipsam.
„num & factorem insidentem cernentes: tu
„spiritalis *Edem*, antiquâ illâ sanctior ac di-
„vinior; siquidem in illa terrenus Adam
„commorabatur, in te autem Dominus
„cælestis: te *Arca* illa, quæ secundi Mun- Gen. 7. 3.
„di semina conservabat, adumbravit; quip-
„pè quæ Christum Mundi salutem, qui pec-
„catum obruit ejusque fluenta compressit, pe-
„peristi: te *rubus* delineavit, *tabulæ* divinitùs Exod. 3. 2.
„perscriptæ significarunt, *fœderis Arca* præ- Exod. 25. 10. 30 & 31.
„nunciavit, *urna*, & *candelabrum*, & *mensa*,
„& *virga Aaronis* quæ floruit, apertè præfi- Num. 17. 8. & ad Hebr. 9. 4.
„gurarunt; siquidem ex te divinitatis flam-
„ma, ille Patris terminus & ratio, suavissi-
„mum illud & cæleste manna, nomen illud
„nominis expers, atque omne nomen supe-
„rans, lumen illud sempiternum & inacces-
„sum, ille panis vitæ ac cælestis, ille nullis
„agricolæ manibus excultus fructus, corpo-
„raliter pullulavit. Quid? An non te *fornax* Dan. 3. 19.
„illa designavit, quæ ignem simul refrige-
„rantem & inflammantem ostendebat, divi-
„nique illius ignis in te habitantis typum
„gerebat? Quin & *tabernaculum Abrahæ* te Gen. 18. 6.
„apertissimè indicabat, quatenùs Verbo Do-
„mino in utero tuo tanquam in tabernaculo
„habitanti humana natura subcinericium
panem,

„ panem, hoc est, sui primitias, ex puris „ tuis sanguinibus obtulit, à divino igne „ quodammodò coctas, panemque effectas".

CCX. Est ergò Maria non modò cælum sed etiam K. præcellens cælum, prout eam disertè nominat Andreas Cretensis; qui & complura alia ejusdem elogia eidem coacervat, vocans eam, terram Deo cultam, delibationem massæ humani generis in Christo deificatæ, [illegible] primariæ speciei ac decoris repræsentationem, arcanorum Dei judiciorum thesaurum à Deo obsignatum, virtutum domicilium, spiritalem librum sermonum mirabilium [illegible] in nos dispensationis, profunditatem inexplicabilem ejus qui omnia in omnibus implet, turrem fortissimam adspondere spei, incorruptionis impenetrabilis thesaurum, regiam stolam Verbi sempiterni, terrenum cælestis Regis palatium, cælestem divinorum cum hominibus contractuum officinam, congruentissimam divinæ humanationis materiam, perfectum optimi artificis lutum, perspicuissimum spiritalis lucis vehiculum, lampadem per quam Sol justitiæ nostris se aspectibus ingessit, intellectuale speculum divini splendoris, sublime solium in quo sedens Dominus Sabbaoth acutissimo Prophetarum Isaiæ visus est, cælestis generis regalem dignitatem, totius sacri cultûs ac sacrificij sanctuarium, divinorum holocaustomatum spiritale thymiama, carbonis expiatorij forcipem, virgam Leviticam, radicem Jesse, Sceptrum Davidicum, [illegible] [illegible] altoris nutricem, orientis ex alto portam, omnia complectentis sinum [illegible], vestem sine macula ovis pariter [illegible], mundissimum vellus cælestis [illegible] am virgineam instauratoris Adæ, [illegible] qui terram cælos fecit. Ideò [illegible] s [illegible] Annunciatione, [illegible] gaudij [illegible], [illegible] næ gloriæ templum, Regis palatium, [illegible] in quo Christus humanam [illegible] desponsavit, divinam [illegible] reconci[illegible] [illegible] um, cælum cælo altius, [illegible] Cælum igitur [illegible] quidem, sed *Cælum cælo altius* [illegible] circ[illegible] & Michæas *Mons erit in* [illegible] *comentium*, [illegible] lum in vertice [illegible] nunciarum [illegible] non *Mons* sit [illegible] mis Maria in [illegible] „ ad c[illegible] nem [illegible] Verbi pertin[illegible] [illegible] torum vertice [illegible] supra [illegible] „ Angelorum choros, [illegible] solium D[illegible] „ tatis erexit? Hujus enim *Montis* præcellentissimam dignitatem Isaias vati[illegible], it:

K. Andr. Cret. Serm. in dormit. Mariæ. Vide Ser. 1. ibid. & Proclum Const. Serm. [illegible] 6.

[illegible] in cantica Regum.

„ *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus* „ *Domini in vertice montium*. Mons quippe in „ vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ „ supra omnes Sanctos refulsit. Nam sicut „ *mons* altitudinem, ita *domus* designat habitationem. *Mons* quippè & *domus* aptè dicitur, quia dum incomparabilibus est illustrata meritis, Dei unigenito sacrum, in „ quo habitaret, præparavit uterum. Nam „ *mons in vertice montium* Maria non fieret, nisi „ supra Angelorum altitudinem divina eam „ fœcunditas levaret: & *domus Domini* non „ fieret, [illegible] ejus ventre per assumptam humanitatem divinitas Verbi non jaceret". Ipsa est mons ille, *in quo*, juxta Psalmographum, *beneplacitum est Deo habitare*. Ipsa denique est mons ille, *de quo lapis abscissus est sine manibus*. Unde & Augustinus exclamat ad Judæos: M. Agnoscite venisse Sanctum Sanctorum: ipse est enim *lapis ille abscissus de* „ *monte sine manibus* concidentium, id est, „ Christus natus de Virgine sine manibus complectentium". Quòd si aves hujus *montis* excellentiam nosse, disce ex hac Andreæ Cretensis apostrophe ad ipsam: N. Tu inexhausti „ unguenti nova pixis unguentaria; Tu olei „ unctionis exultatio, Tu spiritalium aromatum thymiama, Tu flos incorruptionis, „ Tu terra aromatum ferax, theca vitam „ continens, lucerna splendida, purpura „ divinitùs texta, vestis regia, stola divino „ opere varia, diplois aurea, spiritalis purpuræ Verbi connexio ineffabilis, diadema regni Pontificiâ manu plenum, solium excelsum, porta cælis cælorum elevatior, Regina totius humani generis retinens sinceram nuncupationem cum usu, „ uno excepto Deo rebus omnibus excelsior".

Psal. 67. 17. Dan. 2. 34. M. August. Conc. Catechet. cont. Judæos, Paganos, & Arian. c. 12. N. Andreas Cret. Ser. 1. in dormit. Mariæ. Vide eund. Ser. in Nativit. Mariæ.

CCXI. Quoniam igitur Maria singulari quâdam ratione sedes est Dei, singulari quoque prærogativâ *Cælum* dicitur, & quidem ex eliùs omni quod est infra Deum; adeòque *Mons in vertice montium*, hoc est, in vertice Angelorum chororum, prout ex Gregorio [illegible] suprà audivimus: qui tamen Angelici chori [illegible] ob suam celsitudinem non modò *montes* dicuntur, sed & *cæli*, imò etiam *cæli cælorum*, quibus ait Psaltes: *Laudate Deum cæli cælorum*. Unde & Augustinus ait Deo in suis Confessionibus: O. *Præter omnium creata est* „ quædam *sapientia*, [illegible] creata est mens rationalis & in[illegible] [illegible] tatis tuæ, „ *matris* [illegible] *a, quæ sursum est*, [illegible] *berata est, &* „ *æterna* [illegible] *cælis*. Quibus cælis [illegible] *te laudant* „ *cæli cælorum*". Quia hoc est *cælum cæli Domino*". [illegible] eodem cap. 9. [illegible] „ quod [illegible] *cælum cæli quod in Principio fecisti*, „ c[illegible] est aliquis intellectualis, quamquam

Isa. 2. 2. Psal. 148. 4. O. August. lib. 12. Conf. c. 15. [illegible] Gal. 4. 26. Psal. 113. 16. Gen. 1. 1.

 nequa-

„ nequaquàm tibi Trinitati coæterna, particeps tamen æternitatis tuæ; valde mutabilitatem suam præ dulcedine felicissimæ „ contemplationis tuæ cohibet, & sine ullo „ lapsu ex quo facta est inhærendo tibi excedit „ omnem volubilem vicissitudinem temporum ". De hisce *cælo*, sive *cælorum cælo*, extat encomiastica Oratio Michaëlis Syncelli, ubi plurima de eis lectu ac memoratu dignissima

P. Michael Syncellus Oratione de Angelis, quæ etiam attribuitur Sophronio.

differuntur; signanter quod sint [R] Cælestis „ populus, infinitus cuneus, optima phalanx, „ immensa multitudo, exercitus innumerabilis, celsitas inperscrutabilis, magnitudo „ incomprehensa, chorus incomparabilis, „ scientia inpervestigabilis, lætitia inenarrabilis, conventus omnem admirationem „ transcendens, turba nullis definita terminis, „ agilitas ventis similis, ordo infinitè multiplex, celeritas omni pernicitate pernicior, „ substantia incircumscripta, gloria omni cogitatu inapprehensibilis, virtus virtute augustior, Regis universorum ministri; venti, „ spiritus, aquæ, Principes, equi, currus, „ exercitus, missi, præcones, Prophetæ, Euangelistæ, divini explanatores; custodes, præsides, conservatores, depulsores, congregatores, doctores, exquisitores, expensores, rationum præfecti; conversores, illuminatores, ditatores; luminaria, candelabra, lampades; montes, colles, nubes; „ collectores, judices, curatores, inscriptores, janitores, discursores, eruditores, doctores, consolatores, defensores, adjutores, propugnatores; divina specula, ductæ similitudines, viva simulachra; vectores, „ naves, gubernatores; cæli cursores, leves, „ per aëra incedentes, citissimi, celerrimi, „ cælum ipsum ætheraque implentes, ferventissimi, comites universis hominibus dati, „ indeflexè Creatoris nutui obsequentes, vocem sermonum ejus incessanter audientes". Neque verò soli Angeli, sed & homines sancti dicuntur *cæli*, atque etiam *montes*: nec mirum, cùm juxta veridicam Salvatoris attestationem *æquales sint Angelis*. Quod adeò verum est, ut sicut ex singulis Angelorum Ordinibus aliqui ceciderunt, ita ad singulos Ordines aliqui homines ascendant: [Q] Tales „ enim, ut ait Anselmus, oportet esse homines „ [illegible] civitate superna, qui pro Angelis in „ illam assumuntur, quales illi futuri ibi erant,

Luc. 20. 36.

S. Ansel. l. Cur Deus homo, cap. 18.

pro quibus ibi erunt". [R] Hoc enim, inquit „ Augustinus, promissum est resurgentibus „ Sanctis, quòd *erunt æquales Angelis Dei*. Itaque superna illa Hierusalem, mater nostra, „ civitas Dei, nullâ civium suorum numerositate fraudabitur, sed uberiore etiam „ copiâ fortassè regnabit: neque enim numerum aut sanctorum hominum, aut immundorum dæmonum novimus, in quorum „ locum succedentes filii sanctæ matris Ecclesiæ, quæ *sterilis apparebat in terris*, in ea „ pace de qua illi ceciderunt, sine ullo temporis termino permanebunt". Ex quibus consectarium est, homines ad implendas Angelorum ruinas assumptos, eâdem ratione *cælos* dici, quâ & Angeli ipsi dicuntur; & quâ dæmones dicendi fuissent, si cum cæteris permansissent, donec cum iisdem firmati Verbo Domini fuissent, de quo scriptum est, *Verbo Domini cæli firmati sunt*. [S] Excelsos, ait de „ Angelis Bernardus, fecit eos natura con„ ditionis, elevatos gratiâ confirmationis, „ de qua dicitur, *Verbo Domini cæli firmati sunt*". Videri in eandem rem potest Augustinus concione 2. in Psalm. 32. & concione 3. in Psalm. 70. & Basilius in Psalm. 32. & lib. de Spiritu Sancto ad Amphil. cap. 16. & lib. 3. & 5. contra Eunomium, & Sophronius Serm. de Assumptione B. Mariæ, & Gregorius in caput 2. libri 1. Regum, & libro 27. Moral. cap. 24. Quo postremo loco etiam illud advertit, *cælum* quidem à Moyse referri primitùs factum, sed non nisi aliquantò pòst cœpisse vocari *firmamentum*: "Quia „ videlicet natura Angelica & priùs subtilis „ est in superioribus condita, & pòst, ne un„ quam cadere posset, mirabilius confirmata". Cui consonans Isidorus ait: [T] Post „ *cæli* creationem in principio repetitur, *fiat* „ *firmamentum* & *vocatum est firmamentum cælum*: nimir[illegible] oste[illegible], quod post [illegible] „ [illegible] permans[illegible]m, „ [illegible]itat[illegible]m æternæ [illegible] ecuti sunt". Und[illegible] planum est [illegible] [sa]nctos non modò *cælum*, s[illegible] eti[am] [firma]mentum rectè vocari. Ex quo ulteriu[s] con[illegible]s est, homines sanctos eâd[e]m ratione utrumque nom[e]n pariliter pa[illegible]re, [illegible] quibu[s] utique scriptum est, quòd *Angelis æquales sint*: d[illegible] [q]ui[b]us etia[m] d[ict]um est, quòd *fulgebunt sicut Sol in regno patris eorum*.

R. August. Enchir. cap. 29.

Gal. 4. 27.

Psal. 32. 6.

S. Bernard. Serm. 5. de verb. Isaiæ.

Augustinus.

Basilius.

Sophronius.

Gregorius.

T Isid. [illegible] Orig. [illegible] V[illegible] Sent [illegible] Gen.

M[illegible]

CAPUT

CAPUT LVIII.

Non de solis theomachis, sed & de hagiomachis verificatur quod scriptum est, Posuerunt in cælum os suum. *Contemptus amicorum Dei, gradus est ad contemptum ipsius Dei. Memorabile ejus rei exemplum ex Dorotheo. Ecclesiastici locus,* Qui spernit modica paulatim decidet, *miro exemplo illustratur ex Augustino. Constantini Copronymi in Sanctos promiscuè universos, & in ipsum Sanctum Sanctorum, ejusque sanctissimam Matrem, impietas sacrilegè exerta, sed non inulta. Sicut Iulianus in extremis agnovit victricem manum Christi, ita Copronymus Christiparæ Mariæ. Non tam in Infernum vivus descendit, quàm ad vivum Infernus ascendit. Ejus sera resipiscentia confertur cum Epulonis Euangelici miserescentia. Henrici VIII. Anglorum Regis in Sanctum Thomam Cantuariensem nefanda sævitas, quem antè quadringentos penè annos martyrizatum, Cælitum albo inscriptum, prodigiorum perpetratione inclytum ad tribunal suum citavit, contumaciæ condemnavit, rebellionis proditionisque reum declaravit, exhumavit, incineravit, nomine & honore* Sancti *privavit. Non equidem impunè: nam & in desperatione emigravit anima ejus, & fine sepulchrali bonore remansit caro ejus,* & in generatione una deletum est nomen ejus. *Cur monachorum nomen in extremus semimortuè ingemmarit? Iustorum contrastantia adversùs eos qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum.*

CCXII. EX dictis proximo capite perspicuum est, non solos theomachos, sese adversùs Dominum, aut adversùs Christum ejus erigentes; sed etiam hagiomachos sivè Sanctorum in cælo regnantium infestatores, reprehendi à Psalmographo istis verbis, *Posuerunt in cælum os suum*; atque adeò obnoxios fieri ultioni ibidem subjunctæ in verbis, *Facti sunt in desolationem, subitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.* Quàm alienus verò ab horum consilio fuerit idem ipse Regius Psaltes, perspici potest ex illo ejus versiculo alibi decantato: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est Principatus eorum.* Cujus versiculi priorem partem Genebrardus hâc elucidat paraphrasi: [V] „In pretio & honore mihi sunt valdè amici tui, „ô Deus: eos copiosè studioséque colo & veneror". Subdit præterea pro suæ paraphraseos confirmatione authoritatem Orientalis Ecclesiæ, in Responsione Hieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani ad consulta Protestantium Germaniæ, quæ extat apud Stanislaum Socolovium, in qua sic legitur: [W] „Festos „dies celebramus, honorantes Sanctos, tan„quam Dei amicos, juxta magnum Davi„dem: *Mihi*, inquit, *nimis honorati sunt amici* „*tui Deus, nimis confortatus est Principatus eorum.* „Nisi enim sacras preces, liturgias, dies fe„stos, & his similia, non cauponantes, sed „Deum piè timentes perageremus, quæ qui„dem omnia fidei sunt consequentia, præ„claraque opera; gens quædam absque Deo „esse putaremur, quæ Deum non timeat, & „quæ à fide viva, quæ in omnibus principem „locum tenet, sit alienissima. Sublatis enim „rebus illis quæ rem aliquam naturâ suâ „necessariò consequuntur, fructusque ejus „quodammodò sunt, illud ipsum quod principale est auferri oportet". Certè enim neglectus & contemptus amicorum Dei, gradus est ad neglectum contemptumque ipsius Dei; sicut contemptus familiarium ac officialium terreni alicujus Principis, gradus est ad contemptum ipsius Principis: & vix unquam subditi rebellant suo Principi, quin priùs insurgant in ejus ministros. De veteribus Hebræis scriptum est, quòd *crediderint Domino, & Moysi servo ejus*: [X] „Una atque ea„dem credulitas, inquit Hieronymus, in „Moysen refertur & in Deum: ut populus

Psalm. 72. 9.
Ibidem v. 19.
Psal. 138. 17.
V. Genebr. in Psal. 138. Vide Ambr. Serm. 14. de Nazario & Celso.
W. Censura Orientalis apud Socolovium c. 15.
Exodi 14. 31.
X. Hieron. Comment. Epistolæ ad Philemonë.

qui credebat in Dominum, æquè credidisse dicatur in servum. Hoc autem non solùm in Moyse, sed & in omnibus Sanctis ejus est, ut quicunque credit Deo, aliter ejus fidem recipere nequeat, nisi credat & in Sanctos ejus. Non est enim in Deum perfecta dilectio & fides, quæ in ministros ejus odio & infidelitate tenuatur". Exemplum hujus rei satis accommodum suggerit nobis Dorotheus Archimandrita in suis sermonibus: Y. Memini, inquiens, vidisse me aliquando hujusmodi hominem, qui in hanc miserrimam conditionem incidisset: initio quidem si quis è fratribus locutus quidquam esset in alterius commendationem & laudem, statim illum spernebat, & quasi conspuebat, dicens: *Quis est iste? Non est alius qui aliquid valeat, præter Zozimam & qui cum eo sunt.* Pòst cœpit & istos contemnere, ac dicere: *Nemo alicuius pretij est, præter Macharium.* Et paulò post iterùm: *Quis est Macharius? Nullus est qui aliquid valeat, præter Basilium, & Gregorium.* Atque etiam non multò pòst cœpit etiam hos pariter spernere, & nullum ullius pretij æstimare, *nisi Petrum & Paulum.* Cui ego prædixi, quod & evênit, fore ut hos quoque cum tempore contemneret. Quod sanè factum est: nam eos sprevit, &, *nihil esse in pretio habendum, præter Trinitatem,* asserere cœpit. Statim quoque in Deum etiam ipsum, factus insolentior, intumuit". Hoc nimirùm est quod jam olim Spiritus Sanctus per Ecclesiastici organum dixerat, *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Cujus veritatis aliud exemplum suggerit nobis Augustinus: Z. Nescio quis, inquiens, tædium patiebatur à muscis: invenit illum Manichæus tædio affectum; & cùm ille diceret se non posse pati muscas, & odisse vehementer illas; statim ille: *Quis fecit has?* Et quia tædio affectus erat, & oderat illas, non ausus est dicere, Deus illas fecit: erat autem Catholicus. Ille statim subjecit: *Si Deus illas non fecit, quis illas fecit?* Planè ait ille, ego credò quòd diabolus fecit muscas. Et ille statim, *Si muscas diabolus fecit, sicut te video confiteri, quia prudenter intelligis, apem quis fecit, quæ paulò amplior est muscâ?* Non ausus est ille dicere, quòd Deus fecit apem, & muscam non fecit, quia res erat proxima. Ab ape duxit ad locustam, à locusta ad lacertam, à lacerta ad avem, ab ave ad pecus, inde ad bovem, inde ad elephantem, postremò ad hominem: & persuasit homini, quòd non à Deo factus est homo. Ita ille miser cùm tædium passus est à muscis, musca factus est, quem diabolus possideret: *Beelzebub* quippè interpretari dicitur Princeps muscarum, de quibus scriptum est, *Muscæ morientes exterminant oleum suavitatis*".

Y. Doroth. Serm. 2 de Humilitate.

Eccli. 19. 1.

Z. August. Tract. 1. in Joannem.

Eccles. 10. 1.

CCXIII. Quemadmodùm in bellis prima victoria gradus est ad secundam, & secunda ad tertiam; nec non ex adverso prima cladés ad secundam, & hæc ad tertiam: ita quoque in personalibus moribus primus profectus gradus est ad sequentes, & ex adverso primus lapsus similiter ad sequentes, sicut scriptum est: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc; & qui iustus est, iustificetur adhuc.* Cujus sententiæ priorem partem qualiter Rex *Saul* in seipso verificaverit, indicavimus superiùs §. 69, & 118, adductis in eam rem Joannis Sarisberiensis verbis. Imitatorem porrò nactus est præ multis insignem, *Constantinum* Cæsarem, cui ob fœdatum stercore fontem baptismalem, *Copronymi* inditum est agnomentum. De hoc ita scribit Suidas: A. *Constantinus* Imperator Romanorum, Leonis Iconomachi Isauri fuit filius: Nata est autem è Leone pardalis versuta, è serpentino semine aspis atrox & serpens volaticus, è Dan Antichristus. Hic paterni Imperij pariter & impietatis successor, libidinibus, dæmonum invocationibus, & alijs improbis studijs deditus atque vacans, eximium instrumentum & supra modum opportunum patris sui ac præceptoris extitit diaboli: eò vecordiæ ac vesaniæ redactus, ut lege sancierit, nequisquam prorsùs servorum Domini diceretur *Sanctus*, quin & eorum reliquiæ conspuerentur, nec eorum intercessio posceretur: nihil enim eos posse. Deindè adjecit homo profanus, ne *Mariæ* quidem intercessionem quisquam imploraret: neque enim eam juvare quempiam posse. Cavit prætereà ne eandem ullus nominaret *Deiparam*: sumpto quippè in manus sacculo auri pleno, & omnibus adstantibus monstrato, rogavit, quanti æstimandus esset? Quibus respondentibus, maximi: ille rursùs effuso auro interrogavit eosdem, quanti æstimandus esset sacculus jam auro vacuus? Quibus respondentibus, nullius esse valoris: subintulit ipse, *Ad eundem quoque modum Maria* (neque enim miser eam dignatus est *Deiparam* dicere) *quamdiu Christum in utero gestavit, honore digna extitit; postquam autem eum enixa est, nullâ præ cæteris fœminis dignitate præstat.* O audacem blasphemiam Saracenicæ Religionis, & Judaicæ perfidiæ! Atqui Venerem ille colebat, & humanas victimas ex adverso urbis immolabat, ubi Divæ Mauræ templum extiterat, quod ille solo æquatum, ac humanarum hostiarum cæde profanatum, in carnificinam convertit, ipsumque locum *Mauram* appellavit, in quo sacra illa sua peragebat, & pueros macta-

Apoc. 22. 11.

A. Suidas in Dictionario litterà C. Vide Damasc. in vita Stephani jun.

„ mactabat. Testimonio est Flavij puer, quem occultè ab eo immolatum Deus patefecit"; Hinc cernere licet, quàm verè scripserit Psalmographus, *Abyssus abyssum invocat*, hoc est, peccatum peccato viam præparat, calamitas calamitatem accersit, ruina ad ulteriorem ruinam gradus est. Ecce enim Constantinus ille Copronimus, impium patrem imitatus, iconomachiam propagavit; indeque pedetentim in hagiomachiam prolapsus, Sanctos ipsos aggredi cœpit, quorum anteà imagines oppugnârat. Rursùs à Sanctis ad Sanctorum Reginam progrediens, omnem ei honorem, cultum, ac venerationem adimere sategit. Tandem denique in Deum ipsum insurgens, latriam ei soli debitam, Veneri deastræ, ac dæmonibus impendit. Sed nec his contentus, Sanctum Sanctorum Christum in ordinem purorum hominum, Deitate prorsùs ademptâ, redigere tentavit. Qua de re Sigonius: [B] „ Anastasius Patriarcha, inquit, in concionem ascendit, ac tenens crucem Domini, ita dixit: *Per eum, qui huic ligno affixus est, iuro, Constantinum Copronymum hæc mihi verba dixisse: Noli credere, quem Maria peperit, Christum, Filium Dei, sed purum hominem esse: ita enim eum Maria mater peperit, ut & me Maria mater mea.* Quibus vocibus auditis populus inflammatus extemplò ei Imperium abrogavit". Verùm ille huic abrogationi nullatenùs acquievit, sed velut alter *Saul*, Deo & hominibus exosus, tyrannidem continuavit, donec à Christo maternam ac propriam injuriam vindicante ita cælitùs est tactus, ut etiam in hac vita ardorem gehennalis flammæ præsentiret; [C] „ Constantinus Imperator, inquit de eo Sigebertus, plagâ pessimi incendij divinitùs percutitur, & clamans, *Adhuc vivus igni jam inextinguibili traditus*, miserabiliter moritur". De eodem Prateolus: [D] „ Ecclesiam Dei, inquit, longo tempore afflixit; indeque adeò divinam sententiam non evasit: nam suæ iniquitatis completo mysterio, elephantiæ morbo correptus interijt horrendo ululatu exclamans, *se igni inextinguibili traditum esse*: sicque animam exhalavit, insensatis Imperatoribus suæ vesaniæ relinquens exemplum". Ferreolus Loctius postquam Juliani apostatæ funestum exitum, ac finalem blasphemiam commemorasset, subdidit continuò in rem præsentem: [E] „ Sed & Constantinum Copronimum non inferior mansit ultio, qui toto corpore fervidissimâ febri grassante inflammatus, & elephantiasi coopertus, frendens ac desperans vociferabatur, *Mariæ animadversione sese cruciabili ardore torqueri*: inque eo dolore æternis immergendum ignibus spiritum exhalavit. Cujus deindè cadaver cùm sepultum esset, imperante seu jubente Michaële Theophili filio exhumatum, & flammis injectum, in cineres resolvitur"; Cedrenus denique de eodem differens in Annalibus: [F] „ Animæ, inquit, & corporis mortem obijt, vociferans; atque dicens, *Se inextinguibili igni traditum propter Mariam*: jubens eam exindè honorari; ac celebrari verè *Deiparam*"; Consultum nimirum voluit suo filio ac cæteris posteris, ne & ipsi similia paterentur: sicut dives epulo è flammis gehennalibus cupiebat per Lazarum de sinu Abrahæ ablegandum moneri suos fratres, *Ne & ipsi in eundem tormentorum locum venirent.*

Psalm. 41. 8.

B. Carol. Sigonius lib. 3. de Regno Italiæ.

C. Sigebert. in Chronico anno 776. Vide Baron. ad An. 771.

D. Prateolus lib. 3. Elenchi hæresum cap. 33. Vide Paulũ Diaconum l. 22 Historiæ Miscellæ in fine, & Canisium lib. 5. de Maria Deipara cap. 17.

E. Loctius lib. 1. Mariæ Augustæ c. 30.

F. Cedrenus in Annalibus.

Luc. 16. 28.

CCXIV. Quandoquidem hic agatur de mundanis Principibus, ad imitationem *Saulis*, Sanctos vitâ functos *inquietantibus*, atque adeò *os suum in cælum ponentibus*, & ob id divinæ animadversioni subjacentibus; res ipsa exigere videtur, ut *Henricum VIII.* nuperum Anglorum Regem in hanc scenam proferamus: [G] „ Qui non contentus vivorum Prælatorum & Sacerdotum crudelissimâ trucidatione, etiam in mortuos, & eos quidem, quos in Sanctorum numerum relatos universalis Ecclesia pluribus sæculis venerata est; feritatem exercere non expavit. Divi enim Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, & Martyris, ossa; quæ in regno Angliæ; ob innumera ab omnipotenti Deo illic perpetrata miracula, summâ cum veneratione in arca aurea in civitate Cantuariensi servabantur; postquam ipsum Divum Thomam; ad majorem Religionis contemptum, in judicium vocari, & tanquam contumacem damnari; & proditorem declarari fecerat, exhumari, & comburi, ac cineres in ventum spargi jussit": Ecce in quantum impietatis ac fatuitatis barathrum prolapsus est Rex iste pridem Catholicus, & titulo *Defensoris fidei* insignitus! Ecce quot nequitiæ ac stultitiæ parasangis *Saulem* inquietatorem Samuelis transcendit! *Saul* quippe Samuelem recenter defunctum evocavit è limbo, iste Thomam quadringentis penè annis præmortuum evocavit è cælo: *Saul* evocavit Samuelem ad discendum ab eo veritatem, iste Thomam ad subeundum judicium iniquitatis: *Saul* evocavit Prophetam quem venerabatur sola Synagoga Hebræorum; iste Martyrem quem colebat universa Ecclesia Christianorum: *Saul* inquietavit animam duntaxat Prophetæ, intacto corpore; iste inquietavit animam Martyris effosso & incinerato corpore; *Saul* reliquit Prophetæ pristinum honorem ac sanctitatis opinionem apud populum, iste ademit Martyri omnem quam potuit devotionem populi. Sic enim sonat ferale ejus Edictum, aut veriùs

G. Paulus 3. Papa in Bulla data 1. Januarij 1538. apud Sanderum l. 1. de Schismate Angliæ.

H. Henrici VIII. sententia in B. Thom. Cantuarien. apud Stapletonum in vita ejusdē B. Thomæ.

Execramentum : H. "Visum est Regiæ Majestati, de Concilij sui sententia, expedire, ut dilectis suis subditis declaretur, quòd, non obstante canonizatione, nihil in vita & conversatione *Thomæ Becquet* appareat, cur *Sanctus* appellari debeat; sed potiùs æstimari debeat rebellis, ac proditor fuisse, contra Regem ac Dominum suum. Quapropter sua Majestas expressè jubet & mandat, dictum *Thomam Becquet* deinceps nec haberi, nec nominari, nec existimari *Sanctum*, sed *Episcopum Becquet*: imagines quoque ejus, & picturas omnes, per totum regnum aboleri, atque ex omnibus templis ac sacellis alijsque locis auferri: dies quoque festos in ejus honorem celebrari solitos, non ampliùs celebrari: officia item, collectas, antiphonas, & orationes in ejus memoriam compositas, ex omnibus libris & codicibus deleri". Nunquid igitur jure merito potuisset gloriosus iste Martyr suo illi citatori, judicatori, damnatori, inhonoratori, effossori, incineratori replicare illud Samuelis ad Saulem, *Quare inquietasti me*? Nunquid item in ipsum inquietatorem quadrat illa Psalmographi increpatio, *Posuit in cælum os suum*? Ita planè: sed impietas non mansit inulta. Nam & universa ejus progenies in primo gradu absque ulteriori propagatione

Psal.108.13.

interijt, sicut scripum est, *In generatione una deleatur nomen ejus*: & ipse, in florida adhuc ætate è vivis abreptus, desperationi succubuit, & consueto sepulchri honore caruit:

I. Sander. l. 3. de Schism. Anglic.

I. "Vixit, ait de eo Sanderus, annos 56. quorum 18. cælebs transegit, viginti ferè & sex non nisi cum Catharina; duodecim verò reliquis uxores expertus est sex, quarum duas securi percussit, tertiam, ad partûs commoditatem, laxandam (ex quo & mortua est) curavit; duas repudiavit, & sextam superstitem reliquit, quam animo tamen ad cædem destinaverat, si vixisset". Attende jam decumbentem, omnia esse perdita desperabundè vociferantem, monachorum territum spectris expirantem, absque consueto sepulchri honore jacentem. Subdit quippe paulò inferiùs idem author: "Decumbente Henrico, & morbo ingravescente, cùm de instante mortis articulo ab amicis admoneretur, pateram vini albi poposcit, atque ad unum è suis conversus: *Omnia*, inquit, *perdidimus*. Intermortuis deinde vocibus nomen *monachorum* aliquoties ingeminasse dicitur, atque ita expirasse. Regnavit autem annis triginta septem, mensibus novem, diebus sex: quorum ferè 21. in pace Catholica, quinque sequentes in maxima lite & fluctuatione, duodecim postremos in aperto schismate transegit. Cùm tres ejus liberi omnes ordine regnaverint, tamen nullus eorum memoriam patris aliquo monumento cohonestavit. Maria quidem cupiebat id facere, nisi quòd Religione impediebatur, ne Catholica nomen schismatici posteris commendaret. Eduardus autem & Elizabetha, quibus Henrici defectio & schisma probatum fuit, omnem sensum humanitatis in hoc officij genere prætermittendo exuisse viderentur, nisi quòd manifesta Dei vindicta sit; ut qui tot Sanctorum cineres dissipavit, & tam eximia Martyrum sepulchra diripuit, ipse omni honore sepulchri careat". Cæterùm *ingeminatio* illa *nominis monachorum* revocat mihi in mentem quod apud Gervasium Dorobernensem legitur, Thomam nimirùm Cantuariensem sub habitu clericali gestasse interiùs habitum monachalem, idque demùm compertum fuisse cùm sacrum ejus corpus sepulchro inferendum nudaretur: K. "Sublatis ab eo, ait ille, vestimentis exterioribus, in habitu monachali

K Gervasius Dorobert. in Chronica. Vide Math. Paris in Henrico 2.

& cilicio inventus est". Et mox iterùm: "Quis, inquit, temperaret à lachrymis, cùm Monachi Pastorem suum, quem Clericum putabant elatum, jam Monachum viderent humiliatum & ciliciatum? Non enim sciebant hucusque quòd hujusmodi vestimentis uteretur". Refert quidem Polydorus Virgi-

Polydorus Virgilius.

lius lib. 13. Hist. Anglic. eum tempore exilij monachalem habitum ab Alexandro III. Pontifice accepisse, atque in Pontiniacensi cœnobio Ordinis Cisterciensis monasticam vitam instituisse: eòdemque alludere videtur Petrus Blesensis contemporaneus Scriptor, dum

Pet. Blesens.

Epist. 24. loquens de ipso: *Iam*, inquit, *aggressus est arctioris & altioris vitæ propositum*. Matthæus tamen Parisius in margine

Matthæus Paris.

mox citatus indicat eum ab exordio sui Præsulatûs monasticum habitum sub canonicali gessisse: *Archiepiscopus*, inquiens, *habitum monachalem, quem à tempore suæ promotionis occultè portaverat, habitu canonicali suppressit*. Sive interim citiùs sive tardiùs, sive ex voti obligatione, sive ex mera devotione monasticum habitum gestaverit; sanè cùm in eo martyrium passus sit, & sepulchro illatus, credibile est eum taliter indutum apparuisse Henrico animam agenti, & *semimortuis vocibus nomen monachorum ingeminanti*. Si enim, ut quidam perhibent, Christus apparuit apostatæ Juliano in extremis blasphemanti, *Vicisti Galilæe, saturare sanguine Nazarene*; & Virgo Deipara apparuit Constantino Copronymo agonizanti, ac semimortuâ voce fatenti, *se inextinguibili igni traditum propter Mariam*: cur negemus B. Thomam apparuisse hosti suo Henrico supremam desperationis vocem effutienti, & *monachorum nomen* moribundè *ingeminanti*? Scriptum quippe est quòd *flabunt*

justi

iusti in magna constantia adversùs eos qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum. In quem locum Hugo Victorinus sic scribit: L. Stabit B. Benedictus pro suis Monachis, „ B. Augustinus pro suis Clericis, B. Petrus, „ & omnes Apostoli, & Ecclesiastici Prælati „ pro sibi commissis, adversùs impios, injustos, & raptores, qui eos cruciaverunt, „ & possessiones Ecclesiæ & substantias fidelium injustè diripuerunt".

L. Hugo Vict. Ser. 83.

CAPUT LIX.

In colendis Sanctis servanda mediocritas, vitanda utrimque extremitas. Recensentur hæreses in utrumvis extremum declinantes circa cultum virginis Deiparæ, Angelorum cælestium, Sanctorum hominum: quibus subnectuntur & ea, quæ scelestissimos quosdam nebulones præscripserunt adorandos. Vt Christus inter duos latrones in cruce pependit, sic veritas inter errores hinc inde circumsidentes incedit. Binæ adorationis species sistuntur, latria soli Deo deferenda, dulia Sanctis Angelis & hominibus impendenda. Nulli puræ creaturæ sacrificandum. Ecclesiæ modernæ cum veteri quoad Sanctorum venerationem consensio. Sanctorum religiosa veneratio honori Numinis non derogat, sed in eum redundat. Eorum cultores reputare idololatras, immanis calumnia est, olim quidem ab hæreticis, apostatis, ethnicis, & Iudæis devulgata, atque ab Ecclesia constanter repulsa; nune denuò à modernis Sectarijs impudentissimè resumpta; & seductæ abs se plebeculæ perperàm persuasa. Cur tanto studio sategerint Martyrum olim persecutores, ne reliquiæ devenirent ad eorundem veneratores? Latissimum discrimen inter Deorum cultores, & Martyrum honoratores, ex Augustino. De Polycarpi antiquissimi Martyris glorioso agone, & Ecclesiæ Smyrnensis erga ejus reliquias eximiâ devotione. Quantæ fuerit ille æstimationis, apud suos etiam interfectores.

CCXV. Quia periculum esse potest, ne aliqui intuentes sinistrum successum eorum qui Cælites dehonorarunt, ipsi in alterum extremum declinantes nimio honore eosdem prosequantur: idcircò antequàm hinc abeamus, specificandus est cultus Cælitibus ita congruus, ut ab eo in alterutram partem deflectere vitiosum sit. Refert quippe Epiphanius in Panario, duas olim extitisse hæreticorum Sectas, sibi invicem extremè contrarias, alteram nimirum *Antidicomarianitarum*, alteram *Collyridianorum*: quarum prior virginem *Mariam* debito cultu spoliabat, & tanquam à viro defloratam traducebat: altera eandem nimiùm extollens Deam fingebat, & tanquam tali sacrificium offerebat. Circa Angelos similiter duo sunt extremi errores, quorum alter negat ullam eis venerationem esse impendendam; quem plerique hodierni Sectarij prædicant, & veteres Sadducæi à fortiori tenuerunt, qui Angelos de medio prorsùs sustulerunt, dicente Scripturâ, *Sadducæi dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum*: alter excessivo cultu eos honorat, quem damnat Apostolus cùm ait Colossensibus, *Nemo vos seducat, volens in humilitate & religione Angelorum.* In quem locum Theodoretus: M. Qui legem defendebant, „ inquit; etiam ad Angelos colendos inducebant". Colendos utique cultu latriæ, soli Deo impendendo. Unde & Tertullianus, errorem istum Simonianis attribuens, ait: N. Simonianæ magiæ disciplina, Angelis ser- „ viens, utique & ipsa inter idololatrias depu- „ tabatur; & à Petro Apostolo in ipso Simone (*Mago*) damnabatur". Fuerunt quoque in primitiva Ecclesia quidam heretici peculiari nomine dicti *Angelici*, de quibus Augustinus, O. *Angelici*, inquit, in Angelorum cultum inclinati". Et Isidorus: P. *Angelici* vocati, quia Angelos colunt". Adversùs hujusmodi Angelorum cultores

Vide Epiph. Hæres. 78. & 79.

Act. 23. 8.

Col. 2. 18.

M. Theodor. in caput 2. ad Colossenses.

N. Tertull. lib. de Præscript. c. 33. Vide ibid. cap. 46.

O. Aug. Hæresi 39.

P. Isidor. l. 8. Orig. cap. 5.

cultores Theodoretus loco proximè citato testatur editum fuisse specialem canonem in Synodo Laodicensi, qui est ordine trigesimus quintus, & sic sonat: Q. Non oportet Christianos derelictâ Ecclesiâ Dei abire, & ad „ Angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere: quæ omnia interdicta sunt. „ Quicunque autem inventus fuerit occultæ „ huic idololatriæ vacans, anathema sit. quo„ niam derelinquens Dominum nostrum JESUM CHRISTUM accessit ad idola". Qui canon perperàm à modernis Sectariis obtenditur, pro abolendo omni prorsùs cultu sanctorum Angelorum: cùm planum ex ipso textu sit, reprobari ibi latriam duntaxat, quam fanatici illi hæretici Angelis impendebant, creaturam pro Creatore adorantes, adeòque idololatriam exercentes. Circa homines quoque sanctos, à Beata Virgine Deipara distinctos, erratum est similiter & per defectum, & per excessum. Per defectum erravit Constantinus Copronymus, qui ut §. 213. visum est, *Lege sancivit, ne quisquam prorsus servorum Domini diceretur SANCTUS, quin & eorum reliquiæ conspuerentur, nec eorum intercessio posceretur.* Dudum quoque ante Copronymum, idem error prodierat; atquè iterùm superiori sæculo resuscitatus est per modernos Sectarios. Qua de re Lindanus in Dubitantio sic scribit: R. Porphyrius, Eunomius, Eustathius, Vigilantius, aliíque hagiomastiges, „ Sanctorum miracula aiebant esse dæmonum „ præstigias, neque eorum reliquias venerandas, neque Sanctos ad auxilium invocandos. Horum insana dogmata nunc ab orco „ revocant Lutherus, Zuinglius, Calvinus, aliíque propè omnes Euangelici". Alij verò in contrarium errorem abeuntes, cultu latriæ sanctos homines venerabantur: ut *Sethiani*, de quibus Epiphanius: S. *Sethiani*, inquit, à „ Seth filio Adam se genus ducere glorian„ tur; ipsum autem glorificant, & ad ipsum „ omnia quæ virtutis sunt referunt, & virtutis signa, & justitiæ, & quæcunque talia „ sunt. Quin & Christum nominant ipsum, & ipsum esse JESUM affirmant". His superstitione consimiles fuere *Melchisedechiani*, qui, teste eodem Epiphanio, T. Melchisedechum „ in Scriptura memoratum glorificant, magnam quandam virtutem putantes. Esse „ autem ipsum supernè in nominatis locis: „ & esse hunc non solùm virtutem quandam, sed etiam majorem Christo, asserunt". Sed quid istos miremur, cùm non defuerint alij adeò excordes, ut pessimos quosdam homines divino honore affecerint? V. Caiani, „ inquit Augustinus, propterea sic appellati, „ quoniam Cain honorant, dicentes eum „ fortissimæ esse virtutis: simul & Judam „ traditorem putant divinum aliquid esse, & „ scelus ejus beneficium deputant, asserentes „ eum præscisse quantùm esset generi humano passio Christi profutura, & occidendum „ Judæis propterea tradidisse. Illos etiam qui, „ schisma facientes in primo populo Dei, „ terrâ dehiscente perierunt, Chore, Dathan, „ & Abiron, & Sodomitas colere perhibentur. Blasphemant legem, & Deum legis authorem".

Q. Synodus Laodicens. c. 35. Vide Hesselium lib. de Invocatione Sanctorum cap. 19.

Copronym. supra.

R. Lindan. Dialogo 2. Dubitantij cap. 6.

S. Epiphan. Hær. 39.

T. Idem Hæresi 55.

V. Augustin. Hæresi 18.

CCXVI. Quemadmodum Christus inter duos latrones utrinsecùs pendentes est crucifixus à Judæis; ita & Veritas Christianæ Religionis inter duos errores utrinque circumsidentes media, crucifigitur quotidie ab hæreticis: W Circumstant enim utrinque vir„ tutem vitia, quæ virtute præditum fallere „ facilè possunt: verbi gratiâ, pietas caput „ est seu basis & fundamentum ac crepido „ honestatis, at utrinque circumstant, hinc „ impietas, inde superstitio: illa quidem de„ fectu, hæc verò superlatione peccantes. „ Sic & fortitudinem ambiunt utrinque, temeritas hinc, illinc timiditas; quæ fortiter „ agere frustrà nituntur. Quisquis igitur cla„ rus vult haberi, virtutem colat necesse est, „ vitia contrà vitet, nec virtutum specie in vicina utrinque vitia impingat". Cui documento ut expeditiùs in præsenti materia religiosi cultûs obtemperare valeamus, recolenda & identidem ruminanda nobis erit illa discernendi methodus, quam supremus quondam Ecclesiæ Hierarcha tradidit dicens: X. Quia quidam zelum Dei habent sed non „ secundùm scientiam, ne per simplicem ig„ norantiam gravi detineamur errore, ad„ oremus juxta sententiam & authoritatem „ Sacræ Scripturæ, quæ duas species adorationis distinguit *latriam* videlicet, & *duliam*. „ Latriam Creatori debemus impendere; duliam verò quibusdam creaturis possumus „ exhibere. latriâ solum Creatorem debemus „ super omnia revereri. duliâ autem quasdam „ creaturas possumus inter omnia venerari". Quapropter quod Beatus Augustinus §. 159. relatus dixerat de ordine dilectionis, hoc & nos possumus, servatâ proportione, dicere de ordine religiosæ venerationis: nimirum, ille justè & sanctè vivit, qui rerum integer æstimator est. Ipse est autem, qui ordinem devotionis ac venerationis servat; ne aut colat quod non est colendum, aut colere negligat quod est colendum; aut ampliùs colat quod minùs est colendum, aut minùs colat quod ampliùs est colendum; aut æquè colat quod vel ampliùs vel minùs est colendum, aut minùs vel ampliùs quod æquè est colendum. Cæterùm ut veteris Ecclesiæ hac in re praxis ritusve noscatur, recolendus erit ille [illegible] dem Augu-

Vide Novatianum [illegible] Trinit. c. 1

W Isidorus Pe[illegible] Ep[illegible] Vi[illegible] Epist. 31.

X. Innocen[illegible] de [illegible] Ec[illegible] Vi[illegible] Serm[illegible] pa[illegible] in caput [illegible] Lucæ [illegible] & Scho[illegible] i[illegible] Sen[illegible] Dist. 9.

Augustini locus, quo respondens Manichæorum calumniæ, de conversis per Catholicos idolis in Martyres, ait: Y. Populus Christia-,,nus memorias Martyrum religiosâ solemni-,,tate concelebrat,& ad excitandam imitatio-,,nem, & ut meritis eorum consocietur, at-,,que orationibus adjuvetur: ita tamen ut ,,nulli Martyrum,sed ipsi Deo Martyrum sa-,,crificemus,quamvis in memorias Martyrum ,,constituamus altaria. Quis enim Antistitum ,,in locis sanctorum corporum assistens altari, ,,aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut ,,Paule,aut Cypriane? Sed quod offertur,Deo ,,offertur, qui Martyres coronavit, apud me-,,morias eorum quos coronavit: ut ex ipso-,,rum locorum admonitione major affectus ,,exurgat,ad acuendam charitatem & in illos, ,,quos imitari possumus, & in illum quo ad-,,juvante possumus. Colimus ergò Martyres ,,eo cultu dilectionis & societatis, quo & in ,,hac vita coluntur sancti homines Dei, quo-,,rum cor ad talem pro Euangelica veritate ,,passionem paratum esse sentimus. Sed illos ,,tantò devotiùs, quantò securiùs post certa-,,mina superata,quantò etiam fidentiore lau-,,de prædicamus jam in vita feliciore victores, ,,quàm in ista adhuc usque pugnantes. At ve-,,rò illo cultu,quæ Græcè *latria* dicitur,Latinè ,,uno verbo dici non potest, cùm sit quædam ,,propriè divinitati debita servitus, nec coli-,,mus, nec colendum docemus, nisi unum ,,Deum. Cùm autem ad hunc cultum perti-,,neat oblatio sacrificij,unde *idololatria* dicitur ,,eorum qui hoc etiam idolis exhibent; nullo ,,modo tale aliquid offerimus,aut offerendum ,,præcipimus vel cuiquam Martyri, vel cui-,,quam sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo: ,,& quisquis in hunc errorem delabitur,corri-,,pitur per sanam doctrinam, sive ut corriga-,,tur,sive ut condemnetur, sive ut caveatur". Hanc Augustini doctrinam Synodus Tridentina nuper confirmavit, obvians modernorum Sectariorum calumnijs, veterem Manichæorum cantilenam renovantium. Synodi verba sunt: Z. Quamvis in honorem & memoriam ,,Sanctorum nonnullas interdum Missas Ec-,,clesia celebrare consueverit, non tamen illis ,,sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui ,,illos coronavit. Unde nec Sacerdos dicere ,,solet, Offero tibi sacrificium Petre,vel Pau-,,le;sed Deo de illorum victorijs gratias agens, ,,eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro no-,,bis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris". Rursùs eadem Synodus sub initium Sessionis 25. speciale decretum *de invocatione & veneratione & reliquijs & imaginibus Sanctorum* concinnavit, in quo decernit," Instituendos ac docendos esse fide-,,les,Sanctos unà cum Christo regnantes,offer-,,re Deo orationes pro hominibus,bonum at-,,que utile esse suppliciter eos invocare,& ob ,,beneficia impetranda à Deo per filium ejus ,,JESUM Christum Dominum nostrum,qui so-,,lus noster Redemptor & Salvator est,ad eo-,,rum orationes,opem,auxiliumq; confugere: ,,Illos verò,qui negant,Sanctos,æternâ felici-,,tate in cælo fruentes, invocandos esse; aut ,,qui asserunt vel illos pro hominibus non ,,orare, vel eorum,ut pro nobis etiam singulis ,,orent, invocationem esse idololatriam, vel ,,pugnare cum verbo Dei,adversarique hono-,,ri unius Mediatoris Dei & hominum JESU ,,Christi; vel stultum esse,in cælo regnantibus voce vel mente supplicare,impiè sentire".

Y. Aug. l. 20. cont. Faust. cap. 21. Vide l. 8. de Civit. c. 27. & l. 10. c. 1. 4. & 7 & lib. 22. cap. 10.

Z. Syn. Trid. Sess. 22. c. 3. Vide ibidem cap. 5.

CCXVII. Ecclesia itaque hodierna cultum duliæ Sanctis in cælo feliciter regnantibus impendendo, eorumque opem ac patrocinium implorando, nihil aliud facit,quàm quod Ecclesia primitiva ab Apostolis & Apostolicis viris edocta practicaverat: Sectarij quoque moderni, cultum & invocationem Sanctorum respuendo, & sub odioso *idololatriæ* nomine explodendo, nihil aliud faciunt, quàm quod primitivi hæretici eorumque discipuli, imò etiam ethnici, fecerant: A. Victorum Marty-,,rum templa, inquit Theodoretus, clara & ,,conspicua cernuntur, magnitudine præstan-,,tia,omni ornatus genere illustria, & pulchri-,,tudinis splendorem latè fundentia. Neque ,,ad hæc nos (*Christiani*) semel bisve aut quin-,,quies quotannis accedimus, sed frequentes ,,conventus celebramus; sæpè etiam diebus ,,singulis horum Domino laudes decantamus: ,,& qui integrâ sunt valetudine, hanc sibi ,,conservari; qui autem morbo quopiam con-,,flictantur,hunc depelli,petunt. Liberos quo-,,que petunt qui ijs carent, steriles rogant ma-,,tres fieri, qui donum adepti sunt id sibi ,,salvum servari postulant, qui peregrinatio-,,nem aliquam auspicantur, ab his petunt ut ,,viæ sibi comites sint, ducesque itineris: qui ,,sospites redierunt, gratias referunt: non il-,,los adeuntes ut Deos, sed tanquàm divinos ,,homines eos rogantes, intercessoresque sibi ,,ut esse velint postulantes. Quòd verò voto-,,rum compotes fiant qui fideliter petunt, pa-,,làm testantur illorum donaria, curationem ,,indicantia. Alij enim oculorum,alij pedum, ,,alij manuum simulachra suspendunt, ex ar-,,gento aurove confecta. Accipit enim horum ,,Dominus etiam parva, pretijque exigui pro ,,offerentis facultate donum metiens. Hæc ,,autem morborum depulsionem indicant, cui ,,testandæ ab ijs posita sunt qui sanitatem re-,,ceperunt: eadem ibi sepultorum virtutem ,,prædicant, horumque Deum verum esse, Deum declarat illa ipsa eorum virtus". Hæc ille de Christianis sui temporis, ante mille ducentos annos scripsit, memoriæque prodidit: quæ profectò tam accuratè praxin colendi San-

A. Theod. de Curand. Græc. affect. Serm. 8.

Vide Basil. Hom. in 40. Martyres prope fin.

A 2

Sanctos in hodierna Ecclesia usitatam exprimunt, quàm si author eam ex professo describere statuisset. Theodoreto adhuc vetustior Chrysostomus, quanto in honore fuerint Sancti suo tempore, etiam apud supremos Mundi Monarchas Christianismo initiatos, lucu-

B. Chrysost. libro contra Gentil. quòd Christus sit Deus. Tomo 5. Vide August. Serm. 25. de Sanctis. & in Psalm. 44. & Ambr. l. 10. in c. 21. Luc. & Chrysost. Homil. 66 ad Pop. Antioch. & Homil. 26. moral in 2. ad Corinth. & Isid. Pelus. l. 2. Epist. 5.

lentè expressit, ubi de ijs ait: B. Qui ducebantur & circumducebantur, qui contempti „ erant & vincti, qui innumera patiebantur „ mala dum viverent: ubi defuncti sunt, Re- „ gibus ipsis venerabiliores evaserunt. Nam „ etiam Romæ, quæ urbium est regalissima, „ relictis omnibus Reges & Præsides & mili- „ tes ad sepulchra piscatoris & pellionis cur- „ runt: & Constantinopoli Reges nostri ma- „ gnam gratiam putant, non si prope Aposto- „ los, sed si vel extra eorum vestibula sepe- „ liantur, fiantque piscatorum ostiarij: neque „ hinc in morte confunduntur, sed honestan- „ tur & ipsi, & eorum nepotes, & pronepotes". Extat quoque ejusdem Chrysostomi sermo encomiasticus de Juventino & Maximo Martyribus, in fine Tomi tertij, ubi inter alia ait de Sanctis: " Illos non indignum fue- „ rit & columnas, & scopulos, & turres, & can- „ delabra, & tauros simul appellare. Nam Ec- „ clesiam sicut columnæ sustinent, sicut turres „ muniunt, sicut scopuli universos undarum „ assultus repulerunt, multam interim ipsi ser- „ vantes tranquillitatem; sicut luminaria tene- „ bras impietatis discusserunt, & sicut tauri „ eâdem animi promptitudine suave Christi „ jugum traxerunt. Eapropter sæpè eos invi- „ samus, tumulos adornemus, magnâque fide „ reliquias eorum contingamus, ut inde bene- „ dictionem aliquam assequamur. Etenim „ sicut milites vulnera in prælijs sibi inflicta „ monstrantes Regi, fidenter loquuntur: ita „ & Martyres in manibus abscecta capita ge- „ stantes, & in medium proferentes, quæcun- „ que voluerint apud Regem cælorum impe- „ trant. Proindè magnâ fide ac promptitudine „ huc veniamus, quò & visis Sanctorum mo- „ numentis, & consideratis eorum præmijs, „ inde varios thesauros undequaque colligamus". Vigilantio hæresiarchæ invocationem Sanctorum vitâ functorum impugnanti respondit in hunc modum olim Hieronymus:

C. Hieron. lib. contra Vigilant. c. 3.

C. Si Apostoli, & Martyres, adhuc in corpore „ constituti possunt orare pro cæteris, quando „ pro se adhuc debent esse solliciti: quantò ma- „ gis post coronas, victorias, & triumphos? „ Unus homo *Moyses* sexcentis millibus arma- „ torum impetrat à Deo veniam; & *Stephanus* „ Imitator Domini sui, ac primus Martyr in „ *Christo*, pro persecutoribus veniam depre- „ catur: & postquàm cum Christo esse cœpe- „ rint, minùs valebunt? *Paulus* Apostolus *du-* „ *centas septuaginta sex* sibi dicit in navi animas „ condonatas: & postquàm resolutus cœperit „ esse cum Christo, tunc ora clausurus est, & „ pro his qui in toto orbe ad suum Evange- lium crediderunt mutire non poterit"? Quasi dicat, Absit. Cùm ergò Sancti opitulari nobis possint, cur invocari à nobis non possint? Rursùs cùm opitulatoribus reverentia debeatur & honor, cur non honoremus quos opitulatores in angustijs experimur? An fortè periculum est ne honor servorum redundet in Domini injuriam? Non ita sentit idem Hieronymus, qui Epist. 53. hanc ipsam materiam tractans: " Honoramus, inquit, reliquias Mar- „ tyrum, ut eum, cujus sunt Martyres, adore- „ mus: honoramus servos, ut honor servo- „ rum redundet ad Dominum, qui ait, *Qui vos suscipit, me suscipit*". Et Augustinus cùm dixisset, D. Ostendatur mihi Romæ in honore „ tanto templum Romuli, in quanto ibi ostendo memoriam Petri": continuò subdidit, " In „ Petro quis honoratur, nisi ille (*Christus*) de- „ functus pro nobis? Sumus enim Christiani, non Petriani". Et Theodoretus sermone proximè citato exclamat ad Gentiles, Deorum mortuorum cultores: " Quid vos igitur, in- „ quiens, qui tot numero homines mortuos „ appellastis Deos, nobis succensetis, qui non „ Deos facimus, sed Martyres honoramus, „ tanquàm Dei testes, servosque amantissimos"? Et ibidem inferiùs: " Nos, inquit, nec „ hostias Martyribus, nec libamina deferimus: „ sed ut Sanctos Deique amicos honoramus".

Ex. 32. 9.

Act. 7. 19.

Act. 27. 17.

Mat. 10. 40.

D. Aug. in Psalm. 44.

Theodoret.

CCXVIII. Non obstantibus tot veterum Patrum contestationibus, doctrinam ex Tridentina Synodo §. 216. relatam confirmantibus, non cessant moderni Sectarij improperare Catholicis, quòd sub larva venerationis Sanctorum Gentilitiam idololatriam in Ecclesiam invehant. Henricus VIII. Anglorum Rex in Edicto adversùs B. Thomam Cantuariensem, post verba superiùs §. 214. descripta subjunxit ista: *Iubet sua Maiestas alios quoque dies festos iam abrogatos, à nemine ampliùs celebrari; sed statuta & precepta sua Maiestatis desuper emanata observari: ut scilicet populus sibi subditus ampliùs non decipiatur, sed ab omni superstitione & cultu idololatriæ liberetur, quo præteritis temporibus contaminatus fuit.* Abrogaverat nimirùm ille Sanctorum festivitates, in Anglia eatenùs, uti & alibi in Ecclesia, celebrari consuetas: idque sub prætextu expurgandi subditos suos à labe idololatriæ, quâ contaminati fuerint, quamdiu Catholicæ communioni cohærentes religiosum cultum Sanctis impendebant. Verùm jam pridem ostendit Joannes Hesselius, Theologus Lovaniensis, eos qui hâc calumniâ Catholicos modò pulsant, nihil novi meditari, sed veteres hæreticos, infames apostatas, & sacrilegos Gentiles imitari. Nihil enim aliud dicunt, nisi quod Faustus Manichæus ante tot annorum centurias effutierat, obgan-

Henr. VIII.

Vide Hessel. lib. de Invocat. Sanctorum cap. 22.

E. Faust. Manich. apud Aug. lib. 20. cont. ipsum cap. 4.

obganniens Catholicis: E. *Sacrificia Gentilium vertistis in agapes, idola in Martyres, quos votis similibus colitis: defunctorum umbras vino placatis & dapibus; solemnes Gentilium dies cum ipsis celebratis.* Cui calumniæ quid Augustinus pro Catholicis responderit, patet ex ejus verbis hìc superiùs §. 216. exhibitis. Eusthathiani quoque hæretici eandem calumniam Catholicis impingebant, quos idcircò Synodus Gangrensis anathematizavit his verbis: F. Si quis superbiæ

F. Synodus Gangrensis can. 20.

„ affectu utens, conventus abominatur qui ad
„ confessiones Martyrum celebrantur, & mi-
„ nisteria quæ in eis fiunt simul cum eorum
memorijs execratur, anathema sit". Ecce quales ex veteribus hæreticis moderni hagiomachi; Catholicorum calumniatores, habeant magistros ac patronos! Videant jam alium, sed è numero infamium apostatarum sibi pariter præludentem ac patrocinantem; Julianum dico Cæsarem cognomento apostatam, qui Christianis sui temporis exprobrat, G *quod à Dijs immortalibus ad mortuos, & eorum reliquias sese transtulerint.* Quam ejus calumniam egregiè refellit Cyrillus Alexandrinus in peculiari Opere adversùs eum edito, ubi inter alia ait ex communi Christianorum personâ: H. San-

G. Julianus Apost. Epist. 52.

H. Cyrillus Alex. lib. 10. contra Iul.

„ ctos Martyres neque Deos esse dicimus, ne-
„ que divino cultu illos adorare solemus, sed
„ affectûs & honoris; quin potiùs summis ho-
„ noribus illos ornamus, ut qui pro veritate
„ strenuè certaverint; sinceritatemque fidei eo
„ usque servaverint, ut animam ipsam contem-
„ pserint, repudiatisque mortis terroribus pe-
„ riculum omne vicerint; & virtutis adeò mi-
„ rabilis seipsos velut quasdam imagines vitæ
„ hominum proposuerint. Quare nihil est ab-
„ surdi, imò verò necesse erat, eos qui tam cla-
„ ris facinoribus excelluerunt, ornari perpetuis
„ honoribus. Quod quidem reprehensione ca-
„ rere vel apud ipsos Græcos vetustissimos
„ comperiemus. Athenis quippè, facto ad eo-
„ rum monumenta concursu, qui pro universa
„ Gręcia Marathone primùm in discrimen ad-
„ ducti, & qui posteà contra Xerxis exercitum
„ fortiter pugnârunt, utpote qui gloriosam
„ mortem obierint, laudes illorum quotannis
„ celebrari solitum erat. Prætereà cur bonus
„ ille vir (*Iulianus*) venerationem Sanctorum
„ reprehensione liberam esse non finit? Nam

Plato.

„ & ipse Plato de hominibus qui optimè vixe-
„ rint, ac fortiter occubuerint, sic inquit: *Reli-*

Vide Euseb. lib. 13. Præpar. Evang. cap. 7.

„ *quo verò tempore mortuos, tanquam Genios quos-*
„ *dam, colemus, eorumq; loculos adorabimus. Eadem*
„ *statuemus quando senectute vel alio quovis pacto*
„ *decesserit quispiam eorum, qui eximiâ bonitate*
„ *in vita præcelluisse iudicati fuerint.* Atque hæc
„ quidem tuus Plato. Nos autem, uti dixi,
„ non dicimus sanctos Martyres fuisse Deos:
„ sed illos omni veneratione prosequi so-
„ lemus; eorumque loculos honoramus,
„ tam claræ virtutis quandam velut remune-
„ rationem ac præmium ipsius immarcessibi-
lem memoriam reponentes". Superest monstrandum; etiam Ethnicos eandem calumniam veteribus impegisse Christianis. Patet verò id inprimis ex Theodoreti verbis §. superiori in fine relatis: quibus addi potest & hæc ejusdem superiùs in eodem sermone expostulatio cum Ethnicis: I. Vos nulla Mar-

I. Theodor. Serm. 8. supra.

„ tyrum miracula adducunt, ut eorum Deum
„ laudetis: sed irridetis ac ludibrio habetis ho-
„ norem qui eis passim ab omnibus defertur, &
„ abominandum scelus ducitis ad eorum busta
propiùs accedere". Maximus Madaurensis, homo planè ethnicus, postquàm in sua ad Augustinum Epistola mentionem Martyrum inseruisset, adjecit: K. Horum busta, re-

K. Max. Madau. Epist. 43. inter Augustinian.

„ jectis templis; neglectis majorum suorum
„ manibus, stulti frequentant: ita ut præsa-
„ gium vatis illius indignè ferentis emineat:
„ *Inque Deum templis iuravit Roma per umbras*".

Augustinus.

Cui calumniæ Augustinus Epistolâ proximè sequenti respondens: " Scias, inquit, à Chri-
„ stianis Catholicis, quorum in vestro oppido
„ etiam Ecclesia constituta est, nullum coli
„ mortuorum; nihil denique ut Numen ado-
„ rari; quod sit factum & conditum à Deo: sed
„ unum ipsum Deum, qui fecit & condidit
omnia". Alibi quoq; idem Augustinus: L. No-

L. Augustin. lib. 22. de Civit. c. 10. Vide Tract. 84. in Ioan.

„ bis; inquit, Martyres non sunt Dij: quia
„ unum eundemque Deum & nostrum scimus,
& Martyrum". Et mox secernens Deorum cultores à Martyrum veneratoribus: "Illi, in-
„ quit, talibus Dijs suis & templa ædificave-
„ runt, & aras statuerunt; & sacerdotes insti-
„ tuerunt, & sacrificia fecerunt. Nos autem
„ Martyribus nostris non templa sicut Dijs, sed
„ memorias sicut hominibus mortuis, quorum
„ apud Deum vivunt spiritus, fabricamus: nec
„ ibi erigimus altaria in quibus sacrificemus
„ Martyribus, sed uni Deo & Martyrū & no-
„ stro sacrificium immolamus; ad quod sacri-
„ ficium, sicut homines Dei qui Mundum in
„ ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine
nominantur". Neque verò Augustini demùm ævo cœperunt Ethnici affingere Christianis latriam Martyrum, sed longè ante ipsum. Refert quippè Eusebius, corpora Martyrum sub Diocletiano & Maximiano tyrannis effossa ab Ethnicis, & in mare projecta fuisse: M. *Ne fortè efficerentur Christianorum Dij. Putabant enim*, ut Eusebius ibidem subdit, *quod divinus apud nos honor Martyribus deferatur.* Extat quoque apud eundem Eusebium superius lib. 4. c. 15. Epistola Ecclesiæ Smyrnensis de martyrio B. Polycarpi, in qua refertur, quòd Gentiles, instigantibus Judæis, obstiterint ne Martyris corpus concederetur Christianis, *Ne fortè relicto*

M. Euseb. lib. 8 Hist. Eccles. c. 6. Vide Nicep. lib. 7 cap. 5. Smyrnenses

Christo Polycarpum colere inciperent.. Subditur porrò in eadem Epistola: " Sed ignorabant ,, miserrimi, quòd neque Christum nos un-,, quam possumus derelinquere, qui pro to-,, tius Mundi salute mortem sustinuit; ne-,, que alium quenquam colere (*cultu scilicet* ,, *latriæ, qualem Christo impendimus*) quoniam ,, verum Deum unicè colendum novimus, ,, Martyres verò tanquam discipulos Domi-,, ni diligimus. & veneramur, quasi integrè ,, fidem Magistro servantes ac Domino: quo-,, rum nos quoque in fide & perseverantiâ charitatis optamus esse participes". Fuerat autem Polycarpus Joannis Apostoli discipulus, prout disertè perhibet Hieronymus, lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis in ipso. Unde facilè perspicitur quàm antiquus inter Christianos extiterit ritus impendendi Martyribus cultum duliæ; & quàm similiter antiqua fuerit impostura illa infidelium, affingentium fidelibus pro dulia latriam, quæ est quotidiana modernorum hæreticorum, veterem cramben recoquentium, cantilena.

Hieronym.

Vide Damasc. in vita Scs. phani jun. & l. 4. de Fide cap. 17.

CAPUT LX.

A Sanctorum veneratione transitur ad eorundem invocationem: quam nimis imprudenter vel certè impudenter Melanchton *pernegat mentionatam fuisse à priscis Scriptoribus Gregorio primo Pontifice anterioribus. Insignis ejusdem* Melanchtonis *scurrilitas agnominantis Magnum Gregorium* pereuntis Theologiæ præsultorem. *Sanctorum invocatio non solùm sub Gregorio, & post Gregorium, sed & ante Gregorium ab exordio semper Christianæ Religionis usitata fuerat in Ecclesia Dei. Eam quippe per temporum successiones astruxerant ante Gregorium, Hormisda, Leo, Synodus Chalcedonensis, Theodoretus, uterque Cyrillus, Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Basilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Ephrem Syrus, Athanasius, Eusebius, Cyprianus, Origenes, Irenæus, Dionysius, Clemens Romanus, Iacobus Apostolus. Quibus suo se exemplo conformes exhibuerunt Mundi Principes, signanter Theodosius major, & junior; qui & Sanctos religiosè honorabant, & honoratos devotè invocabant.*

CCXIX. HActenùs de cultu Sanctis impendi ab Ecclesia Catholica solito, atque etiam de divina ultione nonnullis eorum hostibus rependi: nunc de eorundem invocatione breviter disserendum est, quam Philippus Melanchton in Apologia Confessionis Augustanæ negat à veteribus ante Gregorium fuisse mentionatam. Loquens quippè ille ibi de Catholicis sibi adversantibus: [N] Allegant Cyprianum, inquit, quòd vivum ,, Cornelium rogaverit, ut discedens pro fra-,, tribus oret. Hoc exemplo probant mor-,, tuorum invocationem. Citant & Hierony-,, mum contra Vigilantium: *In hac arena*, in-,, quiunt, *ante mille & centum annos vicit Hie-*,, *ronymus Vigilantium.* Sic triumphant adver-,, sarij, quasi jam sit debellatum: nec vident ,, isti asini, apud Hieronymum contra Vigi-,, lantium nullam extare syllabam de invoca-,, tione: loquitur enim de honoribus San-,, ctorum, non de invocatione. Neque reli-,, qui veteres scriptores ante Gregorium fecerunt mentionem invocationis". Atque hæc videtur una fuisse è causis, cur idem Melanchton Orat. de Corrig. studijs, Gregorium appellarit *pereuntis Theologiæ præsultorem*; quia nimirùm cùm antiquiores Patres, sub quibus pura ac vera Theologia viguerat ac floruerat, nullam invocationis Sanctorum mentionem fecissent, primus ipse eam invexit, ac sequentibus non tam Theologis quàm Theologastris propagandam propinavit: donec nuperi isti Reformatores Theologicam doctrinam abstersis maculis pristinæ puritati ac sinceritati restituerunt, atque adeò perperàm invectam Sanctorum invocationem, tanquam idololatricam & Christi prærogativis adversam, aboleverunt. Benè interim est, quòd Gregorium & sequentes Ecclesiæ Magistros invocationi Sanctorum patrocinari fateatur, atque ita nos liberet à molestia conquirendi ac transcribendi eorum testimonia. Non possumus tamen silentio prætcrire, quòd in Actis duarum Synodorum Generalium, Gregorio paululùm recentio-rum

N. Phil Melanchton in Apolo Art. 21. Confess. Augustanæ.

rum, illa Gregorij Theologia comprobetur, sextæ nimirùm & septimæ: in quarum priore sic legitur: O. Solo Deo Creatore suo adorato, invocet (*Christianus*) Sanctos, ut pro se intercedere apud Majestatem divinam dignentur". In posteriore item sic: P. Cum timore Dei omnia faciamus, expetentes etiam intercessionem intemeratæ Dominæ nostræ & naturâ Dei genitricis semper Virginis Mariæ, atque sanctorum Angelorum, & simul omnium Sanctorum". Quibus novissimè accessit œcumenica Tridentina Synodus, ad obviandum modernorum hagiomachorum erroribus indicta, congregata, & confirmata: cujus Decretum huc spectans descripsimus superiùs §. 216. Et verò quis, nisi suæ salutis prorsùs incurius, non mallet Gregorio cum subsequentibus Doctoribus Catholicis, ac tribus istis Synodis œcumenicis acquiescere, quàm panculis quibusdam apostatis, Copronymi hæresim jam olim confossam, sepultam, & incineratam resuscitare molientibus, assentiri?

O. Synod. 6. General. c. 7 juxta codicem S. Baronii.
P. Synod 7. Gener. Act. 6. in fine.

CCXX. Sed nec illud ullatenùs admittendum est, quod à Melanchtone tam præfidenter asseritur, *veteres Scriptores ante Gregorium non fecisse mentionem invocationis Sanctorum*. Floruit namque Gregorius in fine sexti sæculi, & initio septimi, Christianæ epochæ. Atqui anteà complures Scriptores tum verbo tum exemplo docuerunt invocandos esse Sanctos. Certè enim Gregorio antiquior fuit Pontifex Hormisda, qui Euphemiæ Augustæ scribens, inter alia ait: Q. Quia in vobis amorem fervere fidei gratulamur, agentes Deo gratias quotidiè pro vobis, Beato Petro Apostolo supplicamus, ut votis vestris apud Deum suffragetur, & cursum bonæ voluntatis adimpleat". Et rursùs Epistolâ 37. ad Justinianum Domesticorum comitem: "Beatum Petrum Apostolum, inquit, quotidiè suppliciter obsecramus, ut vobis, per quos integrari membra sua jam sperat sancta Ecclesia, & effectum Deus celerem, & salutem tribuat longiorem". Hormisdâ adhuc antiquior Leo Magnus: R. Sabbato, inquit, apud Beatum Petrum Apostolum vigilias celebremus, patrocinante eodem orationibus nostris: ut in omnibus misericordiam Dei obtinere mereamur". Rursùs Serm. 5. de Epiphania: "Confirmate amicitias, inquit, cum sanctis Angelis: intrate in civitatem Dei, cujus nobis spondetur habitatio; & Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribusque sociamini: unde & illi gaudent, inde gaudete. Horum divitias concupiscite, & per bonam æmulationem ambite ipsorum suffragia". Sub hoc Pontifice celebrata est œcumenica Synodus Chalcedonensis, in qua legimus invocatum fuisse Beatum Flavianum, paulò anteà martyrio affectum, hâc solemni acclamatione: S. *Flavianus post mortem vivit; Martyr pro nobis oret*. Eodem tempore floruit Theodoretus Cyri Episcopus, cujus in hanc rem suffragium protulimus §. 217. Qui rursùs in exordio Historiæ suæ Religiosæ profitetur *invocandas sibi esse eorum preces, quorum auspicatur describere vitas*. Quin & eandem Historiam hisce verbis demùm terminat: "Illos precor, quorum vitas descripsi, ne me procul à spiritali eorum chorea positum despiciant; sed infrà jacentem trahant, & ad culmen virtutis perducant, choroque suo adjungant: ut non alienas solùm opes laudem, sed ipse etiam laudis materiam aliquam consequar, opere, verbis, & mente glorificans universorum Servatorem Christum, Deum nostrum, cum quo Patri gloria, cum Sancto Spiritu, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen". Cyrillus Alexandrinus in Synodo Generali Ephesinâ, cui nomine Celestini Papæ præfuit, Beatum Joannem Euangelistam disertè invocat: T. O Beate Joannes, inquiens, qui *Tonitrui filius* appellatus es, qui orbem totum magno & eximio sonitu concussisti, qui voces habes immortales, cujus verbis oblivio & tempus cedunt: ecce tantus hic pastorum cœtus ad te venit, remove nobis lapidem, sicut *Beatus Iacob pastoribus*, resera nobis puteum vitæ, da ut nunc quoque *de salutis fontibus hauriamus*. Immò verò tuum nobis fontem appone". Hoc ipso tempore præfuit Imperio Theodosius junior, qui Sanctum Joannem Chrysostomum in exilio defunctum invocasse perhibetur: V. Reliquiæ sancti Doctoris, inquit Theodoretus, in urbem regiam (*Constantinopolim*) relatæ sunt: ac tum iterum fidelis populus, per mare navigijs quasi per continentem incedens, Bosphori fauces ad Propontidem lampadibus contexit. Hunc autem thesaurum in urbem intulit is qui Imperio nunc potitur, qui avi (*Theodosii Magni*) nomen sortitus, ejus quoque pietatem servat incorruptam. Hic oculos & frontem in loculum defigens, pro parentibus preces fudit; & ijs, qui per ignorantiam peccarant, ut ignosceret, supplicavit". De Theodosio item seniore, hujus avo refert Sozomenus, quòd ad bellum contra Eugenium tyrannum profecturus: W. Cùm egressus Constantinopoli ad septimum usque milliare pervenisset, Deum in ea Ecclesia adoraverit, quam in honorem Joannis Baptistæ construxerat, supplicans ut expeditionis illius exitus & sibi, & exercitui,

Q. Hormisda Epist. 11.
R. Leo Ser. 2 de Pentecoste cap. 8.
S Syn Chalcedon Act. 11.
Theodoretus. Vide Paulinum in Panegyrico de Celso, & Natali 3 B. Felicis, & Epistolâ 12.
T Cyrillus Alex. in Synod. Ephes. sine p. 3. c. 11 Marc. 3. 17.
Gen. 29. 10.
Isaia 12. 3.
V. Theodoretus lib. 5. Hist. Eccles. cap. 36.
W. Sozom. 7. Hist. Eccles. cap. 24.

citui & Romanis omnibus fortunatus obtingeret; atque eundem Ioannem Baptistam auxilij gratiâ illic invocaverit". De eodem

Ruffinus.

& Ruffinus lib. 2. Hist. cap. 33. sive postremo:" Præparabat se ad bellum, inquit, non tam armorum telorumque, quàm jejuniorum orationumque subsidijs, nec tam excubiarum vigilijs, quàm obsecrationum pernoctatione munitus. Circumibat cum Sacerdotibus & populo omnia orationum loca, ante Martyrum & Apostolorum thecas jacebat cilicio prostratus, & auxilia sibi fida Sanctorum intercessione poscebat".

CCXXI. Sub hoc seniore Theodosio floruit in Occidente Ambrosius, & sub Arcadio ejus filio in Oriente Chrysostomus, ambo invocationis Sanctorum strenui assertores

Chrysostomus.

ac vindices. Etenim Chrysostomi Missa respersa passim est invocationibus Sanctorum, ut Beatæ Mariæ, Angelorum cælestium, Sancti Nicolai. Ibidem quoque hæc precatio extat: " Apostoli, Martyres, Prophetæ, Sacerdotes, Confessores, & Iusti, cum Mulieribus sanctis, qui benè certamen consummastis, & fidem servastis, fiduciam servantes ad Salvatorem, pro nobis orate salvari animas nostras". Et mox iterùm ad Petrum & Paulum hæc obsecratio subnectitur: " Qui primas inter Apostolos habetis sedes, orbisque didascali, apud omnium Dominum legatione fungimini, ut pax Mundo donetur, & animabus nostris magna misericordia". Rursùs Serm. in Thomam Apostolum, ita eundem invocat: " Suscipe orbem cineri tuo supplicantem: ætatem omnem ad legationem obeundam misit, senes, ac juvenes tumulo tuo advolvimur, virgines & adolescentes tuum corpus amplectimur, infantes passerum in morem hianti ore prospiciunt; noli talem speciem aspernari, ne vacuos labores nostros dimittas, da competentem sudoribus nostris mercedem". Ubi non solùm ipse sanctus Doctor Apostolum interpellat, sed & communem fidelium omnis sexus & ætatis praxin indicat. Alioi quoque ipsos supremos Mundi Monarchas eidem praxi assuescentes inducit, dicens: [X] Servorum Crucifixi sepulchra regijs aulis sunt clariora; non magnitudine, & ædificiorum pulchritudine (quanquam & in hoc quoque superent) sed, quod multò majus est, confluentium studio. Nam & ipse qui purpuram indutus est accedit illa amplexurus sepulchra, & fastu deposito stat sanctis supplicaturus, ut pro se apud Deum intercedant: & scenarum artificem, & piscatorem, etjam mortuos, ut protectores orat, qui diademate redimitus incedit". Sed nec minùs dilucidè Ambrosius eidem Sanctorum

X. Chrysost. Homilià 66. ad populum Antioch. Vide Homil. 26. in 2. ad Corinth.

invocationi suffragatur, cùm ait: [Y] Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt: Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vindicare". Idem rursùs in precatione 2. ad Missam præparatoriâ ait:" Ut efficax hæc mea sit deprecatio, Beatæ Mariæ Virginis suffragia peto, quam tanti meriti, Domine, esse fecisti, ut prima inter mulieres novum munus offerret, & nulla præter ipsam tam novum acciperet: novum scilicet munus prima offerret, ut puerpera virgo perseveraret; nulla præter ipsam tam novum acciperet, ut Deum virgo pareret, & post partum virgo maneret. Apostolorum intercessionem imploro, qui beatissimam Mediatoris paupertatem, ejusque passionis vestigia insequentes, ad tantum celsitudinis culmen pervenerunt; ut *quæcunque ligarent super terram essent ligata & in cælis, & quæ solverent super terram essent soluta & in cælis*; atque in extrema *sederent super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israël*. Martyrum preces deposco, qui pro veritate non dubitarunt sanguinem fundere, nec dilexerunt animas suas usque ad mortem, ut mortis superarent authorem. Confessorum orationes expostulo, qui bella tentantis inimici, dum piè viverent in Catholica pace, vel etiam hæreticorum conflictationem diuturno certamine pertulerunt, atque, ut verum dicam, longioris occultique martyrii palmas acceperunt". Inter sacros item hymnos ab eodem Ambrosio concinnatos trigesimus quartus de sancta Agatha est, in quo eandem Agatham his verbis invocat, *Iam renidens quasi sponsa polo, pro miseris supplica Domino*. Testatur denique idem Ambrosius Principes sæculi supplices invocare Martyres in suum patrocinium: [Z] Mortuis Regibus, inquiens, Martyres in perpetuum regnum cælestis gratiæ honore succedunt: & illi fiunt supplices, hi patroni". Ambrosio jungatur Augustinus, magistro discipulus, qui Virginem Mariam devotissimè invocans: [A] Accipe, inquit ei, quascunque exiles, quascunque meritis tuis impares gratiarum actiones: & cùm susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus: fiat impetrabile, quod fidâ mente poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus: quia tu es spes una peccatorum, per te speramus veniam delictorum, & in te, beatissima, nostrorum est expectatio præmiorum. Sancta Maria succurre

Y. Ambros. l. de Viduis.

Vide Cyril. Hierosl. Catech. 5. Mystag.

Matt. 16. 19.

Matt. 19. 28.

Z. Ambros. l. 10. in cap. 21. Lucæ.

A. Aug Ser. 35. de Sanctis.

Vide lib. Meditationum cap. 40 tom. 9. & Tract. 84. in Ioan. & Serm. 15. de Verbis Apost. cap. 1. & lib. de cura pro mortuis cap. 4.

„ succurre miseris, juva pusillanimes, refove
„ flebiles, ora pro populo, interveni pro Cle-
„ ro, intercede pro devoto fœmineo sexu:
„ sentiant omnes tuum juvamen, quicunque
„ celebrant tuam commemorationem: assiste
„ parata votis poscentium, & repende omni-
bus optatum effectum". Idem quoque su-
periùs Serm. 1. de Sancto Stephano cap. 4.
præmiserat: " Exauditus est Sanctus Stepha-
„ nus, ut ejus orationibus deleretur pecca-
„ tum quod commiserat Saulus. Commen-
„ demus ergò nos orationibus ejus: multò
„ enim magis nunc exaudietur pro venerato-
„ ribus suis, qui sic exauditus est tunc pro la-
pidatoribus suis". Rursùs lib. 7. de Baptis-
mo contra Donatistas cap. 1. Beatum Cypria-
num invocat, dicens: Adjuvet nos Cypria-
„ nus orationibus suis, in istius carnis mor-
„ talitate tanquam in caliginosa nube labo-
„ rantes: ut donante Domino, quantum pos-
sumus, bona ejus imitemur".

CCXXII. Sed & jam pridem ante Augu-
stinum Gregorius Nazianzenus eundem Cy-
prianum invocaverat, dicens ei: [B]. Tu nos è
„ cælo benignus aspicias, sermonesque no-
„ stros & vitam gubernes, sacrumque hunc
„ gregem pascentem adjuves, cùm in cæteris
„ rebus, quoad ejus fieri poterit, eum ad
„ optima quæque dirigens, cum graves lu-
„ pos, syllabarum & verborum captatores,
„ amoliens: Sanctæque Trinitatis, cui nunc
„ assistis, pleniorem clarioremque splendo-
„ rem nobis concilians, quam adoramus,
quam celebramus". Idem rursùs Orat. 19.
invocat similiter Gregorium patrem suum
cum Sanctitatis opinione defunctum: &
Orat. 20. Basilium Magnum: & Orat. 21.
Athanasium. Hujus Gregorij discipulum se
profitetur Hieronymus lib. de Viris illustri-
bus cap. 128. aliàs 117. ut proindè mirum
non sit hunc eidem doctrinæ constanter ad-
hæsisse, quam tanto præceptore tradente di-
dicerat. Quapropter sicut ille Cyprianum,
Gregorium patrem suum, Basilium, & Atha-
nasium; ita hic Paulam Romanam devotissi-
mè invocavit: [C]. Vale, inquiens in Epi-
„ taphio ejus, ô Paula, & cultoris tui ulti-
„ mam senectutem orationibus juva. Fides
„ & opera tua Christo te sociant: præsens
facilius, quod postulas, impetrabis". Ejus-
dem Gregorij condiscipulus fuit Magnus
Basilius, qui loquens de Ecclesia quadragin-
ta Martyrum: [D]. Paratum est hic, inquit,
„ Christianis auxilium, Ecclesia nimirum
„ Martyrum, exercitus triumphantium, cho-
„ rus laudantium Deum. Sæpè operam de-
„ distis, sæpè laborastis, ut unum pro vobis
„ orantem inveniretis: quadraginta sunt hi,
„ unam orationis emittentes vocem: *Ubi*
„ *enim sunt duo vel tres congregati in nomine Do-*
„ *mini, ibi Deus est.* Ubi ergò quadraginta fue-
„ rint, quis dubitet Deum esse præsentem?
„ Qui aliquâ premitur angustiâ, ad hos con-
„ fugit; qui rursùs lætatur, ad hos recurrit:
„ ille ut à malis liberetur, iste ut duret in re-
„ bus lætis. Hic mulier orans pro filijs, au-
„ ditur: peregrinanti viro reditum incolu-
„ mem, ægrotanti autem salutem implorat".
Et rursùs Homil. 26. de Mamante Marty-
re: " Memores estote Martyris, inquit,
„ quotquot illo per somnia potiti estis, quot-
„ quot in hoc loco constituti adjutorem
„ ipsum ad precandum habuistis, quibuscun-
„ que ex nomine advocatus ipsis adfuit ope-
ribus". Basilij frater, Gregorius Nyssenus,
Theodorum Martyrem communi Ecclesiæ
suæ nomine invocans: [E]. Multorum, inquit,
„ beneficiorum indigemus, intercede ac de-
„ precare pro patria apud communem Re-
gem ac Dominum". Et mox iterùm: " Nosti
„ affectus, & usus, necessitatesque humanæ
„ conditionis: pete pacem, ut hi publici
„ conventus non desinant; ne debacchetur
„ atque grassetur adversùs templa & altaria
„ rabiosus sceleratusque Barbarus, ne concul-
„ cet sancta profanus & impius. Nos enim
„ etiam quòd incolumes & integri servati
„ sumus, tibi acceptum referimus: peti-
„ mus autem etiam futuri temporis præsi-
„ dium, atque securitatem. Quòd si majori
„ etiam opus fuerit advocatione ac depreca-
„ tione, fratrum tuorum Martyrum coge
„ chorum, & cum omnibus unà deprecare;
„ multorum justorum preces multitudinum
„ ac populorum peccata eluent. Admone
„ Petrum, excita Paulum, & Joannem
„ Theologum discipulumque dilectum: ut
„ pro Ecclesijs quas constituerunt solliciti
„ sint, pro quibus catenas gestaverunt, pro
„ quibus pericula ac mortes pertulerunt".
Ephrem Syrus, Basilij Magni auditor, eun-
dem magistrum suum de cælo invocat, dicens
ei: [F]. Instar Petri prædicasti, instar Pauli do-
„ cuisti, instar Thomæ filium Dei passum ag-
„ novisti, instar Matthæi, Marci, Lucæ, &
„ Joannis de rebus divinis disseruisti: instar
„ Apostolorum iniquos erudisti, impios con-
„ vertisti, & Deo gratus fuisti. Deprecare
„ pro me admodùm miserabili: & revoca
„ me tuis intercessionibus, Pater fortis, im-
„ bellem; sedulus pigrum, alacris inertem,
sapiens insipientem". Idem rursùs Serm. de
Laudibus Mariæ: "O Sancta Dei genitrix, in-
„ quit, sub alis pietatis ac misericordiæ tuæ
protege & custodi nos". Et iterùm ibidem
in fine: " Precibus & meritis sanctissimæ Dei
„ genitricis Mariæ semper Virginis, exerci-
„ tuumque omnium cælestium, & universi
„ cœtus Angelorum, Cherubim & Seraphim,
„ Prophetarum & Apostolorum, Marty-
rum &

B. Greg. Nazianz. Orat. 18. in laudē S. Cypriani.

C. Hieron. Epist. 27.

D. Basil. Hom. 20. in 40. Martyres. Vide eund. in Ps. 33. ad v. 16. Item in Liturgia. Item in Ep. ad Iulianum Apost. relatā in septima Synodo generali Act. 4.

Matt. 18. 20.

E. Gregorius Nyss. Orat. in Theod. Martyrem. Vide Nectarium Orat. de Theodoro Martyre.

F. Ephrem Orat encomiastica in Basilium Magnum.

rum & Confessorum, Sanctorumque omnium intercessionibus, ac Beatorum supplicationibus, miserere tuæ creaturæ Deus clementissime".

CCXXIII. His omnibus vetustior Athanasius Magnus, qui Nicenæ Synodo interfuit, & fidem Catholicam in ea definitam mirabili constantiâ indefessè ad mortem usque contra tot ac tantas persecutionum procellas propugnavit ac propagavit, Beatam Dei genitricem Mariam disertissimè invocavit: G. Audi, inquiens ei, filia Davidis & Abrahæ, & inclina aurem tuam in preces nostras, & ne obliviscaris populi tui, neque nostri". Et mox iterum:" Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima Virgo, quæ etiam à partu virgo permansisti: & retribue nobis pro exiguis istis eloquijs magna dona ex divitijs tuarum gratiarum, tu quæ gratiâ plena es". Et rursùs post pauca:" Exaltamus te magnâ & canorâ voce, dicentes: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum*. Intercede hera, & domina, & regina, & mater Dei, pro nobis". Athanasio item paulò vetustior Eusebius Cæsariensis, cùm ex Platone commemorasset honorem à Gentilibus impendi solitum heroibus pro defensione patriæ interemptis, subdidit ex communi Christianorum personâ: H. Hæc & nos quotidiè factitamus, qui veræ pietatis milites ut Dei amicos honorantes, ad illorum monumenta accédimus, vota ipsis facimus, tanquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum nos juvari profitemur". Utroque item vetustior Cyprianus Martyr preces sanctarum Virginum post decessum fundendas implorat: I. Durate fortiter, inquiens, spiritaliter pergite, pervenite feliciter: tantùm mementote tunc nostri, cùm incipiet in vobis virginitas honorari". Eòdem quoque spectat quòd cùm in fine libri de laude Martyrij quædam præmisisset de præmio Martyribus in futura vita reposito, subdiderit ad Martyres:" Utinam perabjecto mihi illud videre contingat: sed hoc Dominus poterit efficere, quod vobis petentibus creditur non negare". Eòdem denique spectat finalis illa clausula Epistolæ 57. ad Cornelium Papam jam Martyrio vicinum:" Si quis istinc nostrûm prior divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiam patris non cesset oratio". Cypriano antiquior Origenes universos Sanctos hâc generali invocatione compellat: K. Incipiam me genibus prosternere, & deprecari universos Sanctos: ut mihi, non audenti rogare Deum propter nimietatem peccati, succurrant. O Sancti Dei, vos lachrymis & fletu pleno dolore deprecor, ut procidatis misericordijs ejus pro me misero". Qui rursùs librum suum secundum in Job terminat hisce precatorijs verbis:" O Beate Job, vivens in perpetuum apud Deum, & victor permanens in conspectu Regis Domini, ora pro nobis miseris, ut etiam nos terribilis Dei misericordia protegat in omnibus tribulationibus, & eripiat ab omnibus oppressionibus maligni, & connumeret nos cum justis, & conscribat nos cum his qui salvi fiunt, & requiescere nos faciat cum illis in regno suo, ubi perpetuò cum Sanctis magnificemus illum". Et Hom. 3. in Diversos loquens de innocentibus parvulis in ipso nascentis Christianismi exordio ab Herode martyrizatis:" Horum memoria, inquit, semper in Ecclesijs, ut dignum est, celebratur, secundùm integrum ordinem Sanctorum, ut primorum Martyrum pro Domino occisorum". Et mox iterum assignans rationem hujus vetustissimæ institutionis:" Benè ergò, inquit, & secundùm voluntatem Dei eorum memoriam Sancti Patres celebrari mandaverunt sempiternam in Ecclesijs, velut pro Domino morientium, vel ut pro Judæis & Gentibus credituris: vel etiam pro ipsis parentibus, qui nimio dolore percutiebantur; ut eis intercessio filiorum apud Deum plurimùm prodesset". Sicut Origenes Cypriano, ita Origine vetustior fuit Martyr Irenæus, qui Sanctorum invocationem astruit, dum L. *Virginem Mariam virginis Evæ advocatam* statuit. In cujus loci Notis Feu-ardentius: M. Hinc evidentissimum est, inquit, priscos Patres & Martyres, proximè ab ipsis Apostolorum temporibus, Deiparam Virginem invocasse, cæterisque, ut implorarent, authores fuisse: qua in re profectò Apostolos, quorum auditores fuerunt, doctores habuerunt. Tam apertum hujus rei testimonium Irenæi cùm non potuissent corrumpere Magdeburgenses, censuerunt *incommodum dictum esse*. Gallasius illis impudentior vociferatur: *Magnam inde Christo conciliari & inferri injuriam*". Cæterùm quia Irenæus in suo illo dicto Evam consideravit non ut singularem personam, sed ut *cunctorum viventium matrem*; planè suffragatur Catholicis ad eandem Deiparam devotè quotidiè clamantibus: *Ad te clamamus exules filij Evæ: Ad te suspiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle. Eia ergo, Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte* &c. Dionysius Areopagita, Pauli Apostoli discipulus, invocationem Sanctorum haud dubiè supponit; cùm ait: N. Ex impossibili & inani spe pendet, quisquis Sanctorum preces flagitat, dum actiones ipsis consentaneas à se abigit". Ubi author omninò

[G. Athanas. Sermone in Euangelium de Sanctissima Deipara.]
[Luc. 1. 28.]
[H. Euseb. lib. 13. Præpar. Euang. cap. 7.]
[I. Cyprian. l. de Disciplina & habitu Virginum, in fine. Vide Pamelium in Notis ad Epist. 57. Cypriani.]
[K. Origen. in suis Threnis sub initium. Vide Homil. 16. in Josue & Homil. 26. in Numeros.]
[L. Iren. l. 5. cap. 19.]
[M. Feu-ardent in Notis Irenæanis.]
[Gen. 3. 20.]
[N. Dionys. Areopag. lib. de Eccles. Hier. cap. 7.]

omninò supponit communem morem flagitandi Sanctorum preces, sed asserit eas inaniter flagitari ab his, qui conversationem Sanctis consentaneam negligunt, velà se abigunt. Sancti enim debent in nobis aliquid de suis virtutibus recognoscere, ut pro nobis dignentur supplicare. His denique accedit Iacobus Apostolus, in sua Liturgia hanc inter alias precandi formulam præscribens: [o] Commemorationem agamus sanctissimæ, immaculatæ, „gloriosissimæ, benedictæ Dominæ nostræ, „Matris Dei, & semper Virginis MARIÆ, „& omnium Sanctorum & justorum, ut precibus atque intercessionibus eorum, omnes misericordiam consequamur". De hac porrò Jacobi Liturgia videri poterit Sixtus Senensis lib. 2. Bibliothecæ sanctæ, in Iacobo: ubi pro istius Liturgiæ fide authoritateque adducit Proclum Constantinopolitanum, & Synodum Trullanam.

Vide Clem. l. 2. Constit. Apost. c. 10.

[o] Iac. Apostol. in sua Liturgia.

Sixt. Senens. lib.

CAPUT LXI.

Venerationi invocationique Sanctorum consentaneus est cultus reliquiarum ipsorum: cui nequiter obstrepunt moderni Sectarij, revocantes ex orco veterem hæresim Vigilantij, Eunomij, Eustathij Sebasteni, haustam ex lacunis Samaritarum & Iudæorum. Vigilantius spurco ore veneratores reliquiarum appellabat cinerarios, *&* idololatras. *Legis Moysaicæ & Euangelicæ discrimen quoad morticinorum contactum, ex Basilio. Tortura dæmonum ad lipsana Martyrum. Mœror eorundem expressus à Trismegisto de reliquiarum veneratione prævalitura in Ægypto. Non est deferendum ultroneæ dæmonum attestationi, sed extortitiæ confessioni. Apollini Daphnico impositum silentium per vicinè sepultas Martyris Babylæ reliquias. Ignatij Martyris ossa quàm solemniter ex Italia in Syriam translata? Nazianzeni in Iulianum apostatam invectiva, ob irreverentiam erga Martyrum lipsana. Principes Apostolorum miraculosè impedierunt suorum corporum translationem extra Romanam ditionem. Romanorum Pontificum vetus consuetudo offerendi super Apostolorum ossibus Deo sacrificia. Variarum reliquiarum translationes solemnizatæ sub* Constantino, *utroque* Theodosio, Arcadio, Zenone *Cæsaribus.*

CCXXIV. PRæstructis in hunc modum cultu & invocatione Sanctorum, sequitur ut disseramus de reliquijs ipsorum. Neque enim defuerunt olim, uti nec hodie desunt, qui reliquiarum cultum vel penitùs tollant, vel etiam sacrilegæ superstitionis insimulent. Retulimus superiùs §. 213. ex Suida, Constantinum Copronymum lege sanxisse, ne quisquam servorum Domini diceretur Sanctus, *quin & eorum reliquiæ conspuerentur.* Jampridem quoque ante Copronymum Vigilantius eundem errorem evomuerat: unde ait Hieronymus, [p] Exortus „est subitò *Vigilantius*, seu veriùs *Dormitantius*, „qui immundo spiritu pugnet contra Christi „spiritum, & Martyrum neget sepulchra veneranda". Sed nec hunc extitisse primum hæreseos istius authorem, sed assertorem duntaxat aut resuscitatorem, indicat idem Hieronymus ibidem inferiùs cap. 3. sic eum alloquens:" Rides de reliquijs Martyrum, & cum „authore hujus hæreseos *Eunomio*, Ecclesijs „Christi calumniam struis; nec tali societate „terreris, ut eadem contra nos loquaris, quæ ille contra Ecclesiam loquitur"? Quinimò Hieronymus ibidem adhuc inferiùs eandem hæresim Cainitis vetustissimis hæreticis attribuit, & contra eam scripsisse Tertullianum perhibet:" Scribit, inquiens Vigilantio, ad„versùm hæresim tuam, quæ olim erupit con„tra Ecclesiam (ne & in hoc quasi repertor „novi sceleris glorieris) Tertullianus, vir eru„ditissimus, insigne volumen, quod *Scorpiacum* „vocat, rectissimo nomine, quia arcuato vul„nere in Ecclesiæ corpus venena diffudit, quæ „olim appellabatur, *Caina hæresis*: & multo „tempore dormiens, vel sepulta, nunc à *Dormitantio* suscitata est". Ejusdem quoque hæreseos fuisse Eustathianos innuit Synodus Gangrensis partim in Præfatione, asserens *eos contemnere loca vel basilicas sanctorum Martyrum, & reprehendere omnes qui illuc conveniunt*: partim canone

[p] Hieron. l. cont. Vigil. cap. 1.

Synod. Gangrens.

canone 20. quem §. 118. exhibuimus. Porrò Hieronymus primam ejusdem hæreseos originem vel saltem occasionem refert alibi ad Judæos & Samaritanos, ita scribens Riparios: Q. Ais *Vigilantium*, qui per antiphrasim hoc „vocatur nomine, nam *Dormitantius* rectiùs „diceretur, os fœtidum rursùs aperire & putorem spurcissimum contra SS. Martyrum „proferre reliquias; & nos, qui eas suscipimus, appellare *Cinerarios*, & *Idololatras*, qui „mortuorum hominum ossa veneremur. O „infelicem hominem, & omni lachrymarum „fonte plangendum, qui hæc dicens non se „intelligit esse *Samaritanum*, & *Iudæum*, qui „corpora mortuorum pro immundis habent; „& etiam vasa, quæ in eadem domo fuerint, „pollui suspicantur: sequentes occidentem literam, & non vivificantem spiritum". Moysaicam Legem ab Euangelica discernens Basilius: R. Pro legis Moysaicæ ritu, inquit, si qui „moriebantur, eorum morticina abominationi habebantur: contrà verò, si cui pro Christi nomine mors irrogatur, pretiosæ censentur reliquiæ Sanctorum ejus. In priori „lege dicebatur Sacerdotibus & Nazaræis illud, *Non contaminabitur super ullo mortuo*; &, „*Si tetigerit cadaver, immundus erit, & ob hoc lavabit vestimenta sua*: Nunc è diverso, quisquis ossa Martyris attigerit, ob gratiam „corpori insidentem fit quadantenùs sanctificationis particeps. Quare? *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius*".

Q. Hieron. Epist. 53. — Vide eund. in cap. 65. Isaiæ v. 4. — R. Basil. in Psalm. 115. Vide Clem. Rom. lib. 6. constit. c. 30. — Levit. 21. 1. — Num. 19. 16. — Psal. 115. 15.

CCXXV. Hinc patet modernos reliquiarum spretores non tam novam hæresim condidisse, quàm veterem toties explosam & extinctam resuscitasse. Sed viderint ipsi, quàm infamiter impios, & Catholicæ Ecclesiæ exosos imitentur Magistros, Copronymum, Vigilantium, Eunomium, Eustathium Sebastenum, ac denique judaizantes Hebræos cum Samaritanis, vel potiùs dæmones illis insidentes, & sanctarum reliquiarum virtutem non ferentes, prout Hieronymus in cap. 65. Isaiæ perhibet: qui & alibi quoque Vigilantio contra reliquiarum venerationem scribenti reponit: S. Spiritus iste immundus, qui hæc te scribere cogit, sæpè vilissimo tortus est pulvere, „imò hodieque torquetur: & qui in te plagas „dissimulat, in cæteris confitetur: nisi fortè in „morem Gentilium, impiorumque, Porphyrij „& Eunomij, has præstigias dæmonum esse „confingas, & non verè clamare dæmones, sed sua simulare tormenta". Et ibidem superiùs cap. 2. cùm commemorasset factam ab Imperatore Constantino honorificam translationem reliquiarum Andreæ, Lucæ, ac Timothei, in urbem Regiam: „Apud quas, inquit, dæmones rugiunt, & inhabitatores „Vigilantij illarum se sentire præsentiam confitentur". Qui rursùs Epist. 27. c. 6. referens peregrinationem Paulæ Romanæ per varia terræ sanctæ loca usque in Sichem: „Atque „divertens inde, inquit, vidit duodecim Patriarcharum sepulchra, & Sebasten, id est, „Samariam, quæ in honorem Augusti ab Herode sermone Græco Augusta est nominata: „ubi siti sunt Helisæus & Abdias Prophetæ, „&, *quo maior inter natos mulierum non fuit*, „Joannes Baptista. Ibi multis intremuit consternata mirabilibus: namque varijs cernebat dæmones rugire cruciatibus, & ante sepulchra Sanctorum ululare homines more „luporum, vocibus latrare canum, fremere „leonum, sibilare serpentum, mugire taurorum; alios rotare caput, & post tergum terram vertice tangere, suspensisque pedibus fœminis vestes defluere in faciem". Refert Augustinus Mercurium Trismegistum luctuosè quondam conquestum fuisse, quòd *Ægyptus sanctissima sedes delubrorum atque templorum, foret aliquando sepulchrorum mortuorumq; plenissima.* Quam prædictionem Augustinus præsenti proposito accommodans: T. Nempe, inquit, „spiritus fallax, cujus instinctu Hermes ista „dicebat, per eum ipsum coactus est confiteri „jam tunc illam terram sepulchrorum & „mortuorum, quos pro Dijs colebant, fuisse „plenissimam. Sed dolor dæmonum per eum „loquebatur, qui suas futuras pœnas apud „sanctorum Martyrum memorias imminere „mœrebant: in multis enim talibus locis „torquentur, & confitentur, & de possessis hominum corporibus ejiciuntur". Ambrosius in eandem rem adducit testem ipsum populum qui expertus fuerat: V. Nunc audistis, inquiens, clamantes dæmones, & „confitentes Martyribus quod pœnas ferre „non possint, & dicentes: *Quid venistis, ut ante tempus nos tam graviter torqueatis*"? Idem rursùs Serm. de Natali Martyrum Nazarij & Celsi: "Honoremus, inquit, beatos Martyres „Principes fidei, intercessores Mundi, præcones regni, cohæredes Dei. Quòd si dicas „mihi: *Quid honoras in carne tam resoluta atque consumpta, de qua nulla iam Deo cura est*? Et „ubi est illud, quod ipsa Veritas loquitur per „Prophetam, *Pretiosa in conspectu Domini mors* „*Sanctorum eius*: & iterùm, *Mihi autem valdè honorificandi sunt amici tui Deus*? Honoro ergò „in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices: honoro viventis memoriam „perennitate virtutis: honoro per confessionem Domini sacratos cineres: honoro in cineribus semina æternitatis: honoro corpus, „quod mihi Dominum meum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent „corpus illud fideles, quod reverentur etiam dæmo-

Hieronym. — S. Hieron. l. cont. Vigil. cap. 4. — Vide eund. in commen. super Abdiam. — Matt. 11. 11. — Mercurius Trismeg. — T. Aug. l. 8. de Civit. c. 26. — V. Ambros. Serm. de invent. corporum Gervasij & Protasij. — PRÆOCCVPATIO. — Ps. 115. 15. — Ps. 138. 17.

,, dæmones; quod affixerint quidem in sup- ,, plicio, sed glorificant in sepulchro? Honoro ,, itaque corpus, quod Christus honoravit in ,, gladio, quod cum Christo regnabit in cęlo". Duriores igitur ipsis etiam dæmonibus sese produnt, qui Sanctorum reliquijs nullam vim saluriferam inesse vel adesse mordicùs contendunt. Unde & idem Ambrosius Serm. de Gervasio & Protasio mox citato ait inter alia: " Tanta est incredulorum perfidia, ut to- ,, lerabilior sit diaboli plerunque confessio". Diabolus quippè confitetur inesse sive adesse Sanctorum ossibus vel etiam cineribus salutiferam vim atque energiam, quam fateri detrectant reliquiarum oppugnatores hæretici.

PRAOCCVPATIO.

Vide Hierõ. Epist. 17.

Quòd si quis objiciat, non esse deferendum testimonio dęmonis: respondet ibidem Ambrosius: " Non accipio diaboli testimonium, ,, sed confessionem. Invitus dicit diabolus, & ,, exactus, & tortus. Quod nequitia supprimit, ,, extorquet injuria: cedit diabolus plagis". Cedit utique, sed interdùm confitendo, interdùm etiam obmutescendo: W. Non solùm ,, enim crucifixum, sed etiam pro ipso occi- ,, sorum favillas dæmones contremiscunt".

W Chrysost. Homil. 4. de Laudibus Pauli.

Patuit id in Apolline Daphnico temporibus Juliani apostatæ, prout ibidem Chrysostomus præmiserat; qui propter vicinas Babylæ Martyris Antiocheni reliquias à consueto vaticinandi ritu abstinuit donec Martyris corpus aliò transferretur: X Julianus, inquit Theodo- ,, retus, dùm expeditionem pararet in Persas, ,, ad universa Imperij Romani oracula fidissi- ,, mos suorum misit; ipse verò Pythium Da- ,, phnæum oravit, ut quæ sibi eventura essent ,, ostenderet; Respondit ille, *Obstare vaticinijs* ,, *vicinos mortuos, quos aliò priùs transferri opor-* ,, *teat, tum oracula fundere: Nihil enim possum,* ,, ait, *non repurgato luco, respondere.* Erant porrò ,, in eo tunc luco triumphantis Martyris *Baby-* ,, *la*, & adolescentum qui cum eo decertarant, ,, reliquiæ: satisque apparebat falsum vatem ,, à consueto mendacio per illas prohiberi. ,, Quod Julianus quoque ipse intelligens, ut ,, qui ex pristina pietate perspectam haberet ,, Martyrum potentiam, aliud quidem corpus ,, inde nullum abstulit; sed invictorum dun- ,, taxat Martyrum reliquias ut exportarent, ,, Christianis imperavit. Qui lubentibus ani- ,, mis ad lucum profecti, & arcâ plaustro im- ,, positâ, publicos choros universi ducentes ,, præibant; Psalmosque Davidicos concinen- ,, tes, ad singula cola inclamabant: *Confun-* *dantur omnes qui adorant sculptilia*".

X Theodoret lib. 3. Hist Eccles. c. 6. alibi 10. Vide Ruffinum lib. 1. Hist. cap. 15. & Socrat l. 3. cap. 18. & Niceph. lib. 10, cap. 28.

Psal. 96. 7.

CCXXVI. In primitiva itaque Ecclesia solitas fuisse Martyrum reliquias diligenter conquiri, venerabiliter servari, ac solemniter de loco in locum transferri, perspicuè claret partim ex dictis hìc superiùs §. 218. partim ex ijs quæ scribit Chrysostomus de translatione reliquiarum Beati Ignatij Martyris, ex Italia in Syriam. Fuerat enim ille Joannis Apostoli discipulus; Polycarpi superiùs memorati condiscipulus, sub Traiano Cæsare Romæ martyrizatus, indeque Antiochiam cum maximo fidelium concursu & occursu transportatus: Y. Cùm igitur, inquit de eo ,, Chrysostomus Antiochenis suis, Romæ vi- ,, tam posuisset, imò verò in cælum profectus ,, esset, reversus est deinceps coronatus. Etenim ,, id quoque benignitatis fuit Dei, qui dispo- ,, suit eum rursùs ad nos redire, & civitatibus ,, Martyrem impartiri. Roma quippè stillan- ,, tem ipsius sanguinem excepit, vos autem re- ,, liquias ejus suscepistis. Vos Episcopatu illius ,, gavisi estis, illi martyrio sunt lætati: certan- ,, tem illi, & vincentem; & coronatum con- ,, spexerunt; vos perpetuò illum possidetis: ,, exiguum ad tempus vobis eum Deus ad- ,, emit, sed majore cum gratia restituit. Et ,, quemadmodùm pecuniam mutuantes cum ,, fœnore reddunt quod acceperant; sic & ,, Deus pretiosum hunc thesaurum paulisper ,, suscipiens, ut ostenderet Romæ; majore ,, cum gloria illum vobis retulit. Emisistis Epi- ,, scopum, recèpistis Martyrem: emisistis cum ,, precibus, recepistis cum coronis. Nec verò ,, vos soli, sed cunctæ interjacentes civitates. ,, Quomodò enim eas existimatis fuisse affe- ,, ctas, cùm reportatas cernerent reliquias? ,, Quem voluptatis fructum perceperunt? ,, Quantâ lætitiâ gestierunt? Quàm faustis un- ,, dique acclamationibus coronatum amplexi ,, fuerunt? Quemadmodùm enim pugilem ,, generosum, qui omnes dejecerit adversarios, ,, spectatores è theatro cum plausu consur- ,, gentes sublimem statim excipiunt, nec ter- ,, ram attingere sinunt, sed humeris sublatum, ,, innumerabilibus laudibus ornantes domum ,, reportant: sic utique & Sanctum illum om- ,, nes ex ordine civitates ab urbe relatum sus- ,, cipientes, humerisque gestantes, Antiochiam ,, usque sunt comitatæ; Martyrem corona- ,, tum concelebrantes, victorem collaudantes, ,, diabolum deridentes, quòd in contrarium ,, sua ei versutia successisset: quod enim in ,, Martyrem struxerat, in se recidisse videbant. ,, Et tunc quidem universis illis civitatibus ,, profuit, documentoque fuit, & patriam hanc ,, usque in præsentem diem locupletavit. Et ,, non secùs ac thesaurus quidam perpetuus, ,, qui quotidiè hauritur; & nunquàm de- ,, ficit: sic Beatus hic Ignatius cunctis ad se ,, accedentibus benedicens, fiducia, stre- ,, nuâ alacritate, magnâque fortitudine ple- ,, nos domum remittit. Itaque non uno dun- ,, taxat die, sed quotidiè ad ipsum confluí- ,, mus, spiritales ex eo fructus percipientes,

Y. Chrysost. Orat encomiastic. in Martyrem Ignat tom. 5.

„ Quisquis enim cum fide ad eum accedit, in-
„ gentibus ditatur beneficijs. Sanctorum
„ enim non modò corpora, sed ipsi etiam lo-
„ culi & conditoria spiritali gratiâ abundant.
„ Etenim si in *Elisæo* quondam id contigit,
„ ut defunctus attactu sepulchri ejus revi-
„ visceret, mortis vincula dirumperet, & ad
„ vitam denuò rediret: multò nunc magis
„ id fiet, quando uberior fluit gratia, & ma-
„ jor est vis spiritûs: ut si cum fide quis locu-
„ lum attigerit, magnam inde virtutem hau-
„ riat. Propterea enim Sanctorum nobis reli-
„ quias concessit Deus, ut nos imitatione
„ eorum ad se perducat, & sint nobis velut
„ portus quidam, & idoneum solatium ma-
„ lorum, quibus assiduè affligimur. Quam-
„ obrem universos vos cohortor, ut si quis
„ vestrûm ægritudine animi vel corporis, vel
„ aliâ quâvis calamitate premitur, cum fide
„ huc accedat; & à malis omnibus liberatus,
„ magnâ cum lætitiâ revertetur, & vel solo
„ aspectu conscientiam leviorem ac tranquil-
„ liorem reportabit. Quin etiam expedit, ut
„ non ij modò qui ærumnis aut molestijs affi-
„ ciuntur accedant, sed ij etiam qui animi
„ quiete, qui gloriâ ac potentiâ, magnâque
„ apud Deum fiduciâ perfruuntur Huc enim
„ accedentes, bona hæc efficient firmiora ac
stabiliora".

CCXXVII. Pessimè profectò de genere
humano merentur, qui sanctarum reliquia-
rum venerationi obluctantur. Cùm enim ex
ea veneratione tot tantaque commoda tam
spiritalia quàm corporalia venerantibus pro-
veniant, quid nisi publicæ utilitatis hostes
sunt, qui tam ubere proventu populum de-
fraudare student? Hinc Gregorius Nazian-
zenus magno pietatis zelo invehitur in Julia-
num apostatam, quòd non modò Christi
Domini adorationem, sed & Sanctorum ve-
nerationem, adeòque sanctarum reliquia-
rum honorationem abolere enisus fuerit:
Z. Gregor. Nazianzen. Orat. I.
Z. Tu, inquiens, post Herodem persecu-
„ tor, & post Judam proditor, nisi quòd non
„ laqueo, ut ille, pœnitentis animi significa-
„ tionem dederis: post Pilatum Christicida,
„ post Judæos Dei hostis. Non victimas pro
„ Christo cæsas veritus es, nec magnos pugiles
„ extimuisti, Joannem illum, Petrum, Pau-
„ lum, Jacobum, Stephanum, Lucam, An-
„ dream, Theclam, eosve qui & pòst illos &
„ ante illos pro veritate se periculis objece-
„ runt: qui cum igne, & ferro, & belluis, &
„ tyrannis, & præsentibus malis, & denun-
„ ciatis, alacri animo, velut in alienis corpori-
„ bus, imò quasi corporum expertes, dimica-
Vide Cyrill. Alex. 16. & 20. contra Julianum.
„ runt, ne pietatem vel verbotenùs prode-
„ rent. Quibus præclari honores, & Festa
„ constituta sunt: à quibus dæmones propel-
„ luntur, & morbi curantur: quorum appa-
„ ritiones, & prædictiones, quorum vel sola
„ corpora idem possunt quod animæ sanctæ,
„ sive tangantur, sive honorentur: quorum
„ vel solæ sanguinis guttæ, atque exigua pas-
„ sionis signa idem possunt, quod corpora.
„ Hæc non colis, sed contemnis; qui Hercu-
„ lis rogum, ex calamitate injuriisque mulie-
ribus illatis excitatum, admiraris". Optimè
autem observat Cyrillus Hierosolymitanus,
non solùm corporibus Sanctorum exanimis
inesse virtutem patrandi miracula; sed etiam
A. sudaria ac semicinctia indidem trahere *A Cyrill. Hierosol. Catech. 18.*
„ vim ac potestatem sanandi suo attactu
ægros, quibus fuerint admota". Sed quid
hoc miremur, cùm legamus etiam *umbras* *Act. 5, 15.*
Sanctorum in hac mortali adhuc vitâ degen-
tium habuisse vim miram sanandi infirmos?
B. Si tunc, inquit Augustinus, opem ferre *B. Aug. Ser. 29. de Sanctis.*
„ poterat umbra corporis, quantò magis nunc
„ plenitudo virtutis? Si tunc supplicantibus
„ proderat aura quædam pertranseuntis,
„ quantò magis nunc gratia permanentis?
„ Meritò per omnes Christi Ecclesias auro
„ pretiosius habetur ferrum illud pœnalium
„ vinculorum. Si tam medicabilis fuit ob-
„ umbratio visitantis, quantò magis catena
„ vincientis? *Vt umbra*, inquit, *transeuntis Pe-*
„ *tri obumbraret eos*. Si inanis quædam species
„ vacuæ imaginis habere potuit in se vim sa-
„ lutis, quantò plus de corpore meruerunt
„ attrahere salubritatis ferreo pondere sacris
„ impressa membris vincula passionis? Si ad
„ præsidia supplicantium tam potens fuit
„ ante martyrium, quantò magis efficax post
triumphum"? De hoc ipso Petro Aposto-
lorum Principe, simulque de Paulo ejus Co-
apostolo, memorat Papa Gregorius, C. quòd *C. Greg. l. 3. Registri Epist. 30.*
„ eo tempore quo passi sunt, ex Oriente fide-
„ les venerint, qui eorum corpora, sicut ci-
„ vium suorum repeterent. Quæ ducta usque
„ ad secundum urbis milliarium, in loco, qui
„ dicitur *ad Catacumbas*, collocata sunt. Sed
„ dum ea exindè levare omnis eorum multi-
„ tudo conveniens niteretur: ita eos vis to-
„ nitrui atque fulguris nimio metu terruit
„ atque dispersit, ut talia denuò nullatenùs
„ attentare præsumerent. Tunc autem ex-
„ euntes Romani, eadem corpora, qui hoc ex
„ Domini pietate meruerunt, levaverunt;
„ & in locis, quibus nunc sunt condita, po-
suerunt". Testatur quoque Hieronymus, so- *Vide Hier. lib. contra Vigilant. c. 2.*
lere Romanum Episcopum super venerandis
eorundem Apostolorum ossibus offerre Do-
mino sacrificia, & arbitrari eorum tumu-
los Christi altaria. De Imperatorum item
Christianorum insigni devotione erga sa-
cras Sanctorum reliquias testimonium per-
hibet idem Hieronymus, ibidem superiùs
cap. 2.

cap. 2. referens inprimis Constantinum (vel ut alij legendum putant, *Constantium*) Imperatorem sanctas reliquias *Andreæ*, *Lucæ*, & *Timothei*, transtulisse Constantinopolim: deinde Arcadium, Theodosij Magni filium ac successorem, ossa Beati *Samuelis* Prophetæ de Judæa transtulisse in Thraciam, portantibus Episcopis,& occurrentibus omnium Ecclesiarum populis, ac tantâ lætitiâ reliquias suscipientibus, quasi Prophetam præsentem viventemq; cernerent; tantâ denique occurrentium multitudine,ut de Palæstina usque Chalcedonem jungerentur populorum examina, & in Christi laudem unâ voce resonarent. Sub Theodosio ipso Magno,hujus Arcadij patre,complurium venerabilium reliquiarum translationes celebratæ sunt: ut capitis B.*Ioannis Baptistæ* in urbem regiam, de qua translatione agit Nicephorus lib. 12.Hist.Eccles. c.49. nec non reliquiarum *Pauli* & *Meletij*,de quarum translatione agit idem Nicephorus ibid. c. 14. & Sozomenus lib. 7. c. 10. item reliquiarum *Terentij* & *Africani*,de quibus Theodorus Lector lib. 2. Collectaneorum prope finem. Sub Theodosio juniore, hujus nepote, celebrata est translatio reliquiarum Beati *Ioannis Chrysostomi*, de qua ibidem Theodorus Lector, uti & de reliquijs *SS. Stephani*, *Laurentij*, & *Agnetis*: quibus & aliarum complurium reliquiarum translationes adjungit Nicephorus lib. 14. cap. 8. & sequentibus. Sub Zenone quoque Imperatore facta est solemnissima translatio reliquiarum Beati *Eustathij* Antiocheni, è Macedonia in Syriam. Quâ de re idem Theodorus Lector initio ejusdem libri secundi: " Calandion, inquit, petitas à Zenone *Eustathij* reliquias, è Philippis in Macedonia, ubi ille in exilio mortuus fuerat, Antiochiam detulit: quas maximo cùm honore exceperunt. Tota siquidem civitas, & omnis ætas, ut ita dicam, ad decem & octo milliaria urbem in occursum egressa est". Hic est ille Eustathius, D. Qui, teste Hieronymo, primus Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus contra Arium clarissimâ tubâ classicum cecinit": De cujus scriptis, & exilio ab Arianis perpesso, videri potest idem Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 96. aliàs 85. Possem & alia non pauca similium translationum exempla congerere; sed quia prædicta abundè sufficiunt, & præsens Caput alioquin nimis excresceret, supersedeo.

Nicephorus. Sozomenus. Theodorus Lector. D. Hieron. Epist. 126.

CAPUT LXII.

Sicut cultui Sanctorum consentaneus & consectarius est cultus reliquiarum, ita & sacrarum imaginum: quarum inter Christianos primus oppugnator vulgò censetur Xenaias *speudochristianus: cui tamen præluserant Manichæi & Phantasiastæ; necnon Saraceni, Samaritæ, Iudæi, & Pagani. Iconolatræ & Iconoclastæ in extrema utrinque vitia à medio virtutis exorbitant, uti & promiscuè cæteri errones. Eutychiani cur* Monophysitæ & Theopaschitæ *dicti? Petri Cnaphei de Baptismi suppletione per Episcopalem ordinationem error: ejusdem Theopaschiticum additamentum ad Trisagium. Leonis Isaurici simulata sub auspicium Imperij devotio, & ejusdem posteà in apertam iconomachiam prolapsio. Ejus colloquium cum Tarasio Patriarcha, cui sacrarum imaginum exterminator habitus est Antichristi præcursor, & divinæ Incarnationis eversor. Gregorij secundi pro sacrarum imaginum cultu fovendo & spretu vindicando zelus, quo accensus Imperatorem iconomachum anathematico fulmine ferijt, & consuetis Hesperiæ vectigalibus privavit. Isaurico Iconoclastæ miserabiliter animâ & corpore simul mortuo succedit Copronymus, crudelissimi leonis crudelior catulus. Copronymianum conciliabulum contra sacras imagines quid decreverit? Quàm scandalosum sit subditis exemplum dyscoli Principis? Copronymiani conciliabuli titulus sistitur, & dispunctus exploditur.*

CCXXVIII Sicut cultui Sanctorum consentaneus & consectarius est cultus sanctarum reliquiarum, ita & sacrarum imaginum: cujus primum impugnatorem Nicephorus statuit *Xenaiam* quendam Zenoni Imperatori Synchronum, à Calandione Antiocheno

 Anti-

Antiſtite ob nequitias deprehenſas proſcriptum, ſed à Petro Cnapheo Theopaſchitarum coryphæo in Antiochenam Cathedram intruſo provectum : E. *Xenaias* quidam erat, ait Nicephorus, genere Perſa, fortunâ ſervus, peridoneus ſatanæ miniſter : qui ſub Calandionis Epiſcopatu ab hero ſuo profugiens ad eccleſiam Dei acceſſit, Clericum ſe mentions, cùm nondum vel divinæ regenerationis lavacro initiatus eſſet. Calandion ubi latentem in homine nequitiam ex ſignis quibuſdam ac conjecturis deprehendit, ab Eccleſia eum proſcripſit. Ubi verò Calandioni Petrus Cnapheus ſucceſſit, Xenaias ille non ſolùm receptus, verùm etiam vicinæ Hierapolis Epiſcopus ab eo creatus eſt, nondum baptiſmo initiatus, mutato ejus nomine in *Philoxenum*. Petrus autem ubi tandem ſe Epiſcopatum homini nondum baptizato mandaſſe comperit, dixiſſe fertur, *Sufficere ei pro baptiſmo ordinationem*. Xenaias porrò iſte vocem illam audacis animi & impudentis oris primus evomuit, *Chriſti & eorum qui ipſi placuerunt, imagines non eſſe venerandas*". Conſonat Nicephoro hac in re Theodorus Lector, in ſeptima Synodo generali Act. 5. relatus, & à Joanne Diacrinomeno ibidem ſubjunctꝗ elucidatus: quorum relatione auditâ, F. Taraſius ſanctiſſimus Patriarcha dixit : *Audiamus, Sacrati viri, quinam ſint qui venerabiles imagines non receperunt, nimirùm non baptizati, Manichæi, & hi qui phantaſiam prædicant in Chriſti diſpenſatione: ex quorum pollutionibus introductores hæreſeos accuſantis Chriſtianos ſuſceperunt fomitem*". Accuſabant quippe Iconomachi tunc Catholicos ſacrarum imaginum veneratores, quaſi idololatras ſive iconolatras : ipſi autem volentes ab eis longiſſimè abſcedere, facti ſunt iconoclaſtæ. G. Difficile quippe eſt, prout Auguſtinus ait, ut dum perversè homines vitia devitant, non in eorum contraria perniciter currant ; etenim exhorrens avaritiam, fit profuſus ; aut exhorrens luxuriam, fit avarus ; aut inquietus fit, cujus pigritiam reprehenderis, aut cujus inquietudinem, piger ; aut qui reprehenſus odiſſe cœperit audaciam ſuam, ad timiditatem fugit ; aut qui timidus non eſſe conatur, tanquam abrupto vinculo fit temerarius, dum non ratione ſed opinione crimina metiuntur". Neque verò hoc habet locum in vitijs duntaxat morum, ſed etiam errorum. Nam ut idem Auguſtinus lib. de fide & operibus cap. 4. ſcribit, " Errant homines non ſervantes modum : & cùm in unam partem procliviter ire cœperint, non reſpiciunt divinæ authoritatis alia teſtimonia, quibus poſſint ab illa intentione revocari, & in ea quæ ex utriſque temperata eſt, veritate ac moderatione conſiſtere. Nam quidam intuentes divinarum teſtimonia Literarum, quibus unus Deus colendus inſinuatur, eundem Patrem qui eſt Filius, Sanctumque Spiritum putaverunt: alij rursùs, veluti morbo contrario laborantes, cùm attenderent ea quibus Trinitas declaratur, nec valerent intelligere quomodò ſit unus Deus, cùm & Pater non ſit Filius, nec Filius ſit Pater, nec Spiritus Sanctus aut Pater aut Filius, diverſitates etiam ſubſtantiarum aſſerendas putarunt. Quidam intuentes in Scripturis Sanctis virginitatis laudem connubia damnaverunt ; quidam rursùs ea teſtimonia conſectantes quibus caſta conjugia prædicantur, virginitati nuptias æquaverunt. Quidam cùm legerent, *Bonum eſt, fratres, non manducare carnes, neque bibere vinum*, etiam nonnulla ſimilia creaturarum Dei, & quas voluerunt eſcas, immundas eſſe ſenſerunt ; quidam verò legentes, *Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil abijciendum quod cum gratiarum actione accipitur*, in voracitatem vinolentiamque collapſi ſunt ; non ſibi valentes auferre vitia, niſi eis econtrariò vel tanta vel majora ſuccederent". Ad hunc ergò modum oppugnatores ſacrarum imaginum, ſub prætextu vitandi iconolatriam, tranſeuntes in alterum extremum invexerunt iconoclaſtiam ; non reſpicientes alia divinæ authoritatis teſtimonia, quibus poſſint ab illa intentione revocari, & in ea quæ ex utriſque temperata eſt, veritate ac mediocritate conſiſtere. Quinimò non contenti in extremitatem unam excurrere, alterius extremitatis opprobrium ſectatoribus mediocritatis improperant ; fingentes eos iconolatras, quia nolunt cum ipſis fieri iconoclaſtæ. Sic olim Eutychiani Catholicos fingebant Neſtorianos, & Neſtoriani Eutychianos : H Inter Neſtorij & Eutychetis, ait quidam, nefariam & deteſtabilem Sectam, ita ſerpentinæ graſſationis ſe calliditas temperavit, ut utrumque ſine utriuſque periculo plerique vitare non poſſint : dum ſi quis Neſtorij perfidiam damnat, Eutychetis putatur errori ſuccumbere ; rursùs dum Eutychianæ hæreſis impietatem deſtruit, Neſtorij arguitur dogma erigere. Sed has inanium accuſationum nebulas illi offundunt præcipuè, qui aut imperitię vitio, aut contentionis morbo ęgrotant : & dum petulantis animi ſupercilio eriguntur, antiquitùs traditas à Patribus fidei regulas ob hoc ſolum deſpiciunt, ut malè conceptas mobilitatum ſuarum ſententias Eccleſiæ intromittant". Conſimili petulantis animi ſupercilio veteres Iconomachi Catholicos ſibi adverſos traducebant tanquam iconolatras ſive idololatras, quamvis hi conſtantiſſimè aſſeverarent, ſe neque ipſis

E. Niceph. l. 16. Hiſt. Eccleſ. cap. 27.

F. Taraſius in Synodo 7. generali Act. 5.

G. Aug. lib. 9 de Geneſi ad lit. cap. 8.

Rom. 14. 21.

1. Tim. 4. 4.

H. Virgilius lib. 1. contra Eutych. ſub initium. Vide Leontium lib. de Sectis Act. 1. & l. 1 contra Neſtor. & Eutychianos ſub initium.

ipsis sanctis Angelis aut hominibus, nedum eorum iconibus impendere latriam, sed tantummodò duliam. Quapropter in septima Synodo generali Patres Synodales hanc inter alias emiserunt exclamationem: [h] "Nos subinductam novitatem Christianos accusantium anathematizamus: nos venerandas imagines recipimus: nos eos qui sic non se habent anathemati submittimus. His qui in sacras imagines assumunt quæ contra idola in divina Scriptura proferuntur, anathema: his qui non salutant sanctas ac venerabiles imagines, anathema: his qui sacras imagines vocant idola, anathema: his qui dicunt Christianos ad imagines accedere ut ad Deos, anathema".

h. Synod. Nicæna 2. Act. 7. in fine. Vide infrà hic. §. 217.

DIFFICULTAS.

CCXXIX. Quæri autem non importunè hìc potest, quomodò Synodales isti Patres iconomachicam illam hæresim appellent *subinductam novitatem*: cùm Tarasius Patriarcha jam superiori §. relatus eandem attribuat Manichæis, qui multis sæculis Synodum hanc, anno demùm 787. habitam, antecesserant; quippe tertio Christianæ æræ sæculo exorti? Et augetur difficultas ex alijs ejusdem Patriarchæ verbis, in eadem Synodo absque ullius contradictione prolatis, & in Acta relatis, quæ sic habent: [k] "Qui manifestationem futurorum per Prophetas prænunciavit Deus, ait per Hieremiam Prophetam de his, qui novitatem in Catholicam Ecclesiam introducunt: *Quia duo mala fecerunt, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi lacus contritos qui aquam continere non possunt*. Lacus enim contritus est omnis hæreticorum sermo, ex quo accusantes Christianos hæreseos præceptores hauserunt, & *potaverunt simpliciores subversione turbulentâ*; quibus *Væ* transmittitur per vocem Propheticam. Hebræos enim, & Saracenos, Gentiles, & Samaritas, insuper & Manichæos, & Phantasiastas sive Theopaschitas imitantur, volentes exterminare venerabilium imaginum respectum; qui in sancta Dei Ecclesia traditus est ab antiquis temporibus". Quibus verbis non solùm ad Theopaschitas & Manichæos, sed etiam ad Saracenos, ad Samaritas, ad Gentiles, & ad Hebræos origo iconomachicæ hæreseos refertur. Quânam igitur ratione appellari potest *novitas*? Quomodò item author ejus primus statuitur *Xenaias*, qui Zenone imperante, & Calandione Cathedram Antiochenam moderante emersit, quinto scilicet Christianæ epochæ sæculo ad finem vergente? Ad hoc responderi potest imprimis omnem hæresim quantumvis vetustam promiscuè à Patribus appellari *novitatem*, sicut & authores assertoresque ejus, *Novatores*: quia nimirum hæresis vetustiori se fidei supervenit, eamque immutare innovareque molitur. Unde & Apostolus universas generatim hæreses sub *profanis vocum novitatibus* comprehendit, *vitandasque* monet. Deinde dici potest, eos qui veteres errores denuò invehunt, plerumque aliquid ejs demere vel adijcere, ut appareant novi: ut proinde non malè assimilentur mangonibus, qui merces vetustate jam obsoletas sic poliunt ac reficiunt, ut non tam novatæ, quàm novæ appareant. Tales olim fuisse Pelagianos testatur Hieronymus, dum eos vocat [l] *Novos ex veteribus hæreticos*: ipsamque eorum hæresim: [m] *Novam ex veteri hæresim*: & rursùs in initio Epistolæ ad Ctesiphontem, *Novam ex veteri quæstionem*. Ecce novam vocat hæresim, novamque quæstionem; & tamen, *ex veteri*: novos item vocat hæreticos; & tamen, *ex veteribus*. Quare; nisi quia, ut in eadem ad Ctesiphontem Epistola cap. 2. ipse ait, *vetustissimum cœnum quasi novam susceperunt temperaturam*? Tam vetustum statuit Braduardinus istud *Cœnum*, ut primam ejus originem ad *Luciferum* dæmoniorum Principem, [n] *Nolentem Deo subesse, sed coësse*, referat. Ad eum ergò modum quo Pelagius dicitur primus author Pelagianismi, quamvis præcesserint ante Pelagium quædam ejus rudimenta; dici potest *Xenaias* sive *Philoxenus* primus author iconoclasmi; quamvis ante eum præcesserint in alijs quædam semina ejusdem perfidiæ, sive in Judæis, sive in Saracenis, sive in alijs dogmatistis à Tarasio memoratis; de quibus singulatim est breviter disserendum. *Judæos* fuisse capitales imaginum hostes testatur Origenes lib. 4. contra Celsum: "In civitate eorum, inquiens, nullus pictor admittebatur, nullus statuarius, legibus totum hoc genus arcentibus". Consonat & Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 22. ubi tanquam rem miram memorat quòd Petrus in Domini transfiguratione agnoverit *Moysen & Eliam*, cùm nec ipsos nec ullam eorum effigiem unquam videre potuerit: "Non enim, inquit, imagines eorum vel statuas habuit populus aut similitudines, lege prohibente". Hoc ipsum de non usu imaginum apud Judæos indicat Philo partim lib. in Flaccum, partim lib. de Legatione ad Cajum: & item Josephus lib. 8. Antiq. cap. 2. & lib. 15. cap. 11. & lib. 17. cap. 8. & lib. 18. cap. 4. & lib. 2. de Bello Judaico cap. 8. & lib. 3. contra Appionem paulò post initium. Denique id ipsum planius apparebit ex jam dicendis de *Saracenis*, quos Tarasius secundo loco inter Iconomachorum patronos vel Patriarchas recenset. Refert quippe Lindanus, & ex ipso Prateolus, Saracenorum legislatorem Mahumetem, ad conciliandum sibi Judæorum favorem, abolevisse imagines: [o] "Mahumetes, ait ille, sacras imagines delevit, quò

k. Tarasius in Synodo 7. generali Act. 3. sub initium.

Hier. 2. 13.

Hab. 2. 15. juxta 70.

EXPEDITUR.

AUGETUR.

1. Tim. 6. 20.

l. Hier. in c. 25. Hierem. M. ibid in c. 2. & 3. & 30.

N. Braduard. In Pref. Operis de causa Dei adversus Pelagianos.

Origenes.

Tertullianus.

Matt. 17. 3.

Philo.

Josephus.

o. Lindani Dial. 2. Dubiâ cap 7. vide Prateol. l. 11. Elenchi hæresum c. 3.

Judæos

„ Judæos sibi conciliaret, abolendo suorum „ Mechensium civium idola *Alles* & *Tagot*". Hinc ergò habemus & Saracenos repudiasse imagines, & hoc eos fecisse studio placendi Judæis, earundem utique imaginum hostibus. Ad *Gentiles* quod attinet, uti certum est eos non omnes universim imagines odisse, quippe qui simulachrorum cultores extiterint: ita quoque certum est eosdem fuisse execratos imagines Christi, & Christianorum, signanter eorum quos pro Christiana Religione ipsi martyrizassent. Nam cùm imaginis honor redundet in prototypon planum est odiosas eis fuisse nostrorum imagines, quibus tam abominabilia fuerunt ipsa exemplaria. De *Samaritis* refert Philastrius (Philastrius.) sub initium libri de Hæresibus, quòd animæ humanæ immortalitatem negaverint; solùmque in hoc corpore vivendum esse putaverint. Ex quo consequens fit, nullos dari Sanctos in altera vitâ, nec consequenter ullum impendendum esse cultum hominibus vitâ defunctis, adeoque nec eorum imaginibus; quippe quibus nullus debetur honor, nisi propter prototypa. Supersunt *Manichæi*, & *Phantasiastæ*: qui non quidem universas odisse videntur imagines, sed Christi duntaxat, quem [P] „ Non fuisse in carne verâ, sed simulatam „ carnis speciem ludificandis humanis sensibus ipsum præbuisse fingebant". (P. Aug. Hæres. 46.) Unde fiebat, ut quæcunque repræsentarent Christum hominem imagines, hæreticis illis abominandæ essent & erroneæ, imò & nihil; ad eum scilicet modum quo ait Apostolus (1. Cor. 8. 4.) *idolum esse nihil*, hoc est, inane signum veritate destitutum, titulum sine re. Porrò inter *Phantasiastas* illos rectè censentur Eutychiani, quippe humanam in Christo naturam à divinâ absorptam fingentes: unde & *Monophysitæ* dicti sunt & *Theopaschitæ*. Illud quidem, quia non nisi unicam naturam Christo tribuebant: istud denique, quia Deum secundùm divinam suam naturam passioni obnoxium, & reipsâ passum fingebant. Atque hinc est quod Trisagio assuerint illam clausulam, *Qui crucifixus es pro nobis*: cujus assutionis author primus perhibetur Petrus ille Cnapheus, *Xenaiæ* promotor, superiori §. memoratus. (Vide Felicem III. Papam Epist. 3. & 4. ad Petrum Cnapheum seu Fullonem.)

CCXXX. Non magnum progressum fecit ista iconomachica hæresis usque ad Imperium Leonis Isaurici, qui ob suscitatum continuatumque adversùs sacras imagines bellum, cognominatus est *Iconomachus*: [Q] Leo Imperator, inquit Sigebertus, (Q. Sigebert. in Chronico Anno 723.) „ à quodam *Beser* „ refugâ fidei seductus, contra imagines „ Christi & Sanctorum ejus bellum indicit, „ easque ubique deponi & incendi edicit". Meminit quidem ejusdem *Beser* in Historiâ Miscella Paulus Diaconus: quem tamen non tam seduxisse Cæsarem, quàm adjuvisse indicat, ita de eodem ipso Cæsare Leone scribens: [R] Impudentius contra sanctas (R. Pau. Diacon. Histor. Miscell. lib. 21.) „ & venerabiles imagines prælium excitavit, „ collegam & auxiliatorem habens *Beser*, Dei „ abnegatorem, & in irrationabilitate simillimum". Porrò Cedrenus, cum Theophane & Zonara ab impostoribus Judæis seductum fuisse Cæsarem perhibet; qui cùm pridem falso vaticinio induxissent Regem Arabum ad indicendum sacris imaginibus bellum, deprehensâ imposturæ vanitate solum vertere coacti sunt: [S] Hebræi impostores, inquit in (S. Cedren. l. 3. Annal.) „ suis Annalibus Cedrenus, qui quòd falsa „ prænunciassent Arabum Regi, quæsiti ad „ necem, cùm fugissent in Isauriam, nacti „ Leonem adolescentem, *Cononem* tunc no„ minatum, cùm viderent eum procero cor„ pore formosum, licèt sordidâ arte victitan„ tem, prænunciaverunt ei, fore ut Romano „ Imperio potiretur; juramentoque eum ob„ ligarunt, cùm hoc evenerit, facturum quod „ postulabunt. Juravit id Leo in Ecclesia „ sancti Theodori, quæ vicina erat". Hâc igitur prædictione animatus Leo, sive Conon, deserto pristino artificio, militiam secutus est, in qua per varios gradus sic paulatim ascendit, ut tandem Imperator fuerit renunciatus: [T] Hebræi verò, inquit Constantinus (T. Constant. Manasses in Annalibus.) „ Manasses, cognitâ Leonis provectione, „ mox ad eum advolant, atque ut promisso „ satisfaciat flagitant: non tamen illi vel au„ rum, vel argentum, vel gemmas ab eo pe„ tebant; sed sanctarum imaginum, pictura„ rum, & venerabilium statuarum abolitio„ nem, hoc est, ipsam religiosi cultus eversio„ nem, cujus turres ac munitiones hoc facto „ de fundamento subrui oportebat. Impera„ tor pravus pravis, viperæ soboles fœtibus „ aspidis assentitur". Hunc autem suum assensum non statim executioni mandavit, sed confirmationi Imperii inopinatò adepti intentus decennio distulit: [V] Primò quippè, ut (V. Ioan. Damasc. in vita Steph. Iun.) „ scribit Damascenus, vulpinam pellem in„ duens, cùm nondum leoninæ apud eum „ locus esset, orthodoxam fidem quàm maxi„ mè se colere simulabat, impietatis fœtum „ pectore gestum intereà occultans. Cùm au„ tem ad decimum jam Imperij annum per„ venisset, nec jam eum diutiùs animo pre„ mere continereque posset, sceleratum fœ„ tum edidit, accitâque & coactâ Senatorum „ classe, absurdum illud & impium evomuit, „ *Imaginum picturas retinere quandam idolorum* „ *formam: neque eis cultū adhibendum esse, ne alii* „ *qui Dei loco imprudentes idola venerentur*. Proti„ nùs igitur ingens tumultus à plebe suscita„ tus est, ac mœstitiæ nubes Ecclesiam or„ thodoxorum obtexit. Quod ut versipellis „ iste sensit, statim Gygis annulum vertens, „ ut obscurum esset quod agebat, laboravit;

non

non utique leonis libertatem imitans, sed chamæleontis potiùs in modum formas immutans: *Non, inquit, huc spectat mea sententia, ut prorsùs imagines aboleantur: sed hoc aio, sublimiore eas loco collocandas esse, ne ore quisquam eas contingat, atque ita rebus honore dignis contumeliam quodammodò inferat.* Quorsùm hoc tandem, & quid moliens? Nimirùm ut eas longè à nobis collocando, proculque ab oculis nostris removendo, ne eas facilè aut cernere aut contingere queamus, paulatim, ut in rebus alioqui charis evenire nobis solet, in oblivionem incidamus, easque diligere dediscamus; atque ita sensim ac sine tumultu id à nobis obtineatur, ut eas nec adoremus, nec honore afficiamus". Porrò cùm hæc contigissent anno decimo Imperij Leonis, anno proximè sequenti tentavit Catholicum Patriarcham *Germanum* in suas partes pellicere, ut ipsius authoritate quod Judæis promiserat posset efficaciùs ac sedatiùs adimplere:

W. Paul. Diaconus ibid. infernis.

W. Leo Imperator, inquit Diaconus, contra rectam fidem furens, advocato beato Germano, cœpit eum blandis sermonibus delinire. At verò beatissimus summusque Sacerdos dixit ad eum: *Depositionem sanctarum imaginum audivimus quidem futuram, sed non tempore Imperij tui.* Cùm autem ille cogeret eum dicere, sub cujus Imperio: ait, *Sub Cononis.* At ille ait, *Reverà ex Baptismo Conon mihi nomen est.* Cui ille, *Absit Domine,* inquit, *ut per Imperium tuum perficiatur istud malum: Antichristi præcursor est, qui hoc adimpleturus est, & divinæ Incarnationis eversor.* In his ergò sævus tyrannus insaniens, Beato minas prætendebat, instar Herodis percussoris. Reducebat autem Patriarcha ad ejus memoriam sponsiones ab eo ante Imperium factas, qualiter sibi Deum dederit vadem, in nullo commoturum Ecclesiam à suis Apostolicis & divinitùs traditis ritibus. Sed nec sic confusus est miser: observans autem, atque sub															mittens quosdam sermones, satagebat sicubi inveniret eum contra Imperium suum agentem; quatenùs hunc ut conjuratorem, non ut confessorem à throno deponeret". Verùm etsi nihil tale ex ore Patriarchæ elicere potuerit, cernens tamen se non posse conceptum in sacras imagines odium sine eo deturbato perducere ad effectum;

X Ioan. Damasc. ibid. infrà.

X. Milites, ut ait Damascenus, gladijs accinctos misit, qui sanctum virum contumeliosè habitum, ac plagis malè mulctatum, throno exturbarent". Exprobrat ei hanc Patriarchæ exturbationem Gregorius II. Romanus Antistes, binis ad eum missis Epistolis, quæ extant præfixæ Actis Synodi septimæ generalis. Sed cùm nec sic quidem impius resipisceret:

Y. Zonoras in annalib.

Y. Gregorius, ut ait Zonoras, repudiatâ ejus societate, necnon eorum qui illum sequerentur, ipsos unà cum Imperatore, Synodico anathemate obstrinxit; & vectigalia, quæ ad id usque tempus Imperatori pendebantur, inhibuit: icto cum Francis fœdere". Et Paulus Diaconus de eodem Gregorio loquens:

Z Paul. Diacon ibidem infeftius.

Z. Leonem, inquit, per Epistolas tanquàm impiè agentem redarguit; & Romam cum tota Italia ab illius Imperio recedere fecit". Et Sigebertus in Chronico:

A. Sigebert. in Chron. ad an. 731. Vide Anast. Biblioth. in Vita Gregorij II.

A. Gregorius, inquit, Romanæ Ecclesiæ octuagesimus nonus præsidet, qui & ipse Leonem Imperatorem erroris redarguit, & populum Romanum, & vectigalia Hesperiæ ab eo avertit". Et inferiùs ad Annum 733. "Gregorius Papa Synodum nonaginta trium Episcoporum Romæ congregat, & venerationem sanctarum imaginum confirmat, earumque violatores generali sententiâ anathematizat".

CCXXXI. Isto fulmine ictus Iconomachus non evigilavit; sed tanquàm lethargo obrutus sensum omnem humanitatis exuit, & in sua obstinacia miserè perijt;

B Paul. Diacon. ibid.

B. *Mortuus*, ut ait Diaconus, *cum animæ & corporis morte*. De eodem Clichtoveus:

C. Clichtoveus in cap. 17. libri 4. Damasc. de fide orthod.

C. Leo Imperator, inquit, his monitis nihilo mitior factus, quinimò fanatico spiritu iterum incitatus, omnibus mandavit, ut simulachra vel lignea, vel ærea, vel marmorea ad se deferant, & delata statim incendit; non deferentes autem vi cepit, & obtruncavit, aut in exilium egit. Verùm ipse pertinax, anathemate percitus, & à fidelium communione Pontificis authoritate rejectus, miserabili morte è vita sublatus est; & tantæ impietatis debitas pœnas luit". Hæredem non modò Imperij, sed & nequitiæ reliquit Constantinum Copronymum, quem Damascenus

D. Ioan. Damasc. in vita Steph. jun.

D. *crudelissimi leonis crudeliorem catulum* rectè appellat; de quo nonnulla superiùs cap. 58. §. 213. diximus. Quibus nunc addimus, eum sacris imaginibus adeò extitisse infestum, ut eas, coacto Constantinopoli trecentorum triginta octo Episcoporum conciliabulo, damnandas synodaliter curarit, anno Christi 754. Indict. 7. Imperij sui 14. Hujus conciliabuli Copronymiani Acta referuntur in septima Synodo œcumenica, sive Nicena secunda; Act. 6. ibidemque refutantur ab Epiphanio Diacono. Quod igitur ad imagines attinet; hæc ibi recitatur conciliabuli istius definitio:

E. Conciliabulum Copronymian. [illegible]

E. In nomine sanctæ supersubstantialis & vivificæ Trinitatis, unanimes, & ejusdem sententiæ nos; qui Sacerdotij dignitate succincti sumus, simul existentes, unâ voce definimus, omnem imaginem, ex quacunque materia, improbâ pictorum arte factam, ab Ecclesia Christianorum rejiciendam, velut alienam & abominabilem. Nemo itaque hominum,

„ qualiscunque tandem fuerit, tale institutum
„ impium & impurum posthàc sectetur. Qui
„ verò ab hoc die imaginem ausus fuerit sibi
„ parare, aut in Ecclesia, vel privatâ domo
„ constituere, aut clàm habere; si Episcopus
„ fuerit, aut Diaconus, deponitor; si verò so-
„ litarius, aut laicus, anathemate percellitor,
„ Imperialibusque Constitutionibus subjici-
„ tor, ut qui divinis Decretis repugnet, &
dogmata non observet". Mirum sanè videri
posset, Episcopos tanto numero ad unius ter-
reni Principis libitum in Catholici dogmatis
Eccli. 10. 2. & 3. exitium conspirasse, nisi scriptum esset, *Qualis
Rector est civitatis, tales & inhabitantes in ea:
Rex insipiens perdet populum suum*: scilicet in
vulgus manant exempla regentum. Quod ma-
ximè cernitur, quando regentum exemplis ac-
cedunt terriculamenta; prout patuit tempore
F. tol. Apud Aug l. 1. op. imp. cap. 75. Arianorum in Synodo Ariminensi. [F.] Nam
„ cùm sub Ariano Principe (*Constantino*) vir
„ magnæ constantiæ fideique sanissimæ Atha-
„ nasius Alexandrinus Episcopus, dilapso à
„ fide Apostolorum omni penè Mundo, im-
„ pietati temporum obstitisset, atque ob hoc
„ in exilium coactus esset, de sexcentis &
„ quinquaginta, ut fertur, Episcopis, vix
„ septem inventi sunt, quibus chariora essent
Dei præcepta, quàm Regis". Notavit hunc
Claudianus. populi cum Principe symbolismum Claudia-
nus in Honorio, cùm caneret: *Totus componi-
tur orbis Regis ad exemplum: nec sic inflectere sen-
sus Humanos Edicta valent, ut vita Regentis. Mo-
bile mutatur semper cum Principe vulgus.* Unde
cùm Copronymi prædicti nepos Constanti-
nus abjurato iconoclasmo cultum sacrarum
imaginum resumpsisset, & Romanæ Ecclesiæ
veterem fidem illibatè custodienti consensis-
set, Orientales Episcopi eundem secuti Co-
pronymiana deliramenta deseruerunt, & unà
cum Occidentalibus pristinum honorem sa-
cris imaginibus etiam synodaliter restitue-
runt, Copronymianam Synodum tanquam
spuriam rejecerunt, atque è numero Synodo-
rum legitimarum expunxerunt. Cùm enim
in secunda Nicena Synodo, anno 787. cele-
bratâ, legi cœpissent Acta Copronymianæ
illius Synodi, hunc titulum præferentia, *Defi-
nitio sancta magna & universalis septima Synodi*;
statim ibidem lecta est hæc ejusdem tituli re-
futatio, per Joannem Diaconum Cancella-
G. In Synodo VII. generali Act. 6. rium: [G.] Iconoclastæ à mendacio inchoantes,
„ per universam hanc novitiam vaniloquen-
„ tiam, Synodo in patrocinium assumptâ, in
„ mendacio pariter finierunt. Quomodò enim
„ *Sancta* dicenda erit, quæ quid sit Sanctum
„ non novit; cùm execrabilis sit, & profana,
„ & adulterina? Nam qui in ea congregati
„ fuerunt, ut cum Propheta loquar, *Inter* Ezech. 22. 26.
„ *sanctum & profanum non distinxerunt, inter pu-
„ rum & impurum differentiam non statuerunt*:
„ imaginem enim Domini Dei nostri, cum
„ imagine satanæ simul idolum appellave-
„ runt. Quomodò item *Magna & universalis*,
„ in quam neque omnes consenserunt, neque
„ reliquarum Ecclesiarum Præsules concorda-
„ verunt, sed anathemati eam devoverunt?
„ Non habuit cooperarium, ut hæc quæ mo-
„ dò celebratur, Romanum Papam, neque
„ illius Sacerdotes, sive per vicarios, sive per
„ Provinciales literas, quemadmodùm Sy-
„ nodorum lex dictat. Quinetiam neque
„ concordantes sibi habuit Orientis Patriar-
„ chas, Alexandrinum scilicet, Antioche-
„ num, & Urbis Sanctæ summos Antistites.
„ Verè fumus est, caligine plenus, obtene-
„ brans oculos: insipientium illorum sermo
„ non fuit lucerna super candelabrum posita,
„ quò lumen præbeat omnibus qui in domo
„ sunt. Quamobrem eorum verba velut sub
„ modio enunciata sunt, non supra montem
„ orthodoxæ fidei: neque in omnem terram
„ Apostolicè exijt sonus eorum, aut in fines
„ orbis terræ verba eorum, quemadmodùm
„ sex priorum sanctarum œcumenicarum Sy-
„ nodorum. Porrò *Septima* quomodò erit,
„ quæ non concordavit cum sex prioribus
„ sanctis universalibus Synodis? Omne quip-
„ pè septimum quod fuerit ordinatum, in
„ supputatione præcedentium subsequi con-
„ sentaneè debet: nam quod eorum quæ sibi
„ connumerantur nihil participat, profectò
„ connumerari nequit, veluti si quispiam au-
„ reos sex nummos ordine collocet, deinde
„ æneum nummum apponat, hunc sanè sep-
„ timum nullatenùs appellaveris, idque pro-
„ pter materiæ discrepantiam; siquidem au-
„ rum multi ac pretiosi commodi metallum
„ est, æs autem vile & inhonorabile. Ita ergò
„ & hæc (*Synodus*) cùm aureum aut pretio-
„ sum in dogmatibus nihil habeat, sed in om-
„ nibus ærea sit & reproba, venenoque mor-
„ tifero plena, sacratissimis sex Synodis, au-
„ reis Sancti Spiritûs carminibus refulgenti-
„ bus, connumerari non meruit: habens ela-
„ tionem ejus qui dixit, *Ponam thronum meum* Isa. 14. 14.
super nubes".

CAPUT

CAPUT LXIII.

Iconomachica hæresis surculos suos etiam in Occidentem diffudit, qui post excisum in Nicena secunda Synodo Orientalem truncum germinare perrexerunt. Anastasij Bibliothecarij discursus contra eos qui imagines etiam Christi execrabantur, cùm tamen figuras crucis Christi venerarentur. Octo corollaria ex discursu illo deducta. Moderni Iconomachi veteribus suis Patriarchis irreligiosiores. Forma Crucis quàm ubique obvia, & antiquitùs honorata? Christicolæ olim ab Ethnicis dicti Crucicolæ. *Crux transitum fecit à locis suppliciorum ad frontes Regum & Imperatorum. Constantino Magno facta crucis apparitio, victoriam portendentis, portentamque præbentis. Quantâ solemnitate idem Constantinus trophæa crucis Romæ erexit; & exercitibus suis pro labaro præferri edixit? Veteribus Christianis etiam ante Constantinum, familiare erat frontem signaculo crucis terere ad omnem aditum, progressum, exitum, vestitum, calceatum; ad lavacra, mensas, sedilia, cubilia, lumina. Ea praxis ex Apostolica traditione manavit. Apostolos signaculo crucis usos fuisse ostenditur, imò & Christum etiam in cœlo jam gloriosum.*

CCXXXII. QVamvis iconomachica hæresis in Oriente exorta, ibidem quoque Decreto Synodali fuerit excisa; surculos tamen quosdam in Occidentem interim transfuderat, qui ex ipso jam trunco germinare non destiterunt. Hinc Anastasius Bibliothecarius, qui Nicenam secundam Synodum post annos circiter nonaginta in Latinum transtulit, in sua ad Joannem VIII. Papam Præfatione Gallos quosdam venerationi sacratum imaginum adhuc tunc obstitisse commemorat: " Non potest quisquam, ait ille Pontifici, semet rationabiliter ab imaginum sacratum adoratione avertere; alioquin vestrâ debet piâ doctrina doceri, censurâque Apostolicâ corrigi; præsertim cùm nulli fas sit à suo capite dissidendi, nec quòd vestram viderit tenere Sedem, quæ omnium est magistra; quoquo modo respuendi. Quæ enim super venerabilium imaginum adoratione præsens Synodus (*Nicena secunda*) docet, hæc & Apostolica Sedes vestra, sicut nonnulla conscripta innuunt, antiquitùs tenuit & universalis Ecclesia semper venerata est, & hactenùs veneratur, quibusdam duntaxat Gallorum exceptis, quibus utique nondum est harum utilitas revelata. Aiunt namque, *quod non sit quodlibet opus manuum hominum adorandum.* Quasi non sit codex Euangeliorum opus manuum hominum; quem quotidie osculantes adorant, venerabilior cane, quem non esse opus manuum hominum procul dubiò non negabunt. Similiter & forma sanctæ crucis, quam se adorare omnes ubique Christiani fatentur: in quo videlicet considerare licet, quia si quamlibet crucem auream, vel argenteam, aut ligneam adoramus, quæ utique non eadem est ipsa crux, in qua salus nostra patrata est, sed figura & imago ejus; quare non adoremus figuram & imaginem ejus, *qui tandem salutem operatus est in medio terræ*? Venerabilior namque est qui salutem operatus est, quàm ea materia in qua idem salutem operatus est, ac per hoc magis est adoratione digna imago Christi salutem operantis, quàm imago crucis salutem tantummodò bajulantis". Ex quibus verbis quædam notatu digna eruuntur corollaria: quorum primum est, ad Romanum Antistitem spectare munus docendi omnes errantes piâ doctrinâ, & corrigendi refractarios censurâ Apostolicâ. Secundum est, eundem Romanum Præsulem esse caput omnium Christianorum, à quo nemini fas sit in doctrina Religionis diffidere, vel credendi vivendique normam ab eo præscriptam respuere. Tertium est, Sedem Pontificiam esse fidelium omnium magistram. Quartum est, eandem Sedem antiquitùs sacris imaginibus eum cultum impendisse, quem Synodus Nicena secunda definivit impendendum. Quintum est, Catholicam Ecclesiam eâ in re cum Romana Sede consensisse,

Anastasius Bibliothecarius.

Vide Theodorum Studitam apud Baron. ad an. 814. n. 19.

Ps. 73.

sisse, adeòque oppugnatores sacrarum imaginum pro temeratoribus Religionis habuisse. Sextum est, quosdam in Gallia, etiam post Nicenæ Synodi definitionem, iconomachicam hæresim fovisse, adeòque debitum cultum sacris iconibus non exhibuisse. Septimum est, eosdem Gallos non modò cæterorum Sanctorum, sed ipsius quoque Sancti Sanctorum Christi Domini imagines sprevisse, nulloque honore dignas censuisse. Octavum est, eusdem item Gallos religiosam quandam venerationem codicibus Euangeliorum, & figuris Dominicæ crucis impendisse: nec eos solos, sed omnes ubique Christianos formam ejusdem Dominicæ crucis veneratos fuisse. Ex quo cernere licet, quantum in pejus profecerint supra veteres Iconomachos moderni Sectarij, qui non contenti imagines Sanctorum, & Sancti Sanctorum Christi Domini, prorsus abolere, & omni ignominiâ velut profana polytheorum idola afficere; etiam vivificæ & saluferæ crucis effigiem, quam veteres illi unà cum Catholicis suspiciebant ac venerabantur, despiciunt & execrantur. Sed benè providit superna benignitas ne ullis Iconomachorum molitionibus effigies crucis aboleri in totum queat: H. Ipsa species crucis, ait quidam, „quid est nisi forma quadrata Mundi? Oriens „de vertice fulgens, Arcton dextra tenet, „Auster in læva consistit, Occidens sub plantis firmatur: unde Apostolus dixit, *Ut sciamus qua sit altitudo, & latitudo, & longitudo, & profundum.* Aves quando volant ad æthera, formam crucis assumunt: homo natans „per aquas, vel orans, formâ crucis vehitur: „navis per maria antennâ cruci similatâ sufflatur: Thau litera, signum salutis & crucis describitur". Et Origenes I. Antennæ „navium, inquit, velorum cornua, sub figura nostræ crucis volitant: aves quoque „ipsæ quando in sublimiora obvolvuntur, & „pendent per aëra extensis alis, imitantur „crucem. Sed & trophæa ipsa, & victoriæ „triumphorum, ornatæ cruces sunt: quas „non solùm in frontibus, sed & in animabus „quoque nostris habere debemus; ut cùm „sic fuerimus armati, calcemus super aspidem & basiliscum". Et his vetustior Justinus Martyr: K. Considerate omnia, inquit, quæ in „Mundo sunt, an absque forma ista (*Crucis*) „administrare quidquam, aut commercium „aliquod habere homines queant? Mare certè „quidem non scinditur, nisi trophæum istud, „quod antenna sive velum appellatur, integrum in navi maneat: terra absque hac non „aratur: fossores opus non perficiunt, neque „item manuàrij artifices, nisi instrumentis „hanc habentibus figuram. Præterea humana „statura non aliâ re à brutis animantibus „differt, quàm quòd rigida rectaque sit, & extensionem habeat manuum; atque in vultu „prominentem à fronte proferat nasum, „respirationis organum, quo crucis figura monstratur". Et Minutius Felix: L. Signum „sanè crucis, inquit, naturaliter visimus in „navi, quùm velis tumentibus vehitur, quùm „expansis palmulis labitur: cùm item erigitur jugum, crucis signum est; & cùm homo porrectis manibus Deum purâ mente veneratur". Ex quibus perspicitur quàm largiter providerit Christus veneratoribus crucis ac passionis suæ, contra omnes machinationes diaboli, sive in Judæis, sive in Gentilibus, sive in hæreticis. Etenim ubicunque Christianus existat, sive in mari, sive in terra, semper ei ad manum suppetit figura aliqua crucis Dominicæ, cujus aspectu excitus mentem erigere poterit in prototypon; hoc est, in Christum manibus expansis in ligno pendentem, & salutem humani generis ibidem operantem. Quàm verò antiquus apud Christianos fuerit ritus venerandi figuras Dominicæ crucis, cerni potest ex eo, quòd, teste Adelmo M. temporibus Diocletiani & Maximiani, Edictis crudelibus Catholicæ fidei „cultores, quos *Christicolas & Crucicolas* nuncupant, ad thurificandum statuis Ethnicorum cogebantur". Adeò igitur usitatus tunc extitit apud Christicolas cultus crucis, ut passim à Gentilibus appellarentur *Crucicolæ.* Unde & Cæcilius ethnicus de ijs ait apud Minutium, *Id colunt, quod merentur*, id est, crucem venerantur, quam & promerentur. Et mox iterùm, eosdem velut deterrens, subdit: *Ecce vobis minæ, supplicia, tormenta; & iam non adorandæ, sed subeundæ cruces.* Julianus quoque apostata, eisdem velut exprobrando & insultando, ait: N. Crucis lignum adoratis, ejusque signa in fronte formatis, & vestibulis ædium insculpitis".

H. Pseudo-Hieronym. in cap. 15. Marci.

Ephes. 3.18.

I. Orig. Homil. 9. in Diversos. Vide Tertul. in Apolog. c. 16. & ibi Notas Pamelij.

K. Iustin. Apologii 2. Vide Tertul. l. 3. contra Marc. c. 19. & lib. contra Jud. c. 10.

L. Minutius in Octavio.

M. Adelmus lib. de L[illegible] Virginitatis.

Cæcilius

N. Julian. apud. Alex. l. 6. contr. ipsum.

CCXXXIII. Ex postrema ista Juliani exprobratione colligere licet, Christianos jam olim solitos fuisse non solùm adorare figuram Dominicæ crucis in ligno vel aliâ materiâ simili permanenter expressam, sed in sua etiam fronte transeunter eandem formare, & vestibulis ædium insculpere: O. Quid est, inquit „Augustinus, quòd omnes noverunt, signum „Christi, nisi crux Christi? Quod signum nisi „adhibeatur sive in frontibus credentium, sive „ipsi aquæ ex qua regenerantur, sive oleo „quo Chrismate unguntur, sive sacrificio „quo aluntur; nihil horum ritè perficitur". Et superiùs ibidem Tract. 3. " Si „Christiani sumus, utique ipso nomine „ad Christum pertinentes, hujus signum in „fronte gestamus, de quo non erubescimus".

O. August. Tract. [illegible] in Ioan. Vide [illegible] Tract. [illegible] Ambr. [illegible] In eund. c. 3. & 4. & Chrysost. Hom. 54 in Matthæum. & Ivon. Carnot. ser. 6.

Ex rur-

Et rursùs inferiùs Tract. 11. " Si dixerimus catechumeno, credis in Christum? Respondet, *Credo*: & signat se cruce Christi, portat in fronte, & non erubescit de cruce Domini sui ". Et ne fortè quis putaret hunc ritum humilioribus duntaxat Christianis aut catechumenis fuisse peculiarem, non etiam à sublimioribus frequentatum, idem ipse Augustinus Enarratione In Psalmum 54. " Jam, inquit, in fronte Regum crux illa fixa est, cui inimici insultaverunt". Et serm. 18. de Verbis Domini cap. 9. " Non frustrà Apostolus commendans Christi obedientiam, cùm dixisset, *Factus obediens usque ad mortem*, addidit, *mortem autem crucis*. Sed quia ipse honoraturus erat fideles suos in fine hujus sæculi, priùs honoravit crucem in hoc sæculo; ut terrarum Principes credentes in eum prohiberent aliquem nocentium crucifigi: & quod cum magna insultatione persecutores Judæi Domino procurarunt, magnâ fiduciâ servi ejus, etiam Reges, in fronte nunc portant ": Et concione 2. in Psalm. 36. " Vide, inquit, quid propter te pertulit, qui quare perferret non habebat. Quantacunque patiaris, non pervenies ad illas insultationes, ad illa flagella, ad illam ignominiosam vestem; ad illam spineam coronam; ad illam postremò crucem non pervenies, quia jam de pœna generis humani sublata est. Cùm enim sub antiquis scelerati crucifigerentur, modò nullus crucifigitur. Honorata est, & finita: finita est in pœna, manet in gloria: à locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum ": Alludit his postremis locis Augustinus ad Sanctionem Magni Constantini, qui Edicto cavit ne cuiquam sonti supplicium crucis inferretur. Qua de re luculen[illegible] extat Sozomeni testimonium, qui lo[illegible] de Constantino: [P] Crucem, inquit, plurimùm veneratus est; tum quòd plurimum emolumenti in prælijs ope illius contra hostes tulisset; tum propter divinum ostentum, quod de illa acceperat. Unde & crucis supplicium, à Romanis anteà lege decretum, ex usu Judiciorum lege sustulit, & imagi[illegible] suæ tum in numismatibus, tum alijs f[illegible]ris depictæ, divinum hoc symbolum [illegible]ique appingi & adsculpi jussit: quod etiamnum imagines illius ad hujusmodi figuram expressæ testantur". De eodem & Glycas: [Q] Ad crucem, inquit, neminem ampliùs condemnavit, ut pretiosæ cruci Christi religiosum hunc honorem deferret". Porrò quod Sozomenus asserit Imperatorem accepisse de cruce *divinum ostentum*, illustratur ex antiquiori Eusebij Cæsariensis historiâ de vitâ ejusdem Imperatoris, ubi ejusdem rei testem omni exceptione majorem adducit ipsum Imperatorem; non nudè duntaxat narrantem, sed etiam jurejurando interposito asseverantem: [R] Oranti, inquit Eusebius, ac indesinenter supplicanti Imperatori, ostentum quoddam divinum summâ admiratione dignum apparuit: quod forsan haud facilè crederetur, si ab alio quopiam narratum esset; cùm verò ab ipso Imperatore Victore nobis, qui ista jam conscribimus, diu posteà, quando notitiam & consuetudinem ipsius consecuti sumus, narratum sit, & jurejurando affirmatum; quis fidem ei narrationi præbere detrectabit; præsertim cùm etiam temporis successus certum illi veritatis testimonium attulerit? *Sub meridiem, inclinante iam die, ipsis se oculis*, dicebat, *in cælo supra Solem vidisse trophæum crucis è luce constructum, scripturámque additam sibi dicentem, IN HOC VINCES. Quo conspecto, & se stupore correptum fuisse, ac totum exercitum, qui aliquò proficiscentem sequebatur, & miraculum spectabat. Cùm vero ipse cogitabundus hæreret, de eo quod viderat plurima animo volvens & nox ipsum iam irruens apprehendisset, dormienti sibi Christum, unà cum signo quod in cælo viderat, apparuisse* dicebat *ac præcepisse, ut signum sibi iuxta formam in cælo visam compararet, illóque contra hostium conflictus auxilij loco uteretur. Mox orto die ubi surrexisset, amicis arcanum hoc exposuisse, convocatísque, auri ac pretiosorum lapidum opificibus præcepisse, ut imaginem ostenti quod apparuerat exprimerent, auro ac pretiosis lapidibus ornatam.* Signum hoc nos ipsi aliquando vidimus, tali figurâ elaboratum: Erat hasta in sublime erecta, & auro circumdata: cornu habebat transversum, ad formam crucis factum, supernè in summo apice coronâ ex lapidibus pretiosis contextâ circumductum, sub quo salutaris appellationis symbolum erat: duo versus nomen Christi primis characteribus significabant, literâ R. in medio vacante, quam in galea sequentibus temporibus Imperator ferre consuevit. In transverso autem cornu, quod in hasta transfixum erat, velum pendulum erat suspensum, regalis scilicet purpura, quæ gemmarum varietate inter se cohærentium, ac splendore lucis fulgurantium, auroque multo inserto cooperta, indicibilem exhibebat spectantibus pulchritudinem. Velum itaque istud de cornu pendens, moderatam habebat tam longitudinis quàm latitudinis circumscriptionem: ipsa verò hasta sursum erecta, ad initium inferiùs admodùm protracta, supernè verò in sublime sublata, sub trophæo crucis, ad extremitates usque veli illud circumdantis, Imperatoris imaginem ad pectus usque auream, unà cum filiorum imaginibus, præferebat. Hoc itaque salutari labaro ad cujusvis adversariæ hostilisque

Margin notes: PAROCCUPATIO. — P Sozom. l. 1. Hist. Eccl. cap. 8. Vid Niceph. lib. 7. cap. 46. — Q Glyc. par. 4. Annal. — R Euseb. l. 1. de vita Constant. cap. 28 & seqq.

potentiæ ultionem perpetuò usus est Imperator, cunctisque exercitibus suis similitudines illius præferri præcepit". Sensit porrò Imperator pauculis posteà diebus virtutem salutiferæ crucis, in prælio adversùs Maxentium Imperij æmulum, ad Pontem Milvium; & ideò eandem crucem novo post victoriam honore cumulavit, subdente eodem Eusebio inferiùs cap. 41. " Divino Imperator delectatus auxilio, authori victoriæ gratiarum actionem evestigiò persolvit: magnâ etiam picturâ, ac titulis, salutare signum cunctis mortalibus, erecto in medio regiæ urbis (*Roma*) magno adversùs hostes trophæo, deprædicavit, eique hæc verba indelebilibus typis palàm inscripsit: *Salutari hoc signo Romanum Principatus, & universum Imperium custoditur.* Confestim etiam hastam sublimem in forma crucis, sub manu effigiei suæ in statuâ elaboratæ, in loco publico constitui, cum hac inscriptione Latina, præcepit: *Salutari hoc signo, tanquam veraci fortitudinis argumento, urbem hanc vestram à jugo tyrannico servatam liberavi: Senatum quoque ac populum Romanum in priscum honorem ac splendorem liberator restitui.* Pius itaque Imperator, ad hunc modum triumphalis crucis confessione illustratus, multâ cum libertate Romanis ipsis Filium Dei cognitum reddere sategit".

Vide eund. l. 9. Hist. Eccl. cap. 9.

CCXXXIV. Neque verò ab apparitione ista crucis facta Constantino ante initam pugnam cum Maxentio, aut ab erectione trophæi ob reportatam victoriam de Maxentio, cœpit cultus crucis apud Christianos: sed semper apud eos viguerat, ex quo per crucis supplicium Christus eis promeruit fieri Christianos. Integro quippe sæculo Constantinum præcesserat Tertullianus, Severo Imperatori Synchronus; cujus ævo crucem Dominicam in tantâ apud Christianos veneratione fuisse constat, ut nihil penè absque ejus signaculo præformato auspicarentur, dicente ipso ex communi eorum persona: [S] Ad omnem progressum, atque promotum; ad omnem aditum, & exitum; ad vestitum, & calceatum; ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus". Quòd si fortè ex Tertulliano inquiras, unde veteres isti Christiani ritum istum hauserint, nusquam in Scripturis Evangelicis proditum? Respondebit continuò: " Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætenditur authrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix". Quòd si ulteriùs interroges, undenàm ea traditio originem sumpserit? Respondebit tibi pro Tertulliano Magnus Basilius: ab Apostolis Christi. Sic enim ille ait: [T] Dogmata & Instituta, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scripto prodita; quædam rursùs ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto, tradita recepimus: quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit qui sanè vel tenuiter expertus est quæ sint jura Ecclesiastica. Nam si consuetudines non scriptas, tanquam haud multum habentes momenti, conemur reijcere, imprudentes gravissimum Evangelio detrimentum inferemus, imò potiùs ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Quod genus est (ut id quod primum & vulgatissimum est primo loco commemorem) ut signo crucis eos qui spem collocarunt in Christo signemus". Ex quibus Basilij verbis non modò habemus, ritum illum signandi fideles signaculo crucis descendisse ex traditione Apostolicâ, paris cum Scriptura energiæ ad pietatem; sed præterea eundem ritum fuisse *primum, & vulgatissimum*: primum quidem, quia in cunctis actionibus vel occupationibus fidelium primo loco adhibebatur, & cæterorum omnium rituum auspicium ab eo ducebatur: vulgatissimum denique, quia ab universis fidelibus, cujuscunque ordinis, vel gradus, vel conditionis, promiscuè exercebatur. Unde & Eusebius generalissimè testatur, [V] *Omnes in Christum credentes hoc salutari signo uti pro sigillo.* Addit quoque inferiùs lib. 9. cap. 14. *Christianos, pro more apud eos recepto, signare vultum suum sigillo Christi.* Eòdem quoque collimat Hieronymus, cùm ait: [W] Antiquis Hebræorum literis, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema *Thau* litera crucis habet similitudinem: quæ in Christianorum frontibus pingitur & frequenti manus inscriptione signatur". Et rursus in caput 66. Isaiæ: " Hoc signum, inquit, nobis ad Patrem ascendens Dominus dereliquit, sive in nostris frontibus posuit, ut liberè diceremus: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*". Quibus verbis confirmat Hieronymus ea quæ de antiquitate istius ritus mox diximus, & Basilij suffragio stabilivimus. Si enim Christus ad Patrem ascendens signum istud nobis dereliquit, proculdubiò Apostolis usum ejus intimavit: atque ita rectè ait Basilius habere nos illud *ex Apostolorum traditione in mysterio.* [X] Illo enim, ut ait Arnobius, exurgente à mortuis, & ascendente in cælum, Apostoli & discipuli ejus habuerunt signum crucis ejus in bono, cum universis credentibus: ita ut videant in frontibus nostris signum ipsius, & confundantur sive visibiles, sive invisibiles inimici. In ipso enim signo adjuvat, & in ipso conso-

S. Tertull. l. de Corona militis c. 3. Vide Cyrill. Hierosl. Catech. 4. & 13. & Gaudentium serm. 8. & Chrysost. Homil. 54. in Matthæum. & Ambros. l. de initiandis c. 3. & 4. & Hier. Ep. 22. cap. 16.

T. Basil. l. de Spiritu Sancto cap. 27.

Vide Concium tom. 1 Thesauri Catholici lib. 2. artic. 9. 10. & 11.

V. Euseb. Demonst. Evang. cap. ultimo.

W. Hieron. in cap. 9. Ezech. et Vide C[illegible] 2. Test[illegible] ad Qu[illegible] cap. 22.

Psalm. 4. 7.

X Arnob[illegible] nior in P[illegible] 91.

consolatur nos". Ipsos quoque Apostolos signaculo crucis usos fuisse in Gentilium conversione vel initiatione, indicat Augustinus, cum ait: [Y] Mittit Petrus in sæculum „ retiaculum, circumfert Paulus Domini„ cum in Mundum vexillum: & iste piscator „ hominum, & ille titulat signo crucis Gentiles". Et alibi loquens de omnibus Apostolis: [Z] Duodecim misit Dominus, inquit, & „ tamen per eos sic omni genere piscium im„ plevit Ecclesias, ut plurimi etiam ex ipsis „ sapientibus sæculi, quibus ignominiosa vi„ debatur crux Christi, eâ in fronte signen„ tur: & de qua erubescendum putabant no„ bisque insultabant, eam in pudoris arce constituant". Idem rursùs serm. 99. de Diversis cap. 2. testatur luxisse signum crucis Christi in fronte Martyris Stephani. Similiter serm. 1. & 25. de Sanctis, inducit Christum dicentem Ananiæ: *Accede ad Saulum, & signa eum charactere meo.* De Joanne quoque Apostolo scribit Nicephorus, quòd [A] *in sepulchrum vivus descendens, signo crucis se munierit.* Thomam denique Apostolum, signo crucis formato, ingens apud Indos patrasse miraculum, refert ex eorundem Indorum traditione Annalibus consignatâ Maffæus lib. 2. Hist. Indic. Quibus omnibus major ipse Christus, in cælo jam gloriosus, signum crucis suæ formasse super Eduardo Anglorum Rege sanctissimo perhibetur. Cùm enim quodam tempore Rex sacrosancto Missæ sacrificio interesset, & cum eo comes quidam nomine Lefricus: [B] Ecce, inquit Alredus, speciosus „ ille formâ præ filijs hominum Christus Iesus, „ in ara consistens, oculis utriusque visibiliter „ corporalibus apparuit: sacráque dexterâ su„ per Regem extensâ, signum sanctæ crucis „ cum benedicendo depinxit. At Rex de„ misso capite, divinæ adorabat præsentiam „ Majestatis, humiliatoque corpore tantæ benedictioni reverentiam exhibebat".

[Y] Aug. serm. 31. de Sanctis.

[Z] Idem Fragmento 8.

[A] Niceph. l. 2. Hist. Eccles. c. 42.

Maffæus.

[B] Alredus in vit. Eduardi Confess. Vide Bromton in Chronico ad Annum 1057.

CAPUT LXIV.

Claudius Taurinensis iconomachiæ præcipuus per Occidentem propugnator & propagator, non modò Sanctorum imaginibus, sed & crucis figuris extitit infestus. Epistola ejus apologetica ad Theodemirum Abbatem, quâ & imaginum & crucium venerationem impugnat. Libri quatuor pro abolendo imaginum cultu, in Nicena Synodo ante triennium stabilito, eduntur; unde excerpta quædam lemmata ad Adrianum Papam mittuntur, atque ab eodem refelluntur: quos superiori jam sæculo quidam Sectarius subfictitio nomine Eli Phili *typis excudit, & Carolo Magno velut authori attribuit. Francofordiana Synodus septennio post Nicenam secundam celebratur, cujus canon ordine secundus refertur, & cum Nicena Synodo quantum ad fidei dogma conciliatur, qui tamen in materia facti errasse monstratur. Nicena Synodus in causa imaginum non novam fidem condidit, sed veterem suæ pristinæ integritati, propulsâ novitate, restituit. Honor, uti & ignominia imaginis, redundat in prototypum. Sacrarum imaginum usus & cultus jam inde ab exordio Christianismi continuatus ostenditur. Nulla habetur ratio templi, quod nullo ornatur simulachro.*

CCLXXV. EOrum qui post Nicenam secundam Synodum cultui sacrarum imaginum in Occidente obstrepuerunt, præcipuus censetur Claudius Taurinensis; quem natione quidem Hispanum, & Felicis Urgelitani, in Synodo Francofordiensi cum Elipando cohæresiarchâ damnati, discipulum fuisse perhibet Jonas Aurelianensis sub initium libri primi eorum trium, quos de imaginum cultu adversùs ipsum edidit: sed habitatione Gallum, quippe qui in transalpina Gallia præsbyter aulicus Ludovici Pij Imperatoris extiterit, & demùm ejusdem Imperatoris favore Episcopus Taurinensis in Gallia cisalpina, quæ Italiæ portio est, evaserit. Nequaquàm tamen ad hunc respexisse videtur Anastasius Bibliothecarius sub initium præcedentis capitis relatus, quatenùs eos redarguit, qui figuras crucis retinebant & colebant, imagi-

Vide hos Jonæ libros tomo 4. Bibliothecæ Patrum part. 2. pag. 536. & seqq.

imagines tamen non modò communium Sanctorum, sed ipsius etiam Christi, inhonoratas dimittebant, & abolebant. Etenim Claudius iste non minùs crucibus, quàm Christi vel aliorum Sanctorum imaginibus infestus extitit: prout patet ex Epistola ejus ad Theodemirum Abbatem, qui ejus ausum inprimis reprehendit: cujus Epistolæ, sive Apologetici libri, excerpta quædam habentur præfixa libro Dungali adversùs ipsum, in Bibliotheca Patrum. Porrò ex ijsdem istis Excerptis planum fit, fideles passim illarum partium ita deditos fuisse venerationi imaginum, ut Claudius glorietur se fuisse primum qui eandem venerationem extirpare studuerit. Verba ejus in primo Excerpto sunt:

Vide ibid. p. 2. pag. 205. & seqq.

Claud. Taurinensis.

" Postquàm coactus suscepi sarcinam pasto-
,, ralis officij, missus à Pio Principe sanctæ
,, Domini Ecclesiæ Catholicæ filio Ludovi-
,, co, & veni in Italiam, civitatem Taurinis,
,, inveni omnes basilicas, contra ordinem
,, veritatis, sordibus anathematum, imagi-
,, nibus plenas: & quia quod omnes colebant,
,, ego destruere solus cœpi, idcircò aperue-
,, runt omnes ora sua ad blasphemandum me;
,, & nisi dominus adjuvisset me, forsitan vivum deglutissent me". Cæterùm non solis imaginibus Christi ac Sanctorum, sed etiam crucibus infestum fuisse Claudium istum, perspicuè apparet ex duobus Excerptis ibidem post quatuor intermedia subnexis; in quorum priore ait: " Sed dicunt isti falsæ Religionis
,, atque superstitionis cultores: Nos ob re-
,, cordationem Salvatoris nostri, crucem pi-
,, ctam, atque in ejus honore imaginatam,
,, colimus, veneramur, & adoramus. Qui-
,, bus nihil aliud placet in Salvatore nostro,
,, nisi quod impijs placuit, opprobrium pas-
,, sionis, & irrisio mortis. Hoc de illo cre-
,, dunt, quod & impij homines, sive Judæi,
,, sive pagani, qui eum resurrexisse diffidunt;
,, & non noverant de illo aliud cogitare, nisi
,, eum tortum & mortuum, & semper in pas-
,, sione positum in corde suo credunt & retinent". In posteriore item Excerpto, addit in hunc modum: " Si omne lignum schema-
,, te crucis factum adorare volunt, pro eo
,, quòd Christus in cruce pependit, etiam alia
,, multa illis conveniunt quæ Christus egit
,, per carnem. Vix enim sex horis in cruce
,, pependit, & tamen novem mensibus luna-
,, ribus, & suprà undecim diebus, in utero
,, Virginis fuit; qui simul sunt dies solares
,, 276. id est, novem menses, & suprà sex
,, dies. Adorentur ergò puellæ virgines, quia
,, virgo peperit Christum: adorentur & præ-
,, sepia, quia mox ut natus in præsepio est
,, reclinatus: adorentur & veteres panni, quia
,, continuò cùm natus est, pannis veteribus
,, est involutus: adorentur & naves, quia
,, frequenter in navibus navigavit, & de na-
,, vicula turbas docuit, & in navi dormivit,
,, & de navi ventis imperavit, & in dexteram
,, navigij rete mittere jussit, quando prophe-
,, tica illa magna captura piscium facta est:
,, adorentur asini, quia asellum sedendo in
,, Hierusalem usque pervenit: adorentur
,, agni; quia de illo scriptum est, *Ecce agnus* Joan. 1. 29.
,, *Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Sed isti per-
,, versorum dogmatum cultores agnos vivos
,, volunt vorare, & pictos in pariete adorare.
,, Adorentur leones, quia de illo scriptum est,
,, *Vicit leo de tribu Iuda radix David*: adorentur Apoc. 5. 5.
,, & petræ; quia quando de cruce est deposi-
,, tus, *in saxeo sepulchro est positus*, & de illo Mat. 27. 60.
,, Apostolus ait, *Petra autem erat Christus*. Sed 1. Cor. 10. 4.
,, Christus *petra, agnus, leo*, tropicè, non pro-
,, priè dictus est; per significantiam, non per
,, substantiam. Adorentur & spinæ ruborum,
,, quia exindè spinea corona tempore passio-
,, nis capiti ejus imposita est: adorentur &
,, arundines, quia ab eis colaphis à militibus
,, caput ejus cæsum est. Postremò adorentur
,, & lanceæ; quia unus militum in cruce *latus* Joan. 19. 34.
,, *ejus lanceá aperuit, unde fluxit sanguis & aqua*,
Sacramenta unde formatur Ecclesia". Constat igitur Claudium istum Taurinensem nòn modò sacris Imaginibus, sed crucibus quoque infestum fuisse: adeòque Anastasium in supradicto suo discursu elenctico non ad eum respexisse. An verò idem Claudius studuerit etiam abrogare ritum formandi manu signaculum crucis, sive in fronte fidelium, sive in celebrandis mysterijs adhiberi solitum, non potest ex dictis Excerptis certò deprehendi.

CCXXXVI. Priusquàm Claudius iste ad Episcopatum Taurinensem à Ludovico Pio Imperatore promotus fuisset; prodierat Tractatus quidam adversùs sacrarum imaginum cultum, quatuor libris distinctus; quem anno 49. superioris sæculi quispiam è modernis Sectarijs, imaginum hostibus, typis editum divulgavit sub nomine Caroli Magni, suppresso suo nomine, proque eo substitutis hisce syllabis, *Eli Phili*. Præfatio Operi præfixa indicat exaratum fuisse anno Christi 790. tempore nimirum Caroli Magni, Regis quidem tunc Francorum, sed nondum Imperatoris Romanorum, quippe anno demùm 800. ad Imperium evecti, decennio scilicet post exarationem prædicti Operis; in cujus mox memoratâ Præfatione fit mentio duarum Synodorum apud Græcos in causa imaginum celebratarum, sed inter se contrariarum: quarum posteriorem, quæ est Nicena secunda, asserit *gestam fuisse fermè ante triennium*. Proindè cùm Synodus ista Nicena anno 787. gesta sit, prout §. 231. dictum est, consectariè evincitur, libros illos pseudocarolinos anno

anno 790. exaratos fuisse. Meminit eorundem librorum Hincmarus Remensis Epistolâ ad Hincmarum Laudunensem capite 20. ubi præmissâ mentione Synodi Nicenæ, addit: " De cujus destructione non „ modicum volumen, quod in Palatio ado„ lescentulus legi, ab Imperatore Carolo „ Romam est per quosdam Episcopos missum ". Hìc tamen observandum, quòd etsi verum sit Hincmarum in adolescentia vidisse ac legisse dictum volumen, non tamen reliqua quæ addit vera videntur. Nam inprimis non ipsum integrum volumen, sed Capitulare quoddam inde excerptum Romam fuit missum; deinde non per Episcopos, sed per Abbatem Engilbertum: ut omittam Carolum Magnum non fuisse adhuc tunc Imperatorem; quippe qui non sub Adriano Primo tunc sedente, sed demùm sub Leone Tertio ejus successore Imperialem dignitatem est adeptus. Adrianum verò tunc in Sede Petri sedisse patet ex Epistola ipsius ad Carolum, quâ respondet prædicto Capitulari ad se misso, quæ extat ad calcem Synodi Nicenæ Secundæ tomo 6. Conciliorum pag. 128. & sequentibus, sub titulo: *Adriani Papa ad Carolum Regem, De imaginibus Scriptum: quo confutantur illi, qui Synodum Nicenam Secundam oppugnarunt.* In cujus Epistolæ seu Scripti exordio Pontifex Adrianus refert *Engilbertum* Abbatem à Carolo missum exhibuisse sibi inter alia *Capitulare adversùm Synodum, qua pro sacrarum imaginum erectione in Nicea acta est.* Ac tum subdit ad Carolum: " Unde pro vestra melliflua „ Regali dilectione per unumquodque Ca„ pitulum reddimus responsum: non quem„ libet, absit, hominem defendentes, sed „ olitanam traditionem sanctæ, Catholicæ, „ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ tenentes, „ priscam Prædecessorum nostrorum sancto„ rum Pontificum sequimur doctrinam, re„ ctæ fidei traditionem modis omnibus vindicantes ". Quibus verbis exordium sive Præfatio Epistolæ terminatur, & mox singulorum Capitulorum refutatio subnectitur. Porrò circa idem tempus celebrata est Synodus Francofordiensis in Germania, adversùs hæresim Elipandi & Felicis, contendentium Christum esse Filium Dei adoptivum. In ea Synodo editi sunt Canones quinquaginta sex, quorum primo condemnatur prædicta hæresis de adoptione Christi: proximè sequenti Canone tangitur imaginum cultus, his verbis: *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt; in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati, servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra sanctissimi Patres nostri, omnimodis adorationem & servitium renuentes, contempserunt; atque consentientes condemnaverunt.*

Hincmarus.

Adrianus Papa I.

Synod. Francoford.

De hoc Canone multi multa disserunt, nonnullis Catholicis unà cum modernis Sectarijs asserentibus, eo condemnari Nicenam Secundam Synodum, approbatricem cultus sacrarum imaginum. Sed duo obstant: Primum, quòd Canon loquatur de Synodo quapiam *Constantinopoli factâ*; cùm tamen Nicena Synodus non ibi, sed Niceæ in Bithynia facta fuerit: alterum, quòd Nicena Synodus nusquam definierit imaginibus Sanctorum impendendam esse adorationem talem, qualis *Deificæ Trinitati* defertur; imò ex adverso sancierit *latriam soli divinæ naturæ congruere.* Alij proindè contendunt, Canone illo Francofordiano damnari Copronymianam Synodum anno 754. contra sacrarum imaginum cultum Constantinopoli habitam, de qua superiùs §. 231. disseruimus. Verùm etsi hæc Constantinopoli gesta sit, adeò tamen non scripserat quod in Francofordiano Canone refertur & reprobatur, ut è contrario omnem prorsùs venerationem imaginibus ademerit, prout ex ejus Sanctione §. 231. relatâ claret. Dicendum proindè est, Synodum Francofordianam rectè quidem damnasse hæreticum dogma sibi oblatum, sed super ejusdem dogmatis authore fuisse deceptam, putando nimirùm illud à *nova Græcorum Synodo Constantinopoli factâ* emanasse; cùm tamen à nulla Synodo ibi habita emanârit, sed ab impostore quopiam Nicenæ Synodo, quæ Constantinopoli quidem inchoata irritè fuerat, sed propter subortas turbas Niceam translata, affictum fuerit. Quâ de re quoniam in *Goliathismo profligato* satis est à nobis dissertum, eò Lectorem remittimus.

DIFFICVLTAS.

Vide definitionem Nicenæ Synod. Act. 7.

Vide Goliathis. Profiig. c. 12. §. 160.

CCXXXVII. Quamvis Nicena Synodus à Francofordianis Patribus dicatur *nova*, quippè nonnisi septennio anteà habita, nihil tamen novi super imaginum cultu constituit, sed priscam Ecclesiæ fidem nunquam plenè interruptam, licèt quadantenùs interturbatam, pristinæ suæ integritati, propulsâ interturbante novitate, restituit. Unde in quarta Actione congessit innumera tam sacrorum Scriptorum quàm Ecclesiasticorum Tractatorum testimonia; quibus sacrarum imaginum cultus astruitur, & apud fideles in usu semper fuisse evincitur. Quibus testimonijs in Synodo prælectis ac præpensis, c. Sancta „ Synodus dixit: Diviniloquorum Patrum „ doctrinæ nos correxerunt (*ab errore nimirùm iconomachiæ quo complures eorum pridem fuerant*

C. Synodus Nicena 2. Act. 4. versus finem.

„*fuerant inquinati*) veritate ex eis haustâ potati „ sumus, ab eis edocti mendacium persecuti sumus, ab eis eruditi venerandas imagines salutamus, Patribus prædicantibus „ filij obedientiam præbemus; gloriamur in „ facie matris traditione Catholicæ Ecclesiæ, credentes in unum Deum in Trinitate laudandum, honorabiles imagines salutamus. Qui sic se non habent, anathema „ sint: qui ita non sentiunt, procul ab Ecclesia „ pellantur. Nos antiquam Ecclesiæ Catholicæ legislationem sequimur, nos jura Patrum conservamus, nos eos qui addunt „ quid vel auferunt de Ecclesia anathematizamus, nos subintroductam novitatem Christianos accusantium anathematizamus, nos „ venerabiles icones salutamus, nos eos qui „ sic se non habent anathemati subjicimus. „ Christianos accusantibus, id est, Iconoclastis, anathema sit. His qui dicta sacræ „ Scripturæ, quæ sunt contra idola, usurpant „ adversùs venerabiles imagines, anathema. „ His qui non salutant sanctas ac venerabiles „ icones, anathema. His qui sacras imagines „ appellant idola, anathema. His qui communicant scienter inferentibus injuriam & inhonorantiam venerabilibus imaginibus, anathema. His qui dicunt Christianos accedere ad imagines veluti ad Deos, anathema. „ His qui dicunt alium quenquam præter „ Christum Dominum nostrum liberasse nos „ à cultu idolorum, anathema. His qui audent dicere Catholicam Ecclesiam recepisse aliquando idola, anathema". Porrò præter Patres & Historicos à Synodo ibidem superiùs in patrocinium hujus suæ Sanctionis adductos, etiam Canonem Synodalem Concilij Trullani eòdem spectantem profert sub nomine *Sancta & universalis Sexta Synodi*, ita sonantem: [D.] In quibusdam venerabilium „ imaginum picturis, depingitur agnus qui „ digito Præcursoris monstratur, qui ad gratiæ figuram assumptus est, verum nobis „ agnum per legem Christum Deum nostrum „ præmonstrans. Antiquas ergò figuras & „ umbras, ut veritatis signa, & characteres „ Ecclesiæ traditos, amplectentes, gratiam „ & veritatem præponimus, eam ut legis „ implementum suscipientes. Ut ergò quod „ perfectum est, vel colorum expressionibus „ omnium oculis subjiciatur, Christi Dei „ nostri tollentis peccata mundi humanâ formâ characterem etiam in imaginibus deinceps pro veteri agno erigi ac depingi jubemus: ut per ipsum, Dei Verbi humiliationis celsitudinem mente comprehendentes, ad memoriam quoque ejus in carne „ conversationis, ejusque passionis, & salutaris „ mortis deducamur, ejusque quæ in eo facta

D. Synodus Trullana Can. 82.

est Mundi redemptionis". Magnum prætereà robur eidem veritati accedit ex suffragio Basilij Magni, qui disertè profitetur se sacris imaginibus honorificum cultum impendere, eumque ritum non novitium in Ecclesia esse, sed ex Apostolorum traditione dimanasse. Verba ejus ad Julianum apostatam sunt: [E.] Secundùm immaculatam Christianorum fidem, quam divinitùs sumus sortiti, confiteor & polliceor credere me in unum Deum „ Patrem omnipotentem, Deum Patrem, „ Deum filium, Deum Spiritum Sanctum, „ unum Deum hæc tria adoro & glorifico. „ Confiteor quoque incarnatam Filij dispensationem, & Dei genitricem sanctam Mariam, quæ illum secundùm carnem peperit. „ Suscipio item & sanctos Apostolos, Prophetas, & Martyres; & ad supplicationem quæ „ est ad Deum eos invoco, ut per eos, id est, „ per interventionem eorum, propitius mihi „ sit misericors Deus, & culparum mihi remissio fiat ac detur. Unde & characteres imaginum eorum honoro & adoro; præcipuè „ cùm hoc à sanctis Apostolis traditum, & non „ prohibitum sit, quin & in omnibus Ecclesijs nostris ostendatur depictum". Ejusdem quoque Basilij est illa brevissima verissimaque sententia, quâ obstruantur Iconoclastarum ora, contendentium inhonorari prototypos honoratione imaginis; cùm è contrario ipse dicat: [F.] *Honor imaginis transit in prototypum.* Alibi quoque idem Basilius non modò honorem imaginis in honorem prototypi, sed & contumeliam in contumeliam redundare perhibet: [G.] Postquàm diabolus, inquiens, hominem vidit ad imaginem Dei „ & similitudinem factum, cùm improbitatis suæ vim in Deum non posset exerere, „ eam contorsit in imaginem Dei: non secùs „ ac si quis homo imaginem Regis lapidibus „ impetat, quia Regem ipsum non possit, „ atque ita lignum referens imaginem Regis „ verberet. Sic quicunque veneratur imaginem, ipsum nimirum veneratur exemplar". Et ibidem paulò inferiùs: „ In eum, inquit, „ qui Regiam imaginem ignominiâ afficit, „ non secùs animadvertitur, quàm si Regem ipsum ignominiâ affecisset". Quæ sententiæ diligenter notandæ sunt contra Iconoclastas, qui cùm profiteantur se Christum vel sanctos Cælites venerari, imagines tamen eorum non verentur dedecorare, ac blasphemare.

E. Basil. Epist. ad Julian. apostatam relata in Synodo 7. Act. 4.

F. Basil. l. de Spiritu Sancto c. 18.

G. Idē apud Damascen. Orat. 3. de Imaginib. Vide Athan. serm. 4 contra Arianos sub initium.

CCXXXVIII. Sacrarum imaginum honorarium cultum ex Apostolorum traditione descendisse, Basilius mox relatus asseverat; alludens utique ad Sanctiones Synodi Antiochenæ per Apostolos celebratæ, de qua ex professo disserit Franciscus Turrianus lib. 1. pro

Turrianus.

pro Canonibus Apostolorum cap. 25. fretus authoritate Clementis Romani, & Pamphili Martyris, necnon Synodi Nicenæ secundæ, in cujus prima Actione Gregorius Pisinuntensis Episcopus, nemine contradicente, ait: [H] In Synodo Sanctorum Apostolorum apud Antiochiam congregatâ dicitur: „ *Et ne ultrà errent hi, qui salvantur, circa idola:* „ *sed pro eu imaginentur Dei virilem Domini nostri Iesu Christi statuam.* " In primo tomo Conciliorum, sub titulo, *Antiochena Synodus Apostolorum*, pleniùs describitur idem Canon Apostolicus hisce verbis: *Ne decipiantur salvati ob idola, sed pingant ex opposito divinam humanamque manufactam impermixtam effigiem Dei veri ac Salvatoris nostri Iesu Christi, servorumque ipsius, contra idola & Iudaeos: neque errent in idolis, neque similes fiant Iudaeis.* De eodem isto Canone videri potest Feuardentius in Notis super capite 24. libri primi Irenæi adversùs hæreses, necnon Pamelius in Notis super capite 12. Apologetici Tertulliani: qui ambo satis operosè venerationem imaginum astruunt ac propugnant. Optimè prætereà observat idem Pamelius in caput 7. libri de Pudicitia, temporibus Tertulliani frequentem inter Christianos fuisse usum sacrorum calicum, quibus impressa fuerit imago Christi, sub specie Pastoris reportantis in humeris ovem erraticam. Testatur quoque Eusebius *hæmorrhoissam* Euangelicam erexisse Christo Sanatori suo statuam ad fores domûs suæ in Civitate Paneade, seu Cæsareâ Philippi, quæ ad sua usque tempora duraverit; ad cujus pedes enata herba ignotæ speciei, præsentissimum remedium cujusvis generis morbis extiterit. Hanc Julianus apostata, Christi abs se deserti gloriæ invidens, dejici, ejusque loco suam statuam erigi curavit. Sed quo successu? Disce ex Nicephoro: [I] Julianus, „ ait ille, statuâ Christi dejectâ, suam ipse in „ locum ejus super columna substituit. Sed „ ecce derepente ignis è cælo vehemens de„ jectus, simulachrum illius circa pectus disci„ dit; caputque unà cum collo dejectum, & „ à pectore abruptum, in faciem prostravit. „ Atque id longo posteà tempore duravit, „ fuliginem eam fulminis, velut per inscri„ ptionem columnæ incisam, apertè testifi„ cans. Statuam autem Christi in Diaconicum „ Ecclesiæ transtulerunt Christiani, & hono„ ratiore loco positam cultu convenienti pro„ secuti sunt: locum namque eum libenter „ frequentantes, & imaginem ipsam inspe„ ctantes, desiderium suum & amorem erga statuæ prototypum declarabant". De imagine item Christi per Nicodemum formatâ, atque à Judæis Berithensibus indignissimè cruciatâ, extat specialis historia inter Opera Athanasij. De imagine quoque ejusdem missâ Agabaro Edessenorum Toparchæ scribit Eusebius lib. 1. Histor. Eccles. cap. 13: aliàs 15. De imagine prætereà ejusdem impressâ Sudario Veronicæ, videri potest Pamelius loco proximè indicato, & Molanus lib. 4. Historiæ imaginum cap. 2. Neque verò solius Christi; sed & sanctissimæ Matris ejus, necnon Apostolorum, imò & Angelorum imagines olim fuisse pictas & honorificè asservatas, constat. Meminit quippe Nicephorus lib. 14. cap. 2. & lib. 15. c. 14. Imaginis Deiparæ Virginis à Luca Euangelista proprijs manibus depictæ, quam Antiochiâ acceptam Pulcheria Augusta Constantinopoli dedicavit. Meminit quoque lib. 6. c. 16. imaginum Petri et Pauli Apostolorum, ejusdem Lucæ penicillo expressarum. Quarum imaginum, tacito licèt pictoris nomine, meminerat dudum anteà Eusebius, ita scribens: [K] Aposto„ lorum imagines, Petri videlicet & Pauli, „ atque ipsius etiam Christi, coloribus in tabulis depictas asservari nos vidimus". Testatur idem Augustinus lib. 1. de consensu Euang. cap. 10. solitos fuisse eosdem Apostolorum Principes unà cùm Magistro suo Christo depingi. De Angelorum denique effigiebus in Ecclesia formari ac proponi consuetis disserit Dionysius Areopagita lib. de cælesti Hierarchia cap. 1. & 2. Plura quoque ejusdem & aliorum Patrum testimonia congerit Damascenus in suis Orationibus de Imaginibus, signanter Orat. 1. & 3. quibus manifestè ostenditur cultum sacrarum imaginum semper ab initio Ecclesiæ usitatum fuisse inter Christianos. Finio tandem caput istud verbis Isidori Pelusiotæ, quibus velim ut attendant ij, qui sacras imagines à templis prorsùs arcent: [L] Nulla habetur ratio, ait ille, ejus tem„ pli, quod nullo coronatur simulachro". Quam sententiam in Synodo Nycena 2. Act. 1. allegat pro astruendo imaginum cultu Gregorius Pisinuntensis.

[Margin notes:]
H. Gregor. Pisinunt. in Synodo Nicena 2. Act. 1
Feuardent.
Pamelius.
Matt. 9. Vide Euseb. l. 7 Hist. eccles. cap 14. aliàs 18. Vide Niceph l. 6. c. 15.
I. Niceph. l. 10 Histor. Eccles. c. 30. Vid Sozom. l. 5. c. 21. & Evagrium l. 4. cap. 27.
Eusebius. Vide Damasc. l. 4. c. 17.
Pamelius. Molanus.
Nicephorus
K. Euseb. l. 7. Hist. cap. 14. aliàs 18.
Augustinus.
Dion. Areopag.
Damascen.
L. Isid Pelus. lib. 4. Epist. 71.

CAPUT LXV.

In Saule inquietatore Samuelis figurantur & consimili supplicio obnoxij censentur non modò qui Sanctorum reliquias aut icones exhonorant, sed qui vel terrena bona eisdem dicata devastant, vel loca eis consecrata profanant. Ecclesiastica peculia cur Res Dei, *cur item* Patrimonia Sanctorum *dicantur? Quatenùs instituì possint Cælites bonorum temporalium hæredes? Injuriam tribus subalternis dominis irrogant qui terrena Cælitum patrimonia temerè profanant, aut extraneis usibus invitâ Ecclesiâ applicant. Supernæ ultionis in Ecclesiasticorum bonorum usurpatores exertæ multiplicia congeruntur exempla. Ecclesiastica bona quatenùs tineæ, cariei, rubigini, & pluviis aquilinis similia? Sancti Remigij in Pipinum Regem animadversio, sed paternalis & medicinalis. Quàm avidè & sacrilegè in Ecclesiastica bona involarit Henricus VIII. Anglorum Rex, sub cujus tyrannide* Millia dena unus templorum sustulit annus?

CCXXXIX. EST & alius modus quo terreni Principes inquietant Cælites, atque adeò imitantur *Saulem* inquietatorem Samuelis: dum scilicet terrena bona vel jura, in Sanctorum honorem Ecclesijs, aut earum ministris tanquam Cælitum clientibus, dicata, diripiunt, aut in quoslibet usus voluntati patronorum dissentaneos transvertunt: de cujusmodi bonorum sive jurium varietate recoli possunt quæ superiùs hìc §. 50. cap. 13. perstrinximus. Quò referri potest quòd cùm Psalmographus præmisisset, *Posuerunt in cælum os suum,* continuò subdiderit, *Et lingua eorum transivit in terra.* Ubi nomine *linguæ* non absonè intelliguntur mandata vel Edicta ore prolata, vel dictata: [M] Alio modo, inquit Augustinus, „ dicitur *lingua*, propriè caro quæ intra dentes „ sub palato movetur; & alio modo dicitur „ *lingua*, quod per linguam fit: secundum „ quem modum dicitur alia lingua Græca, alia „ Latina: & *manus* alio modo dicitur propriè „ ipsum corporis membrum, quod movemus „ ad operandum, & alio modo *manus* dicitur „ scriptura quæ fit per manum. Dicimus „ enim, prolata est manus ejus, lecta est ad- „ versùs eum manus ejus, habeo manum „ tuam, respice manum tuam. Manus enim „ propriè membrum est hominis, non autem „ opinor ullam scripturam membrum esse „ hominis; & tamen dicitur *manus*, eò quòd manu facta sit". Juxta hunc igitur loquendi modum *lingua* Principum *transit in terra,* quando mandata proferunt, Edicta dictant, vel sententias pronuntiant, quibus bona terrena vel jura in honorem Sanctorum consecrata vel concessa invadunt, devastant, aut quoquo modo suis legitimis possessoribus, Cælitum clientibus, inutilia, vel etiam minùs utilia, reddunt. Quamvis enim Sancti in cælo, ubi *Deus est omnia in omnibus,* bonorum terrenorum non indigeant, nec propriè dictum dominium in ea habeant; nihilominùs quæ intuitu ipsorum donantur clientibus ipsorum, peculiari quâdam ratione concernunt ipsos. Sic ditio Pontificia in Italia appellatur passim *Patrimonium Sancti Petri:* sic item alibi crebrò reperiuntur urbes, & pagi, & ampliora etiam territoria, certorum Sanctorum honori dicata, ac cuidam velut dominio subjecta. Unde non defuere qui Cælites instituerunt bonorum hæredes, prout de Joanne Patricio quondam Romano, & conjuge ejus, legitur in Breviario, quòd [N] cùm „ liberos non suscepissent, quos bonorum hæ- „ redes relinquerent, suam hæreditatem San- „ ctissimæ Virgini Dei Matri voverint, ab „ ea summis precibus assiduè petentes, ut in „ quod pium opus eam pecuniam potissi- „ mùm erogari vellet, aliquo modo signifi- „ caret. Quorum preces, & vota ex animo „ facta, Beata Virgo Maria benignè audiens, „ miraculo comprobavit. Nonis igitur Au- „ gusti, quo tempore in Urbe maximi calores „ esse solent, noctu nix partem collis Ex- „ quilini contexit: quâ nocte Dei Mater se- „ paratim Joannem & conjugem in som- „ nis admonuit, ut quem locum nive con- „ spersum viderent, in eo Ecclesiam ædifica- „ rent, quæ Mariæ Virginis nomine dedica- „ retur: se enim ita velle ab ipsis hæredem institui". Refert item Romanus Hay fragmentum

Psalm. 72. 9.

M August. lib. 14. cont. Faust. cap. 1. Vide lib. 3. de Lib. arbit. cap. 19.

Vide Petr. Damiani l. 4. Epist. 12.

N. Breviar. Roman. ad diem 5. Augusti. Vide ... in Not. Martyro. eod. die. & in Annalib. ad annum 367.

mentum Diplomatis Henrici IV. Impera-
toris, quo memoratur, [O] quòd comes Adel-
„ bertus monasterium Hirsaugiense restaura-
„ vit, pro Fratribus sub Regula Sancti Bene-
„ dicti ibi procurandis: & ipsum locum Hir-
„ saugiam, cum omnibus pertinentijs ex to-
„ to, super altare Sancti Aurelij, delegavit,
„ & contradidit Domino Deo, & Sancto
„ Benedicto in potestatem & proprietatem".
Possent innumeræ aliæ ejusdem styli dona-
tiones in Sanctos factæ in medium proferri,
nisi in astruendâ re omnibus obviâ dispende-
re tempus pigeret. Unde & idem Romanus
Hay, præmissâ historiâ Joannis Patricij Ro-
mani jam relatâ, subdit alibi: [P] Pleni sunt
„ Catholicorum libri hujusmodi formulis
„ loquendi; & si hi tacuerint, lapides clama-
„ bunt: plena sunt altaria sive templa, ea
„ cumprimis quæ Sanctorum erga morbidos
„ beneficijs ac virtutibus celebrantur, hujus-
„ modi donarijs, cereis, paramentis, calici-
„ bus &c. quorum dominium Christiani pij-
„ que homines à se penitùs abdicantes, quâ-
„ dam juris fictione in proprietatem & pote-
„ statem omnimodam hujus illiusve Sancti,
„ vel materialis Ecclesiæ in ipsorum hono-
„ rem & nominis invocationem consecratæ,
„ toto affectu transcribunt: & idem de terris
„ ac bonis immobilibus dicendum. Verum
„ autem earum rerum & immediatum domi-
„ nium in eos transfertur, qui tali Ecclesiæ
deserviunt". Habent proinde bona ista sive
jura Ecclesiastica tres velut dominos quâdam
subordinatione discretos, Deum nimirum,
Sanctum unum aut plures, ac denique Eccle-
siæ ministros. Propter primum dominum di-
cuntur à Synodo Tridentinâ post veteres ca-
nones [Q] *Res Dei*: propter secundum dicun-
tur *Patrimonia* horum vel illorum Sanctorum:
propter tertium dicuntur hujus vel illius Præ-
lati, rectoris, aut beneficiati &c. Atque
hinc fit, ut si laicus quispiam bona vel jura
Ecclesiastica ministris Ecclesiæ adempta di-
ripiat, destruat, sibi usurpet aut in alios trans-
ferat: non uni duntaxat, sed tribus prædictis
dominis peculiarem quandam injuriam in-
ferat: si verò ipsi ministri Ecclesiæ ea in pro-
fanos usus convertant, Deum simul & San-
ctos patronos offendant.

CCXL. Hinc mirum videri nemini de-
bet, si bonorum Ecclesiasticorum direpto-
res, usurpatores, abusores, aut quomodoli-
bet eversores ac transversores, ultricem Dei
ac Sanctorum ejus manum sentiant: [R] Plenæ
„ sunt historiæ Ecclesiasticæ, ait quidam,
„ exemplis Principum, Ducum, atque mili-
„ tum, quos ob violata templa & raptas Ec
„ clesiæ facultates, ultrix Dei manus secuta
„ est; ex quibus aliqua seligens huc addu-
„ cam. *Julianus*, Juliani apostatæ Imperato-
„ ris avunculus, & defectionis socius, cùm
„ ex Antiocheno templo sacra vasa sacrilegè
„ abstulisset, eaque cum Imperatoris thesau-
„ ro junxisset, repentè sævo morbo correptus,
„ visceribus putrefactis, totoque corpore ul-
„ ceratus, ebullientibus etiam & scelestam
„ carnem depascentibus vermibus, ac tandem
„ non per solitos meatus, sed per os blasphe-
„ mum egredientibus excrementis sordibus-
„ que ventris, miserrimè perijt. *Felix* Quæ-
„ stor ejusdem Imperatoris, & Juliani in spo-
„ liando templo adjutor, ruptâ venâ, cum
„ sanguine animam evomens, celeriter ex-
„ tinctus est, æternæque morti contraditus.
„ *Mauritius Chartularius* Isaacium, Italiæ pro
„ Heraclio Exarchum, impulit ut Lateranen-
„ sis Basilicæ sacrarium spoliaret, & thesau-
„ rum maximum, quem ad eum usque diem
„ nemo ausus fuerat attingere, diriperet.
„ Sed non multò pòst Mauritius propter alia
„ ipsius facinora captus est, & ejusdem Isaacij
„ mandato cum maximâ ignominiâ morti
„ traditus. *Isaacius* quoque non multis pòst
„ diebus repentè vitâ privatus est: duorum
„ miserabili morte tantum sacrilegium ulci-
„ scente Deo, ut refert Sigonius. Non absi-
„ milis fuit *Leonis IV*. Imperatoris Constan-
„ tinopolitani exitus: qui cùm coronam au-
„ ream pretiosissimam, à Mauritio sive ab
„ Heraclio Imperatore templo Sanctæ So-
„ phiæ dedicatam, cui præter cæteras gem-
„ mas insertus erat inæstimabilis pretij car-
„ bunculus, abstulisset, ablatamque suo im-
„ posuisset capiti, subitò pestilens inflamma-
„ tusque natus est in capite tumor, quem car-
„ bunculum vocant, quo etiam extinctus est.
„ Narrat Gregorius Turonensis, post spolia-
„ tam & incensam à quibusdam militibus in
„ Agennensi oppido Basilicam Sancti Vin-
„ centij Martyris, eos tam acres sacrilegij sui
„ pœnas luisse, ut alijs ambustæ manus fu-
„ mum emitterent; alios correptos, & con-
„ tentis vocibus Sanctum Martyrem incla-
„ mantes, dæmon discerperet; alij sibi manus
„ violentas inferrent, ac proprijs se vulneri-
„ bus conficerent. Trithemius author est,
„ nonnullis divinitùs patefactum, *Dagober-
„ tum* Galliæ Regem, quòd Ecclesias passim
„ expilasset, de impiâ hac usurpatione ante
„ divinum tribunal postulatum fuisse: & *Ca-
„ rolum Martellum*, summâ fortitudine Ducem,
„ Pipini patrem, & Caroli Magni Impera-
„ toris avum, supplicijs æternis ob idem sce-
„ lus destinatum. Addunt alij Sanctum Eu-
„ cherium Aurelianensem Antistitem jussisse,
„ sepulcbrum ejus aperiri, nihilque aliud in
„ eo inventum, præter aspectu deformem
„ inusitatæ magnitudinis serpentem. Scribit
„ Franciscus Tarapha *Gundericum* Wandalo-
„ rum Regem, dum Hispali captâ in Ecclesiæ

O. Henr. IV. Imperatore apud Romanum Hay in Astro inextincto qu. 1. num. 18.

P. Roman. Hay in Horto Crusiano num. 444.

Q. Synod. Trident. sess. 25 cap. 1. de Reform. V. de canonem 97. aliàs 39. Apostolorum & cap. *Quisquis* 12. quæst. 2.

R. Petr. Ribadeneira in Princ. Christiano lib. 1. c. 13. & 38.

Vide hic supra cap. 28. §. 38.

Vide Sigon. lib. 2. de Regno Italiæ.

Vide Paul. Diacon. l. 19 Historiæ miscellæ, & Sigebert. in Chronico anno 781.

Vide Greg. Turon lib 5. Hist Franc. cap. 39.

Vide Trith. in Chronico Ducum Bavariæ. & Decretum Gratiani c. quia junior, 16. q. 1.

Vide Tarapham in Honorio, & Vasæum in Chr. Hisp. anno 429.

 bona

„ bona tentat involare, à dæmone correptum miserabiliter occubuisse. Refert S. Isidorus *Agilam* Gothorum Regem, Theodisilli successorem, templum Divo Assisclo Martyri sacrum, in quo corpus ejus conditum erat, ungulis equorum protritum violasse: & inopinatâ Cordubensium eruptione fuso exercitu, ex fuga Emeritam se recepisse, ubi ferro suorum peremptus est. Paleonidorus, vitam scribens S. Alberti Ordinis Carmelitarum, narrat hostes in ejus templum, quod est in Sicilia unde ortus fuerat, ingressos, profanasse; statimque audito strepitu in arca, quâ Beati Viri sacra ossa claudebantur, multos è militibus, qui templum violarant, interijsse, alios varijs morbis affectos debilitatosque fuisse: & postmodùm reseratâ arcâ, quam fractam invenerant, visum est viri corpus genibus nixum, tanquam à Domino vindictam posceret. In vita S. Austregisili Bituricensis Episcopi legimus gravia quædam supplicia, quæ Deus Sancti precibus inflixit ijs, qui templum ejus atque monasterium spoliaverant. Rerum quoque Hispanicarum historiæ narrant, *Vrracam* Alphons. VI. Regis filiam, cùm templum S. Isidori Legionensis ingressa expilasset, & gemmas cum sacra ac pretiosa supellectile in sumptus belli rapuisset, atque ob spolia domum lætissima repeteret, in ipso templi limine ruptis visceribus miserè diem suum obijsse: eam item ob causam Alphonsum Regem, virum ejus, in Fragensi bello ab hostibus oppressum interijsse. Mitior fuit, sed justa tamen, Dei in *Petrum* IV. Aragonum Regem manus: hic enim cùm vellet se dominum, ad quem dominium utile pertineret, ab omnibus oppidis ac locis civitati & Episcopatui Tarraconensi subjectis agnosci, gravi bello eandem Ecclesiam afflixit. Sed apparens S. Thecla, in cujus tutela ac præsidio ea civitas est, nimis imperiosum porrectâ palmâ in faciem percussit: quâ ex pulsatione languidior & imbecillior factus, cum summa agniti criminis detestatione mortuus est: factoque priùs testamento mandavit, ut Tarraconæ Pontifex in pristinas possessiones restitueretur. Cùm *Philippus* Galliæ Rex, Bello in Petrum Aragonum Regem moto, Gerundam cepisset; ejus milites, quâ erant insolentiâ, vi templis illatâ, Sancti quoque Narcisci, patroni ac tutoris illius urbis, sepulchrum diripuerunt. Sed inde egressa muscarum inauditâ formâ & magnitudine examina, & magno impetu irruentes, multitudinem sic terruerunt, & acutis ac venenatis morsibus vulnerarunt, ut intra paucos dies hominum plus quadraginta, & equorum plus viginti quatuor millia pestis illa absumpserit. Quin etiam Petrus ipse Aragonum Rex in Epistola ad Sanchium Castellæ Regem datâ scribit, equos ad 40. millia perijsse: neque multò pòst Rex ipse Galliæ mortuus est Perpigniani. Ex hoc tristi eventu abierunt in proverbium *Musca Sancti Narcisci*, ut suis in Martyrologium Annotationibus observavit Cæsar Baronius. Affine est quod sequitur: Anno 1414. dum Gallorum Rex bellum gereret adversùs Joannem Burgundionum Ducem, Flandriæ comitem, Augustam Suessionum Duci faventem occupavit, & SS. Martyrum Crispini & Crispiniani, quorum corpora in ea urbe sunt in honore, templum violavit. Sed anno circumacto, eo ipso die qui SS. Martyribus sacer est, idem Gallorum fortissimus exercitus, ex hominum innumerâ multitudine & præcipua regni nobilitate constans, victus, profligatus, atque cæsus fuit, ab Anglorum parva manu, quæ nec pacis fœdus, nec inducias à Gallis impetrare potuerat. Creditum autem vulgo est, Deum, Martyrum precibus impulsum, hâc clade pœnas à templi & sepulchri Martyrum profanatoribus exegisse. Gallicarum etiam rerum Scriptores affirmant, causam cur Deus ablatam Gallici regni coronam stirpi Clodovei, qui primus è Galliæ Regibus Christo nomen dedit, in Caroli Magni familiam transmiserit, vel ab hac in Hugonem Capetum ejusque posteros transtulerit, non postremam fuisse, quòd horum nepotes & posteri indiligenter Ecclesiæ bona & facultates administrassent.

Vide Vasæ Ibid. ad annum 449.

Paleonidorus.

Vide Surium tomo 4. ad diem 7. Augusti.

Vide Roder. Santi. Hist. Hisp. par. 3. cap. 10.

Vide Hierô. Suritam lib. 10. Annal. c. 19.

Vide eund. lib 4. cap. 69

Vide Meyerum lib. 15. Annal. Flandriæ.

Vide Genebrardum in Chron. anno 995 cum alijs quos citat.

„ CCXLI. Nullus esset finis, si quæ de proposito argumento extant Scriptorum exempla huc congerere vellemus. Verùm licèt alia taceamus, æquum tamen non est unum prætermitti, quod inter cætera inusitatum est & admirabile, quodque scriptum reliquit Petrus Cluniacensis, æqualis S. Bernardi, & ob vitæ sanctitatem cognomento *venerabilis*. Is itaque refert, in urbe Matiscona, quæ Lugduno non multum distat, Comitem quendam extitisse, qui tyrannicè in facultates Ecclesiarum involabat; &, qui de injurijs querebantur, Clericos & Prælatos pessimè accipiebat. Cùm ergò solemni & festo die in proprio palatio resedisset, circumstante cum diversi ordinis multitudine; ecce tibi eques ignotus, tantæ majestatis & tam terribilis aspectu, ut intuentes attonitos prorsùs perterreret: qui voce gravi & severâ ad Comitem conversus, ut se sequeretur non tam monuit, quàm imperavit. At ille invisibili potentiâ constrictus, nec jam resistere valens, imperantem ad ostium usque

Petrus Cluniacensis.

domus

domus secutus est, ubi erat præstans quidam equus, quem conscendere jussus ascendit; statimque velocissimè per aëra ferri visus est, excitâque ad immensos clamores & miserabiles ejulatus civitate, tandem evanuit. Tantus verò fuit intuentium spectaculum tam tremendum pavor & horror, ut in memoriam facti, palatij ostium, per quod infelicissimus Comes eductus fuerat, lapidibus obstruxerint, ne quis eò ampliùs pertransiret. Paulus Æmilius, elegans & fidus rerum Gallicarum Scriptor, idem propè de *Guilielmo* Comite Cabillonensi, crudeli Ecclesiarum oppugnatore, his verbis refert: *Fama celebris est, Cabillonensem Comitem, dum frequenti Procerum convivio epularetur, ab ignoto quodam in equo pra foribus sedente evocatum exijsse, coactumque evestigio conscendere è conspectu procul raptum, nec deinceps usquam apparuisse.* In eodem quoque loco mox subdit, Nivernensium Comitem, immunitatis Ecclesiasticæ hostem, obtorquente se vultu sponte in terga, obijsse: Rex Aragoniæ *Sanctius Ramirus*, valentissimus Princeps, nonnulla Ecclesiæ vectigalia in usum belli, quod cum Mauris gerebat, convertit: & quanquam hoc bellum Reipublicę & Religioni, cujus causâ suscipiebatur, utilissimum esset, nec ob exhaustum ærarium prosequi cœptum potuisset; ita tamen animo commotus est, quòd in Ecclesiæ facultates manus injecisset, ut anno 1081. Rotæ, ubi cum curia sua agebat, præsente Raymundo Dalmatio ejus urbis Antistite, ad arã Divi Vincentij publicam egerit pœnitentiam, jusseritque integrâ fide reponi, quod à Rotensi Ecclesia abstulerat, quæ ex ea detractione propè conciderat, ut scribit Hieronymus Surita. Addam illud, quod graves & prudentes viri observarunt: Principibus, quibus vel cupiditas, vel prætensa veriùs quàm cogens necessitas persuasit, ut licenter in bona Ecclesiæ involent, aut eis se intricent, nihil prosperè & ex voto succedere; neque solùm Ecclesiasticas quas occuparunt facultates, sed & reliquas illis permixtas deperire, & in eorum manibus quodammodò dilabi atque dissolvi; quòd instar tineæ sint quæ pannum, cariei quæ lignum, rubiginis quæ ferrum consumit & arrodit; vel plumarum aquilæ, quæ mixtę cæterarum avium pennis, eas, ut aiunt, exedunt. Qua de causa Carolus VII. Galliæ Rex ad extrema ob æris inopiam redactus, destitutusque necessarijs ad bellum Normandicum, quod cum Anglis, qui eam Provinciam eripuerant, & à quo dependebat regni universi pax & tranquillitas, gerebat, suadenti illi Ecclesiæ Præfecto ut in belli usum decimas & sacra vectigalia converteret, facturum se negavit, quòd malè cessisset Principum nonnullis, qui ausu temerario eam rem tentassent. Emanueli Lusitaniæ Regi, ut in gestis ejus scribit Hieronymus Osorius Episcopus Sylvensis, Leo Pontifex concesserat, ut tertiæ & decimæ vectigalium Ecclesiasticorum in belli Africani sumptus triouerentur. Sed cùm Rex observasset; sibi nihil prosperè feliciterque cessisse ex quo fuerat hâc Pontificis benignitate usus; eam concessionem decrevit remittere. Vult enim Deus ac Dominus noster, ut res suo cultui ministrorumque usibus dicatas revereamur; intelligamusque regnorum salutem & incolumitatem in ejus potestate sitam esse, neque ea opibus minui; ad inopiamque redigi; quamvis bona templis ac Dei ministris liberali manu conferantur".

Paul. Æmilius.

Vide Suritam l. 3 Annal. cap. 25.

Vide de plumis aquilarum Plinii lib. 10 c. 3. Vide Meyerum lib. 16. Annal. Flan.

Vide Osorium l. 9. de Gestis Emanuelis.

CCXLII. Quamquam superioribus exemplis abundè erudiamur quantoperè displiceat Deo ac Sanctis; quòd Principes sæculi disperdant aut distrahant Ecclesiastica bona sibi dicata; unum tamen adhuc alterumque adijciam, quibus ea displicentia pleniùs innotescat: Primum sit [s]. De castro quodam dato Sancto Remigio pro Ecclesia Laudunensi, per Clodoveum Regem: quod posteà *Pipinus* Rex voluit detrahere, factâ compensatione Ecclesiæ. Cui dormienti apparuit Beatus Remigius, & eum super hoc graviter increpavit; dicens: *Melior te mihi dedit, & tu vis auferre?* Et ideò percussit eum: qui in crastinum inventus est totus denigratus. Et ex tunc Reges Franciæ non fuerunt ausi in illo castro jacêre". In quibus verbis hæc observatu digna occurrunt: Primò Sanctos in altera vitâ gerere curam quandam ac providentiam rerum sibi in hac vitâ dicatarum seu donatarum. Secundò eosdem cognoscere ea quæ in hoc sæculo pro vel contra ipsorum honorem tractantur vel peraguntur. Tertiò Regem Pipinum à Sancto Remigio correptum castigatumque fuisse pro eo, quòd rem Ecclesiæ donatam retrahere ad se decreverit, mediante compensatione. Ex quo conijcere licet quantam indignationem Cælitum incurrant, qui res Ecclesię invadunt, nullâ præstitâ compensatione. Quartò Sanctorum increpationes non semper esse exitiales, sed subinde medicinales. Pipinus enim à S. Remigio increpitus est verbis & plagis corporaliter, ut resipisceret cordialiter: denigratus est in carne, ut dealbaretur in spiritu: argutus est *in virga virorum & in plagis filiorum hominum*, ut memor fieret ejus quod scriptum est, *Omne quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur neque redimi poterit. Quicquid semel fuerit consecratum Sanctũ Sanctorum erit Domino.* Sancti itaque quando nos incre-

S. Bertrandi Cardinalis lib de Ecclesiastic. libertate contra Petrum de Cugneriis.

2. Reg. 7 14.

Lev. 27. 28.

increpant, imitantur ipsum Dominum: qui, ut Augustinus ait, T. In filios damnationis „ vindicat iratus, in filios autem gratiæ vin- „ dicat propitius; dum *quem diligit corripit, & flagellat omnem filium quem recipit*". Secundum exemplum sit, de Henrico VIII. Anglorum Rege, qui cùm Ecclesiastica bona sacrilego ausu invasisset, versa sunt ei in plumas aquilarum, quibus cæteri ejus proventus, tanquam aliarum volucrum pennę admixtę, exederentur: V. Æstimari difficulter potest, in- „ quit Sanderus, quantam stragem sacrarum „ ædium, monasteriorum, ac templorum, „ profanus iste Nabuchodonosor (*Henricus*) „ in ultima hac sua vastatione ediderit. Vir „ quidam doctus illius temporis his duobus „ versiculis sic rem expressit: *Millia dena unus* „ *templorum sustulit annus. Quàm timeo in pœnas* „ *vix satis unus erit*. Vtcunque tamen fuerit „ de numero, qui sine controversia maximus „ erat, illud certè constat, monasteria Anglicana eo tempore fuisse ornatissima, non „ solùm monumentorum antiquitate rerum- „ que sacrarum præstantiâ, verùm etiam „ opum affluentiâ & ædificiorum splendore „ quodam singulari. Quæ omnia *Henricus* di- „ repta priùs ac devastata, solo æquavit: nec „ vel bibliothecis, vel ullis literarum antiqui- „ tatisve monumentis pepercit; illud barba- „ rum subinde usurpans, *Corvorum nidos esse* „ *penitùs disturbandos, ne posteà iterum ad coha* „ *bitandum convolent*. Quicquid igitur Majo- „ rum nostrorum pietas, industria, Religio „ aut devotio, à primo die quo fides Christi „ sedem fixit in illo regno, per tot retrò sæcula condiderat, constituerat, congregaverat, „ aut elargita fuerat in Religionis Christianæ cultum, sub viris monasticis, aut fœminis „ regularem vitam profitentibus, id totum „ absorpsit *Henrici* libido, brevissimo tempo- „ ris spatio terminata: ad unius enim anni voluptates non sufficiebat". Catalogum omnium prædictarum Ecclesiarum, ab Henrico, ut præfertur, confiscatarum ac expilatarum, contextum habes ad calcem Historiæ Ecclesiasticæ Anglicanæ Nicolai Harpsfeldij cum singularum Ecclesiarum valore annuo illius temporis, ascendente ultra 320180. libras Sterlingas, quæ in florenis conficiunt decuplum amplius; siquidem unaquæque libra Sterlinga continet florenos decem. Huic porrò summæ annuorum proventuum addenda est ea, quam ex sacra supellectile & omnibus destructarum Ecclesiarum mobilibus idem Henricus corrasit. Sed quo successu? Audi ex eodem Sandero, ibidem Paulò inferiùs subdente:" Ostendere voluit misericors & „ justus Deus, quàm ipsi invisæ sibi fuerint, & „ quàm ipsi Regi in hoc etiam Mundo inuti- „ les, omnes istæ rapinæ quas de Ecclesia „ Christi fecerat. Cùm enim tot ac tanti „ monasteriorum in Anglia thesauri essent, „ ut eorum vel decima pars etiam avarissimi „ Regis mentem explere potuisset; tamen „ *Henricus* cùm thesauros ubique omnes, cùm „ cruces argenteas, aureas, omniaque sacra „ vasa, cùm altarium ornamenta, cùm omnem „ supellectilem penè mille monasteriorum, „ cùm omnia prædia, fundos, fructus, jura, „ & actiones in suam potestatem redegisset, „ cùm prætereà decimas & annatas omnium „ beneficiorum, per universam Angliam exigeret; & adeò cùm ipsum plumbum, ligna, „ atque lapides monasteriorum ubique venderet, ex eoque debuisset in æternum om- „ nia civibus suis tributa & vectigalia remisisset (id quod se facturum simulabat, ut ci- „ ves eò libentiùs in monasterijs evertendis „ libidini ipsius assensum præberent) imò „ cùm debuerit quocunque Christiani orbis „ Rege, argenti præsertim & auri ditior extitisse: tamen adeò in contrarium ea res ex „ Dei justissimâ voluntate cessit, ut multò „ pauperior intra paucos annos post expilationem istam fuerit, quàm unquam antè aut „ ipse, aut Majores ejus fuerint. Quin ille solus, ut ex ijs quæ in hac historia narrantur, „ & ex Actis Regum Angliæ, Annalibusque „ constat, plura tributa & vectigalia civibus „ suis imposuit, quàm omnes simul Reges „ per quingentos anteà annos fecerant. „ Cùmque, stantibus adhuc monasterijs, vulgò Pseudoevangelici & impij adulatores „ jactitarent, *Neminem in Anglia pauperem deinceps fore, si semel claustra sacra disrumperentur,* „ *& thesauri quibus Abbates incubarent, prædia-* „ *que & agri quibus pauci tam monachi alerentur,* „ *in manus plurium devenirent*: adeò nihil eorum „ reipsâ extitit, ut pro singulis qui anteà ostiatim victum quæritabant, nunc viginti ut „ minimùm non modò idem vitæ genus sequantur, sed etiam quod miserrimè quæritant, vix & ne vix inveniant. Quid, quòd „ cùm pecunia numerata ex tam puro argen- „ to eatenùs in Angliâ constitisset, ut non nisi „ undecima ferè pars ex cupro & stanno adderetur, idque moderandi & commiscendi causâ, quò faciliùs characterem im- „ pressum susciperet; post illum diem per „ gradus quosdam ab *Henrico* inchoatos eò „ res demùm redacta est, ut tandem vix duæ „ argenti unciæ cum undecim cupri & stanni commixtæ reperirentur" ? Quo sanè exemplo satis ostenditur, Ecclesiastica bona non malè assimilari tineæ exedenti pannum, cariei consumenti lignum, rubigini erodenti ferrum, & plumæ aquilinæ devoranti aliarum avium pennas. Interest tamen illud in postremâ istâ analogiâ, quòd pluma aquilina sic devoret alias pennas, ut ipsa

T. Aug. l. 2. de Peccatorum meritis cap. 16. Heb. 12. 6.

V. Sander. l. 1. de Schismate Angl.

Harpsfeld.

Sanderus.

ipsa permaneat incolumis: bona verò Ecclesiastica profanis admixta & se absumant & illa: prout Anglicano exemplo mox relato planum est.

CAPVT LXVI.

Hagiomachis accensentur qui Sanctorum beatitudini post Ecclesiæ decisionem refragantur. Calumniosè Calvinus Ioanni XXII. Papæ affingit, quòd animas cum corporibus interire, & cum iisdem resurgere senserit. Error absque pertinacia ad hæresim non sufficit, cum pertinaciâ in materia fidei sufficit. Nullus Pontificum usque ad Benedictum XII. definivit animas plenè purgatas confestim adipisci gloriam, nec ulla œcumenica Synodus usque ad Florentinam. In Pontificum ac Synodorum Decretis non omnia definiuntur, quæ inseruntur; sed ea duntaxat quæ tanquam necessariò credenda vel suscipienda proponuntur. Veterum tractatorum super animarum purgatarum beatitudine in finem usque sæculi differendâ sententiæ ambiguæ proferuntur, & partim excusantur, partim explicantur. Benedicti XII. & Synodi Florentinæ definitiones recensentur, & elucidantur. Sanguis Christi clavis paradisi. Ioannis XXII. Diploma pridie mortis emissum. Providentissima cura Numinis pro inerrantia Apostolici Præsulis; quem mavult de vita auferre, quàm sinere falsum definire.

CCLIII. PRo complemento superioris doctrinæ referendus ac refellendus est hoc loco quorundam tam priscorum quàm neotericorum error, contendentium, animas justorum quantumlibet sanctè defunctorum nequaquàm admitti ad beatificam Dei visionem ac fruitionem, nisi demùm in consummatione sæculi. Quem errorem Vigilantio hæresiarchæ attribuit Hieronymus: [W] Tu, inquiens ei, „Apostolis vincula injicies, ut usque in diem „Judicij teneantur custodiâ, nec sint cum Do„mino suo, de quibus scriptum est, *Sequuntur agnum quòcunque vadit*"? Eundem errorem Fratricellis adscribit Prateolus lib. 6. Elenchi hæresum c. 13. necnon Armenis ibidem lib. 1. c. 67. & item Græcis lib. 7. cap. 15. Eundem quoque errorem Lutheranis impingit Staphylus, allegans eam in rem Prælectiones Lutheri in Genesim: [X] Affirmant, inquit, quòd ani„mæ Sanctorum non nisi post resurrectio„nem possint frui cælesti patriâ & conspe„ctu Dei: sed eas retineri in aliquo loco, „in quo quasi quiescant; Sanctorum qui„dem animæ suaviter, damnatorum verò irrequietè & formidolosè". Inter cæteras novellas Sectas de Lutheranismi radice pullulantes Lindanus numerat Augustinianos, de quibus sic scribit in suo Dubitantio: [Y] Augu„stiniani, à quodam Augustino Bohemo dicti, „qui nugabatur cælum nondum reseratum, „sed hominibus occlusum fore usque ad extremum diem". Calvinus quoque eidem errori eatenùs favet, quatenùs oppositæ veritatis certitudinem negat, dicens: [Z] Valdè „se torquent multi disputando quem lo„cum occupent (*animæ justorum separatæ*) & „an cælesti gloriâ jam fruantur, necne. At„qui stultum & temerarium est de rebus in„cognitis altiùs inquirere, quàm Deus nobis scire permittat". Qui tamen paulò pòst ibidem, quasi istius suæ censuræ immemor, animarum beatitudinem in adventum usque Christi extremum censet differendam: "Intereà, inquiens, quùm Scriptura ubiq; jubeat „pendêre ab expectatione adventûs Christi, & „gloriæ coronam eousque differat, contenti si„mus his finibus divinitùs nobis præscriptis: „animas piorum militiæ labore perfunctas in „beatam quietem concedere, ubi cum felici „lætitia fruitionem promissæ gloriæ expe„ctant: atque ita omnia teneri suspensa, donec Christus appareat Redemptor". Mirum porrò est quâ impudentiâ hic ipse Calvinus finxit ibidem superiùs cap. 7. §. 28. Joannem XXII. Summum Pontificem, *Palàm asseruisse animas esse mortales, unàque cum corporibus interire usque ad diem resurrectionis.* Nihil enim horum unquam Joannes Pontifex asseruit, vel clàm quidem: nisi fortè Calvino eadem sint, negare animas videre Deum usque ad diem resurrectionis, & asserere eas esse morta-

W. Hieron. lib. contra Vigilantium cap. 2.

Apoc. 14. 4.

Prateolus. Vide D. Th. lib. 4. contra Gent. c. 91.

X. Frideric. Staphylus in Epit. Theologiæ Lutheranæ trimemb. p. 2.

Y. Lindan. in Dubitantio Dialog. 2. c. 4.

Z. Calvin. lib. 3 Instit. c. 25. §. 6.

Vide Bzoviū ad An. 1316. nu. 10.

mortales unaque cum corporibus interire usque ad diem resurrectionis. Quòd si hæc sunt Calvino eadem, profectò ipse Calvinus palàm asseruit istud secundum; quippe qui, ut mox vidimus, palàm asseruit illud primum. Quâ ergò fronte Pontificem insimulat illius erroris, cujus ipse per eandem ambagem reus convincatur? Cæterùm quoad ipsum errorem retardantem animarum beatitudinem usque in sæculi consummationem, ingens est discrimen inter Joannem Pontificem, & Calvinum calumniatorem ejus. Pontifex enim eum tenuit nondum tunc ab Ecclesia damnatum, Calvinus autem post damnationem: atque adeò ille eum tenuit absque pertinacia, iste cum pertinacia; ille eum tenendo permansit Catholicus, iste evasit hæreticus: A. Aliter sapere quàm res se habeat, inquit Augustinus, humana tentatio est: nimis autem amando sententiam suam, vel invidendo melioribus, usque ad præcidendæ communionis & condendi schismatis vel hæresis sacrilegium pervenire, diabolica præsumptio est: in nullo autem aliter sapere quàm res se habet, Angelica perfectio est. Qui igitur homines sumus, sed spe Angeli sumus, *quibus æquales in resurrectione futuri sumus*, quamdiu perfectionem Angeli non habemus, præsumptionem diaboli non habeamus: ideò dicit Apostolus, *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana*. Humanum est ergò aliquid aliter quàm se res habet sapere". Joannem quidem Pontificem apprehendit tentatio, sed humana: quia errorem de animarum beatitudine usque in sæculi consummationem differendâ aliquandiu tenuit; sed tamen pridiè quàm moreretur, exemplari animi submissione sensum suum determinationi Ecclesiæ subdidit. Calvinum verò non humana tentatio apprehendit, sed diabolica præsumptio abripuit, & usque ad præcidendæ communionis & condendæ hæreseos sacrilegium præcipitavit. Cùm enim Benedictus XII. primùm, ac deindè Florentina Synodus, Catholicam sententiam de non retardanda animarum plenè purgatarum beatitudine definivissent, oppositumque errorem condemnassent, prælegit Calvinus hæresim prædamnatam potiùs refovere, quàm Ecclesiæ determinationi acquiescere. Sed nec hoc contentus, Joanni Pontifici alienum errorem, dissimulato proprio, impudenter affinxit; quasi is censuisset animas unà cum corporibus interire, cùm non aliud censuerit quàm earum beatitudinem usque ad corporum resumptionem differri. Quod quidem falsum semper fuit, sed nondum tunc hæreticum fuit, quia nondum tunc oppositum ab Ecclesia definitum fuit. Quamvis enim pridem ante Joannem XXII. Innocentius III. crebrò oppositum astruxerit, prout patet ex cap. *Cùm Martha*, de Celebratione Missarum, & cap. *Maiores*, de Baptismo & ejus effectu, & cap. *Apostolicam*, de Presbytero non baptizato: non tamen definiendo, sed doctrinaliter asserendo astruxit. Nec refert quòd illa ejus assertio Corpori Juris inserta habeatur: tum quia non inseritur Corpori Juris tanquam decisio quæstionum Pontifici directè propositarum, sed incidenter adjicitur: tum denique quia etiamsi priori modo insereretur, non eo ipso censeri deberet definitio fidei cathedraliter à Pontifice facta: prout contra Alphonsum à Castro lib. 1. adversùs hæreses cap. 4. rectè monet Bannez in 2. 2. quæst. 1. art. 10. Dub. 2. Conclus. 5. ad 7. ubi & notas quasdam tradit, quibus dignosci queat utrùm assertiones Pontificum sive in Concilijs, sive extra Concilia, habeant vim definitionum, necne. Qua de re videri quoque potest Melchior Canus lib. 5. de locis Theologicis cap. 5. q. 4. Et rursùs lib. 8. cap. 5. Notanda item in eam rem est illa Bellarmini de Conciliorum Actis regula, quæ etiam Pontificum Decretalibus Epistolis applicari cum proportione potest: B. In Concilijs, ait ille, maxima pars Actorum ad fidem non pertinet: non enim sunt de fide disputationes quæ præmittuntur, neque rationes quæ adduntur, neque ea quæ ad explicandum & illustrandum adseruntur, sed tantùm ipsa nuda Decreta, & ea non omnia, sed tantùm quæ proponuntur tanquam de fide".

A. Aug. l. 2. de Baptismo contra Donat. cap. 5.
Luc. 20. 36.
1. Cor. 10. 13.
Vide Villanum lib. 11. Hist. Floren. c. 19 & Bzovium anno Christi 1334 num. 8.
Vide Diploma Benedicti XII. apud Bzovium Anno 1336. n. 9. & Synod Floren. in Definit. fidei Sess. ultimâ, & Alphonsum à Castro lib 3. ad vers. hæreses verbo Beatitudo, Hæres. 6.
Innoc. III.
PRÆOCCVPATIO.
Castro.
Bannez.
Vide Wiggers in 2. 2. q. 1. Dub. 3. n. 202.
Canus.
B Bellarm. l. 1. de Concilijs c. 12.

CCLIV. Cæterùm tantò excusabilior fuit ille Joannis Pontificis error, quantò plures ac clariores videbatur habuisse è priscioribus Scriptoribus patronos; quorum aliqui reverâ, alij saltem apparenter ei favebant, vel certè de ejus veritate ambigebant: ut inprimis Justinus Martyr, vel quisquis alius author extiterit Responsionum ad quæstiones Gentilium, qui disertè negat, C. Ante resurrectionem cuiquam contingere anteactæ vitæ retributionem". Consonare videtur Irenæus: D. Cùm enim, inquiens, Dominus in medio umbræ mortis abierit, ubi animæ mortuorum erant, pòst deindè corporaliter resurrexerit, & post resurrectionem assumptus sit; manifestum est, quia & discipulorum ejus, propter quos & hæc operatus est Dominus, animæ abibunt in invisibilem locum, definitum eis à Deo, & ibi usque ad resurrectionem commorabuntur, sustinentes resurrectionem: pòst recipientes corpora, & perfectè resurgentes, hoc est, corporaliter, quemadmodùm & Dominus resurrexit, sic venient ad conspectum Dei:

C. Justin. Respons. ad q. 60. ad orthodoxos. Vide Resp. ad q. 75. & 76.
D. Iren. l. 5. cap. 31.

Nemo

Mat. 10. 24.
Tertullian.

Nemo enim est discipulus super magistrum". Favet quoque compluribus locis Tertullianus, ut Apologetici cap. 47. & lib. de Anima c. 7. 9. 55. 56. & 58. & lib. de Resurrectione carnis cap. 17. & in Scorpiaco cap. 12. & lib. de Judicio Domini cap. 11. & in Fragmento libri de Paradiso, & lib. 3. contra Marcionem cap. 24. & lib. 4. cap. 34. Quo postremo loco ait: "Eam itaque regionem *sinum Abraha* dico, etsi non cælestem, sublimiorem tamen Inferis, interim refrigerium præbituram animabus justorum, donec consummatio rerum resurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat: tunc apparitura cælesti promissione". Tertulliano hac in re consonat Novatianus lib. de Trinitate cap. 1. His omnibus vetustior Clemens Romanus: [E] Eorum, inquit, qui non ad integrum potuere explere normam justitiæ, sed aliquas in sua carne malitiæ reliquias habuere, corpora quidem resolvuntur, animæ verò servantur in bonis lætisque regionibus, ut in resurrectione mortuorum cùm corpora sua receperint, ipsa jam resolutione purgata, pro his quæ benè gesserant, æternâ hæreditate potiantur". Allegatur quoque pro eadem sententia Jacobus Apostolus in sua Liturgiâ, ubi orat pro Sanctis in cælum recipiendis, utique supponens eos nondùm ibi esse. Sic enim scribit: "Domine Deus noster memento omnium orthodoxorum, ac rectè de fide sentientium, ab Abel justo usque ad hodiernum diem: fac eos requiescere in regione viventium, in regno tuo, in delitijs paradisi". Citatur item in eandem rem Origenes, quatenùs ait in Periarchis: [F] Puto quòd Sancti discedentes de hac vita permaneant in loco aliquo in terra posito, quem *paradisum* dicit Scriptura divina, velut in quodam eruditionis loco, &, ut ita dixerim, auditorio vel scholâ animarum, in quo de omnibus his quæ in terris viderant erudiantur". Qui rursùs Homil. 7. in Leviticum: "Nondum, inquit, receperunt lætitiam suam, ne Apostoli quidem; sed & ipsi expectant, ut & ego lætitiæ eorum particeps fiam. Neque enim decedentes hinc Sancti, continuò integra meritorum suorum præmia consequuntur: sed expectant etiam nos, licèt morantes, licèt desides". Cui consonans Lactantius: [G] Nec quisquam putet, inquit, animas post mortem protinùs judicari: omnes enim in una communique custodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus Judex meritorum faciat examen. Tum quorum fuerit probata justitia, ij præmium immortalitatis accipient: quorum autem peccata & scelera detecta; non resurgent, sed cum impijs in easdem tenebras recondentur, ad certa supplicia destinati". Et rursùs capite proximè sequenti; loquens de novissimo Christi ad judicandum adventu: "Deus veniet, inquit, ut orbe hoc ab omni labe purgato, redivivas justorum animas, corporibus innovatis; ad sempiternam beatitudinem suscitet". Favere videtur Hilarius Pictaviensis, cùm ait: [H] Humanæ ista lex necessitatis est, ut sepultis corporibus ad inferos animæ descendant. Quam descensionem Dominus ad consummationem veri hominis non recusavit". Consonare videtur & Chrysostomus, dum expendens illam Apostoli sententiam, *Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*, ita scribit: [I] Quid dicis, ô Paule? Quomodò in hac vita sperantes sumus, si corpora non resurgunt; cùm maneat anima, & sit immortalis? Quoniam etsi maneat anima, & millies sit immortalis, sicut reverâ est, absque carne non accipiet bona illa ineffabilia, sicut neque punietur". Et post pauca rursùs ibidem: "Si non resurgit corpus, incoronata manet anima extra illam beatitudinem quæ est in cælis". Et Homil. 28. ad Hebræos: "Cogitate, inquit, quid & quantum sit, sedere Abraham & Paulum Apostolum expectantes quando tu consummeris, ut tunc possint accipere mercedem. Nam nisi quoque adfuerimus, prædixit eis Servator se non daturum: sicut pater benevolus dicit probis filijs qui opus confecerunt, se non daturum quod edant, nisi venerint eorum fratres. Tu autem anxius es, quòd mercedem nondum acceperis? Quid ergò faciet Abel, qui ante omnes vicit, & adhuc incoronatus sedet? Quid Noë? Quid cæteri illorum temporum, qui te, atque alios post te futuros præstolantur"? Chrysostomi discipulus Isidorus Pelusiota magistrum imitatus: [K] Per id, inquit, quod *vivos & mortuos judicandos esse* ait Scriptura, illud significatur fore, ut anima & corpus simul in judicium veniant, nec alterum ab altero sejungatur; sed quemadmodùm in hac vita communem conjunctionem habuerunt, ita etiam futurum judicium subeant". Consonat Theodoretus, quatenùs loquens de veteribus Sanctis: [L] Horum, inquit, tot & tanta fuerunt certamina, sed hi tamen nondùm coronas acceperunt, expectat enim universorum Deus aliorum certamina, ut soluto stadio omnes simul qui vicerint victores renunciet". Consimili modo loquitur Theophilactus in caput 5. & 11. ad Hebræos, necnon in caput 23.

Left margin notes:
Novatianus
E. Clemens Roman. ex persona B. Petri lib. 1. Recognit.
Iacobi Liturgia.
F. Orig. l. 2. Periar. c. 12. Vide lib. 4. cap. 2.
G. Lactant. lib. 7. c. 21.

Right margin notes:
H Hilar. in Psalm. 138.
1. Cor. 15. 19.
I. Chrysost. Homil. 39. in priorem ad Corinth. Vide Sixtum Senens. l. 6. Bibliot. Annotat. 264. & 145. & Vellosillum in Advert. super tomo 4. Chrysostomi q. 11.
K Isid. Pelus. lib. 1. Epist. 222.
Act. 10. 42.
L Theodor. in c. 11 ad Hebræos.
Theophil.

Lucæ 21 43. Lucæ ad illa verba, *Hodie mecum eris in paradi-*
Euthymius. *so*; quem ibidem sequitur Euthymius, & re-
Græci. centiores passim Græci, usque ad tempora Sy-
nodi Florentinæ, quæ finem præsenti contro-
versiæ, à Benedicto XII. pridem alioqui deci-
Suarez. sæ, imposuit. Falsò autem asserit Suarez in
1. 2. Tract. 1. Disp. 13. Sect. 1. n. 7. eandem
controversiam sive ab Innocentio III. sive à
Synodo Francofordiensi fuisse definitam;
prout de Innocentio quidem jam superiori §.
ostendimus, & de Francofordiensi Synodo
idipsum claret ex inspectione textûs, ubi ne
leve quidem vestigium ejusmodi definitionis
apparet. Quod & ipse Suarez n. 8. ibidem
tacitè agnoscit, quatenùs in purgando Joan-
nem XXII. à nota hæreseos, nihil prorsùs ad
Vide Salas in 1. 2. Tract. 8. Disput. 10. Sect. 7. n. 56. definitionem illius Synodi respondet: cùm
tamen ad prætensam Innocentij definitionem
respondeat, dicendo: " Innocentius in illis
„ Decretis non definivit ex professo hanc ve-
„ ritatem, sed obiter, & quasi aliud agens:
„ unde ejus assertio non erat habita ut defi-
„ nitio fidei; vel non erat intellecta de clara
„ Dei visione, sed de regno cælesti cum Chri-
„ sto Domino, de quo potuerunt intelligi sine
„ aperta hæresi Sanctorum testimonia, cùm
„ non essent satis ab Ecclesia declarata; præ-
„ sertim cùm sint alia testimonia Scripturæ
„ Sacræ, quæ occasionem præbere potuerunt
ad contrarium opinandum".

CCLV. Præter authores proximò Para-
grapho recitatos, multi alij solent pro excu-
sando Joanne XXII. à nota pertinaciæ alle-
M Ambr. l. 2. de Abel & Cain. cap 2. gari: ut inprimis Ambrosius, qui ait: M. Sol-
„ vitur corpore anima: & post finem vitæ hu-
„ jus adhuc tamen futuri judicij ambiguo sus-
„ penditur. Ita finis nullus, ubi finis puta-
tur". Qui rursùs lib. de Bono mortis cap. 10.
" Coronæ dies, inquit, expectatur ab omni-
„ bus, ut intra eum diem & victi erubescant,
„ & victores palmam adipiscantur victoriæ".
Et rursùs ibidem post pauca: " Ergò, inquit,
„ dum expectatur plenitudo temporis, expe-
„ ctant animæ remunerationem debitam: alias
manet pœna, alias gloria". Ambrosio hac in
re subscribere videtur Augustinus, Magistro
discipulus: qui hominem ad jugiter vigilan-
N. August. Concione 1. in Psalm. 36. Vide conc. 1. in Psalm 48. & in Psalm. 85 & Tract. 49. in Ioan. & lib. de Spir & lit. c. 24. & lib. de Cura pro mortuis cap 3. dum exhortans, ait ei: N. Longè sit dies Iudi-
„ cij, quando erit retributio injustorum &
„ justorum: tuus certè dies ultimus longè ab-
„ esse non potest. Ad hunc te præpara: qua-
„ lis enim exieris de hac vita, talis redderis
„ illi vitæ. Post vitam istam parvam nondum
„ eris ubi erunt Sancti, quibus dicetur, *Venite*
„ *benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis*
Mat. 25. 34. „ *paratum est ab initio Mundi.* Nondum ibi eris,
„ quis nescit? Sed jam poteris ibi esse, ubi il-
Luc. 16. 23. „ lum quondam *ulcerosum pauperem dives ille su-*
„ *perbus & sterilis in medijs suis tormentis vidit à*

„ *longè requiescentem.* In illa requie positus,
„ certè securus expectas Judicij diem, quan-
„ do recipias & corpus; quando immuteris,
ut Angelo æqueris". Et rursùs Enchiridij
cap. 109. " Tempus, inquit, quod inter ho-
„ minis mortem & ultimam resurrectionem
„ interpositum est, animas abditis receptacu-
„ lis continet; sicut unaquæque digna est vel
„ requie, vel ærumnâ, pro eo, quod sortita
est in carne, cùm viveret". Et lib. 12. de Civit.
c. 9. eadem animarum piè separatarum *recepta-*
cula commemorat. Rursùs lib. 1. Retract. c. 14.
" Illud beatissimos facit, inquit, quod ait
„ Apostolus, *Tunc autem facie ad faciem, & Tunc* 1. Cor. 13. 12.
„ *cognoscam sicut & cognitus sum.* Qui hoc inve-
„ nerunt, ipsi dicendi sunt in beatitudinis
„ possessione consistere, ad quam ducit via
„ fidei quam tenemus, & quà credendo cu-
„ pimus pervenire. Sed quinam sint illi bea-
„ tissimi, qui jam sunt in illa possessione quò
„ ducit hæc via, magna quæstio est. Et An-
„ geli quidem Sancti quòd ibi sint, nulla quæ-
„ stio est; sed de sanctis hominibus jam de-
„ functis, utrùm ipsi saltem dicendi sint jam
„ in illa possessione consistere, meritò quæ-
„ ritur. Jam enim corpore corruptibili, *quo* Sap. 9. 15.
„ *anima aggravatur*, exuti sunt; sed adhuc ex-
„ pectant etiam ipsi redemptionem corporis
„ sui, & caro eorum requiescit in spe, non-
„ dum in futura incorruptione clarescit. Sed
„ utrùm ad contemplandam cordis oculis ve-
„ ritatem, sicut dictum est, *facie ad faciem*, ni-
„ hil ex hoc minus habeant, non hic locus est
disputando inquirere". Et lib. 12. de Genesi
ad literam cap. 35. " Si quem movet, inquit,
„ quid opus sit spiritibus defunctorum cor-
„ pora sua in resurrectione recipere, si potest
„ eis etiam sine corporibus summa illa beati-
„ tudo præberi; difficilior quidem quæstio
„ est, quàm ut perfectè possit hoc sermone
„ finiri. Sed tamen minimè dubitandum est,
„ & raptam hominis à carnis sensibus men-
„ tem, & post mortem ipsam carne depositâ,
„ & transcensis etiam similitudinibus corpo-
„ ralium, non sic videre posse incommutabi-
„ lem substantiam, ut sancti Angeli vident:
„ sive aliâ latentiore causâ, sive ideò quia in-
„ est ei naturalis quidam appetitus corpus ad-
„ ministrandi; quo appetitu retardatur quo-
„ dammodò ne totâ intentione pergat in il-
„ lud summum cælum, quamdiu non subest
„ corpus, cujus administratione appetitus ille
conquiescat". Hâc Augustini ratione per-
motus Bernardus eidem sententiæ subscri-
bere videtur, dum animas sanctas inducit
clamantes, *Vindica Domine sanguinem Sanctorum* Apoc. 6. 10.
tuorum qui effusus est: ac tum subdit: O. Non O. Bernard. Serm. 2 de
„ tanquam vindictæ cupidi, nec de pro- Festiv. om.
„ priæ ultionis zelo; sed ex desiderio resur- Sanctorum. Vide eund.
rectionis, Ser. 4. ibid.

„ rectionis, & glorificationis corporum suorum clamant, quam nimirùm usque in diem Judicij differendam esse non dubitant. Sed unde hoc tibi, ô misera caro, ô fœda, ô fœtida, unde hoc tibi? Animæ sanctæ, quas propriâ Deus insignivit imagine, te desiderant; quas redemit proprio sanguine, te exspectant: & ipsarum sine te compleri lætitia, perfici gloria, consummari beatitudo non potest. Adeò siquidem viget in eis desiderium hoc naturale, ut necdum tota eorum affectio liberè pergat in Deum, sed contrahatur quodammodò, & rugam faciat, dum inclinantur desiderio tui". Negat quoque idem Bernardus ibidem animas ingredi in domum Dei, usque ad corporum suorum resumptionem; sed interea hærere in atrio. Cui consonans Hugo Victorinus, eidem Bernardo contemporaneus:

P. Hugo Victor. lib. 4. Miscell. cap. 17.

P. Triplex, inquit, est status sanctarum animarum: primus in corpore corruptibili; secundus sine corpore, tertius in corpore jam glorificato: primus in militia, secundus in requie, tertius in beatitudine: primus in tabernaculis, secundus in atrijs, tertius in domo Dei: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum!* multò magis atria concupiscibilia, juxta illud, *Melior est dies una in atrijs tuis super millia: concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Sed quoniam in ipsis atrijs aliquis defectus est, *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Et *lætatus sum*, inquit alibi, *in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* In primis est Ecclesia non sine macula & ruga: *Si enim dixerimus quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* In secundis est sine macula: *sine macula sunt*, inquit, *ante thronum Dei*; nondum tamen sine ruga: adeò enim viget in eis desiderium domûs Dei, in qua vestiantur duplicibus, ut necdum illorum recta intentio tendat in Deum; sed quodammodò retrahatur, & rugam faciat, cùm clament desiderio inclinati, *Vindica Domine sanguinem Sanctorum tuorum qui effusus est*: non tanquam vindictæ cupidi, sed desiderio resurgendi; quod differendum est usque ad diem Judicij. In tertijs verò *exhibet Dominus Ecclesiam sine macula & ruga.* In tabernaculo habitat justitiam operans, in atrio sine macula ingrediens: unde Prophetæ quærenti, *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Respondetur, *Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam.* Quasi dicat: Hic requiescit in monte sancto tuo, qui operatur justitiam, & qui ingreditur sine macula. In tabernaculo igitur semper inest macula aliqua vetustatis, & ruga alicujus necessitatis: in atrijs removetur peccati macula, remanente aliquâ constrictionis rugâ, dum accipiunt tantùm singulas stolas, sed non vestiuntur duplicibus, donec recipiant corpora, & impleatur numerus fratrum: donec vestiamur & nos pariter, sicut de Patriarchis ait Apostolus, *Deo pro nobis melius aliquid disponente, ut non sine nobis consummarentur.* In domo aufertur penitùs macula & ruga, quando *extenditur cælum sicut pellis*, & dilatatur; ut nec minima in eis inveniatur macula aut ruga".

Psalm. 83. 2. — Ibid. v. 11. — Ibid. v. 3. — Ibid. v. 5. — Psal. 121. 1. — 1. Joan. 1. 8. — Apoc. 14. 5. — Apoc. 6. 10. — Ephes. 5. 27. — Psalm. 14. 1. — Ibid. v. 2. — Heb. 11. 40. — Psalm. 103. 2.

Rursùs idem author superiùs lib. 2. Miscellaneorum cap. 115. tractans de iisdem tribus animarum habitaculis, apertè indicat animas Sanctorum non nisi demùm resumptis corporibus intromitti in domum Dei, & contubernium Angelorum ibidem habitantium: "Tria sunt, inquiens, mansionum genera, tabernacula, atria, & domus. In tabernaculis sunt omnes justi in carne viventes & laborantes: quia tabernacula laborantium sunt & militantium. Tabernaculum verò habet tectum, sed fundamento caret, & portatile est: quia justi in præsentibus non sunt fundati, sed inquirunt civitatem de sursùm fundamenta habentem. Fides etiam eorum, quæ est fundamentum, non est in terrenis, sed in Domino tectum habet, id est, munimentum gratiæ, & protectionem. Atria sunt domui vicina, amplitudinem habentia. In illis sunt animæ sanctæ corporibus exutæ, quæ in latitudine sunt, depositâ carnis angustiâ. Atria habent fundamentum, sed non tectum: quia animæ quæ in amore Dei sunt, non ruunt: unde *stantes erant pedes nostri in atrijs tuis*; sed non habent tectum, adhuc sperantes augmentum, quod non erit nisi in resurrectione corporum suorum. Post ipsam sanè resurrectionem cum Angelis erunt in domo, quæ habet fundamentum & tectum. Fundamentum est stabilitas æternæ beatitudinis, tectum consummatio & perfectio ipsius".

Psal. 121. 2.

CCLVI. Ex his, & alijs aliorum complurium veterum, quos recensere longum foret, testimonijs apparet, Joannem XXII. potuisse absque nota hæreticæ contumaciæ sentire animarum beatitudinem usque ad extremam corporum resurrectionem differri. Cùm enim Ecclesia nihil adhuc tunc super ea controversia definitivè resolvisset, & tot ac tanti Tractatores eandem cum Pontifice Joanne sententiam vel reverâ, vel magnâ saltem cum apparentia tenuissent, vel denique de ea dubitassent: planum est Joannem potuisse salvâ fidei integritate eandem amplecti. Sed longè dispar est conditio modernorum Sectariorum, qui post iteratam Ecclesiæ decisionem non resipiscunt, sed in veteri

veteri errore damnabiliter adhuc persistunt. Frustrà autem pro velo suæ pertinaciæ obtendunt veterum Tractatorum suffragia; nam etsi nonnulli veterum præformaverint eis dictum errorem; ut Pseudo-Justinus, Tertullianus, Novatianus, Lactantius, Victorinus, Aretas, Euthymius; non tamen præformarunt eis pertinaciam, in præsenti saltem puncto. Quod ultimum addo; propter Tertullianum qui in alijs quidem materijs pertinaciam erroribus admiscuit, sed tamen in hac materia occasionem non habuit, cùm nondum tunc fuerit error iste ab Ecclesia reprobatus. Idem quoque de Novatiano dici potest. Circa Clementem Romanum ex libris Recognitionum objectum notanda est censura Cardinalis Bellarmini:

Q. Bellarm. l. de Script. Eccl. in Clemente.

Q. In Recognitionibus, ait ille, describuntur itinera Sancti Petri, & Sancti Clementis; & admiscentur disputationes ex media Platonis Philosophia depromptæ, quas nullo modo credibile est Sancti Petri esse". Cæterùm, ut admittamus verba objecta reverà esse Clementis, vel Petri à Clemente relati, equidem exponi possent ad eum modum quo alij authores ibidem subsequenter vel antecedenter adducti. Modum verò istum indicat Feuardentius, occasione Irenæi, cujus locum §. 254. à nobis descriptum hac Notâ illustrat:

R. Feuard. in Notis ad Iren. lib. 5. cap. 31.

R. Ob hunc locum obscu-
„ rum, & cognitioni minùs obvium, fateor,
„ multi existimaverunt Irenæum cum ijs sen-
„ tire, qui negant animas Sanctorum facie
„ ad faciem, ut dicitur, Deum videre ante
„ diem resurrectionis & Judicij: id quod dis-
„ simulandum potiùs, quàm nimiùm petu-
„ lanter exagitandum erat: præcipuè quo-
„ niam hac de re nondùm sententiam Eccle-
„ sia tulisset, uti posteà fecit contra errores
„ Armenorum in universali Concilio Flo-
„ rentino. Mihi autem non facilè in ani-
„ mum induxerim, Irenæum hoc sensisse:
„ nec satis etiam apparet unde id colliga-
„ tur. Prætereà sibi non constaret, sed pu-
„ gnantia scriberet: nam libro 1. capite
„ 63. ex narratione de Lazaro & Divite,
„ concludit, animas defunctorum dignam
„ habitationem nancisci etiam ante Judi-
„ cium: quod & Notatiunculâ ibidem spar-
„ simus, item libro 1. capite 2. & libro
„ 4. capite 43. Deinde non decet nos ei
„ esse iniquiores judices, quàm Augustino,
„ quem nullus ad hoc tempus, quod sciam,
„ hac maculâ fœdavit: qui tamen animas
„ Sanctorum nunc *abditis receptaculis contineri*
„ *tempore quod inter hominis mortem & ultimam*
„ *resurrectionem interpositum est*: nunc, *nondum*
„ *esse ubi erunt, quando eis dictum fuerit, venite be-*
„ *nedicti &c.* mox, *secretis receptaculis sedibusque*
„ *ad tempus requiescere*: mox, *non sic videre in-*
„ *commutabile bonum, ut Sancti Angeli vident*:
„ alibi, *eas adhuc expectare redemptionem corporis*
„ *sui*, literis sæpenumerò commendavit: quo-
„ niam apud eundem alia inveniuntur testi-
„ monia, quæ comprobant, easdem Sancto-
„ rum animas ante resurrectionem, merce-
„ dem bonorum æternorum, & gaudium cæ-
„ lestis patriæ percipere, stareque ante thro-
„ num Dei, & in conspectu agni, atque nul-
„ lâ ratione à contemplatione ejus gloriæ
„ posse separari. Vult igitur Irenæus, prout
„ captus est meus & piè assequi possum, bea-
„ torum animas nondum potiri regni illius
„ perfectâ summâque felicitate, sed quasi
„ imminutâ & dimidiatâ loco à nostris sen-
„ sibus nostrâque experientiâ remotissimo,
„ cùm longè ampliora inposterum recipien-
„ da supersint præmia in adventu Domini:
„ in quo corpora, quorum maximo desiderio
„ tenentur & afficiuntur, immortalia jam-
„ jam reddita, subtilia, perlucida, & nun-
„ quam patibilia, secum in conspectu Dei
„ asportabunt: sicque duplici stolâ & coro-
„ nâ induti ac coronati, cum Christo sempi-
ternè regnabunt". Atque hic modus conciliandi Tractatores, in speciem dissonantes super animarum beatitudine, placuerat jam pridem etiam Græcis in Synodo Florentinâ congregatis, prout patet ex historia eidem Synodo præfixa, in qua sic legitur: " Ad

Concilij Florent. Historia Præambula.

„ diem mensis Julij 16. feriâ 4. Imperatoris
„ mandato convenêre omnes Antistites in
„ Patriarchæ ædes, quò etiam ipse Impera-
„ tor profectus est, equo insidens. Sederunt-
„ que Præsules in plano, Imperator in solio,
„ Patriarcha verò suo more: collatisque in-
„ ter se consilijs & sententijs suis studiosè
„ exquisierunt, *An Sancti perfectam sint conse-*
„ *cuti beatitudinem, nec ne?* Et lectis hac de re
„ multis Sanctorum Scriptis, voluit Impe-
„ rator ut suam quisque sententiam scribe-
„ ret. Erat porrò aliquorum opinio, San-
„ ctos nondum esse consecutos beatitudi-
„ nem, quemadmodùm inquit Apostolus:
„ *Et hi omnes testimonio fidei probati non acce-*
„ *perunt repromissionem, Deo pro nobis melius ali-*
„ *quid providente, ut non sine nobis consumma-*
„ *rentur.* Alij verò dicebant, Sanctorum
„ animas perfectam adeptas esse beatitudi-
„ nem, & perfectè laureolam assecutas in
„ cælis, nulloque intermedio Trinitati as-
„ sistere. Nonnulli aliter asserebant, ani-
„ mas videre tantùm, ac modicùm lætari.
„ Accepit ergò Imperator scriptam cujus-
„ que confessionem ac sententiam: & mul-
„ tâ disquisitione habitâ eadem repetebant
„ ex matutino tempore usque ad horam
„ diei sextam: nam multa fuit hac de re
„ controversia. Ad extremum placuit Im-
„ peratori conventum fieri postridiè, deque

Heb. 11. 39. & 40.

,, eàdem agi materiâ. Itaque convenerunt
,, iterum die Julij 17. multumque super
,, ijsdem habuere sermonem. Declaratum
,, fuit demùm, Sanctos consecutos, & non
,, consecutos esse beatitudinem, hoc est, ani-
,, mas quidem ut animas ad perfectam per-
,, venisse beatitudinem: in resurrectione ta-
,, men perfectionem esse consecuturas cum
Mat. 17. 2. ,, proprijs corporibus, quando *fulgebunt ut sol*,
,, sive instar ejus lucis quâ in Monte Thabor
,, Dominus noster JESVS CHRISTVS *re-*
Greg. Protosyncellus. *splenduit*". His consona sunt quæ scribit Gre-
gorius Protosyncellus in Responsione ad
Epistolam Marci Ephesij, subjunctâ Actis
S. Definitio Synodi Florentinæ sess. 25. Synodi Florentinæ, quæ definierat, S. Illo-
,, rum animas, qui post baptisma susceptum,
,, nullam omninò peccati maculam incurre-
,, runt; illas etiam, quæ post contractam pec-
,, cati maculam, vel in suis corporibus vel
,, eisdem exutæ corporibus, sunt purgatæ, in
,, cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum
,, Deum trinum & unum, sicut est; pro me-
,, ritorum tamen diversitate alium alio perfe-
,, ctiùs: illorum autem animas, qui in actuali
,, mortali peccato, vel solo originali dece-
,, dunt, mox in infernum descendere, pœ-
nis tamen disparibus puniendas". Hoc ipsum
Benedictus XII. aliàs XI. jam pridem definierat Benedictus XII. cu-
jus Diploma extat apud Bzovium ad annum
1336. n. 9. Interest tamen, quòd Synodus
Florentina simpliciter definiat utramque
partem; Pontifex autem utrobique adjiciat
istam clausulam, *secundùm communem Dei ordi-
nationem*. Cæterùm tam ista Pontificis Be-
nedicti, quàm illa Synodi Florentinæ defi-
nitio, pro ea parte quâ animarum separa-
tarum beatitudinem concernit, intelligenda
est pro tempore novi Testamenti: Quamvis
enim animabus in peccato originali, vel
actuali mortali hinc migrantibus patuerint
semper atria Ditis: tamen ex quo primus hu-
mani generis parens prævaricando occlusit
sibi ac posteris portas cæli, nullus hominum
quantumvis sanctè defunctus aut plenè ex-
purgatus supernam beatitudinem, in faciali
Dei visione consistentem, assecutus est, us-
que ad Christi passionem: prout superiùs
cap. 57. §. 208. visum est: eòque spectat quod
Ecclesia canit Christo, *Tu devicto mortis aculeo
aperuisti credentibus regna cælorum*: & quod
T. Hieron. Epist. 129. Hieronymus scribit ad Dardanum: T. Hæc est
,, terra viventium, in qua Sanctis viris atque
,, mansuetis bona Domini præparantur:
,, quam ante adventum in carne Domini Sal-
,, vatoris nec Abraham, nec Isaac, nec Ja-
,, cob, nec Prophetæ & alij justi viri conse-
,, qui potuerunt. Denique & Abraham,
Luc. 16. 29. ,, licèt diversis locis, *cum Lazaro* videtur
Gen. 37. 35. ,, apud Inferos: & Jacob, vir justus, di-
,, cit, *lugens, & gemens descendam ad Infer-*
,, *num*: Sanguis Christi clavis paradisi est,
,, dicentis ad latronem, *Hodie mecum eris in
paradiso*". Luc. 23. 43

CCLVII. Ut igitur ad Joannem Vi-
gesimum secundum redeamus, falsò ei im-
pingitur à quibusdam quòd definierit sen-
tentiam decisioni Successoris sui Benedicti
XII. & Synodi Florentinæ contrariam.
Qua de re videri potest Estius In 4. Di- Estius.
stinctione 45. §. 6. & Bellarminus partim Bellarminus.
libro 1. de Sanctorum Beatitudine capite 2.
partim libro 4. de Romano Pontifice ca-
pite 14. necnon Bzovius ad annum 1336. Bzovius.
num. 10. ubi de Joanne XXII. loquens
ait: "Ad decisionem concertationum hu-
,, jusmodi se parabat: & tamen morte præ-
,, ventus illud perficere nequivit. Admi-
,, rabili sanè Dei providentiâ in hac re cir-
,, ca Sedem Apostolicam apparente, quòd
,, non passus fuerit Decretum aliquod, fal-
,, sum in causa fidei orthodoxæ, à Vicario
,, suo, forsan nimiùm in alteram partem in-
,, clinante, interponi: sed potiùs morte ho-
,, minis honorem Sedis Apostolicæ stabili-
,, vit. Tantum igitur abest, ut Joannes
,, Pontifex hæretici nomine audierit, ut
,, etiam inter Catholicos Pontifices ab om-
,, nibus censeatur; quòd monitoribus Car-
,, dinalibus obaudierit, & in extremo vitæ
,, limine omnia sensa sua, hac de re, censuræ
Ecclesiasticæ supposuerit". Hujus supposi-
tionis sive submissionis indices sunt literæ ab
ipso Ioanne Pontifice pridiè quàm morere-
tur emissæ, de quibus idem Bzovius disserue-
rat superiùs ad annum 1334. in hunc mo-
dum: " Antequàm rebus humanis Ioannes
,, summus Pontifex eximeretur; quid de
,, visione animarum ipse ex animo censeret,
,, vel olim censuerit, editâ subsequenti Con-
,, stitutione aperuit, quæ sic habet: *Ioannes
,, Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei
,, memoriam. Ne super his quæ de animabus pur-
,, gatis, separatis à corporibus, an citra resumptio-
,, nem corporum, divinam essentiam illâ visione, vi-
,, delicet quam vocat Apostolus facialem, videant;
,, tam per Nos, quàm per nonnullos alios in præsen-
,, tiâ nostrâ, recitando, & allegando sacram Scriptu-
,, ram, & originalia Sanctorum dicta vel aliàs ra-
,, tiocinando sæpiùs dicta sunt, aliter quàm per nos
,, dicta & intellecta fuerint, intelligantur ac dican-
,, tur, auribusve valeant fidelium inculcari: Ecce,
,, nostram intentionem, quam cum Sancta Ecclesia
,, Catholica circa hoc habemus, & habuimus, serie
,, præsentium, ut sequitur, declaramus. Fatemur si-
,, quidem & credimus, quod animæ purgatæ, sepa-
,, ratæ à corporibus, sunt in cælo cælorum regno &
,, paradiso, & cum Christo in consortio Angelorum
,, congregatæ & vident Deum & divinam essen-
,, tiam facie ad faciem, clarè, inquantum status &
,, conditio patitur animæ separatæ. Si verò alia, vel
aliter,*

„ *aliter, circa materiam huiusmodi per Nos dicta*, „ *prædicata, seu scripta fuerint, quoquo modo* „ *illa diximus, prædicavimus, seu scripsimus*, „ *recitando, & conferendo dicta sacræ Scripturæ*, „ *& Sanctorum, nolumus esse dicta, prædicata*, „ *& scripta. Insuper si qua alia sermocinando*, „ *conferendo, dogmatizando, docendo, seu alio* „ *quovis modo diximus, prædicavimus, vel scri-* „ *psimus circa præmissa, vel alia, quæ fidem con-* „ *cernunt Catholicam, sacram Scripturam, aut* „ *bonos mores, ea in quantùm sunt consona fidei* „ *Catholicæ, determinationi Ecclesiæ, sicut &* „ *Scripturæ ac bonis moribus, approbamus: aliàs* „ *illa habuimus & haberi volumus pro non dictis*, „ *prædicatis, & scriptis, eaque revocamus expressè*; „ *ac omnia prædicta, & alia quæcunque dicta, præ-* „ *dicata, & scripta per Nos de quacunque materia*, „ *ubicunque, & in quocunque loco, ac in quocun-* „ *que statu quem habemus vel habuerimus hacte-* „ *nus, submittimus determinationi Ecclesiæ, ac* „ *Successorum nostrorum. Nulli ergò omninò ho-* „ *minum liceat hanc paginam nostræ intentionis*, „ *declarationis, confessionis, voluntatis, appro-* „ *bationis, revocationis, & submissionis infrin-* „ *gere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis* „ *autem hoc attentare præsumpserit, indignatio-* „ *nem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri &* „ *Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.* „ *Datum Avenione* 3. *Nonas Decembris, Ponti-* „ *ficatus nostri anno* XIX. Hæc Joannes „ Pontifex ferè in ipso vitæ extremo re- „ nunciabat; cùm de novi Imperatoris crea- „ tione cum Regibus Galliarum & Bohe- „ miæ deliberantem nocte præcedente 4. „ Nonas Decembris, quo die consistorium „ Cardinalium & Prælatorum indixerat, „ profluvium ventris exitiale à gravissimis „ negotijs avocasset, & in lectum læthalem „ conjecisset. Itaque mortem sibi incum- „ bere videns 3. Nonas Decembris, Cardi- „ nalibus circa vespertinam horam convoca- „ tis, eam fidei professionem edidit, deque „ Successore deligendo verba fecit: atque „ postridiè, scilicet pridiè Nonas Decembris, „ post sacra audita, & Eucharistiam rece- „ ptam, in crepusculo diei, orans & psallens, „ die Dominico horâ 3. Avenione in Pala- „ tio Apostolico, ex hac vita, nonagenario major, migravit". Patet igitur ex prædicta relatione, Joannem XXII. non definivisse sententiam subsequenti decisioni Benedicti XII. & Synodi Florentinæ adversam, sed eam submisisse determinationi Ecclesiæ, ac Successorum suorum. Neque verò Adrianus contrarium ei imponit, sed rumorem ab alijs sparsum commemorat: " Fertur, in- „ quiens, de Ioanne XXII. quòd publicè „ docuit, declaravit, & ab omnibus teneri „ mandavit, quòd animæ purgatæ ante fi- „ nale Iudicium non habent stolam, quæ est „ clara & facialis visio Dei: & Universita- „ tem Parisiensem ad hoc induxisse dicitur, „ quòd nemo in ea poterat gradum in Theo- „ logia adipisci, nisi primitùs hunc errorem „ jurasset se defensurum, & perpetuò ei ad- „ hæsurum". Ubi signanter notanda sunt illa verba, *fertur*, *dicitur*: quæ utique non assertionem continent, sed meram relationem, seu rumoris sparsi commemorationem. Sed nec Marsilius asserit Joannem definivisse illam suam pristinam sententiam, sed duntaxat *tenuisse*. Sic enim in 4. q. 13. a. 3. ait: " Animæ „ decedentium in gratia, sine crimine, & cul- „ pâ, & debito reatu statim præmiantur gloriâ „ æternâ. Oppositum hujus TENVIT ad tem- „ pus Joannes XXII. & posteà revocavit, ad „ determinationem Universitatis Parisiensis". Joannes quoque Gerson nullam istiusmodi Pontificiæ definitionis mentionem facit, sed *doctrinæ* duntaxat meminit, ac damnationis ejusdem per Theologos Parisienses factæ, atque cum buccinarum clangore publicatæ. Sic enim ille scribit in serm. de Festo Paschæ, in præsentia Regis Galliæ habito: " Salvator „ noster, & verus miles, JESVS CHRISTVS, „ mox post suam benedictam passionem, in „ primo mortis suæ instanti, quod fuit Vene- „ ris horâ nonâ, descendit ad Inferos, ad dan- „ dam veram pacem, pacem gloriæ & beati- „ titudinis, amicis suis Patriarchis, Prophe- „ tis, & alijs justis, qui erant in limbo Patrum. „ Et credendum est satis, ipsum dedisse hanc „ pacem gloriosam omnibus his qui erant in „ purgatorio, & eos liberavit, sicut facit „ Rex in primo suo jucundo adventu. Et ad „ propositum, hoc fecit latroni, qui verisimili- „ ter nondum compleverat pœnitentiam pro „ omnibus peccatis suis; qui fuit illâ propriâ „ horâ beatificatus, & vidit Deum facie ad „ faciem, sicut Sancti in Paradiso: *Hodiè*, in- „ quit Christus, *mecum eris in paradiso*, Luc. 23. „ Propter quod insuper apparet falsitas DOC- „ TRINÆ Papæ Joannis XX. (aliàs XXII.) quæ „ damnata fuit cum sono buccinarum vel tu- „ barum, coram Rege Philippo avunculo tuo, per Theologos Parisienses". Ecce hîc *Doctrinæ* quidem meminit, sed de *Definitione* ne vel minima apud eum mentio: uti nec apud Erasmum Præfat. in librum 5. Irenæi, ubi loquens de sententia differente beatitudinem animarum in consummationem usque sæculi: " In quo errore, inquit, fuisse videtur Ioan- „ nes Pontifex Romanus ejus nominis Vice- „ simus secundus, coactus operâ Theologo- „ rum Parisiorum ad palinodiam, coram Gal- „ liarum Rege Philippo, non sine buccina: „ quod indicat Ioannes Gerson in serm. de Paschate". Hîc audio nominari *errorem*, sed neutiquàm erroris *definitionem*.

Marginalia: *V. Adrian in 4. Tractatu de Sacramento Confirmationis.* — *Marsilius.* — *Gerson.* — *Erasmus.*

CAPUT

CAPUT LXVII.

Sanctorum Canonizatio à Ioanne XXII. Pontifice solemnizata, replicata, triplicata, num arguat eum secùs sensisse, quàm superiori capite perhibitum sit? Quina pro affirmativâ parte proferuntur argumenta: primum quidem ex canonizationis definitione per Cardinalem Bellarminum digestâ, secundum ex ejusdem formula per Tannerum exhibitâ, tertium ex clausulis Bullarijs, quartum ex Cardinalis Baronij *suffragio, quintum ex hymnorum Ecclesiasticorum tenore. Num Ioannes XXII. demum post solemnizatas à se canonizationes prosilierit in exoticam de differenda animarum gloria opinionem? Poßitne Pontifex exercere actum potestatis clavium, contra eam quam mente fovet sententiam? Protestatio olim Canonizationi præmitti consueta, ex Maiolo. Canonizationem ex sua generica ratione non importare beatificam canonizati comprehensionem, evincitur exemplis de veteri Testamento prolatis; quibus constat, complures fuisse divinitùs canonizatos, à cælesti interim paradiso, necdùm cruce Christi reserato, exclusos. Canonizationes Sanctorum per quinque sæcula ante Ioannem XXII. à Pontificibus solemnizatæ. Miracula, etiam post obitum patrata, non arguunt præsentaneam gloriam patrantis.*

CCLVIII Quamvis Joannes XXII. sententiam proximo capite discussam & excussam nequaquàm ut Pontifex ex cathedra definierit, sed ut particularis duntaxat Doctor absque pertinaciæ labe ad tempus tenuerit: mirum tamen cuipiam videri forsitan poterit, quòd eo ipso tempore quo eam animo adhuc fovit, Sanctorum aliquot apotheoses seu canonizationes consueto ritu solemnizaverit: ut S. Ludovici Tolosani Antistitis, S. Thomæ Herfordiensis in Anglia Præsulis, & S. Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici: W. Joannes „XXII. ait Volaterranus, Episcopus Portuen„sis, Lugduni Pontifex renuntiatus est post „biennij spatium quo Sedes ob Patrum dis„cordiam vacavit. Ludovicum Tolosanum „Præsulem, Ordinis Minorum, Caroli II. „filium; duos item Thomas, Aquinatem, & „Præsulem Herfordiensem, inter Sanctos retulit". Pontificatum ille gessit annis plusquàm octodecim, prout claret ex Diplomate retractationis ejus jam proximè relato, quod anno Pontificatûs XIX. perhibetur expeditum. Solemnizaverat autem canonizationem S. Ludovici Tolosani anno Pontificatûs sui primo, & S. Thomæ Herfordiensis anno quarto, ac demùm S. Thomæ Aquinatis anno septimo: prout ex singularum respectivè canonizationum Bullis patet apud Bzovium tomo XIV. Annalium. Omnes proindè illas tres canonizationes Pontifex Joannes solemnizaverat longè priùs quàm sub finem vitæ sententiam de animarum beatitudine protardandâ retractasset. Difficultas ergò est, quomodò in animum induxerit ut eos canonizaret, quos juxta suam tunc opinionem nonnisi in fine demùm sæculi beatificâ Dei visione fruituros autumavit? Augetur difficultas ex ipsa canonizationis notione seu definitione, quam Cardinalis Bellarminus exhibet his verbis expressam: X. *Canonizatio nihil est aliud, quàm publicum Ecclesiæ testimonium de vera sanctitate & gloria alicuius hominis iam defuncti: & simul iudicium ac sententia, quâ decernuntur honores illi, qui debentur ijs, qui cum Deo feliciter regnant.* Cùm ergò Joannes XXII. memoratos tres Sanctos canonizaverit, consequens est ut cuique eorum *publicum veræ sanctitatis & gloriæ testimonium præbuerit*, atque etiam *honores feliciter cum Deo regnantibus debitos* decreverit. Quod si ita est, non apparet quomodò de eorum cœlesti gloria dubitare tunc potuerit, aut eos necdum cum Deo feliciter regnare censuerit. Augetur denuò eadem difficultas ex formula canonizandi, quam uti communem tradit Tannerus hisce digestam verbis: Y. *Ad honorem omnipotentis & æterni Dei, Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, & exaltationem fidei Catholicæ, & Christianæ Religionis augmentum, authoritate Domini nostri IESV CHRISTI, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, N.N. in cælesti Hierusalem iam receptum, & æternæ gloriæ*

Marginal notes: DIFFICULTAS. — W. Volaterr. lib. 22. — Vide Bzovii ann. Christi 1317. n. 25. & an. 1320. n. 36 & an. 1323. n. 23. — X Bellarm. l. 1. de Sanct. Beatit. c. 7. — Y. Tanner. 10. 3 Disp. 1. de Fide q. 4. Dub. 7. n. 136.

gloria coronâ donatum, de fratrum nostrorum consilio declaramus: eumq; tanquam Sanctum publicè & privatim colendum esse decernimus & definimus. Si hæc sit ordinaria canonizandi formula proculdubiò præsumendum est Joannem XXII. eâ fuisse usum io canonizando; præsertim cùm à nullo Historico sugilletur tanquam peregrinæ formulæ invector, aut consuetæ neglector. Quod si eâ usus fuerit, eo ipso planè declaravit præfatos tres Sanctos, à se canonizatos, *in cælesti Hierusalem iam fuisse receptos, & æterna gloria coronâ donatos.* Quomodò igitur ista ejus declaratio consistere potuit cum illa ipsius sententia, quam superiori capite excussimus, & pridie demùm mortis retractatam ostendimus? Augetur tertiò eadem difficultas ex tenore ipsorum Diplomatum, quibus Pontifex Joannes trium prædictorum Sanctorum canonizationes à se peractas divulgavit: in quorum primo, canonizationem S. Ludovici Tolosani complectente, legitur de eodem Sancto §. 1. [z] *Huic cæli præstant hospitium; cæli cives, ut sibi conformem & comparem, ad suum hunc consortium admittunt in superna; Christus hunc reficit, idem ipse prandium, & conviva.* Et rursùs de eodem inferiùs §. 28. *Laudetur magnificè Deus noster, cuius dextera huic Episcopo conferi stelliferum regni diadema: applaudant pariter & cæli cives, quorum cætibus Sanctus hic Sole splendidior est insertus.* In secundo, canonizationem B. Thomæ Herfordiensis exhibente, sic legitur de ipso Sancto: [A] *Vir felix iste ad Deum transmittendo spiritum, de peregrino & advenâ factus est eximius cæli civis: & quia decebat multùm divinæ potentiam Maiestatis, ut Sanctum hunc in cælis regnare secum, per signorum evidentiam fidelibus declararet, ipsum in terris coruscare miraculis multis fecit.* In tertio denique, canonizationem B. Thomæ Aquinatis continente, post commemorationem miraculorum subditur §. 19. [B] *Hæc sunt testimonia tua Deus, quæ de hoc viro iusto nobis credibilia facta sunt nimis: nam si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est, quo animam eius cælum pessudisse iam credimus, intercessorem ipsum expectamus, ac inter Sanctorum agmina quasi stellam matutinam eum sidimus esse locatum.* Et mox iterùm §. 20. *Quia rationis ordo depostulat, ut triumphantem in cælis Ecclesiam devota in terris militans subsequatur, illum veneratione præcipuâ percolat, quem in cælestibus agminibus positum, Deum glorificato cognoscitur.* Quæ clausulæ satis luculenter indicant, eos de quibus illic respectivè sermo est, jam cælesti beatitudine perfrui, tametsi necdum sint suis corporibus revestiti. Quomodò ergò fieri potuit, ut Joannes XXII. tales clausulas suis Bullis inseri fineret, si prædictæ suæ sententiæ eo ipso tempore inhæserit? Quamvis enim Pontifices non definiant clausulas narrativis suarum Bullarum insertas, non tamen inseri sinunt quas putant esse falsas. Præterea in earundem Bullarum dispositivis singuli canonizati declarantur respectivè esse *Sancti*, adeòque à fidelibus tanquam tales honorandi & invocandi. Atqui juxta Cardinalem Baronium [C] *titulus sanctitatis illis solùm hodie tribuitur Christianis, qui vitâ functi, in cælo regnant cum Christo.* Ex quo consectarium est, Joannem XXII. tribuendo prædictis titulum sanctitatis, declarasse eos *in cælo regnare cum Christo.* Quomodò igitur hæc declaratio stare potuit cum ea sententia, quam Pontifex in extremo demùm vitæ limine retractavit? Accedit insuper quòd ille tres prædictos Sanctos canonizaverit sub titulo *Confessorum*, adeoque eosdem decreverit honorandos officio Ecclesiastico Confessoribus pendi consueto. Atqui in hujusmodi officio canitur de quolibet Confessore in natalitia ipsius festivitate, *Hodie lætus meruit secreta scandere cæli*: sive ut ex Urbaniana correctione nunc legitur, *Hâc die lætus meruit beatas scandere sedes.* Quomodò igitur potuit Pontifex Ioannes Sanctos à se canonizatis decernere hujusmodi officium, si tunc putavit differendam eorum beatitudinem usque ad extremum judicium?

z. Apud Bzovium an. 1317. n. 25.

A. Apud eundem an. 1320. n. 16.

B. Apud eundem an. 1323. n. 16.

C. Baron. de Martyrolog. Rom. cap. 2.

Breviarium Roman.

CCLIX. Difficultas ista tam multis alijs difficultatibus immixta & implicata est, ut pro plenâ & omnibus numeris consummatâ sui pertractatione volumen haud spernendæ molis expostere videatur. Sed nos paucis contenti, uberiorem materię hujus elucidationem eis relinquemus, qui de Sanctorum Canonizatione ex professo disseruerint. Interim admonemus, triplicem excogitari posse modum propositæ difficultati satisfaciendi: primus est, Joannem XXII. nonnisi demùm post solemnizatas prædictorum trium Sanctorum canonizationes, imbibisse erroneam illam de animarum beatitudine opinionem, quam pridie mortis retractavit. Cùm enim ille Pontificatum plusquam octodecim annis tenuerit, & omnes prædictas tres canonizationes intra primum ejusdem sui Pontificatus septennium solemnizaverit, superfuerunt ei anni plusquam undecim à postrema canonizatione, quorum decursu potuit errorem de animarum beatitudine in finem usque Mundi protardandâ imbibere, eundemque in extremo vitæ limine positus deponere. Juxta hunc respondendi modum cessant omnes rationes dubitandi sive ex canonizationis definitione, sive ex canonizandi formulâ, sive aliundè in superiori §. adductæ: quippè fundatæ in quadam hypothesi, quam hic respondendi modus nequaquàm admittit, sed falsam esse contendit; Joannem videlicet Pontificem eo ipso tempore quo prædictos tres

EXPEDITIO.

tres Sanctos canonizavit, tenuisse errorem de animarum visione, quem pridie mortis retractavit. *Duodecim sunt horæ diei*: & quod hâc horâ placet, sequenti displicere poterit, & subsequenti iterum fortè placebit. Non duodecim duntaxat horis, aut verò duodecim diebus, sed duodecim propemodum annis post solemnizatas trium præfatorum Sanctorum canonizationes Joannes XXII. gessit Pontificatum. Quid igitur mirum si tempore canonizationum rectè de animarum separatarum beatitudine senserit, & posteà in contrarium errorem transierit, ac demùm ad priorem sententiam reversus eundem errorem instante jam morte retractaverit? Optandum sanè fuisset, ut quispiam illius ævi Theologus aut Historicus rem ita accidisse testatus fuisset, cujus suffragio primus iste respondendi modus firmari posset. Sed quia nemo; quantùm scire hactenùs potui, id præstitit; idcircò responsio, quamvis fortè vera sit & vim argumenti utcunque enervet, non tamen animum respondentis, nedum arguentis, plenè quietat: quia tametsi non possit irrefragabiliter refelli, equidem nequit, vel probabiliter adstrui. Neque enim suppetunt documenta, quibus vel ejus falsitas positivè revincatur, vel veritas persuadeatur. Verum quidem est Joannem Pontificem nonagenario majorem obiisse; adeòque septuagenario majorem sedere cœpisse: ex quo consequens est, eum octogenarium circiter extitisse, quando Sanctum Thomam Aquinatem, anno Pontificatûs septimo, canonizavit. Verum pariter est; homines tam grandævos non solere esse proclives ad mutandas sententias pristinas; aut discendas novas. Unde non inscitè à quibusdam comparantur senes psittacis, qui in senio quantumvis vapulent, nihil novi discunt. Quæ eorum indocilitas locum fecit parœmiæ, *Senex psittacus negligit ferulam*; de qua videri potest Erasmus in Adagijs, Chiliade 1. Centuriâ 2. cap. 60. & 61. ubi & ex Theogne refert grandævum quendam dixisse cuipiam docere ipsum volenti: *Ne me doceas, quippe per ætatem evasi iam indocilis*: & Hieronymus, [D] *Periculosa præsumptio est*, inquit, *senis mutare linguam, & canescentem Mundum ad initia retrahere parvulorum*: & Cynicus Philosophus apud Mendozam in Viridario ait, [E] *Mortuo mederi, & senem docere, idem est.* Si quis tamen hinc conficere velit, credibile non esse Joannem XXII. eo tempore, quo prædictos tres Sanctos canonizavit, rectè de animarum separatarum beatitudine sensisse, & posteà in oppositum errorem transiisse: facilè redarguetur ex eo, quòd idem ipse Joannes Pontifex instante morte, cùm esset jam nonagenario major, errorem de animarum beatitudine in finem Mundi differendâ deseruerit; & in oppositam sententiam grandævissimus transierit. Si ergò nonagenario major sententiam præconceptam potuit deponere, quantò magis potuit octogenarius eandem imbibere? Quamvis ergò rarò soleant grandævi homines pristinas mutare sententias; non tamen idcircò nunquam id contingere putandum est: prout ex ipsius Joannis XXII. finali resipiscentiâ perspicuum est. Tertullianum quoque post mediam ætatem ad Montani dogma transiisse testatur Hieronymus; eundemque post hæresin rursùs ad Ecclesiam rediisse indicat Pacianus. De Severo item Sulpitio scribit Gennadius, quòd [F] in senectute sua à Pelagianis fuerit deceptus". Quæ quidem deceptio licèt in senectute acciderit, per resipiscentiam tamen posteà supervenientem expuncta est, redeunte ipso ad pristinam veritatem. Unde sequitur ibidem continuò apud Gennadium de eodem: "Agnoscens loquacitatis culpam, silentium usque ad mortem tenuit: ut peccatum quod loquendo contraxerat, tacendo penitùs emendaret". Quæ exempla propterea adduxi; ut ex iis Lector percipiat quàm non sit incredibilis ista prima responsio; quæ contendit Joannem XXII. nonnisi post solemnizatas prædictorum Sanctorum canonizationes imbibisse erroneam de animarum beatitudine opinionem.

Joan. 11. 9. — Erasmus. — D Hieron. Præfat. in Evangel. ad Damasum. — E. Apud Mendozam in Viridario lib. 9. Problem. 2 n. 15 — Vide Hieron. l. de Script. Eccles. c. 53. & Pacianu Epist. 3. ad Sympr. — F Gennad. de Script. Eccles. c. 19.

CCLX. Secundus modus eandem difficultatem expediendi est, juxta quem admisso quòd Joannes XXII. toto tempore Pontificatûs sui foverit animo erroneam de animarum separatarum beatitudine differendâ opinionem, negatur tamen consequens indè fore ut non potuerit prædictos Sanctos canonizare, etiam contra eandem suam opinionem. Neque enim repugnat quempiam proferre sententiam, aut exercere actum externum potestatis clavium, contra opinionem propriam quam animo fovet: prout communiter Theologi tradunt in materia confessionis Sacramentalis, quatenùs asserunt Confessarium posse, vel etiam teneri, absolvere pœnitentem, contra propriam opinionem; quando ille ritè dispositus est & confessus, juxta probabilem contrariam opinionem. De Adriano VI. Summo Pontifice fertur, quod dispensaverit in matrimonio rato, contra suam opinionem quâ existimavit non posse Pontificem in ejusmodi matrimonio dispensare: [G] Adrianus VI. „inquit Dominicus Sotus, Vir tum Juris „utriusq; peritissimus, tum & rei Theologicæ „non infimè doctus, cùm ab illo hujusmodi dispen-

Vide Sotum in 4. Disput. 18. q. 1. a. 5. & Suarez in 3. p. tomo 4. Disput. 38. Sect. 5. & Coninck de Pœnit. Disp. 8. Dub. 17. nu. 135. & Disp. 7. Dub. 10. n. 106. — G. Sotus in 4. Disp. 27. q. 1. art. 4.

„ dispensatio fuisset postulata, oblataque fautrix sententia Caietani, demiratus est, virum Theologum hoc sibi in animum inducere potuisse. Et ideò improbis precibus succumbens, respondit: *se dare quod posset, sed tamen credere se nihil posse*". Credibile profectò est eundem Pontificem consimiliter responsurum fuisse, si importunis precibus ab ipso fuisset postulatum; ut contra propriam opinionem committeret simplici presbytero ministerium Sacramenti Confirmationis. Neque enim pejoris conditionis censeri debent Summi Pontifices, quàm cæteri homines; quibus subindè licitum est in praxi procedere secundùm probabilem sententiam, ei etiam opinioni adversam, quam speculativè reputant veriorem. Ad hunc ergò modum potuit Ioannes XXII. canonizare Sanctos, contra propriam suam opinionem; sequendo in praxi probabilem aliorum opinionem. Quod ut planiùs perspiciatur, notandum est ex Maiolo, solitos fuisse Pontifices canonizationi Sanctorum à se solemnizandæ præmittere certam protestationem, quâ poterant salvare contrariam suam opinionem, si quam fortè tunc mente foverent. Postquàm igitur Maiolus varios ritus actui canonizationis

H. Maiolus tom. 2. Dierum canic. colloq. 6.

præambulos recensuisset: „ Tunc, inquit, „ Procurator causæ instanter petit à Pontifice, nomine procuratorio, & nomine „ Principum &c. pronuntiari & declarari Beatum N. in Sanctorum catalogum adscribendum, & ut Sanctum venerandum à „ Christi fidelibus. Pontifex antequàm pronuntiet, consuevit protestari in hanc formam, quod invenimus servatum à multis „ Pontificibus. Sunt tamen aliqui Clarissimi „ Viri, qui dicunt, hoc introductum ex quadam causa, quæ nunc cessat: quia Papa „ tunc quodammodò cogebatur ad canonizandum quendam contra suam opinionem, & „ propterea protestabatur; nunc autem non „ videri congruam illam protestationem. Sed „ de hoc statuat Summus Pontifex, & sacer „ Senatus. Forma autem protestationis hæc „ est: *Antequàm ad pronuntiationem veniamus, „ protestamur publicè apud vos præsentes, quòd per „ hunc actum canonizationis non intendimus aliquid facere quod sit contra Fidem, aut Ecclesiam Catholicam, sive honorem Dei*". Quòd si Ioannes XXII. sub hujusmodi protestationis cautione tres prædictos Sanctos canonizaverit, facilè perspicitur quemadmodùm potuerit eorum canonizationes solemnizare, & interim de actuali canonizatorum beatitudine corde tenùs ambigere, vel contrariæ opinioni inhærere. Eum verò sub illa protestationis cautela canonizasse, verisimile fit ex eo, quòd Maiolus consuetudinem sic protestandi allèget, dicendo, *Pontifex antequàm pronuntiet*, CONSUEVIT *protestari in hanc formam*. Quæ verba ne fortè quis de uno quopiam Pontifice intelligenda autumet, sequitur continuò ibidem pluraliter, *Quod invenimus servatum à multis Pontificibus*. Si autem quæras ubi id invenerit: nihil responderi verisimiliùs potest, quàm invenisse in Rituali cæremoniatum, ex quo ibidem superiùs hausisse se testatur canonizationis ritum: vel certè in actis quarundam canonizationum, quibus ad instantiam Procuratorum Fiscalium inserta fuisset protestationis normula. Unde & idem ipse postquàm cæteras canonizationis cæremonias, usque ad pronuntiationem sententiæ inclusivè, commemorasset: " Quibus finitis, inquit, „ Procurator Fiscalis rogat Protonotarios &c. „ de protestatione facta per Papam: & Procurator causæ rogat de solemni pronuntiatione canonizationis simpliciter, & petit „ instrumentum, & à Papa decerni Bullas super his opportunas: & mox surgit Papa sine „ mitra, & incipit, *Te Deum laudamus*: & chorus prosequitur". Ex quo apparet, quòd sicut instante Procuratore causæ fiebat per Protonotarios Acta publica *de solemni pronuntiatione canonizationis*; ita vicissim instante Procuratore Fiscali fiebat per eosdem Protonotarios Acta legitima *de protestatione facta per Papam*. Quòd si alij Pontifices solerent interponere ejusmodi protestationem, eò quòd dubitarent de actuali beatitudine quarundam particularium personarum quas canonizabant, quantò verisimilius est Ioannem XXII. interposuisse eandem, siquidem dubitaverit de actuali beatitudine omnium promiscuè animarum separatarum? Si autem interposuit istiusmodi protestationem, per eam videtur sufficienter cavisse præjudicium suæ privatæ opinionis.

CCLXI. Tertius denique modus eandem difficultatem expediendi est, Ioannem XXII. existimasse canonizationem Sanctorum non importare actualem beatitudinem canonizatorum; sed duntaxat consummationem ipsorum in statu gratiæ, sanctitatis, aut amicitiæ divinæ. Hoc enim supposito, planum est, eum potuisse illos canonizare, quos sciebat piè in Domino defunctos, etsi putaret nondum Dei visione potitos. Cur autem ille existimaverit canonizationem non importare actualem canonizatorum beatitudinem, sed duntaxat consummationem in statu gratiæ, sanctitatis, & divinæ amicitiæ, multiplex allegari potest ratio: Primò enim deprehendit complures Sanctos à Deo canonizatos fuisse in divinis Scripturis tempore veteris Testamenti; quorum nullus eo adhuc tempore, quo canonizati fuerunt, Deum intuitivè viderit:

viderit: siquidem, ut Innocentius III. ait, L. Etsi originalis culpa remittebatur per „ circumcisionis mysterium, & damnatio- „ nis periculum vitabatur; non tamen perve- „ niebatur ad regnum cælorum, quod usque „ ad mortem Christi fuit omnibus obsera- tum". Si *omnibus*, proculdubiò etiam ijs, quos idem Pontifex alibi testatur canonizatos fuisse in sacro Ecclesiastici volumine, ubi legitur (*Laudemus viros gloriosos & parentes nostros*, &c. K. Per hoc, inquit, quod dicit, *Laude- „ mus viros gloriosos*, ostendit quòd canonizati „ erant: quia aliter non mandaretur Ecclesiæ; quòd eos laudaret". Canonizati igitur erant, cùm tamen necdum tunc Deum beatificè viderent, sed usque ad Christi mortem, centenis aliquot annis posteriorem, exclusi à cælo manerent; expectantes eum cui canit Ecclesia, *Tu devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna cælorum*. Cùm ergò Ioannes XXII. ab una parte animadverteret Sanctos quosdam divinitùs fuisse canonizatos ante Christi passionem, & ab altera parte persuasum haberet, omnibus hominibus obseratum fuisse cælum usque ad Christi passionem; rectè sibi videbatur concludere, canonizationem non importare actualem beatitudinem canonizandorum vel canonizatorum; sed duntaxat virtualem sive seminalem, cum securitate perveniendi suo tempore ad actualem. Secundò animadvertit multos Pontifices prædecessores suos canonizasse Sanctos, nec tamen reprobasse sententiam eorum qui censuerunt differri animarum separatarum visionem usque ad corporum resumptionem: Ex quo videbatur consequens, separari posse canonizationem, à beatitudinis præsentanea adeptione. Nam si Pontifices illi existimassent canonizationem importare præsentaneam canonizati beatitudinem, nequaquam tolerassent doceri dilationem ejusdem beatitudinis. Quia ergo hanc permiserunt doceri; illam censuerunt non importari. Et sanè non apparet quomodò noterici illi possint Ioannem XXII. ab insigni pertinaciæ notâ excusare, qui contendunt, Pontifices canonizando Sanctos, definire, eos jam actu ad Dei visionem esse admissos. Si enim ita sit, quis non videat, tot adversùs Ioannis XXII. sententiam prodijsse Pontificum definitiones, quot prodierant à Pontificibus solemnizatæ Sanctorum canonizationes? Si ergò pertinaciæ notam incurrit, qui vel uni Pontificiæ definitioni scienter obsistit; quomodo excusari poterit, qui tot conformibus prædecessorum definitionibus acquiescere renuit? Per quingentos & ampliùs annos ante Ioannem XXII. solemnizatæ fuere ab ipsius Prædecessoribus canonizationes Sanctorum, prout ex Bellarmino & Baronio hàc ratione colligitur: Leo III. ad instantiam Caroli Magni Imperatoris, & Hildebaldi Archiepiscopi Coloniensis; solemnizavit canonizationem Sancti Suiberti; quam fuisse primam sibi compertam testatur Bellarminus lib. 1. de sanctorum beatitudine cap. 8. Baronius autem eam refert in annum Christi 804. quamvis Ludgerus ab ipso transcriptus annum precedentem denotet. Sed sive prior sive posterior annus statuatur, constat eam canonizationem Pontificatu Ioannis XXII. anteriorem fuisse annis plusquàm quingentis: siquidem Ioannes non nisi demùm anno Christi 1316. Pontificatum inijt, ut cum Onuphrio & Bzovio perhibet idem Bellarminus in sua brevi Chronologia. Subtractis autem 804. de 1316. supersunt 512. Tot igitur, ut minimùm, annis ante Ioannis XXII. Pontificatum cœperunt Sanctorum canonizationes à Summis Pontificibus solemnizari. Si igitur Pontifices canonizando definiunt canonizatos frui beatificâ Dei visione, profectò tot præcesserant ejus dogmatis definitiones, quot fuerant à Summis Pontificibus per quingentos illos annos solemnizatæ Sanctorum canonizationes. Non ergò Benedictus XII. controversiam de animarum separatarum visione primus Pontificum definivit, quippe à tot alijs Pontificibus pridem definitam: nec Ioannes XXII. à notâ pertinaciæ excusari poterit, quippe qui errorem tot prædecessorum suorum solemnibus definitionibus contrarium resoverit. Quibus incommodis nullâ commodiori viâ obviari posse videtur, quàm dicendo Sanctorum canonizationem non importare actualem beatitudinis adeptionem, sed saltem consummationem in statu gratiæ, sanctitatis, ac divinæ amicitiæ, cum securitate perveniendi suo tempore ad Dei beatificam fruitionem. Tertiò animadvertit Ioannes Pontifex, quòd cùm miracula, præsertim post obitum patrata, sint præcipuum motivum canonizandi Sanctos, ea tamen nequaquàm evincant beatos jam esse, qui eis coruscarint: nam de Elisæo scriptum est, *In vita sua fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est*; qui tamen non nisi post aliquot exinde sæcula beatificam Dei visionem est assecutus. Hieremias Propheta, pridem defunctus, apparuit miraculosè Iudæ Machabæo, *dedit*, *ei gladium aureum*, *dicens*: *Accipe Sanctum gladium munus à Deo, in quo dejcies adversarios populi Israël*: nec tamen Hieremias adhuc tunc Dei faciem viderat, sed in Limbo Patrum usque ad Christi passionem clausus permansit. Paschasium Diaconum vitâ functum miraculis claruisse perhibet Papa Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 40. & 41. quem tamen nequaquàm in cælo comprehensorem, sed in purgatorio adhuc pœnæ debitorem extitisse, posteà deprehensum est. Simile

I. Innocen. III. c. Majores, de Baptismo & ejus effectu. Vide suprà hic § 108. & 216.

K. Eccl. 44. 1. Idem in cap. Audivimus, de Reliquijs & venerat. Sanctorum.

Bellarminus.

Vide Baronium tomo 9. Anno Christi 804. n. 2. & seqq.

Eccli. 48. 15.

2. Mach. 15. 11. & 16.

Gregorius.

Petr. Damiani. quid de S. Severino Coloniensi memorat ex Adraldo Petrus Damiani lib. 2. Epist. 15. Cùm igitur Sanctorum canonizatio nitatur potissimùm miraculis post obitum patratis, & hæc sint communia adhuc inhiantibus, cum jam fruentibus; non sinè de nihilo persuasit sibi Ioannes Pontifex, canonizationem non importare præsentaneam canonizatorum beatitudinem, sed ejusdem saltem adipiscendæ certitudinem.

CAPUT LXVIII.

Tria priora argumenta §. 258. objecta discutiuntur, & excutiuntur. **Bellarminiana** *canonizationis definitio non modò ab alijs Tractatoribus reijcitur, sed ab ipso etiam authore suo subvertitur. Vndenàm ea fuerit collecta? Surrogantur in ejus locum aliæ uti vetustiores ac receptiores, ita congruentiores ac veriores. Canonizationis formula Tanneriana reijcitur ut minùs adæquata, proque eâ exhibentur aliæ magis aptæ, ex Romano Cæremoniali transcriptæ. Non adstringitur Pontifex ulli præcisæ canonizationis formulæ; quæcunque interim ab ipso assumitur, à fidelibus suscipienda, ac suæ materiæ accommodanda erit. Clausula* Bullariæ, *Diplomatibus Ioannis* XXII. *insertæ, elucidantur, & cum erronea ipsius opinione conciliantur.* Regni cælorum *varia usurpatio, juxta Augustinum: varius item* Regnantium cum Christo *status, juxta eundem, cum Bernardo, & Hugone Victorino. Quid de* atrijs domus Domini, *& item de* animabus subtus altare visis *senserit Bernardus?* Sinus Abrahæ *alius nunc, ab eo qui ante Christi ascensionem fuerat.*

CCLXII. ADversùs tertium respondendi modum §. proximo adhibitum objicitur inprimis definitio canonizationis, §. 258. ex Cardinale Bellarmino transcripta: deinde formula canonizandi, ex Tannero ibidem subjuncta; quarum utraque cælestem canonizatorum gloriam patenter importare videtur, prout ibidem est adnotatum. Verùm ad definitionem ex Bellarmino objectam quod attinet, non cogimur eam admittere pro legitimâ; primò quidem, quia ipse nullum ejus authorem se antiquiorem profert; cùm tamen canonizatio multis anteà sæculis non modò usitata, sed & ab alijs aliter definita fuerit, prout mox apparebit. Secundò quia Thomas Hurtadus in suis Moralibus Resol. 45. §. 8. testatur Bellarminum collegisse illam suam definitionem ex Bullis canonizationum duorum duntaxat Sanctorum, nimirum Sancti Francisci de Paula, & Sancti Didaci Complutensis: cùm tamen non sit consequens, ut quæ definitio uni alterive canonizationi congruit, ea canonizationi simpliciter ac genericè sumptæ congruere debeat, aut queat. Tertiò quia illam Bellarmini definitionem alij viri docti ex professo improbant, signanter Jacobus Granadus in 2. 2. Controv. 1. de Fide, Tract. 7. Disp. 3. necnon Ioannes Baptista Lezana Consult. 3. de Officio Eliæ n. 130." Rectè, inquiens, Jacobus Granadus „ Disp. 3. Sect. 1. rejicit definitionem cano- „ nizationis traditam à Bellarmino, videlicet „ *Canonizatio est publicum Ecclesiæ testimonium de* „ *vera sanctitate & gloria alicujus hominis tam de-* „ *functi, &c.* inquiens: *In hac definitione illud non* „ *omninò placet, quòd minùs generalis sit: comple-* „ *ctitur enim solos canonizatos ab Ecclesia, cùm ta-* „ *men alij sint ipsius Scripturæ vel traditionis autho-* „ *ritate canonizati. Et præterea nullum adhuc vi-* „ *ventem comprehendit; cum tamen Henoch & Elias,* „ *qui adhuc vivunt, sint absolutè Sancti; & de hoc* „ *secundo recitetur, in illiusque honorem offeratur sa-* „ *crificium à Religiosis Ordinis Carmelitarum. Et* „ *licet Sanctus Ioannes Evangelista nondum mortuus* „ *fuisset, ut aliqui, licèt falsò, putaverunt, censeri* „ *deberet canonizatus, &c*". Quartò quia ipsemet Cardinalis Bellarminus definitionem illam suam eodem capite evertit, quo tradidit: ait quippe ibidem post pauca, " Utile esse San- „ ctos canonizari his argumentis demonstrari „ potest: primò quia Deus ipse voluit à San- „ ctis Scriptoribus annotari in particulari „ gloriosam vitam & mortem eorum, qui „ tempore ipsorum floruerunt: ut patet de „ Ecclesiastico, qui cap. 44. & sequentibus canoni-

Hurtadus. Lezana. Granadus. L. Bellarm. lib. 1. de. Sanct. Beatit. cap. 7.

„ canonizavit plurimos Sanctos, ut Henoch, „ Noë, Abraham, Isaac, Iacob, Moysen, „ Aaronem, Phinees, Iosue, Caleb, Samue- „ lem, Davidem, Eliam, Elisæum, &c". Hi igitur omnes, cum alijs eodem catalogo laudabiliter recensitis, fatente ipso Bellarmino, canonizati fuerunt ab Ecclesiastico, sive potiùs à Deo per organum Ecclesiastici. Cùm autem ea canonizatio trecentis circiter annis ante Christi passionem peracta fuerit, nemo profectò illorum omnium ad cælestem *gloriam* tunc pervenerat, nemo *cum Deo feliciter regnare* adhuc cœperat; prout ex dictis § 208. & 256. constat, & Bellarminus ipse agnoscit ibidem superiùs cap. 3. & lib. 4. de Christo cap. 11. & 16. Quinimò *Henoch & Elias*, quos inter canonizatos ab Ecclesiastico Bellarminus mox relatus recenset, nequidem adhuc hodie cælestem *gloriam* possident, aut *cum Deo feliciter regnant*; sed in suis corporibus nondum immortalitatis dote vestitis adhuc vivunt, in fine demùm sæculorum martyrizandi, resuscitandi, glorificandi. Neque verò Bellarminus id ignoravit aut dissimulavit, sed palam asseruit partim lib. de Gratia primi hominis cap. 12. partim lib. 3. de Romano Pontifice cap. 6. partim denique in Apologia pro Responsione sua ad librum Regis Magnæ Britanniæ c. 11. Cùm igitur Cardinalis Bellarminus illam suam canonizationis definitionem absque ullius antiquioris authoris suffragio procuderit, & ex uno duntaxat alterove canonizationis Diplomate collegerit, & ipsemet eandem unâ manu astructam alterâ everterit, non est cur vereamur alijs eruditis viris eam rejicientibus accedere, atque antiquitùs traditis definitionibus inhærere: quarum unam habemus ab Innocentio III. Summo Ecclesiæ Præsule ante annos plusquam quadringentos digestam, hujusce tenoris: M. *Canonizare est canonicè & regulariter statuere, quòd aliquis Sanctus honoretur pro Sancto: puta solemne officium pro eo facere sicut fit pro alijs Sanctis, qui sunt ejusdem conditionis: ut si canonizetur Confessor, fiat pro eo officium Confessoris; & si Martyr, fiat pro eo officium Martyrum: & sic de alijs.* Quam definitionem approbant communiter cæteri Interpretes ejusdem capitis, signantèr Hostiensis, Ioannes Andreas, Panormitanus, & Zarabella. Quibus consonant Summistæ verbo *Canonizatio*, ut Sylvester, Tabiena, Fumus. In idem quoque recidit quòd B. Antoninus P. 3. tit. 22. c. 5. §. 5. scribit, Augustinum de Ancona secutus: *Sanctum aliquem canonizare non est aliud, quàm sanctitatem alicuius venerandam & approbandam manifestare, propter fidem Ecclesia eius opera imitantis, & beneficia recipientis.* Breviter ac dilucidè Thomas Waldensis tomo 3. c. 122. *Canonizare*, inquit, *est Sanctos canonicè cognitos populis colendos proponere.* Pauló quidem fusiùs, sed eodem tamen sensu Ioannes Viguerius: N. *Canonizatio*, inquit, *nihil est aliud, quam Sanctitatis alicuius hominis approbatio, certificatio, & manifestatio, atque propositio venerationis illius toti Ecclesiæ catholicæ, ad Sancti imitationem, & beneficiorum Dei per eius invocationem, impetrationem & receptionem.* Qui mox ibidem specificans ea quæ ad canonizationem requiruntur, adjungit: " Tria sunt de canonizatione alicujus „ Sancti: primum, sanctitatis ejus approbatio; „ secundum, sanctitatis ejus acceptæ à populo „ Christiano veneratio; tertium, fidei totius „ Ecclesiæ beneficia illius Sancti poscentis confirmatio". Quæ eadem tria requisita consimiliter specificantur ab Antonino post verba ex ipso proximè relata. Atque ita nec unus nec alter ad canonizationem requirit quòd canonizatus cælestem *gloriam* actu possideat, aut *cum Deo feliciter regnet*. Quinimò Viguerius ibidem inferiùs haud obscurè indicat oppositum, quatenùs asserit quosdam fuisse canonizatos, & quidem à Deo ipso, ante Christi incarnationem ac passionem, cum nondum paterent cælestia regna hominibus quantumvis piè defunctis: " Notandum, inquit, quòd „ nullus sanctorum Patrum antiqui Testa- „ menti est ab Ecclesia canonizatus: quia qui „ à Deo tanquam superiore est canonizatus „ & approbatus, non eget ab hominibus ap- „ probari sive canonizari. Sancti autem mul- „ ti, qui ante incarnationem Christi piè vixe- „ rant, fuerunt in pluribus Scripturæ locis „ approbati, & maximè Ecclesiastici cap. 44. „ & aliquorum approbationem recitat Apo- „ stolus Hebr. 11. Ecclesia verò eorum san- „ ctitatem & exemplaritatem proponit imi- „ tandam, & eorum orationibus se commen- „ dat in generali; eorum tamen approbatio- „ nem & canonizationem non solemnizat". Cùm igitur in veteri perinde ac in novo Testamento Sanctos constet fuisse canonizatos, nec tamen in veteri Testamento quisquam ad cælestem *gloriam* pevenerit, aut *cum Deo feliciter regnaverit*; consectarium profectò est, Canonizationem non importare actualem canonizati *gloriam*, aut cælestis regni cum Deo coronam. Vnde Malvetius consonè præcedentibus; O. *Canonizare*, inquit, *est aliquem secundum canones pro Sancto approbare.* Et Cardinalis Tuscus, loquens in specie de ea canonizatione quam Pontifex solemnizat: P. *Canonizare Sanctos*, inquit, *propriè est aliquem per Summum Pontificem catalogo Sanctorum adscribi, ut habeatur pro Sancto.* Et Iacobus Castellanus, à Contelorio relatus & approbatus lib. de Canoniz. Sanctorum cap. 1. n. 3. " *Canonizatio*, inquit, *est canonica solemnis & publica definitio, per Papam facta, quòd aliquis Sanctus ab omnibus honoretur, & catalogo aliorum Sanctorum adscribatur, & fiat certâ die annuatim officium solemne*

Vide Innoc. III hic in pr. §. proximo, & Isidor. lib. 1. Sent. c. 14.

M Innoc. III. in cap. Audivimus, de Reliquiis & venerat. Sanctorum.

Vide Hostien. Ioan. Andream, Panorm. & Zarabellam ibidem. Sylvester. Tabiena. Fumus. Antoninus. Anconitanus.

Waldensis.

N Viguerius Institut. cap. 10 §. 1. vers. 4.

Vide Augustin. Triumphum & Turrecremat. apud Contelor. de Canonizat. Sanctorum cap. 12.

O. Malvet. de Canoniz. Sanct. Dub. 1. n. 13.

P. Cardin. Tuscus in Repertorio, verbo Canonizatio. Castellan. Contelor.

solemne pro eo. Ex quibus omnibus definitionibus patet, canonizationem Sanctorum neque genericè sumptam, neque etiam specificè pro ea quam Papa solemnizat, importare actualem beatitudinem eorum qui canonizantur; sed duntaxat sanctitatem consummatam, perseverantiam finalem, & gloriæ sive jam adeptæ, sive suo tempore adipiscendæ securitatem. Ex quo ulterius fit, Cardinalem Bellarminum potuisse ac debuisse in sua definitione omittere istam clausulam, *& gloriâ*; & similiter illam, *qui cum Deo feliciter regnant.* Neutra enim à cæteris authoribus jam relatis additur, & utraque ab ipsomet Bellarmino alibi funditùs evertitur: prout ex jam dictis facilè perspicitur.

CCLXIII. Ad canonizationis formulam quod attinet, videtur simile quidpiam circa eam accidisse Tannero, quod circa canonizationis notionem seu definitionem acciderat Bellarmino: ita ut quemadmodùm hic ex uno alterove particulari canonizationis Diplomate collegerat generalem canonizationis genericè sumptæ definitionem, sic & ille formulam. Ea quippè formula quam Tannerus pro communi obtendit, collecta videtur ex Diplomate canonizationis Beati Francisci de Paula, quod extat apud Surium tomo 2. vitæ Sanctorum, & novissimè apud Bzovium tomo 19. Annalium ad an. Christi 1507. Sed profectò etiamsi Leo X. in eo Diplomate *decreverit ac definierit.bonæ memoriæ Franciscum de Paula, Ordinis Minimorum Institutorem, in cælesti Hierusalem inter Beatorum choros iam receptum, æternaq; gloria coronâ donatum fuisse, ac Sanctorum Confessorum catalogo adscribendum fore:* non tamen hinc consequens est, eam canonizandi formulam esse communem, ut Tannerus obtendit. Quin potiùs ex adverso, quoniam plerique alij Summi Pontifices tam ante, quàm etiam post Leonem X. eâdem formulâ non sunt usi, inferendum fuerit, eam nequaquàm esse communem, sed peculiarem & extraordinariam: præsertim cùm constet eam applicari non posse ijs, quos pro tempore veteris Testamenti canonizatos à Deo tenemus, nondum tunc *in cælestem Hierusalem receptos,* aut *æterna gloria coronâ donatos*; sed duntaxat, ut Apostolus ait, *Testimonio fidei probatos.* Cæterùm Pontifices Leone X. anteriores non fuisse usos eâdem illâ canonizandi formulâ, saltem communiter ac regulariter, satis indicat Contelorius, Theologus & Iurisconsultus Romanus, cùm ait: Q. Solemnitates, quibus hodie utuntur Summi Pontifices, ex eorum pendent arbitrio; & possunt augeri, & minui, prout Pontifex judicat expedire. Unde magister cæremoniarum à Leone X. requisitus, ut traderet formam servandam in canonizatione Sancti Francisci de Paula, respondit, se nihil posse certò firmare; quia diversa à diversis audivit, nec in suis libris certam formam invenerat, & aliud vidit servari in canonizatione Sancti Nicolai de Tolentino die 5. Iunij 1446. factâ per Eugenium IV. aliud in canonizatione Sancti Bernardini, factâ in festo Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli 1450. per Nicolaum V. aliud in canonizatione Sancti Vincentij die 24. Maij 1455. factâ per Calixtum III. aliud in canonizatione Sanctæ Catharinæ Senensis die Ascensionis 1461. factâ per Pium II. aliud in canonizatione Sancti Leopoldi in die Epiphaniæ 1485. factâ per Innocentium VIII. Unde ipse exhibuit aliam formam Leoni X. quæ in canonizatione Sancti Francisci de Paula die 1. Martij 1519. servata fuit". Quibus verbis non solùm testatur priores illas formas inter se discrepasse, sed & hanc postremam ab eis *aliam* extitisse. Planum proindè est postremam istam formam non rectè obtendi tanquam communem, sed in comparatione præcedentium dicendam potiùs singularem, vel saltem specialem: quanquàm valdè accedat ad formam à Pio II. in canonizatione Sanctæ Catharinæ Senensis servatam, prout cernere licet apud Bzovium ad Annum Christi 1461. n. 11. Neque etiam eam adhibere consueverunt recentiores Pontifices, qui post Leonem X. canonizationes Sanctorum solemnizarunt: signanter Paulus V. qui anno 1610. canonizavit Beatum Carolum Borromæum sub hac verborum forma, in Diplomate relato per Contelorium ad calcem sui libri mox citati: *Ad honorem Sanctæ & individuæ Trinitatis, ac fidei Catholicæ exaltationem, & Religionis Christianæ augmentum authoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostrâ, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Vrbe præsentium consilio & unanimi consensu, bonæ memoriæ Carolum Borromæum, tituli S. Praxedis, dum vixit, Presbyterum Cardinalem, & Archiepiscopum Mediolanensem, de cuius sanctitate vitæ, fidei sinceritate, & miraculis plenè constabat & constat, Sanctum esse definivimus, ac Sanctorum Confessorum Pontificum catalogo adscribendum decrevimus, prout præsentium tenore definimus, decernimus, & adscribimus; illumque omnes fideles venerari mandavimus, & mandamus: statuentes, ut ab universali Ecclesia in eius honorem altaria & Ecclesiæ, in quibus sacrificia Deo offerantur, ædificari & consecrari possint: & singulis annis die 4. Novembris festum, & officium Sancti Confessoris Pontificis, ad Breviarij Romani præscriptum, devotè celebretur.* Huic formę penè verbatim consonat ea quam velut communem descripsit ex sacrarum cæremoniarum libro Angelus Rocca apud Lezanam Consult. 1. n. 72. Cui

Leo. X.

Heb. 11. 39.

Contelor. de canonizat. Sanct. cap. 1. n. 5. & 6.

Bzovius

Canonizatio Caroli Borromæi

Ang. Rocca Lezana.

Lezana. Cui idem ipse Lezana ibidem numero 73. aliam breviorem formam adjungit, ex Codice Rituali cæremoniarum Sacrarij Pontificij descriptam, hujusce tenoris: *Ad honorem Sanctæ & individuæ Trinitatis, & exaltationem fidei Catholicæ, ac Christianæ Religionis augmentum, authoritate ejusdem Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & nostrâ, de Fratrum nostrorum consilio, decernimus & definimus, bonæ memoriæ N. N. Sanctum esse, & Sanctorum catalogo adscribendum, ipsumq; catalogo huiusmodi adscribimus: statuentes, ut ab universali Ecclesia, anno quolibet, in die N. festum ipsius, & officium, sicut pro uno Confessore* (si sit Confessor) *vel Martyre* (si sit Martyr) *devotè & solemniter celebretur.* Hanc eandem formam tanquam communem exhibet quoque Maiolus tomo 2. Canicularium Colloquio 6. descriptam ex Sacrarum cæremoniarum volumine, Venetijs anno 1580. excuso. A qua forma minimùm sensu discrepat ea, quâ in novissima canonizatione Beati Thomæ de Villanova usus est Alexander VII. in hunc tenorem: *Ad honorem Sanctæ & individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei Catholicæ, & Christianæ Religionis augmentum, authoritate Domini Nostri IESV CHRISTI, Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostrâ, maturâ deliberatione præhabitâ, & Divinâ ope sæpiùs imploratâ, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Vrbe existentium consilio, Beatum Thomam de Villanova, Archiepiscopum Valentinum, Sanctum esse decernimus, & definimus, ac Sanctorum catalogo adscribimus: Statuentes ab Ecclesia universali quolibet anno, die decimâ octavâ Septembris memoriam eius inter Sanctos Confessores Pontifices, piâ devotione recoli debere. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti. Amen.*

Rituale cæremoniarũ Rom. Vide Conteler de Canoniz. Sanctor. cap. 2. & 6.

Maiolus.

CCLXIV. Siquando igitur Pontifices deprehenduntur usi eâ canonizationis formâ, quæ Canonizatum in *cælesti Hierusalem fuisse iam receptum*, aut *sempiterna gloria coronâ donatum* importat, præsumendum omninò est eos non sine sufficientibus rationum momentis tali formâ hìc & nunc usos fuisse; sed vel peculiaribus revelationibus, cælestibus apparitionibus, aut miraculosis quibusdam operationibus legitimè probatis, ad taliter canonizandum permotos esse. Quis enim Catholicus in dubium revocet veteres ac novas Sanctorum historias, ab Ecclesia probatas, & Ecclesiastico officio authenticè insertas, quibus nonnullorum piè defunctorum animæ perhibentur visæ in cælum conscendere; sicut de anima Pauli Eremitæ legitur in Breviario Romano die 15. Januarij, item de anima Martini Turonensis die 11. Novembris, item de anima Benedicti Patriarchæ die 21. Martij, item novissimè de anima Teresiæ Virginis die 15. Octobris? Quoties igitur certa hujusmodi probationum documenta suppetierint, poterit Pontifex, si ita visum fuerit, peculiari illâ canonizandi formâ uti, quæ præsentaneam Canonizati beatitudinem importet. Si verò hâc omissâ communem duntaxat formam adhibeat, illud solùm decernere ac definire censendus erit, quod ipso verborum tenore pronuntiaverit, nimirùm eum qui canonizatur *Sanctum esse, & Sanctorum catalogo adscribi.* Certè Joannes XXII. cujus occasione huc devoluti sumus, hâc brevissimâ formâ usus fuisse legitur in canonizatione Beati Ludovici Tolosani, prout ex Diplomate ejusdem canonizationis §. 29. constat: *De fratrum nostrorum consilio & assensu, de omnipotentia Dei virtute confisi, authoritate quoque Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, & nostrâ, ipsum* (B. Ludovicum) *die 7. Aprilis, Sanctorum Confessorum catalogo duximus adscribendum.* Eâdem quoque formâ, mutatis duntaxat mutandis, usus est idem Pontifex in canonizatione Beati Thomæ Aquinatis prout patet ex Diplomate canonizationis §. 21. quod recitat Bzovius anno 1322. n. 28. Nec dubium quin eâdem vel æquivalente usus quoque fuerit in canonizatione Beati Thomæ Herfordiensis, cujus canonizationis Diploma extat apud eundem Bzovium anno 1320. n. 26. sed fine truncatum: pro quo tamen fine idem Bzovius substituit hæc verba: *Hæc miracula Ioannes Pontifex recensens, Thomam Sanctis adnumeravit, & Festum illius 6. Nonis Octobris celebrari præcepit.* Quod ait *Sanctis adnumeravit*, perindè valet ac si diceret, *Sanctorum catalogo adscripsit.* Usus ergò fuit Joannes Pontifex eâ canonizationis formâ, quæ Canonizati sanctitatem quidem importabat, sed præsentaneam ejusdem beatitudinem, nec includebat nec excludebat: atque ita canonizationi simpliciter seu genericè sumptæ congruebat. Etenim *Sanctorum catalogo adscribi*, commune est ijs omnibus qui vel olim ante Christi Passionem, & cælestis paradisi reserationem, à Deo canonizabantur; vel etiamnùm Christo passo, & cælo reserato, ab Ecclesia canonizantur. Neque verò ex eo, quòd Christus suâ cruce reserârit paradisi fores, consequens est, omnes in sanctitate defunctos confestim Dei visione beari; sed complures realiter mortui indigent temporaliter in purgatorio expiari. Quapropter etiamsi ex vi canonizationis certi esse possimus de præsentanea semperque duratura Canonizati Sanctitate, non tamen de jam

Vide Marcellum lib. 6. Exemplor. cap. 16.

Ioan. XII. apud Bzovium anno 1317. n. 31. §. 29.

Bzovius.

adeptâ divinæ visionis claritate; nisi fortè hæc ipsa adeptio signanter exprimatur in formai sicut in canonizatione B. Francisci de Paula expressam fuisse superiori §. memoravimus, & de Catharina Senensi idipsum innuimus. Verùm quia ea expressio regulariter non fit, idcircò eæ formæ in quibus fit, non sunt dicendæ communes, sed speciales aut peculiares. Nimirùm posteriores Pontifices ut plurimùm imitati fuerunt Leonem III. qui, ut §. 261. visum est, sub initium noni sæculi solemnizavit canonizationem Sancti Suiberti ad instantiam Caroli Magni. Solemnizavit autem, non ei beatificam Dei visionem attribuendo, sed eum *Sanctorum Confessorum catalogo adscribendo*. Qua de re Ludgerus, Episcopus primus Monasteriensis, in Epistola quam de miraculis ejusdem Sancti Suiberti scripsit ad Rixfridum Trajectensem Antistitem: [R] Papa Sanctus Leo, „ inquit, de assensu pariter & consensu suo„ rum Cardinalium, cæterorumque Præla„ torum coram astantium, solemniter *cata„ logo Sanctorum Confessorum ipsum* (Sanctum Suibertum) *adscripsit*". Nulla hìc mentio divinæ visionis ut jam obtentæ, sed duntaxat *adscriptionis* in Sanctorum catalogum factæ: quæ profectò *adscriptio*, ipsa est Sancti canonizatio. Deus enim in veteri Testamento eos canonizavit, quos per Ecclesiastici organum catalogo Sanctorum inscripsit, quamvis necdum tunc eorum quisquam faciem Dei viderit. Est autem illa olim à Deo facta canonizatio, velut prototypon, ad cujus imitationem Ecclesia canonizat. Unde Rota Romana in Relatione ad Paulum V. super processu canonizationis Beati Andreæ Corsini, adducit pro fundamento canonizationis Sanctorum illum Ecclesiastici locum, *Laudemus viros gloriosos* &c. cui continuò subjicit: [S] *Ecce canonizatio Sanctorum, quam facit Ecclesia.* Quamvis igitur Ecclesia diversas adhibeat cæremonias, non tamen diversam facit canonizationem ab illa quam reperit apud Ecclesiasticum divinitùs factam: nam sicut tunc, ita & nunc, quisque censetur eo ipso canonizatus, quo est in Sanctorum catalogo legitimè inscriptus. Unde Joannes Andreas postquam novem priores ritus ab Ecclesia præmitti solitos recensuisset: [T] Decimo, inquit, flexis genibus fit devota „ oratio, & cantatur, *Veni Sancte Spiritus*, vel „ alius hymnus, sive antiphona conveniens. „ Undecimo, surgit Papa ab oratione, & „ diffinit illum, de quo agitur, Sanctum esse, „ & Sanctorum catalogo adscribendum, & „ tanquam Sanctum esse venerandum, & Festum suum colendum tali die". Eadem habet Chassanæus in Catalogo gloriæ Mundi p. 3.

R. Ludgerus apud Baron. an. 804. n. 3.

Eccles. 44. 1.

S. Rot. apud Lezanam Consult. 2. n. 160. Vide Contelor. de Canonizatione Sanct. c. 1. n. 7.

T. Ioan. Andreas in cap. Audivimus, de Reliquijs & Venerat. Sanct. c. 1.

Chassanæus.

Consider. 50. Præmiserat quoque Joannes Andreas ibidem superiùs n. 2. hanc definitionem seu descriptionem canonizationis Papalis, seu à Papa solemnizatæ: " Canonizare est „ aliquem Sanctum per Papam catalogo alio„ rum Sanctorum adscribere, & publicè, so„ lemniter, canonicè, & regulariter declarare, „ diffinire, & statuere, quòd tanquam San„ ctus ab omnibus honoretur, & fiat certâ „ die officium solemne annuatim, quale pro „ alijs Sanctis illius conditionis; si ut Con„ fessor canonizatur, officium Confessorum; „ si ut Martyr, Martyrum, & sic de singulis". Cùm igitur canonizatio nec ex sua legitima definitione, nec ex sua communi formula ampliùs importet; quàm canonizati inscriptionem in catalogo Sanctorum, facilè perspicitur quomodò potuerit Joannes XXII. solemnizare aliquot Sanctorum canonizationes, absque præjudicio propriæ suæ opinionis, quâ putavit differendam animarum separatarum beatificam visionem usque ad corporum resumptionem.

Ioannes Andreas.

CCLXV. Sed quid dicendum ad Diplomatum clausulas §. 258. relatas, quibus idē Ioannes Pontifex indicat Sanctos illos à se canonizatos cęlo jam potiri, stellifero regni diademate coronari, inter Sanctorum agmina locari, in cælestibus agminibus positos à Deo glorificari, animas eorum jam cælum possidere? Respondeo, istiusmodi clausulas ex mente Joannis Pontificis non importasse beatificam animarum visionem, quam ille tunc credidit differri usque ad corporum resumptionem; sed contemplationem humanitatis Christi, cum consortio aliarum sanctarum animarum in regno cælesti. Quam responsionem innuit Suarez §. 254. relatus, cui consonat etiam Salas ibidē in margine adductus, quatenùs agnoscunt assertionem Innocentij III. de qua ibi tractant, *non fuisse intellectam de clara Dei visione, sed de regno cælesti cum Christo Domino: de quo potuerunt intelligi sine aperta hæresi Sanctorum testimonia, cùm non essent satis ab Ecclesia declarata; præsertim cùm sint alia testimonia Scripturæ Sacræ, quæ occasionem præbere potuerunt ad contrarium opinandum.* Si verba Innocentij potuerunt intelligi *non de clara Dei visione, sed de regno cælesti cum Christo*: quanto magis verba Joannis XXII. quem constat in ea aliquando fuisse opinione, quæ differebat animarum separatarum visionem, usque ad corporum resumptionem? Porrò varias acceptiones *regni cælorum*, variosque status regnantium cum Christo, commemorat Augustinus lib. 20. de Civit. cap. 9. usque adeò quidem, ut etiam Ecclesiam præsentis sæculi appellet *regnum cælorum*, & justos in ea existentes asserat, regnare cum Christo, juxta illud Apocalypticum: *Erunt Sacerdotes Dei & Christi, & regna-*

Vide Suarez & Salas suprà §. 254. in fine.

Apoc. 20. 6.

Ibid. v. 2. V. Aug. lib. 20. de Civit. cap. 9. Vide Bedam in cap. 20. Apocalyp. — *& regnabant cum illo mille annis* : V. Intereà; ait
„ ille, *dum mille annis ligatus est diabolus*, Sancti
„ Dei regnant cum Christo etiam ipsis mille
„ annis, eisdem sine dubio, & eodem modo
„ intelligendis, id est, isto iam tempore prio-
„ ris ejus adventus. Excepto quippè illo re-
Mat. 25. 34. „ gno de quo in fine dicturus est, *Venite bene-*
„ *dicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum*,
„ nisi alio aliquo modo, longè quidem impari,
„ jam nunc regnarent cum illo Sancti ejus,
Mat. 28. 20. „ quibus ait, *Ecce ego vobiscum sum usque ad con-*
„ *summationem seculi*; profectò non etiam nunc
„ diceretur Ecclesia regnum ejus, regnum-
„ ve cęlorum. Nam utique isto tempore *in reg-*
Mat. 13. 52. „ *no Dei eruditur Scriba ille, qui profert de thesauro*
suo nova & vetera". Et rursùs ibidem post pau-
ca: " Regnant itaque cum illo (*Christo*) etiam
„ nunc Sancti ejus, aliter quidem quàm tunc
„ regnabunt; nec tamen cum illo regnant zi-
„ zania, quamvis in Ecclesia cum tritico cres-
„ cant. Regnant enim cum illo, qui faciunt
Col. 3. 1. & 2. „ quod Apostolus ait, *Si consurrexistis cum Chri-*
„ *sto, quæ sursum sunt sapite, ubi Christus est in de-*
„ *xtera Dei sedens; quæ sursum sunt quærite, non*
quæ super terram". Denique ut noverimus etiã
animas piè defunctorum ad hoc ipsum Christi
regnum suo modo pertinere, subditur infe-
riùs: " *Et animæ occisorum propter testimonium*
„ *IESV, & propter verbum Dei*: Subauditur, quod
„ posteà dicturus est, *regnaverunt cum IESV mille*
„ *annis*, animę scilicet Martyrum, nondum sibi
„ suis corporibus redditis. Neque enim pio-
„ rum animæ mortuorum separantur ab Ec-
„ clesia, quæ etiam nunc est regnum Christi:
„ alioquin nec ad altare Dei fieret eorum me-
„ moria in communicatione corporis Christi;
„ nec aliquid prodesset ad ejus in periculis
„ Baptismum currere, ne sine illo finiatur hæc
„ vita; nec ad reconciliationem, si fortè per
„ pœnitentiam malamve conscientiam quis-
„ quam ab eodem corpore separatus est. Cur
„ enim fiunt ista, nisi quia fideles, etiam defun-
„ cti, membra ejus sunt? Quamvis ergò cum
„ suis corporibus nondum, ita tamen eorum
„ animæ regnant cum illo, dum isti mille anni
„ decurrunt. Unde & in hoc eodem libro alibi
Apoc. 14. 13. „ dicitur, *Beati mortui qui in Domino moriuntur:*
„ *amodò iam dicit Spiritus, ut requiescant à la-*
„ *boribus suis, nam opera eorum sequuntur illos.*
„ Regnat itaque cum Christo nunc primùm
Rom. 14. 9. „ Ecclesia in vivis & mortuis: *Propterea enim,*
„ sicut dicit Apostolus, *mortuus est Christus, ut*
„ *& vivorum & mortuorum dominetur*: sed ideò
„ tantummodò Martyrum animas comme-
„ moravit, quia ipsi præcipuè regnant mor-
„ tui, qui usque ad mortem pro veritate cer-
„ taverunt. Sed à parte totum, etiam cæteros
„ mortuos intelligimus, pertinentes ad Ec-
clesiam, quod est regnum Christi". Et rur-
sùs post enumerationem variorum crimi-
num, quibus se inquinant improbi adora-
tores bestiæ Apocalypticæ; subdit ipse info-
riùs ibidem: " Ab his ergò malis alieni; sive
„ adhuc in ista mortali carne viventes, sive
„ defuncti, *regnant cum Christo*, jam nunc quo- Apoc. 20. 6.
„ dam modo huic tempori congruo; per to-
„ tum hoc intervallum quod numero *mille*
significatur *annorum* ". Hinc planum fit, non
solos eos regnare cum Christo in regno cæ-
lorum, juxta Augustini interpretationem,
qui Dei faciem intuitivè contemplantur; sed
eos quoque, qui vel in Ecclesia militante justè
viventes suis passionibus dominantur, vel
decurso vitæ hujus stadio feliciter *in Domino* Apoc. 14. 13.
moriuntur, atque adeò post devictum mor-
tis aculeum *in protectione Dei cœli commoran-* Ps. 90. 1.
tur, de qualibus scriptum est in libro Sapien-
tiæ, *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non* Sap. 3. 1. & seqq.
tanget illos tormentum mortis: visi sunt oculis in-
sipientium mori, & æstimata est afflictio exitus
illorum; & quod à nobis est iter, exterminium: illi
autem sunt in pace. Cùm ergò Joannes XXII.
deprehendisset phrases illas, *regnare cum Chri-*
sto, possidere cælorum regnum, & similes alias,
posse juxta Beati Augustini, & aliorum Tra-
ctatorum interpretationem applicari etiam
ijs, qui Deum facie ad faciem nondum con-
templarentur: facilè perspicitur, quomodò
potuerit ijs uti in suis canonizationum Bul-
lis; retentâ tamen suâ opinione de anima-
rum separatarum beatifica visione differendâ
usque ad corporum resumptionem. Accede-
bat insuper authoritas Bernardi & Hugonis
Victorini §. 255. relata, juxta quam in cæ-
lestibus distinguuntur *atria* domûs Dei, ab
ipsa *domo* Dei; & animæ Sanctorum sepa-
ratæ statuuntur in *atrijs*, non in ipsa *domo*;
quiescunt *sub altari*, nondum elevatæ su- Apoc. 6. 9.
per altare: W. Porrò altare ipsum, inquit W. Bernar. Serm. 4. in Festo om. Sanct.
„ idem Bernardus, de quo nobis habendus
„ est sermo, ego pro meo sapere nihil aliud
„ arbitror esse, quàm corpus ipsum Domi-
„ ni Salvatoris. Credo autem quòd & ego
„ super hoc sensum ejus habeam, præsertim
„ cùm audiam eum in Evangelio promit-
„ tentem; *Vbicunque fuerit corpus, illuc con-* Luc. 17. 37.
„ *gregabuntur aquilæ.* Interim ergò sub Chri-
„ sti humanitate feliciter Sancti quiescunt,
„ in quam nimirùm desiderant etiam Angeli
„ ipsi prospicere, donec veniat tempus quando
„ jam non *sub altari* collocentur, sed exalten-
„ tur super altare. Sed quid dixi? Nunquid
„ humanitatis Christi gloriam, non dico ho-
„ minum, sed vel Angelorum assequi pote-
„ rit quis, nedum superare? Quonam igi-
„ tur modo super altare dixerim eos exal-
„ tandos, qui nunc *sub altari* quiescunt?
„ Visione utique & contemplatione, non præ-
latione:

Ioan. 14. 21. „ latione: *Ostendet enim nobis Filius*, ut pollicitus est, *semetipsum*; non in forma servi, sed „ in forma Dei: ostendet etiam nobis Patrem „ & Spiritum Sanctum, sine qua nimirùm vi-
Ioan. 17. 3. „ sione nihil sufficeret nobis: quoniam *Hac est* „ *vita aeterna, ut cognoscamus Patrem verum Deum,* „ *& quem misit* IESVM CHRISTVM; & in eis,
Luc. 12. 37. „ quod non est dubium, etiam Spiritum „ utriusque. *Transiens* quidem *ministrabit nobis*, „ novas utique, & usque ad illud nobis penitùs inexpertas delicias manifestæ suæ contemplationis". Animæ itaque Sanctorum corporibus exutæ, juxta hanc Bernardi interpretationem, quiescunt in atrijs domûs Dei, contemplantes Christi humanitatem, ad quam agminatim congregantur velut aquilæ ad corpus; admittendæ demùm ad contemplationem divinitatis quando sua corpora resumpserint. Quam Bernardi interpretationem secutus Joannes XXII. dixit in suis Bullis, animas Sanctorum à se canonizatorum potiri cælo, inter agmina Sanctorum locari, cæli cives esse, Sanctorum cœtibus inseri, à Christo refici, stellifero regni diademate redimiri, in cęlis regnare &c. Hæc enim omnia putavit subsistere posse, absque faciali divinæ essentiæ contemplatione; quam usque ad corporum resumptionem autumavit differendam. Neque enim in terra, aut sub terra, animas plenè purgatas post Christi ascensionem, sed in cælo collocabat, uti & ante ipsum Bernardus Sermone proximè citato: ubi cùm de *sinu Abraha* quædam præmisisset, adjunxit: Luc. 16. 22. " In hunc ergò locum Salvator descen-
„ dens *contrivit portas areas, & vectes ferreos* Ps. 106. 16.
„ *confregit*; eductósque *vinctos de domo carceris*, Isa. 42. 7.
„ *sedentes* quidem, hoc est, quiescentes, sed *in*
„ *tenebris & umbra mortis*, jam tum quidem *sub* Luc. 1. 79.
„ *altari* Dei collocavit, abscondens eos in tabernaculo suo, donec veniat tempus in quo „ procedant, completo jam numero fratrum, „ & percipiant regnum quod eis paratum est „ ab origine Mundi. Jam verò sicubi fortè „ præsens quoque Sanctorum requies *Abraha* „ *sinus* vocatur, certum est de Euangelio hanc „ implevisse consuetudinem: licet neminem „ oporteat dubitare longè alium hunc sinum „ esse, quàm illum; quippè cùm ille in tene„ bris, hic in luce multâ; in inferno ille fuerit, iste in cælo".

CAPUT LXIX.

Argumentum quartum §. 258. objectum, multifariè eliditur. Baronij assertio usum Ecclesia hodiernum respicit, nec ad anteriora sacula sese exporrigit. Eandem Ioannes XXII. absque ullo opinionis sua prajudicio admittere potuisset, si exhibita sibi fuisset. Sanctitatis titulus olim inter Christianos quàm promiscuus? An etiam hareticis, aut alijs infidelibus, vel schismaticis aliquando tributus? Deturne in altera vita Purgatorium desiderij, *ubi anima quadam à pœna sensus exoluta solâ pœnâ damni affliguntur?* Sanctitatis *notio, etymon, varij ac dispares gradus. Deus cur* ter Sanctus, *&* Sanctus Sanctorum *dictus? Expenditur quod in Cantico Anna scriptum est,* Non est Sanctus, ut est Dominus. *Christus non modò secundùm divinitatem, sed etiam secundùm humanitatem* Sanctus Sanctorum *dictus. Eius inviolata Mater ob sanctitudinis excellentiam non tantùm* pulchra ut Luna, *verùm etiam* electa ut Sol *dici promeruit; & quid inter ista duo epitheta intersit? Romanus Antistes ob Christi vicariatum* Sanctissimus, *&* Sua Sanctitas *intitulatus. Ad singulos quosque ordines calestium hierarchiarum electi homines sublevantur, & Angelis in sanctitate coaquantur.*

CCLXVI. NUnc illud indagandum est, num titulus Sanctitatis ijs solis competat qui divinam essentiam facialiter intuentur: adeòque num Joannes XXII. declarando eos esse *Sanctos* quorum canonizationes solemnizavit, privatæ suæ opinioni §. 253. relatæ præjudicium procreârit? Cardinalis Baronius, §. 258. relatus, affirmativam partem astruere videtur, quatenùs ait: [X] Etsi olim Sanctitatis titulus „ communior esse videretur, ut non solùm X. Baron. de Martyrol. „ (ut hodie) illis tribueretur Christianis, qui Rom. c. 7. vitâ

„ vitâ functi, in cælo regnant cum Christo,
„ sed & quibuscunque laudabilioris vitæ fi-
„ delibus: datum tamen aliquando homini
hæretico, nemo dicere jure poterit". Dicit
tamen hoc postremum Theophilus Raynau-
dus, & multis coacervatis exemplis suum
probat dictum: [1] Certè, inquiens, Divus Au-
„ gustinus Hilarium Diaconum, Luciferia-
„ num, nominat *Sanctum Hilarium*: quamvis
„ non constet resipuisse, & ad Ecclesiam re-
„ venisse. Frequentissimè item *Sanctitatis titu-
„ lum*, honoris ergò, impendit alloquens Epi-
„ scopos fidei oblæsæ aut vitiatæ, quamdiu
„ eorum causa desperata non erat. Constat
„ etiam Alexandrum III. Rescripto ad Re-
„ gem Æthiopum hæreticum, quod refert
„ Baronius anno Christi 1177. in inscriptione
„ impendisse ei titulum *Sanctissimi*, quo insi-
„ gniri ab omnibus ex regionis usu solebat.
„ Item Concilium Romanum, *Palmare* di-
„ ctum, Theodorico Gothorum Regi Ariano
„ titulum *Sancti* (quidam Codices legunt
„ *Pijssimi*) tribuisse, non adulandi studio, sed
„ pro more honestandi eo magnifico titulo
„ ævi illius Principes. Auctùs etiam Diony-
„ sius Alexandrinus apud Eusebium lib. 7.
„ Historiæ cap. 10. Valerianum & Gallie-
„ num, ethnicos Imperatores, Christiano-
„ rum nomini infensissimos, nominavit *San-
„ ctissimos*: Apostoli haud dubiè exemplo, qui
„ hominem pessimum, quòd præfecturâ fun-
„ geretur, vulgari titulo appellavit *Optimum*;
„ contrà quàm hæreticos jam olim factitasse
„ habetur ex S. Chrysostomo ad illud Psalmi
„ 13. *Non est Deus.* Sic enim scribit: *Quilibet
„ Hæreticus, vehementissimus in tempore persecu-
„ tionis, loquens cum Pontifice, nec eum vocat Pon-
„ tificem, nec Archiepiscopum, nec religiosissimum,
„ nec Sanctum. Sed quid? Reverentia tua, Sapien-
„ tia tua, Prudentia tua, Iustitia tua: & nomina illi
„ adducit communia, eius negans auctoritatem.*
„ Nimirum quia tum alijs, tum eà maximè,
„ quæ nunc ad Episcopum Episcoporum
„ restricta est, *Sanctitatis* appellatione, autho-
„ ritas Ecclesiastica hæreticis invisa designa-
batur". Verùm non de postremâ istâ Baro-
nianæ assertionis parte, negante sanctitatis
titulum hæretico homini datum aliquando
fuisse, præsens agitatur disceptatio: sed de
priori, quâ contendit eundem *sanctitatis titu-
lum hodie illis solùm tribui Christianis, qui vitâ
functi, in cælo regnant cum Christo.* Vbi inprimis
adverto hanc Baronij assertionem conciliari
facilè posse cum ijs, quæ de Ioannis XXII.
sententiâ hactenùs disseruimus. Cùm enim
Baronius additione vocis, *hodie*, restringat
assertionem suam ad tempus modernum,
planum est, salvâ assertionis ejus veritate, po-
tuisse titulum Sanctitatis tribui alijs tempore
Ioannis XXII. quippe qui tribus penè sæculis
Baronium antecesserat. Deinde etiamsi asser-
tionem Baronij ampliare velimus ad tempus
Ioannis XXII. Poterit equidem suo modo
verificari juxta dicta §. præcedenti. Illi quip-
pe quibus à se canonizatis Ioannes XXII. ti-
tulum Sanctitatis tribuit, fuerant *Christiani*,
fuerant quoque jam *vitâ functi*; ac denique,
juxta ipsius Canonizantis opinionem §. præ-
cedenti elucidatam, *regnabant in cælo cum Chri-
sto*, contemplantes eius humanitatem, tametsi
nondum divinitatem; stantes in atrijs domus
Dei, nondum intromissi in ipsam domum
Dei; quiescentes subtus altare, nondum ele-
vati super altare. Cæterum quia Baronius
post decisam ab Ecclesia controversiam de
statu beatifico animarum plenè purgatarum
scripsit, omninò præsumendum est eum non
alios intellexisse *in cælo regnare cum Christo*,
quàm eos solos, qui non modò humanitatem,
sed ipsam quoque divinitatem contemplan-
tur Christi. Idipsum & de Bellarmino & Tan-
nero §. 258. relatis pariter est præsumendum.
Agnoscit quidem alibi Bellarminus non esse
improbabile quasdam plè defunctorum ani-
mas degere in loco quodam lucidissimo &
amœnissimo, ubi nullâ afficiantur pœnâ sen-
sibili, sed solâ contristentur dilatione cælestis
præmij: sed hunc ipsum locum non ad cæleste
regnum, sed ad pœnale purgatorium pertinere
existimat: [2] Videtur mihi dicendum, inquit,
„ non esse improbabile, talem aliquem locum
„ reperiri: cæterùm, ejusmodi locum ad pur-
„ gatorium pertinere. Etsi enim ibi nulla sit
„ pœna sensus, tamen est pœna damni: pœna
„ autem non convenit nisi animæ quæ non-
„ dum plenè purgata est. Itaque erit locus ille
„ mitissimum purgatorium, & quasi carcer
„ quidam senatorius atque honoratus. Hoc
„ tamen addendum est, animas, quæ in eo
„ loco morantur, non solùm carere beatitudi-
„ ne, sed etiam affligi ac torqueri ex illâ di-
„ latione beatitudinis. Dixi autem, *mihi non
„ videri improbabile reperiri talem aliquem locum*:
„ quia S. Thomas in 4. Dist. 21. art. 1. scribit:
„ *In ijs quæ de purgatorio determinata non sunt
„ ab Ecclesia, standum esse ijs quæ sunt magis con-
„ formia dictis & revelationibus Sanctorum.* Mo-
„ vit me etiam authoritas Ioannis de Turre-
„ cremata, doctissimi atque optimi Cardinalis,
„ qui in prologo qui præmittitur Revelatio-
„ nibus S. Brigittæ, cum diligenter expen-
„ disset eas revelationes, affirmare non dubi-
„ tavit, *Sanctæ Brigittæ convenire id quod dicitur
„ Iuditha: Omnia quæ locuta es, vera sunt, & non
„ est in sermonibus tuis ulla reprehensio.* Scribit
„ autem S. Brigitta lib. 4. cap. 124. animam
„ quandam in purgatorio nullam aliam pœ-
„ nam habuisse, nisi dolorem ex desiderio di-
„ latæ fælicitatis". Alia quædam hùc spectantia
congerit Ludovicus Blosius in suo Monili
Spiri-

[1] Theoph. Raynaudus in Defensione Valeriani c. 10. n. 5. Vide Aug. lib. ad Bonif. c. 4.

Vide Lorinum in cap. 8. Actuum Apost. v. 12.

Act. 24. 29.

Chrysostomus.

Baronius.

[2] Bellarm. lib. 2. de Purgat. c. 7.

D. Thom.

Turrecremata.

Iud. 8. 28.

ʒuali cap. 13. Vbi n. 6. refert Beatam virginem Mariam in colloquio quodam cum S. Brigitta appellasse prædictum locum *purgatorium desiderij*: & addidisse, *Nullam ibi pœnam esse, nisi solum desiderium perveniendi ad Deum.* Porrò Opera ista Blosij in nupera editione Plantiniana approbationem habent à tribus integris Facultatibus Theologicis, collegialiter respectivè suffragantibus, Coloniensi, Ingolstadiensi, & Duacensi. Quas approbationes si Cardinalis Bellarminus vidisset, haud dubiè multò majori cum confidentiâ probabilitatem prædictæ suæ sententiæ astruxisset.

Blosius.

CCLXVII. Tres conditiones exigit Cardinalis Baronius, ut quis juxta hodiernum loquendi usum dicatur *Sanctus*: primam, ut fuerit *Christianus*; secundam, ut *vitâ functus*; tertiam denique, ut *cum Christo in cælo regnet*, eo scilicet modo quo comprehensores regnare censentur, prout §. præcedenti intelligi ipsum, uti & Bellarminum ac Tannerum, præstruximus. De his tribus conditionibus singulatim disserendum est, sed priùs de ipso *Sanctitatis* titulo paucis fuerit tractandum:

A. D. Tho. 2.2. q. 81. a. 8. in Corp.

A. Nomen *Sanctitatis*, inquit Angelicus Doctor, duo videtur importare: uno quidem modo munditiam, & huic significationi congruit nomen Græcum: dicitur enim *Agios*, quasi, sine terra. Alio modo importat firmitatem: unde apud antiquos *sancta* dicebantur, quæ legibus erant munita, ut violari non deberent; unde & dicitur aliquid esse sancitum, quia legibus firmatum. Potest etiam secundùm Latinos hoc nomen, *Sanctus*, ad munditiam pertinere, ut intelligatur *Sanctus*, quasi sanguine tinctus; eò quòd antiquitùs illi qui purificari volebant, sanguine hostiæ tingebantur, ut Isidorus dicit in lib. Etymologiarum. Et utraque significatio competit, ut sanctitas attribuatur his, quæ divino cultui applicantur: ita ut non solùm homines, sed etiam templum, & vasa, & alia hujusmodi sanctificari dicantur ex hoc, quòd cultui divino applicantur. Munditia enim necessaria est ad hoc, quòd mens Deo applicetur, quia mens humana inquinatur ex hoc, quòd inferioribus rebus conjungitur, sicut quælibet res ex immixtione pejoris sordescit, ut argentum ex immixtione plumbi ". Pulchrè hanc ipsam *Sanctitatis* notionem edisserit Hugo Victorinus in suis Annotationibus elucidatorijs super Abdia:" Quid est sanctificare, inquiens, nisi sanctum facere? Quid est sanctum facere, nisi à terreno appetitu, à terreno affectu, à terreno intellectu, à terreno contagio liberare? *Agios* enim Græcè, id est, *Sanctus*, Latinè *sine terra* dicitur. Sanè in unoquoque homine naturaliter sunt tria, quæ à terrenis contagijs pressa, vitiorum sordibus inquinata, superbâ dæmonum tyrannide fuerunt subjugata. Hæc autem sunt, posse, velle, nosse: potentia namque hominis erat infirmata, voluntas sauciata, scientia turbata. Potentiam infirmatam senserat Apostolus, qui dicebat, *Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis.* Voluntatem sauciatam noverat, cùm diceret, *Non quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio.* Scientiam quoque turbatam viderat, dicens: *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus.* Hoc etiam Psalmista breviter insinuat, dicens: *Cor meum conturbatum est*, ecce voluntas sauciata: *Et dereliquit me virtus mea*, ecce potentia infirmata, *Lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum*, ecce scientia obscurata. Porrò *in monte Sion*, id est, in sublimitate speculæ, in perfectione Ecclesiæ, *erit salvatio*: per potentiam Altissimi, per incarnationem Verbi, per adventum Paracliti. *Et erit Sanctus* mons ille, videlicet Ecclesia, actu, sensu, affectu à terrenis omninò elevata, accipiens potentiam in sacramentis, Sapientiam in præceptis, fœcunditatem in donis: à Patre potentiam, sapientiam à Filio, fœcunditatem à Spiritu, per infusam ab ipso nobis charitatem. Hæc dicens non divinæ essentiæ unitatem divido, nec propria personarum confundo; sed in operatione divina discretionem personarum & unitatem essentiæ sanè & fideliter ostendo. Est igitur mons Sion *Sanctus*, in adventu Salvatoris, quia Ecclesia in adventu Sponsi sui ab ipso accepit sanctitatem Sacramentorum, sanctimoniam præceptorum, sanctificationem donorum. Ab ipso, inquam, sanctificatur, id est, à terrenis elevatur, fide Sacramentorum: ab ipso elevatur spe præceptorum: ab ipso sublimatur charitate donorum cælestium". Tractat hanc materiam admodùm eruditè Fortunatus Scacchus in suo Myrothecio c. 53. & Joannes Fabri in c. 2. Joëlis v. 16. Latissimè denique Ludovicus Cresollius in Anthologiâ Sacrâ tomo 1. cap. 5. ubi inter alia notatu digna, Sect. 2. hæc habet:" Hic uberrimus & maximè pretiosus vitæ & mortis Christi fructus est, *ut*, quemadmodùm ait Doctor Gentium, *simus sancti & immaculati in conspectu eius*, hoc est, Deo sacri, à terrenâ omni contagione vitioque purissimi, uno verbo *Sancti*: & quod addit, *immaculati*, in Græco *amomi*, sic ut ne momus quidem repetire possit aliquid in nobis, quod vel carpat, aut irrideat". Eadem penè verbatim habet Augustinus de Quiros in caput 1. ad Colossenses, ad illa verba v. 22. *Exhibere* vos

Vide Lensaeum lib. 4. de Ecclesia cap. 1.

Vide Isidor. l. 10. Orig. c. 18. & lib. 11. c. 4.
Vide Orig. Hom. 11. in Levit.

Hugo Victorinus.
Vide eund. in cap. 2. Joëlis v. 17. & Jansenium in cap. 20. Levit. v. 26.

Rom. 7. 22. & 23.

Ibid. 15.

1. Cor. 13. 9.

Ps. 37. 11.

Abd. v. 17.

Scacchus.
Fabri.
Cresollius.

Vide Castel. de Canoniz. Sanct. cap. 14.

Eph. 1. 4.

Quiros.

vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso. Vbi tamen signanter observat, sermonem esse de sanctitate, quâ etiam in hac vitâ pollent aliquandò justi; qui nimirum tametsi non omninò jam perfecti sint, tamen ad perfectionem irreprehensibiliter currunt, carentes criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligentes mundare eleemosynis. Videri potest & Ribera in caput 14. Apocalypseos, ad illa verba v. 5. *Sine macula sunt ante thronum Dei:* " Hoc, „ inquiens, quod Ioannes nunc dicit, posse „ in hac vita per Dei gratiam obtineri, faciè „ intelligemus, si Græcam vocem considere„ mus, *amomi*, id est, immaculati, irreprehen„ sibiles: quæ vox hominibus sanctis in hac „ vita sæpè datur, ut Ephes. 1. *Sicut elegit nos* „ *in ipso ante Mundi constitutionem, ut essemus san*„ *cti & immaculati in conspectu eius in charitate;* „ in Græco est eadem vox, & Erasmus vertit, *irreprehensibiles*".

Vide Aug. l. de perfect. justitiæ c. 2.

Ribera.

CCLXVIII. Habet porrò *Sanctitas*, sic communiter sumpta, gradus suos: cùm enim importet munditiam, cum quadam firmitate; pro majori vel minori utriusvis importati excellentiâ, augeri poterit ipsa, vel minui: [B] Quamobrem, ut Scacchus ait, propriè ac „ primariò *Sanctum* significat id, quod purita„ tem ac sanctitatem sibi intrinsecam habet, „ cui sit adeò connaturalis sanctitas, ut ni„ hil terreni habeat; sed naturâ ipsâ sanctus, „ innocens, purus, & sine macula sit. Pro„ pterea igitur propriè *Sanctus* verèque de „ solo Deo affirmari potest: ut præclarissimè „ insinuarunt beatissimi illi cælorum spiritus, „ quos Isaias cap. 6. vidit divini amoris igne „ eousque inflammatos, ut nomen seraphi„ cum meruerint obtinere. Hi enim Deum „ contemplantes, sanctitatemque illius ad„ mirantes, *Alter ad alterum clamabant, Sanctus,* „ *Sanctus, Sanctus*: quasi dicere vellent, solus „ Deus propriè & primariò Sanctus est, in„ trinsecè & ex natura sua solus sanctitatem „ aliis rebus communicare & impertiri potest". Cui doctrinæ satis congruit illa Leonardi Lessii sententia, dicentis: [C] Sanctitas Dei est „ superior omni sanctitate & puritate intelli„ gibili, & in ipso præexistit ab æterno ipsa „ sanctitatis ratio & plenitudo superessentia„ liter; adeò ut sanctitas creaturæ ad illam „ puritatem comparata, sit instar nihili, & „ veluti impuritas quædam. Simili modo „ tota potentia, sapientia, pulchritudo, ex„ cellentia totius creaturæ, ad divinam po„ tentiam, sapientiam, pulchritudinem, ex„ cellentiam collata, est instar nihili. Vnde „ Theologi docent, totum universum unà „ cum Deo sumptum, non esse quid præstantius „ Deo solo; tum quia non addit aliquid no„ tabile Deo, sicut una arenula non addit „ aliquid notabile immensitati terræ; tum quia „ etsi semel productum sit, adhuc continetur „ in Deo eminenter, & idem numero: unde „ nihil addit, quod in Deo non sit excellen„ tiori modo. Hinc Dominus Matth. 19. „ *Quid me interrogas de bono? Vnus est bonus Deus:* „ & Ecclesia in hymno Angelico, *Tu solus* „ *sanctus, tu solus Dominus*: quia in ipso solo „ universitas boni, & sanctitatis, & dominii; „ & quicquid extra illum reperitur boni, aut „ sanctitatis, aut dominii, id totum est instar „ nihili, comparatione ejus quod in Deo est; „ utpote infinitè ab excellentia illa deficiens". Huc facit versiculus ille à matre Samuelis in suo Cantico decantatus, *Non est sanctus, ut est Dominus*: & ille item Moysaicus, *Quis similis tui in fortibus Domine? Quis similis tui, magnificus in sanctitate?* tanquam diceret, nullus. Unde & Beatus Job, *Nec contradicam, inquit, sermonibus Sancti*: Deum antonomasticè *sanctum* appellans. [D] Aptissimè, inquit Pineda, Deum „ nominat *Sanctum*, quod nomen Deo per „ excellentiam convenit: Hebraicè *Kados*, „ quod non tam significat, à communi alio„ rum Deorum falsitate alienum & separa„ tum (ut quidam existimarunt, de arcanis „ Dei nominibus differentes) quàm ab omni „ immunditiâ, vitio, labe purum, inconta„ minatum, castum, separatum, atque adeò „ sanctum præ cæteris". De Deo scriptum est, *Sanctus in omnibus operibus suis.* In quem locum Chrysostomus inquirit, [E] *Quid est Sanctus?* Et continuò respondet: *Rectus, purus, mundus, ab omni reprehensione alienus, qui nullam ulli omninò præbeat ansam.* Dionysius quoque Areopagita tractans de Divinis nominibus, cum ad illud pervenisset nomen, quo Deus nominatur *Sanctus*, atque etiam *Sanctus Sanctorum*, ita scripsit: [F] *Sanctitas* igitur, ut more nostro lo„ quar, est ab omni scelere libera, & omni„ nò perfecta, & omni ex parte immaculata „ puritas". Addit præterea ibidem prope finem capitis: " Quoniam autem universorum „ auctor rerum omnium plenissimus est, se„ cundùm unam omnibus antecellentem ex„ cellentiam *Sanctus Sanctorum* nominatur". Observat Jansenius in Concordia sua Evangelica, [G] Hebraicam dictionem, *Kados*, corres„ pondentem voci, *Sanctus*, significare pro„ priè id, quod ob puritatem suam à rebus „ profanis & immunditiam aliquam haben„ tibus separarum est. Cùm autem soli Deo „ perfecta conveniat puritas, propriè solus „ ipse ob suam puritatem ab omni vitio & labe liberam, *Kados* dicitur". Pulchrè item Origenes superexcellentem hanc Dei sanctitatem explicat: [H] Etsi multi sint sancti, inquiens, „ nullus est Sanctus ut Dominus. Possunt ergo „ multi sancti fieri, sicut & mandatum Dei „ dicit, *Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum:* sed

B. Fortun. Scacc. Myrothec. 1. c. 31.

Isa. 6. 3.

C. Lessius l. 1. de perfect. divinis cap. 1. n. 10. Vide Cornel. à Lapid. in c. 1. Habacuc. v. 12.

1. Reg. 2. 2.

Ex. 15. 11.

Iob. 6. 10.

D. Pineda in cap. 6. Job v. 10.

Ps. 144. 13.

E Chrysost. in Psal. 144 v. 13.

a Mar. 14. 16.

F. Dion. Areop. l. de divinis nominib. c. 12.

G Jansen. in concord. cap. 4.

H Origen. Homil. in lib. Regum.

Lev. 19. 2.

sed quantumcunque quis in sanctitate proficiat, quantumcunque puritatis & sinceritatis acquirat, ita esse sanctus homo non potest, sicut Dominus: quia ille largitor sanctitatis est, iste susceptor; ille sanctitatis fons est, hic autem sancti fontis potator; ille sanctitatis lux est, hic sanctæ lucis inspector: & ideò *non est sanctus, sicut Dominus*".

1. Reg. 2. 2.

CCLXIX. Præter hunc supremum sanctitatis gradum, soli Deo proprium, nec ulli omninò creaturæ communicabilem, sunt alij complures, incomparabiliter quidem inferiores, sed tamen in suo quisque genere sublimes. Vnde Origenes Homiliâ proximè citatâ observat non dixisse Annam Samuelis matrem, non est Sanctus nisi Dominus, sed, *Non est Sanctus, ut est Dominus*:" Si scriptum esset, inquit, Non est Sanctus nisi Dominus, consequens erat omnes nos renunciare nobismetipsis ab hac spe ut sancti efficeremur: nunc autem necessariâ distinctione utitur, & dicit, *Non est sanctus sicut Dominus*, hoc est, Etsi sint multi sancti, sed nullus ita sanctus est, ut Dominus". Summum porrò gradum sanctitatis infra divinam obtinet Christi humanitas, Verbo hypostaticè copulata; quam, teste Apostolo, *unxit Deus oleo exultationis præ participibus suis*. Cujus unctionis prærogativâ Christus id assecutus est, ut non solùm ut Deus, sed etiam ut homo diceretur *Sanctus Sanctorum*: [I]. Iis enim, inquit Eusebius, qui ex hominibus profecti sunt, & ad eum virtutis gradum pervenerint quem natura mortalis contingere potest, satis superque fuerit, siquando assumpti in partem & communicationem quandam ejus qui dixit, *Sancti eritis, quoniam Sanctus ego Dominus*, appellentur Sancti. At verò *Sanctus Sanctorum* quis tandem sit apud homines nominandus, præter unum dilectum Sancti puerum, qui ut *Rex Regum & Dominus dominorum*, ita & *Sanctorum Sanctus* est appellatus? Ei igitur, utpote qui præstantiori quodam modo, quàm omnes qui unquam terreno illo per Moysen elaborato oleo, unctus est, dicitur illud: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis*. Quo quidem oleo unctus, ex propria persona apud Isaiam ipse ait, *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me*. Quoniam igitur excellenti, & spirituali, ac potiùs ipsius divinitatis unguento solus, præter omnes qui unquam fuerint, Salvator noster unctus esse perhibetur, meritò *Sanctus Sanctorum*, tanquam si diceretur Pontifex Pontificum, est nominatus; aut etiam *Sanctificatus Sanctificatorum*, ut est in Gabrielis oraculo". Videri in hanc rem possunt Interpretes Scripturæ in caput 9. Danielis: quos inter Benedictus

Heb. 1. 9.
Dan. 9. 24.
I. Euseb. l. 1. Demonstr. Evang. c. 2.
Lev. 19. 2.
Apoc. 17. 14.
Dan. 9. 24.
Psal. 44. 8.
Isa. 61. 1.

Pererius: [K]. Hoc nomen, inquit, *Sanctus Sanctorum*, dupliciter Christo competit: & ut est Deus, & ut homo est. Vt Deus est, *Sanctus Sanctorum* dicitur quatuor de causis: primò quia sanctitatem non aliunde, sed ex seipso habet: tum quia sanctitas ejus substantialis ei est, non accidentalis: deinde quia non aliquatenùs, sed omninò, & infinitè Sanctus est: ad extremum, quia prima & principalis causa est omnis sanctitatis. Eâ verò ratione ut homo est, totidem de causis *Sanctus Sanctorum* jure appellari debet: ac prima quidem causa consistit in unione illâ personali naturæ humanæ cum Verbo divino. Si enim accidentalis unio non totius hominis, sed animæ tantùm, nec totius animæ, sed ejus duntaxat quæ rationalis est: si hæc, inquam, unio per donum gratiæ cum Deo, facit hominem sanctum; quid mirum, ex unione personali totius naturæ humanæ cum Deo, Christum *Sanctum Sanctorum* esse factum, atque nominatum? Præterea talem appellationem promeruit Christus, propter gratiam, quam Theologi vocant *Capitis*: *Ipsum enim*, ut inquit Paulus, *Deus constituit caput super omnem Ecclesiam*. Quamobrem Christus non solùm pro se sanctitatem accepit, sed etiam pro omnibus, quicunque fuêre, sunt, & futuri sunt sancti. Est autem vera illa sententia Aristotelis in libro 2. Metaph. *Quod est causa ut alia sint talia, ipsum est maximè tale*: exempli causâ, ab igne calescunt cætera, à sole lucem accipiunt: ideoque & ignem calidissimum, & solem lucidissimum esse constat. Christum itidem, quia ipse est causa omnis sanctitatis quæ in cæteris inest; causa, inquam, exemplaris, meritoria, & quodammodò efficiens, *Sanctum Sanctorum*, id est, Sanctissimum, esse necesse fuit. Adijce, quòd etiam ipsa gratia Christi propria & habitualis, summa fuit, & quodammodò infinita continens omnem vim, rationem, atque efficacitatem gratiæ, *Non enim ad mensuram datus ei est spiritus*: ut propter eam Christus meritò dicatur *Sanctus Sanctorum*. Denique sic appellatur Christus, quia non est factus Sanctus ex non Sancto, sed semper fuit Sanctus; nec per gradus & incrementa ad perfectam sanctitatem pervênit, sed tantam ab initio sanctitatem habuit, quantam nunc habet. His accedit, quòd ipse conceptus ex Spiritu Sancto est; & sicut ex Rege natus vocatur Regia proles, sic conceptus ex spiritu Sancto singulariter dicitur Sanctus. Quocircà cùm Gabriel dixisset Beatæ Mariæ, *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, subjunxit, *ideoque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*. Moysaici tabernaculi pars intima, summæ religionis & venerationis apud

K. Pererius lib. 9. in Danielem.
Vide Lorinum in c. 2. Actorum v. 27.
Eph. 1. 22.
Aristoteles.
Ioan. 3. 34.
Luc. 1. 35.

Ex.26.34. „ apud Judæos, vocabatur *Sancta Sanctorum*, „ Hæc autem multis rebus, quas in præsens „ commemorare non attinet, illustrem Christi „ prætulit imaginem. Denique non modò „ ipse Christus *Sanctus* dicitur, sed omnia „ etiam quæ sunt ipsius; eumque quocunque „ modo attingunt, vocantur sancta: nam „ sponsam ejus, quæ est Ecclesia, *Sanctam* nominat Paulus in Epistola ad Ephesios cap. „ 5. Quin etiam omnes Christiani passim in „ Epistolis Pauli vocantur *Sancti*. Lex ejus, „ & doctrina, vasa, & vestimenta, & quidquid divini cultûs ministerio dicatum sacratumque est, *Sanctitatis* nomen induit. „ Quid plura? Etiam Vicarius Christi, Summus Pontifex Romanus, quia ipsum repræsentat in terris, omnes mortales dignitate „ potestateque præcellens, non solùm *Sanctus*, „ sed etiam *Sanctissimus*, & *Sanctitas* appellatur". Proximum à Christo gradum Sanctitatis tenet ac tenuit Beatissima ipsius Mater, de qua superiùs cap. 57. multa diximus: quibus nunc addimus illud ejusdem Pererij ibidem superiùs lib. 2. in explanatione illorum verborum, *Abscissus est lapis de monte sine manibus*:

Dan.2.34. " *Mons* meritò dicitur Beata Virgo, propter „ singularem omnium virtutum excellentiam: „ quarum tanta est sublimitas, ut quod est „ summum & celsissimum in virtutibus aliorum Sanctorum, id comparatione virtutum „ Beatæ Virginis sit infimum. Quapropter „ non incongruè de Beata Virgine dici posset, „ quod est in Psalmo 86. *Fundamenta ejus in montibus Sanctis*. Etenim Deipara Virgo verticem & culmen perfectionis Sanctorum „ habet tanquam fundamentum perfectionis „ & sanctitatis suæ. Considera igitur quàm „ sublime sit fastigium hujus Virginis, cujus „ fundamenta super culmina Sanctorum locata sunt". Hanc ejus excellentiam considerans Andreas Cretensis, exclamat ad ipsam: L. O „ sancta & sanctior Sanctis, & sanctissime totius Sanctitatis thesaure". Præmiserat quoque ibidem superiùs ad eandem: " Uno excepto Deo, rebus omnibus excelsior es". Hoc ipsum & Petrus Damiani indicat, cùm ait: M. Virgo inter animas Sanctorum, & Angelorum choros supereminens, & evecta, merita singulorum, & omnium titulos antecedit. Quantumlibèt aliæ stellæ reluceant, „ Luna tamen & magnitudine præeminet & „ splendore: sic utramque naturam Virgo „ singularis exuperat & immensitate gratiæ, & fulgore virtutum". Neque verò duntaxat exuperat, sed etiam occultat: cùm non tantùm scriptum sit de ea, *Pulchra ut Luna*; sed continuò adjectum, *Electa ut Sol*: " Hanc attende similitudinem, addit idem ibidem, „ quâ nulla in rebus Mundi potest esse sublimior. Nihil enim habuit Spiritus Sanctus „ in visibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet. Multò „ enim altiùs aliquid habet claritas Solis, „ quàm Lunæ: quia etsi illa minores stellas „ obscurat, non tamen penitùs occultat; hic „ verò lucidiùs incandescens, ita sibi syderum „ & Lunæ rapit positionem, ut sint quasi non sint, & videri non possint".

L. Andreas Cretensis Serm. 3. in dormitione Deiparæ, propè finem

M. Pet. Damianiserm. 40.

Cant.6.9.

CCLXX. Cæteros sanctitatis gradus tribus præcedentibus inferiores non aliâ commodiori viâ discernere possumus, quàm recursu ad ordines Angelorum. Cùm enim juxta Divum Thomam 1. p. q. 62. art. 6. Angelis collata sit gratia & gloria secundùm quantitatem suorum naturalium, consectarium est, ut quemadmodùm novem sunt Angelorum ordines secundùm quantitatem naturalium subalterni; ita et is reperiantur totidem gradus gratiæ ac gloriæ pariliter subalterni; adeòque totidem gradus sanctitatis consimili proportione differentes. Rursùs cùm juxta Beatum Augustinum lib. 12. de Civit. cap. 1. ex sanctis Angelis & hominibus una fiat civitas seu societas, non discreta, sed permixta; consectarium pariter est, eosdem sanctitatis gradus astruendos esse in hominibus, quos constat reperiri in Angelis: prout ex dictis suprà hic cap. 57. §. 211. colligi utcunque poterit; quibus addenda sunt quæ Potho Prumiensis in Tractatu de Statu domûs Dei tradit hisce verbis: N. Homo ad ruinam apostatæ Angeli supplendam conditus est; de ipsis autem apostatis Angelis, ex „ singulis novem ordinibus Angelorum aliquos lapsos esse, Scripturæ Sanctæ testimonio affirmatur. Undè ad instaurandum in „ singulis ordinibus numerum Angelorum „ qui lapsi sunt, sancti & electi homines, „ sicut divina Providentia disposuit, assumuntur. Sunt ergò in hominibus aliqui, qui „ *Angelis*, sunt qui *Archangelis*, sunt qui *Principatibus*, sunt qui *Potestatibus*, sunt qui *Virtutibus*, sunt qui *Dominationibus*, sunt qui *Thronis*, sunt qui *Cherubim*, sunt qui *Seraphim*, „ vitę suę merito annumerantur. Qui verò intra horum novem ordinum consortium admitti non merentur, hi profectò extra electorum numerum inveniuntur. Qui enim „ societatem supernorum civium adipisci „ desiderant, necesse est ut ad imitationem cælestium virtutum, dum adhuc in „ hac mortali vita peregrinantur, mores & „ vitam informare studeant. Illi itaque in „ Angelorum numero computantur, qui „ minora quæ de Deo noverunt proximis „ annunciant, eosque secum ad cælorum „ regnum invitant. Qui verò summa & capere prævalent & annunciare, illi nimirùm „ in *Archangelorum* numerum currunt. Inter „ *Principes* item cælestis ordinis hi meritò

D. Thomas.

Augustinus.

N. Potho Prumiensis l. 4. de Statu domûs Dei cap. 14.

locum dignitatis habent, qui virtutum prærogativâ etiam electorum hominum merita superant: qui quoniam etiam bonis meliores sunt, electis quoque Fratribus ad similitudinem Angelici *Principatus* principantur. Est & alius ordo meritorum, quo illi præeminent, qui de obsessis corporibus malignos spiritus fugant, eosque virtute orationis, & vi acceptæ potestatis ejiciunt: isti locum meritis suis congruum in *Potestatum* cælestium Ordine sortiuntur. Ast alij, qui ad signa & miracula patranda mirâ virtute præditi sunt, in sorte supernarum *Virtutum* computantur. Alij autem sunt, qui sic vitijs ac concupiscentijs in semetipsis dominantur, ut ipso jure munditiæ suæ, Dij inter homines vocentur, unde ad Moysen dicitur,

Ex. 7. 1. *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Hi itaque dum tantâ sibi ac proximis authoritate vitæ innocentis dominantur, inter *Dominationes* satis congruè numerantur. Sunt etiam aliqui, qui dum benè sibi alijsque, sicut jam diximus, dominantur, tam sublimiter in Dei contemplationem proficiunt, ut non solùm sæcularia, verùm etiam Angelos judi-

1. Cor. 2. 15. cent: *Spiritalis enim omnia iudicat, ipse autem à nemine iudicatur.* Quid ergò isti, nisi *Throni* Conditoris sui sunt, in quorum cordibus sedens judicia sua exercet? Et sunt quidam, qui ita dilectione Dei & proximi pleni sunt, ut meritò in *Cherubim* sortem currant: *Cherubim* namque plenitudo scientiæ interpretatur. Quibus autem plenitudo scientiæ magis inest, quàm his quorum corda charitas Dei & proximi magis replet?

Rom. 13. 10. *Plenitudo* enim *legis est charitas.* Qui ergò diligit, legem implevit, & nihil ei de scientia legis & Prophetarum deest: in gemino

Mat. 22. 40. quippè charitatis præcepto *universa lex pendet. & Propheta.* Sunt quoque nonnulli, qui tanto Conditoris sui desiderio ardent, ut solâ ipsius contemplatione pascantur, nihil in hoc Mundo appetant, terrena cuncta & transitoria contemnant: isti profectò illorum agminum digni consortio habentur, quæ *Seraphim* dicuntur; *Seraphim* namque incendentes interpretantur. Hæc quippè agmina Spirituum intantùm divini amoris igne ardent, ut proxima Deo existant, nullique alij inter ipsa & Deum medij sint".

Gregorius. Hæc ille ex Gregorio Homil. 34. in Euangelia. Qui rursùs inferiùs cap. 16. huic pro-

Isa. 6. 1. posito accommodat illud Propheticum, *Ea*

Yotho. *qua sub eo erant, replebant templum*: " Est hoc *templum*, inquiens, per totam Mundi latitudinem constructum, in quo cælestes virtutes ad explenda ministeria sua pro salute hominum solemnes agunt excubias. *Quæ ergò sub ipso sunt, replent templum*: quia subjecta Deo ministeria imitatione supernarum Virtutum complent Ecclesiæ ornatum, cùm pro similitudine cælestium spirituum conversatio agitur electorum adhuc in terra peregrinantium. *Replent*, inquam, Ecclesiæ *templum* quædam similes cælestium Ordinum dispositiones, quia nimirùm dignitates cælestium adscribuntur meritis terrestrium. Denique, sicut suprà dictum est, diversi ordines hominum sunt, secundùm diversos ordines Angelorum: quia enim tanta ad cælum ascensura creditur multitudo hominum, quanta multitudo remansit Angelorum; superest ut ipsi quoque homines, qui ad cælestem Patriam redeunt, ex eis agminibus aliquid illuc revertentes imitentur. Alij enim ex hominibus meritò inter *Angelos* computantur, alij inter *Archangelos* numerantur, alij in *Principatuum* & *Potestatum* numerò adscribuntur, alij inter *Virtutes* & *Dominationes* sortem accipiunt, alij inter *Thronos* & *Cherubim* consortium habere merentur. Ubi verò præmissum est, *Ea quæ sub ipso erant replebant templum*, mox subjungitur: *Seraphim stabant super illud, sex alæ uni, & sex alæ alteri. Seraphim*, quia incendentes Isa. 6. 2.

dicuntur, geminæ dilectionis, Dei videlicet & proximi, ardorem designant. Et quia *excellentiorem esse viam charitatis*, teste Apo- 1. Cor. 12. 31.

stolo, didicimus, rectè supra cæteras Angelicas virtutes *Seraphim* collocata memorantur, quia nimirùm virtutibus universis supereminet charitas. *Seraphim* ergò *stant supra templum*, quia charitas, quâ nos Christus dilexit, & quâ nos invicem debemus diligere, Sanctæ Ecclesiæ fastigium est, quo pertingit ad alta cælorum". Inquirit O. Ma- O. Magister lib. 2. Sent. Dist. 9. §. 6. Vide Hugonem Victor. in Summa Tract. 2. c. 5.

gister sententiarum, *Utrum omnes Angeli eiusdem ordinis sint æquales?* Respondet autem negativè: " quia Lucifer, inquit, qui fuit de collegio superiorum, ipsis etiam dignior extitit. qui alijs excellentiores creati fuerant. Ex quo percipitur, quòd si perstitisset, in ordine superiori fuisset, & alijs ejusdem ordinis dignior extitisset. Sicut enim unus est ordo Apostolorum, & alter Martyrum; & tamen in Apostolis alij alijs sunt digniores, similiter & in Martyribus alij alijs sunt superiores: ita & in ordinibus Angelorum rectè creditur esse". Hoc ipsum à fortiori sequitur ex principijs Divi Thomæ, qui 1. p. D. Thomas

q. 50. art. 4. censet Angelos singulos à sin- Vide Estium in 2. Dist. 9. §. 2.

gulis differre ut minimùm specie: & rursùs ibidem q. 62. art. 6. asserit eosdem accepisse gratiam & gloriam juxta mensuram perfectionis naturalis. Quibus duobus positis, consectarium prorsùs est, singulos Angelos à singulis intantùm discrepare sanctitate, inquantùm discrepant & entitate.

CAPUT

CAPVT LXX.

Vt quis Sanctitatis titulo potiatur, tres conditiones exigit Baronius, quæ singulatim trutinantur: primam, ut is fuerit Christianus; *secundam, ut vitâ functus; tertiam, ut jam* in cælo cum Christo regnet. *Prima obstare videtur, quòd Deus, quòd Christus homo, quòd Angeli cælestes, quòd veteres Patriarchæ & Prophetæ ante Christiani nominis exorsum defuncti, dicantur etiam hodie* Sancti, *quamvis in rigore non sint nec fuerint* Christiani. *Secunda obstare videtur, quòd* Henoch *&* Elias, *fortè etiam* Joannes Apostolus, *necdum sint vitâ functi; cùm tamen simpliciter sint ac dicantur* Sancti. *Tertia denique obstare videntur hæc ipsa tria postrema exempla, præsertim cùm Deus dicat,* non videbit me homo, & vivet. *In primitiva Ecclesia titulus Sanctitatis compluribus tunc viventibus, adeoque necdum* in cælo cum Christo regnantibus, *attributus: imò templa & altaria Deo in eorum honorem erecta. Ecclesiam in terris adhuc militantem profitemur, in Symbolo Fidei,* Sanctam; *ejusque visibile caput intitulamus* Sanctissimum, *licèt nondum cum Christo in cælis regnet, nec an unquàm regnaturus sit, constet.*

CCLXXI. His ita præstructis, discutiamus singulatim tres illas conditiones, quas Cardinalis Baronius exigit, ut cuipiam tribuatur *titulus Sanctitatis*, hoc est, ut quispiam possit appellari *Sanctus*. Harum prima est, ut is fuerit *Christianus*: secunda, ut *vitâ functus*: tertia, ut *in cælo cum Christo regnans*. Ad primam quod attinet, obstare ei videtur, quòd Deus & Angeli sint & dicantur *Sancti*, cùm tamen non sint nec dicantur *Christiani*. Falsum proinde est Sanctitatis titulum solis hodie tribui *Christianis*. Præterea Christus Dominus, etiam ut homo, non modò *Sanctus*, sed & *Sanctus Sanctorum* est & dicitur, prout §. 269. visum est. Atqui Christus nequaquàm dicendus est Christianus, sed *Christus*; sicut nequaquàm dicendus est homo Dominicus, sed homo Dominus: prout ex Augustino lib. 1. Retract. cap. 19. astruit Divus Thomas 3. p. q. 16. art. 3. Augustinus. D. Thom. Cæterùm quia verisimile est Baronium reflexisse ad solos homines, & quidem puros; nec aliud voluisse dicere, quàm quòd nullis puris hominibus hodie tribuatur titulus Sanctitatis, nisi *Christianis vitâ functis, & in cælo regnantibus cum Christo*: superest inquirendum, num ipsius assertio, juxta istam limitationem intellecta, subsistat. Apparet autem quòd non 1 quia multi etiamnum secundùm Ecclesiæ usum appellantur *Sancti*, & coluntur ut Sancti, & invocantur ut Sancti, qui vitâ functi fuerant priusquàm *Christianorum* nomen in Mundum introisset, aut Mundo innotuisset. Nomen quippè istud Antiochiæ primùm incœpit, quando nimirum Paulus & Barnabas *annum totum conversati sunt ibi in Ecclesia, & docuerunt turbam multam: ita ut cognominarentur primùm Antiochiæ discipuli*, CHRISTIANI. Act. 11. 26. Neque id ignoravit aut dissimulavit Baronius, sed disertè expressit partim in Notis Martyrologij Romani ad diem 22. Februarij, super illis verbis, *Antiochiæ Cathedra S. Petri Apostoli, ubi primùm discipuli cognominati sunt Christiani*: partim denique in Annalibus Ecclesiasticis, ubi sic scribit 1 P. Reserato semel P. Baronius An Christi 41. n. 10. „aditu Gentibus ad Christi fidem, Antio„chiæ primùm ex Gentibus magna facta est „accessio fidelium ad Ecclesiam; adeò ut „ibi primùm *Christianum* nomen exortum fuerit". Et mox iterùm num. proximè sequenti:" In sede igitur Petri, inquit, in ipsa „Antiochenâ Ecclesiâ, à Petro erectâ, à dis„cipulis auctâ, à Barnaba multiplicatâ, & „Pauli prædicatione cumulatissimè fœcun„datâ, felicissimum nomen *Christianorum* est inchoatum". Quod si hoc demùm tempore, id est, decennio post Christi Passionem juxta ipsius Baronij supputationem, inchoatum est nomen *Christianorum*; consequens profectò est, fideles usque ad illud tempus nequaquàm appellatos fuisse *Christianos*. At verò titulum Sanctitatis etiam hodie tribui compluribus ante illud tempus vitâ functis, perspicuè constat non solùm ex publicis Ecclesiæ Litanijs, in quibus invocantur *omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ*; sed ex

ſed ex ipſomet Martyrologio Romano, cujus editionem Baronius tunc adornabat, quando prædictas tres conditiones in Sanctis requirebat. Ibi enim ad diem 9. Octobris legitur, *Memoria Sancti Abraha Patriarchæ* : item ad diem 4. Septembris, *Sancti Moyſis Legiſlatoris & prophetæ* ; item ad diem 1. Julij, *Sancti Aaron primi Sacerdotis Ordinis Levitici* : item ad diem 10. Maij, *Sancti Iob Prophetæ*: item ad diem 1. Septembris, *Sanctorum Ioſue & Gedeonis*, nec non *B. Anna Propheti ſſa*: item ad diem 20. Augusti, *S. Samuelis Prophetæ* : item ad diem 29. Decembris, *S. David Regis & Prophetæ* : item ad diem 6. Julij, *S. Iſaiæ Prophetæ* : item ad diem 1. Maij, *S. Hieremiæ Prophetæ* : item ad diem 21. Julij, *S. Danielis Prophetæ* : item ad diem 13. Julij, *Sanctorum Ioëlis & Eſdræ Prophetarum* : item ad diem 15. Januarij, *Sanctorum Habacuc & Michæa Prophetarum* : item ad diem 14. Januarij, *Sancti Malachiæ Prophetæ*; item ad diem 14. Junij, *Sancti Eliſæi Prophetæ*: item ad diem 31. Martij, *Sancti Amos Prophetæ*: item ad diem 21. Septembris, *Sancti Ionæ Prophetæ* ; item ad diem 19. Novembris, *Sancti Abdiæ Prophetæ* : item ad diem 3. Decembris, *Sancti Sophoniæ Prophetæ*: item ad Diem 1. Augusti, *Sanctorum ſeptem fratrum Machabæorum, cum matre ſua* : item ad diem 28. Decembris, *Sanctorum Innocentium*; qui tametſi pro Christo occiſi ibidem dicantur, ea tamen occiſio peracta fuerat antequàm *Chriſtianum* nomen in Mundum introiſſet. Omitto alios innumeros, qui vel ante Incarnationem, vel ſaltem ante paſſionem Chriſti, vel denique ante evulgationem nominis *Chriſtiani* obdormierant; & tamen ab Ecclesia etiam hodie *Sancti* nuncupantur, & tanquam *Sancti* honorantur, & invocantur. Quapropter ut Baronij aſſertio, pro prima iſta parte, ſubſiſtat, neceſſe eſt ut per *Chriſtianos* intellexerit generaliter fideles in Chriſtum credentes, ſive naſciturum, ſive jam natum; abſtrahendo interim à nomine, quod prædicantibus Apoſtolis Antiochiæ demùm inſtitutum eſt. Iſto ergò ſenſu rectè requirit Baronius primam iſtam conditionem; quia titulus Sanctitatis non tribuitur niſi placentibus Deo, *cui ſine fide placere impoſſibile eſt*, ut teſtatur Apoſtolus: ſine fide utique Chriſti ſaltem implicitâ, prout indicat alter Apoſtolus ubi ait, *Non eſt in alio aliquo ſalus : nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri* : [Q] Cùm omnes juſti, inquit Auguſtinus, hoc eſt, veraces Dei „ cultores, ſive ante Incarnationem, ſive poſt „ Incarnationem Chriſti, nec vixerint, nec „ vivant, niſi ex fide Incarnationis Chriſti, „ in quo eſt gratiæ plenitudo; profectò quod „ ſcriptum eſt, *Non eſſe aliud nomen ſub cælo, „ in quo oporteat ſalvos fieri nos*, ex illo tem„ pore valet ad ſalvandum genus humanum,

Heb 11. 6.

Act. 4. 12.

Q. Auguſt. Epiſt 157. Vide ſuprà hic cap 16. § 60. & 61.

„ ex quo in Adam vitiatum eſt. *Sicut enim „ in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto „ omnes vivificabuntur*: quia ſicut in regno mor„ tis nemo ſine Adam, ita in regno vitæ nemo „ ſine Chriſto: ſicut per Adam omnes injuſti, „ ita per Chriſtum omnes juſti homines". Et lib. de Peccato originali cap. 24. "Sine „ fide, inquit, Incarnationis, & mortis, & re„ ſurrectionis Chriſti, nec antiquos juſtos, ut „ juſti eſſent, à peccatis potuiſſe mundari, & „ Dei gratiâ juſtificari, veritas Chriſtiana non dubitat". Qui rurſus lib. 3. ad Bonifacium cap. 4. loquens de Joanne Baptiſta: " Ab hoc „ Joanne, inquit, & deinceps, cœperunt de „ Chriſto fieri præterita vel præſentia, quæ „ ab illis omnibus anterioris temporis juſtis „ credebantur, ſperabantur, deſiderabantur „ futura. Eadem igitur fides & in illis qui „ nondum nomine, ſed reipsâ fuerunt antea „ *Chriſtiani*, & in iſtis qui non ſolùm ſunt, verùm etiam vocantur". Quando igitur Baronius requirit ad titulum Sanctitatis; ut is cui tribuitur fuerit *Chriſtianus*, neceſſe eſt ut ſub eo vocabulo comprehendat etiam quemlibet eorum qui reipsâ *Chriſtiani* extiterint, licèt ipſo nomine caruerint : alioquin ejus aſſertio nequaquàm ſubſiſtet, prout exemplis jam ſuprà hìc adductis fit perſpicuum.

1. Cor. 15. 22.

Vide Aug. Serm. 10. de Diverſis.

CCLXXII. Secunda conditio à Baronio requiſita ut quis dicatur *Sanctus*, eſt, ut is fuerit *vitâ functus*. Certum porrò eſt hanc conditionem antiquitùs non fuiſſe requiſitam, ſed in primitiva Eccleſia Chriſtianos promiſcuè omnes dictos fuiſſe *Sanctos*, & quidem in hac adhuc vita degentes : prout cernere licet Act. 9. v. 13. & 32. item Act. 26. v. 10. & 18. item Rom. 1. 7. & Rom. 15. v. 25. & 26. item 1. Cor. 1. v. 2. & 1. Cor. 6. 1. & 1. Cor. 14. 33. & 1. Cor. 16. v. 1. & 15. Item 2. Cor. 8. 4. & 2. Cor. 9. v. 1. & 2. Cor. 13. v. 12. item Epheſ. 1. v. 1. & 15. & Epheſ. 3. v. 8. & 18. & Epheſ. 5. 3. & Epheſ. 6. 18. & alibi paſſim. Unde Bartholomæus Lintrenſis de veteribus Chriſtianis loquens: [R] Diverſis, inquit, nomi„ nibus vocabantur, ut liquet ex varijs lo„ cis Epiſtolarum Apoſtolicarum. Dicebantur *Diſcipuli Chriſti*, *Fideles Chriſti*, dicebantur *Fratres* : dicebantur *Sancti*, quia ſcili„ cet in Baptiſmo ſanctificati, eam ſancti„ tatem retinere ſe profitentur Chriſtiani; & „ multi retinent per Dei gratiam, aut amiſ„ ſam ſtatim recuperant". Neque verò dicebantur duntaxat *Sancti*, ſed quidam etiam eorum cæteris eminentiores colebantur ut Sancti, adeò quidem, ut in eorum adhuc viventium honorem erigerentur Deo templa ſeu Eccleſiæ à fidelibus : prout varijs exemplis oſtendit Caniſius lib. 5. de Maria Deipara cap. 23. quem ſecutus Lezana: [S] Ex „ varijs, inquit, & antiquis Hiſtoriarum monu-

R. Lintrenſis in cap. 9. Actor. v. 32.

Caniſius.

S. Lezana Conſult. 3. n. 128.

„monumentis liquidò innotescit, hominibus sanctis, adhuc in hac vitâ degentibus, templa & Ecclesias à fidelibus dedicata fuisse; vel, ut meliùs & rigorosiùs loquamur, Déo in honorem ipsorum. Primò enim de Ecclesiâ Beato Petro viventi Senonis erectâ mentionem facit Lyranus in Psal. 18. & Matth. 24. & adstipulatur Adrianus Phimus lib. 5. Flagelli cap. 10. & Petrus Canisius lib. 5. de Maria cap. 23. Deinde Martham, & sororem ejus Mariam, intemeratæ Deiparæ adhuc viventi Ecclesiam apud Massiliam extruxisse, Annales Francorum referunt, & notant Canisius suprà, & Vincentius Bellovacensis lib. 8. Specul. cap. 29. Apud Antaradum insulam in mari Phæniceo, Sanctum Petrum Apostolum ædificasse sacellum Divæ Virgini, adhuc in humanis agenti, in quo primum idem Apostolus Missę Sacrificium peregerit, ex incolarum fideli traditione acceperunt, qui cum Gotthifredo Bullonio in memorabilem illam terræ sanctæ expeditionem profecti sunt, & litteris commendarunt Marinus Sanutus Torsellus in lib. 3. Parte 14. cap. 2. & Jacobus de Vitriaco in Histor. Hierosol. cap. 46. Jam quis nescit quàm certa constansque sit Cæsaraugustanæ Ecclesiæ ac totius cumprimìs Hispaniæ fidelis traditio, sacrosanctam Deiparentem, cùm adhuc Hierosolymis in vita superstes esset, Jacobo Apostolo Zebedæi filio in Hispanijs prædicanti, & ad ripas amnis Iberi Cæsaraugustæ oranti, super iaspideam columnam apparuisse; moxque ab eodem Apostolo, Mariæ monitu, ipsi Divæ Deiparæ templum seu sacellum constructum consecratumque fuisse, quod nunc dicitur *Nuestra Senora del Pilar*, ac totius orbis veneratione celebratur: ut cuncti Hispaniarum Annales etiam testantur? Præterà Sanctum Marcum, primum Alexandriæ Episcopum, in eadem urbe Ecclesiam nomine Sancti Petri, sui Magistri, nondum defuncti, fundasse, testatur Gelasius Papa in Concilio Romano, & Petrus etiam Damiani Serm. de Sancto Marco. Apud Clementem quoque Romanum lib. 10. Recognit. cap. ultimo legitur, Theophilum nobilem quendam civem Antiochenum, à Petro Apostolo ad fidem conversum, domum suam Ecclesiam in honorem ejusdem Apostoli, viventis, consecrari fecisse, in eaque Petri Cathedram collocasse. Ad hæc, celebrem apud Germanos vigere traditionem, veteresque Coloniensis & Trevirensis Ecclesiæ docere Annales, Maternum ex primis Petri Apostoli discipulis, non procul à Molsheim prope Argentinam, templum in ejusdem Petri, nondum defuncti, honorem extruxisse, *Domum Petri*, sive Germanicè *Thompeter*, appellatum, Canisius testatur lib. 5. de Beatâ Virgine cap. 23. Agit de Materno Romanum Martyrologium 14. Septembris. Denique Ephesi Basilicam Joanni Apostolo & Euangelistæ, in terris adhuc viventi, erectam, author apud Abdiam Babylonium in vitis Apostolorum narrat". Sed ut ad recentiora tempora descendamus, constat ex Romano Breviario ad diem 14 Julij, Seraphicum Doctorem Bonaventuram, adhuc tunc viventem, ab Angelico Doctore Aquinate appellatum fuisse *Sanctum*: " Adhuc viventem, inquit ibi Breviarium, Beatus Thomas Aquinas *Sanctum* appellavit. Cùm enim vitam Sancti Francisci scribentem comperisset: *Sinamus*, inquit, *Sanctum, pro Sancto laborare*". [Breviarium Romanum.] Verùm quia Baronius assertionem suam ad *hodiernum* tempus restringit, prout §. 266. visum est; prædicta exempla non ita ei obstare videntur, ut exemplum *Henoch & Eliæ*: qui tametsi nondum *vitâ functi* sint, sed adhuc in suis corporibus vivant: nihilominùs etiam *hodie* Sanctitatis titulo potiuntur, & *Sancti* nuncupantur. Quapropter eodem argumento improbatur presens assertio Baronij, quo Granadus §. 262. relatus improbavit definitionem canonizationis traditam à Bellarmino: quia nimirum *Nullum adhuc viventem comprehendit; cùm tamen Henoch & Elias, qui adhuc vivunt, sint absolutè Sancti*. [Granad. supra §. 262. Lezana &] Quod Granadi dictum expressè approbat Lezana ibidem superiùs adductus: imò & ipse Bellarminus ibidem quoque subjunctus, saltem implicitè; [Bellarmin. ibidem.] quatenùs asserit *Ecclesiasticum cap. 44. & sequentibus canonizasse plurimos Sanctos*: inter quos *Sanctos* primo loco ipsemet ibidem recenset *Henoch*, penultimo *Eliam*. Et sanè moderna Martyrologia passim tribuunt *Eliæ*, quantumvis adhuc viventi, titulum Sanctitatis. Etenim in Kalendario Ruthenorum ad diem 20. Julij sic legitur, *Sancti Eliæ Prophetæ*: in Menologio Gręcorum, per Cardinalem Sirletum translato sic, *Natalis Beati Eliæ Prophetæ*; in Additionibus Molani ad Martyrologium Usuardi ad diem 17. Julij sic, *In Arabia raptus in cælum Sancti Eliæ Prophetæ*. Sed quid his immoramur, cùm habeamus Martyrologium Romanum, ab ipsomet Cardinale Baronio editum, & Notis illustratum, in quo ad diem 20. Julij quotannis legitur, *In monte Carmelo Sancti Eliæ Prophetæ*? In cujus loci Notis Baronius adeò non invidet Eliæ titulum Sanctitatis, ut potiùs ex adverso eundem confirmet, referendo festivitatem nomini ejusdem Sancti Prophetæ dicatam, & templa in ipsius honorem Deo erecta: " Agunt & Græci, inquit, de eodem (*Elia*) hâc die in Menologio; sicque colunt, ut abstineant à servilibus operibus: ut apparet ex [Baronius.]

„ Emmanuelis Imperatoris Constitutione „ apud Theodorum Bals. in Nomoc. Photij „ tit. 7. cap. 11. Præter ea quæ in divinis „ Scripturis de Elia leguntur, Josephus etiam „ de eo scribit lib. 8. Antiq. cap. 7. & se„ quent. Epiphanius de Vita & interit. Pro„ phet. cap. 5. & Metaphrastes quem recitat „ Lipomanus tomo 6. & Surius tomo 4. De „ æde Eliæ, nomine *Dominicum* nuncupatâ, „ extat Epigramma S. Gregorij Nazianzeni „ in editione Leuvenclavij. Rursùs autem „ de templo Eliæ per Basilinm Imperatorem „ restituto meminit Cedrenus in Compendio Historiæ in *Basilio*". Cùm igitur hæc omnia non nisi Sanctis in Ecclesia exhibeantur, consequens profectò est, ut etiam ex Baronij mente Elias titulo Sanctitatis polleat, quamvis nondum mortem subierit. Et sanè mirum videri potest, Cardinalem Baronium restrinxisse Sanctitatis titulum ad solos *vitâ functos*, in eo libro, quem Sixto V. Pontifici dedicavit, præfixo Epistolæ nuncupatoriæ titulo hujusmodi: *Sanctissimo & Beatissimo Patri & D. N. Sixto V. Pontifici Maximo.* Neque enim Sixtus adhuc *vitâ functus* erat, quando ei Baronius titulum illum *Sanctissimi & Beatissimi*, juxta consuetum ac laudabilem Catholicorum morem, tribuebat. Et verò quisnam est hodie inter Catholicos, qui in recitatione Symboli fidei non profiteatur se credere *Sanctam Ecclesiam Catholicam*? Et tamen indubitatum est, sub nomine *Ecclesia* in ista professione comprehendi eam quæ in terris adhuc militat. Non ergo solis *vitâ functis* tribuitur hodie Sanctitatis titulus.

Vide Hesselium in Explicatione Symboli c. 13. & Lenseum lib. 4. de Ecclesia c. 8. & seqq.

CCLXXIII. Tertia conditio ad appellationem *Sancti* requisita à Batonio est *regnatio in cælo cum Christo*; quæ juxta ipsius mentem §. 266. expositam, nihil est aliud quàm beatifica fruitio divinæ essentiæ, cujus possessores communiter à Theologis nuncupantur *comprehensores*. Huic porrò conditioni obstant ea quæ adversùs præcedentem conditionem objecta sunt: nam cùm Deus dicat, *Non videbit me homo, & vivet*, planum est, nullum purum hominem, de lege saltem ordinaria, frui beatificâ Dei visione, antequàm *vitâ functus* fuerit. Omnia proindè exempla quibus superiori Paragrapho ostendimus Sanctitatis titulum tribui hominibus nondum *vitâ functis*, serviunt ad ostendendum eundem titulum tribui pariter hominibus nondum *in cælo cum Christo regnantibus*. Nondum in cælo cum Christo regnat Ecclesia pro ea parte sua quæ in terris adhuc peregrinatur, *per fidem ambulans, & non per speciem*: & tamen Apostolico magisterio edocti tribuimus ei Sanctitatis titulum, profitentes nos credere *Sanctam Ecclesiam*. Ejusdem quoque Ecclesiæ supremum quemlibet Hierarcham, necdum vitâ functum, intitulamus *Sanctissimum*, *Beatissimum*, *Sanctitatem suam*, *Beatitudinem suam*. T. Quis „ enim, aiebat olim Ennodius Ticinensis, „ *Sanctum* esse dubitet, quem apex tantæ dig„ nitatis attollit? In quo si desint bona „ acquisita per meritum, sufficiunt quæ à „ loci Decessore (*Petro*) præstantur. Aut enim „ claros ad hæc fastigia erigit, aut qui eri„ guntur illustrat. Prænoscit enim quid Ec„ clesiarum fundamento sit habile, super quod ipsa moles innititur". Henoch quoque & Elias, ut mox audivimus, *sunt absolutè Sancti*: V. quos tamen, ut Augustinus perhi„ bet, non dubitamus, in quibus nati sunt corporibus vivere". Aliud præterea ejusdem rei argumentum suggerit Lezana, non quidem apodicticum, sed tamen dialecticum, ex statu Beati Joannis Euangelistæ desumptum: W. Cùm enim, inquiens, de fide certum non „ sit, Sanctum Joannem Euangelistam mor„ tuum esse; ac proinde nec verè divinitatis „ comprehensorem: nihilominùs Ecclesia „ Festum ipsius indubitanter celebrat; abs„ dubiè credens, ad hoc quòd aliquis *Sanctus* „ ab Ecclesiâ solemni ritu divini officij co„ latur, necessarium non esse, illum esse mor„ tuum, comprehensorem, aut beatum: sed „ verè *Sanctum*, in gratia confirmatum, & in „ statu tali, quo fidelium preces, quæ ad „ Deum per ejus intercessionem funduntur, exaudire possit". Vis hujus discursus in hoc sita est, quòd cùm certum sit Joannem esse Sanctum, & dici Sanctum, & coli tanquam Sanctum, & invocari velut Sanctum; nec tamen sit certum quòd *vitâ functus* sit, aut consequenter quòd cum Christo in cælo regnet: necessariò fatendum videatur, Sanctitatis titulum competere alicui posse, absque eo quòd ipse fuerit *vitâ functus*, aut in cælestem Hierusalem actu receptus. Neque enim veritas certa & explorata pendêre potest à conditione incerta ac dubia: nam id quod ab altero tanquam conditione requisitâ dependet, non potest esse firmius aut certius eo à quo dependet. Effectus enim sequitur debiliorem partem suæ causæ, nec consequens potest esse stabile, quando vel antecedens vel consequentia vacillat: sicut nec ædificium potest esse firmum, quod fragili fundamento nititur aut fulcro. Quandoquidem igitur Ecclesia titulum Sanctitatis indubitantet attribuat Apostolo Joanni, nec tamen reprobet, sed pacificè sinat doceri opinionem negantium eum adhuc vitâ esse functum, aut cælesti beatitudine donatum: proculdubiò Ecclesia censet, aut supponit, non requiri ad titulum Sanctitatis, quòd is cui tribuitur, fuerit vitâ functus, aut cælesti beatitudine jam actu donatus. Sugillat quidem Cardina-

Ex. 33. 20.

2. Cor. 5. 7.

T. Ennod. in Apolog. pro Symmacho Papa.

V. Aug. lib. de peccato orig. c. 23.

W. Lezana Consult. 8. n. 116.

Cardinalis Baronius negantem istam opinionem, tanquam X. *Recentiorum contentiosam assertionem*. Verùm præter Recentiores à Lezana ibidem pro eâ allegatos, eandem jam olim tenuerat Joannes Damascenus: nec solùm tenuerat, sed etiam *nonnullis præstanti eruditione viris* attribuerat. Tractans quippe verba illa Christi, *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo*: Y. Sanè, inquit, si tanquam de „ uno dixisset, Est quidam de hìc stantibus; „ idem fortasse significari conjecissemus; „ quod per ea verba, *Si eum volo manere donec* „ *veniam, quid ad te?* Quod de Joanne Theo„ logo dictum est, ut qui usque ad Christi ad„ ventum mortis omninò expers perstiturus „ sit: sic enim jam nonnulli præstanti eruditione viri hunc locum exposuerunt". Hæc ille ante annos plusquam nongentos: ut proinde non debeat ea opinio explodi tanquam *Recentiorum contentiosa assertio*, quam ante tot annorum centurias tradiderat Damascenus, alios *præstanti eruditione viros* secutus. Vnde Sebastianus Barradius postquàm varias congruentias & authoritates pro illa Damasceni sententia congessisset, adjecit: Z. Non est „ contemnenda hæc sententia: argumenta „ enim etsi dissolvi possint, tamen cum au„ thoribus citatis probabilitatem efficiunt".

X. Baronius in Not. Martyrolog. die 27. Decembris.

Matt. 16. 28. Marc. 16. 28.

Y. Damasc. Oratione de Transfiguratione Domini.

Z. Barrad. tomo 4. in Concord. Evangel. lib. 6. c. 4.

Franciscus quoque Suarez cùm eandem sententiam cum suis suffragatoribus retulisset, mox ad contrariam sententiam transiens subdidit: A. Nihilominùs probabilius ap„ paret, Joannem Euangelistam mortuum esse". Ubi relinquendo hanc posteriorem sententiam intra limites probabilitatis; innuit alteram esse probabilem, licèt minùs. Hoc autem abundè sufficit scopo Patris Lezana, ac nostro. Neque enim ille plus intendit, aut nos cum illo, quàm non esse omninò certum quòd Apostolus Joannes corporaliter adhuc obierit, aut consequenter divinam essentiam comprehenderit: cùm tamen certissimum sit eum dici & esse *Sanctum*. Hinc enim planum fit; Sanctitatis titulum competere posse hominibus nondum vitâ functis, aut cælesti beatitudine donatis: alioquin enim æquè certum esset quemlibet Sanctorum obijsse, atque ad cælestem beatitudinem pervenisse, ac certum sit eum dici *Sanctum*, atque ab Ecclesia coli invocarique pro *Sancto*: vel saltem, ut abstrahamus à quæstione de certitudinum æqualitate, certitudo huius non posset consistere cum incertitudine illius. Consistit autem in causa Joannis Apostoli, quem certissimè scimus esse *Sanctum*, & coli ut *Sanctum*, tametsi incertum nobis sit, num adhuc obierit, aut ad beatitudinis palmam pertigerit.

A. Suarez tomo 2. in 3. p. Disput. 55. Sect. 1.

CAPUT LXXI.

Canonizatus quisque vi suæ Canonizationis potitur titulo Sanctitatis: atque adeò quotquot in veteri etiam lege fuerunt ritè canonizati, exindè potuerunt intitulari Sancti, *tametsi interim à paradiso necdum reserato exclusi. Horum quoque nonnulli in sacris Paginis disertè nuncupantur* Sancti *&* Beati. *Eisdem quoque, necnon & spiritibus Purgatorij, complures hujus ævi Scriptores titulum Sanctitatis attribuunt; signanter Serarius, Tannerus, Suarezius, Bellarminus, Viguerius, Hesselius, Blosius, Lezana, Lindanus, Lensæus. Inter Canonizationem & Beatificationem quid intersit, & num illa hanc præexigat? Non solos Martyres pro Christo peremptos, sed generaliter universos in Sanctitate defunctos complectitur ista sententia,* Beati mortui, qui in Domino moriuntur. *Octo gradus beatitatis inter se non modò diversi, sed & dispares, singulatim percensentur; & suis respectivè exemplis illustrantur.*

CCLXXIV. QUæ superiori §. diximus, planiùs perspicientur ex mox dicendis de animabus veterum justorum in limbo, atque etiam aliorum olim vel nunc in purgatorio. Si enim ostenderimus, Sanctitatis titulum talibus fuisse attributum, & etiam hodie attribui, consequenter elucebit; non solos eos dici *Sanctos*, qui cum Christo regnant in cælo. Ostendimus verò id inprimis ex dictis superiùs cap. 68. §. 262. & 263. ubi Canonizationis definitiones & formulas retulimus, & perpendimus, quibus constat Canonizationem importare attributionem tituli Sanctitatis,

sive

five declarationem, quâ decernatur quempiam esse *Sanctum*, seu adscriptionem ipsius in numerum *Sanctorum*. Ex quo consequens est, eos omnes appellari posse *Sanctos*, quos constiterit legitimè fuisse canonizatos. Constat autem plurimos legitimè fuisse canonizatos, nondum tunc ad cælestem beatitudinem intromissos, sed in limbo vel purgatorio adhuc detentos. Igitur constare pariter debet; quosdam appellari *Sanctos*, nondum cælesti beatitudine donatos, sed in limbo vel purgatorio detentos. Minor probatur ex ibidem superiùs dictis, quibus liquet complures, etiam vitâ functos, fuisse divinitùs tempore veteris Testamenti canonizatos, cùm tamen nullus eorum in cælum fuerit adhuc tunc intromissus, sed quisque in limbo vel purgatorio interim reclusus, *nondum propalatâ Sanctorum viâ; adhuc priore tabernaculo habente statum*. Vnde & Apostolus commemoratis eorum præcipuis, subjecit in eadem Epistolâ inferiùs: *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem*. Et in Pelagianis Ecclesia Articulum istum reprobavit;[B] *Lex sic mittit ad regnum, quemadmodùm Evangelium*. Quæ cum ita sint, planè conficitur, Sanctitatis titulum competere etiam mortuis, nondum in cælo regnantibus cum Christo. Neque enim dubium est ejusmodi titulum competere omnibus legitimè canonizatis: nec item dubium est eos omnes legitimè fuisse canonizatos, quos Deus in sacra Scriptura canonizare dignatus est: nec denique dubium est canonizatos à Deo ante Christi passionem, exclusos fuisse à cælo usque ad Christi passionem. Dubitari igitur non debet quin Sanctitatis titulus consistere possit cum præsentanea exclusione à regno cælesti. Exempla huius rei complura suppetunt, ex ipsis Scripturis veteris Testamenti petita. De Tobia seniore miserabiliter excæcato scriptum est, *Hanc tentationem ideò permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & Sancti Iob*. Ecce Iobo jam olim defuncto, necdum tamen in cælum intromisso, tribuitur Sanctitatis titulus. Sequitur quoque ibidem post pauca, *Sicut Beato Iob insultabant Reges, ita isti* (Tobiæ) *parentes, & cognati eius irridebant vitam eius*. Vbi eidem Iobo attributum videmus titulum *beatitatis*, uti & mox anteà titulum *Sanctitatis*. Rursùs ibidem senior ipse Tobias, parentibus & cognatis vitam suam irridentibus dixisse memoratur, *Nolite ita loqui: quoniam filij Sanctorum sumus*. Quorum *Sanctorum*, nisi priscorum Patriarcharum, in limbo vel purgatorio adhuc tunc existentium, necdum cælesti beatitudine fruentium? In libro item Iudith rogatur Deus, ut *faciem Sanctorum suorum attendat*. Quorum *Sanctorum*, nisi parentum populi pridem mortuorum, qui apud Baruch inducuntur orantes pro eodem populo, cùm dicitur: *Domine omnipotens, Deus Israel, audi nunc orationem mortuorum Israel, & filiorum ipsorum qui peccaverunt ante te?* Quorum mortuorum nonnullos nominatim exprimit Azarias in medio fornacis ardentis existens, ac dicens Deo: *Ne auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israël Sanctum tuum*. Ubi videmus *Israëlem*, jam olim defunctum, disertè appellari *Sanctum*, cùm tamen necdum ingressus fuerit in cælum. In Cantico item Zachariæ, Deus dicitur *locutus per os Sanctorum Prophetarum*. Ubi ne quis putaret sermonem esse de Prophetis tunc viventibus, ac non maximè de olim defunctis, additur, *qui à sæculo sunt*. Quo additamento, juxta Bedæ ibi interpretationem, indicatur, comprehendi etiam *Adamum, Abelem, & Henochi*, antiquissimos homines, jam dudum defunctos, necdum tamen tunc in cælum receptos, etsi *Sanctitatis* titulo decoratos. Nullis enim aptiùs congruit illa clausula, *qui à sæculo sunt*, quàm vetustissimis illis Patriarchis, maximè verò Adamo protoplasto; de quo Sanctus Hieronymus:[C] „Primus homo, inquit, „& primus Vates Adam, hoc de Christo & „Ecclesia prophetavit, quòd *reliquerit* Do„minus noster atque Salvator *Patrem suum* „Deum, *& matrem suam* cælestem Hierusa„lem, & venerit ad terras propter suum cor„pus Ecclesiam, & de suo eam latere fabri„catus sit, & propter illam *Verbum caro factum sit*". Cùm ergo hinc habeamus primum illum hominem ab initio sæculi fuisse Vatem sive Prophetam, & ex libro Sapientiæ itidem habeamus *eductum illum fuisse à delicto suo*, rectè eum includimus numero *Sanctorum Prophetarum*, à Zacharia patre Præcursoris memoratorum. In eodem quoque Sapientiæ libro Moysen reperimus appellatum *Prophetam Sanctum*, cùm tamen jam olim defunctus, necdum tunc fuisset in cælum ingressus.

CCLXXV. Videamus porrò num juxta hodiernum loquendi usum titulus sanctitatis attribuatur defunctis, pro eo tempore quo in limbo vel purgatorio detinentur, nec Dei faciem clarè intuentur. Attribuitur prorsùs, & quidem à Scriptoribus Catholicis Cardinali Baronio coævis, aut penè coævis; ut inprimis à Nicolao Serario, quem idem ipse Baronius tomo 12. Annalium ad annum Christi 1126. n. 18. *Lucis iubar Germanicæ Ecclesiæ* appellat. Verba Serarij sunt,[D] „Unde dicatur „*Sanctus*, certant Grammatici, & Jurisconsul„ti; sed apud Theologos propriè *Sancti* sunt, „qui veram in se sanctitatem habent, sive „ipsis ea sit essentialis, sive accidens atque „adventitia. Essentialis uni Deo est Optimo „Maximo, qui sanctitatis omnibus alijs auc„tor & dator, fons & origo est. Accidens atque

Hebr. 9. 8.
Hebr. 11. 39.
B. Vide August. lib. de Gestis Palæstinis c. 11. 33. & 35.
Tob. 2, 12.
Ib. v. 15.
Ib. v. 18.
Iud. 6. 15.
Bar. 3. 4.
Dan. 3. 35.
Luc. 1. 70.
Beda.
C. Hieron. in cap. 5. ad Ephes.
Gen. 2. 24.
Io. 1. 14.
Sap. 10. 1.
Sap. 11. 1.
Baron. loc.
D. Serar. in Litaneutico 2. q. 1.

atque adventitia est creaturis intelligentiâ menteque præditis, Angelis & hominibus. Atque istorum alij vivi sunt, ac superstites, vitâ jam functi alij. Vivos salutat *Sanctos* Apostolus Rom 1. 7. 16. 15. 1. Cor. 12. 2. Cor. 1. Ephes. 1. Philip. 1. Coloss. 1. Eos commendat ministerioque suo adiuvat & recreat Rom. 15. 25. 26. 31. 1. Cor. 16. 14. 16. 2. Cor. 8. 4. & 9. Colos. 1. Eos invocat Rom. 15. 30. Ephes. 5. 19. Coloss. 4. 3. 1. Thess. 5. 16. Et à S. Hieronymo Præfatione in Josue, *Admirabilis & Sanctus Vir* dicitur, qui adhuc vivebat, *Pammachius*: & Præfatione in Paralip. *Episcoporum Sanctissimus Chromatius*. Mortui verò *Sancti* duplices sunt: vel enim cælo jam recepti beatissimo Dei aspectu perfruuntur (hoc enim se jam cum Catholicis sentire profitentur Calvinistæ, ut Rainoldus lib. 1. de Romana Idololatria c. 7.) vel eò quidem aspirant ac tendunt, sed aliquo cum diverticulo ac morâ, hoc post Christum Dominum tempore, donec ab omni omninò, quæ sanctitatis pulchritudinem splendoremque infuscat, peccati perpurgentur labeculâ; olim etiam, ante Christum Dominum, aut eandem ob causam, aut absque ulla pulchritudinis ullius infuscatione, ob expectationem, quæ meritò facienda erat, donec è cælo descenderet, eodemque rediret æternus Dei Filius, Deus & homo". Quibus ille verbis titulum Sanctitatis palam attribuit non modò ijs defunctis, qui *cælo iam recepti beatissimo Dei aspectu perfruuntur*; sed ijs etiam, qui vel olim in limbo aut purgatorio, vel nunc, post reseratas morte Christi fores cæli, in eodem purgatorio detinentur. Idem rursus inferiùs q. 31. inquirit in titulo, *An qui in purgatorio Sancti, possint orari?* Quæ percontatio omninò supponit *Sanctos* esse ac dici, qui in purgatorio hærent. Textus autem illi titulo subjunctus sic incipit: "Qui in hac miseriarum valle sunt *Sancti*, possunt, ut pro nobis orent, orari: cur & qui in purgatorio sunt, non possint"? Ubi iterum supponit id ipsum quod in titulo: nam relativum, *qui*, refert vocem, *Sancti*. Sensus quippè est: si possint orari *Sancti* in hac adhuc vitâ degentes, cur non & *Sancti* in purgatorio existentes? Eundem Sanctitatis titulum & animabus purgatorij, & animabus Patriarcharum olim in limbo detentis attribuit Tannerus, cùm ait: [E] *Sancti* qui sunt in purgatorio, nec à nobis invocandi sunt, nec pro nobis orare solent". Et mox inferiùs n. 91. "An autem *Sancti* olim in limbo existentes invocati fuerint, aut pro viventibus orârint, alia quæstio est". Consonat Suarez tomo 2. de Religione, ita scribens: [F] Quia tempore legis veteris homines justi non admittebantur ad beatitudinem usque ad Christi mortem, ideò in veteri

E. Tannerus tom. 3. Dis. put. 1. q. 2. Dub. 4. n. 90.

F. Suarez l. 1. de Orat. in commun. c. 10. n. 3.

Testamento non legimus fuisse consuetudinem orandi *Sanctos* mortuos illo tempore". Et rursùs inferiùs n. 12. cùm retulisset qualiter Moyses, Salomon, & Azarias repræsentassent Deo merita Patriarcharum vitâ functorum, ad efficaciùs impetranda beneficia postulata, subdidit: "Non ignorabant autem isti Sancti Christum esse unicum Mediatorem: nec putabant ipsi fieri injuriam, aliorum *Sanctorum* merita Deo repræsentando". Ubi apertè eos vocat *Sanctos*, quorum in limbo tunc existentium, merita à vivis inter orandum repræsentabantur Deo. Idem rursùs inferiùs num. 26. justorum spiritus in purgatorio existentes expressis terminis vocat *animas Sanctas*. Accedit præterea Cardinalis Bellarminus: [G] Notandum est, inquiens, quia ante Christi adventum, *Sancti* qui moriebantur non intrabant in cælum, nec Deum videbant, nec cognoscere poterant ordinariè preces supplicantium, ideò non fuisse consuetum in Testamento veteri ut diceretur, *Sancte Abraham ora pro me* &c. Sed solùm orabant homines ejus temporis Deum, & allegabant merita *Sanctorum* qui jam obierant, ut illis ipsorum orationes juvarentur". In veteri ergò lege, clauso adhuc hominibus cælo, ij qui in Domino moriebantur, *Sancti* dicebantur: imò verò, ut idem c. 7. ibidem præmiserat, nonnulli eorum canonizabantur, atque adeò Sanctitatis titulum consequebantur. Quid enim aliud innuit ipse ibi, cùm asserit *Ecclesiasticum cap. 44. & sequentibus canonizasse plurimos SANCTOS?* Plurimi ergò tunc *canonizati* fuerunt, & ipsâ canonizatione titulum Sanctitatis obtinuerunt; unde & *Sancti* dici potuerunt ac debuerunt, etsi à cælo interim exclusi fuerint. Videri potest idem Bellarminus lib. 2. de Purgatorio c. 8. ubi eosdem Patres in limbo occlusos vocat *Sanctos*: "Animæ, inquiens, *Sanctorum* Patrum damnatæ erant ad exilium temporale". Fuerunt igitur pro eo tempore *Sancti*, simul & exules: *Sancti* quidem propter inexistentem sanctitatem, exules propter absentiam à patria. Hoc ipsum affirmat Viguerius in suis Institutionibus partim superiùs hìc §. 262. relatus, partim alibi ita scribens: [H] Limbus Patrum est prima & superior pars Inferni, in qua detinebantur animæ *Sanctorum* Patrum; quæ non habebant aliquid purgandum, eò quòd paradisi porta nondum erat aperta per clavem David; hoc est, per Christi Passionem. In hoc limbo erant tenebræ, quantùm ad carentiam claræ visionis divinæ: unde Isaiæ 9. *Populus qui ambulat in tenebris, vidit lucem magnam*: & secundùm hoc dicebatur etiam *infernus*, & *lacus*". Idem quoque superiùs cap. 5. §. 5. vers. 9. titulum Sanctitatis attribuerat

G. Bellarm. lib. 1. de Sanctorum Beat. cap. 19.

Vide suprà huc §. 262.

H. Viguer. Instit. c. 16. §. 4. v. 30.

Isa. 9. 2.

ſpiritibus juſtorum in purgatorio adhuc patientibus, dicens: " *Sanctis* qui ſunt in pur„gatorio non fruuntur viſione Verbi". Stat ergò, juxta ipſum, titulus Sanctitatis, cum cruciatibus purgatorij, & cum carentia viſionis beatificæ. Idipſum perhibet Joannes Heſſelius, cùm ait: [I.] Quædam animæ „ *Sanctorum* non ſtatim admittuntur ad glo„riam, nec tamen in æternam detrudun„tur damnationem, ſed temporales pœnas luunt". Et rursùs cap. 131. " Poſt mortem „igitur reſtare quibuſdam *Sanctis* pœnam „quandam quandoque finiendam, & fides „tenet Catholica, & Divus Auguſtinus varijs locis conſtanter prædicat". Titulus priori capiti præfixus ſic ſonat: *De ſpiritibus quorundam SANCTORUM, nondum cum Christo regnantibus.* Titulus poſteriori præfixus, ſic: *Diverſis modis pœna SANCTARUM animarum vocari poteſt purgatoria.* Ecce animæ, quantumvis temporarijs pœnis obnoxiæ, appellantur equidem *Sanctæ*. Quo etiam titulo eaſdem inſignit Ludovicus Bloſius, cùm ait: [K.] Animæ *Sanctæ* nollent cum maculis in„trare beatitudinem, donec ab eis purgentur, ut ſatisfiat juſtitiæ divinæ". Notavimus autem ſuperiùs §. 266. Opuſcula illa Bloſij approbata fuiſſe à tribus facultatibus Theologicis, collegialiter ſuffragantibus. Addimus inſuper hìc calculum Patris Lezanæ, Sacræ Congregationis Indicis Romæ Conſultoris, qui in ſuis Conſultis Romæ per Magiſtrum Sacri Palatij approbatis, animas purgatorij vocat [L.] *Sanctorum animas in carcere & tribulationibus detentas*: & mox ibidem num. proximè ſequenti, animas Patriarcharum olim in limbo occluſas appellat *animas Sanctorum non in paradiſo, ſed in limbo Patrum detentas*. Reverendiſſimus denique Lindanus in ſuo Apologetico ait: [M.] Moyſes Deo Judæis iratiſſi„mo, ceu placationis hoſtiam gratiæque „judicium, *Sanctorum* Patriarcharum objicit „memoriam: *Quieſcat ira tua*, inquit Exod. „32. *& eſto placabilis ſuper nequitia populi tui.* „*Recordare Abraham, Iſaac, & Iſraël, ſervorum tuorum*". Ecce Patriachis pridem defunctis, necdum tamen tunc in cælum receptis, necdum Dei intuitione beatis, ſed in lacu inferiori detentis, *Sanctitatis* titulum tribuit. Idem facit & Lenſæus, cùm ait in peculiari libello quem de limbo Patrum edidit: [N.] Habebant illæ in limbo *Sanctæ* Patriar„charum animæ ſinum Abrahæ; quomodò „& Lazarus, qui *in ſinum Abrahæ per Angelos* „dicitur *eſſe deportatus*, ubi ſolatio non me„diocri afficeretur, non modò ab omni „vitæ hujus labore liber, verùm etiam à „cruciatu & tormentis Inferorum. Sed „quamvis modò limbus ille Patrum non ſit, „hoc eſt, talis aliquis qualis ille erat apud „Inferos *Sanctorum* & plenè alioqui purgato„rum animarum ſtatus: ſinus tamen Abrahæ „nec modò eſſe deſijt. Quin plus etiam in eo „quietis atque ſolatij poſt Chriſti adventum „eſſe cœpit, ex Dei clara contemplatione". Ubi animas Patriarcharum in limbo olim apud inferos ſine Dei contemplatione degentes, ſemel & iterum appellat *Sanctas*. Idem quoque lib. 1. de Purgatorio cap. 21. animas juſtorum in purgatorio detentas diſertè vocat *Sanctas*: & ibidem ſuperiùs cap. 3. " Cùm in „purgatorio, inquit, juſtitia & SANCTITAS „adſint, eæque pertineant ad regnum, conſe„quens eſt illas etiam animas horum ratione ad regnum pertinere". Quibus verbis tacitè innuit cur animæ illæ dicantur *Sanctæ*: quia nimirùm inſunt eis *Juſtitia & Sanctitas*.

I. Heſſel in Explicatione Symboli cap. 126.

K. Lud. Bloſius in Monili Spirituali c. 13. in Summa. ſio n. 10.

L. Lezana Conſult. 9. n. 119.

M. Lindan. in Apologet. tomo 2. c. 9.

Ex. 32. 12. & 13.

N. Io. Lenſæus lib. de Limbo Patrum cap 3.

Luc. 16. 22.

CCLXXVI. Sive ergò veterem, ſive hodiernum Eccleſiæ uſum ſpectemus; planum ex dictis eſt, Sanctitatis titulum nequaquàm arctari ad eos, qui *vitâ functi regnant in cælo cum Christo*. Ex quo ulteriùs conficitur, non eſſe conſectarium, ut quia canonizatio attribuit canonizato titulum Sanctitatis, eo ipſo importet eum actu regnare in cælo cum Chriſto. Nec eſt quòd reſpondeatur, canonizationem non quidem id formaliter importare, ſed tamen præſupponere; quatenùs nimirùm præſupponit Beatificationem conſiſtentem in ſupernæ beatitudinis jam adeptæ declaratione ac manifeſtatione. Etenim canonizatio nequaquàm ex natura ſua, ſed ex ordinatione Eccleſiæ non admodùm vetuſtâ præſupponit Beatificationem: unde nec in veteri lege, nec olim apud Chriſtianos præmitti conſuevit. Proindè quod diximus, verificari poteſt quoad eas canonizationes, quibus Beatificationis ſolemnitas præmiſſa non fuerit. Addo inſuper neque eas canonizationes quibus Beatificatio præmittitur, importare vel præſupponere adeptionem beatitudinis, in faciali Dei viſione conſiſtentis. Non quidem importare, ſatis hactenùs oſtendimus. Non etiam præſupponere, apparet inde, quòd præmiſſa beatificatio non eam importet, ſed duntaxat conceſſionem indulti vel privilegij ad exhibendum duliæ cultum alicui tanquam Sancto, in aliqua particulari Eccleſia, vel civitate, vel territorio, abſque extenſione ad totam Eccleſiam. Unde Fortunatus Scacchus eam in hoc diſtinguit à canonizatione, [O.] quòd „in canonizatione Papa procedat ut Judex „univerſalis Eccleſiæ, & per ſententiam de„finitivam decernens alicui cultum deberi „in Eccleſia militante: in Beatificatione au„tem non procedat ut Judex, neque de„finiendo; ſed ut Princeps in Eccleſia pri„vilegium concedendo huic vel illi Eccleſiæ, „Regioni, vel Religioni, ut abſque incur„ſu pœnarum latarum contra ſuperſtitioſos, & eos

PRÆOCCUPATIO.

O. Scacchus lib. 1. de Cultu Servi Dei Sect. 1. cap. 8. Vide Lezan. Conſult. 1. n. 49. & ſequent. & Franc. Amicum tom. 4. Diſp. 7. Sect. 4 n. 38.

"& eos qui absque licentia Sedis Apostolicæ præstant alicui cultum, liceat illis talem vel talem cultu Sanctorum venerari". Concedit quidem Pontifex per indultum beatificationis, ut is quem beatificat possit nuncupari *Beatus*. Sed inprimis aliud est concedere seu indulgere ut quis possit impunè nuncupari *Beatus*, aliud autem definire eum esse *Beatum*. Pontifex beatificando indulget illud primum, non definit istud secundum. Deindè etiamsi definiret istud secundum, non idcircò constaret eum loqui de beatitudine cælesti jam actu adeptâ, nisi eam disertiùs exprimeret: quia nuncupatio *Beati* competit etiam ijs, qui nondum ad intuitivam Dei contemplationem pertigerunt. Ostendimus enim hìc superiùs §. 274. Jobum nuncupari *Beatum* in libro Tobiæ. Constat item ex dictis §. 272. Eliam Prophetam in Græcorum Menologio nuncupari *Beatum*: prout etiam crebrò nuncupatur in officio Ecclesiastico quod ex Pontificio indulto celebrant de ipso Patres Carmelitæ. Neque tamen Jobus tempore quo scriptus est liber Tobiæ Deum beatificè vidit, neque Elias adhuc hodie videt. Ex quo patet non esse universaliter verum illud Poëtæ, [P.] *Vltima semper Expectanda dies homini est: dicique Beatus ante obitum nemo; supremaque funera debet*: nisi fortè quis malit cum Lezana dicere Eliam posse dici, [Q.] *Civiliter, moraliter, & politicè mortuum*; eò quòd translatione in paradisum deseruerit commune hominum consortium. Ceterùm quemadmodùm Jobus vitâ functus, & in limbo veterum Patrum occlusus; dicebatur in libro Tobiæ *Beatus*, etsi nondum tunc cælesti beatitudine cumulatus: ita in libro Apocalypseos legitur generaliter de omnibus in Christo defunctis, *Beati mortui qui in Domino moriuntur*. Sub quibus comprehendi non modò eos qui sine temora in cælum ingrediuntur, sed eos quoque qui interim in purgatorio retardantur, indicat Tridentina Synodus, cùm declarat, Missæ sacrificium [R.] "non solùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed & pro *defunctis in Christo* nondum ad plenum purgatis, ritè, juxta Apostolorum traditionem, offerri". Sunt igitur quidam *in Christo defuncti*, nondum tamen plenè purgati. Quòd si nondum plenè purgati, profectò nec in cælum intromissi, sed in purgatorio interim occlusi: & tamen in Apocalypsi nuncupantur *Beati*; quia *in Domino mortui*: [S.] "Ad omnes illud pertinet bonos, inquit Lensæus; quod scriptum est in Apocalypsi, *Beati qui in Domino moriuntur: amodò iam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur eos*. Boni siquidem justique omnes *moriuntur in Domino*: propterea que moriuntur benè, qui moriuntur boni. *Beati* ergò illi, non tantummodò spe; quod sunt etiam in hac mortali vita, periculorum licèt plenissimâ: *Spe enim salvi facti sumus*, inquit Apostolus; & *Beati mites*, ait Salvator; & *Beati pauperes spiritu*; aliaque plura, quæ propter spem dicuntur quam illi gerunt qui *Beati* esse pronuntiantur. Sed *Beati* sunt peculiariter ab ipsa continuò morte, qui vel sunt adepti quod sperabant, vel omni cadendi periculo liberati id se consecuturos esse exploratum habent. Si enim spes vitæ hujus, cum magno conjuncta metu excidendi, facit ut Sancti appellentur *Beati*, multò profectò magis propter ipsam securitatem *Beati* poterunt æstimari, etiamsi ad tempus quibusdam crucientur afflictionibus. *Requiescunt* autem *à laboribus suis*, quibus in hac vita sudarunt, contra diabolum, carnem, & Mundum periculosâ militiâ decertantes. Sunt enim hi Sanctorum labores proprij, quibus *cum timore & tremore suam salutem operantur*". Quorum laborum cùm longam catenam ex Augustino lib. 22. de Civit. cap. 23. commemorasset, adjecit: "Quibus laboribus perfuncti, post mortem in magna securitate *quiescunt*: & eis tamen adhuc ab Ecclesia [T.] *requies* petitur, donec ejus sint plenitudinem assecuti; quæ tum contingit cùm per claram Divinitatis contemplationem datur summo bono perfrui, ipsumque possidere. Tunc enim omnia desideria expleta & satiata, velut in suo fine & loco naturali conquiescunt. Hæc autem propterea post mortem eveniunt bonis, quia *opera eorum sequuntur illos*. Reddunt igitur bonos, opera justitiæ, in quibus se hìc laboriosè exercuerunt, *Beatos*; sicut mala, miseros". Scio quidem prætactum Apocalypseos locum à nonnullis intelligi de solis Martyribus, quasi illud, *Qui in Domino moriuntur*, perindè valeret ac si diceretur, *qui pro Domino moriuntur*. Verùm quia Ecclesia in Missâ quotidiana Defunctorum applicat eum locum animabus purgatorij generaliter, præferenda est interpretatio ex Lensæo jam adducta, præsertim cùm ea sit conformior Synodo Tridentinæ mox relatæ. Quamvis autem Augustinus §. 265. allegatus eundem locum Martyribus peculiariter applicare videatur, mox tamen extensionem ad cæteros piè defunctos admittit, addens: *Sed à parte totum, etiam cæteros mortuos intelligimus, pertinentes ad Ecclesiam, quod est regnum Christi*.

P. Ovid. l. 3. Metamorph.

Q. Lezana Consult. 3. p. 130.

Apoc. 14. 13.

R. Synod. Trid. Sess. 22. cap. 2.

Vide Nicol. Gorrā. in c. 14. Apocal. v. 13. & Sect. 2. De Defunctis.

S. Ioannes Lensæus l. 2. de Purgatorio cap. 6. Vide Hessellum in Explicat. Symboli § 139.

& Estium in 4. Dist. 21. §. 4. & Sylvium in Supplem. 3. p. q. 100. art. 3. ad 1. & Viguerium Instit. cap 16. §. 4. v. 28 & Riberam & Viegas in c. 14. Apocal. v. 13. & Hugonem Victor. l. 2. de Sacram p. 16. cap. 2.

Rom. 8. 24.

Mat. 5. 4. & 3.

Phil. 2. 12.

T. Vide missam Defunctorum.

August. Suarez pià §. 261.

CCLXXVII. Habet igitur Beatitas, uti & Sanctitas, latitudinem suam, & gradus suos: & quemadmodùm non omnes sanctitate pares sunt, quibus Sanctitatis titulus tribuitur:

 ita

ita nec beatitate, qui *Beati* nuncupantur. Gloriatur Apostolus creditum sibi esse Evangelium gloriæ *Beati Dei*. Et rursùs de eodem loquens: *Beatus*, inquit, *& solus potens*. Porrò sicut Anna Samuëlis mater, superiùs §. 268. relata, ait, *Non est Sanctus, ut est Dominus*: ita verissimè dici potest, non est *Beatus* ut est Dominus. Proindè sicut ille supremum & inæquiparabilem possidet apicem sanctitatis, ita & beatitatis. Rursùs; sicut ille quandam participationem suæ sanctitatis impertit creaturis intellectu affectuque præditis, ita eisdem quoque impertit consimilem participationem suæ beatitatis, alijs majorem, alijs minorem: T. Neque enim, inquit Augustinus, *beata vita* vocabulum ita contra- „ ctius ad quasdam significationis angustias, „ ut solum Deum dicamus *Beatum*: qui tamen „ ita verè *Beatus* est, ut major Beatitudo esse „ non possit. In cujus comparatione, quòd „ Angeli *Beati* sunt suâ quâdam summâ bea- „ titudine, quanta esse in Angelis potest, quid, „ aut quantum est? Nec ipsos tantùm, quod „ attinet ad rationalem vel intellectualem „ creaturam, *Beatos* nuncupandos putamus. „ Quis enim primos illos homines in para- „ diso negare audeat *Beatos* fuisse ante pecca- „ tum, quamvis de sua beatitudine, quàm „ diuturna, vel utrùm æterna esset, incertos; „ esset autem æterna nisi peccassent: cùm ho- „ die non impudenter *Beatos* vocemus, quos „ videmus justè ac piè, cum spe futuræ im- „ mortalitatis, hanc vitam ducere sine crimi- „ ne vastante conscientiam, facilè impetran- „ tes peccatis hujus infirmitatis divinam mi- „ sericordiam: qui licèt de suæ perseveran- „ tiæ præmio certi sint, de ipsa tamen perseverantia sua reperiuntur incerti". Hinc habemus, præter beatitudinem Dei, non quidem æquabilem, sed tamen participabilem; præter item Angelorum cælestium beatitudinem participatam, duos alios beatitudinis gradus dispares, hominibus adhuc in viâ cum incertitudine eventûs peregrinantibus competentes. Ut igitur ab infimo incipiamus & gradatim ascendamus; Primus beatitudinis gradus est is, quo *Beatos* dicimus eos, qui in hoc statu mortalitatis & infirmitatis justè ac piè vivunt, sine certitudine tamen finalis perseverantiæ: de qualibus disserit Christus in monte Matth. 5. à versu 3. usque ad 11. & Luc. 6. v. 20. & duobus sequentibus. Secundus gradus est is, quem in paradiso habuerunt protoplasti ante prævaricationem, & quem habituri fuissent eorum posteri in via, secluso peccato. Jam enim ex Augustino audivimus primos illos homines fuisse *Beatos* in paradiso: & quidem à fortiori id ipse colligit ex eo, quòd ipsorum posteros, præcedenti jam gradu memoratos, non abs-

1. Tim. 1. 11.
1. Tim. 6. 15.
1. Reg. 2. 2.
T. Aug. l. 11. de Civit. cap. 11. & 12. Vide lib. 11. de Gen. ad litt. c. 18. & l. 19. de Civit. cap. 20.

sone *Beatos* nuncupemus. De eorundem quoque posteris secluso peccato, alibi ait: V. Quàm felices erant primi homines, & „ nullis agitabantur perturbationibus animo- „ rum, nullis corporum lædebantur incom- „ modis: tam felix universa societas esset „ humana, si nec illi malum quod etiam in „ posteros trajicerent, nec quisquam ex eo- „ rum stirpe iniquitatem committeret quæ damnationem reciperet". Ad hunc secundum gradum referri potest ea beatitudo, quâ *Beati* fuerunt omnes Angeli, durante ipsorum viâ. Qua de re videndus idem Augustinus lib. de Corrept. & Grat. cap. 10. Ubi tam in Angelis, quàm in hominibus primitùs innocentibus, distinguit illam beatitudinem quam habuerunt in via, ab ea *beatitudinis plenitudine* quam boni Angeli perceperunt, & cæteri tam Angeli quàm homines sine difficultate percepissent, si priorem beatitudinem in tempus usque præstitutum custodissent. Tertius gradus congruit eis, qui justè ac piè in hoc adhuc sæculo cum hominibus degentes non tantùm habent spem salutis æternæ suo tempore adipiscendæ, sed plenam etiam securitatem. Hæc quippè securitas evehit eos ad sublimiorem beatitudinis gradum, quàm habent primi, aut habuerint etiam in paradiso secundi. Unde Augustinus lib. 11. de Civit. cap. 12. ait". Quantùm „ pertinet ad delectationem præsentis boni, „ beatior erat primus homo in paradiso, quàm „ quilibet justus in hac infirmitate mortalis „ quantùm autem ad spem futuri boni, *beatior* „ quilibet in quibuslibet cruciatibus corpo- „ ris, cui non opinione, sed certâ veritate „ manifestum est, sine fine se habiturum om- „ ni molestia carentem societatem Angelo- „ rum in participatione summi Dei; quàm „ erat ille homo, sui casus incertus, in magna illa felicitate paradisi". Prolixum catalogum talium contexuit Andreas Vega lib. 12. in Tridentinum cap. 11. de cujus veritate nunc non dissero. Hoc interim addo, isto tertio gradu posse comprehendi eos, quibus in hac mortali vita superstitibus erecta fuisse à fidelibus Templa vel Ecclesias memoravimus superiùs §. 272. Neque enim verisimile est fideles impensuros eis fuisse talem cultum, nisi divinitùs constitisset de eorum confirmatione in præsenti gratia, & certissimâ destinatione ad futuram gloriam. Quartum gradum tenent Henoch & Elias, qui cum proximè dictis viatoribus communem habent æternæ salutis securitatem, sed ultra eos habent plenam ab omnibus molestijs immunitatem, ingentemque jucunditatem: W. Henoch & Elias, inquit Tertullianus, nondum „ resurrectione dispuncti, quia nec morte „ functi, quâ tamen de orbe translati, & hoc ipso

V. Aug. l. 14. de Civit. c. 10.
Andreas Vega.
W. Tertull. lib. de Resurrectione carnis c. 58.

„ ipso jam æternitatis candidati, ab omni „ vitio, & ab omni damno, & ab omni injuria „ & contumelia [immunitatem carnis edis-cunt". De Henoch nominatim legitur in Ecclesiastico, quod *translatus sit in paradisum*, locum utique magnę felicitatis ac voluptatis: ad quem posteà translatus censetur Elias, cui beatitatis titulum attribuit Græcorum Menologium §. 272. allegatum, consonante officio canonico quod de ipso quotannis celebrat Carmelitana Religio, juxta indulta Apostolica, de quibus Lezana Consult. 3. Unde apparet Eliam rectè dici posse beatificatum juxta ea quæ de Beatificatione diximus §. 276. Quinimò idem Lezana ibidem n. 129. asseverat, *Eliam posse ab Ecclesia canonizari canonizatione illa solemnissimâ, quâ alios Sanctos canonizare solet*. Quintum gradum tenent animæ justorum in purgatorio, quarum sanctitatem §. 275. & beatitatem §. 276. astruximus. Idcircò autem horum beatorum spirituum status videtur potior statu Henochi & Eliæ, quòd jam consummaverint agonem finalem, exolverintque debitum mortis, quam Philosophus [x] *omnium terribilium terribilissimum* nuncupat: illi autem adhuc subjaceant eidem debito, sub Antichristi tyrannide persolvendo. Præterea spiritus purgatorij evaserunt omne periculum perpetrandi unquam ullum peccatum quantumvis exile. Henoch autem & Elias tametsi sint extra omnem peccandi aleam pro præsenti ipsorum statu, non tamen liquet utrum post reditum ad statum mortalitatis immunes futuri sint ab omni noxa veniali. Neque enim confirmatio in gratia obviat lapsibus levioribus, sed duntaxat gravioribus: prout patet in Apostolis, qui post acceptum Spiritum Sanctum confirmati in gratia fuerunt, nec tamen venialibus culpis omninò caruerunt:

Eccl. 44. 16.

Lezana.

Vide Contelor. de Canoniz. Sanc. c. 11. n. 2. & seqq.

x. Aristot. lib. 3. Ethic. cap. 6.

[y] Omnibus enim, inquit Augustinus, ne„ cessaria est oratio Dominica, quam etiam „ ipsis arietibus gregis; id est, Apostolis suis, „ Dominus dedit: ut unusquisque Deo dicat, „ *Dimitte nobis debita nostra; sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*". Sextum gradum tenuerunt veteres Patres olim in limbo: quippe qui & in Domino mortui fuerant, & omnem pœnam sensualem exolverant, & securitatem perveniendi ad cælestem gloriam habuerunt, & omni periculo unquam peccandi vel venialiter caruerunt. Septimum gradum tenent spiritus justorum ad facialem Dei contemplationem in cælo admissi, necdum tamen suis corporibus revestiti; atque ita essentiali beatitudine quidem donati, sed nondum plenè consummati. Octavum denique gradum tenent, ac tenebunt, qui, resumptis corporibus immortalitatis dote condecoratis æquantur Angelis, nihil ultrà desiderantes, sed viritim cantitantes, *Cor meum & caro meá exultant in Deum vivum*. Dixi, *tenent, ac tenebunt*: quia nonnulli jam tenent; qui Christo resurgenti consurrexerunt, *& post resurrectionem eius venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis*; quos Tertullianus libro de Anima cap. 55. *Dominicæ resurrectionis appendices* vocat: tenet præterea Dei genitrix Sanctissima, cujus assumptionem in cælum solemni festivitate recolit Ecclesia. Tenebunt autem tempore præstituto cæteri electi, qui in fine morientur, aut mortui reperientur. Hos Augustinus lib. 1. Retract. cap. 14. non modò Beatos, sed & *Beatissimos* nuncupare non dubitavit, quin & Angelis comprehensoribus æquiparavit: nec horum, sed spirituum duntaxat separatorum gloriam Ioannes XXII. in dubium revocavit; uti & alij Catholici Tractatores, qui ei vel præscripserant, vel subscripserunt.

y. August. Epist. 95. quæst. 2.

Psal. 83. 3.

Matt. 27. 53.

Tertullianus.

Vide Aug. supra hic §. 255.

CAPUT LXXII.

Argumentum quintum §. 258. objectum diluitur. Qualiter intelligendum quod de unoquolibet Confessore in natalitiâ ipsius festivitate concinitur, Hâc die lætus meruit beatas scandere sedes? *Qualiter item illud quod de Confessore non Pontifice,* Anni reverso tempore dies refulsit lumine, quo Sanctus hic de corpore migravit inter sydera? *Cur dies depositionis Sanctorum dicatur* Natalis *ipsorum? Complurium Sanctorum Natales in Ecclesia festivantur, qui in cælestem patriam ipso die obitus sui nequaquàm pervenisse noscuntur. Verba Patrum in speciem reluctantia explanantur. Martyrij energia, & cum Baptismo analogia. Non intromittuntur ad beatificum conspectum Dei, qui cujusquam culpa vel pœnæ restant adbuc rei. Humanæ miseriæ granditas ponderatur, quâ filiorum Adæ vita degravatur à primis fletibus nascentium, usque ad extremos gemitus morientium. Ingens eorum felicitas, qui tantæ miseriæ per opportunam mortem subtrahuntur, & licèt nondum in plenitudine rei, saltem in certitudine spei constituuntur.*

cclxxviii NVnc diluenda est objectio, quæ adversùs præmissa formari potest ex peculiari hymno, quem Ecclesia recitat de communi Confessorum: in quorum natalitiâ festivitate de quolibet eorum canitur ad Vesperas & Matutinum, *Hodie lætus meruit secreta scandere cæli*; vel juxta Vrbanianam nunc correctionem, *Hâc die lætus meruit beatas scandere sedes*: item ad Laudes de quovis Confessore non Pontifice, juxta eandem correctionem, *Anni reverso tempore dies refulsit lumine, quo Sanctus hic de corpore migravit inter sydera.* Ex quibus apparet Ecclesiam sentire, quòd omnes ejusmodi Sancti, ipso die depositionis suæ, cælestem beatitudinem, in clara Dei visione consistentem, adepti fuerint: cùm nemo sine cælestis huiusmodi beatitudinis adeptione *beatas sedes* aut *secreta cæli scandat*, vel *inter sydera migret*.

OBIECTIO.

CONFIRMATIO. Eadem quoque objectio formari, vel etiam firmari potest, ex consuetâ Ecclesiæ praxi, appellandi diem depositionis Sanctorum, *Natalem* ipsorum; quia nimirum quemadmodum per nativitatem corporalem nascuntur Mundo, ita per transitum ex Mundo nascuntur cælo: [z] Natalem Sanctorum, inquit Chrysologus, cùm auditis, nolite putare illum dici, quo nascuntur in terram de carne, sed de terra in cælum, de labore ad requiem, de cruciatibus ad delicias, non fluxas, sed fortes & stabiles & æternas, de mundanis risibus ad coronam, ad gloriam". Et Albinus sive Alcuinus Flaccus lib. de Officijs divinis, titulo *de Feria sexta Parasceve*: "Notum habet omnis, inquit, qui verè Christianus est, Sanctos cum ab hac corruptibili vita decedunt, ad meliorem, id est, incorruptibilem & interminabilem transmigrare: scilicet de tenebris ad lucem perpetuam, de mœrore ad gaudium sempiternum, de labore ad requiem perennem, de carcere ad libertatem, de servitute ad regnum. Vnde & mos Ecclesiasticus obtinuit, dies illos non funebres, sed *Natalitios* appellare: jure enim *nasci* dicuntur, qui de pressuris huius Mundi, tanquam de angustijs cuiusdam ventris, ad illam spatiosissimam & lucidissimam cælestis habitationis emittuntur latitudinem". Et Nicolaus Papa in Respons. ad Consulta Bulgarorum cap. 5." Sicut *Mulier*, inquit, *nato in hunc Mundum homine lætatur*, ita Ecclesia in vitam futuram fidelium populo migrante, dignâ exultatione repletur: pro quâ etiam nativitate multum laborans & gemens in præsenti, quasi *parturiens dolet*. Nec novum debet cuiquam videri, si natus dicitur, qui ex hac uita migravit: quomodò enim usitato more dicitur *nasci* quis, quando ex utero materno procedens, in hanc lucem exit: sic jure *natus* appellari potest, qui liber ab hujus sæculi tenebris, ad lucem pertingit viventium. Pro qua re aptè consuetudine tenetur Ecclesiasticâ, ut solemnes beatorum Martyrum vel Confessorum Christi dies, quibus de hoc Mundo ad regionem migravêre vivorum, nuncupentur

z. Petrus Chrysolog. Serm. 129.

Alcuinus.

Vide Bern. Sermon. de privilegijs Ioan. Baptistæ.

Nicol. Papa

Ioan. 16. 21.

Vide Baron. in Not. Martyrologij die 1 Ianuarij, & Molanum in Præfat. ad Martyrologium Vsuardi cap. 15.

,, cupentur *Natales*; sed & eorum solemnia
,, non funebria, tanquam morientium; sed,
,, tanquam verâ vitâ nascentium, *Natalia*
vocitentur". Atque istam Ecclesiæ consuetudinem
adeò notoriam suo tempore fuisse
testatur Augustinus, ut nec Iudæos quidem,
A August. Serm. 111. de Diversis cap. 1. nec Paganos latuerit: A. Quis enim hodie, ait
,, ipse, non dicam in nostra civitate, sed planè
,, per Africam totam, transmarinasque regio-
,, nes, non Christianus solùm; sed paganus
,, aut Iudæus, aut etiam hæreticus poterit
,, inveniri, qui non nobiscum dicat *Natalem*
,, Martyris Cypriani? Quid est hoc, fratres?
,, Quando natus est, ignoramus; & quia ho-
,, die passus est, *Natalem* ejus hodie celebra-
,, mus: sed illum diem non celebraremus,
,, etsi nossemus. Illo enim die traxit origi-
,, nale peccatum, isto autem die vicit omne
,, peccatum: illo die ex fastidiosæ matris ute-
,, ro istam processit in lucem, quæ oculos car-
,, nis illecebrat; isto autem die ex occultissi-
,, mo naturæ sinu illam discessit ad lucem, quæ
,, visum mentis feliciter & beatè illustrat".
Eusebius item Emissenus in Homilia de Na-
Euseb. Emissen. tali Sancti Genesij:" Beatorum Martyrum
,, passiones, inquit, *natales* vocamus dies,
,, quando eos martyrij vita & gloriæ fides
,, dum ingerit morti, genuit æternitati; &
,, perpetua gaudia brevi dolore parturijt.
,, Meritò planè dicendi *natales* dies; per quos
,, illi qui nati fuerant in hanc fragilitatis hu-
,, manæ miseriam, subitò renascuntur in glo-
,, riam, vitæ perennis initium de mortis fine
,, sumentes. Etenim si istos dies *natales* voca-
,, mus, quibus in hanc lucem in delictis &
,, doloribus nascimur ad dolores; quibus in
,, hunc Mundum cum fletu infantiæ vagien-
,, tes ingredimur, omnis homo quasi futuræ
,, per totam vitam propheta miseriæ infelici-
,, tatem naturæ primâ illâ lachrymabili voce
,, testatur; siquidem primo statu vita nascen-
,, tium, ad omnem suspecta cursum, in tri-
,, bulatione agitur; justiùs ergo isti celebran-
,, tur *Natales*, quibus Sancti ex corruptibili
,, luce in novam istam futuri sæculi veniunt
,, claritatem, & filij hominum in adoptio-
,, nem divinæ paternitatis ascendunt, & con-
,, sortes paulò antè mortalium subitò cives
incipiunt esse Angelorum". Origenes denique
lib. 3. in Iob paulò ante finem, exponens
illa verba ejusdem Iob, *Pereat dies in qua natus*
Origenes. *sum:*" Priores inquit, diem nativitatis cele-
,, brabant, unam vitam diligentes, & aliam
,, post hanc non sperantes. Nunc verò nos
,, non nativitatis diem celebramus, cùm sit
,, dolorum ac tentationum introitus; sed
,, mortis diem celebramus, utpotè omnium
,, dolorum depositionem atque omnium ten-
,, tationum effugationem. Diem mortis ce-
,, lebramus, quia non moriuntur hi qui mori
,, videntur: propterea & memorias Sancto-
,, rum facimus, & parentum nostrorum vel
,, amicorum in fide morientium devotè me-
,, moriam agimus, tam illorum refrigerio
,, gaudentes; quàm etiam nobis piam con-
,, summationem in fide postulantes. Sic ita-
,, que non diem nativitatis celebramus, quia
in perpetuum vivent ij qui moriuntur".

CCLXXIX. Quamvis Lucas Castellinus in suo Elucidario Theologico cap. 5. Puncto 24. magnam ponat vim in prædictis duobus argumentis; reverà tamen imbecilla admodùm sunt, & compluribus Instantijs obnoxia. Ut enim à posteriori exordiar, planum est non esse consequens, ut quia Ecclesia diem depositionis Sanctorum appellat *Natalem* aut *Natalitium*; eos ipso die adeptos fuisse cælestem beatitudinem. Patet id inprimis ex Martyrologio Romano; ubi crebrò leguntur *Natales* Sanctorum, quos constat non statim ab obitu in cælum pervenisse; aut beatitudinem actu percepisse; sed diuturno tempore reserationem cæli expectasse. Nam ut ex Innocentio III. superiùs §. 261. memoravimus, *cælum usque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum*. Atqui in Martyrologio Romano leguntur *Natales* complurium Sanctorum; ante mortem Christi, adeoque ante reserationem cæli defunctorum. Non ergo tales Sancti ipso die obitus sui ad cælestem beatitudinem actu pervenerunt, sed reserationem cæli sanguine Christi faciendam expectaverunt. Minor patet in Sanctis Innocentibus ab Herode sub tempus nativitatis Christi martyrizatis; de quibus in Romano Martyrologio ad diem 28. Decembris legitur: *In Bethlehem Iuda NATALIS Sanctorum Innocentium, qui ab Herode Rege pro Christo interfecti sunt.* Horum quippe interfectio annis plusquam triginta ante passionem Christi, adeoque ante reserationem cæli, peracta est. Idipsum Patet in Sancto Simeone sene, qui *responsum acceperat à Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini.* Hunc obijsse dudum ante Christi passionem nemo ambigit, præsertim cum in præsentamine Christi infantis fuerit tam decrepitus, & Spiritu Sancto afflatus cecinerit, *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace.* Et tamen in Romano Martyrologio ad diem 8. Octobris legitur de ipso: *NATALIS Beati Simeonis senis, qui in Evangelio Dominum IESUM suis in ulnis suscepisse legitur.* Idem quoque de Beato Iosepho Deiparæ sponso dici potest; quem Baronius, Epiphanium secutus, censet obijsse anno Christi duodecimo, adeoque annis plusquàm viginti ante Christi passionem, aut cæli reserationem. De quo tamen in Romano Martyrologio ad diem 19. Martij legitur: *In Iudæa NATALIS Sancti Ioseph, sponsi Beatissimæ virginis MARIAE.*

[Margin notes, right column: DILVTIO. Castellini. — Innoc. III. — Luc. 2. 26. — Ibid. v. 29. — Vide Baron. ad Annum Christi 12. n. 8. & 9. & Epiphanium Hæresi 78.]

NARIAE. Non ergo ex eo quòd Ecclesia celebret Sancti alicuius *Natalitium*, consequens est illum eodem die pervenisse in cælum: Quòd si alia quoque Martyrologia pervolvamus, plurimas similes instantias reperiemus. Nam sicut in Romano Martyrologio mox relato legimus *Natalem Beati Simeonis senis*, ita in Martyrologijs Adonis, Vsuardi, & Bedæ ad diem primam Septembris legitur *Natalis*
Luc. 2. 37. *Beatæ Annæ Prophetissæ*: quæ cum *octoginta quatuor annorum* fuisse perhibeatur quando Christus infantulus in templo est præsentatus; meritò præsumitur decessisse diu antequàm Christus fores cæli suâ cruce reserasset. Rursùs in Martyrologijs Vsuardi & Adonis ad diem primam Augusti legitur, *Antiochiæ NATALIS Sanctorum Machabæorum*: qui tamen ducentis circiter annis ante Christi passionem, & cæli adapertionem martyrizati fuerant. Quinimò in Menologio Græcorum, §. 272. relato, legitur, *Natalis beati Eliæ Prophetæ*: cùm tamen Elias nondum hodie obierit, aut cælestem gloriam adierit. Denique in Martyrologijs Romano, Adonis, Bedæ, & Vsuardi ad diem 27. Decembris legitur, *Natalis Beati Ioannis Apostoli & Evangelistæ*: cùm tamen non sit omninò indubitatum, Ioannem adhuc vitâ functum esse, prout §. 273. visum est: augeturque dubitatio ex Menologio Græcorum, per Genebrardum verso, & Explanationi Psalmorum præfixo, ubi ad diem 26. Septembris legitur, *Translatio Ioannis Euangelistæ*. Non utique translatio corporis ab anima derelicti, quale Ioannis corpus nusquam reperitur; sed potiùs ipsius personæ, ad instar Eliæ *qui receptus est in turbine ignis*, vel Henochi
Eccli. 48. 9. qui *translatus est ne videret mortem*. His demùm
Heb. 11. 5. accedit, quòd juxta veterem loquendi praxin etiam dies quo quis consecrabatur Episcopus, diceretur *Natalis* ipsius. Patet id ex Ambrosio, qui Felicem Comensem Episcopum alloquens: " Ego, inquit, nostris fabulis in-
S. Ambros. lib. 8. Epist. 60. " texui diem *Natalis* tui, qui foret in exordio ipso Kalendarum Novembrium". Et mox iterum: " *Natalem* tuum prosequemur nos" tris orationibus, & tu nostri in tuis votis non obliviscaris". Vbi *Natalem* sumi pro die consecrationis, patet ex antecedentibus ibidem hisce verbis:" Annuntiasti diem adfore, quo suscepisti gubernacula summi sacerdotij". Eo-
Paulinus dem modo eandem vocem sumit Paulinus Nolanus Epist. 16. ad Delphinum Burdigalensem, referens ei qualiter Anastasius Papa *dignatus fuerit ipsum invitare ad Natalem suum*. Anastasius Bibliothecarius in vita Adriani primi ait de ipso inter alia:" Constituit ut
Anastasius Biblioth. " quatuor vicibus in anno pharum accende" rent, id est, in Nativitate Domini, in Pa" scha, in Natali Apostolorum, & in *Natali*
Hilar. Papa. Pontificis". Hilarius Papa Epist. 2. ad Ascanium:" Lectis, inquit, in conventu fra" trum, quos *Natalis* mei festivitas congre" gârat, literis vestris, quæ de ordinandis " Episcopis secundùm Statuta Canonum vel " prædecessorum meorum decreta sunt, pro" latâ sententiâ, gestorum, quæ pariter direximus, tenore discetis". Similia iterum repetit Epist. 8. Plura in hanc rem congerit Rosweydus in Notis super prædicta Epistola Rosweydus
16. Paulini. Videri quoque potest Baronius Baronius.
in Notis Martyrologij ad diem 3. Januarij, & rursùs ad diem 18. ejusdem Mensis.

CCLXXX. Nunc ad priorem objectionem, seu potiùs priorem partem ejusdem objectionis non difficile fuerit respondere. Cùm enim Ecclesia in festo natalitio eorum etiam Confessorum, qui ante Christi passionem obierant, hymnos in argumento objectos decantet; planum est eam non intendere illum hymnorum sensum, quem prætendit objectio. Quis enim nesciat illos ipsos hymnos quotannis recitari in Natali Sancti *Iosephi* Confessoris die 19. Martij, & Sancti *Ioachimi* die sequenti? Et tamen neuter horum Confessorum ipso die obitûs sui adeptus est cælestem beatitudinem, cùm nondum tunc Christus clave crucis reserasset fores cælestis paradisi. Similiter ubi fit officium Canonicum de Sancto *Severino*, aut de Sancto *Paschasio* Diacono Romano, ijdem hymni à clero recitantur. Et tamen uterque iste Confessor hæsit in purgatorio post diem quo de corporis ergastulo emigravit: prout superiùs §. 261. ex S. Gregorio Papa, & Petro Damiani Cardinale retulimus. Quando igitur Ecclesia de unoquoque Confessore in die ejus natali quotannis redeunte canit, *Hodie lætus meruit secreta scandere cæli*, vel, *Hâc die lætus meruit beatas scandere sedes*: dupliciter ea verba intelligi possunt: primò quidem, ut particula illa, *hodie*, vel *hâc die*, afficiat verbum, *meruit*: secundò ut eadem particula afficiat verbum, *scandere*. Juxta priorem constructionem, planum est non importari adeptionem cælestis beatitudinis eo die factam, sed duntaxat promeritam. Sensus quippe est, quòd Confessor ille de quo agitur, ipsâ die obdormitionis suæ promeruerit scandere suo tempore beatas sedes, seu secreta cæli. Quod verissimum est, etsi non eâdem die, sed diu posteà reapse scandat: quia eâdem utique die cursum feliciter consummavit, perseverans finaliter in statu gratiæ; cui perseverantiæ repromissa est corona gloriæ, juxta illud Euangelicum, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, & illud Matt. 24. 13.
item Apocalypticum, *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. Cui intelli- Apoc. 2. 10.
gentiæ satis congruit quod ex sermone de Nativitate Baptistæ Præcursoris sub Augustini nomine legitur in Breviario Romano ad diem

C. Serm. 76. in Appendic. t. 10.

diem 24. Iunij : C. Post illum sacrosanctum Domini natalis diem, nullius hominum nativitatem legimus celebrari, nisi solius Beati Joannis Baptistæ. In alijs Sanctis & electis Dei novimus illum diem coli, quo illos post consummationem laborum, & devictum triumphatumque Mundum, in perpetuas æternitates præsens hæc vita parturijt: in alijs consummata ultimi diei merita celebrantur; in hoc etiam prima dies;& ipsa etiam hominis initia consecrantur". In quibus verbis tria signanter notanda sunt, primò natalem diem Beati Joannis in Ecclesia celebrari, non quo ille cælestem beatitudinem sit adeptus, sed quo in hunc Mundum natus: ut vel hinc clareat, non esse consequens ut quia cujuspiam Sancti celebrantur natalitia; idcircò ipse eodem die consecutus fuerit gloriam. Secundò in ijs Sanctis quorum depositionis dies sub *Natalitiorum* nomine recolitur; *consummata ultimi diei merita celebrari*. Sive igitur eo die ad gloriam cælestem actu pervenerint, sive non pervenerint; hoc in eis Ecclesia magnificat ac suspicit, quòd *ultimi diei merita consummaverint*. Hoc itaque est quod de quovis Confessore prædicat Ecclesia, cùm de ipso canit; *Hác die latus meruit beatas scandere sedes*: quia nimirùm eâ die in gratia decedendo, implevit conditionem, sub qua ei repromissa est vita æterna suo tempore adeunda, juxta doctrinam Concilii Tridentini Sessione 6. capite 16.& Canone 32. Tertiò notanda est proprietas verbi, *parturijt*, cùm dicitur de ijs qui piè in Domino moriuntur; *illos in perpetuas æternitates præsens hac vita parturijt*. Minus quippè est *parturire*, quàm actu parere: & illud præcedit; istud subsequitur. Cùm Augustus Cæsar in utero adhuc materno delitesceret,

D. Suetoni in Augusto c. 94.

D. *Prodigium Romæ*, refert Suetonius, *factum publicè, quo denunciabatur, Regem Populo Romano naturam parturire*: Nondum ille Regnum adeptus fuerat, imò nec ex utero matris in lucem prodierat, quando eum *Populo Romano Regem natura parturiebat*. Iuxta alteram constructionem; quâ vox illa, *hodie*, vel *hâc die*, afficit verbum, *scandere*; objectio majorem præ se ferre videtur difficultatem: sed tamen non evincit; quia *scansio* non importat necessariò motum momentaneum, sed verificari potest etiam pro temporario seu successivo; sicut & *migratio*, de qua ibi, *Sanctus hic de corpore* MIGRAVIT *inter sydera*. Quis nesciat Israëlitas de Ægypto in terram promissionis ascendentes, typum gessisse Sanctorum de hoc Mundo in cælestem patriam transmigrantium? Sicut ergo illorum ascensio nequaquam momento peracta est, sed longo duravit tempore, ita & horum durare potest. *In exitu Israël de Aegypto* accidisse perhibentur non modò ea quæ in fine illius transmigrationis contigerunt; sicut est illud; *Iordanis conversus est retrorsum*; sed etiam quæ in principio, ut est illud, *Mare vidit, & fugit*. Quadraginta penè anni intercurrerunt inter unum & alterum, & tamen utrumque contigisse dicitur *in exitu Israël de Aegypto*: quia nimirùm exitus ille de Ægypto, sive ascensio in terram promissionis, tanto temporis tractu duravit. Ad hunc ergo modum; qui *in Domino moriuntur*, rectè dicuntur *migrare de corpore inter sydera*, vel *beatas scandere sedes*, sive immerim absque ulla remora, siue cum quodam diverticulo tardatorio pertingant tandem ad terminum: Neque enim Christus Dominus fidem purgatorij evacuasse putandus est, quando indiscriminatim dixit observatores verborum suorum *transire à morte ad vitam*. Transeunt ergo de morte ad vitam etiam ij, qui nonnisi mediante remorâ purgatorij perveniunt ad gloriam. Tales enim servant mandata, de quibus scriptum est, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Quid est enim *ad vitam ingredi*, nisi salvum fieri? De quolibet autem talium ait Apostolus, *Ipse salvus erit; sic tamen quasi per ignem*. Quis credat universos omninò Confessores quorum natalitia in Ecclesia celebrantur; ita puros ab omni debito satis-passionis obijsse, ut nullus eorum ultra unum diem naturalem hæserit in purgatorio, vel etiam olim in limbo? Et tamen de uno quolibet talium in die ipsius natali ad Vesperas & Matutinum legitur vel cantatur: *Hâc die latus meruit beatas scandere sedes*: & item ad Laudes, si non sit Pontifex, sed merus Confessor, *Anni reverso tempore dies refulsit lumine, quo Sanctus hic de corpore migravit inter sydera*. Non ergo istæ phrases ex mente Ecclesiæ important adeptionem cælestis gloriæ supervenisse defunctis absque interjectâ plurium dierum; vel mensium, vel etiam annorum remorâ; sed ipsorum migrationem de corpore non fuisse descensionem in tartarum reproborum; sed accessionem potiùs versùs paradisum electorum. Qui autem accedit, non eo ipso pervenit, sed saltem appropinquat: E. Dicere solemus, inqnit Divus Augustinus, *accessisse* aliquem etiam antequàm perveniat illuc, quo dicitur accessisse: unde etiam dicimus, parùm accessit, vel multùm accessit, eò quò appetit pervenire".

Ps. 113. 1. — Ibid. v. 3. — Apoc. 14. 13. — Io. 5. 24. — Mat. 19. 17. — 1. Cor. 3. 15. — E. Aug. l. 2. de consensu Evang. c. 20.

CCLXXXI. Supereſt reſpondendum authoritatibus Patrum §. 278. in contrarium objectis. Quod non erit operoſum, ſi diligenter perpendantur ea, quæ proximis duobus paragraphis diximus. Authoritates quippè illæ in hoc omnes conſpirant, ut oſtendant, diem obitûs Sanctorum rectè vocari *Natalem*. Quod & nos ultrò fatemur, juxta ſenſum ex Auguſtino cum Romano Breviario jam ſuprà relatum, quo ait, *In ſanctis & electis Dei illum diem coli, quo illos poſt conſummationem laborum, & devictum triumphatumque Mundum, in perpetuas æternitates præſens hæc vita parturit*. Quæ parturitio conſiſtit in ipſa conſummatione meritorum ultimi diei, prout idem ipſe auctor ibidem ſubſequenter inſinuat, cùm addit, *conſummata ultimi diei merita celebrantur*. Per hanc enim meritorum conſummationem tranſmittuntur Sancti *in perpetuas æternitates*. Verùm tranſmiſſio illa, etſi in plenè purgatis ſit momentanea, ex quo Chriſtus *devicto mortis aculeo aperuit credentibus regna cælorum*; tamen in non plenè purgatis temporaria eſt ac ſucceſſiva; qualis etiam in plenè purgatis fuerat ante Chriſti Paſſionem, & cæli reſerationem. Advertendum præthereà eſt, Chryſologum, Auguſtinum, & Euſebium Emiſenum locis in argumento objectis, ex profeſſo loqui de Martyribus, hoc eſt, de eis qui curſum ſuum martyrio conſummarunt. Martyrium autem ritè ſuſceptum plenè purgat non ſolùm ab omni culpa, ſed ab omni etiam reatu pœnæ, juxta illud Divi Thomæ, communiter receptum: [F.] „Nullus pervenit ad vitam æternam, niſi abſolutus ab omni culpa, & reatu pœnæ. Quæ quidem univerſalis abſolutio fit in perceptione Baptiſmi, & in Martyrio: propter quod dicitur, quòd in Martyrio omnia Sacramenta Baptiſmi complentur, ſcilicet quantùm ad plenam liberationem à culpa & pœna". Sed nunquid quia Baptiſmus & Martyrium univerſaliter à culpis & pœnis expurgant, idcircò omnes juſti in cælum abſque ulla remora confeſtim à morte evolant? Nullo modo: nam etſi Baptiſmus ab antecedentibus culpis ac pœnis expurget, non tamen à ſubſequentibus præſervat; nec omnes qui poſt Baptiſmum relabuntur, Martyrio conſummantur, aut condignis pœnitentiæ fructibus ad baptiſmalem innocentiam in hac vita renovantur: [G.] Ergò, ut ait quidam, & hîc quoſdam invenimus ſic bonos, ut tamen hinc emigrantes quibuſdam excipiantur temporarijs afflictionibus & ærumnis, donec juſtitiæ Dei ſit ſatisfactum. Sunt ſanè ita boni quidam & juſti, ut liberi ſtatim evolent ad Superos, digni per omnia qui ſocietate beatâ, nullâ interveniente morâ, perfruantur. Verùm non omnium iſta excellentia eſt: quin id Tertullianus ex ſola Martyrij prærogativa putavit evenire: *Nemo enim*, inquit, *peregrinatus à corpore ſtatim immoratur penes Dominum, niſi ex Martyrij prærogativa, ſcilicet paradiſo, non inferis diverſurus*. Hoc iſte in eo libro, quem ſcripſit de Reſurrectione carnis: illos etiam ſub Martyribus comprehendens, qui tantà flagrant charitate, ut eorum magis animo Martyrium, quàm animus Martyrio deſit. Sed his tanto animi robore præditis hominibus, num cæteros omnes, quamvis bonos, æquabimus? Et ſi tanta fuerit virtutis in vita diſparitas, nullum erit poſt exceſſum è vita diſcrimen"? Non eadem igitur eſt conditio omnium in Domino morientium, nec ea quæ à Patribus de Martyribus peculiariter & ex profeſſo prædicantur, eo ipſo ad cæteros, piè alioquin ac ſanctè vitâ functos, ſunt amplianda. Nam ut Beatus monet Cyprianus, [H.] „Aliud eſt ad veniam ſtare, aliud ad gloriam pervenire: aliud *miſſum in carcerem non exire inde donec ſolvat noviſſimum quadrantem*: aliud STATIM fidei & virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari & purgari diu igne, aliud peccata omnia paſſione purgaſſe: aliud denique pendere in die judicij ad ſententiam Domini; aliud STATIM à Domino coronari". In quem Cypriani locum Pamelius: [I.] Eadem ſunt Cypriano, inquit, „ad veniam ſtare, & miſſum in carcerem non exire inde donec ſolvat noviſſimum quadrantem, & pro peccatis longo dolore cruciatum emundari ac purgari diu igne. Eadem etiam econtrariò, ad gloriam pervenire, ſtatim fidei & virtutis accipere mercedem, & peccata omnia paſſione purgaſſe. Per quæ diſtinguit haud dubiè ſtatum lapſorum, poſt hanc vitam, qui nondum pœnitentiam compleverant, à ſtatu Martyrum". Hinc planum eſt, non eſſe conſequens ut quæ à Chryſologo, Auguſtino, & Emiſeno ſcripta ſunt de *Natali Martyrum*, ea in reliquorum Sanctorum *Natalibus* militent. Nicolaus quidem Papa ibidem objectus meminit expreſſè etiam *Confeſſorum*: ſed quod de eorum *Natalibus* ſcribit, rectè exponitur juxta ea quæ jam proximo paragrapho diximus: imò ſic debere exponi, evincunt quæ præmiſſa fuerant §. 279. Prætereà

Vide §. præcedenti.

F. D. Thom. 3. p. q. 68. a. 2. ad 2. Vide Henriquez cum ijs quos citat, lib. 2. Summæ cap. 36 n. 3 & c. 54. n. 5. & 59. n. 4.

G. Lenſæus l. 1 de Purgatorio c. 6.

Vide Tertul. l. de Reſurrect. carnis cap. 43 & lib. de Anima cap. 55. 2. Cor. 5. 8.

H. Cyprian. Epiſt. 52. Mat. 5. 26.

I. Pamel in Notis ſuper Epiſtoli 52. Cypriani n. 19.

Vide Bern. Ser. de Privileg. Ioannis Baptiſtæ

tereà advertendum est, aliud esse *diem migrationis Sanctorum de hoc Mundo ad regionem vivorum*, vel *pertingentia de hujus sæculi tenebris ad lumen viventium*, aptè nuncupari *Natalem*: aliud verò, nulli alteri diei eam nuncupationem congruere. Illud primum asseritur à Papa Nicolao, non istud postremum. Fatendum proindè est, diem migrationis eorum qui absque ulla remora in cælum evolant, aptè ac congruenter dici *Natalem*; sed planè negandum est, eum solum dici Natalem: alioquin enim nulli Sanctorum, qui ultra unum diem in limbo vel purgatorio post obitum substitissent, *Natalitia* festivitas competenter attribui posset. Quod quàm sit falsum, & Ecclesiasticæ consuetudini dissonum, ex dictis §. 279. perspicuè liquet. Alcuini locus ibidem objectus eandem cum Nicolai loco interpretationem habet, nec ampliùs quàm ille importat: uti nec locus Origenis ibidem ad extremum allegatus: pro cujus pleniore intelligentia recoli poterunt quæ superiùs §. 276. diximus in elucidatione illorum verborum, *Beati mortui qui in Domino moriuntur*. Ad hanc quippè beatitudinem spectat *depositio dolorum*, & *effugatio tentationum*, quibus obnoxius est dies ille, quo Sancti in hunc Mundum introeunt; sed finem eis imponit dies, quo ex hoc Mundo exeunt: *Iugum grave*, inquit Ecclesiasticus, *super filios Adam, à die exitûs de ventre matris eorum, usquè in diem sepulturæ in matrem omnium*. Quid est *iugum grave*, nisi quod Augustinus ait, [K] nota „omnibus humana miseria, quà peragitur „hæc vita, à primis fletibus nascentium, usque ad extremos halitus morientium".

Eccli. 40. 1.

K. August. lib. 1. Oper. imper. c. 50.

CAPVT LXXIII.

Nova objectio proponitur, cujus occasione disquiritur, an separatæ justorum animæ, à cælesti paradiso interim exclusæ, possint in Litanijs à vivis invocari? Quidam fatentur eas orare pro vivis, qui equidem diffitentur invocandas esse à vivis. An, & quibus modis innotescere queat defunctis interpellari se à vivis? Cur in Missa pro defunctis nulla intermisceatur collecta de vivis? De Paschasio *&* Severino, *miraculosa beneficia clientibus è purgatorio præstantibus: de* Hieremia *&* Onia, *pro populo suo è limbo precantibus: de* Antonio *&* Nicolao, *invocatores suos procul dissitos, adhuc in vivis, audientibus & exaudientibus. Nequaquàm est consequens, ut si defuncti preces viventium ad se fusas ignorent, frustrà hi opem ipsorum suppliciter implorent. Proferuntur in eam rem testimonia Hugonis Victorini, Estij, Sylvij, Turriani, Serarij, Davenporti, Hesselij, & Bellarmini à se ipso dissidentis. Quomodò Angelus Moysen alloquens dixit se* Deum Abraham? *Quomodò item Angelus Tobiam alloquens dixit se* Azariam Ananiæ magni filium?

cclxxxii. ALia objectio adversùs prædictam doctrinam formari potest ex Litanijs Ecclesiasticis; in quibus invocari à fidelibus consueverunt qui ab Ecclesia in Sanctorum catalogum relati fuerint. Unde Innocentius III. recensens ea quæ Canonizatus quisque vigore suæ canonizationis consequitur: [L] Per hanc canonizationem, inquit, „consequitur, quòd Ecclesia solemniter dicat „Officium pro eo, sicut pro Sancto: & in „Litanijs in numero Sanctorum licitè numeretur". Circa primum horum duorum obiter advertendum est, non posse fieri officium canonicum de Sancto jam canonizato, absque novo decreto Summi Pontificis, aut Sacræ Congregationis Rituum, distincto à Bulla canonizationis [M]. Ratio hujus est, inquit Lezana, quia quamvis ex vi Decreti seu Bulle canonizationis concedatur generaliter „cunctis facultas celebrandi officium & fe„stum Sancti canonizati; non tamen præscri-

L. Innocent. III in caput Audivimus. de Reliquijs & Venerat. Sanctorum.

M. Lezana Consult. 2. n. 6. Vide Gavantum in Rubricas Breviarij Sect. 1 c. 2. n. 30. & Castellorium de Canoniz. Sanct. c. 4. n. 22.

„ bitur ritus quo celebrari debeat; an scilicet sub duplici, semiduplici &c. nec id exprimitur in Rubricis Breviarij: & propterea necessarium est novum Papæ decretum de tali ritu; quia juxta Caput, *Gloriosus Deus, de Reliquijs & Vener. Sanctorum*, solus Papa potest unum Sanctum præ alijs extollere, ac proindè facere decretum de tali ritu": Cæterùm præsens objectio non in isto primo, sed in secundo fundatur; in eo nimirùm quòd canonizatus possit *in Litanijs in numero Sanctorum licitè numerari*; Hæc enim videtur specialis prærogativa eorum qui Deum vident; atque in cælis cum Christo regnant, ut in Litanijs inter Sanctos numerari seu nominari possint. Soli enim ij inter Sanctos in Litanijs possunt numerari, qui possunt invocari: atqui soli Deum videntes, ac cum Christo in cælis regnantes, possunt invocari: ergò ijdem soli possunt inter Sanctos in Litanijs numerari. Si ergò omnes canonizati hoc ex vi suæ canonizationis consequantur, ut in Litanijs possint inter Sanctos numerari; consequens est, ut omnes canonizati Deum videant, & cum Christo in cælis regnent. Hæc objectio postulat ut discutiamus num Sancti in Domino defuncti, sed interim à cælo exclusi, invocari à viventibus possint? Notanter dixi, *interim à cælo exclusi*: quia quin Sancti in cælum recepti invocari possint, dubitare non sinit Tridentina Synodus, dum mandat omnibus

N. synodus Trid. Sess. 25. sub initium.

Episcopis, ac divini verbi Præconibus, N. ut „ fideles diligenter instruant, docentes eos, „ *Sanctos unà cum Christo regnantes*, orationes „ suas pro hominibus Deo offerre, bonum „ atque utile esse suppliciter eos *invocare*". Cùm igitur hæc veritas inter Catholicos indubitata sit, non est de ea hìc à nobis disserendum, sed Lector ad ea quæ cap. 60. dicta sunt remittendus. Quoniam verò Tridentina Synodus definitionem istam suam ad Sanctos *cum Christo regnantes* restrinxit, quæstionem de Sanctis nondum in cælum receptis, sub disputatione reliquit: idcircò videndum superest, num etiam hi pro viventibus orent, atque à viventibus invocari possint? Si sic, objectio elisa est: sin minùs, eadem vigorem suum retinet. Ubi notandum, duas hìc distingui posse quæstiones, unam de oratione hujusmodi Sanctorum pro viventibus, alteram de invocatione eorundem à viventibus. Porrò quicunque admittunt posse eos à viventibus invocari, consequenter admittunt eos pro viventibus orare; cùm non ob aliud invocentur, nisi ut orare dignentur. Ex adverso autem nonnulli admittunt eos pro viventibus orare, qui tamen pernegant eos esse à viventibus invocandos. Ex his est Gregorius de Valentia, qui licèt tomo 3. Disput. 6. q. 2. Puncto 6. probabilem censeat opinionem Joannis Medinæ, asserentis, animas purgatorij orare pro viventibus, mox tamen Puncto 7. subdit: " Certum est, ne per actum qui- Valentia.
„ dem alterius rationis quàm sit oratio propriè dicta, petendum esse auxilium intercessionis ab ullis defunctis, qui non sunt „ in cælo; etiamsi sint in purgatorio. Nam „ saltem talis petitio esset vana & otiosa; cùm „ in confesso apud omnes sit tales defunctos non cognoscere petitiones nostras". Idem docet Lessius, etsi non cum tanta asseverantia: O. An orent pro vivis, inquit, non „ satis constat. Credibile est etiam pro illis „ orare: quia dubitandum non est, quin pro „ suis sint soliciti; ad hoc enim charitas eos „ impellit. Cur ergò eorum salutem Deo „ non commendent? Nos tamen eos non „ invocamus: quia preces nostras ordinariè „ non possunt cognoscere, & sunt in eo „ statu ut magis egeant auxilio nostro, quàm „ ut possint nobis auxilium adferre, ut ait Divus Thomas q. 83. art. 11. ad 3.".

O Lessius lib. 2. de Iustitia & Iure c. 37. Dub. 5. n. 31.

Consonat Bellarminus lib. 2. de Purgatorio cap. 15: " Non est incredibile, inquiens, animas „ purgatorij pro nobis orare, & impetrare: „ quandoquidem anima *Paschasij* & *Severini* „ miracula operabantur etiam in purgatorio degentes; ut patet ex Gregorio lib. 4. „ Dialog. cap. 40. & Petro Damiani Epist. „ de Miraculis sui temporis. Et quamvis Divus Thomas 2. 2. q. 83. art. 11. ad 3. doceat contrarium, tamen ratio ejus non convincit". Et ibidem pauld inferiùs: " Sed „ quamquàm hæc vera sint, tamen superfluum videtur ab eis ordinariè petere, ut „ pro nobis orent: quia non possunt ordinariè cognoscere quid agamus in particulari, sed solùm in genere sciunt nos in multis periculis versari; sicut nos de illis solùm in genere scimus eas valdè torqueri. „ Nam nec rebus nostris intersunt, ut probat Augustinus lib. de Cura pro mortuis „ cap. 13. nec in Deo orationes nostras vident, cùm non sint beatæ: nec est verisimile eis revelari ordinariè quid agamus, vel petamus".

Bellarminus.

DILVTIO.

CCLXXXIII. Ut igitur distinctiùs ordinatiùsque procedamus, primò inquiremus, utrùm defuncti in Domino, interim à cælo exclusi, orent pro viventibus: secundò utrùm ijdem invocari possint à viventibus. Prioris quæstionis partem negativam tenere videtur Divus Thomas, cùm ait: P. Illi qui sunt „ in purgatorio, etsi sint superiores nobis „ propter impeccabilitatem, sunt tamen inferiores quantum ad pœnas quas patiuntur. „ Et secundùm hoc non sunt in statu orandi, sed magis ut oretur pro eis". Quam sententiam

P. D. Thom. 2. 2. q. 83. a. 11. ad 3.

tiam Franciscus Suarez plerisque veteribus Theologis attribuit: q. Antiquorum Theologorum, inquiens, ferè communis opinio fuit, animas purgatorij non orare pro alijs: quia sunt quasi in carcere, & in statu pœnali, & quasi sub vindictâ divini judicij; ideoque non sunt in statu orandi pro alijs". Pro eadem sententia citat Tannerus nominatim Alensem 4. P. q. 26. Memb. 3. art. 4. ad 4. innominatim verò alios communiter: quos & ipse sequitur, hâc subnixus ratione: r. Quia sicut inter homines ij, qui ob delicta quædam exolvenda, jussu Principis in carcerem compacti sunt, non solent habere accessum ad Principem, nec pro alijs supplicando intervenire, etiamsi gratiâ Principis non planè exciderint: ita de animabus purgatorij cogitandum: præterquàm quòd ordinariè nec per revelationem quidem Dei cognoscant ea quæ apud nos aguntur". Eandem tenet Durandus in Rationali: s. In Missâ pro defunctis, inquiens, intermisceri non debet collecta pro vivis, etiam, ut quidam dicunt, illa communis. Deus qui vivorum dominaris &c. ab Augustino composita: ad notandum, quòd defuncti juvare nequeant viventes in hac vita, nec etiam implorare æternam vitam; licèt ipsi juvari valeant ab utrisque". Durando hac in re subscribit Gavantus in Rubricas Missalis Part. 1. tit. 7. n. 6. lit. M. citatque pro eadem etiam Navarrum de Orat. cap. 20. n. 9. Affirmativam verò ejusdem quæstionis partem tenent inprimis Valentia, Lessius, & Bellarminus, superiori §. citati: eandemque tanquam satis piam & probabilem amplectitur Suarez libro & capite proximè ex ipso citatis. Estius quoque disertè affirmat, t. valde probabiliter eos sentire, qui putant etiam animas quæ in purgatorio sunt, pro salute viventium sollicitas esse, proque eis Deum orare. Nam si dives epulo apud Inferos constitutus, pro fratribus suis erat sollicitus, erga quos tamen veram charitatem non habebat: quantò magis animæ in purgatorio, jam de sua salute securæ, & veram erga nos charitatem habentes, pro nobis orant? Requirit enim hoc quoque membrorum ejusdem corporis in charitate communio; præsertim cùm non ignorent, imò certò sciant, nos indigere suffragijs alienis. Sic itaque nos & illi mutuam præstamus operam, dum nos pro illis, illi pro nobis orant; quomodò viventes oramus pro invicem ut salvemur". Estio subscribit hac in parte Franciscus Sylvius, & simul ad authoritates Divi Thomæ & Durandi jam suprà relatas respondet, subdens: v. Ad authoritatem B. Thomæ respondetur, eum in loco obiecto non dicere, vel quòd viventes non juventur precibus eorum qui sunt in purgatorio, vel quòd illi qui ibi sunt non orent pro viventibus; sed solùm, quòd quantum ad pœnas quas patiuntur, sunt inferiores nobis, & secundùm hoc non sunt in statu orandi. Non sunt autem eadem, non esse in statu orandi, &, non orare: sicut nec sunt eadem, orare, &, esse in statu orandi. Si quis enim detineatur captivus, non hostili, sed amico vel etiam paterno affectu, hoc ipso quo detinetur captivus, non est in statu orandi; & tamen potest orare tum pro se, tum pro alijs, etiam cum fiducia impetrandi, si noverit benevolum affectum eius per quem detinetur. Animæ verò in purgatorio detentæ sciunt paternum ac benevolum Dei affectum tum erga seipsas, tum erga nos. Nihil ergò vetat quo minùs & pro se orent, ut art. 2. dicebamus; & pro nobis adhuc viventibus. Si dicas, in Missa pro defunctis nullam posse dici collectam pro vivis ad notandum quòd defuncti nequeant iuvare vivos in hac vita existentes; ut est apud Durandum in Rationali lib. 4. cap. 15. Respondetur illam rationem ut vera sit, ita esse intelligendam; ad notandum quòd mortui non possint iuvare vivos; ipsis aliquid promerendo, cùm omne ipsorum meritum sit in morte finitum. Alioquin hæc ratio videtur posse reddi, quare Ecclesia sic ordinaverit: quia voluit ut totum quod publicè auditur tam in Missa quàm in Vigilijs defunctorum, sit de defunctis, eò quòd hoc magis pertineat ad luctum, quem in istis officijs Ecclesia vult exprimere". Eandem sententiam disertè propugnat Ioannes Medina de Orat. q. 5. nec repugnat Sotus in 4. Dist. 45. q. 3. art. 1. prope finem: tenet & Bonacina tom. 1. Tract. 4 de Horis Canonicis Disp. 1. q. 2. Puncto 1. n. 8. citans præter alios etiam Azorium. Novissimè quoque eandem astruit Lezana Consult. 3. n. 119. Ex antiquioribus item eidem patrocinatur Gabriel lect. 58. in Canonem Missæ, atque ante ipsum Richardus de Media villa in 4. Dist. 45. art. 7. q. 1. 2. & 3. Quibus addi generatim possunt reliqui illi omnes, qui asserunt animas purgatorij invocari à viventibus posse, de quibus mox infrà locuturi sumus. Si enim animæ purgatorij invocari licitè possint à viventibus, consequens profectò est, ut & ipsæ orent pro viventibus; cùm ex dictis §. 282. liqueat, idcircò eas à viventibus invocari, ut pro viventibus dignentur orare. Quid enim aliud in Litanijs ab unoquoque Sanctorum flagitamus invocando, quàm ut pro nobis intercedat orando? Hinc Angelicus Doctor: w. A Sancta Trinitate, inquit, petimus, ut nostri misereatur: ab alijs autem Sanctis quibuscunque petimus, ut orent pro nobis". Cæterùm quòd Sancti vitâ functi, nec interim in cœlum

q. Suarez lib. 1. de oratione in cõmuni c. 11. n. 16.
Alensis.
r. Tanner. tom. 3. Disp. 5. q. 1 Dub. 6. n. 90.
s. Durand. in Rationali lib. 4. c. 15. n. 16.
Gavantus
Navarrus.
Valentia.
Lessius.
Bellarmin.
Suarez.
t. Estius in 4. Dist. 41. § 11.
Luc. 16. 22.
Iac. 5. 16.
v. Sylvius in 3. p. q. 71. supplementi art. 6.
Medina.
Sotus.
Bonacina.
Azorius.
Lezana.
Gabriel.
Richardus.
w. D. Thomas 2. 2. q. 83. art. 4. in corpore.

recepti, orent pro viventibus, certissimè deducitur ex verbis Oniæ Pontificis ad Iudam Machabæum de Hieremia Propheta pridem defuncto, nec adhuc in cælum tunc recepto: *Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est qui multum ORAT pro populo, & universa Sancta civitate, Hieremias Propheta Dei.*

2. Mach. 15. 14.

CCLXXXIV. Secundæ quæstionis, quâ petitur utrùm ijdem invocandi sint à viventibus, partem negativam tenere videtur Divus Thomas, cum ait: [X] Illi qui sunt in hoc „ Mundo, aut in purgatorio, nondum fruun„tur visione Verbi, ut possint cognoscere ea „ quæ nos cogitamus vel dicimus: & ideò „ eorum suffragia non imploramus orando, „ sed à viventibus petimus colloquendo". Eadem ratio militat pariformiter in veteribus Patriarchis, qui usque ad Christi passionem cælo exclusi, *nondum fruebantur visione Verbi, ut possint cognoscere ea quæ nos cogitamus vel dicimus*. Pro eadem negativa parte stant omnes ij, quos præcedenti paragrapho diximus negare animas purgatorij pro viventibus orare. Si enim non orent pro viventibus, certè nec invocandi sunt à viventibus; cùm non ob aliud utiliter Sancti invocentur, quàm ut orare dignentur. Pro eadem prætereà stant Valentia, Lessius, & Bellarminus, §. 282. relati; qui tametsi fateantur animas purgatorij pro viventibus orare, negant tamen eas à viventibus rectè invocari: è quibus Valentia id dicit *esse certum*. Cujus asseverantiæ unicam hanc subdit rationem: *Nam saltem talis petitio esset vana & otiosa, cum in confesso apud omnes sit, tales defunctos non cognoscere petitiones nostras.* Sed profectò ratio illa non satis idonea est tantæ asseverationi, cùm ex duplici capite vacillet: primò quidem, quia falsum est, *in confesso apud omnes esse, tales defunctos non cognoscere petitiones nostras*: secundò quia etiamsi verum foret *eos non cognoscere petitiones nostras*; non tamen inde certò sequeretur, eorum invocationem fore *vanam & otiosam*. Quomodò enim illud primum *apud omnes in confesso est*, cùm Franciscus Suarez apertissimè scribat, [Y] non „ esse certum animas purgatorij non cognos„cere orationes nostras; & non esse incredibi„le manifestari eis per suos Angelos custodes, „ vel per nostros, vel per utrosque: quia hoc „ non excedit statum earum, & est actus consentaneus Angelicæ custodiæ"? Iam dudum ante Suarezium Augustinus non solùm ex Angelorum relatione, sed etiam ex divina revelatione res nostras defunctis innotescere posse testatur, dicens: [Z] Possunt ab Angelis, „ qui rebus quæ hìc aguntur præstò sunt, au„dire aliquid mortui, quod unumquemque „ illorum audire debere judicat cui cuncta „ subiecta sunt. Nisi enim essent Angeli, qui „ possent interesse & vivorum & mortuorum „ locis, non dixisset Dominus Iesus, *Contigit* „ *autem mori inopem illum, & ferri ab Angelis in* „ *sinum Abrahæ*: Nunc ergo hìc, nunc ibi esse „ potuerunt, qui hinc illuc quem Deus voluit „ abstulerunt. Possunt etiam spiritus mor„tuorum aliqua quæ hìc aguntur, quæ ne„cessarium est eos nosse, & quæ necessarium „ non est eos non nosse, non solùm præterita „ vel præsentia, verùm etiam futura, Spiritu Dei revelante cognoscere". Hinc Cardinalis Bellarminus etsi eorum laudet sententiam, qui censent Sanctos in Deo clarè viso cognoscere viventium preces ad se fusas; simul tamen approbat aliorum opinionem, asserentium easdem preces ab eis cognosci non in Deo viso, sed ex peculiari ipsius revelatione, pro tempore & loco subministratâ: & quidem ita approbat, ut palàm testetur eam magis esse idoneam ad convincendos hæreticos, contendentes non videri Deum à Sanctis usque ad corporum resumptionem: [A] Nam, in„quit, etiamsi Sancti non viderent Deum, „ adhuc possent eis revelari preces nostræ, sicut hìc in terris revelabantur". Et sanè non desunt celebres Theologi, qui negant Beatos videre ullas creaturas in Deo ex vi beatificæ suæ visionis, sed eas cognoscere ex peculiari duntaxat Numinis revelatione: quos magno numero citat & sequitur Vasquez tomo. 1. in 1. p. Disp. 50. cap. 6. præfigens capiti hunc titulum: *Nullam creaturam ex vi visionis Dei, sed peculiari revelatione videri, verior sententia est.* Videri quoque potest Lezana Consult. 3. n. 104. ubi eandem sententiam, tanquam *communi plurium Theologorum consensu* nixam laudat, & ex ea concludit, Eliam posse cognoscere viventium preces ad se fusas, etiamsi beatificâ Dei visione adhuc careat: quia nimirum divinæ revelationes nequaquàm adstrictæ sunt ijs, qui beatificâ fruuntur visione. Idem prætereà author inferiùs ibidem n. 119. ex multorum Theologorum consensu subinfert animas purgatorij *piè invocari posse à fidelibus*." Quod fieri credibile, „ subdit, constat ex D. Gregor. lib. 4. Dia„log. cap. 40. apud quem animę *Paschasii* & „ *Severini* miracula operabantur etiam in pur„gatorio existentes. Quod evidens indicium „ affert, ipsas fidelium precibus motas auxi„lium Dei impetrasse pro illis. Legatur Pe„trus Damianus Cardinalis in Epistola de miraculis sui temporis". Atque hinc ulteriùs ipse concludit posse etiam Eliam, etsi nondum cælo receptum, piè ac fructuosè à fidelibus invocari:" Si autem, inquiens, Sancto„rum animæ, in carcere & tribulationibus „ detentæ, eo apud Deum ponderis & valo„ris habentur, ut propter earum intercessio„nem beneficia sua alijs elargiatur; quid di„cendum sit de Sanctissimo Propheta Elia,

non

X D. Thom. ibid. ad 3.

Vide Tannerum, Durandum, Caravantum, & Navarrum, §. 283. relatos.

Valentia.

Y. Suarez lib. 1. de Orat. in communi c. 10. n. 28.

Z Aug. lib. de cura pro mortuis c. 15.

Luc. 16. 22.

A. Bellarm. lib. 1. de Sanct. Beatitud. c. 20.

Vasquez.

Lezana.

Vide Viguerium Instit. c. 5. §. 3. v. 10.

„non in carcere tribulationis, sed in paradiso exultationis; non in terra miseriæ & tenebrarum, sed in splendidissimo & amœnissimo totius orbis habitaculo constituto, dicere fas est? Certè nullus, ut credimus, Theologus inficiari poterit, quin ipsius intercessio apud Deum plurimùm, & pro plurimis donis à Deo impetrandis, valeat. Idem argumentum vel simile conficere licet ex eo, quòd animæ Sanctorum non in paradiso, sed in limbo Patrum detentæ ante Christi adventum, pro fidelis populi statu & augmento Dominum exorabant: ut fidei dogma est ex sacra Pagina 2. Machab. c. 15. ubi de *Onia* summo Sacerdote dicitur *orare pro omni populo Iudæorum*, & de Hieremia Propheta, *Hic est fratrum amator, & populi Israël: hic est qui multùm orat pro populo, & universâ sanctâ civitate.* Liceat ergò idem de altero sancto Dei Propheta, non in limbi custodia, sed in terrestris paradisi gaudijs existente, catholicè sentire: ac proindè dignum existimare, quòd ab Ecclesia, officij canonici precibus, intercessio ipsius apud Dominum interpellari possit". Huc item referenda sunt quæ ex eodem Lezana & Canisio superiùs §. 272. memoravimus, de Sanctis nimirum in hac adhuc vita tunc degentibus, quibus templa vel sacella à primitivis Christianis erecta fuerunt. Neque enim illi Deum adhuc tunc beatificè viderant, & tamen haud dubiè preces fidelium ad se in iisdem templis fusas cognoscebant, si ea cognitio ad præstanda beneficia postulata requiratur. Quomodò autem eas, plerunque distantes, cognovissent, nisi peculiaribus revelationibus edocti fuissent? De Sancto Antonio Abbate, adhuc tunc vivente, legitur: [B] „Sic dæmonibus erat formidolosus, ut multi per Ægyptum ab illis agitati, INVOCATO nomine Antonij liberarentur". Quando ille invocatores suos à dæmonibus liberabat, vel invocari se sciebat, vel ignorabat. Si ignorabat, non ergo necesse est Sanctos quos invocamus nosse preces nostras: si autem sciebat, profectò non in Deo clarè viso, sed peculiari revelatione edoctus sciebat. De Sancto item Nicolao Myrensi legitur, [C] „Quòd tres tribunos per calumniam à Constantino Augusto condemnatos, qui se, propter famam ejus miraculorum, orationibus longissimè absenti commendârant, adhuc vivens, cùm Imperatori, minaciter eum terrens, apparuisset, liberaverit". Vel scivit ille tunc horum orationes ad se fusas, vel ignoravit. Si ignoravit, & tamen beneficium postulatum præstitit; non frustra igitur Sancti invocantur, etiamsi ignorent à quibus & quando invocentur. Si autem scivit, certè non faciali Dei visione, sed peculiari revelatione scivit. Quidni igitur animæ purgatorij utiliter invocentur, licèt Deum non videant: cùm possint impetrare beneficia invocatoribus suis, sive ignotis, sive peculiari revelatione, citra beatificam Dei visionem, compertis?

B Roman. Breviar. die 17. Ianuarij.

C Ibid. die 6. Decemb.

CCLXXXV. Superest ut ostendamus, asseverationem Patris Valentia ex altero item capite vacillare, ex parte nimirum consequentiæ, quâ infert tanquam *certum*, vanam & otiosam fore invocationem defunctorum, ex hypothesi quòd invocati ignorent invocantium preces ad se fusas. Ostendimus porrò id ex complurium Theologorum magni nominis, partim priscorum, partim neotericorum consensu. Ex priscis habemus Hugonem Victorinum, [D] *Cuius dicta*, ut D. Thomas ait, *magistralia sunt, & robur authoritatis habent.* Hic igitur velut disputans adversùs quempiam, qui, ut nunc Valentia, contendebat frustraneam & vanam fore invocationem Sanctorum, si Sancti suos non audiant invocatores: [E] „Nos, inquit, intercessores quærimus apud Deum. Quid ampliùs vis? Times ne fortè non orent, qui semper orant? Quomodò non orabunt pro te quando tu oras, qui & quando tu non oras orare tamen non cessant? Si non audiunt, inquis, ego in ventum fundo verba, non audientibus & non intelligentibus loquens. Ecce dicamus, Non audiunt Sancti verba postulantium, neque ad beatitudinem illorum attinet ista nosse quæ foris aguntur: ecce dicamus, Non audiunt. Nunquid Deus non audit? Quid ergo laboras investigare quid audiant & quantum audiant Sancti quos oras, cùm ipse audiat propter quem oras? Ipse videt humilitatem tuam, qui remuneraturus est devotionem tuam". Ex neotericis habemus Estium Cancellarium Duacensem ita scribentem: [F] „Sicut quispiam non frustrà supplicat Regi, tametsi supplicationem ejus neque lecturo, neque omninò per se cognituro; quia sunt alij qui Regis nomine id faciant: ita CERTUM EST non frustrà Sanctos à nobis invocari, sive preces supplicantium ipsi per se sigillatim audiant, sive non, quandoquidem totum illud negotium cognoscendi preces, & exaudiendi, seu postulatis annuendi, per alium vel alios divinâ dispensatione suppleri potest". Ubi signanter notanda est illa clausula asseverativa, *certum est*; quæ planè opponitur asseverationi Patris Valentiæ. Estio subscribit Franciscus Sylvius in 3. p. q. 72. Supplementi art. 2. citans quoque pro eadem sententia Raphaëlem de la Torre ita scribentem: [G] „Nec infertur ex hoc quòd Beati ignorent nostras petitiones, ipsos non esse utiliter invocandos: nam aliquis v. g. Angelus potest eas Deo præsentare,

D D. Thom. 2. 2 q. 1. a. 1. ad 1.

E Hugo Victor l. 2. de Sacram. p. 16 c. 11. Vide eund. q. 228. in Epist. ad Romanos.

F Estius in 4. Dist 45. §. 10.

Sylvius.

G Raphaël de la Torre in 2 2 q 31. a. 4. Disp. 9.

„ tare, & satis nobis sit quòd Deus ipsas audit ". Consonat Serarius in suo Litaneutico posteriori, negans sequelam argumenti hæreticorum, impugnantium Sanctorum invocationem, ex ipsorum de rebus nostris ignoratione: H quia, inquit, fieri posset, ut essent, „ qui Sanctorum nomine cognoscerent pre„ ces nostras, Angeli, vel Deus ipsemet: „ quemadmodùm si Princeps aliquis adeò „ illiteratus & rudis esset, ut legere nihil om„ ninò posset; non ideò tamen frustrà suppli„ ces ei offerrentur libelli, quia essent alij qui ejus loco legerent ". Idipsum docet Franciscus Davenportus in Systemate fidei cap. 44. n. 14 & 15. Consonat prætereà Joannes Hesselius: I. Esto, inquiens, non nôrint San„ ctorum animæ nostras preces; sed Angeli „ qui Sanctorum Martyrum personam gerunt: „ non auxilientur insuper ipsi; sed Angeli „ meritis & precibus eorum: an idcircò, hâc „ scilicet hypothesi concessâ, stultum erit „ orare, *Sancte Petre ora pro me?* Nequaquàm. „ Etsi enim Petrus non audiret, est nihilo„ minùs qui audit vice ejus, quique perso„ nam ejus sustinet: sicut stultæ non sunt illæ „ supplicationes quæ Regi offeruntur, etiam„ si non ad ipsum Regem, sed ad Præsidem „ duntaxat regia negotia legitimè pertractan„ tem perventuræ sciantur: sicut item stul„ tus non erat Moyses, quòd Angelo *in igne* „ *de rubo apparenti* loqueretur veluti Deo; „ nam non Deum sed *Angelum fuisse* testis est „ Stephanus apud Lucam: quemadmodùm nec „ ipse Angelus blasphemabat Deum dum di„ ceret, *Ego sum Deus Abraham*, idque propterea „ quòd personam Dei sustinebat: sicut infu„ per nec pater noster Abraham fatuus fuit, „ quum *Angelis veluti Deo locutus est*; quia ex „ Dei authoritate loquebantur, & ipse Deum „ in illis venerabatur: sicut denique Raphaël „ non malè locutus est apud Tobiam, dicen„ do sese *Azariam Anania magni filium*, quia „ hujus viri personam gerebat, & ejus fortassè „ meritis Tobiam juvabat. Si his locutioni„ bus adeò abundat Scriptura, quid vetat quò „ minus & nos ijs rectissimè in ceremonijs „ Ecclesiæ utamur? Cæterùm etiamsi hanc „ hypothesin, nempe quod preces nostras ne„ sciant Sancti, admitteremus; nondum me„ tuendum esset ne jam adversarij ita Catho„ licis, sicut *Elias olim Sacerdotibus Baal*, insul„ tent. Nam sicut si Sacerdotes Baal quod à „ Baal petebant, à Beelzebub vel quovis alio „ dæmone quàm Baal consequi potuissent, „ ridiculè insultasset eis Elias: ita etiam, si „ quod à Sanctis petitur, Angelico id mi„ nisterio obtineatur, non erit cur nobis in„ vocantibus Sanctos insultent adversarij. „ Hæc eò dicta sint, ut ostendantur confide„ re in baculo arundineo, qui hìc petulanter

H. Serar. Litaneutici 2. q. 25.

Davenportus.

I. Hesselius lib. de Invocat. Sanctor. cap. 11.

Ex. 3. 2.

Act. 7. 30.

Exod. 3. 6.

Gen. 18. 3.

Tob. 5. 19.

3. Reg. 18. 27.

Christi Ecclesiæ recalcitrant". Denique Cardinalis Bellarminus etsi in verbis hìc superiùs §. 282. in fine relatis contendat probare animas purgatorij non esse à nobis invocandas, eò quòd invocationes nostras non nôrint: nihilominùs alibi, sibi tacitè contradicens, & hujus suæ probationis vim totam enervans, palàm fatetur non esse legitimam consecutionem à carentia cognitionis ad abolitionem invocationis. Objecto namque sibi isto hæreticorum argumento, *Sancti iam defuncti non cognoscunt viventium preces, igitur frustrà invocantur:* K. Respondeo, inquit, hujus argumenti „ NEC BONAM ESSE CONSECUTIO„ NEM, nec verum id quod assumitur. Ita„ que primùm consecutio negari potest: nam „ cùm certum sit ex tot Patrum testimonijs, „ & tot miraculis à Deo ostensis, eos qui „ invocant Sanctos, exaudiri, & impetrare „ quod petunt: certè non frustrà invocantur „ Sancti, etiamsi demus eos non audire, ne„ que cognoscere nostras preces; nam aliquis „ alius eorum vice fungitur: sicut non frustra „ supplicat Regi, qui certò scit Regem non „ lecturum supplicationem, sed aliquem „ alium ex aula ejus; & nihilominùs ita se „ impetraturum quod petit, ac si Rex legisset supplicationem ". Cùm igitur juxta hanc Bellarmini confessionem non valeat consecutio à carentia cognitionis ad abolitionem invocationis, profectò juxta eandem valere non debet probatio, quâ vel ipse, vel Valentia, vel alius quispiam conatur abolere invocationem defunctorum in purgatorio existentium, sub prætextu quòd ignorent postulationes supplicantium: præsertim cùm ex dictis Paragrapho proximo constet nec ipsum antecedens istius consecutionis à plerisque admitti; nec desint Patrum testimonia, aut miracula à Deo ostensa, quibus monstratum sit, animas purgatorij impetrasse à Deo beneficia clientibus suis: prout de animabus *Paschasii & Severini* agnoscit idem ipse Bellarminus lib. 2. de Purgatorio cap. 15. & ante eum Viguerius: L. Olim, inquiens, invocabantur „ nomina eorum qui erant in limbo, Exod. „ 32. *Recordare Abraham, & Isaac* &c. & tamen „ non erant in patria, sed adhuc in pœna, per „ longum tempus expectantes liberari per „ passionem Christi. Sic animæ quæ sunt in „ purgatorio, cùm sint in gratia, licèt sint in „ pœna ad tempus, à qua sperant liberari per „ satisfactionem vel suffragia Ecclesiæ, orant „ pro suis benefactoribus, amicis, & viatori„ bus, saltem in communi: & eorum oratio„ nes sunt gratæ, cùm sint in gratia Dei, & „ amicæ ipsius. Et quamvis non orent pro „ se, propter ordinem divinæ justitiæ, quem „ cognoscunt; orant tamen pro alijs, saltem „ in communi, cùm non sit eis interdictum.

K. Bellarm. lib. 1. de Sanct. Beat. cap. 20.

Vide supra §. 282.

L. Viguer. Instit. c. 3. §. 1. vers. 9.

Unde

„ Unde Divus Gregorius in 4. Dialogorum „ refert, quòd multi ad eas affecti, & pro eis „ orantes, illasque *invocantes*, adjuti sunt". Concludamus tandem istud caput, verbis Francisci Suarez, qui de ijsdem animabus purgatorij disserens: [M] Si quis ad illas oret, in„ quit, piè credens audiri ab ipsis, nihil pec„ cabit: quia operatur ex pia credulitate & „ affectione; & nulli periculo se exponit". Quinimò juxta authores mox relatos non est necesse ut *credat se audiri ab ipsis*, dummodò saltem credat se audiri, si non ab ipsis, certè ab alio qui personam earum gerat, aut vicem supplendo postulationi annuat.

[M] Suarez l. 1. de Orat. in communi c. 10, n. 18.

CAPUT LXXIV.

Num defacto in Litanijs aliqui invocentur, qui necdum Dei faciem beatificè intuentur, sed in purgatorio vel alibi extra cælestem paradisum detinentur? Henoch & Elias invocari videntur istis Litaniarum verbis, Omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ, orate pro nobis. *Ioannem Apostolum in Litanijs nominatim invocari certò constat, quem tamen devixisse, aut paradisum gloriæ introisse, non pariliter constat. Cùm purgatorij spiritus utique sint* Sancti, *videntur istâ Litaniarum clausulâ comprehendi,* Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis. *In cælo regnant Sancti multi & magni, neutiquàm ab Ecclesia canonizati. Nil vetat invocari spiritus purgatorij, & orari pro ijsdem spiritibus purgatorij. An, & qualiter orare liceat pro defunctorum in Christo spiritibus, beatificâ Dei contemplatione jam fruentibus? Quale signum gloriæ lumen radiosum, quo in picturis circumfunduntur capita Canonizatorum, rememorativum, demonstrativum, an prognosticum? De Moyse, & alijs quibusdam Sanctis, radianti lumine divinitùs in hac vita circumfusis.*

cclxxxvi

INSTANTIA.

Quamquàm ex dictis superiori capite habeamus, animas Sanctorum nondum in cælum receptas orare pro viventibus; & invocari posse à viventibus: nequaquàm tamen adhuc ostensum est, eas posse Ecclesiasticis Litanijs inseri, aut in publicis Ecclesiæ precibus invocari. Respondeo, cùm ex verbis Innocentij III. §. 282. relatis habeamus, canonizatos vi suæ canonizationis id consequi, *quòd in Litanijs in numero Sanctorum licitè numerentur;* & item ex deductis per aliquot anteriora capita clareat, canonizationem in communi sumptam non importare actualem seu præsentaneam canonizatorum gloriam, sed duntaxat securum sanctitatis nunquàm interrumpendæ statum, qualem habent omnes in Domino defuncti, etiam qui interim à cælo manent exclusi: consequens profectò apparet, nihil obstare quò minùs Sanctorum animæ, interim à cælo exclusæ, numerentur in Litanijs, & inter reliquos Sanctos invocentur à fidelibus. Si enim ad hoc ut quis possit in Litanijs inter Sanctos numerari, palamque invocari, sufficiat, eum fuisse canonizatum; canonizatio autem non importet præsentaneam canonizati gloriam, sed duntaxat securum sanctitatis nunquàm interrumpendæ statum; profectò nec numeratio inter Sanctos in Litanijs importat præsentaneam numerati gloriam, sed duntaxat securum sanctitatis non interrumpendæ statum. Ac sic fieri potest quòd aliqui defacto inter Sanctos in Litanijs numerentur qui nondum in cælum sint recepti, sed duntaxat de sanctitatis nunquàm interrumpendæ statu securi; etiamsi nos lateat in particulari; quinam ij sint. Satis constat ex dictis §. 273. non esse omninò certum, num Joannes Apostolus adhuc corporaliter obierit, adeòque num ad beatificam ejus contemplationem pervenerit, qui ait, *Non videbit me homo; & vivet.* Et tamen non obstante eâ incertitudine, numeratur & invocatur in Litanijs inter Sanctos, in verbis: *Sancte Ioannes, ora pro nobis.* Henoch quoque & Eliam invocari inter Sanctos in ijsdem Litanijs, apparet ex illis verbis, *Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ, orate pro nobis*: & de Elia specialiter id affirmat Lezana Consult. 3. n. 129. Et tamen neuter horum ad cælestem gloriam adhuc pertigit. Quid ergo obstat quò minùs dicamus universos piè in Domino defunctos, sive in statu gratiæ consummatos, comprehensis etiam ijs qui nondum

EXPEDITIVA.

Ex. 33. 20.

Lezana.

nondum adepti sunt cælestem gloriam, invocari similiter in iisdem Litanijs cùm dicitur, *Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis*? Ostendimus enim superiùs cap. 71. §. 274. & 275. homines piè defunctos, etsi interim à cælo exclusos, atque in limbo vel purgatorio pro tempore detentos appellari *Sanctos*. Ostendimus insuper proximo capite, eosdem intercedere pro viventibus, & invocari posse à viventibus. Quid igitur obstat quò minùs dicantur defacto invocari in prædictis Litaniarum verbis, ut comprehensi illâ generalitate, *Omnes Sancti & Sanctæ Dei*? Quid item vetat, si defuncti fuerint in ordine Confessorum, quò minùs dicantur invocari inter ceteros illius ordinis Sanctos, istis earundem Litaniarum verbis, *Omnes Sancti Pontifices, & Confessores, orate pro nobis*? Vel si in ordine Sacerdotum aut Levitarum, istis, *Omnes Sancti Sacerdotes, & Levitæ, orate pro nobis*? Vel si in ordine Monachorum aut Eremitarum, istis sequentibus, *Omnes Sancti Monachi, & Eremitæ, orate pro nobis*? Vel denique si in ordine Virginum aut Viduarum, istis, *Omnes Sanctæ Virgines, & viduæ, orate pro nobis*? An obstat quòd non sint canonizati? Sed inprimis jam dictum, & suprà satis ostensum fuerat, canonizationem ex generica sua ratione ac notione nihil importare quod eorum statui repugnet, aut eum transcendat. Prætereà constat quosdam tales fuisse in veteri Testamento divinitùs canonizatos. Testatur quoque Lezana Consult. 3. n. 129. *Etiam, eademque ratio est de Henoch, posse ab Ecclesia canonizari canonizatione illa solemnissimâ, quâ alios Sanctos canonizare solet*: quorum tamen neuter adhuc cælestem gloriam adeptus creditur. Accedit quòd nullo firmo argumento probari possit, Ecclesiam non canonizasse reipsâ aliquos, nondum in cælum actu receptos, sed duntaxat de statu sanctitatis nunquam interrumpendæ securos. Quidni igitur taliter ab Ecclesiâ canonizati, reipsâ in Litanijs etiam nominatim aliqui exprimantur, & inter reliquos Sanctos solemniter à fidelibus invocentur? Dixi *nominatim*: quia quin aliqui Sancti nunquam ab Ecclesia canonizati, equidem invocentur in Litanijs innominatim ac confusim, non videtur dubitandum; quandoquidem supradicta Litaniarum verba, *Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis*, generalissima sint; nec ullus ambigat quin plurimi reperiantur *Sancti & Sanctæ Dei*, etiam in cælum jam pridem recepti, nunquam & nusquam ab Ecclesia canonizati. Qua de re Antoninus: [N] Quantum nobis, inquit, qui „in tenebris involvimur, permittitur ju„dicare de Sanctis per conjecturas & præ„sumptiones ex gestis eorum, arbitror am„bigere neminem, plurimos Beatos utrius„que sexûs, non canonizatos ab Ecclesia, „imò nec nominatos, non fuisse minoris „meriti & inferioris gloriæ, multis cata„logo Sanctorum adscriptis. Non enim ca„nonizatio adjicit aliquid ad meritum vel ad „præmium essentiale Beatorum, nec deceroit „Sanctitatis gradum, sed venerationem tem„poralem & gloriam ut per ipsam possit of„ficium celebrari, & festivari: quod alijs fieri non debet". Et Joannes Gerson, Cancellarius quondam Parisiensis: [O] Credendum „est, inquit, in infinitum plures mortuos „esse Sanctos, & quotidiè mori, quàm hi sint „qui canonizati sunt. Neque enim antiquitùs „canonizabantur, sed ex certissima vitæ san„ctitate colebantur, ut B. Maria Magdalena, „Joannes Baptista, Apostoli, cæterique plu„rimi. Sed ne passim populus in errorem iret, „Ecclesiæ censura moderamen canonizatio„nis adhibuit. Nam populus falso rumore, „vel simulato signo, vel naturalium impres„sionum, quæ circa corpora occisorum vel „patibula de nocte ardent quasi candelæ, ig„narus, facillimè seduci posset, ut latronem „pro Sancto honoraret: sicut in aliquorum Sanctorum legendis factum reperitur". Cùm igitur tam multi Sancti in cælis actu regnent, quos nunquam Ecclesia canonizavit, imò nec nominavit; certè non videtur ambigendum, quin complures Sancti in Litanijs invocentur, confusim saltem & innominatim, qui nusquam ab Ecclesia fuerint canonizati. Neque enim ad solos canonizatos, sed ad omnes sine exceptione Sanctos Sanctasque Dei diriguntur illa Litaniarum verba, *Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis*. Si ergo spiritus justorum justarumque, qui agonem feliciter consummarunt, titulo Sanctitatis gaudeant, etsi necdum cælum actu possideant: videntur profectò iisdem Litaniarum verbis comprehendi, adeóque à fidelibus invocari confusim scilicet & innominatim. Gaudere porrò eos titulo Sanctitatis, constare videtur ex dictis §. 274. & sequentibus.

Lezana.

N Antonin. 1. p. tit. 12. cap. 14.

O. Gerson Opusc. contra impugnatores Carthusiens.

CCLXXXVII. Dicet fortè aliquis, Iisdem ipsis Litanijs orant fideles pro animabus defunctorum in Domino, sed interim exclusis à cælo, dicentes Deo: *Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rogamus audi nos*. Non ergo comprehenduntur eorum Sanctorum numero, quorum ibidem à nobis postulatur intercessio, cùm dicimus: *Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis*. Verùm neganda est hujus argumenti sequela: nam nihil vetat quò minùs in iisdem Litanijs & fundamus pro eis orationem, & imploremus eorum intercessionem. Sicut enim viventes indigent mutuis suffragijs, quibus ait Jacobus Apostolus, *Orate pro invicem, ut salvemini*: ita & iidem viventes indigent intercessione defuncto-

INSTANTIA.

EXPEDITUR.

Iac. 5. 16.

functorum etiam à cælo interim exclusorum, & vicissim ipsi interpellant pro refrigerio ipsorum: P. Sic itaque, inquit Estius, nos „ & illi mutuam præstamus operam, dum „ nos pro illis, illi pro nobis orant; quomo- „ do viventes *oramus pro invicem, ut salvemur*". Allegatur quidem in contrarium Divus Thomas, sed commodam interpretationem ei adhibet Sylvius §. 283. relatus. Bellarminus verò ex professo rationem ejus refellit! Q. Nam si animæ illæ, inquiens, non orent „ pro nobis, vel causa est quia non vident „ Deum; vel quia sunt in maximis tormen- „ tis, vel quia sunt nobis inferiores. Sed „ nihil horum dici potest: non primum, quia „ tempore veteris Testamenti orabant San- „ cti defuncti pro vivis; ut patet ex 2. Ma- „ chabæorum ultimo; cùm tamen nec illi vi- „ derent Deum. Non secundum, quia di- „ ves in inferno orabat pro fratribus suis „ Luc. 16. dum esset tamen in majoribus „ tormentis, quàm sint animæ in purgato- „ rio. Præterea Martyres in hoc mundo, „ in tormentis constituti, orabant pro se, „ & alijs, ut patet de Stephano Actorum 7. „ Item dolor in animabus non perturbat „ ullo modo judicium rationis, nec impe- „ dit affectum bonæ voluntatis: ista enim „ nobis accidunt ratione corporalium orga- „ norum, quibus illæ carent. Denique non „ videtur dubium, quin pro seipsis orent, „ non obstantibus tormentis. Non etiam „ tertium; quia in hoc Mundo nos oramus „ pro Episcopis, & Summis Pontificibus, „ qui sunt nobis superiores; & etiam oramus „ pro illis quos non dubitamus nobis esse „ sanctiores, sicut orabant Christiani olim „ pro Apostolo Paulo, qui eorum orationes „ petebat Rom. 15. & alibi. Præterea ani- „ mæ purgatorij etiamsi nobis sint inferiores „ ratione pœnarum, tamen superiores sunt „ ratione gratiæ & charitatis, in qua jam „ confirmatæ sunt; oratio autem, quæ ex „ charitate procedit, hanc potissimùm superioritatem requirit, si ullam requirit". Negat quidem Bellarminus subsequenter ibidem, invocandas esse purgatorij animas à viventibus, eò quòd ignorent invocationes viventium. Sed ejus assertio improbata est à nobis §. 284. & ratio ejusdem assertionis elisa §. 285. ubi & ipsum authorem nobis eâ in elisione suffragantem, adeòque sibi ipsi parùm constantem, repræsentavimus. Et sanè si animæ purgatorij intercedant pro viventibus, quemadmodùm ex complurium Tractatorum calculis §. 283. ostensum est, rationi consentaneum videtur ut eorum intercessio à viventibus imploretur: ut sicut ipsæ his, ita & hi vicissim ipsis viritim insonent, *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei.*

P. Estius hic supra § 283.

Sylvius.

Q. Bellarm. libro 2. de Purgat. c. 15. Vide suprà hic § 282. in fine.

Iob. 19. 21.

Neque enim magis nôrunt viventes statum earum, vel audiunt preces earum, in particulari; quàm ipsæ viventium statum norunt, aut preces audiunt. Et tamen Ecclesia in officio defunctorum, inducit unamquamque earum implorantem suffragia viventium supradictis Jobi verbis. Quid igitur obstat quo minùs eadem verba ipsis vicissim replicentur à viventibus? Quod ut planiùs perspiciatur, advertendum est, invocationem Sanctorum cum Christo in cælis regnantium non esse novitiam; sed in primitiva quoque Ecclesia fuisse usitatam, prout ex dictis cap. 60. perspicuum est. Et tamen in primitiva Ecclesia fideles orasse pro ijsdem Sanctis apparet ex vetustis Liturgijs Jacobi, Marci, Basilij, Nazianzeni, Cyrilli, Chrysostomi, & aliorum. Quinimò etiam posterioribus Ecclesiæ temporibus oratum aliquando fuisse pro ejusmodi Sanctis, indicat Innocentius III. dum rescribens Archiepiscopo Lugdunensi: R. Fraternitas tua requisivit, inquit, quare fuerit „ mutatum, quod in Secreta Beati Leonis „ secundùm antiquiores Codices continetur, „ sic videlicet; *Annue nobis Domine, ut animæ „ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio*: cùm in mo- „ dernis Sacramentarijs habeatur, *Annue nobis „ quæsumus Domine, ut intercessione Beati Leonis hæc nobis prosit oblatio*". Cui inquisitioni ita respondet Pontifex, ut non solùm assignet rationem mutationis in Secreta factæ, sed alleget duplicem modum interpretandi veterem Collectam, uti & alias ei consimiles. Sic enim ibidem subdit: " Super quo respon- „ demus, quòd cùm sacræ Scripturæ dicat „ authoritas, quòd *iniuriam facit Martyri, qui „ orat pro Martyre*: idem est ratione consimili „ de Sanctis alijs sentiendum; quia orationi- „ bus nostris non indigent, pro eo, quòd cùm „ sint perfectè beati, omnia eis ad vota succedunt". In quâ responsione observatu digna occurrunt tria: quorum primum est, sententiam illam, *iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*, non legi sub ijs terminis in Scriptura divina; sed in scriptis Augustini Serm. 17. de verbis Apostoli c. 1. Secundum est, sermonem ibi esse peculiariter de Sanctis Martyribus, & alijs consimiliter *perfectè beatis*. Tertium denique est, non esse ibi sermonem de qualibet oratione pro talibus fundendâ, sed duntaxat de ea, quâ petatur eis illa animæ beatitudo, quam actu jam possident. Non negat proindè quin orari possit etiā pro talibus Sanctis *perfectè beatis*, ut eis à Deo impetretur aliud quodpiam beneficium, à beatitudine jam adeptâ distinctum. Undè adhuc hodie in Secreta Missæ de communi Confessoris Pontificis orat Ecclesia, *ut per hæc pia placationis officia & illum beata retributio comitetur, & nobis gratiæ Dei dona conciliet*. Subdit itaque Innocentius ibidem

R. Innocent. III. c. cum Marthæ. de celebrat. Missarum.

ibidem binos modos interpretandi ejusmodi petitiones :" Unde, inquiens, quod plerisque „orationibus continetur, *prosit* vel *proficiat huic* „ *Sancto* vel *illi talis oblatio ad gloriam & hono-* „ *rem* : ita debet intelligi, ut ad hoc prosit, „ quòd magis ac magis à fidelibus glorifice- „ tur. Licèt plerique reputent non indignum, „ Sanctorum gloriam usque ad judicium au- „ gmentari; & ideò Ecclesiam interim sanè „ posse augmentum glorificationis eorum optare". Addit prætereà Bellarminus,[S] Fortasse „ peti gloriam corporis, quam habebunt in „ die resurrectionis. Nam etiamsi gloriam „ illam certò consequentur, & debetur eorum „ meritis; tamen non est absurdum hoc illis „ desiderare & petere, ut pluribus modis debeatur. Cùm ergò S. Augustinus dicit Serm. „ 17. de Verbis Apostoli, *injuriam facere Martyri, qui orat pro Martyre*, intelligitur de illis „ qui Martyri precantur remissionem peccati, „ vel gloriam essentialem, quasi illâ careret". Cùm igitur hinc habeamus non esse absurdum si dicatur Ecclesia in solemnibus officijs orare pro Sanctis *perfectè beatis*, petendo eis gloriam corporis, vel augmentum honoris ac venerationis inter homines, licèt eorundem simul imploretur intercessio : nihil profectò obstare videtur, quò minùs in publicis Ecclesiæ Litanijs oretur pro animabus purgatorij illis verbis, *Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rogamus audi nos* : & in ijsdem quoque Litanijs eædem animæ inter reliquos Dei Sanctos Sanctasque invocentur istis verbis, *Omnes Sancti & Sanctæ Dei intercedite pro nobis*.

S Bellarm. l. 2. de Purgat. cap. 18. Vide hic infrà §. 293.

OBIECTIO.

CCLXXXVIII. Inter reliquas honorum prærogativas, quibus Sancti ab Ecclesia canonizati, vel saltem beatificati, insigniuntur, una est, quòd possint ipsorum imagines cum radijs aut circulis luminosis, caput ambientibus, pingi vel sculpi: [T] *In signum*, inquit Bellarminus, *gloriæ, quam habent in cælis*. Hinc igitur novum sumi potest argumentum pro astruenda actuali gloria canonizatorum : nam perindè videtur an verbo, an alio quovis signo Ecclesia denuntiet præsentaneam gloriam Sanctorum à se canonizatorum, ut de ea ambigere nefas sit fidelibus. Respondetur,

T. Bellarm. libro 1. de Sanct. Beatit. cap. 7. Vide Serar. Litaneutic. 2. quæst. 9. & Castellinum in Elucidatioe. 1.

DILVITVR.

Bellarminum loqui consequenter ad definitionem canonizationis à se ibidem præmissam, quam videre licet superiùs hic à nobis §. 258. relatam, sed §. 262. refutatam. Quemadmodùm enim in sua illa canonizationis definitione dixerat, decerni Canonizatis *honores debitos ijs qui cum Deo feliciter regnant*: ita in recensendis ijsdem honoribus, cùm ad imagines radijs circumfusas pervenisset, dixit eam radiorum circumfusionem fieri *in signum gloriæ, quam Canonizati habent in cælis*. Quapropter cùm hæc ipsius interpretatio fundetur in præmissa ibidem definitione, ijsdem argumentis refellitur, quibus & ipsa definitio. Fatendum quidem est radiationem illam imaginum significare splendorem gloriæ cælestis, sed non idcircò necesse est illam gloriam jam actu *haberi* seu possideri ab eo, qui radiante lumine circumfusus depingitur. Neque enim omne signum est demonstrativum rei præsentis, sed quoddam rememorativum præteritæ, quoddam prætereà prognosticum futuræ: [V] Sacramentum, inquit Divus Thomas, est signum *rememorativum* ejus quod „ præcessit, scilicet Passionis Christi; & *de-* „ *monstrativum* ejus quod in nobis efficitur „ per Christi Passionem, scilicet gratiæ: & „ *prognosticum*, id est, prænuntiativum futuræ gloriæ". Postquàm Moyses collocutus fuisset cum Domino in monte Sinaï, ita radiosa evasit facies ejus, ut *cornuta* appareret, & *non possent intendere filij Israël in faciem ejus, propter gloriam vultûs ejus*. Quis pictor jis radijs illustravit faciem Moysis, nisi Deus? Et tamen id non fecit in demonstrationem gloriæ animæ sub radioso vultu perseveranter latentis, sed in rememorationem colloquij cum ipso præhabiti: *Ignorabat*, ait textus, *quòd cornuta esset facies sua, ex consortio sermonis Domini*. Pagninus ex Hebræo vertit, *Non cognovit quod resplenduisset cutis faciei eius, cùm loqueretur cum eo* : Septuaginta Interpretes, *Non sciebat quia glorificatus est aspectus cutis faciei suæ, in loquendo eum sibi* : Chaldæus Paraphrastes, *Nesciebat quod multiplicatus esset splendor gloriæ vultûs sui, cùm loqueretur cum eo*. Notat porrò in eum locum Tostatus, Moysis vultum perseverasse in posterum totâ vitâ radiosum : utique in signum præteriti colloquij rememorativum. Splendorem vultûs demonstrativum præsentis suæ gloriæ habent modò omnes Sancti homines, qui in corporibus resumptis cum Christo aut post Christum in cælos conscenderunt; habebunt & cæteri postquàm in resurrectionem vitæ suscitati fuerint : habuit verò Christus etiam in hac mortali vita, quando nimirùm in transfiguratione *resplenduit facies eius sicut Sol*. Resplendentia quippè ista corporis exterior, ex interiori animæ beatitudine resultabat; adeòque hanc tanquàm effectus apertus sub se latentem demonstrabat. Eadem item resplendentia prognosticè præsignavit claritatem, universis electis Christi membris in futura vita repositam. Undè Leo Papa affirmat quod in Christi gloriosa transfiguratione spes Sanctæ Ecclesiæ fundabatur : [X] ut totum corpus Christi agnosceret, „ quali esset commutatione donandum; & ejus „ sibi honoris consortium membra promitte- „ rent, qui in capite præfulsisset: de quo idem „ Dominus dixerat, cùm de adventus sui ma- „ jestate loqueretur; *Tunc iusti fulgebunt sicut Sol*

V. D. Thom. 3. p. qu. 60. a. 3.

Ex. 34. 29.

2. Cor. 3. 7.

Abulensis.

Mat. 17. 2.

X. Leo Ser. de Transfiguratione Domini.

Mat 13. 43.

Sol in regno Patris eorum". In eadem ipsa Christi [*Mat. 17.1.*] transfiguratione perhibentur *apparuisse Moyses & Elias cum eo loquentes*. Qualiter autem apparuerint, indicat alter Euangelista: *Ecce*, in- [*Luc. 9.30.*] quiens, *duo viri loquebantur cum illo: erant autem Moyses & Elias visi in maiestate*. Non solus ergo Christus, sed & cum ipso Moyses & Elias *visi sunt in maiestate*, hoc est, in gloria, in splen- [*Tertullian.*] dore, in claritate, sive ut Tertullianus lib. 4 contra Marcionem cap. 22. ait, *in consortio claritatis*. Et de Moyse quidem specialiter id asserit Origenes Homil. 12. in Exodum: *Totus*, [*Origenes.*] inquiens, *apparuit in gloria colloquens cum Iesu*. Et mox iterum, *Iam non solo vultu glorificatus descendit de monte, sed totus glorificatus ascendit in montem*. Nec minùs disertè Ambro- [*1. Ambros. lib. de Virginibus, sub initium.*] sius de Elia: *1. Cum Domino*, inquit, *apparet in gloria*. Non fuit autem splendor ille Moysi vel Eliæ à Domino offusus in signum sive rememorativum præhabitæ, sive demonstrativum præsentaneæ beatitudinis, cùm nondum patuisset cælum hominibus: sed in signum prognosticum cælestis ipsorum gloriæ posteà adeundæ: *2.* Moysen & Eliam, inquit Epi- [*2. Epiphan. Hæresi 42.*] „ phanius, simul secum duxit Christus, quò ipsos sui regni cohæredes ostenderet". Non ait, quò ipsos ostenderet regni sui jam actu possessores, sed duntaxat *cohæredes*; quasi jam in secura spe, nondum in re participes gloriæ. Idipsum, & non ampliùs de Elia ostendere intendit Ecclesia, cum eum radiante lumine offusum sinit depingi, perinde ac Sanctos abs se canonizatos, ut refert Lezana Consult. 3. n. 93. Nec dubium quin Henoch ejusdem quoque prærogativæ capax existat, ob similitudinem status. Neuter tamen adhuc cælestem gloriam reipsâ adeptus est, sed ambo, ut Ter- [*Tertullian.*] tullianus §. 277. relatus ait, *iam æternitatis candidati sunt*. De Joanne quoque Apostolo superiùs §. 273. diximus, non esse omnino certum an corporaliter adhuc obierit, aut consequenter cælestem gloriam reipsâ adierit: cùm tamen nullus ambigat quin radiante lumine coruscus pingi queat. De B. Philippo Nerio scriptum legitur in Romano Breviario [*Breviarium Romanum.*] die 26. Maiji" Sacrum faciens, aut ferven-„ tiùs orans, in aëra quandoque sublatus, mirâ undique luce fulgere visus est". Ecce hominem nondum vitâ functum, adeoque nec cælesti gloriâ donatum, ab archipictore interim Deo cum radiante lumine intuentibus expositum. De B. Ignatio Loiola in Bulla canonizationis ipsius legitur:" Excellentem [*Bulla canonizat.*] „ famuli sui sanctitatem comprobari voluit „ etiam Altissimus supernaturali splendore „ vultus, quem cum viveret aliquando vide- „ runt B. Philippus Nerius, & Oliverius Ma- „ nareus Flander, ejusdem Societatis quondam Religiosus": Ubi si per *Sanctitatem* intelligatur justitia præsentis vitæ nondum tunc consummata, splendor ille vultus fuerit signum eius demonstrativum: si verò consummata futuræ vitæ gloria, signum duntaxat prognosticum. Sed addamus aliud signum certò prognosticum futuræ duntaxat gloriæ, quod nobis suppeditat Breviarium Romanum ad diem 9. Martij, ubi ad Martyres Sebastenos martyrio quidem destinatos, sed necdum tamen martyrizatos, delatæ sunt de cælo coronæ per Angelos: in signum utique aureolarum, quas nondum in cælo perceperant, sed propediem percepturi erant. Succedat denique aliud exemplum, quo pateat, hominem necdum justificatum, sed originali adhuc peccato infectum, prognostico equidem luminis indicio prænuntiatum fuisse Sanctum. Is est B. Carolus Borromæus: *A.* Cuius futuræ [*A Bulla canoniz. S. Caroli Borrom. §. 1.*] „ eximiæ Sanctitatis splendorem præmon- „ stravit Dominus magno & insolito lumine, „ quâ nocte puer nascebatur, super maternum cubiculum compluribus viso". Innumera alia huiusmodi exempla congeri possent, quæ brevitatis studio prætereo: quibus perspicuè clareat, nec radiationem capitis, nec splendorem vultus, nec circumfusionem luminis, etiam divinitùs provisas, arguere præsentaneam eorum gloriam in cælis, circa quos visibiliter exercentur in terris. Et sanè non videtur dubitandum quin Ecclesia suo munere rectè fungatur, quando divinam agendi praxin insequitur & imitatur.

CAPUT LXXV.

Quâ ratione certifieri queat Ecclesiâ de vera Sanctitate hominis defuncti, in cælestem saltem paradisum necdum intromissi? Iustorum animas sicut olim in limbo, ita olim vel nunc in purgatorio de sua futura salute esse omninò securas, atque ob hanc securitatem nuncupari beatas. *Innocentij III. subobscurus locus, Corpori Iuris insertus, elucidatur. Martyr Roffensis à sugillatione Bellarmini, perperàm concludentis, vindicatur. Quemadmodùm humana consuetudo verbis aut scriptis, sic divina potentia etiam factis loquitur; tantò quidem luculentiùs significantibus, quantò miriora patent intuentibus. Divina miracula adeò vehementer probant ea ad quæ inducuntur, ut universas Mathematicorum convictiones supergrediantur: sunt quippe sigilla supremæ Majestatis, confirmatoria subsistentis veritatis. In canonizandis Sanctis præter virtutem morum exigit Ecclesia patrationem miraculorum, & quidem in morte vel post mortem editorum. Porrò sicut vita animæ in corpore manentis deprehenditur ex motu membrorum, sic vitam animæ è corpore egredientis, vel jam egressæ, prodit patratio miraculorum. Post mortem ergò vivunt, & canonizari possunt, qui miracula edunt, etsi à cælo adhuc absint.*

cclxxxix Quemadmodùm igitur Deus, cujus indevitabili intuitui cuncta non modò præsentia ac præterita, sed futura etiam ipsa patescunt; cælesti quosdam lumine, tanquam adipiscendæ posteà gloriæ arrhabone, præsignat: ita & Ecclesia ad ipsius imitationem decernere vel indulgere potest, ut aliqui nondum in cælum recepti, sed eò tamen certò destinati, pingantur interim splendidi, fulgidi, radiosi: prout reipsa permittit pingi Eliam, nondum licèt provectum ad cælestem gloriam. (vide suprà §.272.) Nec dubitandùm videtur, quin similiter ij, quibus adhuc tunc viventibus templa vel altaria in primitiva Ecclesia erigebantur, splendescentibus pariter picturis aut sculpturis honorarentur. DIFFICULTAS. Hìc autem occurrit difficultas, undenàm scilicet certifieri possit Ecclesia de futura gloria cujusquam, qui nondùm ad gloriam pervenerit, quandoquidem futurorum contingentium prænotio soli competat ei de quo scriptum est, *Domino Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita*; (Eccli. 23. 29.) reliquis autem dicatur, *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dij estis vos.* (Isa. 41. 23.) EXPEDITUR. Respondetur, Ecclesiam posse inprimis ea de re certifieri ex divina revelatione, deindè per discursum ex principijs revelatis certò procedentem. De priori modo aliquid tetigimus §. 277. & omninò videtur is modus intervenisse circa eos, in quorum adhuc tunc viventium honorem diximus erecta fuisse templa vel altaria in primitiva Ecclesia. Neque enim ullo modo credibile est Ecclesiam fuisse id toleraturam, nisi de talium futura gloria plenam habuisset securitatem. Hæc autem aliundè haberi non potuit, quàm ex peculiari Numinis revelatione, sive in Scripturis proditâ, sive per Traditionem diffusâ. Secundo modo certifieri potuit Ecclesia de futura gloria eorum, qui ante Christi passionem canonizati fuerant à Deo, de quibus suprà hìc §. 262. Ipsa quippè divina canonizatio certam reddebat Ecclesiam de eorum cælesti gloria, abstrahendo à præsenti & futurâ. Aliunde item certò constabat Ecclesiæ, quòd nondum de præsenti pervenissent illi ad gloriam, cùm necdum Sanguis Christi reserasset fores paradisi. Igitur certò constabat Ecclesiæ, eos aliquando futuros, sed nondum reipsa esse in gloria. Nec obstat quòd Scriptura nuncupet gloriosos: *Laudemus*, inquiens, *viros gloriosos.* PRÆOCCUPATIO. (Eccli. 44. 1.) Nam vel idcircò nuncupat eos *gloriosos*, quòd apud homines magnam consecuti sint laudem, famam, ac reputationem, sicut ibidem subditur: *Omnes isti in generationibus Gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus*: (Ibid. v. 7.) & iterum, *Semen eorum & gloria eorum non derelinquetur: corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivit in generationem* (Ibid. v. 12. & 14.)

&

& generationem. Vel denique si quis malit eos dici *gloriosos* à gloria cælesti, dicat consequenter non intelligi gloriam actu jam aditam, sed suo tempore certò ac securè adeundam: ad eum scilicet modum, quo superiùs hic §. 276. diximus eos omnes dici *beatos*, qui moriuntur in Domino: non quasi omnes statim à morte beatitudinem cælestem actu adeant, sed quia statim à morte securitatem saltem eius suo tempore adipiscendæ accipiunt. Unde quidam edisserens locum istum Apocalypticum, *Beati mortui qui in Domino moriuntur:* B. Ibi, inquit, im„plicantur tria bona in iustis mortuis; contra „tria mala viventium. Modò enim vivimus „in periculo, in peccato, in flagello: sed „mors naturæ tollit periculum, donum gra„tiæ peccatum, bonum gloriæ flagellum. „Secundum hoc notantur hic tria: bonum „gloriæ ibi, *Beati*: debitum naturæ ibi, *mortui*: „donum gratiæ, non cuiuscunque, sed finalis; „ibi, *in Domino moriuntur.* Sed quomodo *Beati* „sunt, qui adhuc pœnam purgatoriam sen„tiunt? Responsio: *Beati* sunt spei certitudine, sed postea in re". Simili penè modo Joannes Andreas, celebris Iurisconsultus, interpretatur locum alioqui difficilem Innocentij III. qui rescribens Episcopo Cremonensi: C. Presbyterum, inquit, quem sine un„da baptismatis extremum diem clausisse sig„nificasti, quia in Sanctæ matris Ecclesiæ „fide, & Christi nominis confessione per„severaverit, ab originali peccato solutum, „& cælestis patriæ gaudium esse adeptum, asserimus incunctanter". Ubi Pontifex primâ facie videtur dictum presbyterum tanquam cælo jam actu receptum canonizasse: cùm tamen ex adverso ibidem inferiùs indicet eum fuisse tunc adhuc in pœnis purgatorij, quatenus subdit ad eundem Episcopum: *In Ecclesia tua iuges preces hostiasque Deo offerri iubeas pro presbytero memorato.* Si igitur indigebat huiusmodi precibus & hostijs, quomodo Pontifex *incunctanter asserit eum cælestis patriæ gaudium esse adeptum*; præsertim cùm idem Pontifex §. 287. relatus dicat, injuriam fieri Martyribus alijsque Sanctis perfectè beatis, si pro illis oretur? Respondet in commentario illius capitis Joannes Andreas, inquiens: *Adeptum*, re. vel spe: aliàs non esset „pro eo orandum, si jam esset in paradiso, „De Celebrat. Missarum, cap. *cum Marthæ*". Ubi pro eo quod ait, *Spe*, Gorranus suprà ait, *Spei certitudine.* Et rectè, nam *qui in Domino moriuntur*, etiamsi non statim in cælum intromittantur, sed in purgatorium expiandi detrudantur; confestim tamen à Domino judicantur, atque eò ipso securi certique redduntur.

Apoc. 14. 13. B. *Gorranus Serm. 2. in die animarum.*

C. *Innoc. III. cap. Apostolicam. de Presbytero non baptizato.*

Ioannes Andreas.

CCXC. De hac eorum certitudine seu securitate obiter locuti fuimus superiùs §. 276. & rursùs §. 286. Sed quia pleniori indagine indiget, & præsenti nostro scopo admodum conducit, lubet eam denuò ad incudem revocere: D. Sciendum est, inquit Lensæus, secu„ritatem dici tripliciter: Uno enim modo „est in reipsa securitas, quamvis non sit in „opinione: quod propriè diximus, *esse in* „*tuto.* Alio, in opinione, etsi non sit in re. Ter„tio demùm, in re, & in persuasione: quæ „perfecta est veraque securitas. Quibusdam „enim nullum imminet periculum, & agunt „tamen timidiùs: alij nihil metuunt, securi„que agunt, etiam in magnis periculis: illi „demùm perfectè sunt securi, qui & periculo „carent omni, & in tuto sunt, atque ita se esse „certâ cognitione exploratum habent. Quòd „autem justorum animæ in purgatorio secu„ræ sint primo modo, liberæ videlicet ab „omni periculo excidendi à sua felicitate, illæ „Scripturæ docent: *Qui perseveraverit usque* „*in finem, hic salvus erit*: &, *Esto fidelis usque* „*ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*: &, *Lignum* „*ubicunque ceciderit, sive ad austrum, sive ad aqui*„*lonem, illic erit*; Illa quoque ex libro Sapien„tiæ, *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum* „*eius, & fictio deciperet animam illius.* Unde con„stat, post hanc vitam nullum ampliùs à ten„tatione periculum impendere. Docet hoc „luculenter D. Cyprianus Serm. de Morta„litate; & Divus Augustinus lib. de Prædest. „Sanct. cap. 14. ex Divo Cypriano, quem do„cete ait; *Non solùm non esse fidelibus inutilem* „*mortem, verùm etiam utilem reperiri, quoniam* „*peccandi periculis hominem subtrahit, & in non* „*peccandi securitate constituit.* Ut autem & ter„tio modo securæ sint, propriè circa unam„quamque divini judicij sententia facit: quia „*statutum est hominibus mori, post hoc autem* „*iudicium*: &, *Facile est*, inquit Sapiens, *coram* „*Deo, in die obitûs retribuere unicuique secun*„*dùm vias suas*: id quod propter divini judi„cij sententiam dictum est, quâ quisque post „mortem continuò vel vitæ adjudicatur, vel „morti: sola enim hæc est adæquata vitæ „cuiusque retributio. Neque verò existi„mandum est sic ferri sententiam, ut esse „possit ignota: cùm hoc ipsum circa unum„quemque Dei sententia fit, decreti ejus „manifestatio, quâ cuique retributio sua „innotescit. Nam & hic alioqui suam quis„que sententiam acciperet, imò & acce„pisset ab æterno, si nihil aliud esset Dei sen„tentia quàm decretum quo quemque secun„dùm vias suas, aut vitæ, aut morti destina„ret. Sententiæ ergo circa quemque pronun„tiatio, divini decreti manifestatio est, quâ „suus cuique declaratur futurus status aut „felicitatis, aut miseriæ, secundùm ea quæ „in corpore gessit bona, aut mala. Quan„quam & hoc, quòd bonâ & tranquillâ conscientiâ

D. *Ioannes Lensæus in Appendice de Purgatorio ad c. 6. libri 2.*

Vide Bellarm. l. 2. de Purgat. cap. 4. & Greg. de Valentia to. 4. Disp. 11. q. 1. Puncto 1. & Dominicum Sotum in 4. Dist. 19. q. 3. a. 2. & Suar. in 3 p. t. 2. Disput. 12. Sect. 2. & to. 4. Disp. 47. Sect. 3. & Conin. k. t. 2. de Sacram. Disp. 31. Dub. 3. & 4. & Henriquez lib. de fine hominis cap. 25.

Mat. 10. 22. Apoc. 2. 10. Eccle. 11. 3. Sap. 4. 11.

August. ex Cypriano.

Heb. 9. 27. Eccli. 11. 28.

Rom. 5. 1. „ ſcientiâ ſunt „: atque *juſtificati ex fide pacem „ habent cum Deo*, ac regni conſequendi fiduciâ „ lætantur, imò verò jam intra ſeſe regnum
Rom. 14. 17. „ illud habent, de quo Paulus, *Regnum Dei „ non eſt eſca & potus, ſed juſtitia & pax & gau„ dium in Spiritu Sancto*: id certum ipſis per„ ſuaſionem facit, ſe non eſſe damnatos; ne„ que à facie Domini projectos in æternum: „ tales enim deſperatione torqueri neceſſe „ eſt, & luctum concipere inconſolabilem". Lenſæo addendum ſe offert Heſſelius, magiſtrum diſcipulo, qui in Explicatione Sym-
E. Ioan Heſſelius in explicat. Symboli c. 129. boli Apoſtolici ait: [E] Sicut Sancti in cælo „ regnantes, de ſua æterna beatitudine ſunt „ ſecuri: ita animæ impiorum certæ ſunt de „ ſua æterna damnatione. Iuſtorum igitur ani„ mæ quæ nondum pervenerunt ad gloriam, „ cum videant ſe diligere legem Dei; & ex „ bona conſcientia ſpe ſuæ liberationis plenæ „ ſint; ex qua ſpe magnum capiunt ſolatium
Rom. 5. 1. „ (Quomodo enim *juſtificatæ ex fide Pacem*
Rom. 5. 2. „ non *haberent ad Deum*? Quomodo non *gloria*-
Rom. 8. 11. „ *rentur in ſpe filiorum Dei*, quas *inhabitat Spiri*-
Rom. 8. 16. „ *tus Sanctus*, quibus *reddit teſtimonium quod ſint*
Rom. 8. 15. „ *filij Dei*, faciens eas *clamare, Abba Pater*?) „ Sciunt ſe non perveniſſe ad locum illum,
Luc. 16. 26. „ *unde non eſt tranſitus ad requiem*. Neque enim
Vide Eſtium in 4 Diſt. 21. § 6 & Sylvium in 3 p. qu 100. Supplem. a 6. „ metuendum eſt, ne magnitudine tormen„ torum obliviſcantur eorum quæ hìc ſcive„ runt, aut teſtimonij propriæ conſcientiæ: „ cum talis oblivio nec damnato epuloni „ contigerit. Securæ igitur ſunt de ſalute „ quandoque percipienda: propter quam ſa„ lutis ſecuritatem, in canone Miſſæ meritò „ dicimus Chriſtianos *dormire in ſomno pacis*, & „ *in Chriſto quieſcere*: quamvis adhuc petamus „ eis *requiem, refrigerium, lucem & pacem*. At
Iſa 57. 20. & 21. „ contrà de impijs dicitur, *Impij quaſi mare „ fervens, quod quieſcere non poteſt*: &, *Non eſt pax „ impijs, dicit Dominus*: quod maximè ibi con„ tingit, ubi omne terrenum ſolatium defi„ cit". His addo Viguerium, qui in ſuis Inſti-
F. Viguerius Inſtit c. 16. § 4 v. 28. Apoc. 14. 13. tutionibus ait: [F] Non omnes *qui moriuntur „ in Domino*, hoc eſt, in gratia, ſtatim ſunt per„ fectè beati; ſed ſolùm illi, qui nihil purgan„ dum habent. Animæ autem purgatorij ſunt „ beatæ *in ſpe certa*: quia certæ ſunt quòd li„ berabuntur, & pervenient ad beatitudinem „ perfectam". Eſt denique hæc doctrina à
Leo X. Papa Leone X. Pontifice confirmata, quatenus contrariam inter Lutheri articulos condemnavit, quorum trigeſimus octavus ſic incipit:
Lutherus. *Animæ in purgatorio non ſunt ſecuræ de ſua ſalute, ſaltem omnes*. Cujus articuli falſitatem, & oppoſitæ doctrinæ veritatem, compluribus argumentis aſtruit Roffenſis, quæ penè coincidunt cum mox relatis ex Lenſæo & Heſſe-
G Roffenſis contra articulum 38. Lutheri. lio. Ex quibus ille ad extremum ita concludit: [G] Perſpicuum igitur ex his cuivis eſſe „ poteſt, animas in purgatorio conſtitutas, omnes de ſua ſalute ſecuras eſſe". Contrariam tamen ſententiam Bellarminus adſcribit non tantùm Dionyſio Carthuſiano, Michaëli Baio, Joanni Gerſon, ſed huic quoque ipſi Epiſcopo Roffenſi, eò quòd ſuperiùs in confutatione articuli 32. ejuſdem Lutheri, admiſerit cum Gerſone, [H] *veniale peccatum* H. Bellarm. lib 2 de Purgat. cap. 4.
„ *non eſſe tale, niſi ex miſericordia Dei, ac proinde „ juſtè poſſe puniri in æternum*. Hinc enim ſequi„ tur, inquit, animas quæ habent venialia „ peccata non poſſe certò ſcire an non punien„ tur in æternum, quanquàm Roffenſis in „ Art. 38. Lutheri contendit, *animas purga„ torij eſſe certas de ſua ſalute*: quod non vi„ deo quomodo cohæreat cum priore ſententia". Ego tamen faciliùs video dictorum Roffenſis cohærentiam, quàm argumenti Bellarminiani conſequentiam. Roffenſis enim eodem ipſo loco quo aſſerit peccatum veniale ex ſola miſericordia Dei eſſe tale, ſimul aſſerit peccato veniali non effugari gratiam ex anima; nec peccantem conſtitui in odio Dei. Ex quo planum fit, peccatum veniale non puniri in æternum reipsâ, ſive id proveniat ex ſola Dei miſericordia, ut Roffenſis putavit; ſive ex rei natura, ut alij rectiùs cenſent. Per nullam proindè Dialectices regulam ſequitur, Peccatum veniale ex ſola Dei miſericordia eſt tale: ergo qui in ſolis peccatis venialibus vitam finiunt, certi de ſua ſalute eſſe non poſſunt. Certè enim, juxta veridicam Auguſtini doctri- Vide Aug. Enchir. cap. 27.
nam, univerſa natura humana propter Adæ prævaricationem juſtè potuiſſet à Deo puniri in æternum. Nec tamen hinc conſequens eſt, non poſſe nos certò ſcire id nunquam reipſâ futurum. Non ergo ex eo quod dixit Roffenſis, conſequens eſt id quod infert Bellarminus. Vndecunque enim peccatum veniale habeat quòd ſit tale, indidem juxta Roffenſem habet quòd *non effuget ab anima gratiam, nec peccantem conſtituat in odio Dei*. Quiſquis proinde vitam hanc finit cum ſolis peccatis venialibus, eam finit in ſtatu gratiæ, adeoque immunis ab odio Dei. Salvabitur ergo talis, quia in gratia *perſeveravit uſque in finem*, quia Mat. 10. 22.
in Domino mortuus eſt, quia non ad aquilonem, Apoc. 14. 13.
ſed *ad auſtrum cecidit*. Nec ſolùm ſalvabitur, Eccl. 11. 3.
ſed & ipſe certò ſciet ſe ſalvandum, quia certò ſciet ſe in gratia finaliter perſeveraſſe, in Domino obijſſe, ad auſtrum cecidiſſe: " Animæ ſeparatæ, ait ibidem inferiùs ipſe „ Bellarminus, ſicut ſeipſas perſpicuè intuen- Bellarminus.
„ tur, neque enim pendent ibi à phantaſma„ tibus: ita etiam vident omnia, quæ in ſe „ habent. Ac proinde vident, an habeant verum habitum charitatis, an non". Quæ aſſertio planè confirmat dictorum Martyris Roffenſis cohærentiam, & infirmat prædictam Bellarmini conſequentiam. Quamvis ergo

Roffenſis

Roffensis erraverit in antecedente, non est tamen arguendus incohærentiæ.

DIFFICVLTAS. CCXCI. Cæterùm quamvis animæ in purgatorio, vel olim in limbo, constitutæ, securitatem suæ salutis habeant, aut habuerint; non tamen apparet unde Ecclesia assecurari possit de earum gratioso statu, ut possit ad earum canonizationem procedere, citra specialem revelationem. Hæc autem revelatio etsi de nonnullis facta olim fuerit, signanter de ijs qui in divinis utriusque Testamenti libris inter Sanctos recensentur; nunc tamen non semper fit, nec semper de ea authenticè constat quando fit. Quomodo igitur in hoc casu poterit certifieri Ecclesia de eorum salutis securitate, quos albo Sanctorum inscribere intendit? EXPEDITVR. Respondeo quòd ut Ecclesia quempiam albo Sanctorum inscribat, ejusve canonizationem solemnizet, non est necesse eam certifieri de ipsius præsenti statu in particulari, num scilicet actu jam Deum videat, an adhuc in pœnis securus præmij hæreat: sed sufficit certifieri de sanctitatis ejus nunquam interrumpendæ statu in communi, abstrahendo ab eo utrùm jam actu Deum beatificè comprehendat an futuræ comprehensioni securus inhiet. Cùm enim ex dictis §. 262. & 263. constet, canonizationem nec ex communi sua notione, nec ex communi formula importare determinatè actualem Canonizati gloriam, sed consistere posse cum ejus carentia, dummodò adsit perveniendi indubitantia: consequenter constare debet, ad eam sufficere quòd Ecclesia certifiat de Canonizandi inamissibili sanctitate in communi, etiamsi ignoret ejusdem sanctitatis statum in particulari, an scilicet jam sit consummata per gloriam, an duntaxat in procinctu securè adipiscendi gloriam. DVBIVM. Si quæras, undenam Ecclesia de hoc ipso statu certifieri poterit, nisi divina aliqua revelatio intervenerit? DECIDITVR. Respondetur, Ecclesiam non procedere ad canonizationem cujusquam Sancti, sine interventu revelationis divinæ. Sed revelatio ista non necessariò debet fieri verbo aut scripto, cùm Deus possit horum vicem supplere facto. Unde Apostolus perhibet salutarem Christianæ legis doctrinam confirmatam fuisse in nos, *contestante Deo signis, & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritùs Sancti distributionibus secundùm suam voluntatem.* (Hebr. 2. 4.) Deus ergo non verbo duntaxat aut scripto testimonium perhibet, sed signis, utique miraculosis, atque portentis &c. I. Sciendum est, inquit Angelicus Doctor, quòd testimonium est per loquelam: loquela est signum sensibile. Deus autem duplici signo sensibili contestatus est, scilicet miraculis, & donis Spiritùs Sancti. Quantùm ad primum, dicit, quòd confirmata est *contestante Deo signis*, quoad minora miracula, ut fuit sanatio claudi, vel febris: de quorum primo Actorum 3. & 14. de secundo autem Actorum ultimo. *Portentis*, quantùm ad majora, sicut est suscitatio mortui, Actorum 9. *Thabita surge* &c. Dicitur autem *portentum*, quasi porrò vel procul tensum, quod scilicet aliquid in longinquum demonstrat, 2. Paralipp. 32. *In legatione Principum Babylonis, qui missi fuerant, ut interrogarent de portento*: quòd scilicet Sol fuerat retrogressus". Augustinus Deum miraculis loqui asserit, non qualitercunque, sed modo maximè persuasivo, & quasi Rethoricaliter: K. Sicut humana consuetudo verbis, inquit, ita divina potentia etiam factis loquitur: & sicut sermoni humano verba nova, vel minùs usitata, moderatè ac decenter aspersa splendorem addunt; ita in factis mirabilibus, congruenter aliquid significantibus, quodammodò luculentior est divina eloquentia". Theodoretus item alludens ad locum Apostoli mox citatum: L. Valde sapienter, inquit, Apostolus dixit Deum per miracula prædicationi ferre testimonium: nam & evidens est probatio, & de testis veritate dubitari non potest". Pulchrè admodùm & apposite Bartholomæus de Medina: M. Miraculum verum, inquit, quod solâ divinâ virtute fieri potest, est veluti quoddam sigillum Dei, quo utitur in testimonium & confirmationem veritatis; sicut in attestationem veritatis Reges & alij utuntur sigillo apposito. Deus autem non potest dare testimonium falsitati aut errori. Unde rectè colligit Nicodemus, Joan. 3. ex signis, quæ solâ divinâ virtute fieri possunt, Christi doctrinam esse cælestem & divinam, dicens: *Scimus quia à Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Sic etiam 3. Reg. 17. mulier illa Sareptana dixit ad Eliam, *Nunc in isto cognovi quòd vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum est.* Et Marci ultimo dicuntur Apostoli prædicasse, *Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis*". Huc etiam spectat, quod Chrysostomus Hom. 14. in Matthæum, miracula vocat *Pignora divinæ potentiæ.* Consimili namque metaphorâ hîc appellantur *pignora*, quâ jam suprà apud Medinam dicta fuerant *sigilla*. Dicuntur quippe *sigilla*, quatenùs Deus per eorum appositionem obsignat veritatem ob quam fiunt, ut nemini fas sit de ea ampliùs ambigere: dicuntur & *pignora*, quatenùs Deus patratione eorum oppignorat suam veritatem, in persuasionem ejus de quo agitur. Quapropter cùm divinæ veracitatis oppignoratio sublimior sit quàm ulla creatæ mentis adinventio, rectissimè ait

Margin notes: I. D.Thom. in cap. 2. ad Hebr. Lect. 1. — Vide Viguer. Instit. c. 9. §. 2. v. 7. 8. & 1. — K. August. Epist. 49. q. 6. — L. Theodoret in c. 2. ad Hebraeos — M Medina in 3. p. q 43. conclus. 2. — Joan. 3. 2. — 3. Reg. 17. 24. — Mar. 16. 20. — Chrysostomus.

mentum petitur ex duobus incommodis, quæ ex assertione errabilitatis Pontificis in præsenti materia sequi videntur: quorum primum est, Canonizatum nondum Deo beatificè fruentem fraudari vivorum suffragijs, quibus tamen indiget si fortè in pœnis hæreat. Alterum est, vivos fraudari intercessionibus Sanctorum, quatenùs contingere posset ut pro beatis damnatos invocarent; & sic maledictionem sibi pro benedictione accerserent, si Pontifex in canonizatione errasset. Sed nec ista deductio quidquam ultra nostram hypothesin ritè probat: nam pro priori parte falsum obtendit, prout ex dictis §. 287. constat, ubi ostendimus & Sanctos omnes, sive Canonizatos sive nón canonizatos, invocari à viventibus in Litanijs per illa verba, *Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis*: & pro omnibus in Christo quiescentibus orari ibidem per illa verba, *Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rogamus audi nos*. Neque verò in Litanijs duntaxat, sed etiam in Officio Missæ semper oratur generaliter pro cunctis fidelibus defunctis, prout cernere licet ex Missa defunctorum, in Tractu post Epistolam, & in Offertorio post Evangelium, necnon ex Missa omni, tam de tempore quàm de Sanctis, in Commemoratione pro defunctis, ubi post memoriam nominatim exprimendorum subditur: *Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerij, lucis & pacis, ut indulgeas deprecamur*.

Bellarm. supra §. 287.

Accedit prætereà quòd juxta ipsiusmet Bellarmini doctrinam, eodem §. 287. relatam, orari possit etiam pro spiritibus justorum cælesti jam gloriâ donatis, *petendo eis gloriam corporis, quam habebunt in die resurrectionis*. Certè enim non dubitavit Ambrosius sic orare pro Gratiano & Valentiniano Cæsaribus, quos censuit in cœlum jam animâ tenùs intromissos: "Te quæsumus, inquiens, Summe Deus, ut charissimos juvenes maturâ resurrectione suscites, & immaturum hunc vitæ istius cursum maturâ resurrectione compenses. Amen".

S. Ambr. in concione funebri de Obitu Valentiniani, in fine. Vide Henriquez in Summa lib. 9. c. 34. 2. 8.

Eadem denique deductio pro parte posteriori manifestè ostendit Bellarminum in probatione sui scopi defecisse, & idcircò ad nostram sententiam desilijsse. Neque enim ad evitandum periculum invocandi damnatos pro beatis, aut accersendi maledictionem pro benedictione, necessarium est ut cælesti jam gloriâ potiantur qui pro intercessoribus à fidelibus invocantur: sed satis est quòd constet eos in statu gratiæ nunquam interrumpendæ existere, sive jam actu Deum comprehendant, sive adhuc ejus comprehensionem securè expectent. Animas verò purgatorij, vel olim limbi, securas esse de sua salute, docet ipse Bellarminus lib. 2. de purgatorio cap. 4. & nos pluribus ostendimus §. 290. Argumentum proinde Bellarmini non plus probat, quàm nostra hypothesis astruat. Porrò quia argumentum istud est apud neotericos admodùm frequens, idem dicendum fuerit de omnibus eo utentibus, quod jam de Bellarmino respondimus. Omnes enim ij in nostram sententiam latenter declinant, quantumvis aliam patenter præ se ferant. Nam quicunque cum Bellarmino contendunt probare Pontificem non errare in canonizatione Sanctorum; quia alioqui *fraudarentur viventes intercessionibus Sanctorum: invocarent enim sæpè damnatos pro beatis*: nisi per *Beatos* intelligant non eos tantùm qui jam actu beatitudinem possident; sed eos etiam qui eidem cum spe certa securi inhiant, profectò nihil ritè probant: quia inter actu beatos, & damnatos, datur medium: Non ergo consequens est, ut qui invocat quempiam nondum actu beatum, eo ipso invocet damnatum: sed fieri potest ut is quem invocat non sit actu beatus, nec etiam damnatus; at spe duntaxat certâ beatus. Si verò per *Beatos* intelligant etiam eos qui spe certâ sunt tales, rectè quidem ratiocinantur, sed nostræ sententiæ suffragantur.

Bellarmin.

Vide suprà §. 76. & 290.

CCXCIV. Tertium Bellarmini argumentum fundatur in eo, quod Pontifex non procedat ad canonizationem Sanctorum, nisi inductus præviâ evidentiâ miraculorum. Sed cùm jam superiùs §. 292. ostensum sit, Sanctos nondum tunc cælestem gloriam adeptos claruisse miraculis, & Bellarminus ipse §. 282. relatus id de quibusdam disertè fateatur: planum est, isto ejus argumento non plus probari, quàm nostra hypothesis astruat. Si miracula non fierent unquam in demonstrationem sanctitatis aliorum defunctorum, quàm Deum actu videntium, seu cum Christo in cælis regnantium, rectè ex modo procedendi Pontificis in canonizandis Sanctis ex præexaminatis miraculis, concluderet Bellarminus inerrantiam Pontificis in canonizandis Sanctis eâ canonizatione quam ipse superiùs §. 258. relatus definivit. Sed cùm ipse fateatur miracula aliquando fieri à defunctis nondum cælesti gloriâ donatis, sed adhuc in purgatorio cum salutis securitate detentis: profectò fatori consequenter debet non aliud concludi ex modo isto procedendi Pontificis in canonizandis Sanctis ex præexaminatis miraculis, quàm inerrantiam Pontificis in canonizandis Sanctis eâ canonizatione quam cæteri authores §. 262. à nobis relati ac laudati definierunt. Hæc autem canonizatio non plus importat quàm certitudinem gloriæ, sive jam adeptæ, sive posteà adipiscendæ ab eo qui canonizatur. Ac per hoc Bellarminus isto suo argumento rectè quidem probat inerrantiam Pontificis in canonizatione Sancto-

rum à nobis præstructâ, sed non in ea quam ipse obtendit. Miracula enim à defunctis patrata etsi certò arguant ipsorum sanctitatem, non tamen jam actu aditam beatitatem: etsi certò arguant vitam animarum post corpora; non tamen actualem gloriam earundem post corpora. Unde Gregorius §. 292. relatus non de gloria, sed de vita ait: *Vita animæ manentis in corpore sicut deprehenditur ex motu membrorum, sic vita animæ post corpus in Sanctis pensanda est ex virtute miraculorum.* In eo quippe ipso libro Gregorius aliquantò inferiùs Paschasium Diaconum vitâ corporis functum miraculis claruisse refert, quem tamen à gloria interim exclusum piacularibus flammis obnoxium facit. Si ergo *vita animæ post corpus in Sanctis pensanda est ex virtute miraculorum*, consequens planè est animam Paschasij *post corpus vixisse* eo tempore, quo miracula perhibetur patrasse. Cùm ergo nondum tunc vixerit vitâ gloriæ, sed tantummodò gratiæ, quæ est semen gloriæ; liquidò apparet, vitam animæ quam Gregorius asserit pensandam esse post corpus ex virtute miraculorum, non esse determinatè vitam gloriæ; sed indifferenter vel gloriæ vel gratiæ. Hanc ergò vitam sub ista indifferentia sumptam arguunt miracula post obitum patrata, ex quorum evidentiâ maturè discussâ ac compertâ procedit Pontifex ad canonizandum; prorsùs inerranter, quia, ut ex Divo Thoma §. 291. retulimus, *Miracula semper sunt vera testimonia eius, ad quod inducuntur.* Quoniam igitur post obitum inducuntur in demonstrationem sanctitatis, idcircò sic inducta arguunt certò sanctitatem. Quo fit, ut Pontifex evidentiâ eorum permotus, authenticè ac inerranter declaret ac definiat sanctitatem; quæ quidem declaratio ac definitio, ipsa est Sanctorum canonizatio. Quod si autem Pontifex ulteriùs interdum procedendo declaret ac definiat Canonizatum possidere jam actu cælestem gloriam, seu receptum esse in supernam Hierusalem, alio quopiam motivo ultra communem miraculorum evidentiam inductus ac persuasus præsumi debet, juxta dicta superiùs §. 264. Neque enim miracula, prout communiter à defunctis patrantur, sufficiunt ad illud determinatè declarandum aut definiendum; cùm subindè illa patrentur à defunctis nondùm cælesti gloriâ donatis, aut in supernam Hierusalem receptis. Est quædam peculiaris sententia Dominici à Soto, de mora animarum justorum in purgatorio, his verbis ab ipso expressa: [B] Crediderim, nunquam aliquem „in purgatorio viginti annis extitisse, imò, „ut mea fert opinio, nec decem. Nam cùm „nemo illic sit nisi Dei amicus, contritio „ejus, & post Christum passum Sacramenta, „& suffragia, & bona quæ agit opera, ad „cumulum ei satisfactionis accedunt. In summa, non est credibile, ut quos pœnarum „accumulatione expedire Deus breviùs indè potest, temporis prolixitate detineat". Paulò diuturniorem moram statuit Cabezudus: [C] Piè creditur, inquiens, quòd nullus est „in purgatorio per quinquaginta annos". Quod si de veritate alterutrius istarum sententiarum constaret, consequenter dicendum foret, eos qui post lapsum temporis respectivè in eis determinati canonizarentur in cælesti gloria certò existere dum Sanctorum catalogo per Pontificem inscriberentur. Cùm enim omnes post Dominicam passionem in statu gratiæ defuncti vel in cælum absque remora intromittantur, vel in purgatorio ad tempus expiandi detineantur; planum foret, canonizatos, post lapsum temporis respectivè præscripti non jam in purgatorio puniri, sed cælesti cunctos gloriâ potiri. Sed quoniam ambæ illæ sententiæ non solùm incertæ sunt, sed passim in scholis improbabiles reputantur; & tanquam gratis conjectæ vel confictæ exploduntur; idcircò movere quemquam non debent, ut de Canonizatorum gloria ex temporis lapsu aliquid sibi certi persuadeat. Bellarminus sanè non potest intentionem suam in illis fundare, aut ex illis elicere: quippè qui Soti sententiam iis argumentis impugnat, quæ alteram quoque pariliter subruunt: demumque concludit, [D] *Res igitur est incertissima; & non nisi temerè definiri potest.* Urbanus quidem VIII. die 15. Januarij MDCXXVIII. expressè vetuit [E] *agi ampliùs in Sacra Rituum Congregatione de processu cuiusquam super prætensa sanctitate, aut martyrio, ad effectum canonizationis, seu beatificationis, nisi lapsis quinquaginta annis ab obitu illius.* Sed quia non constat in hoc Decreto condendo habitam fuisse ullam reflexionem ad prædictam Cabezudi sententiam, nihil inde ponderis eidem sententiæ accedit. Quapropter omnibus perpensis, evidentia miraculorum, etiam sufficiens ad canonizationem, non arguit præsentaneam Canonizati gloriam, sed indeterminatè vel hanc, vel statu firmam gratiam. Unde Contelorius: [F] Licèt Papa, inquit, per „certitudinem causæ scire non possit illum, „quem canonizat, habuisse charitatem; hoc „tamen scit ex illius operibus, & factis, & „evidentiâ miraculorum: & hoc sufficit in hoc judicio". Ubi ex professo sermo est de judicio canonizatorio, ut proindè hinc habeamus, sufficere ad canonizationem, quòd Papa per miraculorum evidentiam certificat de charitatis inexistentia. Nec mirum, cùm ex dictis superiùs §. 262. appareat, canonizationem consistere in legitima sanctitatis inexistentis declaratione; sanctitas autem parùm aut nihil differat à charitate. Undè

Rota

Gregorius supra.

Vide lib. 4. Dialog. cap. 40. & 41.

Divus Thomas supra.

Vide suprà §. 262.

[B] Sotus in 4. Dist. 19. q. 3. a. 2. in fine.

[C] Cabezudus in q. 3. Supplementi a. 3. Difficult. 2. Conclus. 4.

[D] Bellarm. lib. 2. de Purgat. c. 9. in fine.

[E] Urbanus VIII. apud Contelor. ad calcem libri de Canonizat. Sanct. Pag. 124.

[F] Contelor. lib. de Canoniz. Sanctor. c. 10. n. 18.

„ *quolibet morbo fuerint gravata, restituuntur*".

Cæterùm quæ dicta sunt de necessitate miraculorum pro canonizandis Sanctis, intelligi debent seclusâ formali revelatione: quâ alioqui interveniente cessat necessitas miraculorum. Notanter dixi *formali*, quia ipsa miracula continent revelationem virtualem, prout §. præcedenti indicatum est. Quemadmodùm enim certò colligimus quempiam corporaliter vivere, quem cernimus vitaliter sua membra moventem: ita dubitare non debemus eum spiritaliter vivere, quem cernimus post obitum miraculis coruscantem. Unde Beatus Gregorius Papa ait V. "Vita

V. Gregor. l. 4. Dialog. cap. 6.

„ animæ manentis in corpore sicut depre-
„ henditur ex motu membrorum, sic vita
„ animæ post corpus in Sanctis pensanda est ex virtute miraculorum". Et rursùs ad finem ejusdem capitis: " Pensa, inquit, eo-
„ rum animæ qualiter vivant illic ubi vivunt,
„ quorum hìc mortua corpora in tot miracu-
„ lis vivunt. Si igitur vitam animæ manentis
„ in corpore deprehendis ex motu membro-
„ rum, cur non perpendis vitam animæ post
„ corpus etiam per ossa mortua in virtute miraculorum"? Hinc igitur juxta regulam ex

Contelor. supr.

Contelorio sub initium hujus Paragraphi relatam concluditur, posse Summum Pontificem canonizare eos omnes, qui perpetratione miraculorum post obitum factorum arguuntur vivere vitâ gratiæ, quæ est animæ sanctitas. Unde ulteriùs fit, ut si animæ defunctorum nondum cælesti gloriâ donatorum perpetrent miracula; quibus arguantur vivere vitâ gratiæ, tales possint à Summo Pontifice canonizari, sive Sanctorum catalogo adscribi. Atqui constat quasdam animas defunctorum nondùm tunc cælesti gloriâ donatorum patrasse aliquando miracula, quibus arguerentur vivere vitâ gratiæ, quæ est animæ sanctitas: constare igitur consequenter debet; tales potuisse ac posse à Summo Pontifice canonizari, sive albo Sanctorum inscribi: Quod si ita est, planè evincitur canonizationem Sanctorum ex communi sua ratione non importare actualem gloriam eorum qui canonizantur. Minor patet ex dictis §. 261. in fine, ubi ex Gregorio & Petro Damiani ostendimus animas *Paschasij* & *Severini* nondum in cœlum receptas aut gloriâ donatas, sed adhuc in purgatorio detentas, patrasse miracula, quibus arguerentur vivere vitâ gratiæ, quæ est animæ sanctitas. Id ipsum patet ex divina Scriptura, de Helisæo Propheta, qui *in vita sua fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est*. Et quænam illa mirabilia? Utique etiam ea quæ Divus Thomas §. præcedenti relatus appellat *portenta*, ut resuscitatio est mortui. Scriptum est enim: *Quidam sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in sepulchro Helisæi. Quod cùm tetigisset ossa Helisæi, revixit homo, & stetit super pedes suos.* W. "Ossa He-

Vide supr. §. 261.

Eccli. 48. 14.

4. Reg. 13. 21.

„ lisæi, ait quidam, vitam dederunt mortuo,
„ mortuum de mortis solvebant vinculo.
„ Post mortem ergo carnis *Sancti* Dei meliùs
„ vivunt; quorum hìc ossa in tot miraculis
„ vivunt. De his mirificis Sanctorum ossibus
„ dicit Propheta; *Ossa vestra ut herba germinabunt*. Ossa Sanctorum licèt mortali condi-
„ tione arescant, virtutum tamen viriditate ut herba germinant"; Ubi videmus inprimis Helisæum nondum tunc Deo beatificè fruentem, patrasse ingens miraculum; in demonstrationem utique Sanctitatis inamissibiliter spiritui jam separato; & interim in limbo vel purgatorio degenti, inexistentis. Videmus prætereà eundem Helisæum pro eodem illo tempore nuncupari *Sanctum*, licèt interim à cælo, nondum tunc reserato, exclusum: ut vel hinc clareat veritas eorum, quæ de Sanctitatis titulo comprehensoribus nequaquàm appropriando diximus superiùs §. 274. & sequentibus. Ex his itaque videtur confectum; quòd cùm miracula post obitum edita Pontificem potissimè determinent ad canonizandum; ea autem communia sint non comprehensoribus cum comprehensoribus; etiam canonizatio eis subnixa censeri debeat communis non comprehensoribus cum comprehensoribus; signanter quando ex suo tenore nihil peculiare continet ultra communem adscriptionem canonizati in catalogo Sanctorum. Secùs si peculiare aliquid adjiciat, prout dictum est superiùs §. 264.

W. Theofridus Abbas Sermon de Sanctorum reliquiis t. 5. Biblioth. Patrum.

Isa. 66. 14.

Rota Romana in Relatione ad Sanctissimum super processu canonizationis B. Andreæ Corsini: [G] *Sanctitas*, inquit, aliquando „ refertur ad solam charitatem, ex S. Au„ gustino lib. 1. de Doctrina Christiana cap. „ 27. ibi, *Ille sanctè vivit, qui ordinatam habet charitatem*".

G. Rot. apud Lezanam Consult. 1. n. 154.

Augustinus.

CCXCV. Duo reliqua Cardinalis Bellarmini argumenta eòdem delabuntur, quò tria præcedentia: nostræ quippe hypothesi astruendæ serviunt, sed ultra eam nihil conficiunt. Eorum primum, quod apud ipsum est ordine quartum, sic exprimitur: [H] Antequàm Sancti „ canonizentur, indicuntur jejunia, & preces „ publicæ, & tota res diu & diligentissimè „ examinatur. Non est autem credibile, Deum „ non adesse Ecclesiæ suæ sic dispositæ, & supplicanti". Hinc ille deducit suam thesin, in titulo capitis præfixam, nimirùm, *credendum esse, Pontificem non errare in canonizatione Sanctorum*: & rectè quidem, sed hoc sufficienter obtinetur eo ipso, quo Deus ita assistit Pontifici, ut non permittat eum obtrudere fidelibus invocandum aut colendum pro Sancto quempiam non Sanctum, hoc est, pro amico Dei hostem Dei, pro mortuo in Christo mortuum in diabolo, pro intercessore interversorem, pro filio promissionis filium perditionis, pro vase honoris vas confusionis, pro liberto sanctitatis mancipium impietatis, pro candidato saltem gloriæ pabulum gehennæ. Ob hoc enim indicuntur jejunia & preces publicæ, ob hoc præmittuntur diuturna & accurata examina, ut obvietur incommodo, de quo idem ipse Bellarminus ibidem in secundo suo argumento præmiserat, *Fraudarentur viventes intercessionibus Sanctorum; invocarent enim sæpè damnatos pro beatis, si Ecclesia in hoc erraret: præterea Ecclesia peteret sibi maledictionem pro benedictione &c.* Jejunatur igitur, publicè oratur, & negotium maturè diligenterque examinatur, ne *Ecclesia in hoc erret*, id est, ne contingat eam *invocare damnatos pro beatis*, & sic invocãdo *petere sibi maledictionem pro benedictione*. Quando ergo Ecclesia jejunando, orando, examinando assequitur, ne hoc contingat; proculdubiò non frustrà aut inaniter jejunat, orat, examinat. Assequitur autem quando divinam impetrat assistentiam Pontifici canonizaturo, ne canonizet nisi cælesti gloriâ jam actu fruentem, aut certè eidem sub securissimâ fiduciâ inhiantem. Nisi enim hos, & illos, nomine *beatorum* Bellarminus intelligat, ipsius ratiocinatio prorsùs vacillat, prout jam superiùs §. 293. visum est. Quis neget Ecclesiam fructuosè jejunare & orare, quando jejunando & orando impetrat Pontifici participationem quandam illius inerrabilitatis, secundùm quam Deus olim canonizavit Patriarchas & Prophetas, Ecclesiastici cap. 44. & sequentibus vindicatos? At verò *Hi omnes*, ut Apostolus ait, *testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem*. Non ergo in vanum indicuntur jejunia & preces, quibus provocatus Deus assistit Pontifici, ne sanctitatis testimonium perhibeat cuiquam, nisi jam in cælesti gloria constituto, vel saltem ejusdem gloriæ securo. In hoc enim imitatur Pontifex Deum ipsum, qui & per Apostolum Paulum cap. 11. ad Hebræos canonizavit quosdam cælesti gloriâ tunc fruentes; & per Ecclesiasticum cap. 44. & sequentibus canonizaverat complures eidem gloriæ tantummodò securè inhiantes. Itaque jejunia indicta, preces injunctæ, & examina præmissa, ad hoc serviunt, ut Pontifex non erret in eo quod facere molitur. Molitur autem canonizare Sanctos, hoc est, quorundam sanctitatem approbare, atque Ecclesiæ colendam proponere, ad ipsorum imitationem, & beneficiorum Dei impetrationem per ipsorum implorandam intercessionem. Ad hoc ergo serviunt prædicta, ut Pontifex in hac sua approbatione ac propositione non erret. Non ergo illa frustraneè aut infructuosè præmittuntur, quandoquidem Pontifices istud per ea assequantur. Atque ita expeditum manet etiam quintum seu postremum Bellarmini argumentum, quod est à posteriori, nimirùm *quia in alijs rebus, in quibus Pontifices errare possunt, aliquando reipsa deprehenduntur errores: at in hoc nullus unquam error deprehensus est*. Hoc non modò lubens fateor, sed & insuper addo, id fore verum etiamsi contingeret deprehendi quempiam à Pontifice canonizatum juxta communem canonizationis formulam §. 263. relatam, nondum cælesti gloriâ potiri. Undè Lezana §. 277. relatus disertè asserit, *Eliam posse ab Ecclesia canonizari canonizatione illâ solemnissimâ, quâ alios Sanctos canonizare solet*. Cùm ergo Elias nondùm cælesti gloriâ potiatur, solemnissima illa canonizatio quâ solet Ecclesia canonizare Sanctos, potest consistere cum actuali carentia gloriæ canonizati. Nec tamen sic canonizando erraret Ecclesia; quia canonizatio illa solemnissima quam facere solet, actualem canonizati gloriam non importat: sicut non erravit Deus canonizando per organum Ecclesiastici tum eundem ipsum Eliam, tum alios multos veteres cæli candidatos, nondum tunc cælesti gloriâ potitos: sicut item non erravit antiqua Christi Ecclesia canonizando, juxta illius temporis ritum, *Severinum* Coloniensem, adhuc tunc in purgatorio hærentem. Quem utique totius Ecclesiæ consensu habitum fuisse pro Sancto, adeoque, juxta illius temporis ritum, pro canonizato, indicat is qui eum in pœnis reperit, dicens ei: [I] *Cùm nomen tuum in tanta benedictione sit apud nos, & fama tua consonis* TOTIUS ECCLE-

H. Bellarm. l. 1. de Sanct. Beatit. c. 9.

Heb. 11. 39.

Vide suprà §. 202.

Bellarmin.

Lezana.

I. Apud Petrum Damiani lib 2. Epist. 15.

ECCLESIAE præconijs celebretur, cur te pestilens hac vorago constringit, tantoque, proh dolor, incendio cruciaris? Idipsum & de *Paschasio* Diacono credibile fit, tum ex eo, quòd in ipsa Urbe Roma miraculis post obitum claruerit; tum præterea, quòd Germanus Antistes Capuanus eo in thermis Angulanis posteà viso [K] *vehementer extimuerit, & quid illic TANTUS VIR faceret, inquisierit.*

K. Apud Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 40.

CAPUT LXXVII.

Quod superiori Capite dictum est de Cardinale Bellarmino, *ostenditur locum pariter habere in* Valentia, Tannero, Amico, *&* Castropalao; *qui astruere volentes Pontificis in canonizando inerrantiam, in nostram coacti sunt desilire sententiam. Cùm enim juxta suam hypothesin probare debuissent Canonizatos jam actu pervenisse certò ad gloriam, non plùs equidem concludunt quàm eos certò decessisse in gratia: atque ita vel à sua hypothesi ad nostram transiliunt, vel sanctarum animarum purgatorium elidunt. Wicleffiani articuli à Constantiensi Concilio facta damnatio hypothesi ipsorum astruendæ non servit, nostram verò stabilit: uti & Ioannis XXII. clausula Bullaria, non satis providè à Tannero adducta. Spiritus Sanctus Pontifici canonizanti assistit ne erret, sed in eo signanter quod ille definit. Magna vis veritatis, quæ per ea etiam quæ sibi adversantur elucet.*

CCXCVI. NUnc veniendum est ad alios, qui cùm similiter contendant canonizationem importare actualem Canonizatorum gloriam; ubi tamen ad astruendam Pontificis in ea inerrantiam deveniunt, nihil aliud quàm nostram hypothesin firmant. Horum è numero est Gregorius de Valentia: qui superiùs §. 282. relatus disertè negat *petendum esse auxilium intercessionis ab illis defunctis qui non sunt in cælo*; adeòque censet, Canonizatos omnes, eo ipso quo canonizati sunt, residere in cælo; cùm indubitatum sit, eorum intercessionis auxilium esse petendum. Idem tamen alibi volens probare inerrantiam Pontificis in canonizando, ad nostram desilit ac delabitur hypothesin: [L] Itaque, inquiens, quod ad „ canonizationem Sanctorum attinet, omninò nego id, quod communiter Doctores „ Catholici jure optimo negant, videlicet „ posse Pontificem hac in parte errare. Quamvis enim testimonia, quæ pro alicujus hominis sanctitate afferuntur, sint humana, „ ideòque naturâ suâ fallibilia: tamen posito „ quòd Pontifex illis inducatur tandem ad „ pronuntiandum, quempiam Sanctum atque „ Beatum jam esse; certâ fide credendum est, „ testimonia illa, *quatenus in genere saltem probant piè atque sanctè quenquam ex hac vitâ excessisse*, vera esse; & hominem ejusmodi ex „ eorum esse numero, quos per *revelationes* „ *Scripturæ generales* in communi constat, divinæ gratiæ beneficio *consequi* æternæ vitæ „ beatitudinem. Quæ sanè certitudo ijsdem „ illis Dei promissionibus nititur, ex quibus „ compertum habemus, nunquam esse futurum, ut universa Ecclesia in rebus Religionis fallatur. Falleretur autem graviter „ in negotio Religionis, si Sanctum reputaret, ac pro tali veneraretur eum, qui Sanctus non est". Eadem verbatim habet idem author in Analysi fidei Catholicæ lib. 8. c. 3. In quibus verbis observatu dignum est, quòd cùm authori scopus fuerit probare Pontificis inerrantiam in canonizandis Sanctis, eâ canonizatione quâ declarentur cælo jam actu potiri; usquè adcò tamen in sua probatione à proposito deflexit, ut non aliud concludere potuerit, quàm certâ fide credendum esse, quòd testimonia, quibus Pontifex ad canonizandum inducitur, vera sint, *quatenùs in genere saltem probant piè atque sanctè quenquam ex hac vita excessisse* &c. Atqui certum est non omnes, qui piè & sanctè ex hac vita excedunt, cælo statim potiri: alioquin tolleretur omninò purgatorium. Igitur non aliter hic author in hac materia probat Pontificis inerrantiam, quàm desiliendo ad nostram sententiam. Unde cùm videret se non posse concludere, quòd is, quem Pontifex canonizaverit, consecutus sit æternæ vitæ beatitudinem; conclusit solummodò, cum ex *eorum esse numero*, quos

Valentia.

L. Valentia to. 3. Disp. 1. puncto 7. q. 6. §. 41.

quos per revelationes Scripturæ generales in communi constat divina gratia beneficio CONSEQUI æternæ vitæ beatitudinem. Porrò generales illas Scripturæ revelationes exhibuimus superiùs §. 290. & ex ibidem dictis perspicuum est, eas verificari non pro ijs duntaxat qui confestim ab obitu in cælum evolant, sed pro ijs etiam qui temporales pœnas in purgatorio luunt. Itaque ex toto hujus authoris discursu non aliud resultat, quàm Pontificem non posse errare canonizando hominem impiè defunctum, pro piè defuncto; succidiam gehennæ, pro possessore vel candidato gloriæ; sive, ut ipse finalibus suis verbis exprimit, *Sanctum, pro eo qui Sanctus non est.* In his enim verbis non alium intelligere potest nomine *Sancti*, quàm eum qui *piè atque sanctè ex hac vita excessit*; nec alium consequenter nomine *non-Sancti*, quàm qui impiè ac profanè ex hac vita excessit. Atque ita idipsum, licèt alijs verbis, indicat, quod Bellarminus §. 293. relatus, & in nostram hypothesin delapsus, asseruerat: quos enim ille nuncupat, *Beatos*, iste vocat *Sanctos*, & quos ille *damnatos*, iste *non Sanctos*. Proindè quæ à nobis ibi dicta fuerunt, hìc denuò pro repetitis haberi debent. Quemadmodùm igitur ibi ostendimus Bellarmini discursum viribus prorsùs carere, nisi *Beatorum* nomine intelligantur etiam ij, qui beatitudini nondum adeptæ securiter inhiant: ita indidem quoque planum fit, discursum Valentiæ nequaquam valere, nisi *Sanctorum* nomine comprehendantur etiam ijdem. Neque enim comprehendi possunt sub ijs, quos ipse *non-Sanctos* appellat: tum quia extra dubium est eos ab ipso comprehendi sub ijs, qui *piè atque SANCTE ex hac vita excesserunt*: tum prætereà, quia alioquin falsum planè foret quod de Ecclesia ibidem subjungit: *Falleretur graviter in negotio Religionis, si Sanctum reputaret, ac pro tali veneraretur eum, qui Sanctus non est.* Neque enim fallebatur Ecclesia veteris Testamenti reputando Sanctos, ac pro talibus venerando eos, qui à Deo per Ecclesiastici organum canonizati fuerant, tametsi usque ad Christi passionem à cælesti gloria exclusi manserint. Nec fallitur hodie Ecclesia Christiana reputando *Eliam* Sanctum & tribuendo ei Sanctitatis titulum in Romano etiam Martyrologio, & annuendo PP. Carmelitis ut eum Canonico officio, ac Missæ sacrificio in ejus honorem celebrato, venerentur: cùm tamen is necdum cælesti gloriâ potiatur. Plura hujusmodi exempla recoli possunt ex dictis toto capite 70. Quibus adjici possunt quæ ad calcem superioris capitis dicta sunt de *Severino* & *Paschasio*, in Purgatorio adhuc tunc ergastulo detentis. Cùm ergo Ecclesia utriusque respectivè Testamenti in his & similibus non debeat dici falsa, restat professò, ut Valentia secundùm nostram hypothesin sumpserit nomen *Sancti*, & item nomen *non-Sancti*, aut certè in suo discursu subsumpserit falsum.

Vide suprà §. 272.

CCXCVII. Bellarmino & Valentiæ hâc in re consonat Tannerus, quippè qui & superiùs hic § 258. relatus censet canonizationem ex communi suâ formulâ importare actualem Canonizatorum gloriam, & equidem in probando Pontificis canonizantis inerrantiam delabitur ad hypothesin nostram. Probatio etenim ejus in hoc consistit: [M] „Nam in Concilio Constantiensi Sess. 8. damnatur error Wicleffi 44. ubi sanctitatem Augustini, Benedicti, Bernardi, in dubium vocat. Et in Bulla Canonizationis S. Bonaventuræ ait Sixtus IV. *Confidentes, quòd in hac canonizatione non permittat nos Deus errare.* Et infrà: *Hunc Sanctum esse, fideliter firmiterque teneri debere decernimus.* Item Joannes XXII. in canonizatione Sancti Thomæ Aquinatis, post enumerata ejus miracula, inquit: *Hæc sunt testimonia tua Deus, quæ de hoc viro iusto nobis credibilia facta sunt nimis: nam si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est, quo animam eius cælum possidere iam credimus.* Sixtus V. in canonizatione S. Didaci: *Publico nostro, & huius Sanctæ Sedis testimonio, quæ à Spiritu Sancto gubernatur & regitur Beati Didaci sanctitatem optimo iure declaratam esse* &c. Et infrà: *Nos ipsi de Spiritus Sancti singulari patrocinio atque infallibili assistentiâ diximus.* Clemens VIII. in canonizatione S. Hyacinthi: *Sancto Spiritu, quo Ecclesia afflata nunquam fallitur, multis cum precibus invocato.* Secundò probatur assertio ratione: primò quia Pontificis definitio in Decretis morum, universam Ecclesiam concernentibus, ferendis, est infallibilis, saltem quoad substantiam ipsius Decreti; ita ut materia præscripta bonis moribus non adversetur, ut superiùs hoc Dubio dictum. At verò ejusmodi Decreta canonizationis sunt quædam definitiones ad mores universæ Ecclesiæ spectantes; quibus scilicet definitur, hunc vel illum necessariò ab universa Ecclesia pro Sancto habendum & colendum esse. Ergò necesse est, ea Decreta, saltem quoad substantiam, infallibilia esse; ita ut materia præscripta bonis moribus non adversetur. Atqui adversaretur, si Canonizatus ille reverà Sanctus & Beatus non esset: quia reverà per se contra bonos mores actus superstitiosus est, pro Sancto colere, qui Sanctus non est. Secundò impossibile est Ecclesiam universam errare in ijs, quæ ad divinum cultum & Religionem pertinent, cùm sit *columna & firmamentum veritatis*; quam docet etiam Spiritus Sanctus *omnem veritatem*. Cùm ergò universa Ecclesia pro Sancto habeat & veneretur canonizatum à Pontifice; im-

M. Tannerus tom. 1. Disp. 1 q. 4. Dub. 5. n. 290. & seqq.

1. Tim. 3. 15. Io. 16. 13. Vide Sectr. Litaneul. 2. q. 11.

„ possibile est ut hoc judicium sit falsum. „ Quod argumentum etiam procedit de alijs „ Sanctis pręsenti canonizandi more antiquioribus, quos universalis Ecclesia colit; ut de „ Augustino, Ambrosio, Hieronymo, Gregorio, & plerisque Martyribus. Tertiò vi „ ejusmodi Decreti canonizationis obligantur omnes fideles ad credendum fide divinâ talem esse Sanctum & Beatum ut ex „ Decretis Pontificum citatis colligitur. Ergo „ Decretum illud est infallibile: alioquin posset totam Ecclesiam ad errorem obligare". In hac sua probatione Tannerus statim ab initio desilit à suo scopo ad nostram hypothesin: nam dum censuram Articuli 44 Wicleffiani à Concilio Constantiensi latam allegat, hanc solam certitudinem canonizationi attribuit, quâ certum sit, Canonizatum non esse damnatum, sive interim ille cælestem gloriam jam actu possideat, sive eandem adhuc securus expectet. Concilium enim condemnando articulum Wicleffianum, nihil ampliùs definivit, quàm ejus contradictoriam. Articulus autem Wicleffianus ita sonat ad verbum, *Augustinus, Benedictus, & Bernardus DAMNATI sunt, nisi pœnituerint, de hoc quod habuerunt possessiones, & instituerunt Religiones* &c. Concilium proindè reprobando illud, *damnati sunt*, non aliud certè definivit, quàm *damnati non sunt*. Si hoc igitur sit eos canonizare, profectò canonizatio non importat Canonizatum jam actu in cælo esse glorificatum, sed duntaxat *non esse* in orco *damnatum*. Hæc igitur prima Tanneri probatio nequaquàm scopo ipsius concludendo, sed nostræ sententiæ astruendæ conducit. Extracta quoque Pontificiarum Bullarum subsequenter adjuncta, non aliud evincunt, quàm Pontificum in canonizando inerrantiam, propter jugem Spiritûs Sancti assistentiam. Quam quidem inerrantiam nos libenter agnoscimus, sed non idcircò canonizationem importare actualem Canonizatorum gloriam putamus, nisi id in ipsâ canonizationis forma exprimatur. Quod quia non semper fit, imo non nisi extraordinariè fit, prout ex dictis §. 263. innotescit, hinc rectè negatum est canonizationem ex communi vel etiam ordinaria suâ notione aut ritu importare quod Tannerus cum alijs hactenus refutatis intendit, sed, perinde ac illi, in probatione sua deficit, atque in nostram hypothesin condescendit. Neque enim in ullo Extractorum ab ipso allegatorum mentio fit cælestis gloriæ ut actu possessæ. Qualiter autem intelligenda sint verba Joannis XXII. quibus a[illegible] animam Beati Thomæ *possidere jam cælum*, dictum est [illegible] §. 265. Planè mirum videri potest allegari à Tannero Joannem, quem ipsemet superiùs eadem Quæstione nu. 268. fatetur negasse animas admitti ad Dei visionem, usque ad corporum resumptionem. Reliquæ Tanneri probationes, ex rationum momentis desumptæ, coincidunt cum ijs quas ex Valentia §. præcedenti retulimus ac diluimus. Nam illa ipsius clausula interposita ac repetita, *saltem quoad substantiam*, eòdem spectat, quò & illa Valentiæ superiùs ponderata, *Quatenùs in genere saltem probant, piè atque sanctè quenquam ex hac vita excessisse*. Itaque Tannerus, perindè ac Valentia ipsius Magister, cernens se non posse pertingere ad scopum suum, modestè indè desilijt ad hypothesin nostram.

CCXCVIII. Subscribunt prædictis Franciscus Amicus, & Ferdinandus de Castro-Palao: quorum prior cùm pro conclusione præmisisset, [N] *De fide est, Pontificem errare non posse in canonizatione Sanctorum*: mox quid nomine canonizationis intelligat exponens, subdidit ibidem: " Per Decretum canonizationis Pontifex proponit canonizatum celebrandum ab omnibus fidelibus, eosque obligat ad recognoscendum illum tanquam *Beatum in cælo regnantem*". Censet ergo canonizationem importare pręsentaneam Canonizati beatitudinem, sive cælestis regni adeptionem. Porrò conclusionem suam prædictam, de canonizatione sic sumpta intellectam, duplici argumento probat: primò quidem ex eo, quòd Pontifex errare non possit in condendis Decretis morum, universam Ecclesiam obligantibus. Sed de hoc argumento jam aliquoties actum est. Argumentum alterum, huic authori quadantenùs peculiare est illud: [O] " Quotiescunque aliqua propositio revelata universalis explicatur per aliquam particularem contingentem moraliter certam sub universali propositione contentam, talis propositio particularis contingens ut explicata est de „ fide. Sed ista propositio universalis revelata, *Quicunque ex hac vita decedit in gratia, salvatur*, potest explicari per hanc particularem contingentem moraliter certam „ sub universali contentam, *Hic homo decessit* „ *ex hac vita in gratia*. Ergo hæc particularis „ contingens, *Hic homo est salvus, & in cælo* „ *cum Christo regnat*, ut explicata, erit de fide". In quo argumento perspicuum est unicuique intuenti, nihil aliud inferri potuit, quàm hoc, *Ergo hic homo salvatur*. Quod quidem illatum non alio sensu ex præmissis sequitur, quàm eo, juxta quem verbum *salvatur* abstrahitur à tempore: sic enim abstrahitur in Minori præmissa, cùm dicitur, *quicunque ex hac vita decedit in gratia, salvatur*, cujus sensus est, *quicunque decedit in gratia, fit suo tempore salvus*: alioquin enim si sensus foret,

N. Franc. Amicus t. 4. Disp. 7. sect. 4. n. 9.

O. Idem ibid. n. 91.

foret, quòd eo ipso tempore vel momento, quo decedit in gratia, salutem actu ac sine mora ulla consequatur, propositio hæretica est, quia Catholicæ assertioni purgatorij adversa. Quapropter nimis apertè paralogizat author dum in consequente subinserit illud, *& in cælis cum Christo regnat*: nihil enim tale in præmissis inseruerat; cùm tamen notorium sit, nihil posse intrudi in consequens syllogisticum, nisi quod fuerat in præmissis expressum. Itaque author iste thesin suam paralogismo isto suo non probat, sed prodit; non asserit, sed deserit, atque ab ea ad nostram hypothesin latenter desilit. Idem facit & posterior, qui volens ostendere quomodò sit fidei, & divinitùs revelatum, quòd canonizatus cælestem possideat gloriam, sic scribit: [P.] Dico, „ Sanctitatem Canonizati, & illius in cælis „ assistentiam, non esse singulariter & explicitè revelatam: est tamen revelata virtualiter & implicitè; tum quia revelatum est, *in cælis assistere qui in gratia ex hac vita migravit*: „ itemque est revelatum, Pontificem errare „ non posse, ob assistentiam Spiritûs divini, „ in ijs, quæ ad religionem universalis Ecclesiæ pertinent. Ex quibus manifestè deducitur, de fide esse hunc canonizatum verè „ in cælis esse; cùm sequatur ex una præmissa de fide, & alterâ evidenti". Quod si ab hoc authore interroges, ubinam revelatum sit, *eum in cælis assistere, qui in gratia ex hac vita migravit*; nihil profectò adferre poterit, nisi illud, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, vel aliud quidpiam eorum quæ superiùs §. 290. congesti sunt, ad probandum animas purgatorij securas esse de sua salute. At verò certissimum est non inde probari actualem gloriam eorum omnium, *qui in gratia ex hac vita migrarunt*; sed disiunctivè vel hanc, vel ejus suo tempore adipiscendæ securitatem: alioquin enim nullum esset animarum separatarum receptaculum, nisi cælum, & barathrum: atque ita everteretur fides purgatorij, & veteris limbi Patriarcharum. Nulla enim anima vel olim in limbum, vel etiam hodie in purgatorium mittitur, nisi *quæ in gratia ex hac vita migrarit*. Quapropter ne hic author in

P. Ferd. de Castro Palao tom. 1 Moral. Tract. 4. Disput. 1. Puncto 5. §. 4. n. 3.

Mat. 10, 22.

apertam hæresim negati purgatorij ac veteris limbi incidisse convincatur, necesse est ut illud, *in cælis assistere*, intellexerit sub abstractione à tempore, ita ut nihil aliud importet quàm vel jam actu cælum incolere, vel saltem ei cum securitate inhiare: quæ est ipsissima hypothesis nostra. Si ergò hunc ille sensum intendit, cur non eum præcisioribus verbis expressit? Cur non sollicitiùs cavit, ne hæretici arriperent ejus testimonium, in præjudicium limbi, ac purgatorij? An fortè zelus astruendæ infallibilitatis Pontificiæ eum impulit? Laudo quidem zelum, sed eum vellem fuisse discretum: qualem profectò non reputo eum, quo quis ad astruendum unum Religionis articulum convellit alterum. Hoc enim non tam est astruere, quàm destruere: verum quippe per falsum non tam firmatur, quàm infirmatur: [Q.] Sermonum principia, ait „ quidam, vera & indubitata esse oportet: „ nam cùm falsum est argumentum, fieri non „ potest, quin conclusio quoque vacillet". Potest sanè ac debet astrui Pontificis in canonizando inerrantia, sed non debet id tentari evertendo Catholicam de limbo purgatorioque sententiam. Complures Sanctos tempore legis veteris Deus inerranter canonizavit, nec tamen per hoc aut limbum aut purgatorium evacuavit. Stat proindè canonizantis inerrantia, cum canonizatorum à cælo absentia. Nemo omnium à Deo pro tempore veteris legis canonizatorum cælestem gloriam tunc fuerat consecutus: & errare putabimus Pontificem, si vel unum canonizet à cælo paulisper exclusum? Hoc quidem author iste putat, vel saltem putare se simulat: sed adeò inscitè probationes suas instituit, ut vel purgatorium cum limbo evertat, vel certè à suo scopo ad nostram hypothesin desiliat. Hoc postremum ei optamus, & simul Hilarianum illud ingerendo concludimus: [R.] Magna vis est veritatis: quæ cùm per se intelligi non possit, per ea tamen ipsa quæ „ ei adversantur elucet: ut in natura sua immobilis manens, firmitatem naturæ suæ quotidie dum attentatur acquirat". Sed nunc ad alia transeamus.

Q. Isidorus Pelusiota l. 5. Epist. 311.

Vide suprà §. 291. & duob. seqq.

R. Hilarius lib. 7. de Trinitate.

CAPVT LXXVIII.

Augustini parænesis de non prætereundis quæstionibus inter tractandum incidentibus. Sicut Saul *, veteris populi Rex primus, Reges novi populi præsignavit; sic & ejus dignitas consimilem in novo populo dignitatem futuram figuravit. Quorumnam typum gesserint* filij Belial*, qui Saulem regiâ dignitate sublimatum* despexerunt *? Iudæ Galilæi & assectarum ejus dogma, humanis Principatibus inimicum. Quantâ illi obstinatione renuerint cuiquam mortalium attribuere titulum* Domini *, aut* Regis *? Christus cur* Galilæus *, & Apostoli ejus dicti* Galilæi *? Quàm alieni utrique ab insulso Galilæorum dogmate, cujus tamen insimulabantur? Pseudoapostolorum peculiaris nota,* Dominationem spernere, Majestatem blasphemare. *Generale pactum est societatis humanæ obedire Regibus suis: quantò magis Deo, regnatori universæ creaturæ suæ, ad ea quæ jusserit sine dubitatione, serviendum est? Sicut enim in humanis major potestas minori ad obediendum præponitur, ita omnibus Deus. Quid agendum subdito, dubitanti num Deus vetet, quod Princeps jubet.*

CCXCIX. DE varijs rerum personatumque typis, in Saule & per Saulem expressis, satis jam prolixè ab octavo hujus libri Capite in hunc usque locum disseruimus; quorum occasione incidentes quasdam quæstiones haud importunè nedum impertinenter hinc inde intermiscuimus, & pro nostro virili enucleavimus; memores utique Augustinum in Opere de Doctrina Christiana olim scripsisse, ac posteris quasi pro regula reliquisse: [S.] Pertinet ad docendi curam non „ solùm aperire clausa, & nodos solvere „ quæstionum; sed etiam dum hoc agitur, „ alijs quæstionibus, quæ fortassis inciderint, „ ne id quod dicimus improbetur per illas „ aut refellatur, occurrere; si tamen & ipsa „ earum solutio pariter occurrerit: ne mo„ veamus, quod auferre non possumus". Nunc veniendum est ad illud, quod ordine quintum est inter ea, quæ sub initium capitis 3. proposueramus investiganda atque elucidanda, nimirum *cuiusnam rei typum prætulerit Saulis regnum?* Quamvis enim nonnulla huc spectantia attigerimus obiter capite octavo, occasione unctionis Saulis in Regem: quia tamen de personis Regum potiùs, quàm de ipsa Regia potestate vel dignitate ibi tractatum fuit, idcircò non incongruè aut superfluè præsens quæstio in hunc locum reservata est indagini. Dicendum itaque est, quòd sicut ipse Rex Saul figuravit Reges Christianos, ita & regia ejus dignitas præsignavit similem dignitatem futuram inter Christianos. Porrò quemadmodùm Saulem dignitate regiâ jam condecoratum recognovit & venerata est pars exercitûs, *quorum tetigerat Deus corda; filij verò Belial dixerunt, Num salvare nos poterit iste? Et despexerunt eum*: ita & boni Christiani regiam dignitatem ac majestatem in personis eâ præditis suspiciunt & honorant; quidam verò dyscoli, ac solo nomine Christiani, *dominationem spernunt, maiestatem blasphemant.* His exemplum præbuisse, & classicum præcinuisse videntur quidam Judæi, qui à Juda quodam Galilæo, antesignano suo, cognominati sunt *Galilæi*, de quibus mentio fit Luc. 13. uti & de eorum authore Act. 5. De iisdem & Josephus: [T.] Constantissimo, inquit, „ libertatis amore flagrant, credentes solum „ Deum habendum Dominum ac Principem: „ faciliùs vel exquisitissima pœnarum genera „ laturi unà cum cognatis suis ac charissimis, „ quàm mortalem aliquem appellaturi *Dominum*". Titus quoque Bostrensis: [V.] Sciendum est, inquit, *Galilæos, quorum cruorem* „ *Pilatus sacrificijs admiscuit*, ex eorum numero „ extitisse, qui erroneam Judæ Galilæi, cujus „ Beatus Lucas in Apostolorum Actis men„ tionem facit, opinionem sectabantur. Cæ„ terùm Judæ hujus dogma, si vera sunt quæ „ Josephus circa Judaicarum Antiquitatum „ finem ea de re exponit, ejusmodi erat, ut „ aliquam pietatis speciem præ se ferre vide„ retur. Docebat enim, Nullum omninò „ neque honoris, neque benevolentiæ, neque ullius

S. August. l. 4. de Doct. Christ. c. 20.

1. Reg. 10. 26. & 27.

Iudæ v. 8.

T. Ioseph. lib. 18. Antiq. cap. 2.

V. Titus Bostrensis in c. 13. Lucæ. Luca 13. 1. Vide Theophyl. & Euthym. ibid. & Oecumenium in c. 5. Actorum, & Anast. Nicenum q. 67. in Scrip. & Euseb. l. 1. Hist. cap. 5. et lib. 8. & in Chronico Olymp. 194.

& Pontacā in Not. ibid. & Niceph. lib. 1. Histor. cap. 10. & Chrysost. Hom. 71. in Matthæum.

„ ullius alterius rei causâ, *Dominum* aut *Regem* appellare fas esse: imò verò ejusmodi nomina ne ore quidem efferre licere. Unde fiebat, ut multi ex eâ Sectâ, dura sæpè verbera gravissimasque fustigationes eâ solâ de causâ subire compellerentur, quòd Cæsarem nollent *Dominum* vocare. Ijdem illi nulla omninò sacrificia Deo offerri volebant, præter ea quæ in lege Moysi extabant decreta. Eapropter omnia illa sacra & sacrificia, quæ seniores populi pro Imperatoris Populique Romani salute incolumitateque instituerant, apertè inhibebant". Habuit porrò præfatus Judas duos filios, Jacobum & Simonem, paterni dogmatis propagatores, quos à Tiberio Alexandro, Judææ Procuratore, in crucem actos memorat idem qui suprà Josephus lib. 20. Antiq. cap. 3. aliàs 5. De quorum posteriore alibi quoque ait: [W] „Galilæus quidam, Simon nomine, defectionis arguebatur: quia indigenas increparet, si tributum Romanis pendere paterentur, dominosque post Deum ferre mortales". Neque verò etiam istorum morte extinctæ sunt reliquiæ prædicti dogmatis; sed post extremam urbis Hierosolymitanę cladem quidam Judęi in Ægyptum elapsi tam pertinaciter ei adhæserunt, ut nullis tormentis adigi potuerint ut Cæsarem dignarentur appellare *Dominum*: [X] „Omni genere tormentorum, inquit idem Josephus, & vexatione corporum in eos excogitatâ, ob hoc solummodò ut Cæsarem *Dominum* faterentur, nemo cessit, neque dicere velle visus est: sed omnes illâ necessitate validiorem sententiam conservavêre, tanquam brutis corporibus, non animis etiam cruciatus ignemque susciperent. Maximè verò puerorum ætas miraculo spectantium fuit: nec enim vel eorum quisquam commotus est, ut Cæsarem *Dominum* nominaret, usqueadeò corporum infirmitatem vis audaciæ superabat". Carolus Sigonius de Republica Hebræorum: [Y] „Cæsar Augustus, inquit, sublatis vectigalibus tributa ordinaria in caput & agros indixit, atque ob id totum censeri orbem Romanum instituit, ita ut Judæam etiam, quam Herodi Regi à se appellato subjecerat, censeri, ac tributum in caput pendere jusserit. Quo facto, Judas quidam extitit, qui adjuncto Sadocho Pharisæo, negavit, populum Dei alium Dominum, quàm Deum, agnoscere debere; nec censum Augusto solvendum esse, quòd servitutem ostenderet. Hunc verò qui sectati sunt, populum, ne tributum Cæsari daret, sollicitarunt; mortem verò & supplicia contempserunt, in vestitu & cæteris cum Pharisæis consenserunt. Undè Pharisæi quoque aliquando Christum tentandi gratiâ sciscitati sunt,

W. Josephus l. 2. de Bello Jud. cap. 7.

X. Ibid. l. 7. cap. 19.

Y. Sigon. l. 5. de Rep. Hebræor. c. 11.

„ *num dandum esset tributum Cæsari*, quòd ea res per ea tempora variè jactaretur. Christus autem respondit, *dandum esse, quod esset Cæsaris, Cæsari; & quod Dei, Deo*; atque ipse quoque in censum *didrachma pro se & pro Petro pependit*. Præcipuè autem Judas sicarios & zelotas concitavit; qui gladio & sicâ eam opinionem tuebantur, & vitam repugnantibus adimebant; nec ullis supplicijs deduci de sententia poterant; adeò ut pueri illâ opinione imbuti, pertinaci tormentorum patientiâ spectatores obstupefacerent".

Luc. 20. 22.

Ibid. v. 25.

Mat. 17. 26.

CCC. Christus Dominus etsi in Bethleem Judæ natus sit ex utero, in Nazareth tamen civitate Galilææ fuerat conceptus in utero; & idcircò *Galilæus* vulgò dicebatur, prout indicat ancilla illa quæ Petro ait, *Et tu cum IESV Galilæo eras*. Apostolos quoque suos ex Galilæa sumpsit, qui idcircò ab Angelo, sub Christi ascensionem apparente, dicti sunt *viri Galilæi*: & à multitudine confusâ super dono linguarum eis impertito in die Pentecostes dictum est, *Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt?* Quamvis autem plurimùm differant *Galilæus* origine, & *Galilæus* dogmate: nihilominùs & Christus ipse, & ejus Discipuli, horumque successores in primitiva Ecclesia, passim ab æmulis traducti fuerunt, quasi sub nominis communione pestiferum *Galilæorum* dogma foverent. Et quidem de Christi æmulis scriptum est apud Lucam, *Miserunt insidiatores, qui se justos simularent, ut caperent eum in sermone, ut traderent illum Principatui & potestati Præsidis*. Quæstio autem quam insidianter proposuerunt, fuit illa: *Licet nobis tributum dare Cæsari, an non?* Et quamvis ipse palàm respondisset, *Reddendum esse Cæsari, quod Cæsaris sit*: nihilominùs ausi sunt eum coram Præside accusare sub prætextu, quòd *prohiberet tributa dare Cæsari*. Apostoli quoque ejusdem criminis insimulabantur ab æmulis, partim quia & ipsi origine Galilæi fuerunt, & Christi itidem Galilæi sectatores; partim quia libertatis humano generi per Christum partæ fuerunt præcones; partim denique quia *Pseudoapostoli*, qui dogma illud Galilæorum seminabant, *transfigurabant se in Apostolos Christi*: unde fiebat, ut quod ab his prædicabatur, ipsis veris Apostolis imputaretur. Eapropter Apostoli ut se ab hac suspicione purgarent, oppositum dogma fidelibus crebrò & seriò in suis Epistolis inculcabant. Sic Paulus ad Romanos, *Omnis anima*, inquit, *potestatibus sublimioribus subdita sit*. Et mox iterum, *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*. Et rursùs inferiùs, *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem*. In Epistola item ad Timotheum ordinat fieri preces & supplicationes signanter, *pro Regibus, & omnibus qui in* sublimi-

Mat. 26. 69.

Act. 1. 11.

Act. 2. 7.

Luc. 20. 20.

Ibid. v. 22.

Ibid. v. 25.

Luc. 23. 2.

Vide Laur. Iustinian. l. de Triumphali Christi agone, c. 12.

2. Cor. 11. 13.

Vide Chrysost. Homil. 23 in Epist. ad Rom.

Vide Basil. in Constitut. Monasticis cap. 22. & in Moralibus Reg. 75. 76. & 79.

Rom. 13. 1.

Ibid. v. 2.

Ibid. v. 7.

1. Tim. 2.

sublimitate sunt. Similiter & ad Titum scribit, Tit. 3. 1. *Admone illos Principibus & Potestatibus subditos esse, dicto obedire*: [3] Quod quidem præceptum, „inquit Hieronymus, propterea puto editum, „quia Judæ Galilæi per illud tempus dogma „adhuc vigebat, & habebat plurimos Sectatores: cujus & in Actis Apostolorum fit „mentio, referente Scripturâ, *Ante hos enim dies surrexit Theodas, dicens, quendam se esse magnum: cui appositi sunt viri quasi tria millia. Et post hunc surrexit, in diebus census, Judas Galilæus*: qui inter cætera hoc quasi probabile „proferebat ex lege, Nullum debere Dominum, nisi solum Deum vocari; & eos qui „ad templum decimas deferrent, Cæsari tributa non reddere. Quæ hæresis intantùm „crevit, ut etiam Pharisæos & magnam partem populi conturbaret: ita ut ad Dominum quoque nostrum referretur hęc quęstio, „*Licet Cæsari dari tributum an non?* Quibus Dominus prudenter cautèque respondens ait, „*Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Cui Responsioni Paulus Apostolus „congruens, docet, *Principatibus & Potestatibus credentes debere esse subjectos*". Sed nec minùs disertè Petrus Apostolorum Princeps hanc ipsam subjectionem fidelibus inculcat, dicens eis: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi, quasi præcellenti; sive Ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia sic est voluntas Dei, ut benè facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Eorum scilicet quæ Galilæorum libertinitatem Christianis vel imprudenter impingebant, vel impudenter affingebant. Voluit enim Petrus, ut Christiani non modò corde crederent, sed opere etiam ipso & conversatione ostenderent quàm alieni essent ab illa Galilæorum hæresi, cujus insimulabantur ab æmulis. Unde & continuò ibidem subdit: *Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei. Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate*: tanquam diceret, hæc sunt quæ præstare debetis, ut facto ipso manifestetis quàm calumniosè ab æmulis traducamini: atque ita eosdem æmulos confundatis, ipsâque confusione suâ mutos reddatis; imò verò ad Euangelium vobiscum amplectendum, & Deum glorificandum, inducatis. Huc enim spectat quod superiùs ibidem præcesserat, *Conversationem vestram inter Gentes habete bonam: ut in eo, quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis*: hoc est, Benè & exemplariter inter gentiles conversamini: ut si qui vos criminantur, malè persuasi vos esse principatuum ac potestatum spretores, atque adeò publicæ tranquillitatis perturbatores; ex operibus discant contrarium, & rei evidentiâ convicti mutent judicium; detractionem pristinam conversuri in laudem vestram, & in gloriam Dei vestri, qui tales habeat cultores sui.

Marginal notes (left column): [3] Hieron. in c. 3. Epist. ad Titum. — Act. 5. 36 & 37. — Luc. 20. 22. — Ibid. v. 25. — Tit. 3. 1. — 1. Pet. 2. 13. & seqq. — Ibid. 16. & 17. — Ibid. v. 12.

CCCI. Cæterùm ne putarent Christiani obedientiam Principibus ac Potestatibus debitam, atque ab Apostolis tantoperè inculcatam, extendi etiam ad improba jussa, quæ vel legi Dei positivæ, vel honestati naturali adversentur; idcircò Paulus Apostolus cùm dixisset Tito, *Admone illos Principibus & Potestatibus subditos esse, dicto obedire*, vigilanter subtexuit, *ad omne opus bonum paratos esse*: [4] Si bonum est, inquit Hieronymus, quod præcipit Imperator & Præses, jubentis obsequere voluntati: sin verò malum, & contra „Deum sapit; responde ei illud de Actibus „Apostolorum, *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* Hoc ipsum & de servis intelligamus apud dominos, & de uxoribus apud „viros, & de filijs apud parentes: quòd in „illis tantùm debeant dominis, viris, parentibus esse subjecti, quæ contra Dei mandata non veniunt". Augustinus cùm multa de obsequio à servis debito vel indebito dominis, etiam dyscolis, præmisisset, adjunxit: [5] Quod dixi de domino & servo, hoc intelligite de Potestatibus, & Regibus, & de „omnibus culminibus hujus sæculi. Aliquando enim Potestates bonæ sunt, & timent „Deum; aliquando non timent Deum. *Julianus* extitit infidelis Imperator. Nonne „extitit apostata, iniquus, idololatra? Milites Christiani servierunt Imperatori infideli: ubi veniebatur ad causam Christi, „non agnoscebant nisi illum qui in cælo erat: „quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum. Quando autem dicebat, Producite aciem, ite „contra illam Gentem, statim obtemperabant. Distinguebant dominum æternum à „domino temporali, tamen subditi erant propter dominum æternum etiam domino temporali". Et rursùs Serm. 6. de Verbis Domini cap. 8." Dicit Apostolus, inquit, *Omnis „anima Potestatibus sublimioribus subdita sit: non „est enim potestas nisi à Deo, Quæ autem sunt, à „Deo ordinatæ sunt. Qui enim resistit potestati, „Dei ordinationi resistit.* Sed quid si illud jubeat, quod non debeas facere? Hîc sanè „contemne potestatem, timendo potestatem. „Ipsos humanarum rerum gradus advertite. „Si aliquid jusserit Procurator, nonne faciendum est? Tamen si contra Proconsulem „jubeat, non utique contemnis Potestatem, „sed eligis majori servire. Nec hinc debet „minor irasci, si major prælata est. Rursùs „si aliquid ipse Proconsul jubeat, & aliud „jubeat Imperator: nunquid dubitatur, isto „contempto, illi esse serviendum? Ergo si aliud

Marginal notes (right column): Tit. 3. 1. — [4] Hieron. ibid. — Act. 5. 29. — [5] Aug. in Psal. 124.

„ aliud Imperator, & aliud Deus, quid judicatis? Solve tributum, esto mihi in obsequium. Rectè, sed non in idolio. In idolio prohibet. Quis prohibet? Major Potestas. Da veniam, tu carcerem, ille gehennam minatur". Et lib. 3. Confess. cap. 8." Generale pactum est societatis humanæ, obedire Regibus suis; quantò magis Deo regnatori universæ creaturæ suæ, ad ea quæ jusserit, sine dubitatione serviendum est? Sicut enim in Potestatibus societatis humanæ major Potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus". Pulchrè admodùm & appositè Isidorus Pelusiota: G. Cedere, inquit, oportet Magistratui omnibus viribus, illis in rebus, in quibus neque pietati neque virtuti ullum affertur detrimentum". Cui sententiæ non absimilis est ista Augustini: D. Dicit Apostolica doctrina, ut *omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit*; ut & reddantur omnibus omnia, *cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal*, & cætera, quæ salvo Dei nostri cultu, constitutionis humanæ Principibus reddimus: quando & ipse Dominus, ut nobis hujus sanæ doctrinæ præberet exemplum, pro capite hominis quo erat indutus, tributum solvere non est dedignatus". Ubi quod Augustinus ait, *Salvo Dei nostri cultu*, Pelusiota expresserat illis verbis, *in quibus neque pietati neque virtuti ullum affertur detrimentum*. Apud ambos ergò generalis est regula, parendum est Principibus & Potestatibus, dummodò nihil pietati, quæ Dei cultus est, aut virtuti contrarium præcipiant: E. Quoties verò aliquid, inquit Basilius, quod mandato Domini repugnet, aut aliqua ex parte vitiet contaminetve, facere ab aliquo jussi fuerimus; tunc commodè illud usurpabimus, *Oportet obedire Deo magis quàm hominibus*". Et mox infrà ibidem denuò: Licet necessitudine maximâ aliquis nos attingat, & gloriâ præter modum excellens sit, qui vetet quod à Domino jussum est, aut faciendum suadeat quod ille vetuerit, is ab omnibus Dominum diligentibus fugiendus est, atque execrationi

Vide Prosperum Senten. 171.

C. Isidorus Pelusiot l. 4. Epist. 102.

D. Aug. l. de Catechiz. Rudib. c. 21. Vide lib. 19. de [illegible] cap. [illegible] & Orig. lib. 9. in cap. 13. ad Roman. [illegible] 1. [illegible] 7.

E. Basil. Regul. 114. brevior. Vide ibidem Reg. 303 & Pet. Blesens. Epist. 111. Act. 5. 29.

habendus". Alibi quoque cùm dixisset, F. Quemadmodùm pastori suo oves obtemperant, & viam quamcunque ille vult ingrediuntur: sic qui ex Deo pietatis cultores sunt, moderatoribus suis obsequi debent, nihil omninò illorum jussa curiosiùs perscrutantes": continuò subtexuit, *quando libera sunt à peccato*: hoc est, quando Legi Dei non sunt adversa. Similiter & Bernardus, cùm dixisset: G. Sive Deus, sive homo Vicarius Dei, mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obsequendum est curà, pari reverentiâ deferendum": mox subdit: *Ubi tamen Deo contraria non præcipit homo. Quod si contigerit, pergendum indubitanter consulo in Petri sententiam, quia obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Aut enim hoc respondendum cum Apostolis; aut cum Pharisæis certè audiendum, Quare vos transgredimini mandatum Dei, propter traditiones vestras?* Sed quid si de Dei mandato quis dubitet, & intereà humanum præceptum urgeat? Respondet Augustinus: H. Vir justus si fortè sub Rege homine etiam sacrilego militet, rectè potest illo jubente bellare, civicæ pacis ordinem servans; cui quod jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est: ita ut fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi". Ubi quod in specie de præcepto militandi dicitur; ad reliqua præcepta humanæ impositionis extendi censetur. Et ratio reddi potest, quia etiam Deus ipse præcipit ut subditi pareant jussis præfectorum suorum. Quando ergò certò constat Præfectum jubere, nisi pari certitudine constet Deum prohibere, parendum erit Præfecto jubenti; ne alioquin contraveniatur Deo paritionem præcipienti. Atqui quando certum non est utrùm id quod à Præfecto jubetur sit contra Dei præceptum, non pari certitudine constat Deum prohibere; ac constat Deum præcipere ut Præfectis pareatur. Ergo Præfectis parendum erit; ne alioquin divino præcepto magis certo, præponatur divina prohibitio minùs certa.

F. Idem in Constit. Monastic. cap. 22. Vide eund. in Moral. Reg. 79. c. 2.

G. Bernard. lib. de Præcepto & Disp. c. 19.

Mat. 15. 3.

H. August. lib. 22. contra Faust. cap. 75. Vide cap. [illegible] 21 q. 1.

CAPVT

CAPUT LXXIX.

Ecclesia Christi terrenos Principes primùm perpessa est persecutores, sed gratis: postmodùm eosdem experta est propugnatores ac veneratores, non gratis. Apostolorum canon pro observantiâ Principibus impendendâ, contra Pseudo-apostolorum praxin eosdem conviti js incessendi. Expenditur legale praeceptum, Dijs non detrahes, & Principi populi tui non maledices. *Quomodò Paulus Apostolus Principi Christianæ Ecclesiæ in faciem restitit, qui de incessito Pseudo-principe Judaicæ Synagogæ sese excusavit? Quod Christiana disciplina sancit de observantia & obedientia impendenda Principibus politicis, à potiori militat pro hierarchicis: quibus utique præcipimur non modò* obedire, *sed &* subjacere. *Veteres Ecclesiæ Patres, ad imitationem Christi & Apostolorum, verbis & exemplis inculcarunt obsequendum esse Principibus etiam dyscolis; sed usque ad aras: signatim Polycarpus, Ignatius, Clemens, Justinus, Athenagoras, Theophilus, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Arnobius, quorum testimonia referuntur.*

CCCII. Ecclesia Christi sub duplici statu considerari potest: in primo statu terrenos Reges ac Principes passa est persecutores; in secundo defensores ac veneratores. Utrumque statum uno contextu prænunciavit Dominus, dicens ei per Prophetam Isaiam, [Isa. 60. 14.] *Venient ad te curvi filij eorum qui humiliaverunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, & vocabunt te civitatem Domini.* Priores Reges, qui Ecclesiam persecuti sunt, denotantur istis versibus, *qui humiliaverunt te*: posteriores autem illis antecedentibus, *venient ad te curvi filij eorum.* Sensus quippe est, humiliabunt se tibi successores eorum Regum, qui te humiliaverint. Porrò Ecclesia, à Christo & Apostolis ejus edocta, utrisque honorem & obsequium in licitis & honestis semper impendit, impendendumque inculcavit: ut proinde justissima fuerit illa ipsius de Regibus persecutoribus querela, per Psalmographum [Psal. 118. 161.] expressa, *Principes persecuti sunt me gratis*, hoc est, Persecutionibus suis infestarunt me, absque causa: [I. August. in Psalm 118. Concione 31.] [I.] Quas persecutiones, inquit Augustinus, à Regibus terræ corpus Christi, hoc est, Sancta Ecclesia, pertulerit, novimus. Agnoscamus ergò hìc omnia ejus verba dicentis: *Principes persecuti sunt me gratis, & à verbis tuis formidavit cor meum.* Quid enim Christiani læserant regna terrena, quamvis eis regna cælorum promiserit Rex eorum? Quid, inquam, læserant regna terrena? Nunquid eorum Rex milites suos prohibuit impendere & exhibere quæ debentur Regibus terræ? Nonne de hoc sibi calumniam molientibus Judæis ait: *Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt*? [Mat. 22.] Nonne *tributum de ore piscis* etiam ipse *persolvit*? [Mat. 17.] Nonne Præcursor ejus militibus regni hujus quid facere deberent pro æterna salute quærentibus non ait, Cingulum solvite, arma projicite, Regem vestrum deserite, ut possitis Domino militare: sed ait, *Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum*? [Vide Aug. Epist. 5 & 205 & Serm. 111. de verbis c. 6.] [Luc. 3. 14.] Nonne unus militum ejus, & dilectissimus comes ejus, commilitonibus suis, & quodammodò Christi Provincialibus dixit, *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit*? [Rom. 13. 1.] Et paulò pòst ait, *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* [Ibid. 7. & 8.] Nonne præcepit, *ut pro ipsis etiam Regibus oret* Ecclesia? [1. Tim. 2. 2.] Quid ergò eos Christiani offenderunt? Quod debitum non reddiderunt? In quo Christiani nòn sunt terrenis Regibus obsecuti? Ergo terreni Reges *gratis Christianos persecuti sunt*". Inter Apostolorum canones unus recensetur huc spectans, & ita sonans: [K.] Quisquis Regem vel Principem, præter jus, contumeliâ affecerit; pœnas luat: & si sit quidem Clericus, deponatur; si verò laicus, segregetur". [K Canon Apost. 83.] Qui quidem canon videtur conditus adversùs Pseudo-Apostolorum dogma, à Beato Juda in sua canonica Epistola reprobatum, ubi de eis ait: *Dominationem spernunt, majestatem blasphemant.* [Jud. v. 8.] Cujus sententiæ postremam partem ita Erasmus vertit, *Gloriâ præcellentes viros non verentur convicijs incessere*: [Erasmus.] Gagneius sic, [Gagneius.]

Homines

Hommer in dignitate constitutos non metuunt blasphemare. Ex quibus apparet, Apostulos fuisse præfiguratos in illa parte Israëlitici exercitûs, *quorum tetigerat Deus corda, ut abirent cum Saule,* in Regem veteris populi electo : pseudo-apostolos autem *in filios Belial, qui despexerunt eundem Saulem, & non attulerunt ei munera.* Ubi Septuaginta Interpretes pro *filys Belial* vertunt *filior pestilentes* : Chaldæus Paraphrastes *filios improbitatis* : Hugo Cardinalis interpretatur *filios sine iugo legis divina, & disciplina.* Divinæ enim legis sanctio est, *Dys non detrahes, & Principi populi tui non maledicer:* Ubi posteriorem partem pro explanatione prioris adjectam esse censet Cyrillus Alexandrinus lib. 7. adversùs Julianum, consonatque Augustinus q. 85. in Exodum. Quia enim Principes & Magistratus peculiari quâdam ratione vicem Dei gerunt in terris, idcircò in sacro Eloquio *Dy* frequenter nuncupantur. Quod igitur scriptum est, *Dÿr non detraher*, explanatur per istud adjunctum, *Principi populi tui non maledicer.* Cujus contrarium factitabant pseudo-apostoli, de quibus Judas vetus Christi Apostolus, non utique approbando, sed redarguendo ait: *Dominationem spernunt, Maiestatem blasphemant.* Non sic Paulus Doctor Gentium, qui cùm Principis Sacerdotum jussu percussus dixisset, *Percutiet te Deus, pariet dealbate* : confestim ut didicit Principem fuisse sacerdotum, in excusationem facti obtendit ignorantiam personæ, *Nesciebam*, inquiens, *quia Princepr est sacerdotum : Scriptum est enim, Principem populi tui non maledices* : Principem utique sive politicum sive Ecclesiasticum. Uterque enim, ratione Principatûs, majestatem quandam divinæ subsimilem gestat: [L] Apostolus Paulus, „ inquit Martyr Cyprianus, cùm ei dictum „ esset, *Sic insilis in Sacerdotem Dei maledicendo?* „ quamvis, Domino jam crucifixo, sacrilegi, „ & impij, & cruenti illi esse cœpissent, nec „ jam quidquam de sacerdotali honore & au- „ thoritate retinerent : tamen ipsum quamvis „ inane nomen & umbram quandam sacerdo- „ tis cogitans Paulus : *Nesciebam*, inquit, *fra- „ trer, quia Pontifex est: Scriptum est enim, Principem populi tui non maledices* ". Qui sic semetipsum excusavit de contumelia Principi jam divinit[us] exauthorato irrogatâ, quid dicturus fuisset si Principem quempiam legitimâ dignitate pollentem offendisset ? Nec obstat, quòd Petro Apostolorum Principi *in faciem restiterit.* Nam resistentiam illam non Pontificiæ dignitatis spretus causavit, sed divini honoris zelus extorsit : [M] Quis nostrûm, in- „ quit Augustinus, Petro Apostolo compa- „ rari potest, quamvis nunquam *Gentes iudai- „ zare coëgerimus*, quod ille faciebat, quando „ *non rectè ingrediebatur ad veritatem Euangely?*

1. Reg. 10. 26
Interpretes 70
Paraphrast. Chaldæus.
Hugo Card.
Ex 22. 28.
Cyril. Alex.
Augustinus. Vide Theodoret. q. 51. in Exodum.
Act. 23. 3.
Ibid. v. 5.
L. Cyprian. Epist. 55 V de Epist. 69.
Ibid. v. 4.
PRÆOCCVPATIO.
Gal. 2. 11.
M August. l. 2. contra Gaudent. c. 8. [...] eundē in cap. 2. ad Galat. & Epist. 19 c. 2.
Ibid. v. 14.

„ Unde à suo posteriore Paulo, salubri admo- „ nitione correptus, utilius posteris humili- „ tatis præbuit exemplum, quàm si nihil in eo existeret corrigendum ". Et Facundus Hermianensis : [N] Petrus, inquit, Aposto- „ lorum primus, *cùm non rectè ambularet ad ve- „ ritatem Euangely*, reprehensus à Paulo, *mi- „ nimo Apostolorum*, non indignè tulit, nec pro „ sui Primatûs gloriâ resistentem sibi despe- „ xit : quoniam charitas, quæ Paulum ad ar- „ guendum prioris culpam fidenter erexerat, „ eadem Petrum ad suscipiendam *minimi* cor- rectionem dociliter inclinabat ". Charitas ergo utrobique intervenit : in Paulo scilicet, ut superiorem Petrum neophytos Christianos scandalizantem fidenter corriperet: in Petro, ut inferiorem Paulum ex zelo veritatis Euangelicæ redarguentem dignanter audiret.

N. Facund. Hermian. l. 10. de tribus Capitulis c. 2.
Vide Greg. Homil. 18. in Ezechielem.
1. Cor. 15. 9.

CCCIII. Neque verò putandum est, idcircò Paulum restitisse Petro in faciem, quòd tametsi Christianæ disciplinæ regula præscribat exhibendam esse reverentiam & obsequentiam Principibus politicis, nequaquam tamen hierarchicis. Certè enim non tam de politicis quàm de hierarchicis Principibus loquitur idem ipse Paulus, cùm ait: *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Præterea quamvis nullum hac de re peculiare ac specificum extaret præceptum, nihilominùs eo ipso quo præceptum est obedire Principibus ac Potestatibus politicis, à fortiori deduceretur obediendum esse Principibus ac Potestatibus hierarchicis : quippe qui spiritali subditorum saluti procurandæ invigilant ; quæ tanto præstantior est incolumitate corporali eorundem, cui invigilant Principes politici, quantò præstantior est spiritus corpore ac bonis mundanis: [O] Paulus Apostolus, „ inquit Magnus Basilius, in ea Epistola quam „ ad Romanos scribit, ipsis præscribit, ut *ex- „ cellentioribus Potestatibus omnibus subiecti sint*: „ Potestatibus, inquam, Mundi, non spiri- „ tualibus : quod in his quæ deinceps adjecit „ declaravit, cùm *de tributis & vectigalibus* „ locutus est, quo in loco, *qui vel minimùm „ Potestati resistit*, eum ait *Deo ipsi resistere*. Si „ igitur qui Mundo huic præsunt, & ex lege „ humana illam imperandi potestatem ha- „ buerunt, ijs divina lex voluit pietatis cul- „ tores esse subjectos ; &, quod majus est, „ quorum vita tota tunc erat impietas: quàm „ magna tandem ei à pietatis cultore præstan- „ da obedientia est, qui à Deo constitutus „ Præses sit, & imperandi potestatem legibus „ illius acceperit ? Et quomodò defendi po- „ test eum Dei ordinationi non resistere, qui „ Antistiti resistat suo : præsertim cùm aper-

Heb. 13. 17.
O. Basil in Constitut. Monasticis cap. 22.
Rom 13. 1.
Ibid. v. 7.
Ibid. v. 2.

„ tissimè Paulus jubeat omni in re parendum
„ esse spiritualibus Præpositis? Ait enim, *Obe-*
„ *dite Præpositis vestris, & subiecti estote eis: ipsi*
„ *enim pervigilant: quasi rationem pro animabus*
vestris reddituri". Et rursùs ibidem post pau-
ca: " Animadverte, inquit, quid in Euan-
„ gelijs Dominus dicat, cùm de obedientia
„ erga servos suos adhibendâ legem sanciret:
Mat. 10. 40 „ *Qui vos recipit*, inquit, *me recipit*. Et item
Luc. 10. 16. „ alio in loco, *Qui vos audit, me audit; & qui*
„ *vos spernit, me spernit*. Quod Apostolis dixit,
„ intelligendus est in commune legem san-
„ xisse in posteros, qui aliorum futuri erant
moderatores". Et iterum aliquantò infe-
riùs: " Nihil est aliud Antistes, inquit, dili-
„ genter exequens munus cui præpositus est,
„ pietatem scilicet, quàm is qui personam
„ Christi sustinet, & sequester est inter Deum
„ & homines, salutem eorum qui in ipsius
„ officio sunt sacrificans Deo. Atque hoc
„ à Christo ipso docemur, dum Petrum Ec-
„ clesiæ suæ pastorem post se constituit. Ait
Jo. 21. 15. & 17. „ enim, *Petre, amas me plus his? Pasce oves meas*.
„ Et omnibus deinceps pastoribus ac ma-
„ gistris eandem tribuit potestatem: cujus
„ rei signum est, quòd omnes, similiter at-
Mat. 18. 18. „ que ille, *& ligent, & solvant*. Quemadmo-
„ dùm igitur Pastori suo oves obtempe-
„ rant, & viam quamcunque ille vult in-
„ grediuntur: sic qui ex Deo cultores sunt
„ pietatis, moderatoribus suis obsequi de-
„ bent, nihil omninò eorum jussa curiosiùs
„ perscrutantes, quando libera sunt à pec-
„ cato: sed èconträ summo ea studio, sum-
mâque animi alacritate perficere". Hinc pa-
tet universos omninò Christianos obtempe-
rare debere illius Præpositi præceptis, cui
absque ulla limitatione Christus ait, *Pasce oves*
meas. Patet præterea eos qui particulari cui-
cunque Christianorum gregi incorporati fue-
rint, parêre debere eorum jussibus, quibus
communis ille pastor à Christo constitutus
1 Pet. 5. 2. ait, *Pascite qui in vobis est gregem Dei*: quibus
Act. 20. 28. item Paulus tuba Christi ait, *Attendite vobis,*
& universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus
posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei. Quod
Christus & Petrus expresserant verbo *pascen-*
di, hoc ipsum & Paulus expressit verbo *re-*
gendi: ut sciamus pastores esse rectores, quo-
rum regimini subjaceant qui se eorum respe-
ctivè gregibus incorporant. Legimus ali-
quando ipsam regiam functionem appellari
pastionem, juxta illud quod Davidi regna-
turo ait Dominus, *Tu pasces populum meum*
2. Reg. 5. 2. *Israel*: hoc est, prout mox sequitur, *Tu eris*
Dux super Israel. Pascere igitur est regere, sive
ducatum populi gerere. Cæterùm quod Ba-
silius suprà dicebat, Antistites à *Deo consti-*
tutos esse Præsides, & legibus illius accepisse im-
perandi potestatem, confirmatur ex Pauli ver-
bis mox relatis, quibus testatur Episcopos
à Spiritu Sancto positos esse, *regere Eccle-*
siam Dei. Unde & Synodus Tridentina de-
clarat, [P] Præter cæteros Ecclesiasticos gra- P. Synod. Trid. Sess. 23. c. 4.
„ dus, Episcopos, qui in Apostolorum lo- Vide Hallier in Vindiciis
„ cum successerunt, ad hierarchicum or- Censur. Sorbon lib. 1.
„ dinem præcipuè pertinere: & *positos*, cap. 2. & lib.
„ sicut Apostolus ait, *à Spiritu Sancto, re-* 3. c. 2. §. 3.
„ *gere Ecclesiam Dei*". Quando ergo Episcopi & c. 3. per
audiunt tubam Christi sibi insonantem, totum.
Attendite vobis, & universo gregi, recogitent
obligationem suam: quando item audiunt,
Vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ec-
clesiam Dei; agnoscant dignitatem & autho-
ritatem suam. Rursùs quando subditi au-
diunt eandem Christi tubam sibi insonan-
tem, *Obedite Præpositis vestris, & subiacete*
eis; agnoscant se Præpositis suis non mo-
dò *obedientiam* debere, sed & *subiacentiam*:
quam Anselmus in Commentario inter- Anselmus.
pretatur *reverentiam*: Oecumenius *exactam* Oecumen.
obedientiam: Theophylactus *intensam obedien-* Theophylactus.
tiam: ut si operibus etiam eis serviendum sit, non
detrectemus.

CCCIV. Non solùm Apostolorum ævo,
sed aliquot etiam sæculis post eorum deces-
sum, *Principes* Mundi Ecclesiam *persecuti sunt*; Ps. 118. 161.
sed *gratis*; quia pastores & Doctores pro
Apostolis in ea suscitati nihil diversum à Ma-
joribus docuerunt, nec cæteri Christiani
ulla obsequia talibus debita subtraxerunt.
Hinc Polycarpus, in publico theatro ad Mar-
tyrium accinctus, tametsi recusarit *iurare per*
Cæsaris fortunam, eò quòd id repugnaret pie-
tati quam Apostolico magisterio didicerat;
addidit nihilominùs ad Proconsulem, [Q] Te Q. Polycarp.
„ quidem responsione dignatus sum. Etenim apud Euseb.
„ sic instituti sumus, ut Principatibus & Po- lib. 4. Hist.
„ testatibus à Deo ordinatis honorem defe- Eccles. c. 15
„ ramus, eum scilicet qui religioni non sit
contrarius". Polycarpi Synchronus, & cum
eodem Joannis Apostoli discipulus Ignatius,
Antiochenos suos instruens: [R] Cæsari, in- R. Ignat.
„ quit, subjecti estote in ijs, in quibus subdi Epist. 12. ad
„ non affert ullum animæ periculum. Princi- Antiochenos.
„ pes nolite irritare, ita ut exacerbentur: ne
„ ansam detis eis qui illam contra nos quæ-
runt". Clemens Romanus, Apostoli Pe-
tri discipulus ac successor, in Constitutio-
nibus Apostolicis, ait fidelibus: [S] Omni S. Clem.
„ regno ac Magistratibus subditi estote, in Rom lib. 4.
„ eo, quod Deo placet, tanquam Dei mi- Constit. c. 13.
„ nistris, & impiorum ultoribus. Timorem Vide lib. 7.
„ illis debitum præstate: omne vectigal, c. 17.
„ omne tributum, omnem honorem, munus,
„ censum: Dei enim est præceptio, *nemini*
„ *quidquam debere, nisi amicitiæ signum*, quod
Deus statuit per Christum". Paulò post istos
floruit

floruit in Ecclesia Justinus Martyr, qui ex communi Christianorum personâ Romani Imperij Principes alloquens: T. Vectigalia sanè, inquit, & collationes, eis qui à vobis sunt ordinati exactoribus præ omnibus ubique inferre contendimus, quemadmodùm à Christo sumus instituti. Illo namque tempore accedentes quidam percontati sunt ex illo, an Cæsari vectigalia pendere oporteat? Qui responsum hoc ab eo retulêre: *Dicite mihi, cujus imaginem nummus habet?* Quibus respondentibus, *Cæsaris*: ait, *Reddite igitur quæ Cæsaris sunt, Cæsari; & quæ Dei, Deo.* Proinde nos solum quidem Deum adorantes, vobis in rebus alijs læti inservimus; Imperatores ac Principes hominum esse profitentes: & simul precantes, ut cum Imperiali Potestate sanam quoque mentem obtinere comperiamini".

T. Justinus Martyr Apolog. 2.

Mat. 22. 20.

Ibid. v. 21.

Athenagoras item Romanos Principes communi Christianorum nomine compellans: V. Nostri tantùm, inquit, qui Christiani vocamur, nulla vobis cura est: sinitis enim nos, qui nihil mali patramus, imò omnium pijssimè ac justissimè tum erga Deum, tum erga imperium vestrum nos gerimus, exagitari, rapi, fugari; nomen duntaxat nostrum plerisque impugnantibus". Theophilus Antiochenus Athenagoræ suppar: W. Etiam Magistratibus, inquit, & Potestatibus ut pareamus, divina Scriptura monet. Præcipit quoque ut pro his preces fundamus ad Dominum, *ut tranquillam & quietam transigamus vitam.* Jubet divina Sapientia *reddi omnibus omnia; cui honorem, honorem; cui timorem, timorem; cui tributum, tributum*". Cæterùm quia Gentiles, his minimè contenti, volebant à Christianis extorquere ut Cæsarem pro Deo suspicerent & adorarent, idem author superiùs lib. 1. jam scripserat: " Honorabo Regem sive Cæsarem, non tamen eum adorabo, sed pro eo orabo: Deum, qui verè & verus Deus est, adorabo, sciens Cæsarem ab ipso esse ordinatum. Dicas ergo: Quare Regem sive Cæsarem adorare recusas? Quia non ad id institutus est ut adoretur, sed ut legitimo sibique congruente honore honoretur. Rex enim sive Cæsar Deus non est; sed meminerit se esse hominem, à Deo in hanc dignitatem promotum; non ut adoretur, sed ut justè, quemadmodùm justitia exigit, judicet. Nam regnum sive imperium, rerumque administratio ipsi à Deo commissa ac demandata est". Martyr Irenæus, ostendere volens mentitum fuisse diabolum, quando Christo dicebat, *se omnia regna mundi dare cui voluerit*: X. Non enim ipse, inquit, determinavit hujus sæculi regna, sed Deus: *Regis enim cor in manu Dei.* Et per Salomonem item ait Verbum, *Per me Reges regnant, & Potestates tenent justitiam: Per me Principes exaltantur, & tyranni terra.* Et Paulus Apostolus hoc ipsum ait: *Omnibus Potestatibus sublimioribus subjecti estote: non est enim Potestas, nisi à Deo. Quæ autem sunt, à Deo dispositæ sunt.* Et iterum de ipsis ait, *Non enim sine causa gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malè operatur.* Quomodò autem hæc non de Angelicis Potestatibus, nec de invisibilibus Principibus dixit, ut quidam audent exponere; sed de his, quæ secundùm homines sint, Potestatibus, subdit: *Propter hæc enim & tributa præstatis; ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes.* Hoc autem & Dominus confirmavit, non faciens quidem quod à diabolo suadebatur; tributorum tamen exactoribus *dari* jubens *tributum pro se & Petro*: quoniam ministri Dei sunt, in hoc ipsum deservientes. Quoniam enim homo à Deo abscedens, in tantùm efferavit, ut etiam consanguineum sibi reputaret hostem, & in omni inquietudine, & homicidio, & avaritiâ, sine timore versaretur: imposuit ei Deus humanum timorem (non enim cognoscebat timorem Dei) ut potestati hominum subjectus, & lege eorum astrictus, aliquid assequatur justitiæ, & moderetur ad alterum, in manifesto positum gladium timens, sicùt Apostolus ait: *Non enim sine causa gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malè operatur.* Et propter hoc ipsi Magistratus, indumentum justitiæ leges habentes, quæcunque justè ac legitimè fecerint, de his non interrogabuntur; neque pœnas luent: quæcunque autem ad eversionem justitiæ perperàm contra legem more tyrannico exercuerint, in hisce peribunt justo Dei judicio. Ad utilitatem ergo Gentium positum est à Deo terrenum regnum; non autem à diabolo, qui nunquam omninò quietus est, imò qui nec ipsas quidem Gentes sinit in tranquillo agere; ut timentes regnum humanum nequaquam se invicem homines more piscium consumant, sed per legum positiones repercutiant multiplicem Gentium injustitiam. Et secundùm hoc *ministri Dei sunt*, qui tributa exigunt à nobis, *in hoc ipsum servientes*, quæ sunt potestates à Deo ordinatæ. Manifestum proinde est mentiri diabolum, dicendo: *Mihi tradita sunt, & cui volo do ea*; Cujus enim jussu homines nascuntur, ejusdem & jussu Reges constituuntur". Hinc apertè habemus humanos Principatus ac Potestates à Deo institutos esse; honorem & obsequium eis deberi, nec posse humanam societatem sine eorum præsidio incolumem subsistere. Unde & Tertullianus:

V. Athenagor. in legat. pro Christianis sub initium.

W Theoph. Antioch. l. 3. ad Autolyc.

1. Tim. 2.

Rom. 13. 7.

Luc. 4. 6.

X. Iren. l. 5. cap. 24.

Prov. 21. 1.

Prov. 8. 15.

Rom. 13. 1.

Ibid. v. 4.

Ibid. v. 6.

Mat. 17. 26.

1. Tertull. lib de Idololat. c 15. Vide eund. in Apologetico c. 32.

1. Quod attinet, inquit, ad honorem Re-
„ gum vel Imperatorum, satis præscriptum
„ habemus, in omni obsequio esse nos opor-
„ tere, secundùm Apostoli præceptum, *subdi-*
„ *tos Magistratibus & Principibus & Potestati-*
„ *bus*: sed intra limites disciplinæ, quousque
ab idololatria separamur". Et lib. ad Sca-
pulam cap. 2." Circa Majestatem Imperato-
„ ris infamamur: tamen nunquam Albiniani,
„ nec Nigriani, vel Cassiani inveniri potue-
runt Christiani". Et rursùs ibidem mox
infrà:" Christianus nullius est hostis, nedum
„ Imperatoris, quem sciens à Deo suo con-
„ stitui, necesse est ut & ipsum diligat, & re-
vereatur, & honoret, & salvum velit". Et
in Apologetico cap. 32." Nos judicium Dei
„ suspicimus in Imperatoribus, qui Gentibus
„ illos præfecit: id in eis scimus esse, quod
„ Deus voluit; ideòque & salvum volumus
esse, quod Deus voluit". Et inferiùs cap. 39.
" Coïmus in cœtum & congregationem, ut
„ ad Deum, quasi manu factâ, precationibus
„ ambiamus orantes: hæc vis Deo grata est.
„ Oramus etiam pro Imperatoribus, pro mi-
„ nistris eorum, & Potestatibus: pro statu
„ sæculi, pro rerum quiete, pro mora finis"?
Quidnam verò Imperatoribus in suis illis
cœtibus Christiani apprecarentur, planiùs
expresserat ibidem superius cap. 30." Precan-
„ tes sumus semper, inquiens, pro omnibus
„ Imperatoribus, vitam illis prolixam, Impe-
„ rium securum, domum tutam, exercitus
„ fortes, Senatum fidelem, populum probum,
orbem quietum". Martyr Cyprianus in Li-
bro ad Demetrianum Africæ Proconsulem:
" Pro arcendis hostibus, inquit, & imbribus
„ impetrandis, & vel auferendis vel tempe-
„ randis adversis, rogamus semper & preces
„ fundimus: & pro pace ac salute vestrâ pro-
„ pitiantes ac placantes Deum, diebus ac
„ noctibus jugiter atque instanter oramus".
Arnobius quoque in libris adversùs Gen-
tes: 2. Nostra scripta, inquit, cur ignibus
„ meruerunt dari? Cur immaniter conven-
„ ticula dirui, in quibus summus oratur
„ Deus, pax cunctis & venia postulatur,
„ Magistratibus, exercitibus, Regibus,
„ familiaribus, inimicis, adhuc vitam de-
„ gentibus, & resolutis corporum vinctio-
ne"?

Cyprianus. Vide Orig. in cap. 13. ad Roman.

2 Arnob. lib 4. adversùs Gentes, prope finem

CAPUT LXXX.

Vberior prosecutio & confirmatio ejusdem doctrinæ ex testimonijs subsequentium Ecclesiæ Doctorum, qui post terrenorum Principum conversionem ad Christianismum floruerunt: signanter Nazianzeni, Didymi, Hosij, Optati, Ambrosij, Augustini, Chrysostomi, Epiphanij, Cyrilli Alexandrini, Isidori Pelusiotæ, Prosperi, Gregorij, Damasceni, Bernardi, Hugonis Victorini, Ioannis Sarisberiensis, Laurentij Iustiniani. Libertinus ac Monarchomachus classicum præcinuisse videtur Democritus, cujus vox est: Non oportet sapientem legibus obedire, sed liberè vivere. *Quemadmodùm subditis cavendum est, ne terrenis Principibus obsequia vel subsidia legitima subtrahant; ita & his, ne vel contra Dei legem quidquam extorqueant, vel Ecclesiastica jura muniave usurpent. Sicut Cæsari danda sunt quæ ipsius sunt, ita Deo nullatenùs neganda quæ ejus sunt. Principatuum eliminatio nihil aliud fuerit, quàm extremæ confusionis invectio, & humanæ societatis eversio.*

CCCV. Cum ex dictis constet Christianos, præceptis salutaribus monitos, & divina institutione formatos, nihil debiti obsequij vel subsidij subtraxisse terrenis Principibus aut Magistratibus pro priori illo Ecclesiæ statu, quo eosdem Principes ac Magistratus passi sunt acerrimos persecutores: facilè quisque conjiciet quàm fuerint erga eos morigeri ac devoti pro posteriori Ecclesiæ statu, quo ipsos experti sunt benignissimos fautores ac protectores. Qui enim politicam Potestatem, tanquam Dei munus, in hoste infestante reveretur, debitisque obsequijs prosequitur; quantò magis eandem in amico favente resi-dentem revereri, & obsequijs debitis prosequi, præsumendus fuerit? Illud enim prius ad redundantiam pertinet benignitatis, istud autem posterius ad ipsam simpliciter benignitatem. Quis autem nesciat difficiliùs reperiri homines

homines redundanter benignos, quàm simpliciter benignos? A Qui ergo putas, inquit Tertullianus, nihil nos de salute Cæsarum curare, inspice Dei voces, literas nostras; quas neque ipsi supprimimus, & plerique eas ad extraneos transferunt. Scito ex illis, præceptum esse nobis, AD REDUNDANTIAM BENIGNITATIS, etiam *pro inimicis Deum orare, & persecutoribus nostris bona precari*. Qui magis inimici & persecutores Christianorum, quàm de quorum Majestate convenimur in crimen? Sed etiam nominatim atque manifestè, *Orate*, inquit, *pro Regibus, & pro Principibus, & Potestatibus, ut omnia tranquilla sint*". Ubi tamen cavendum est, ne per *redundantiam* intelligatur supererogatio. Nam cùm author diserté affirmet *præceptum nobis esse* orationem pro inimicis, & apprecationem bonorum persecutoribus nostris; perspicuè indicat, illam *benignitatis redundantiam* non esse supererogatoriæ liberalitatis, sed præceptoriæ necessitatis. Si autem nobis injuncta est necessitas *redundantiæ benignitatis*, quantò magis ipsius simpliciter benignitatis? B Submittamus nos, inquit Nazianzenus, tum Deo, tum alij alijs, tum ijs qui imperium in terra gerunt. Deo quidem, omnibus de causis: alij autem alijs, propter charitatis fœdus: Principibus denique, propter ordinem, publicæque justitiæ rationem; idque tantò etiam magis, quantò facilioribus illis ac benignioribus utimur". Et rursùs ibidem post paucula: "Inter cæteras, inquit, nostræ doctrinæ leges hanc quoque habemus cum primis laudandam, & à Spiritu, qui id quod præstare possumus, cum eo quod pulchrum & honestum est, exploravit, legeque sanxit, præclarè constitutam: quà, ut servi heris suis, & uxores viris, & Ecclesia Christo, & discipuli magistris ac pastoribus obedire atque obtemperare jubentur: ita nobis etiam præscribitur, *ut sublimioribus potestatibus pareamus, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*, ut qui pendendo tributo simus obnoxij: nec committamus, ut ob scelera & flagitia nostra legem odio habeamus, ac vindicem gladium expectemus: quin potiùs id agamus, ut per timorem purgati, laudem à Potestate consequamur". Didymus Alexandrinus Enarratione in priorem Petri Epistolam: C Subjici, inquit, Principibus & Potestatibus humanis, aliquando propter Deum, aliquando propter aliud quicquam contingit. Qui enim propter Deum eis subditur, tunc solummodò eis subjectus non est, quando divinæ voluntati contraria præcipiunt. Quapropter reluctandum est etiam usque ad mortem, si quando voluerint extra Christum nos facere, vel aliquid dicere aut agere præter

A Tertull. in Apolog. cap. 31.

Matt. 5.44.

1. Tim. 2. 2.

B Greg. Nazianz. Orat. 17.

Rom. 13. 1. & 5.

C Didymus Alexand. c. 2. priorem Epistolæ Petri.

sensum aut sanctiones Ecclesiasticas". Et iterum post modicum ibidem: "Præcones veritatis, inquit, omnem malitiæ occasionem auferentes à nobis, scribunt quatenùs tales simus apud eos qui Potestates gerunt, ne per nos Euangelium aut doctrina ejus impediatur, nolendo eis officium debitæ devotionis exolvere, & eorum actibus esse subjectos: quando tamen rectis legibus aliquid agere comprobantur. Scribit itaque Petrus, *Omni ordinationi humanæ subjiciendos: Regibus quidem, tanquam egregium culmen tenentibus; Ducibus autem, tanquam missis ab eis ad comprobationem bonorum, & ultionem malorum*. Paulus item, *Omnis anima*, inquit, *potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas, nisi à Deo. Quæ autem à Deo, ordinata sunt*". Donati hæresiarchæ apud Optatum Milevitanum vox est, *Quid Imperatori cum Ecclesia?* Addit autem subsequenter ibidem de ipso Optatus: D Jam tunc meditabatur, contra præcepta Apostoli Pauli, Potestatibus & Regibus injuriam facere; pro quibus, si Apostolum audiret, quotidie rogare deberet. Sic enim docet B. Paulus, *Rogate pro Regibus & Potestatibus, ut quietam & tranquillam vitam cum ipsis agamus*. Non enim Respublica in Ecclesia, sed Ecclesia in Republica est". Et mox iterum:" Meritò Paulus docet, orandum esse pro Regibus & Potestatibus; etiamsi talis esset Imperator, qui gentiliter viveret. Quantò quòd Christianus? Quantò quòd Deum timens? Quantò quòd religiosus? Quantò quòd misericors, ut ipsa res probat? Miserat enim ornamenta domibus Dei, miserat pauperibus eleëmosynam".

1. Pet. 2. 13. & 14.

Rom. 13. 1.

D Optatus Milevit. l. 3.

1. Tim. 2. 2.

CCCVI. Pro astruenda subjectione Christianorum erga terrenos Principes & Magistratus profert Ambrosius exemplum Christi, qui licèt ut filius supremi Regis potuerit immunitatem à tributis obtendere; nihilominùs ut suis præberet obsequendi documentum, maluit exactoribus morem gerere, quàm sibi exemptionem à communi lege vendicare: E Magnum quidem est, ait Ambrosius, & spiritale documentum, quo Christiani viri *sublimioribus Potestatibus* docentur debere *esse subjecti*; ne quis constitutionem Regis terreni putet esse solvendam. Si enim censum Dei Filius solvit, quis tu tantus es, qui non putes esse solvendum"? Ambrosium secutus Augustinus scripsit ea quæ tanquam huc spectantia descripsimus superiùs §. 301. & 302. Alibi quoque idem ipse ait: F Cælestis civitas dum peregrinatur in terra, ex omnibus Gentibus cives evocat, atque in omnibus linguis peregrinam colligit societatem; non curans quicquid in moribus, legibus, institutisque diversum est, quibus pax terrena vel con-

E Ambr. lib. 4. in c. 5. Lucæ. Rom. 13. 1.

F Aug. lib. 19 de Civit. cap. 17.

 quiritur

quiritur vel tenetur; nihil horum rescindens vel destruens, imò etiam servans ac sequens: quod licèt diversum sit in diversis nationibus, ad unum tamen eundemque finem terrenæ pacis intenditur, si religionem, quâ unus summus & verus Deus colendus docetur, non impedit". Idem rursùs lib. de Moribus Ecclesiæ c. 30. ita eandem Ecclesiam alloquitur: " Doces Reges prospicere populis, mones populos se subdere Regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus, reverentia; quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus objurgatio, quibus supplicium, sedulò doces". Inter sententias Augustini per Prosperum Aquitanicum collectas una huc spectans est ista: [G] Ita & à plebibus Principes, & à servis Domini sunt ferendi, ut sub exercitatione tolerantiæ sustineantur temporalia, sperentur æterna. Auget enim meritum virtutis, quod propositum non violat Religionis". Quam sententiam idem ipse Prosper hocce illustravit Epigrammate: [H] *Reddendum est, quicquid Mundi benè postulat ordo, Propositumq; pia non violat fidei. Mitibus & Sanctis nulla est spernenda Potestas, Aequum servire est Regibus, & Dominis: Vt Christi famulis ad verum prosit honorem; Dilexisse bonos, & tolerare malos.* Notat verò Chrysostomus, Christum non fuisse usum verbo *dandi*, sed verbo *reddendi*, cùm de solvendo Cæsari tributo loqueretur: quia nimirum *datio* sonat supererogationem, *redditio* autem obligationem, sive debiti exolutionem: [I] Interrogati Pharisæi, inquit, *cujus illa esset effigies*: cùm respondissent, *Cæsaris*; illicò Dominus subjunxit, *Reddite igitur Cæsari quæ Cæsaris sunt*. Non enim dare, sed *reddere* istud est, quod tam ab insculpto simulachro, quàm à superscriptione ostenditur. Deindè ne contentiosè dicerent, Hominibusne igitur nos subdis? statim adjecit, *Et quæ Dei, Deo*. Potestis enim & hominibus sua reddere, & quæ Dei sunt Deo debetis præstare. Propterea Paulus quoque ait, *Reddite omnibus debita: cui vectigal, vectigal, cui tributum, tributum; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Tu verò cùm audias *reddenda esse Cæsari quæ sua sunt*, illa solùm dici non dubites, quæ pietati ac Religioni nihil officiunt: nam quod fidei ac virtuti obest, non Cæsaris, sed diaboli tributum & vectigal est". Et rursùs Homil. 23. in Epistolam ad Romanos: " Ne dicerent fideles, inquit, Attenuas nos & contemptibiles facis, dum regno cælorum potituros subdis Principibus: ostendit Apostolus se non tam Principibus, quàm Deo ipsos subjicere. Neque enim ita loquitur quasi Deo obediat, qui Principibus morem gesserit: sed per contrarium potiùs terret, atque idem diligentiùs probat & exactiùs, dicendo, quòd *qui Potestati resistit, Deo resistat, qui Potestates constituerit*. Hoc quoque ubique probare satagit, quòd non gratiam illis, sed debitum obediendo præstemus". Unde & ibidem inferiùs observat Apostolum non dixisse, Date, sed *reddite*: & adjecisse, *debita*: ". Nihil enim, inquit, gratuitò dat, qui hoc fecerit; quia debita res ista est: & si non feceris, perfidi pœnas lues". Et mox iterum: ". Si Paulus ista tunc præcepit, cùm adhuc Principes essent gentiles, multò magis oportet ea fidelibus Principibus adhibere". Et aliquantò adhuc superiùs ibidem: Oportet, inquit, subditos esse non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Quid est, *non solùm propter iram*? Non solùm quòd non subditus adverseris Deo, neque quòd maxima tibi ipsi mala & à Deo & ab hominibus concitas: sed quòd etiam in maximis tibi benefacit Magistratus, dum & pacem & administrationem politicam procurat. Innumera quippè bona Civitatibus per Magistratus proveniunt, quos si sustuleris, omnia simul pessum ibunt: ita ut neque urbes, neque agri, neque domus, neque forum, aut aliquid aliud consistere queat; sed omnia simul subvertantur, potentioribus imbecilliores impunè devorantibus. Itaque etiamsi inobedienti nulla ira immineret, equidem adhuc subjici te oporteret, ne conscientiæ expers videreris, atque erga beneficum ingratus ". Et Homil. 43. in Epistolam ad Hebræos: " Magistratum, inquit, ducem, & rectorem non habere, malum est, & multarum calamitatum argumentum, nec-non inordinatæ perturbationis ac confusionis principium. Quemadmodùm enim si chori coryphæum & ducem sustuleris, non erit ampliùs chorus concinnus & ordinatus; & si à phalange exercitus amoveris Imperatorem, non erit ampliùs numerosa & ordinata acies; & si navigio ademeris gubernatorem, navem demerges: ita quoque si à grege pastorem abstuleris, omnia evertes & delebis. Et malum quidem est atque eversionis occasio Magistratu ac rectore carere, sed non minus malum fuerit non obediri eis à sibi subjectis. Idem quippe rursus continget: siquidem populus Magistratui ac rectori non parens, similis ei est qui non habet, imò fortè etiam deterior". Et in Psalmum 148. " Paulus, inquit, in Epistola ad Romanos sapientissimè ostendit hoc fuisse opus divinæ providentiæ, universum divisisse in eos qui Magistratum gerunt, & in eos qui Magistratui parent: *Dei enim*, inquit, *minister est, tibi in bonum*. Si hoc sustuleris, universum interit".

G. Idē apud Prosp. Sententiâ 94.

H Prosper Epigram. 94.

I Chrysost. Homil. 71. in Matthæũ. Mat 22. 20.

Ibid. v. 21.

Rom. 13. 7.

Ibid. v. 2.

Vide Theophylactum & Oecumeniũ in cap 13. ad Roman. & in cap. 3. ad Titum. & in c. 13 ad Hebræos.

interit". Chrysostomi item discipulus Isidorus Pelusiota advertit Apostolum non dixisse, non est Præfectus nisi à Deo, sed *non est Potestas nisi à Deo*: quo fit ut hæc suspicienda sit tanquam bona, etiam in Præfecto non bono: K. Nam quòd inter homines Imperia & Magistratus sint, atque alij imperent, alij pareant; ne temerario ac cæco impetu omnia ferantur, populis videlicet instar fluctuum huc atque illuc sese agitantibus: hoc à divina sapientia proficisci Paulus ait".

K. Isidorus Pelus. lib. 2. Epist. 216.

CCCVII. Isidoro Pelusiotæ contemporaneus Cyrillus Alexandrinus, Theodosium juniorem Imperatorem, Theodosij Magni ex Arcadio filio nepotem, sic alloquitur: L. Supremum humanæ gloriæ culmen, longè maximo discrimine cæteris omnibus antecellens ac præstans, præclara itidem sors munusque perillustre, à divina Majestate & excellentiâ in vos defluxit: nempè quo summæ illius celsitudinis & dignitatis quoddam vestigium & quasi simulachrum in terris quoque extaret. Igitur ut summo illi Numini omne genu incurvatur, Thronique, Dominationes, Principatus ac Potestates prona submittentes colla congruis illud laudibus & hymnis venerantur, necnon cælum terramque plena ejusdem gloriâ Majestateque esse profitentur: ita in vestra quoque Serenitate, apprimè conspicuâ ac gloriosâ, venustam quandam summæ illius gloriæ imaginem intueri licet. Vos etenim omni terreno fastigio superiores, amplissimarum dignitatum fontes estis: vos humanæ felicitatis principia & origines, clementissimis Majestatis vestræ nutibus ad justam honestamque vivendi rationem promovetur quicquid usquam est gentium solijs regni vestri substratum". Quibus ille verbis Imperialem dignitatem ac Potestatem ex divina ordinatione descendere, & supernæ Majestatis similitudinem gerere testatur. Consonat item Epiphanius, non solùm in compendiaria Catholicæ doctrinæ explanatione, quatenùs inter Philosophorum hæreses recenset Democriti dogma, asserentis, *Non oportere sapientem legibus obedire, sed liberè vivere*: sed insuper in Panario, ubi præmissis Apostoli Rom. 13. verbis, subinfert: M. Vides quòd Potestas hæc mundana ex Deo ordinata sit, & gladij jus accepit non aliundè, quàm ex Deo, ad ultionem. Nec possumus dicere, eò quòd Principatus & Potestates in Mundo sint, Regem horum non esse: sed & hos, & illum esse. Quemadmodùm igitur in terra videmus Principatus non contrarios Regi, sed subditos in administrationes totius regni, & ad bonam ordinationem terræ, ubi cædes & pugnæ, ignorantiæ & doctrinæ, bonæ item leges & iniquitates. Et hac de causa sunt Potestates, ut ad bonum ordinem gubernationis universi Mundi omnia ex Deo benè disponantur atque administrentur. Sic etiam in cælo, signanter illic ubi non invidia, non æmulatio, non iniquitas, non contrarietas, non seditio, non perjurium, non rapina, neque aliud quidquam tale, Potestates ob aliud negotium ordinatæ sunt: utique propter modulationem laudis, propter supernam immortalemque glorificationem; propter quam voluit libera-lis noster Deus ac Rex largiri unicuique ex his quæ facta sunt ab ipso gloriam convenientem, quò regni ipsius claritudo ac jucunditas semper glorificetur". Beatus quoque Gregorius Papa ex hierarchica subordinatione cælestium spirituum colligit consimilem subordinationem humanarum Potestatum: N. Ad hoc, inquiens, dispensatio nis divinæ provisio gradus diversos, & ordines constituit esse distinctos: ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, una concordiæ fieret ex diversitate contextio, & rectè officiorum gereretur administratio singulorum. Neque enim universitas aliâ poterat ratione subsistere, nisi eam hujusmodi magnus differentiæ ordo servaret. Quia verò quæque creatura in unâ eâdemque qualitate gubernari vel vivere non potest, cælestium militiarum exemplar nos instruit: quia dum sunt Angeli, & sunt Archangeli; liquet quòd non sint æquales, sed in potestate & ordine differt alter ab altero. Si ergò inter hos, qui sine peccato sunt, istam constat esse distinctionem, quis hominum abnuat huic se dispositioni libenter submittere, cui novit etiam Angelos obedire"? Joannes Damascenus Regibus patendum esse asseverat, quando se intra limites politicæ administrationis cohibent, secùs si alienam jurisdictionem usurpent: O. Dominus, inquit, cùm ad ipsum tentandi gratiâ Scribæ & Pharisæi accessissent, ut eum sermone irretirent, & quæsissent ex eo, liceretne Cæsari censum dare, necne? *Ostendite*, inquit, *mihi numisma*. Quod cùm illi ostendissent: *Cujus*, inquit, *habet imaginem*? Respondentibus autem illis, *Cæsaris*: ait, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo*. Paremus tibi, ô Rex, in ijs quæ ad vitæ civilis negotia pertinent, ut in tributis, vectigalibus, congiarijsque solvendis; quorum tibi, quantùm ad nos spectat, munus est creditum ac demandatum. At in Ecclesiasticis rebus statuendis ac decernendis habemus pastores, *qui nobis locuti sunt verbum*, & leges atque instituta Eccle-

L. Cyrillus Alex. lib. de recta in Deū fide, ad Imp. Theod.

Democriti error.

M Epiphan. Hæresi 40.

N Gregor. lib 4. Regist. Epist. 52

O. Damasc. Orat. 1. de imaginibus. Vide Bedam in cap 22. Matth. & in c. 12. Marci, & in c. 20. Lucæ, & Haymonem in cap. 13 ad Romanos.

Heb. 13. 7.

Prov. 22. 28. ,, Ecclesiastica tradiderunt. *Non transferimus*
,, *terminos sempiternos, quos nobis Patres nostri*
,, *constituerunt*: sed quæ nobis præscripta sunt,
ea ut accepimus tuemur ac defendimus". Simile quidpiam à magno Hosio olim perscriptum legimus ad Constantium Cæsarem, qui Arianâ perfidiâ infectus, nec Imperiali dignitate contentus, Ecclesiastica jura sibi arroganter usurpabat. Unde ait ei Hosius Antistes: [P] Ne te immisceas Ecclesiasticis, ne-
,, que nobis in hoc genere præcipias; sed po-
,, tiùs ea à nobis discas. Tibi Deus Impe-
,, rium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ
,, concredidit. Et quemadmodùm qui tuum
,, Imperium malignis oculis carpit, contra-
,, dicit ordinationi divinæ; ita & tu cave ne
,, quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno
,, criminis obnoxius fias: *Date*, scriptum est,
,, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ Dei, Deo*".
Sicut ergò immani crimine se polluit, qui Deo quæ Dei sunt subtrahit: ita & qui Principi obsequia vel subsidia debita denegat. Quod secum perpendens Bernardus: [Q] Si
,, totus orbis, inquit, adversùm me conju-
,, raret, ut quidpiam molirer adversùs Re-
,, giam Majestatem: egò tamen Deum time-
,, rem, & ordinatum ab eo Regem offen-
,, dere temerè non auderem. Nec enim ig-
,, noro ubi legerim: *Qui Potestati resistit, Dei ordinationi resistit*". Bernardo contemporaneus Hugo Victorinus: [R] Potestas terrena,
,, inquit, pertinet ad vitam terrenam, & om-
,, nia quæ ad terrenam vitam spectant sub-
,, jecta sunt terrenæ Potestati. Hæc autem
,, omnia dupliciter pertinent ad jus terrenæ
,, Potestatis, ut videlicet ipsa terrena Potestas
,, hæc & possidentibus secundum justitiam
,, distribuat, & contra impugnantium inju-
,, stitiam defendat. Sicut autem Prælatorum
,, debitum est subjectis possidenda justè dis-
,, pensare, & eos contra injustitiam defendere:
,, sic subjectorum debitum est secundùm in-
,, stituta legum, & rationabiles consuetudi-
,, nes, Prælatis & in se, & in suis, servitium exhibere". His consonans Joannes Sarisberiensis, [S] Ego quidem, inquit, non
,, tantùm bonis & modestis, sed etiam dys-
,, colis arbitror serviendum in omni humi-
,, litate & reverentiâ; fideliter tamen, & in
,, cultu Potestatis Dominum venerandum,
,, à quo est instituta. Unde & Hebræi præ-
,, cipiuntur *orare pro Babylonijs*, quia in pace Hier. 29. 7.
,, Principum quies est populorum: & Christus
,, ipse *Cæsari tributa* à fidelibus censuit esse Mat. 22. 21.
solvenda". Et superiùs ibidem cap. 25. "Per-
,, suasus sum, inquit, devotos humeros sup-
,, ponere Potestati: nec modò fero eam, sed
,, grata est, dum Deo subjecta est, & illius or-
,, dinem sequitur. Alioquin si divinis relu-
,, ctetur mandatis, & me theomachiæ suæ
,, velit esse participem, liberâ voce respondeo,
,, Deum cuivis homini præferendum. Sic ergo
,, cohæreant inferiora superioribus, sic uni-
,, versa membra se subjiciant capiti, ut religio servetur incolumis". His addo Laurentium Justinianum, Venetorum Patriarcham, ita scribentem, [T] Quis dicere audeat, tributa regia
,, ac vectigalia civilia fore prohibita? Non
,, sunt illa deneganda tributa, quæ ad Pote-
,, statum onera ferenda honestè & non tyran-
,, nicè ordinata sunt: quæ si deessent, prorsùs
,, dignitates redigerentur ad nihilum. Pote-
,, statibus non existentibus, ubi justitia? ubi
,, ordo? ubi regimen? ubi legum decreta?
,, ubi obedientia subjectorum? Nempe uni-
,, versa præ confusione deficerent. Ad coër-
,, cendos ergo malos, timoremque incutien-
,, dum indisciplinatis, dispositæ sunt leges;
,, Prælati, Principes, atque Judices ordinati.
,, Audi quid Paulus dicat: *Omnis*, inquit, *ani-*
,, *ma Potestatibus sublimioribus subdita sit: non est*
,, *enim Potestas nisi à Domino. Quæ autem sunt,*
,, *à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit.*

P. Hosius apud Athanas. in Epist. ad solitariã vitam agentes.

Mat. 22. 21.

Q. Bernard. Epist. 170.

Rom 13. 2.

R. Hugo Victor lib. 2. de Sacram. p. 2 cap 6. Vide ibid. c. 7. 8. & 9.

S. Ioan. Sarisb l. 6. Polycrat c. 27. Vide eund. l. 4 c 1. & 2. & lib 5. c. 4. & l 8. c. 18.

T. Laurent. Iustin lib de triumph. Christi agone c. 12. Vide eund. lib. de Obedientia c. 4.

CAPUT

CAPVT LXXXI.

Libertini plerunque ex odio legum prosiliunt in odium Regum, uti & ex amore libertatis in odium legum. Prima ambitionis species est libertatis affectatio, quam subsequitur affectatio dignitatis, cui succedit affectatio authoritatis, cujus pedissequa est affectatio potestatis. Harum prima Luciferum è calo deturbavit, & de Angelo diabolum fecit. Luciferi superbientis symbolum, Similis ero Altissimo: *Michaëlis obviantis classicum*, Quis sicut Deus? *Lucifero unde indita nomina* Sathanæ, Diaboli, Serpentis, Draconis? *Eodem affectatæ libertatis telo diabolus salutem humanæ immortalitatis impetijt, quo vitam suæ beatitudinis pridem extinxerat. Adam fit servus apostata, dum liber vult esse justitiæ. Dei præcepta cur dicantur* Via, Lex, Testimonia; Mandata, Justificationes, Judicia, Sermones, Eloquia; Mirabilia; Æquitas, Verba, Veritas, Justitia? *Quâ ratione* Leviathan *factus sit ut nullum timeat? Iactantiæ januam diabolus quâ irreperet quæsivit, quando protoplastis per organum serpentis insonuit,* Eritis sicut Dij. *Quemadmodùm in lapsu diaboli, sic & in casu hominis, initium prævaricationis fuit ambitio libertatis.*

CCCVIII. CVm non minùs reipsâ, quàm vocabulo affines sint *Rex* & *Lex*, consentaneum est ut qui hostes sunt legum, hostés sint & Regum. Neque enim ob aliud ferè subditi prosiliùnt in odium suorum Regum, quàm ex odio legum. Odium porrò legum parit amor libertatis, quem Richardus Victorinus statuit primam speciem ambitionis: V. Nihil „ aliud est ambitio, ait ille; quàm honoris „ affectatio. Prima autem species hujus mali „ est affectatio libertatis, secunda affectatio „ dignitatis, tertia affectatio auctoritatis, „ quarta affectatio potestatis. Ecce quomodò „ ambitio in quatuor se capita dividit, cui „ omnis hypocritarum actio subservit: liber„ tatis affectatio est, quando quis jam subterfugirat alijs subesse". Quoniam igitur lex habet se instar vinculi cujusdam, quo quis alteri colligatur tanquam subditus superiori; quisquis subesse subterfugit, legem odit, & ex hoc legis odio in legislatoris odium prorumpit. Primum hujus perversæ cupidinis authorem si quæras, ille tibi occurret qui in corde suo dixisse perhibetur. *Similis ero Altissimo.* Quid est *Altissimus*, nisi supremâ potestate pollens, superiorem neminem agnoscens, nullius legibus obnoxius, nullius obsequio obstrictus; adeoque liber, immunis, exlex, absolutus, sui juris? Huic itaque similis fieri affectavit malignus ille spiritus, qui in corde suo dixit, *Similis ero Altissimo*: tanquam diceret, libertatem mihi vendicabo, exlex fiam, mei juris evadam, *confringam jugum meum, rumpam vincula mea, & non serviam.* Huic ejus ambitioni, seu libertatis affectationi confestim se opposuit cœlestis ille Spiritus, qui ab eventu consecutus est nomen *Michaëlis*, quod interpretatum sonat, *Quis ut Deus?* W. Ex „ illo certamine magno & mirabili, inquit Ru„ pertus, pulcho nomine & honore donatus „ unus & primus de militiæ cælestis Principi„ bus gloriosè redijt: nomine videlicet, ut „ exinde vocaretur *Michaël*: honore, ut non „ solùm Angelorum, verùm etiam hominum „ habentium Dei verbum, ipse sit Princeps. „ Sic enim Danieli de illo ab Angelo dictum „ est, *Ecce Michaël unus de Principibus primis* „ *venit in adjutorium meum*: Item, *Verumta„ men annuntiabo tibi quod expressum est in Scri„ ptura veritatis: & nemo est adjutor meus in om„ nibus his, nisi Michaël Princeps vester*: Itemque „ post aliqua, *In tempore autem illo consurget Mi„ chaël Princeps magnus, qui stat pro filijs po„ puli tui: & veniet tempus quale non fuit ab eo „ quo Gentes esse cœperunt, usque ad tempus illud.*

Pp Cùm

V. Richard. Victor. l. 3. de Eruditione interior. hominis c. 33.

Isa. 14. 14.

Hier. 2. 20.

W. Rupert. l. 1. de Victoria verbi Dei cap. 18. Vide Laur. Iustinian. Sermon. de Sancto Michaële. & Bernat. Ser. 2. in calendis Novem. de verbis Isaiæ. & Serar. in c. 5. Iosue q. 40. & seqq. & Lorinum in Epist Iudæ v. 9 & Blasii Viegas in c. 12. Apocal. Comment. 1. Sect. 16. & 17.

Dan 10 13. Ib v. 21.

Dan. 12. 1.

„ Cùm dicitur; *Qui stat pro filijs populi tui*, loquens illi cujus populo soli creditum & notum tunc erat verbum Dei, diciturque ei, *Princeps vester magnus*; profectò constat, quia Princeps est omnium, usque ad finem sæculi, qui verbum Dei credunt & confitentur. Et hoc honore vel Principatu donatus est, ex quo contra diabolum dicentem, *Deus ego sum*, restitit, ut diceret, *Quis sicut Deus?* & vincendo illum probavit, quia nullus est alius sicut Deus. Hinc, ut jam dictum est, nomine quoque est donatus, ut *Michael* vocaretur: *Michaël* namque interpretatur, *Quis sicut Deus*. Iste & tunc in cælo victor effulsit, & nunc in Ecclesia, quæ ad cælum tendit; unde & ipsa cælum dicitur, quia cælestem vitam ducit, eundem antiquum hostem vincit, sicut mystica Apocalypsis continet Scriptura: *Et factum est*, inquiens, *prælium magnum in cælo: Michaël & Angeli eius pugnabant cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius* &c. Magnus igitur Princeps iste est, Princeps belli divini; verbum autem Dei, belli ejusdem virtus est". Tractat præterea idem Rupertus ibidem capite proximè sequenti de Angelorum beatorum jubilo; cujus mentio habetur in libro Job: ac tum subdit cap. 20. "Quale autem putamus hujus laudationis vel jubilationis initium fuisse? Quid pulchrius eo quod sonat ipsum nomen *Michaël*? Quid ad tonandam laudem sonorius quàm istud, *Quis sicut Deus*? Nimirùm res ipsa ferebat, ut sic intonantes *laudarent atque inbilarent*, quatenùs in ipso laudis & jubilationis exordio victum illum (*Luciferum*) stultitiæ magnæ redarguerent, qui sibi videbatur esse sicut Deus; & verum ac solum Deum dignè magnificarent, quòd ei similis esse non possit alius". Cùm igitur Lucifer ambitione libertatis inflatus dixisset in corde suo, *Similis ero Altissimo*, eoque velut classico complures alios Angelos ad theomachiam instigasset; reliquorum Angelorum antesignanus intonuit, *Quis sicut Deus*? Tanquam diceret Lucifero, Quis es tu qui audeas Dei tibi arrogare similitudinem? Eoque symbolo, ad imitationem ducis, cæteræ acies usa pugnavit, vicit, & hostilem ducem cum suis complicibus cælesti ab arce fulminavit. Innuit quoque Rupertus, proximè relatus, victricem aciem etiam post victoriam usurpasse idem ipsum symbolum, tanquam jam victis insultantem. Exinde itaque Primati cælestis exercitùs adhæsit nomen *Michaëlis*, quòd latinè redditum sonat, *Quis ut Deus*. Exinde quoque dux partis adversæ cœpit dici *Sathanas*, id est, adversarius: [X] Ex eo, inquit idem Rupertus, *Sathanas* dicitur & est, ex quo adversari cœpit verbo Dei, & inter Angelos seditionem fecit, turbator pacis, rebellisque lumini. Deinde, sive proinde, accepit sententiam, juxta quam dicitur *Diabolus*, id est deorsùm fluens: unde Dominus, *Videbam*, inquit, *Sathanam sicut fulgur de cælo cadentem*. Post hæc egit cur meritò vocetur *Serpens antiquus*, videlicet quando primum decepit hominem, serpentem ingressus. Deinde proficiens in pejus egit cur vocetur *Draco*, & non qualiscunque, sed *Draco magnus*, *Draco rufus habens capita septem*, quandò qui antiquitùs seducere per fallaciam consueverat universum orbem, addidit cum fallacia vim quoque, quâ Reges, & Principes, ac superbos homines instigavit ad persequendum & occidendum electos, propter verbum Dei. Quod primum cœpit agere statim ubi ad Abraham facta est repromissio beati seminis, quod est Christus".

Ezech. 28. 2. — *Apoc. 12. 7.* — *Iob. 38. 7.* — X. Rupert. ibid. cap. 6. — *Vide Cyrill. Hierosol. Catech. 2.* — *Luc. 10. 18.* — *Apoc. 12. 3. & 9.*

CCCIX. Cùm ex jam dictis liqueat, unde primam suam originem sumpserit ambitio libertatis, restat ut disseramus de progressu ejusdem pravæ cupiditatis: [Y] Diabolus malus, inquit Basilius, Deo adversatur, non ex natura, sed malâ voluntate habens malitiam. Quæris igitur, unde illi sit contra nos bellum? Quoniam cùm omnis mali promptuarium ipse existeret, invidiæ quoque morbum in se recepit; & invidit nobis illatum honorem, nec facilè tulit vitam in paradiso beatam nos ducere. Quamobrem dolis hominem aggressus, eâdem ambitionis cupiditate, quam ipse ab initio habuit, *velle similem esse Deo*, rursùs ad decipiendum nos usus, lignum ostendit; per cujus degustationem pollicitus est hominem fore similem Deo: *Si comederitis*, inquiens, *eritis veluti Dij, malum ac bonum agnoscentes*". Suo igitur malo edoctus Sathan quàm exitiosa affectio sit libertatis ambitio, dum gestijt habere novos socios in pœna, habenas laxavit invidiæ: [Z] Incentor ille, ait Leo Papa, authorque peccati, primùm superbus ut caderet, deinde invidus ut noceret; quia in veritate non stetit, totam vim suam in mendacio collocavit, omniaque deceptionum genera de hoc venenatissimo artis suæ fonte produxit, ut ab illo bono, quod ipse propriâ elatione perdiderat, spem humanæ devotionis excluderet; eosque in consortium damnationis suæ traheret, ad quorum ipse reconciliationem pertinere non posset". De eodem & Gelasius: [A] Degener factus, inquit, ac de cælesti sede pro hac ipsa degeneratione seclusus, secundæ conditionis imagi-

Y. Basil. Homil. Quod Deus non sit author malorum. Vide Damascen lib. 2. Parall. c. 5. — *Isa. 14. 14.* — *Gen. 3. 5.* — Z. Leo Ser. 4 de Collectis & eleemosyna. Vide Aug. lib. 14 de Civit. c. 13. — A Gelasius Papa Opusc. contra Pelagianos.

„imaginem Dei per invidiam flammatus „evertit: iisdem motibus aggrediens in se„curitate degentem, quibus de summis ad ima malè confisus ipse ciderat". Consonat quoque Prosper Aquitanicus: B. Inter „omnes, inquiens, lapsus hominum, inter „omnia commissa peccantium, nulla est gra„vior, quàm superborum ruina, maximè „cùm ipsa elatio in Dei tendit injuriam. „Nam aliter inflantur, qui cupiditate extol„lentiæ singularis omnibus appetunt ante„ferri; aliter verò intumescunt, qui Dei „auxilium refutantes, quæ fieri sine ipsius „ope non possunt, ex sua perfici virtute con„tendunt, & spem suam à Domino aufe„runt, atque ad se transferunt: ut adim„pleatur in eis quod scriptum est, *Maledictus „homo qui spem habet in homine, & firmat car„nem brachij sui, & à Domino discedit cor eius.* „Hæc superbia à diabolo sumpsit exordium, „qui quoniam suâ, quam à Creatore acce„perat, potentiâ & dignitate sibi placuit, „seque authoris sui gloriæ comparavit; cum „iis Angelis, quos in consensum impieta„tis suæ traxerat, à cælesti sublimitate de„jectus est: & ideò primis hominibus no„cere potuit, quia illis malè credulis per „mendacia venenata persuasit, ut meliores „se futuros putarent si in libertate sui arbi„trij prosilirent quàm si in legis datæ custo„diâ permanerent". Huc item spectat illud ejusdem Prosperi in Responsione ad tria priora Excerpta Genuensium: " Credendo „Adam diabolo, non credidit Deo; & cùm „spiritu superbiæ inebriatus esset, discessit „à Domino cor ejus: & factus est servus apostatæ, dum liber vult esse justitię". Ubi nomine *justitiæ* intelligenda venit Lex Dei, quæ passim in Scripturis appellatur *justitia*, prout signanter ex Psalmo 118. colligitur; & ex professo perhibet Hugo Victorinus, cùm ait: C Præcepta Dei multis nominibus signi„ficantur: Via, Lex, Testimonia, Mandata, „Justificationes, Judicia, Sermones, Eloquia, „Mirabilia, Æquitas, Verba, Veritas, Justi„tia. *Via* dicuntur, quia eo faciendo perve„nimus ad vitam: *Lex* dicuntur, quia observa„tionum ritu proposito ligant: *Testimonia* di„cuntur, quia evidenter admonent, pœnis, vel „promissis, vel præmijs, vel donis contestan„tia: *Mandata* dicuntur, quia facienda indi„cant: *Justificationes* dicuntur, quia impleta à „reatu liberant: *Judicia* dicuntur, quia uni„cuique pro merito debitam retributio„nem pronuntiant: *Sermones* dicuntur, quia „narrando instruunt: *Eloquia* dicuntur, quia „apertè significant: *Mirabilia* dicuntur, quia „insolita præcipiunt, & incognita promit„tunt: *Æquitas* dicuntur, quia secundùm justi„tiam facta sunt: *Verba* dicuntur, quia signi„ficationes Dei sunt ad homines: *Veritas* di„cuntur, quia ita est ut dicunt: *Justitia* di„cuntur, quia nihil inordinatum continent". Quod igitur Prosper asserit de Adamo, quòd *factus sit servus apostatæ, dum liber vult esse justitia*, congruenter exponitur in hunc sensum: Adam incurrit servitutem sub jugo diaboli, affectando libertatem à lege Dei. Quem sensum illustrant quæ ex eodem Prospero superiùs descripsimus, ubi dixerat diabolum primis hominibus persuasisse, *ut meliores se futuros putarent, si in libertate sui arbitrij prosilirent, quàm si in legis datæ custodiâ permanerent.* Huic item sensui congruit quod ait Papa Gregorius: D. Scriptum est, inquiens, *Omnis peccati initium „superbia.* Per hanc enim Diabolus succubuit, „per hanc se sequentem hominem stravit: eo „etenim telo salutem nostræ immortalitatis „impetijt, quo vitam suæ beatitudinis extin„xit". Hoc porrò superbiæ telum quo ille beatitudinis suę vitam extinxit, adeòque immortalitatis nostræ salutem impetijt, non aliud fuisse quàm libertatis ambitionem, indicat idem Gregorius ibidem capite proximè præcedenti, ubi de diabolo exponens quod scriptum est in libro Job, *Factus est ut nullum timeret:* " Sic quidem factus est per naturam, in„quit, ut Conditorem suum castè timere de„buisset, timore videlicet sobrio & securo; non „timore *quem foras mittit charitas*, sed timore „*qui in sæculum sæculi permanet*, id est, quem „charitas gignit. Aliter enim timet conju„gem uxor amans, aliter dominam ancilla „peccans. Sic ergò fuerat iste conditus, qua„tenùs timore læto authorem suum & amans „metueret, & metuens amaret; sed suâ per„versitate talis factus est, *ut nullum timeret:* „ei quippe à quo conditus fuerat, subesse „despexit. Ita enim Deus super omnia est, „ut ipse sub nullo sit. *Leviathan* verò iste cel„situdinis ejus culmen aspiciens, jus perver„sæ libertatis appetijt, ut & præesset ceteris, „& nulli subesset, dicens: *Ascendam super al„titudinem nubium, & similis ero Altissimo.* Cujus „eo ipso similitudinem perdidit, quo esse ei „superbè similis in celsitudine concupivit. „Qui enim charitatem ejus imitari debuit, „subditus ambijt ejus celsitudinem, & hoc „quod imitari poterat amisit elatus. Celsus „nimirum esset, si ei, qui veraciter celsus est, „inhærere voluisset: celsus esset, si par„ticipatione veræ celsitudinis contentus „fuisset. Sed dum privatam celsitudinem „superbè appetijt, jure perdidit participatam: „relicto enim eo cui debuit inhærere princi„pio, suum sibi appetijt quodammodò esse „principium: relicto eo qui verè ei suffi„cere poterat, se sibi sufficere posse judicavit; „& tantò magis infra se cecidit, quantò ma„gis se contra gloriam sui Conditoris erexit.

B. Prosper Epist. ad Demetriad c. 8. Vide lib. de Ingratis c. 41.

Hier. 17. 5.

C. Hugo Victorin Annot. in Psalmos c. 48.

D. Greg. lib. 14. Moral. cap. 18. Eccli. 10. 15.

Iob. 41. 24.

1. Io. 4. 18. Psal. 18. 10.

,, Nam quem exaltabat libera servitus, de-
,, jecit captiva libertas: quâ libertate nunc, *ut*
,, *nullum timeat*, effrænatur; sed ipsâ graviter
,, effrenatione restringitur. Superno enim ju-
,, dicio cuncta mirabiliter ordinante, vinxit
,, illum libertas quam appetijt, quia nunc
,, omnimodò non timens omnibus supplicijs
,, subjacet, qui elementis etiam superesse po-
,, terat, si unum quem debuit timere vo-
luisset". Ex quibus Gregorij verbis planum
fit, diabolum cecidisse *perversa libertatis appe-
titione*, quâ nimirùm ambivit *ut & cæteris præ-
esset, & nulli subesset*. Cùm igitur juxta eun-
dem Gregorium superiùs relatum, eodem
telo diabolus hominem dejecerit, quo fuerat
ipse dejectus, consectariè conficitur lapsum
hominis eidem *perversa libertatis appetitioni*
adscribendum esse.

CCCX. Inter omnes Patres nemo cla-
riùs aut crebriùs eandem sententiam tradi-
disse videtur, quàm Augustinus. Docet quip-
pe is inprimis, perindè ac Gelasius & Gre-
gorius superiori §. relati, diabolum eodem
telo hominem prostravisse, quo fuerat ipse
E Aug. lib. de Nat. & grat. c. 29. Vide lib. 14 de Civit. c. 13 & Epist. 120. c. 21. Eccli. 10. 15. antea prostratus: E. Ideò, inquiens, verissi-
,, mè dictum est, *Initium omnis peccati superbia*:
,, quoniam diabolum, à quo extitit origo
,, peccati, ipsa dejecit; & subsequente invi-
,, dentiâ, hominem stantem, unde ipse ce-
,, cidit, inde subvertit. Nam utique jactantiæ
,, januam, quâ intraret, serpens ille quæsivit
Gen. 3. 5. quando ait, *Eritis sicut Dij*". Rursùs hanc su-
perbiam, quâ diabolus elisus hominem eli-
sit, in perversa libertatis affectatione sitam
fuisse, tradit idem Augustinus apertè, cùm
agens de arbore vetitâ in medio paradisi
F Idē Concione 2 in Psalm. 70. Gen. 2. 17. plantatâ: F. Ideò, inquit, arbor illa appellata
,, est *scientia boni & mali*, non quia talia quasi
,, poma pendebant: sed quicquid esset arbor
,, illa, cujuslibet pomi, cujuslibet fructûs
,, esset, ideò sic vocata est, quia homo qui
,, nollet bonum à malo discernere per præ-
,, ceptum, discreturus erat per experimen-
,, tum; ut tangendo vetitum, inveniret sup-
,, plicium. Quare autem tetigit? Quid illi
,, deërat? Dicatur mihi, quid illi deërat in
,, paradiso, constituto in media opulentia,
,, medijsque delicijs, cui magnæ deliciæ erant
,, ipsa visio Dei, cujus faciem quasi inimici
,, timuit post peccatum? Quid illi deërat, ut
,, tangeret, nisi, quia suâ potestate uti voluit,
,, præceptum rumpere delectavit: ut nullo
Gen. 3. 5. ,, sibi dominante *fieret sicut Deus*, quia Deo
,, nullus utique dominatur? Malè vagus,
,, malè præsumens, futurus mortuus rece-
,, dendo à via justitiæ: ecce solvit præceptum,
,, excussit à cervice jugum disciplinæ, habe-
,, nas regiminis exaltante animositate diru-
,, pit. Ubi est nunc? Ecce captivus clamat,
Psal. 70. 19. ,, *Domine, quis similis tibi*? Volui esse perversè
,, simili tibi, & factus sum similis pecori. Sub
,, tua dominatione, sub tuo præcepto verè
,, similis eram: sed *homo in honore positus non* Psal. 48. 21.
,, *intellexit, comparatus est jumentis insensatis, &*
similis factus est illis". Et rursùs lib. 14 de Civit.
cap. 15. ita ait: " Quia contemptus erat Deus
,, jubens, qui hominem creaverat, qui ad
,, suam imaginem eum fecerat, qui cæteris
,, animalibus præposuerat, qui in paradiso
,, constituerat, qui rerum omnium copiam
,, salutisque præstiterat, qui præceptis nec
,, pluribus nec grandibus nec difficilibus one-
,, raverat, sed uno brevissimo atque levissi-
,, mo ad obedientiæ salubritatem admini-
,, culatus fuerat, quo eam creaturam, cui
,, libera servitus expediret, se esse dominum Vide Aug. lib de Spir. & litt. c. 9 &
,, commonebat; justa damnatio subsecuta est, Fulgent. l. 1.
,, talisque damnatio, ut homo, qui custo- ad Monimi
,, diendo mandatum futurus fuerat etiam cap. 17.
,, carne spiritalis, fieret etiam mente carnalis:
,, & quia suâ superbiâ sibi placuerat, Dei
,, justitiâ sibi donaretur; nec SICUT AF-
,, FECTABAT, in sua esset omnimoda po-
,, testate, sed à seipso quoque dissentiens, sub
,, illo, cui peccando consensit, pro LIBER-
,, TATE QUAM CONCUPIVIT, du-
ram miseramque ageret servitutem". Et lib.
13. ejusdem Operis cap. 13. loquens de ambo-
bus protoplastis: " Senserunt, inquit, novum
,, motum inobedientis carnis suæ, tanquam
,, reciprocam pœnam inobedientiæ suæ. Jam
,, quippe anima LIBERTATE in perversum
,, propriâ DELECTATA, & DEO DE-
,, DIGNATA SERVIRE, pristino corporis
servitio destituebatur". Et iterùm lib. 2. de
Genesi contra Manichæos cap. 15. " Quo
,, autem modo, inquit, Serpens ille peccatum
,, persuaserit, diligenter considerandum est;
,, pertinet enim maximè ad nostram salutem:
,, nam ideò hæc scripta sunt, ut jam talia ca-
,, veamus. Nam cùm interrogata mulier re-
,, spondisset quid eis præceptum esset, ait ille:
,, *Non morte moriemini, scit enim Deus, quoniam* Gen. 3 5.
,, *quâ die manducaveritis ex illo, aperientur oculi*
,, *vestri, & eritis sicut Dij, scientes bonum & ma-*
,, *lum*. Videmus his verbis per superbiam pec-
,, tum esse persuasum, ad hoc enim valet
,, quod dictum est, *Eritis sicut Dij*: sicut etiam
,, hoc quod dictum est, *Scit enim Deus, quoniam*
,, *quâ die manducaveritis ex eo, aperientur oculi*
,, *vestri*. Quid hìc intelligitur, nisi persuasum
,, esse, ut sub Deo esse nollent, sed in SUA
,, POTESTATE POTIUS SINE DOMI-
,, NO, ut legem ejus non observarent, quasi Vide Aug. l. 8 de Gen. ad lit. c. 13.
,, invidentis sibi ne se ipsi regerent, non indi- & lib. 2. de
,, gentes ipsius interno lumine, sed utentes Genes. con-
,, propriâ providentiâ, quasi oculis suis, ad tra Manich.
,, dignoscendum bonum & malum; quod ille cap. 17.
,, prohibuisset? Hoc est ergo quod persuasum
,, est, ut SUAM POTESTATEM NIMIS
AMA-

„AMARENT; & cum Deo esse pares vellent, illâ medietate, per quam Deo subjecti „erant, & corpora subjecta habebant, tanquam „fructu arboris in medio paradisi constitutæ, „malè uterentur, id est, contra legem Dei: „atque ita quod acceperant amitterent, dum „id quod non acceperant usurpare voluerunt. Non enim accepit humana natura, ut „per suam potestatem, Deo non regente; „beata sit: quia, nullo regente; per suam „potestatem beatus esse, solus Deus potest". Patet igitur primos homines, juxta Augustini sententiam, inordinatè affectasse libertatem propriam: ut in hoc fierent Deo similes; quòd sicut ille sui juris ac providentiæ est, nullius legibus obstrictus, nullius imperio subditus, nullius regimini obnoxius; ita & ipsi fieri ambierint. Porrò id ambiendo, non Deo, sed diabolo deceptori suo similes evaserunt; dicente alibi eodem Augustino [G]. Vi„vendo secundùm seipsum, hoc est, secun„dùm hominem, factus est homo similis dia„bolo; quia & ille secundùm seipsum, vi„vere voluit, quando *in veritate non stetit*". Quid est autem secundùm seipsum vivere; nisi propriâ potestate ac dignitate sibi placere? Unde idem Augustinus ibidem inferiùs cap. 13. addit:" Manifesto apertoque pecca„to, ubi factum est quod Deus fieri prohi„buerat, Angelus hominem non cepisset, „nisi jam ille sibiipsi placere cœpisset. Hinc „enim delectavit quod dictum est, *Eritis sicut Dij*". Sibi igitur ipsi placuerat pridem malus Angelus, quando dixerat in corde suo, *Similis ero Altissimo*: quando teste eodem Augustino ibidem cap. 11.": per superbiam à Deo „ad semetipsum conversus, & quodam quasi „tyrannico fastu gaudere subditis, quàm esse „subditus eligens; de spiritali paradiso cecidit". Sibi deindè ipsi placuit homo, quando ejusdem ambitionis poculum à diabolo propinatum exhausit. Hinc alibi idem Augustinus ait: [H]. Usurpavit sibi diabolus quod „non acceperat: perdidit quod acceperat: & „de ipso calice superbiæ suæ, ei quem deci„pere volebat propinavit: *Gustate*, inquit, *& eritis sicut Dij*". Quid plura, cùm ex hac postremâ Augustini sententiâ, uti & ex Gelasij & Gregorij, & ejusdem quoque Augustini locis superiùs relatis, perspicuum sit, diabolum & primos homines consimili superbiæ fastu corruisse? Quæcunque profectò argumenta suadent aut persuadent diabolum corruisse affectando libertatem, eadem pariter suadent aut persuadent primos quoque homines corruisse ambiendo consimilem libertatem: & vicissim quæcunque probant istud postremum; probant pariter & illud primum. Quo enim peccato diabolus cecidit, eodem & protoplastos dejecit: quo item peccato ceciderunt isti, eodem dejectus fuerat & ille.

G Idem lib. 14. de Civit. cap. 3.
Joan. 1.44.
Vide lib. 11. de Genes. ad litt. cap. 10.
Gen. 3.5.
Isa. 14.14.
H. Idem Enarrat. 1. in Psal. 68.

CAPUT LXXXII.

Libertatis ambitio quàm longè latèque per humanum genus, in protoplasto vitiatum, diffusa? Pro magnitudine primæ transgressionis naturam humanam damnatio mutavit in pejus; ut quod pœnaliter præcessit in peccantibus hominibus primis, naturaliter sequeretur in nascentibus cæteris. Protoplastus tales genuit, qualis fuit ipse cùm gigneret; voluptuosos, curiosos, ambitiosos. Expenditur quod scriptum est, Omne quod est in Mundo, concupiscentia carnis est; & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi. *Ambitionis vitium quod recedentibus à Deo primum fuerat, redeuntibus novissimum est. Ambitio libertatis radix est ambitionis Potestatis, ubique affectans primatum, nuspiam contenta secundatu: in sinu Sacerdotum recubat, Apostolorum cœtui irrepsit, Patriarchas in fratrem instinxit: ejus debellatio est quædam Mundi crucifixio, ac veteris hominis martyrizatio. Tria vota professionis monasticæ, contra totidem scatebras mundanæ concupiscentiæ.*

CCCXI. His ita prælibatis, facilè perspicitur cur libertatis ambitio tam longè latèque inter Adæ posteros grassetur ac serpat: [I]. Pro magnitudine quippe culpæ illius, „naturam damnatio mutavit in pejus: ut „quod pœnaliter præcessit in peccantibus „hominibus primis, etiam naturaliter seque„retur in nascentibus cæteris. Neque enim „homo ita ex homine, sicut homo ex pulvere:

I. Aug. l. 13. de Civit. c. 3.
Vide Serm. 14 de verb. Apost. c. 14.

,, pulvis namque homini faciendo materies
,, fuit, homo autem homini gignendo parens.
,, Proinde quod est terra, non hoc est caro,
,, quamvis ex terrâ facta sit caro: quod est
,, autem parens homo, hoc est & proles ho-
,, mo. In primo igitur homine per fœminam
,, in progeniem transiturum universum genus
,, humanum fuit, quando illa conjugum co-
,, pula divinam sententiam suæ damnationis
,, excepit: & quod homo factus est, non
,, cùm crearetur, sed cùm peccaret & punire-
,, tur, hoc genuit; quantùm quidem attinet
[K Gelasius papa Epist. 7. ad Episcopos per Picenum.] ad peccati & mortis originem". K. Pro-
,, inde quicquid isti genitores de suo germine
,, protulerunt; opus quidem Dei est secun-
,, dùm institutionem naturæ, sed non absque
,, contagio illius mali, quod suâ prævarica-
,, tione traxerunt: & utique hoc idem illius
,, mali contagium, certum est opus non esse
,, divinum. Itaque non ex creatione Dei est
,, vitium, quod voluntario motu natura col-
,, legit; sed Deus etiam de vitiatâ per semet-
,, ipsam naturâ institutionem quidem suæ
,, creationis exequitur, licet creatura profe-
,, rat vitium, quod non ex institutione Crea-
,, toris accepit, sed ipsa per lapsum suæ trans-
,, gressionis assumpsit. Nam si ipsi primi ho-
,, mines, ex nullis parentibus nati, & sine
,, ullo formati contagio, per ambitum præ-
,, sumptionis illicitæ semetipsos depravare
,, potuerunt, & in opere Dei opus diabolicæ
,, fraudis annectere; quid mirum, si ijdem
,, depravati, sobolem protulerunt depravá-
,, tam? Nonne enim cùm Deus utique libe-
,, ram condiderit humanam suâ creatione sub-
,, stantiam, tamen apud humanas etiam leges
,, extrinsecùs accedens servitus naturaliter
,, eandem reddit obstrictam & obnoxiam?
,, Origine generantur obnoxij, & ex servili
,, conditione gignuntur addicti, & nascendo
,, fiunt priùs obligati, quàm geniti. Si hoc
,, agitur de rebus extra naturam positis,
,, quantò magis de his provenire non mirum
,, est, quibus ipsa humana substantia depra-
,, vata fuisse cognoscitur? Ac per hoc, sicut
,, se ipsa humana substantia, de institutione
,, sincera, actuum reproborum reâ fecit vo-
,, luntate pollutam; sic edidit sobolem atque
,, progeniem naturæ suæ, ex actuum suorum
[Vide Chrysost. Hom de Adam & Eva tomo 1. & Per. Diaconum lib. de Incar. & grat. cap 6.] ,, reâ voluntate maculosam: quia hujusmodi
,, genuit prolem, cujusmodi se ipsa reddidit
,, prævaricationis excessu. Ideòque non solùm
,, ex se profert quod bene Deus instituit, sed
,, etiam quod malè ipsa consequenter adjecit".
Quoniam igitur primi nostri parentes ambi-
tione libertatis ceciderant, ejusdem ambitio-
nis somitem non solùm ipsi pœnaliter sibi ac-
civerunt, sed in suos etiam posteros hæredita-
[L. Prosp lib. contra Collat. cap. 19.] riè transfuderunt: L. Liberum ergo arbitrium,
,, inquit Prosper, id est, rei sibi placitæ sponta-
,, neus appetitus, ubi usum bonorum quæ ac-
,, ceperat fastidivit, & vilescentibus sibi feli-
,, citatis suæ præsidijs insanam cupiditatem ad
,, experientiam prævaricationis intendit; bi-
,, bit omnium vitiorum venenum, & totam
,, hominis naturam intemperantiæ suæ ebrie-
tate madefecit". Quò spectat & illud ejus-
dem in Poëmate de Ingratis cap. 37." *Invio-
lata Dei quondam, & sublimis imago, in primo cuncti
sumus patre, dum nemore almo degit, & Edicta pa-
rens cavet arbore ab una. At postquam rupta man-
dati lege; superbum Consilium mixtum invidia de
fonte recepit, corruit: & cuncti simul in genitore
cadente corruimus; Transcurrit enim virosa per om-
nes peccati ebrietas. Corrupti & cordis in alvo per-
sistit, cruda fervet carbunculus esca.* Quodnam
porrò fuerit *superbum* illud *consilium*, exponit
idem Prosper ibidem inferiùs cap. 43. sub-
dens: *Hoc patribus primis mortis sator insinuatus
CONSILIO est, hac arte omnes prostravit in uno:
dum suadet multò præstantius esse, quod ipsis, non
tribuente licet Domino, spenderet habendum pru-
dens libertas, vetitoque instructa cupido.* M Malum [M Cyprian. Serm. de Jejunio & tentationibus Christi.]
,, hoc, inquit Cyprianus, Adamum in para-
,, diso pulsavit & stravit; cùm subjectionem,
,, quam Deo debebat, fastidiens, appetijt
,, dominatum; & cùm vellet esse *sicut Deus*, [Gen. c. 3.]
,, sine Deo se vidit & novit: & conspectam
,, carnis Evæ exhorruit fœditatem, quam
,, licèt operiret, manens tamen perpes ibi
,, contumelia stetit & adhæsit. Ad suasionem
,, diaboli animam vanitatis subjectam dejecit
,, ambitio: poteratque exterminio ejus poste-
,, ritas didicisse, quàm misera mutatio fuit, de
,, delicijs ad spinas & tribulos emigrasse, &
,, rastris ligonibusque avaritiam condemna-
,, tam. Huic malo restitit, & resistere nos
,, Salvator edocuit, ut soli Deo subjectus sit
,, homo quantumcunque profecerit; ut in
,, ipso, imò ipse, sit substantia nostra: & pa-
,, teat nobis, quòd sicut peremptoria est alti-
,, tudo quæsita, ita & periculosissima sit ob-
,, lata: non quod Potestas, *Quæ ex Deo est*, sit [Rom. 13. 1.]
,, damnabilis, aut ordinatio divina peccato-
,, rum sit obstetrix; sed quod excellentiam,
,, cujus Spiritus Sanctus author est, ita de-
,, beat complecti humilitas, ut qui vocatus
,, est superiùs, nesciat se sublimem; & per
,, omnia agnoscat conditio conditorem, &
gratia largitorem".

CCCXII. Nequaquam igitur dubitare [Vide Aug. Enchir. c. 23. & 24.]
debemus, rerum quæ ad nos pertinent bo-
narum causam non esse, nisi bonitatem Dei:
malarum verò, ab immutabili bono deficien-
tem boni mutabilis voluntatem, priùs An-
geli, hominis posteà. Hoc primum est crea-
turæ rationalis malum, id est, prima privatio
boni: deinde etiam jam nolentibus subin-
travit ignorantia rerum agendarum, & con-
cupiscentia noxiarum. Concupiscentia utique
non

1. Joan. 2. 16.

non una, sed trina, sicut scriptum est: *Omne quod est in Mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*[N]. Omnes dilectores Mundi, inquit Augustinus, *Mundus* vocantur: ipsi non habent nisi ista tria, desiderium carnis, desiderium oculorum, & ambitionem sæculi". Unde verò ista habeant, indicat præter alios Chrysostomus; cum de lapsu primi parentis disserens:[O] In isto transgressionis peccato, inquit, in lumbis *Adæ* totus est vitiatus Mundus: & in illo peccato primi hominis facta est de una cupiditate trina cupiditas: ita ut *omne quod est in Mundo*, ut ait Apostolus, *concupiscentia sit ventris*, quod est, *lignum suave ad escam*: & *concupiscentia oculorum*, quod est, *speciosum oculis ad videndum*: & *ambitio sæculi*, quod est; *esse ut Deus*". Non ideò ambitio sæculi postremo loco recensetur, quòd reliquas concupiscentias ordine generationis secuta fuerit, sed quòd ordine corruptionis postrema sit:[P] Quo primo enim vitio lapsa est anima, hoc ultimum vincit. *Initium* autem *omnis peccati superbia est*: & *initium superbiæ hominis, apostatare à Deo*". ¶ Et verè ille immaculatus est, qui hoc etiam delicto caret: quia hoc est ultimum redeuntibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit".[R] Inest enim intimis recessibus voluntatis humanæ appetitus quidam propriæ potestatis; quo fit, ut eam delectet suiipsius esse; nec alteri subjici, etiam Deo. Qui appetitus si jam non esset, nihil in præceptis Dei Molestum esset: & cum hoc primum voluit homo, sine difficultate noluisset. Nam in peccato nihil aliud ab eo appetitum est, nisi non esse sub alterius dominatione; quandoquidem illud admissum est, quod ne admitteretur; sola debebat jussio dominantis attendi. Quæ si attenderetur; quid aliud quàm Dei voluntas attenderetur? Quid aliud quàm Dei voluntas amaretur? Quid aliud quàm Dei voluntas humanæ voluntati præponeretur? Fugax enim animus ab incommutabili sapientia, veritate, ac voluntate, cujus dirigentis arbitrio naturaliter servit ac subjacet, hoc egit, ut suus esset, non alterius; ac loco supremæ æternæque legis ac voluntatis, sibi arbitrij sui quasi lege ac potestate regnaret; non sequendo rectorem Deum, sed suâ lege se gubernando. Quod quantæ sit contumaciæ atque superbiæ, quis non videt? Nec fieri sanè potuit, ut voluntas propria non grandi ruinæ pondere super hominem caderet, cùm eam voluntati potestatique talis ac tanti superioris extollendo præponeret. Unde secutum est ex debita justaque pœna tale vitium, ut jam molestum sit divinæ voluntati subjici, hoc est, obedire justitiæ. Quod vitium nisi adjuvante gratiâ superetur, ad justitiam nemo convertitur; nisi operante gratiâ sanetur, justitiæ pace nemo perfruitur. Quò verò magis atque magis in proficientibus minuitur, eò libentiùs cupiunt alterius esse, quàm sui; ac Dei veritate ac voluntate, quàm suâ potestate regi. Non enim Sanctus quisque, quantùm ei in hac vita datur ut Sanctus sit, gaudet hujusmodi propriâ potestate, sed illius potiùs, à quo habet posse quicquid congruenter potest; donec tandem ad illam futuræ vitæ perveniat animi sanitatem, ubi nemine ampliùs propriam amante potestatem aut voluntatem, potestas incommutabilis veritatis ac sapientiæ, hoc est, *Deus* ipse, *erit omnia in omnibus*. Quod antequam eodem Deo largiente fiat, vulnus illud utcunque obduci potest aut detumescere, sanari verò, nisi ineffabili miraculo humillimi atque omnipotentissimi Redemptoris, usquequaque non potest. Nimirùm ita profundè visceribus ac medullis intimis infixum gerimus telum illud satanicum, *Eritis sicut Dij*. Deo namque singularissimè proprium est, & proprijssimè singulare, ut sui sit ipse arbitrij, suæ voluntatis, suæ potestatis: cujus omnipotenti dominatione, cùm ipse rogatur à nemine, omnia justum ac necesse est regi: cujus excellentissimæ potentiæ; & potentissimæ excellentiæ, tenebrosam imaginem, ex primi illius vulneris prurigine, ardentissimè fugitivus animus in peccatis appetit, sive delinquat in solitudine, sive in societate grassetur: ut etiam sic, quid primus homo in repudianda Dei dominatione appetiverit, tota posteritas ejus vivendo testetur. Nam ut particula stirpis ejus, populus ille Romanus, terrenam suam patriam, hoc est, seipsos, quia servire videbatur inglorium, dominari verò atque imperare gloriosum, priùs omni studio repudiatâ Regum suorum dominatione, liberam, deinde aliorum dominam esse voluerunt: ita totus ille populus humanus, primò quidem excusso omnipotentis veritatis ac voluntatis jugo, sui juris suæque potestatis esse delectabatur; deinde quisque illorum etiam solus, si fieri posset, esse cupit cui cuncta subjecta sint, perversâ videlicet æmulatione omnipotentis Dei, *qui cùm omnibus animis solus utiliter ac salubriter præsit, ipso homo potiùs*, ut aptissimè dixit Augustinus, *sibi vel alijs quibus potuerit, vult esse pro Deo; suam potiùs in se vel alios, quàm illum in omnes diligens potestatem*. Ex quo fit, ut omnis superbia, ad quam humanum genus justâ pœnâ damnatum est, instar Dei singularitatem affectet: ut unus omnibus præsit, si alij humilitate vel necessitate patiantur; vel certè omnibus emineat, si alij superbiâ non

N August. Tract. 2. in Epist. 1. Joannis.

O Chrysost. Homil. de Lapsu primi homin. c. 1.

Gen. 3. 5.

P August. in Psalm. 7. Vide Prosp. Sentent. 129. Eccli. 10. 15. & 14.

Q Idem Enarrat. 1. in Psal. 18.

R Cor. Jansenius Orat. de interior. hominis Reformatione.

Vide Aug. l. 2. de pecc. merit. cap. 19.

1. Cor. 15. 28.

Vide Aug. q. 79. inter 83.

,, non patiantur. Odit namque cum socijs ,, æqualitatem sub Deo, sed imponere vult so- ,, cijs dominationem suam pro Deo: *Nihil* ,, *enim*, inquit idem Augustinus, *sic quærit homo, quomodo potentiam*". Idcircò autem homo tantoperè affectat potentiam, quia hæc secum affert agendi quod lubet licentiam. Quantò enim quisque fuerit potentior, tantò erit ab alieno jugo immunior: quia jugum non nisi à potentiori imponitur, nec nisi ab imbecilliori suscipitur: [S.] Votis ergo, etsi non re, ,, plures numero sunt rectores, quàm illi quos ,, regunt: nam qui regi velint perpauci sunt, ,, tùm quisque ut emancipetur à jugo rectoris proprij totis viribus quærat". Plerique hominum etsi non voce, saltem voto imitatores sunt Julij Cæsaris, qui cùm in Hispaniam proficiscens pagum quendam miserrimum in medijs nivibus situm præteriret, rogantibus socijs num etiam illic de primatu contenderetur, respondit: *Quidni? Et ego sanè mallem illic esse primus, quàm Romæ secundus.* Cur ita, nisi quia secundus subjacet saltem uni, primus nulli? [T.] Pompeio, inquit Florus, suspectæ ,, erant Cæsaris opes, & Cæsari Pompeiana ,, dignitas gravis: nec hic ferebat parem, nec ille superiorem".

Vide Aug. Tract. 43 in Ioannem

S. Ioan. Saresb. lib. 7. Policrat. c. 19.

Vide Plutarchum in vita Cæsaris.

T. Florus l. 4. cap. 2.

CCCXIII. Sed quid hoc miremur de hominibus profanis, à via Dei alienis, Christianæ humilitatis ignaris? [V.] Etiam in sinu ,, Sacerdotum, inquit Cyprianus, ambitio ,, dormit: ibi sub umbra recubat, in secreto thalami se fraudulenter occultat". Si in sinu Sacerdotum, quantò magis laicorum? Sed quid loquor de sinu sive laicorum, sive etiam communium sacerdotum? Nunquid enim recubuit aliquando in sinu etiam Apostolorum? Si non recubuit, unde illa filiorum Zebedæi ad Christum directa petitio: *Da nobis, ut unus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam sedeamus, in gloria tua?* Nec eos excusat quòd juxta alium Euangelistam non ipsi, sed mater pro ipsis supplicasse memoretur. Ut enim Augustinus monet, [W.] Marcus filios ,, Zebedæi dixisse perhibet, quod ab eis non ,, per seipsos, sed per matrem dictum esse ,, Matthæus expressit; cùm illa eorum volun- ,, tatem attulisset ad Dominum. Unde magis ,, ipsos, quàm illam dixisse quod dictum est, ,, Marcus breviter intimavit. Denique Do- ,, minus & secundùm Matthæum, & secun- ,, dùm Marcum, ipsis potiùs quàm matri respondit". Sed nec veteres Patriarchas ab eodem ambitionis vitio immunes extitisse, indicat Sacra Genesis Historia: ubi cùm Ioseph adolescens retulisset fratribus somnium à se visum, responderunt ei indignabundi: *Nunquid Rex noster eris? aut subjiciemur ditioni tuæ?* Neque enim aliunde profluxit odium istud subjectionis, quàm ex nimio amore libertatis; qui usqueadeò invaluit apud fratres, ut subesse nollent etiam fratri. Quapropter sive ad antiqua sive ad recentiora tempora respicias, paucissimos profectò invenias; qui cum Apostolo Paulo viritim dicere sine fictione possint, *Mundus mihi crucifixus est.* Neque enim Mundus cuiquam crucifixus censeri debet, quamdiu in ipso vivit ac viget concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, aut ambitio sæculi: *quæ*, juxta Joannem Apostolum, *non est ex Patre, sed ex Mundo.* Contra tria ista Mundi vitia peculiariter instituitur Religiosa militia, tribus votis instructa ac munita: voto scilicet castitatis, contra *concupiscentiam carnis*; voto paupertatis, contra *concupiscentiam oculorum*; & voto obedientiæ, contra *ambitionem sæculi*, seu *superbiam vitæ*: [X.] Ex his tribus vo- ,, tis, inquit Divus Thomas, integratur Re- ,, ligionis status: primò enim quantum ad ,, exercitium perfectionis requiritur, quòd ,, aliquis à se removeat illa per quæ posset im- ,, pediri, ne totaliter ejus affectus tendat ad ,, Deum, in quo consistit perfectio charitatis. ,, Hujusmodi autem sunt tria, primum qui- ,, dem cupiditas exteriorum bonorum, quæ ,, tollitur per votum paupertatis: secundum ,, autem est concupiscentia sensibilium de- ,, lectationum, inter quas præcellunt dele- ,, ctationes venereæ, quæ excluduntur per ,, votum continentiæ: tertium autem est in- ,, ordinatio voluntatis humanæ, quæ excluditur per votum obedientiæ". Qui igitur hæc tria vota emittunt, & emissa persolvunt, *Mundo mortui* censentur ac dicuntur: quia cùm *omne quod est in Mundo, sit concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi*; qui per tria prædicta vota tres istas concupiscentias excludunt, eo ipso Mundum deserunt, & extramundanam quandam vitam ducunt. Quis ambigat eos mundo mori, qui meruerint à Patribus *Martyres* nuncupari? Meruerunt autem istud Monachi: qui teste Damasceno, [Y.] Divino zelo accensi, ac timore ,, sauciati, illud optimè secum considerabant ,, atque spectabant, ut ab omni spurcitie pu- ,, ram animam corpusque Deo exhiberent: ,, sic nimirum se comparantes, ut omnes vi- ,, tiosarum affectionum actiones amputarent, ,, seseque ipsos *ab omni carnis & spiritûs inquinamento repurgarent*. Quod quia non aliâ ra- ,, tione, quàm per mandatorum Christi ob- ,, servantiam, præstari posse intelligebant; ,, mandatorum verò observantiam, ac virtu- ,, tum cultum in medijs Mundi tumultibus ,, ægrè præstari posse perspiciebant; novum ,, quoddam atque ab alijs diversum vitæ ge- ,, nus sibiipsis instituerunt, ac juxta divinam ,, vocem, *relictis omnibus rebus*, hoc est, paren- ,, tibus, liberis, amicis, cognatis, opibus, de- ,, licijs, cunctisque Mundi commodis contemptis,

V. Cyprian. Serm. de Iejun. & tentat. Christi.

Mat. 10. 37.

W. Aug l. 2. de Consens. Euang c. 64.

Gen. 37. 8.

Gal. 6. 14.

1. Io. 2. 16.

X. D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 7. Vide Bern. Ser. de tribus Ordin. Ecclesiæ & Bellarm. l. de Membris Ecclesiæ. 2.

Y. Damasc. Histor. Barlaam. c. 12.

2. Cor. 7. 1.

Mat. 19. 29.

[Heb. 11. 37. & 38.] temptis, in solitudines, tanquam exules, quidam sese contulerunt, *egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat Mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & cavernis terræ*, semetipsos ab omnibus terrenis jucunditatibus ac voluptatibus procul removerunt, adeò ut etiam panis ac vestimentorum gravi penuriâ laborarent Quod ut facerent, duplex eos causa impulit, nimirum ut & vitiosarum affectionum materias minimè cementes, earum cupiditates radicitùs ex animis suis evellerent, memoriam obliterarent, ac divinarum cælestiumque rerum amorem sibi insererent; & præterea ut per afflictionem corpus suum conficerent, animoque ac voluntate *Martyres* affecti, gloriam Martyribus repositam obtinerent. Ad hunc igitur modum, optimâ consideratione adhibitâ, monasticam ac solitariam vitam consectati sunt". Huc quoque spectat & illud Augustini. [Z. Aug. Ser. 350. de Tempore cap. 1. Vide Leonẽ Serm. 3 de Quadrag.] Z. Nemo dicat quòd temporibus nostris Martyrum certamina esse non possint. Habet enim & pax nostra Martyres suos: nam, sicut frequenter suggessimus, iracundiam mitigare, libidinem fugere, justitiam custodire, avaritiam contemnere, superbiam humiliare, pars magna Martyrii est". Probat id ipse mox inferiùs ibidem cap. 3. " Sicut enim, inquiens, castitas & veritas & justitia Christus est; sic & ille qui eis insidiatur, persecutor est; ille qui & in alijs defendere, & in se custodire voluerit, Martyr erit". Consonat Ambrosius, dum explanans illa [Psal. 118. 157.] Psalmographi verba, *Multi qui persequuntur me, & tribulant me*: [A Ambros. in Psal. 118. octonar. 20.] A. Advertis, inquit, quàm grave certamen sit, quod est intra hominem, ut secum ipse confligat, cum suis cupiditatibus prælietur. Ipse Apostolus fluctuat, hæret, adstringitur, *captivari se asserit* [Rom. 7. 23. & 24.] *in lege peccati, & mortis corpore debellari*, nec potuisse evadere, nisi esset *Domini IESV gratiâ liberatus*. Verùm ut multæ persecutiones, ita multa martyria. Quotidie testis es Christi: tentatus es spiritu fornicationis, sed veritus Christi futurum judicium, temerandam mentis & corporis castimoniam non putasti? Martyr es Christi. Tentatus es spiritu avaritiæ, ut possessionem minoris invaderes, ignoscendæ viduæ jura temerares; & tamen contemplatione cælestium præceptorum opem magis ferendam, quàm inferendam injuriam judicasti? Testis es Christi. Denique tales vult testes Christus assistere, secundùm quod scriptum est, *Iudicate pupillo, justificate viduam: & venite, disputemus, dicit Dominus*. [Isa. 1. 17. & 18.] Tentatus es spiritu superbiæ, sed videns inopem atque egenum, piâ mente compassus es, humilitatem magis quàm arrogantiam dilexisti? Testis es Christi. Et, quod ampliùs est; non sermonis tantummodò, sed etiam operis testimonium perhibuisti? Testis es Christi". Accedit Hieronymus, dum ad illa Psalmographi verba, *Tibi sacrificabo hostiam laudis*, ait: [Ps. 115. 17. B Hieron. in Psal. 115.] B. Hæc est laus Martyrum: sicut enim Martyres laudant Dominum purè in regione viventium, ita & monachi qui die & nocte psallunt Domino, debent eandem puritatem habere Martyrum, siquidem ipsi Martyres sunt". Qui rursùs in Epitaphio Paulæ sic alloquitur filiam ejus Eustochium: C Mater tua longo Martyrio coronata est: [C Idem Epist. 27. cap. 14.] non solùm enim effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devotæ quoque mentis servitus immaculata, quotidianum Martyrium est". Qui quotidiano Martyrio afficitur, haud dubiè pro Christo quotidiè moritur. Moritur utique non Christo, sed Mundo; non secundùm novum hominem, sed secundùm veterem; non virtutibus, sed vitijs. *Mortificate*, ait Apostolus, [Col. 3. 5.] *membra vestra, quæ sunt super terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam*. Huic mortificationi sedulam operam impendere debent omnes quidem homines, sed præcipuè Christiani; de quibus scriptum est *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs*. [Gal. 5. 24.] Inter Christianos denique peculiari titulo ad eandem mortificationem & crucifixionem obstringuntur monachi; qui solemnibus votis profitentur se Mundo mortuos, id est, à concupiscentijs mundanis, superiùs ex Apostolo Joanne recensitis, alienos, eisque infestos.

CAPUT LXXXIII.

Etsi monastica vota rivulis concupiscentialibus præstruant obicem, non equidem siccant fontem. Concupiscentiæ carnis & oculorum subjugatio plerunque fit ambitionis fomentatio: malum quippe superbia nullis opportuniùs insidiatur, quàm quibus laus justa debetur. Plus uritur diabolus de virtute stantium, quàm lætetur de fragilitate labentium: & quos impulsione non concutit, elatione dejicit. Tentationum primi & novissimi Adæ collatio, & ordo. Christianam perfectionem æmulantium quosdam subvertit libido sentiendi, alios libido sciendi, plurimos libido excellendi. Ambitionis salsugo bibulam animam sic occupat, ut etiam de eremi latebris quosdam ad avendas præfecturas exciat. Quanta in monachis vitiorum seges ex ambitionis fundo succrescat, juxta Basilium? Locus superior, regendo alioqui populo necessarius, indecenter appetitur, etsi decenter administretur. Complures claustrales onerosis functionibus inhiant, ut earum obtentu majusculam exeundi, loquendi, agendi libertatem habeant. Affectatio exemptionis ab Ordinariorum jurisdictione in monachis profluit ex libertatis ambitione, juxta serias eam in rem invectivas Bernardi, Richardi Cantuariensis, Ioannis Sarisberiensis, & Petri Blesensis.

CCCXIV. Quamvis autem vota monastica frenum quoddam mundanis concupiscentijs injiciant, nequaquam tamen earum radices funditùs evellunt: & ideò fieri vix potest quin hæ vetustatis reliquiæ fructum sui generis subinde proferant, etiam in eis qui Mundo fuerint mortui. Neque enim hi usque adeò mortui sunt Mundo, ut nihil in eis remaneat de reliquijs Mundi, quæ contra ipsos pugnent in ipsis. Quinimò quò magis profecerint in debellandis *concupiscentijs carnis & oculorum*, eò magis subministrant fomentum *ambitionis sæculi*. (1. Jo. 2. 16.) Etenim teste Beato Prospero, D. Quia inter vitia aut rara est, aut nulla jactantia, & facilè spernitur qui de opprobrio gloriatur, malum superbiæ maximè virtutibus est cavendum: quia nullis opportuniùs insidiatur, quàm quibus laus justa debetur. Cùm ergò per ineffabilem misericordiam Dei captivis libertas, perditis salus, mortuis vita reparatur; cùm in sacramento crucis ac resurrectionis Christi ad novitatem redit vetustas, & ad innocentiam regeneratur impietas: antiquus hostis malignus fremit, & acriùs inardescit; & cùm innumeris nocendi artibus humanum genus nitatur evertere, ferens discordias, incitans iras, acuens cupiditates, turpia suadens, falsa commentans, & errorum laqueos per opinionum commenta multiplicans: plus uritur de virtute stantium, quàm lætetur de fragilitate labentium.

(D. Prosper Epist. ad Demetriad. c. 9. & 10. Vide Leonē Serm. 4. de Quadragesima cap. 1.)

Multi enim servientes Deo, & in lege ejus die ac nocte meditantes, *crucifixerunt carnem suam cum desiderijs & concupiscentijs*, (Gal. 5. 24.) omniumque illecebrarum incentiva domuerant, non damnis victi, non persecutionibus fracti, non prosperitatibus depravati, Mundum istum nec dilexêre obsequentem, nec timuêre terrentem. Tantam itaque firmitatem, & tam sublime propositum, quâ impugnatione diabolus posset adoriri, nisi ut quibus non potuerat persuadere vitiorum amorem, immitteret laudis cupiditatem; & inde novissima instrueretur tentatio, unde nocuit prima deceptio? Non itaque desidiosis & tepidis, neque inertibus & incultis, sed magis animis quibusdam sedulis, & bonorum actuum probitate luculentis, per gloriam irrepsit humanam, & quos impulsione non movit, elatione dejecit. Quantò enim clariores erant meritis, tantò eos aptiores suis invenit insidijs". Novit utique ille quàm sit humanus animus gloriæ ac prælationis cupidus, adeòque ignominiæ ac subjectionis impatiens. Hinc ubi reliqua sua tentamenta elidi conspicit, ad ambitionis suggestionem tanquam ultimam machinam vitatu difficillimam confugit: prout cernere licet ex invasione Christi, quem voluptatis curiositatisque jam victorem, de ambitione sæculi tentandum censuit; ut quem impulsione non moverat, ambitione dejiceret: E. Etenim quæ semel arma tantâ victoriæ facilitate in primis hominibus expugnandis exper-

(E. Cor. Iansenius Orat. de Interioris hom. Reformat.)

expertus est, illa ipsa ad universum humanum genus superandum delendumque dedicavit. Per illud namque, *In quocunque die comederitis ex eo*, infirmarum pruritum voluptatum ipsis medullis inseruit: per illud, *Aperientur oculi vestri, scientes bonum & malum*, inquietissimam curiositatem inspiravit: per illud, *Eritis sicut Dij*, occultissimum superbiæ vulnus inflixit. Hinc ipse Imperator noster, qui confossum tribus vulneribus hominem sanare venerat, tribus illis telorum generibus oppugnatus est, & eorum aciem scuto suæ veritatis fregit, ne imitatoribus ejus arma, quibus victi fuerant, ampliùs tremenda viderentur. In *Pane*, voluptas carnis: in tentatione Dei, quâ experiri jubebatur num *ab Angelis susciperetur*, sciendi experiendique curiositas: in promissione *regnorum omnium*, superbia propinabatur. Videlicet eodem penitùs ordine, quo creaturam anteà præcipitaverat, etiam Creatorem impellere nitebatur. Quibus tentationibus finitis, tanquam exhausto jam diaboli armamentario, addit Euangelista, *Et consummatâ omni tentatione diabolus recessit ab eo*. Quod triplex cupiditatis genus divinitùs breviterque ab Apostolo comprehensum est, dum omne omninò quod in Mundo est, *concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ esse* testatur. Quicquid enim flagitiorum corpus humanum animumque contaminat, quicquid facinorum in hominum societate grassatur, quisquis sagaciter attenteque consideraverit, his tribus fontibus scaturire comperiet, his obstructis arescere, & suffocari. Quid enim in toto homine, nisi corpus & anima? Quid in anima, nisi intelligentia & voluntas excogitari potest? Voluntati superbia, intelligentiæ curiositas, corpori concupiscentia carnis impressa est". Favet huic intelligentiæ præter alios Hilarius, cùm post discussas priores duas Christi tentationes, subdit de tertia: [F] Jam tertiò tota diabolicæ potestatis commovetur ambitio. Constituto igitur domino in monte excelso, universa orbis terrarum regna, eorumque gloriam obtulit, si modò adoraretur ipse. Jam geminâ responsione opinionem suspicionis excesserat. Cibo Adamum pellexerat, & de paradisi gloria in peccati locum, id est, in regionem vetitæ arboris deduxerat; tertiò nominis ambitione corruperat, Dijs futurum similem pollicendo. Igitur adversùs Dominum totâ jam sæculi potestate pugnatur, & Creatori suo possessio hujus universitatis offertur: ut tenens ordinem fraudis antiquæ, quem neque cibo pellexerat, nec loco moverat, nunc vel ambitione corrumperet". Non me latet, postremas duas tentationes in verso ordine recenseri apud Lucam. Sed cùm Matthæus ordinem tentationum in actu signato referat, quod Lucas non præstat: æquum fuerit ut illi potiùs inhæreamus loquenti, quàm isti tacenti; quæ enim tacentur, non utique negantur, nedum asseruntur. Matthæus primæ tentationi præmittit illud, *Accedens tentator dixit ei*: secundæ istud, *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem*: tertiæ demùm hoc, *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum*. Refert prætereà Christum ad tertiam diaboli suggestionem dixisse ei, *Vade Satana*: & mox subdit, *Tunc reliquit eum diabolus*. Negandum proinde non videtur quin eo ordine tentationes processerint, quem digessit Matthæus, tacente Lucâ, ac per hoc nequaquam contradicente. Quod cùm ita sit, postrema proculdubio tentatio fuit ambitionis suggestio. Unde Leo Papa cùm duas priores tentationes memorasset, subdidit de tentatore: [G] Ad hoc convertit, TERTIÆ fraudis ingenium, ut eum, in quo divinæ potestatis signa cessaverant, dominandi cupiditate tentaret: & ad venerationem sui, regna Mundi pollicendo, traduceret".

Gen. 3. 5. — Vide Ambr. in c. 4. Luc. & lib. 1 de Abel & Cain c. 5 & Aug. lib. de vera Relig. c. 38. & l. 3. Confess. c. 8. — Mat. 4. 4. — Ibid. v. 6. — Ibid. v. 8. — Luc. 4. 13. — 1. Jo. 2. 16. — F. Hilarius Can. 3. in Matthæum. — Mat. 4. 3. 5. & 8. — Ibid. v. 10. & 11. — G. Leo Ser. 4. de Quadrag. c. 3.

CCCXV. Hâc igitur ambitionis machinâ, quâ & primos homines in paradiso pulsavit & stravit; quâ item Deum hominem pulsavit quidem, sed neutiquam stravit; non cessat diabolus quoscunque virtutum studiosos, quantumlibet Mundo mortuos, ac votis regularibus vinctos, incessere: [H] Quem enim tentare non audeat, qui nec ab ipso Domino nostro IESV CHRISTO conatum suæ fraudis abstinuit"? Certè non frustra tentari ab eo monachos, solemnibus licèt votis obstrictos, compluribus exemplis tam priscis, quàm novellis liquidò constat. Quosdam enim ipsorum per concupiscentiam carnis pulsavit & stravit; de qualibus ait Ambrosius: [I] Nonne de his pulchrè dicitur, *Effusi sunt gressus eorum*, quorum spes lapsæ, in vanum effusus labor, vota sunt destituta? Considera enim aliquem, per aliquot annos habuisse studium probitatis, castitatis custodiam, vitæ arctioris affectum, piæ propositum servitutis, sedulæ observationis officium; subitoque eum esse mutatum, discessisse de monasterio, valedixisse jejunijs, continentiæ renuntiasse, indulgere delitijs, studere luxuriæ. Dudum de monasterijs exierunt, & nunc luxuriæ sunt magistri, disseminatores incontinentiæ, incentores petulantiæ, obtrectatores pudoris". Quosdam item per concupiscentiam oculorum, & per ambitionem sæculi, tentat ac debellat: de qualibus Cyprianus ait: [K] Unde hæc sitis divitiarum miseris pectoribus assidet, & ambitionis salsugo bibulam animam occupat; ut per fas & nefas ad loca superiora, ETIAM DE LATEBRIS EREMI,

H Ibid. Ser. 2. c. 2. — I. Ambros. in Psal. 36. ad Vers. 23. Psal. 72. 2. — K. Cyprian. in Prologo Operis de Cardinalib. Christi operibus. Vide Serm. de Jejunio & tentationib. Christi.

„ nonnulli se ingerant : & de omni gradu, ubi
„ aliquis aditus patet, anheli prodeant, dis-
„ currant ad Judices, blandiantur mediato-
„ ribus, conducant auxiliarios: & modis om-
„ nibus elaborent, ut sedeant cum Principi-
„ bus: eo quæstu, ut maledicat Deus quod
„ ipsi benedixerint, & benedicat quod ipsi
maledixerint " ! In quibus verbis signanter
notanda est illa clausula, *etiam de latebris eremi*.
Indicat enim ambitionis salsuginem usque
adeò per omnes status ac gradus hominum
diffundi, ut ne quidem ijs desit qui religionis
intuitu ad eremi latebras convolant. Quàm
autem monstrosa res sit monachus ambitio-
sus, præclarè edisserit Basilius in Constitutio-
nibus monasticis : [L.] Inter fratres, inquiens,
„ principatum nullo modo appetere mona-
„ chus debet : siquidem diabolica est ista
„ pestis, & libidinis dominandi labes, insigne
„ primæ illius diaboli pravitatis indicium.
„ Etenim ex hac ille quoque imperandi libi-
„ dine præceps insigni illo superbiæ lapsu cor-
„ ruit : & sine dubio qui in hujus vitij po-
„ testate est, is eodem planè cum diabolo
„ laborat malo. Qui autem ab eo captivi te-
„ nentur, eos invidos, contentiosos, insimu-
„ latores, impudentes, calumniatores, assen-
„ tatores, veteratores, humiles ubi non con-
„ venit, illiberales, gloriosos, sexcentis de-
„ nique alijs hujusmodi turbis refertos
„ existere necesse est. Etenim qui est ejus-
„ modi, is idoneis invidet, ac palàm traducit:
„ quin erit sæpenumerò, cùm ipsorum etiam
„ interitum exoptabit; quò videlicet sublatis
„ de medio talibus, in deferendis muneribus
„ necessariò suffragia ad ipsum deveniant :
„ atque ex hoc etiam aliud sequetur, quòd
„ ijs, penes quos illa deferendi potestas erit,
„ adulabitur; atque ita multa illiberaliter ac
„ serviliter aget : adversùs inferiores verò, si
„ adversentur, superbè ac præfidenter se ge-
„ ret. Itaque dolos consuens machinabitur,
„ perturbationesque innumerabiles ac suspi-
„ ciones sibi accerset, animique tranquillita-
„ tem à se fugabit; & Deus pacis expelletur,
„ utpote cui locus in eo non sit, ubi acquies-
„ cat. Cognito igitur nos detrimento, cupi-
„ ditatem istiusmodi à ratione abhorrentem
fugiamus ". Quod si nec inter fratres quidem
principatum appetere monacho liceat, quanto
minùs licebit eundem appetere inter extra-
neos ? Quapropter idem Basilius inferiùs ibi-
dem cap. 24. aliàs 25. generaliorem de vi-
tanda ambitione regulam tradit, dicens :
" Prorsùs ab omni ambitione alienum habere
„ animum monachus debet. Nam si in hac
„ vita laboribus ac rectè factis suis præmium
„ esse vult, misera profectò illius mercedis
„ conditio est, qui pro æternarum rerum ja-
„ cturâ caducas paciscatur : si verò secum de-

L. Basil. de Constit. monast. cap. 30. aliàs 10.

„ crevit velle se in hac vita agones laborum
„ perferre, & eorum mercedem in cælo recipe-
„ re, non modò honores ultrò ipse consectari
„ non debet, sed ne oblatos quidem admit-
„ tere, potiùsque recusare atque rejicere; ne
„ consequentis vitæ gloriam, præsentis ho-
nor imminuat ". Diximus superiùs §. 308. Vide suprà §. 308.
quadruplicem esse ambitionem, pro varietate
excellentiæ per eam affectatæ : primam liber-
tatis, secundam dignitatis, tertiam autho-
ritatis, quartam denique potestatis. Cùm er-
go Basilius asserit *debere monachum habere ani-
mum ab omni prorsùs ambitione alienum*, nullam
omninò ambitionis speciem ei liberè aut lici-
tè amplectendam relinquit; nullum principa-
tum, sive inter fratres, sive inter extraneos,
affectandum permittit. *Affectandum* dico : quia
non susceptio, sed affectatio improbatur, di-
cente Augustino: [M.] Locus superior, sine quo
„ regi populus non potest, etsi ita teneatur
„ atque administretur ut decet, tamen in-
„ decenter appetitur. Quamobrem otium
„ sanctum quærit charitas veritatis, nego-
„ tium justum suscipit necessitas charitatis.
„ Quam sarcinam si nullus imponit, perci-
„ piendæ atque intuendæ vacandum est veri-
„ tati : si autem imponitur, suscipienda est
propter charitatis necessitatem ". Non ait,
suscipienda est propter libertatis, aut digni-
tatis, aut authoritatis, aut potestatis cupidi-
tatem, sed *propter charitatis necessitatem* : quia
utique Dei honor, aut proximi favor id ex-
poscit. Unde de ipso Augustino memoratur,
quòd cùm nondum hâc sarcinâ oneratus
fuisset, eas civitates studiosè devitaverit, in
quibus Episcopalem sedem vacare compe-
risset : ne scilicet ad Ecclesiæ Prælaturam
invitus traheretur. Verùm ut hoc tam præ-
clari Doctoris exemplum cæteri imitentur,
saltem ij qui monasticis votis obstrictos se
profitentur, res est magis voti, quàm spei.
Atque ut reliquas ambitionis species præter-
eamus, & de sola libertatis affectatione loqua-
mur; quantoperè ea quorundam Religio-
sorum medullis inhæreat, colligere licebit
ex Richardo Victorino; qui licèt ipse Reli-
giosus extiterit, promiscuum tamen illum
Regularium morbum non siluit: [N.] Videmus
„ sæpè, inquiens, illos etiam qui volunta-
„ tiam obedientiam professi sunt, quàm li-
„ benter, quàm desideranter molestas satis
„ & onerosas occupationes suscipiant; ut
„ exeundi, loquendi, agendi, majusculam
„ libertatem, ex administrationis suæ occa-
„ sione, obtineant. Quid agit hoc, quæso,
nisi libertatis ambitio "? *Majusculam* dixit, id
est, paululò majorem eâ, quam sine tali ad-
ministratione habituri fuissent. Ex quo fa-
cilè apparet quàm *libenter ac desideranter* ma-
jores adhuc molestias perferrent, si majoris
libertatis

M. Aug. lib. 19. de Civit. cap. 19. Vide Epist. 149.

Vide Possidium in vita Augustini cap. 4.

N. Richar. Victor. l. 3. de Eruditione interioris hominis cap. 33.

libertatis adipiscendæ occasio sese simul offer-
ret. Verissima quippe est illa Salvatoris sen-
Luc. 16. 10. tentia: *Qui in modico iniquus est, & in majori*
iniquus est. Proindè qui ambitioni libertatis
cedit in re modica, profectò cessurus est in re
majori, si occcasio incidat.

CCCXVI. Est & aliud ambitionis hujus
specimen, quod à monachis exhibitum dis-
plicuisse quibusdam pijs eruditisque Docto-
ribus video; signanter Bernardo, tametsi
etiam ipse monachus extiterit, & monastico
instituto impensè faverit: affectatio nimiùm
exemptionis à jurisdictione Ordinariorum:
o. Bernard. Epist. 42. o. Miror, ait ille, quosdam in nostro Or-
,, dine monasteriorum Abbates, humilitatis
,, regulam odiosâ contentione refringere; &
,, sub humili, quod pejus est, habitu & ton-
,, surâ, tam superbè sapere; ut cùm ne unum
,, quidem verbulum de suis imperijs subditos
,, prætergredi patiantur, ipsi proprijs obedire
,, contemnant Episcopis. Spoliant Ecclesias,
,, ut emancipentur: redimunt se, ne obediant.
,, Non ita Christus: ille siquidem dedit vi-
,, tam, ne perderet obedientiam; quâ isti ut
,, careant, totum ferè suum suorumque vi-
,, ctum expendunt. Quid hoc est præsumptio-
nis, ô monachi"? Paulò item inferiùs ibidem
inducit unum quempiam Prælatum Regula-
rem communi velut nomine sic replicantem:
Non propter me facio, sed quæro Ecclesiæ liberta-
EVASIONI OCCVRRITVR. *tem.* Verùm reponit continuò Bernardus:" O
,, libertas, omni, ut ita loquar, servitute ser-
,, vilior! Patienter ab hujusmodi libertate
,, abstineam, quæ me pessimæ addicat super-
,, biæ servituti. Plus timeo dentes lupi, quàm
,, virgam pastoris: certus sum enim ego mo-
,, nachus, & monachorum qualiscunque Ab-
,, bas, si mei quandoque Pontificis à proprijs
,, cervicibus excutere jugum tentavero, quòd
,, Satanæ mox tyrannidi meipsum subjicio.
,, Advertens nimirum cruenta ista bestia, quæ
1. Pet. 5. 8. ,, *circuit quærens quem devoret*, elongatam custo-
,, diam, heu statim insilit in præsumptorem.
,, Meritò enim non cunctatur præsidere su-
Iob. 41. 25. ,, perbo, qui se jure gloriatur *regem super omnes*
,, *filias superbiæ*. Quis dabit mihi centum in
,, mei custodiam deputari pastores? Quantò
,, plures sentio mei curam gerere, tantò se-
,, curior exeo in pascua. Stupenda insania!
,, Animarum non cunctor turbas mihi custo-
,, diendas colligere, & unum super pro-
priam gravor habere custodem"? Cæterùm
quia quidam istorum etiam Pontificalia or-
namenta sibi à Summo Pontifice procurâ-
runt, in signum scilicet suæ exemptionis
ab Ordinariorum jurisdictione, taxat idem
Bernardus hanc etiam ambitionem, subdens
ibidem post pauca: " Verùm apertè indicant
,, quidam horum quid cogitent, dum multo
,, labore ac pretio Apostolicis adeptis Privi-
,, legijs, per ipsa sibi vendicant insignia Pon-
,, tificalia, utentes & ipsi more Pontificum
,, mitrâ, annulo, atque sandalijs. Sanè si at-
,, tenditur rerum dignitas, hanc monachi
,, abhorret professio: si ministerium, solis li-
,, quet congruere Pontificibus. Profectò esse
,, desiderant, quod videri gestiunt: meritò-
,, que non queunt esse subjecti, quibus jam
, ipso se comparant desiderio. Quid si &
,, nomen eis conferre privilegiorum posset
,, authoritas, quanto putas auro redimerent,
,, ut appellarentur Pontifices? Quid ista, ô
,, monachi? Ubi timor mentis? Ubi rubor
,, frontis? Quis unquam probatorum mona-
,, chorum tale aliquid aut verbo docuit, aut
reliquit exemplo"? Alibi quoque idem Ber-
nardus de hoc ipso ambitiosorum ausu nimis
conniventer tolerato, si non etiam foto, cum
Summo Ecclesiæ Præsule Eugenio graviter
expostulans: p Murmur loquor inquit, & p. Idem lib. 3 de Consid. cap. 4.
,, querimoniam Ecclesiarum: truncari se cla-
,, mitant, ac demembrari. Vel nullæ, vel
,, paucæ admodum sunt, quæ plagam istam
,, aut non doleant, aut non timeant. Quæris,
,, quam? Subtrahuntur Abbates Episcopis,
,, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Pa-
,, triarchis sive Primatibus. Bonane species
,, hæc? Mirum si excusari queat vel opus. Si
,, factitando probatis vos habere plenitudi-
,, nem potestatis, sed justitiæ fortè non ita:
,, Facitis hoc quia potestis, sed utrùm & de-
beatis, quæstio est". Et rursùs inferiùs ibidem
subdit:" Nolò prætendas mihi fructum
,, emancipationis ipsius: nullus est enim, nisi
,, quòd indè Episcopi insolentiores monachi
, etiam dissolutiores fiant. Quid, quòd &
,, pauperiores? Inspice diligentiùs talium
,, ubique LIBERTINORVM & facultates, &
,, vitas; si non pudenda admodùm & tenui-
,, tas in his, & in illis secularitas invenitur:
,, matris noxiæ libertatis gemina soboles hæc.
,, Quidni peccent licentiùs vagum & malè
,, liberum vulgus, cùm non sit qui arguat?
,, Quidni licentiùs quoque spolietur ac de-
,, prædetur inermis Religio, cùm non sit qui
,, defendat? Quò enim refugium illis? Nun-
,, quid ad Episcopos, dolentes injuriam?
,, Ridentibus profectò aspiciunt oculis sive
,, quæ faciunt mala, sive quæ patiuntur. *Quæ* Ps. 29 10.
,, demùm *utilitas in sanguine isto*? Vereor ne illa,
,, quam in Propheta comminatus est Deus:
,, *Ille*, inquiens, *in iniquitate sua morietur, san-* Ezech. 33. 8.
,, *guinem autem eius de manu tua requiram*. Si
,, enim extollitur qui subtrahitur, & cui sub-
,, trahitur uritur; qui subtrahit quomodò
,, innocens? Parùm est, involvimus ignem.
,, Audi apertiùs: si is qui murmurat secun-
,, dùm animam mortuus est; qui instigat, quo-
,, modò vivit? Quomodò verò non reus
,, mortis amborum, & suæ pariter, qui gla-

dium dedit unde ambo morerentur? Hoc est quod dixeram, *Occidisti & possedisti*. (3. Reg 21. 19.) Adde quòd qui audiunt, scandalizantur, indignantur, detrahunt, & blasphemant; hoc est, vulnerantur ad mortem. Non est bona arbor faciens fructus tales, insolentias, dissolutiones, dilapidationes, simultates scandala, odia; quodque magis dolendum, inter Ecclesias inimicitias graves, perpetesque discordias. Vides quàm verus sit sermo ille, (1. Cor. 6. 12.) *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*. Quid si fortè nec licet? Ignosce mihi, non facilè adducor licitum consentire, quod tot illicita parturit". Et adhuc inferiùs addit: "Quòd dicat Episcopus, *Nolo esse sub Archiepiscopo*; aut Abbas, *Nolo obedire Episcopo*: hoc de cælo non est; nisi fortè Angelorum quempiam dicentem audisti, *Nolo sub Archangelis esse*: aut ex alio quolibet inferiorum ordinum aliquem non ferentem subesse cuiquam, nisi Deo. Quid, inquis, prohibes dispensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis, ut ignorem positos vos dispensatores; (2. Cor. 13. 10) sed *in ædificationem, non in destructionem*".

CCCXVII. Patet igitur quid Bernardus, monachus alioqui ipse & Abbas, de promiscua illa commonachorum & coabbatum suorum emancipatione censuerit. Sed non solus: nam eodem seculo Richardus Archiepiscopus Cantuariensis, Beati Thomæ Martyris successor, pridem quoque & ipse monachus ac Prior claustralis, non minùs dolenter expostulat hac de re cum Alexandro tertio, quàm Bernardus cum Eugenio tertio. Ausus quippe fuit Abbas quidam in ipsius præsentia asserere, *Se de cætero nulli Episcopo vel Archiepiscopo, nisi soli Summo Pontifici, super professione vel obedientia respondere*: quinimò & addere, *Viles sunt Abbates & miseri, qui potestatem Episcoporum prorsus non exterminant; cùm pro annua auri uncia plenam à Sede Romana possint assequi libertatem*. Super his igitur ille Angliæ Primas, Alexandro Pontifici scribens: (R. Richard. Cantuarien. apud Petrū Bielensem Epist. 69.) "Ideò, inquit, hæc ad aures Eminentiæ Vestræ, Reverende Pater, communi deploratione deferimus, quia pestis illa latissimè se diffundit: adversùs Primates & Episcopos intumescunt Abbates, nec est qui Majoribus suis reverentiam exhibeat & honorem: evacuatum est obedientiæ jugum, in quo erat unica spes salutis & prævaricationis antiquæ remedium. Detestantur Abbates habere suorum excessuum correctorem, vagam impunitatis licentiam amplectuntur, claustralisque militiæ jugum relaxant in omnem desiderij libertatem. Hinc est quòd monasteriorum ferè omnium facultates datæ sint in direptionem & prædam: nam Abbates exteriùs curam carnis in desiderijs agunt, non curantes, dummodò lautè exhibeantur, & fiat pax in diebus eorum: claustrales verò, tanquam acephali, otio vacant & vaniloquio: nec enim Præsidem habent, qui eos ad frugem vitæ melioris inclinet. Quòd si tumultuosas eorum contentiones audiretis, claustrum non multùm differre crederetis à foro. Hæc omnia, Reverende Pater, vestræ correctionis judicium postulant tempestivum: nisi enim huic malo maturius remedium adhibeatur, verendum est, ne sicut Abbates ab Episcopis, ita Episcopi ab Archiepiscopis, & à Prælatis suis Decani & Archidiaconi eximantur. Et quæ est hæc forma justitiæ, aut potiùs juris deformitas prohibere, ne discipuli magistro consentiant, ne filij obediant patri, ne milites sequantur Principem, ne servi domino sint subjecti? Quid est eximere ab Episcoporum jurisdictione Abbates, nisi contumaciam ac rebellionem præcipere, & armare filios in parentes? Videant, quæso, ista, & judicent, qui judicant orbem terræ: ne inde emanare videantur injuriæ, unde jura sumuntur". Subdit præterea idem author inferiùs ibidem quædam de origine istarum emancipationum, ostendens cessare finem Indultorum non modò negativè, sed positivè ac contrariè: "Scimus equidem, ait, quòd ob quietem monasteriorum, & Episcoporum tyrannidem, (Vide Clementin. de Excessibus Prælator.) has exemptiones plerunque Romani Pontifices indulserint. Verumtamen in contrarium res versa est: monasteria enim, quæ hoc beneficium damnatissimæ libertatis sive Apostolicâ authoritate, sive, quod frequentius est, Bullis adulterinis adepta sunt, plus inquietudinis, plus inobedientiæ, plus inopiæ incurrerunt: ideoque & multæ domus, quæ nominatissimæ sunt in sanctitate & religione, has immunitates aut nunquam habere voluerunt, aut habitas continuò rejecerunt". Prædictis duobus testibus tertium adjungo, Joannem Sarisberiensem, ejusdem ævi Scriptorem disertissimum, dignitate Carnotensem Antistitem, qui in suo Policratico ait: (R. Ioan Sarisb. lib. 7. Policrat. cap. 19.) "Votis, etsi non re, plures numero sunt Rectores, quàm illi quos regunt. Nam qui regi velint, perpauci sunt; cùm quisque ut emancipetur à jugo Rectoris proprij, totis viribus quærat. Privilegio siquidem Apostolico, aut Regio præcepto, plurimi tuti sunt, ne Judicibus suis obtemperent, ne justitiam faciant, ne legi Dei subjecti sint. Non reprehendo clementiam Apostolicæ Sedis, sed hanc indulgentiam ejus Ecclesiæ Dei non arbitror expedire: nihil tale in illa gloriosa familia Christi legimus, licèt & *in illis contentio facta sit, quis eorum videretur esse maior*: (Luc 22. 24.) nullam emancipationem hujusmodi ab Apostolis factam meminimus, licèt *Paulum & Barnabam* audierimus (Act. 15. 39.)

"rimus *ab invicem discessisse*: nullam in illa su-
Gal.4.26. perna civitate, *quæ sursum est mater nostra*, contradictionis materiam credimus; sed nec hic esse debere, nisi urgentissima ratio flagitet. De his enim, ut pace multitudinis & eorum qui iniquitatem illius fovent loquar, dicam quod sentio, nec quidquam subtraham veritati aut probabilitati. Dico ergo quod indubitanter credo, quòd hi qui efferente superbiâ hujusmodi emancipationes quærunt, à cervice sua jugum Christi & Patris ejus, si fieri posset, excuterent. Plus dico, imò & quantum est in ipsis excutiunt, & divinæ ordinationi fallaciter contradicunt". Addit quoque idem author inferiùs ibidem cap. 21. de ijsdem: "Quasi cornibus geminæ potestatis Ecclesiam, in cujus sinu quiescunt, & proteguntur umbrâ, ventilare non cessant. Ad Ecclesiam namque Romanam confugiunt, quæ mater pietatis consuevit religioni providere quietem; Implorant opem ejus, protectionis impetrant clypeum, ne cujusquam possint malignitate vexari: & ut se possint pleniùs exhibere; & charitatis implere munus, ne decimas dent Apostolico Privilegio muniuntur. Procedunt ulteriùs; & quò sibi plura impunè liceant, à jurisdictione omnium Ecclesiarum seipsos eximunt, & efficiuntur Romanæ Ecclesiæ filij spirituales: ita tamen ut pro foro rei ubique conveniant, sed tamen conveniri non possint nisi Romæ, vel Hierosolymis. Deindè sæcularium Potestatum implorant auxilium, & eis divinam gratiam pollicentur; fiuntque mediatores Dei & hominum, & eos qui veniâ indigent suis aggregant societatibus". Quamvis tres isti sufficere præsenti nostro scopo posse videantur, nihilominùs ad complendam quadrigam adjiciemus Petrum Blesensem, prædictis tribus synchronum: qui fratrem suum Abbatem Maniacensem, Privilegio Apostolico recenter emancipatum, & Pontificalibus insignibus condecoratum, sic alloquitur in quadam Epistola ad
a Petr. Blesens. Epist. 90. ipsum: a "Nunquid hæc abusio Episcopalium emanavit à Regula B. Benedicti? Nunquid præcipiuntur emancipationes istæ in Euangelio, & Prophetis? Noli, quæso frater charissime, detrectare obedientiæ jugum: nam per inobedientiam mors intravit; quæ adhuc seminare non cessat inter Episcopos & Abbates jurgiorum fomitem, & materiam scandalorum: Adam per inobedientiam perijt: Saul per inobedientiam regnum perdidit. Nec blandiatur sibi aliquis, quòd per privilegium Romanæ Ecclesiæ ab inobedientia excusetur. Deus; apud quem *me-* 1.Reg.15.22
lior est obedientia quàm victima, quicquid emancipet aut privilegiet homo, inobedientiam detestatur. Si unum præcipit Deus; & aliud indulget aut præcipit homo, *Obediendum est* Act.5.29.
Deo potiùs quàm homini. Scitis quòd Abdon missus ad Ieroboam à Domino, prohibitus est ab eo; ne in via comederet: qui cum alio Prophetâ, ut comederet suggerente; & dicente se propter hoc missum à Domino; comedit. Sed licèt authoritate alterius Prophetæ hoc fecisset, propter inobedientiam tamen *à leone devoratus interijt*. Cùm enim 3.Reg.13.
speciale mandatum Domini suscepisset, ad 22.
suggestionem hominis non erat in præcepto Domini dispensatio admittenda. Si Romanus Pontifex à jurisdictione vestri Episcopi vos exemit, nolite, quæso, uti privilegio, quod materiam rebellionis inducit. *Maria percussa est leprâ*; quia Moysen objur- Num.12.10.
gavit: *Oza percussus est à Domino*, quòd in 2.Reg.6.8.
arcam Domini manus temeritatis injecit: *terra Dathan & Abiron absorbuit vivos*, quia Num.16.32.
contra Moysen & Aaron se in superbiam erexerunt; complices etiam eorum pœnalis flamma combussit, *Exarsit enim ignis in syna-* Ps.105.18.
goga eorum, flamma combussit peccatores. Cùm detestabilis sit ubique superbia; detestabilior est in professore humilitatis: quod enim ærugo in ferro est; quod in veste tinea; quod fel in lacte, quod venenum in melle, hoc est superbia in habitu monachali. Putatis in susceptione mitræ; sandaliorum, & annuli, vestri monasterij dignitatem plurimùm promovisse? In his tamen nihil video, nisi inobedientiæ malum; seminarium odij, tumorem elationis, & superbiæ ventum. Superbia ratione cælestis est, semper in altum nititur, ut graviùs cadat: hodie tamen in claustris imitatores ac sequaces suos invenit primus filius superbiæ, ille Lucifer, aut potiùs Tenebrifer, qui *sibi* Isa.14.13
sedem destinabat in lateribus aquilonis, atque *sibi* & 14.
similitudinem Altissimi usurpabat". Et rursus ibidem post paucula: "Quid enim aliud est *positio sedis in aquilone; & usurpatio similitudinis Altissimi*, quàm emancipatio, & insignium Episcopalium acquisitio in Abbate"?

CAPVT

CAPUT LXXXIV.

Invectivarum superiori capite relatarum mitigatio. Non derogat encomio claustralium morigerorum ambitio libertinorum. Emancipationum Regularium causæ aliquot justæ recensentur, & originalis occasio memoratur. Religiosi conferuntur mundanis, ut viridia ligna aridis. Cain *primogenitus Adæ ex ambitione libertatis prorupit in contumeliam divinitatis. Exemptionis studium parit subjectionis odium, eoque mediante legifragium. Qui solo pœnæ metu legi foris obtemperat, in ipsa intus voluntate reus est, quâ mallet non esse quod timeat, ut liberè faciat quod lubet. Unde nascatur, quòd in vetitum nitamur? Expenditur quod scriptum est,* Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum natum putat. *Onager indomitæ petulantiæque libertatis symbolum.* Ismael *Abrahæ filius ex Agar,* onager inter homines *dictus: ejus posteri quàm vagi, exleges, ac libertini? Cur vitio vertatur homini ambitio libertatis, cùm naturaliter ei ingenitus sit appetitus libertatis? Vitium semper contrariatur naturæ. Usqueadeò supereminet homo pecori, ut vitium hominis natura sit pecoris. Libido cur in homine potius quàm in pecore sit vitiosa? Sicut virtuti mediocritas, ita vitio deputatur extremitas.*

CCCXVIII Exempla illa ambitæ à Regularibus libertatis non eo fine adduximus, ut insultando exprobremus: sed ut per ea testatum faciamus, quàm longè latèque pestiferę illius cupiditatis salsugo, per quoslibet hominum status & ordines, sese diffuderit; quæ votis etiam monasticis vinctos, intemperantiæ suæ ebrietate madefecerit. Unde non omnimodè reprobamus Religiosorum emancipationes, sed irrequietam quorundam execramur ambitionem. Etenim Bernardus ipse, postquàm tanto impetu in tales fulmina suæ indignationis torsisset, invectivas suas usqueadeò ad extremum temperavit, ut adjecerit: [T] „Nonnulla tamen monasteria, sita in diversis „Episcopatibus, quòd specialiùs pertinuerint ab ipsa sui fundatione ad Sedem Apostolicam, pro voluntate fundatorum, quis „nesciat? Sed aliud est quod largitur devotio, aliud quòd molitur ambitio, impatiens subjectionis". Richardus quoque Cantuariensis fervorem suum nonnihil remittit, dum inferiùs ibidem addit ad Pontificem: [V] „Si „ex turbatione spiritûs & abundantiâ cordis „os loquitur, inconsulto calori misericordiæ „ter indulgere velitis, clementissime Pater. „Dolor enim noster in conspectu vestro est, „& gemitus meus non est à vobis absconditus". Joannes item Sarisberiensis priori loco superiùs relato disertè profitetur *se non reprehendere clementiam Apostolicæ Sedis.* In altero quoque capite eodem subsequenter citato, addit inferiùs: „Claustrales qui verè sunt „Religiosi, dum professionibus serviunt, ab „hac malitia immunes sunt. Nulla vita fidelior, nulla simplicior, nulla felicior, „quàm eorum qui in claustris fideliter degunt; & humiliter abjectione suâ gaudentes, obedientes Prælatis suis in omni subjectione & reverentiâ, nec appetentes sub „obedientiæ nomine dominatum, nec fraudandi, aut vagandi, aut otiandi licentiam; vasa sua possidentes in sanctificatione & honore, præstolantes in silentio „& patientiâ salutare Dei, à detractione & „murmure alieni, excipientes ab ore Domini in quiete verbum, quod salvare potest „animas suas, grata miscentes cum Deo „colloquia, & quasi terrestres Angeli sunt, „totius mundanæ perturbationis ignari". Paulò item superiùs eodem ipso capite prorsùs pernegat indisciplinaritatem quorundam imputandam esse Religioni vel professioni. Cùm enim diversorum Ordinum Regularium instituta commemorasset: „In his omnibus, ait, fideles inveniuntur, & reprobi: „nec ob id veritas Religionis aut professionis deformatur. Quæ enim professio est, „aut quæ legitur unquam fuisse societas, in quam

[T] Bern. l. 3. de Consid. c. 4. in fine.

[V] Richard. Cantuar. supra.

Ioan. Sarisber. supra.

„quam macula non irrepserit? Angelum „apostatam legimus, in primis fratribus parricidium, Prophetam reprobum, Apostolum „proditorem, discipulos Christi perfidos: nec „tamen corrumpitur puritas persistentium „Angelorum, aut minùs sancta est societas „invicem diligentium fratrum, aut Prophetiæ gratia est in electis culpabilis, aut Apostolatus in fidelibus contemptibilis, aut disciplina Christi per varios errores aberrantium est infamis". Nihil denique ab his diversum sensisse credendus est Petrus Blesensis: quippe qui indiscretas duntaxat emancipationes, nullâ Ecclesiæ utilitate nedum necessitate subnixas, sed obstetricante ambitione partas, improbat: discretas autem, ac tranquillo monachorum regimini necessarias, nequaquam perstringit. Unde in supradicta Richardi Cantuariensis Epistolâ, quæ ipsius Blesensis stylo exarata est: *Scimus equidem*, inquit, *quod ob quietem monasteriorum, & Episcoporum tyrannidem, has exemptiones plerunque Romani Pontifices indulserunt*. Non utique taliter reverà indultas, perseverante eâdem indulgendi causâ, reprehendit: sed vel falsâ causæ non subsistentis allegatione extortas, vel primævâ causâ in contrarium versâ continuatas, vel denique adulterinis Bullis non verè, sed prætensè impetratas, damnat: W. Quidam putant, inquit Henriquez, Papam in pœnam justam privasse Episcopos eâ „jurisdictione: eò quòd Regularibus, quos „fovere debuissent, ut in adjutorium sibi gratis datos, varia gravamina intulerint, abutentes potestate sibi per Pontificem datâ. „In qua pœnali privatione Pontifex videtur „usus jure defensionis, & protectionis pauperum innocentium". Cæterùm gravamina varia per Episcopos illata Regularibus commemorantur à Gregorio IX. lib. 5. Decretalium Tit. 31. cap. 16. & 17. necnon à Clemente V. in Synodo Viennensi, prout cernere licet Clementinâ unicâ *de Excessibus Prælatorum in 6*. Varij proindè occurrere possunt casus, in quibus, salvâ authoritate prædictorum Scriptorum, possunt à Religiosis emancipationes competenter expeti, & à Pontificibus providenter concedi. Unde Busæus in suis Notis ad Epistolam 96. Petri Blesensis ait:" Si lege divinâ Abbates vel monachi „subjecti essent Episcopis, utique non posset „privilegio suo Romanus Pontifex eos eximere ab Episcoporum obedientia. Sed quia „lege humanâ tantùm olim subjecti illis fuére, potest illos Romanus Pontifex, CVM „IVSTÆ CAVSÆ SVPPETVNT, ab eorum imperio eximere". Porrò justas hujusmodi causas idem author superiùs in Notis ad Epistolam 68. quæ est Richardi Cantuariensis, recenset duas, communem scilicet Ecclesiæ utilitatem,

Pet. Blesensis.

W. Henriq. in Summa lib. 7. c. 24. n. 7.

Busæus.

& Regularis disciplinæ tutelam. Aliam prætereà causam non tam concedendæ quàm conservandæ exemptionis innuit Bernardus proximè relatus, nimirùm voluntatem fundatoris, quâ utique voluit monasterium à se fundandum subesse immediatè Apostolicæ Sedi, semotâ jurisdictione Ordinarij. Unde non malè Busæus ibidem conjicit, Bernardum §. 316. relatum non agere contra Regulares quomodolibet exemptos, sed *contra monachos, qui ex superbissima ambitione & impudentissima præsumptione iugum Episcoporum excutiebant*. E quorum profectò numero videtur fuisse is, qui apud Richardum Cantuariensem suprà dicebat, *Viles sunt Abbates & miseri; qui potestatem Episcoporum prorsùs non exterminant; cùm pro annua à re unciâ plenam à Sede Romana possint assequi libertatem*; Illi item, qui non ob aliud affectabant emancipationem; quàm ut impunè possint esse inquieti & immorigeri: maximè verò ij, qui *adulterinas Bullas* ostendebant, ut Episcopalem jurisdictionem excuterent. Quid non mortalia pectora cogit libertatis amor, submittere colla recusans?

CCCXIX. Quòd si libertatis amor tantoperè inquietat corda monachorum, speciali obedientiæ voto obstrictorum; quantò magis credendus est inquietare corda aliorum, ab omni hujusmodi voto liberorum? Si enim ambitionis flamma tantæ sit energiæ, ut etiam viridia ligna exurat; quomodò fieri potest ut ejus vim ultimam arentia ligna defugiant? *Si in viridi ligno*, ait Veritas, *hæc faciunt, in arido quid fiet*? Aridum lignum fuit protoplastorum ille primogenitus *Cain*, qui flammâ istâ ambitionis adustus divinam providentiam negasse memoratur: ut nimirùm, eâ de medio sublatâ, liberum foret hominibus id impunè perpetrare quod vellent, nemine regente, nemine terrente, nemine puniente. Negatam porrò ab eo fuisse divinam providentiam disertè testatur Paraphrastes Hierosolymitanus in caput 4. Geneseos vers. 8. ubi sic legitur: *Dixit Cain ad Abel fratrem suum, Veni & egrediamur in agrum. Et accidit, cùm egressi essent ambo in agrum, respondit Cain: Non est iudicium, nec Iudex, nec sæculum aliud, nec merces bona pro iustis, nec pœna pro impijs, nec Dei misericordia creatus est Mundus, nec Dei misericordiâ regitur Mundus*. Hunc quadantenùs imitantur, qui leges à Deo, vel etiam ab homine vicem ejus gerente, constitutas, studiosè contemnunt, aut certè non nisi pœnæ timore custodiunt. Priores enim ex amore propriæ libertatis prosiliunt in formalem contemptum legis, tanquam adimentis, vel arctantis eandem libertatem. Posteriores item ex eodem libertatis amore oderunt quidem

Luc. 23. 31.

Paraphrastes Hierosolymitanus.

Cain.

legem constringentem, quamvis deferre ei videantur metu pœnæ impendentis. Quò spectat illud Augustini: [T] "Inaniter putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat: quia etsi non impleatur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahas quod timetur? Ac per hoc in ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri, sed ideò non facit quia impunè non potest fieri: nam quantum in ipso est, mallet non esse justitiam, peccata prohibentem atque punientem. Et utique si mallet non esse justitiam, quis dubitaverit quòd eam, si posset, auferret? Ac per hoc quomodò justus est, justitiæ talis inimicus, ut eam, si potestas detur, præcipientem auferat, ne comminantem vel judicantem ferat? Inimicus ergo justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat: amicus autem erit, si ejus amore non peccet: tunc enim verè timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere: ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit: ipse est enim *timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi*. Nam ille timor pœnæ tormentum habet, *& non est in charitate, eumque perfecta charitas foras mittit*. Tantùm porrò quisque peccatum odit, quantùm justitiam diligit: quod non poterit lege terrente per litteram, sed spiritu sanante per gratiam". Quòd verò quisque eorum qui solo pœnæ timore legem utcunque observant, in odium legis prosiliant ex inordinato libertatis amore, indicat idem Augustinus lib. de Natura & Gratia cap. 57. "Sub lege est, inquiens, qui timore supplicii quod lex minatur, non amore justitiæ se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus à voluntate peccandi. In ipsa enim voluntate reus est, quâ mallet, si fieri posset, non esse quod timeat; ut liberè faciat, quod occultè desiderat". Hic ergo est scopus in quem collimat, & fons unde reliquorum actuum series scaturit, *ut liberè faciat, quod occultè desiderat*, hoc est, ut sibi impunè liceat quicquid lubet. Huc spectat & illud Prosperi, ex eodem ipso Augustino excerptum: [V] "Qui timendo facit, serviliter facit: nec est amicus recti, quando mallet, si fieri posset, id quod rectum est, non juberi". Ideò namque hoc mallet, quia liber esse, quàm obstrictus mallet. [W] *Quæritur*, ait quidam, *unde contingat, ut nitamur in vetitum, & id quod prohibetur amplius placeat, & dulcius fiat ex ipsa prohibitione?* Et continuò respondens subdit: "Natura humana sic creata est, ut naturaliter appetat libertatem; quæ per prohibitionem videtur diminui, & in servitutem redigi. Unde quantum potest statim factâ prohibitione resistit, nitens contrà". Propter hanc insitam libertatis cupidinem scriptum est de homine, vano signanter ac in superbiam erecto, quòd *tanquam pullum onagri liberum se natum putet*: nimirum, ut Augustinus in eum locum scribit, [X] "Cupiditate libertatis impatiens dominatoris atque domitoris". Cui consonans Gregorius: [Y] "Qui ergo, inquit, implere cuncta, quæ desiderat per effrænatam libertatem quærit, quid aliud quàm *pullo onagri* esse similis concupiscit: ut disciplinæ hunc lora non teneant, sed ardenter vagus per sylvam desideriorum currat"? De *Ismaële*, Abrahæ Patriarchæ filio, prædictum fuit divinitùs, quòd foret *homo ferus*; sive, ut Pagninus vertit, *sylvestris homo*; Septuaginta Interpretes, *rusticus homo*: pro quo apud Paraphrasten Chaldaicum legitur, *Onager in hominibus*. Porrò, ut notat Pineda, [Z] "*Onagri* nomen in Sacris affert libertatem quandam, quæ velit pro libito agere & discurrere; ut indicatur Job 11. *Tanquam pullum onagri se liberum natum putas*". Et rursùs in caput 39. Job, "*Onagro*, inquit, perpetua est libertas, & continens feriandi otium: ita ut *onager* sit indomitæ & petulantis libertatis symbolum". Et Rupertus: [A] *Onager*, inquit, id est, agrestis asinus, hominem stultum atque superbum significat, sicut in Job scriptum est: *Vir vanus in superbiam erigitur, & quasi pullum onagri liberum se natum putat*". Talem fore Ismaëlem Deus prænuntiavit Abrahæ, dicens: *Hic erit onager in hominibus*. Tales quoque fuisse ejus posteros, qui & *Ismaëlitæ* & *Agareni*, & posteà *Saraceni* dicti sunt, indicat præter alios Ammianus Marcellinus: [B] "Omnes, inquiens, pari sorte sunt bellatores, seminudi, coloratis sagulis pube tenùs amicti; equorum adjumento pernicium, graciliumque camelorum, per diversa reptantes in tranquillis vel turbidis rebus: nec eorum quisquam aliquando stivam apprehendit, vel arborem colit, aut arva subigendo quæritat victum; sed errant semper per spatia longè latéque distenta, sine lare, sine sedibus fixis, aut legibus". Quid aliud est *esse sine sedibus fixis aut legibus*, quàm esse libertinos, & *tanquam pullos onagrorum se liberos natos putare*?

SCRUPULUS.

CCCXX. Sed cùm juxta Hugonem Victorinum mox relatum, *natura humana sic creata sit, ut naturaliter appetat libertatem*; non apparet quomodò culpandus sit homo in eo, quòd libertatem affectet, & *tanquam pullum onagri liberum se natum putet*. Neque enim culpandus est quisquam nisi propter vitium, quia, ut Augustinus ait, [C] "Nulla vindicta, nulla correptio, nullum Dei flagellum debetur nisi peccato; excepto illo qui *in flagella paratus est*,

T. Augustin. Epist. 144. Vide Epist. 120. cap. 20. & 22. & Serm. 13. de Verb. Apost. c. 11. & Serm. 18. c. 9. & 9. & Serm. 19. c. 8. 9. & 10. & l. de Spir. & lit. c. 8. & lib. 2. ad Bonif. c. 9. & l. 3. c. 4.

Ps. 18. 10.

1. Io. 4. 18.

Vide Lensæum lib. 6. de Libertat. Christ. c. 4.

V. Prosper Sent. 220. Vide Sent. 117.

W. Hugo Victor. q. 175. in Epist. ad Romanos.

Iob 11. 12.

X. Aug. in cap. 11. Iob.

Y. Greg. lib. 31. Moral. cap. 10. alias 13.

Gen. 16. 12.

Z. Pineda in cap. 6. Iob v. 5.

A. Rupert. lib. 31. c. 8. Oleaad v. 9.

B. Ammian. Marcellin. lib. 14.

C. Aug. l. 2. de Peccat. merit. c. 16. Ps. 37. 18.

Heb. 4. 15. „ tus est, ut experiretur omnia secundum similitudinem sine peccato". Atqui humana natura absque ullo prorsus vitio creata est, dicente D Prosp. lib. contra Collat. cap. 28. Prospero, [D] Rectum atque omni vitio carentem creatum esse hominem primum, in quo „ omnium hominum concreata natura est, dubitare fas non est". Ergo cùm juxta Hugonem *natura humana sic creata sit, ut naturaliter appetat libertatem*, consectaneum omninò est ut homo non sit culpandus in eo, quòd libertatem appetat: siquidem appetitio illa naturæ ingenita, & cum eâdem primitùs concreata, vitiosa non est, sed naturalis; cùm tamen vitium nunquam sit naturale, sed juxta constan- E Aug. Epist. 180. cap. 8. tissimam Augustini doctrinam [E] *semper sit contra naturam*. Etenim, ut alibi idem Augu- F Idem Enchir. c. 11. Vide 1.12. de Civit. c. 1. stinus ait: [F] *Animorum quæcunque sunt vitia, naturalium privationes sunt bonorum*. Verùm hic scrupulus facilè excutitur, distinguendo appetitionem libertatis, ab ambitione libertatis. Ambitio enim simplici appetitioni superaddit immoderantiam: & ideò non est consequens ut si humana natura appetat naturaliter libertatem, etiam naturaliter ambiat libertatem. Neque enim *ambitiosus* dicitur quisquis rem quampiam quomodolibet appetit, sed is duntaxat qui immoderatè affectat; sive ea immoderatio proveniat ex improportione objecti cum affectante, sive ex inordinatione ipsius actûs affectandi. Unde D. Thomas loquens generaliter de concupiscentiâ, cujus una species est *ambitio sæculi*: [G] Quia in homine, inquit, G D Thom. 1. 2. q. 82. a. 3. ad 1. Vide Etiam in 2. Dist. 13. §. 6. & Dist. 30. §. 9. & 11. „ vis concupiscibilis naturaliter regitur ra„ tione, intantùm concupiscere est homini „ naturale, inquantùm est secundùm rationis „ ordinem: concupiscentia autem quæ transcendit limites rationis, inest homini contra naturam". Et rursùs inferiùs q. 85. a. 3. ad 3. " Concupiscentia intantùm est naturalis ho„ mini, inquantùm subditur rationi: quòd „ autem excedat limites rationis, hoc est homini contra naturam" Et in 2. Dist. 30. q. 1. a. 1. ad 4. " Vis concupiscibilis hoc habet na„ turale, ut tendat in delectabile secundùm „ sensum: sed secundùm quod est vis concu„ piscibilis humana, habet ut tendat in suum objectum secundùm regimen rationis". Et ibidem in corpore articuli: "Quod vis concupis„ cibilis in suum objectum tendat irrefrænatè, „ hoc non est naturale sibi inquantùm est hu„ mana, sed magis contra naturam ejus inquantùm est hujusmodi". Quod igitur Hugo ait, *Naturam humanam sic creatam esse, ut naturaliter appetat libertatem*, verissimum quidem est, quatenùs libertas est quoddam bonum humanæ naturæ congruum, proportionatum, commensuratum: sed si humana natura vel majorem congruâ libertatem appetat, vel etiam congruam inordinatè appetat, ejusmodi appetitio non erit naturalis, sed exitialis, ac vitiosa: si autem vitiosa, proculdubiò contranaturalis: [H] *Vitium quippe contra naturam est*. Nec refert quòd libertatis cupido non sit vitiosa aut H Aug. l. de Spir. & litt. cap. 27 PRÆOCCVPATIO. naturæ contraria in *pullo onagri*, cui ambitiosus homo comparatur. [I] Nam etsi *homo in honore* I Aug l de Peccat orig. cap. 40. Psal 48.13. „ *positus & non intelligens comparatur pecoribus*, „ *et ejusque similis fit*: non tamen usqueadeò similis „ fit, ut pecus sit. Comparatur namque per vi„ tium, non per naturam; non pecoris vitio, „ sed naturæ. Tantæ namque excellentiæ in „ comparatione pecoris est homo, ut vitium „ hominis, natura sit pecoris". Quemadmodùm igitur concupiscentia carnis non est vitiosa, sed naturalis in equo & mulo; est tamen vitiosa & contranaturalis in hominibus, quibus dicitur, *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non* Psal. 31. 9. *est intellectus*; & qui redarguuntur cùm dicitur, *Equi amatores & emissarii facti sunt, unusquisque* Hier. 5. 8. *ad uxorem proximi sui hinniebat*: ita concupiscentia libertatis non est vitiosa sed naturalis in *pullo onagri*; est tamen vitiosa & contranaturalis in *viro vano qui in superbiam erigitur, & tanquam* Iob. 11. 12. *pullum onagri liberum se natum putat*. Ratio in propatulo est, quia pullus onagri ex sua natura caret fræno rationis, quo regat ac moderetur suas appetitiones: homo autem insitum sibi habet ejusmodi frenum, quo si vel uti negligat, vel abuti præsumat, suo officio deerit, ac vitio subjacebit: [K] Libido, inquit Augusti„ nus, ideò malum non est in belluis, quo„ niam non repugnat rationi, quâ carent". K. Aug l 4. contra Iul. cap. 5. Et inferiùs ibidem cap. 14. " Ideò in pecori„ bus malum non est concupiscentia, quia non „ adversùs spiritum concupiscit, sed eorum „ potiùs oblectat spiritum. Concupiscentiâ „ enim sapientiæ carentia, carnali concupis„ centiæ non resultante, & à bono vitæ ratio„ nalis aliena hoc bonum habent, quo delectentur. Jam verò & anteà diximus, prop„ tereà hoc non esse in pecoribus malum, quia „ in eis non concupiscit adversùs spiritum: „ non enim habent rationem, quâ libidines „ subjugent superando, fatigentve pugnan„ do". Philosophus dicit, & verum dicit, [L] *Omnes homines naturaliter scire desiderant*; & tamen L. Arist. l. 1. Metaph. c. 1. Apostolus præcipit, & rectissimè præcipit, ut *non plus sapiamus quàm oportet sapere, sed sapiamus ad sobrietatem*. Cæterùm quod hîc dicitur Rom. 12. 3. de scientia vel sapientia, pari jure locum habet in libertatis appetentia: quam utique Hugo dicit, & verè dicit, *inesse homini à natura*; & nihilominùs unicuique præcipitur, & rectissimè præcipitur, non plus appetere quàm oportet appetere, sed appetere ad sobrietatem. Scriptum quippe est de Deo, quòd *salvos faciat rectos corde*: [M] Rectus corde is est, Psal. 7. 11. M. Basil. in Psal. 7. v. 11. „ inquit Basilius, qui animum retinet neu„ trobi vergentem: sic ut nec excedat, neque „ desit sibi, sed ad medium dirigatur virtu„ tis". Et mox infrà: " Hujusmodi homines,

„ Scriptura *obliquos* nominat & *obtortos*, qui à „ virtutis medio ad excessum, vel defectum tendunt". Et Isidorus Pelusiota: [N] Sicut „ præstantissimi Statuarij, inquit, ad amussim „ examinant operis proportionem, in qua „ artifex symmetriam non excedat: ita & „ virtuti dediti mediocritatem excedere ne„ fas ducunt. Virtutem enim circumstant „ utrinque vitia, quæ virtute præditum fallere facilè possunt". Eòdem spectat & illud Salomonis monitum: *Dirige semitam pedibus tuis, & omnes viæ tuæ stabilientur: ne declines ad dexteram, neque ad sinistram:* & illud item Flacci in Sermonibus, [O] *Est modus in rebus, sunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum.* Qui & superiùs Epist. 18. lib. 1. præmiserat, *Virtus est medium vitiorum, & utrinque reductum.*

N. Isid. Pelus. l. 1 Epist. 186. Vide lib. 1. Epist. 135.

Prov. 4. 26. & 27.

O. Horatius lib. 1. Serm. Satyr. 1.

CAPVT LXXXV.

Appetitus libertatis suppari passu ambulat cum appetitu beatitudinis, quem omni creaturæ rationali inesse Veritas clamat. Mimi *cujusdam facetia magis urbana, quàm vera De appetitu laudis sententia* Ennij *excutitur. Beatitudinis cupido hominibus universis non modò inest, sed & innascitur: duas habet radices è quibus suppullulat, convenientiam, & indigentiam: beatitudinis possibilitatem arguit: ad facialem usque summi veri summique boni adeptionem se exporrigit: sola quippe Dei visio, vera humanæ mentis refectio est: ubicunque infrà substiterit, indiga, adeòque misera remanebit. Imago Dei creata concupiscit assistere genitæ. Quoniam Deus fecit nos ad seipsum, inquietum est cor nostrum donec requiescat in ipso. Pelagianorum commentum de vita æterna extra regnum cælorum. Qui innocentem imaginem Dei alienat à regno Dei, nec timorem habet nec amorem Dei. Fulgentij super hac re cum Augustino conspirantis suffragium.*

CCCXXI. QUæ de libertatis appetentia jam disseruimus, affinia sunt eis quæ de beatitudinis cupidine medullitùs insitâ disseri consueverunt. Natura quippe humana ex intima inclinatione beatitudinem appetit, & nihilominùs si limites mediocritatis altrinsecùs excesserit appetendo, subjacebit delicto: [P] Ipsa „ est vita beata, inquit Augustinus, quam „ omnes volunt, & omninò qui nolit eam „ nemo est. Ubi noverunt eam, quòd sic vo„ lunt eam? Ubi viderunt, ut amarent eam? „ Nimirùm habemus eam nescio quomodò: „ & est alius quidam modus, quo quisque „ cùm habet eam, tunc beatus est; & sunt „ qui spe beati sunt. Inferiore modo isti ha„ bent eam, quàm illi qui jam reipsa beati „ sunt; sed tamen meliore quàm illi qui nec „ re nec spe beati sunt: qui tamen etiam ipsi „ nisi aliquo modo haberent eam, non ita „ vellent beati esse: quod eos velle certissimum est". Et rursùs ibidem post pauca, continuans sermonem de eadem vita beata: " Nota est igitur omnibus, inquit, quia unâ „ voce si interrogari possent, utrùm beati „ esse vellent, sine ulla dubitatione, velle responderent". Et lib. 2. de Libero arbitrio cap. 9. " Summo bono, inquit, assecuto & „ adepto, beatus quisque fit: quod omnes sine controversia volumus". Et mox infrà ibidem: " Antequam beati simus, mentibus „ tamen nostris impressa est notio beatita„ tis: per hanc enim scimus, scienterque & „ sine ulla dubitatione dicimus, beatos nos esse velle". Et lib. 13. de Trinit. cap. 3. " Est quædam sanè naturæ viventis ac ratio„ ne utentis tanta conspiratio, ut cùm lateat „ alterum quid alter velit, nonnullæ tamen „ sint voluntates omnium etiam singulis no„ tæ: & cùm quisque homo nesciat quid ho„ mo alius unus velit, in quibusdam rebus „ possit scire quid omnes velint. Unde illa „ cujusdam mimi facetissima prædicatur ur„ banitas: qui cùm se promisisset in theatro „ quid in animo haberent, & quid vellent „ omnes, alijs ludis esse dicturum; atque ad „ diem constitutum ingenti expectatione ma„ jor multitudo conflueret, suspensis & si„ lentibus omnibus, dixisse perhibetur, *Vili* „ *vultis emere, & caro vendere.* In quo dicto „ levissimi Scenici, omnes tamen conscientias „ invenerunt suas; eique, vera ante oculos „ omnium constituta, & tamen improvisa „ dicenti, admirabili favore plauserunt.

P. Aug. l. 10. Conf. c. 20.

Mimus.

Cur

„ Cur autem tam magna expectatio facta est
„ illo promittente omnium voluntatem se
„ esse dicturum, nisi quia latent hominem
„ aliorum hominum voluntates? Sed nun-
„ quid ista latuit istum? Nunquid quenquam
„ latet? Quâ tandem causâ, nisi quia sunt
„ quædam, quæ non inconvenienter in alijs
„ de se quisque conjiciat, compatiente vel
„ conspirante vitio, seu naturâ? Sed aliud est
„ videre voluntatem suam, aliud, quamvis
„ certissimâ conjecturâ, conjicere alienam.
„ Nam conditam Romam tam certum habeo
„ in rebus humanis, quàm Constantinopo-
„ lim; cùm Romam viderim oculis meis, de
„ illa verò nihil noverim nisi quod alijs testi-
„ bus credidi. Et mimus quidem ille vel se-
„ ipsum intuendo, vel alios quoque expe-
„ riendo, *vili velle emere, & caro vendere*, om-
„ nibus id credidit esse commune. Sed quo-
„ niam reverà vitium est, potest quisquam
„ adipisci ejusmodi justitiam, vel alicujus alte-
„ rius vitij huic contrarij incurrere pestilen-
„ tiam, quâ huic resistat, & vincat. Nam
„ scio ipse hominem, cùm venalis codex ei
„ fuisset oblatus, pretijque ejus ignarum; &
„ ideò quiddam exiguum poscentem cerne-
„ ret venditorem, justum pretium, quod
„ multò amplius erat, nec opinanti dedisse.
„ Quid si etiam sit quisquam nequitiâ tantâ
„ possessus, ut vili vendat quæ dimiserunt
„ parentes, & caro emat quæ consumant li-
„ bidines? Non est, ut opinor, incredibilis
„ ista luxuries: & si quærantur tales, repe-
„ riantur; aut etiam non quæsiti fortassis oc-
„ currant, qui nequitiâ majore quàm thea-
„ tricâ propositione vel theatricæ pronuntia-
„ tioni insultent, magno pretio stupra emen-
„ do, parvo autem rura vendendo. Largi-
„ tionis etiam gratiâ novimus quosdam
„ emisse frumenta cariùs, vel viliùs vendidisse
„ suis civibus. Illud etiam quod vetus Poëta
„ dixit Ennius, *Omnes mortales sese laudari ex-* (Ennius.)
„ *optant*, profectò & de se ipso, & de ijs quos
„ expertus fuerat, conjecit in alijs: & videtur
„ pronuntiasse omnium hominum volunta-
„ tem. Denique si & mimus ille dixisset, *Lau-*
„ *dari omnes vultis, nemo vestrûm vult vituperari*;
„ similiter quod esset omnium voluntatis
„ dixisse videretur. Sunt tamen qui vitia sua
„ oderint, & in quibus sibi displicent ipsi, nec
„ ab alijs se laudari velint, gratiasque agant
„ objurgantium benevolentiæ, cùm ideò vi-
„ tuperantur ut corrigantur. At si dixisset,
„ *Omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis*;
„ dixisset aliquid, quod nullus in sua non ag-
„ nosceret voluntate. Quicquid enim aliud
„ quisquam latenter velit, ab hac voluntate,
„ quæ omnibus hominibus satis nota est, non
recedit". Ex quibus finalibus verbis planum

(Vide Rich. Victo. lib. 2. de Erud. interi. hom. cap. 12.)

inprimis est, beatitudinis appetentiam omnibus sine exceptione hominibus esse communem. Secundò communem pariter omnibus esse notitiam quâ experiuntur eam appetentiam sibi inesse, quoties admoniti reflectunt se supra se. Hæc quippe duo satis apertè indicantur illis Augustini verbis, quibus de mimo illo ait: *Si dixisset, Omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis; dixisset aliquid, quod nullus in sua non agnosceret voluntate*. Tertiò indidem planum est, omnem actum humanæ voluntatis esse vel ipsam beatitudinis appetentiam, vel certè ei non solùm connecti, sed & subnecti, sive subniti. Hoc quippe haud obscurè important extrema illa verba, *Quicquid aliud quisquam latenter velit, ab hac voluntate, quæ omnibus hominibus satis nota est, non recedit*.

CCCXXII. Cùm jam ostensum sit, beatitudinis appetentiam inesse universis hominibus, perinde ac appetentiam libertatis; ostendendum porrò est inesse eam à natura, perinde ac eandem appetentiam libertatis. Ostendimus autem id inprimis authoritate ejusdem illius authoris, cujus testimonio superiùs §. 319. ostenderamus appetentiam libertatis inesse hominibus à natura. Idem quippe ipse alibi disertè ait: Q. Magna dignitas humanæ
„ conditionis, quòd talis facta est, ut nullum
„ ei bonum præter summum sufficeret".
Cùm igitur quælibet natura connaturaliter appetat sufficientiam, consequens proculdubiò est, ut cuilibet naturæ ingenitus ab intrinseco sit appetitus sufficientiæ. Ac per hoc si humana natura citra summi boni adeptionem nequeat habere suam sufficientiam, planum est, naturaliter ei inesse summi boni appetentiam, atque adeò beatitudinis exigentiam. Unde Augustinus, ipsum summum bonum, quod nonnisi Deus est, alloquens: R. Fecisti
„ nos, inquit, ad te; & inquietum est cor
nostrum donec requiescat in te". Ista quippe humani cordis inquietudo non aliunde promanat, quàm ex sufficientiæ desiderio. Unde idem Hugo alibi de anima humana differens, ait: S. Fontem aquæ desiderat, cujus deside-
„ rium non impletur, donec ad Deum perve-
niat". Cui consonans Henricus Gandavensis, vulgò dictus *Doctor solemnis*: T. Nullum fini-
„ tum scibile, inquit, potest quietare appe-
„ titum hominis in sciendo, sed solùm illud
„ infinitum, in summo rerum cardine consti-
„ tutum. Cùm enim anima naturaliter capax
„ sit summi boni per affectum, & summi veri
„ per intellectum, minori impleri non potest:
„ quia quod potest capere majus, non potest
„ impleri minori, sed semper remaneret ali-
„ quid de vacuo, quod appeteretur impleri;
„ & ita adhuc non esset quies. Et ideò dicit
„ Deo B. Augustinus in principio Confessio-

(Q. Hugo Victor. lib. 2. de Sacram. p. 6. cap. 6. Vide lib. 3. Miscell. c. 5.)

(R. August. l. 1. Conf. cap. 1.)

(S. Hugo Victor. in Psal. 42.)

(T. Henric. Gandavens. in Summa p. 1. a. 4. q. 5. Vide Durandum & Paludanum in 4. Dist. 49. & Marsil. in 3. q. 10. a. 2. & D. Thomam 1. 2. q. 3. a. 2.)

 num;

„ num: *Tu excitas, ut laudare te delectet: quia*
„ *fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum donec*
requiescat in te". Et iterùm inferiùs q. 9. ejus-
dem articuli: " Primum verum, inquit, in
„ omni alio vero & per omne aliud verum
„ vocat intellectum, ut tendat ad sui noti-
„ tiam; & primum bonum in omni alio bono
„ & per omne aliud bonum vocat affectum,
„ ut tendat ad sui fruitionem & amorem. Et
„ ideò quousque intellectus perducatur ad
„ perfectam notitiam summi veri, & affectus
„ in fruitionem summi boni, nunquam potest
humanus appetitus quiescete". Consonat
item Bonaventura, vulgo dictus *Doctor sera-*
V Bonaven. in 4. Dist. 49. a. 1. q. 2. Vide Majorem ibidem q. 6.
phicus: V. Duo sunt, inquiens, quæ faciunt ap-
„ petitum, scilicet convenientia, & indigen-
„ tia. Quoniam igitur anima rationalis creata
„ est ad Dei imaginem & similitudinem, &
„ facta est capax boni sufficientissimi, & ipsa
„ sibi non sufficit, cùm sit vana & deficiens:
„ ideò dico, quòd veram beatitudinem appe-
tit naturaliter". Consonat quoque Angelicus
W D. Thom. 1. 2. q. 5. a. 8. in corp. Vide Antonin. 1. p. tit. 10. c. 6 §. 1.
Doctor, cùm ait: W. Appetere beatitudinem
„ nihil aliud est, quàm appetere ut voluntas
satietur: quod quilibet vult". Et rursùs ibi-
dem ad 2." Beatitudo potest considerari
„ sub ratione finalis boni & perfecti, quæ est
„ communis ratio beatitudinis: & sic natura-
„ liter & ex necessitate voluntas in illud ten-
dit". Et iterum ad 3." Nihil satiat natura-
„ lem hominis appetitum, nisi bonum per-
fectum, quod est beatitudo". Et in 4. Dist.
49. q. 1. art. 3. q. 3" Quandocunque aliquis
„ beatitudinem appetit actualiter, conjungi-
„ tur ibi appetitus naturalis, & appetitus
rationalis". Et in compendio Theologiæ p.
2. cap. 9." Homo naturaliter appetit perfici:
„ & cùm multi sint gradus perfectionis hu-
„ manæ, illud præcipuè & principaliter in ejus
„ appetitum naturaliter cadit, quod ad ulti-
„ mam ejus perfectionem spectat. Hoc autem
„ bonum hoc indicio cognoscitur, quòd na-
„ turale desiderium hominis in eo quiescit".
Et lib. 4. contra Gentes cap. 82." Naturali-
„ ter creatura rationalis appetit esse beata".
Superiùs item lib. 3. ejusdem Operis c. 50.
atque etiam in Summa 1. p. q. 12. art. 1. in
Corpore, probat possibilitatem humanæ &
Angelicæ beatitudinis, ex eo quòd insit à
natura appetitus assequendi eam. Quo eo-
dem argumento pridem usus fuerat Augusti-
X Aug. l. 4. contra Iul. cap. 3. Vide Ciceronem l. 2. de inventione.
nus, ita scribens: X. Non absurdè virtus de-
„ finita est ab eis qui dixerunt, *Virtus est animi*
„ *habitus, natura, modo, atque rationi consentaneus*.
„ Verum dixerunt, sed quid sit consentaneum
„ liberandæ atque beatificandæ naturæ mor-
„ talium, nescierunt. Neque enim omnes
„ homines NATURALI INSTINCTU immor-
„ tales & beati esse vellemus, nisi esse posse-
mus". Unde autem hunc *naturalem instinctum*
habeamus, indicat ipse lib. 10. de Civit. cap.
29. dicens de Deo authore naturæ: " Natu-
„ raliter indidit nobis, ut beati immortales-
que esse cupiamus". Nequaquam ergo ex su-
perveniente legis transgressione, sed ex ipsa
primæva naturæ institutione insitam nobis
habemus beatitudinis appetentiam: "Quæ na-
„ tura, ait ipse Enchir. c. 25. in malis suis non
„ potuit amittere beatitudinis appetitum".
Et lib. 4. de Trinit. cap. 1." Exulavimus,
„ inquit, ab incommutabili gaudio: nec ta-
„ men inde sic præcisi & abrupti sumus, ut
„ non etiam in istis mutabilibus & tempora-
„ libus æternitatem, veritatem, beatitudi-
nem quæreremus". Et lib. 13. de Trinit. cap.
8." Quomodò est beata vita, quam non amat
„ Beatus? Aut quomodò amatur, quod utrùm
„ vigeat, an pereat, indifferenter accipi-
„ tur? Nisi fortè virtutes, quas propter solam
„ beatitudinem sic amamus, persuadere nobis
„ audeant ut ipsam beatitudinem non ame-
„ mus? Quod si faciunt, etiam ipsas utique
„ amare desistimus, quando illam, propter
„ quam solam istas amavimus, non amamus.
„ Deinde quomodò erit vera illa tam per-
„ specta, tam examinata, tam eliquata, tam
„ certa sententia, *Beatos esse omnes homines velle*,
„ si ipsi qui jam beati sunt, beati esse nec no-
„ lunt, nec volunt? Aut si volunt, ut Veritas
„ clamat, ut natura compellit, cui summè bo-
„ nus & immutabiliter beatus Creator hoc in-
„ didit: si volunt, inquam, beati esse qui beati
sunt, beati utique non esse nolunt". Ecce
quàm non modò *verum*, sed & *perspectum, exa-*
minatum, eliquatum, certum sit, Beatos esse om-
nes homines velle! Quod ne quis fortuitò aut per
accidens evenisse suspicetur, additur, id pro-
venisse, *naturâ compellente, cui bonus ac beatus*
Creator hoc indidit.

CCCXXIII. Cæterùm quamvis satis ex-
ploratum sit, omnes prorsùs homines appe-
tere beatitudinem, & quidem ex instinctu
naturali divinitùs indito: non tamen perinde
exploratum habetur, num ille naturæ instin-
ctus exporrigat se ad ipsam usque facialem
Dei fruitionem, in qua consistit vera quidem,
sed tamen supernaturalis nostra beatitudo.
Quâ in re uti communior, ita & verior appa-
ret assertiva sententia: quia cùm ex mox
dictis appareat nos naturali instinctu appetere
sufficientiam sive satietatem, nec quicquam
infra Deum clarè visum nobis plenè sufficiat,
aut omnimodam satietatem præstet; planum
videtur, naturæ nostræ instinctum nequa-
quam in inferioribus aut obscurioribus siste-
re, sed usque ad summum Deum clarè visum
sese exporrigere: Y. Humana namque anima,
„ ut Papa scribit Gregorius, ab unaquaque Y Greg. lib.
„ re cui intenditur, fastidio impellente remo- 26 Moral.
„ vetur: sed dum inhianter cogitanda appetit, c. 21. aliàs 16.
& repente

,, & repentè cogitata fastidit, docet quòd ,, aliunde pendet, quæ quòlibet posita non ,, requiescit. Ad illum quippe suspensa est, à ,, quo formata: & quia ad Deum solum appe- ,, tendum facta est, omne autem quod infrà ,, appetit minus est, jure ei non sufficit quod Deus non est". Ubi de Deo clarè viso eum loqui satis indicat alius ejus locus inferiùs lib. 31. cap. 19; aliàs 35. ubi de eadem humana anima ait," Non ei sufficit gloriam An- ,, gelicæ claritatis aspicere, nisi eum etiam ,, qui est super Angelos valeat videre: sola ,, namque ejus visio, vera mentis nostræ refectio est". Quicquid igitur citra Dei visionem homini obtigerit, non eum reficiet, non ei sufficiet, non eum satiabit; sed eum egentem, famentem, inhiantem relinquet: Z. Crea- ,, turæ ratinnalis, inquit Prosper, vel intel- ,, lectualis bonum, quo beata sit, non est ,, nisi Deus: quod ei non ex seipsa est, quia ,, ex nihilo creata est; sed ex illo, à quo crea- ,, ta est. Hoc enim adepto fit beata, quo amisso misera". Quam sententiam Prosper ex Augustino excerpsit, qui & paulò pòst subdit: A. Huic naturæ, quæ in tanta excel- ,, lentia creata est, ut licèt ipsa sit mutabilis, ,, inhærendo tamen incommutabili bono; id ,, est, summo Deo; beatitudinem consequa- ,, tur; nec expleat indigentiam suam nisi ,, utique beata sit; eique explendæ non ,, sufficiat nisi Deus: profectò non illi adhære- ,, re, vitium est: omne autem vitium naturæ nocet, ac per hoc contra naturam est". Cùm ergo solus Deus explendæ indigentiæ creaturæ rationalis sufficiat, profectò necesse est indigam esse eam quam Deus non expleverit, miseram quam non beaverit. Non explet autem ille nec beat, nisi clarè visus. Unde idem Augustinus postquam lib. 4. contra Julianum cap 3. dixisset, *Neque enim omnes homines naturali instinctu immortales & beati esse vellemus, nisi esse possemus:* continuò subdidit, *Sed hoc summum bonum præstari hominibus non potest, nisi per Christum, & hunc crucifixum.* Quando ergo dixit omnes homines naturali instinctu velle esse beatos, non aliam beatitudinem intellexit, quàm quæ hominibus præstatur per solum Christum, & hunc crucifixum: quæ utique in clara Dei visione consistit. Ad hanc proindè sese exporrigit naturalis ille instinctus, quo omnes homines volunt esse beati. Atque ita intellecto Augustino consonat Divus Thomas, cùm ait: B. Suaviter unumquodque tunc dispositum ,, est, quando in suo fine quem NATURA- ,, LITER desiderat, collocatum est. Hoc ,, autem ad Filium specialiter pertinet: qui ,, cùm sit verus & naturalis Dei Filius, nos in gloriam paternæ hæreditatis induxit". In eum ergo locum ac finem nos Christus Dei Filius induxit, quem *naturaliter desideramus.* Induxit autem ille nos *in gloriam paternæ hæreditatis.* Hanc proinde nos *naturaliter desideramus.* Consonat item Bernardus, cùm ait: C. Oportebat Christum ascendere, ut nos ,, ascendere doceremur: cupidi quippe sumus ,, ascensionis, exaltationem concupiscimus ,, omnes. Nobiles enim creaturæ sumus, & ,, magni cujusdam animi: ideò altitudinem NATURALI appetimus desiderio". Eòdem collimat Anselmus Cantuariensis, cùm loquens de homine ex corpore terreno & animâ spiritali concreto ait: D Natura ani- ,, mæ, quia anima res spiritalis est, NATURALITER tendit ad superiora". Ad illa nimirum superiora, in quibus Christus suam gloriam animabus Sanctorum ostendit. Hanc quippe gloriam nomine beatitudinis intelligit, quando in libro de casu diaboli cap. 4. ait: "Ex commodis constat beatitudo, quam vult omnis rationalis natura". Vult utique *naturaliter:* & idcircò *naturaliter tendit ad superiora*, dicens Deo cum Psalmographo, *Satiabor cùm apparuerit gloria tua:* dicens quoque eidem cum Augustino in Confessionibus: E Crea- ,, turæ rationali nullo modo sufficit ad beatam requiem quicquid te minus est". Atque hinc est illa Alredi ad animam ipsam cælestibus inhiantem apostrophe: F. Tibi, ô anima ,, rationalis, præ cæteris animantibus hæc ,, prærogativa servatur, quò te sensibus car- ,, nis emergens, ad altiora contendas, nec ,, aliquando saties appetitum, donec ad id ,, quod est summum, id quod est optimum, ,, id quo nihil superius, nihil excellentius, ,, felici curiositate pervenias. Ubicunque ,, infrà substiteris, tametsi altum, tametsi ,, magnum, tametsi jucundum judicetur, mi- ,, sera proculdubiò remanebis: misera, quia ,, indiga; indiga, quia restat quod petas, re- ,, stat ad quod anheles, restat postremò ipsa ,, beatitudo; ad quam appetendam vis quæ- ,, dam NATURALIS animam rationa- ,, lem impellit. Quocirca cùm omnes homi- ,, nes beatos esse velle, singulorum testis sit ,, conscientia, cùmque hæc voluntas nequeat ,, ullo modo aboleri; patet rationalem crea- ,, turam, optatam omnibus requiem nonnisi in beatitudinis adeptione sortiri". His denique consonat Laurentius Iustinianus, cùm ait: G. Mortalibus hæc est naturaliter innata ,, cupido, ut semper ambiant ad alta conscendere". Rursùs ne putares sub hisce *altis* non comprehendi gloriam cælestem, fundit author ibidem inferiùs: " Per appetitum subli- ,, mitatis & honoris impellimur ad deside- ,, randam & consequendam celsitudinem cæ- ,, lestis gloriæ, quæ in futuro promissa est per- ,, severantibus in bono, laudabiliterque viventibus". Paulò item pòst ibidem fundit

hunc

Vide Aug. l. 10 de Civit. c. 16 & l. de Spir. & lit. cap 13.

Z Prosper. Sent. 141.

A Aug. lib. 12 de Civit. cap. 1.

B [illegible] Thom. [illegible]

C. Bernard. Serm 4 de Ascensione.

D. Anselm. in Mantissa Meditat. 2. §. 6.

Psal. 16 15.

E Aug lib. 13 Confess. cap. 8.

F Alred l. 1. Speculi charitatis c. 22. Vide Thom. Kempensem in Soliloq. cap 19 & Serm. 19. ad Novitios.

G. Laur. Justin. lib. de G adib perfect. c. 11.

hunc appetitum in ratione imaginis divinæ nobis impressæ, subdens: " Appetitus ascendendi insitus NATURALITER creatæ imagini Dei, tralùt illam ad concupiscentiam uniendi se increatæ imagini, tanquàm principio à quo, & fini ad quem condita est. Ex his namque colligitur, quòd rationalis creatura NATURALITER tendit in Deum, neque in aliqua re præterquam in Deo oblectari perfectè & ad satietatem valet". Hoc certè ipsum est, quod Augustinus brevissimâ ac verissimâ illâ sententiâ complexus est, quâ in exordio Confessionum suarum ait Deo: *Fecisti nos ad te; & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Eatenùs quippe ad se ille nos fecit, quatenùs ad suam imaginem nos creavit, & lumine vultûs sui nos signavit. Et hinc porrò fit ut nulla nobis satietas valeat esse sine ipso, & inquietum sit cor nostrum donec requiescat in ipso.

CCCXXIV. Ut autem Augustini hâc in re mens pleniùs ac planiùs perspiciatur, advertendum est, Pelagianos, originale peccatum negantes, finxisse quendam statum perpetuæ vitæ, ac beatitudinis cujusdam naturalis, extra regnum cælorum, pro parvulis sine regenerationis lavacro defunctis: [H] Terrentur, ait de eis Augustinus, istâ sententiâ Domini dicentis, *Nisi quis renatus fuerit denuo, non videbit regnum Dei*: quod cùm exponeret, ait, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cælorum*: & propterea conantur parvulis non baptizatis, merito innocentiæ, salutem ac vitam æternam tribuere, sed quia baptizati non sunt, eos à regno cælorum facere alienos". Hunc porrò errorem, eatenùs in Ecclesia inauditum, idem Augustinus tum ibidem subsequenter, tum alibi crebrò varijs argumentis impugnat; quorum unum, præsenti nostro scopo opportunum, desumitur ex dignitate imaginis Dei, creaturis rationalibus insculptæ. Eo quippe ipso quòd factæ sint ad imaginem Dei, naturali instinctu appetunt esse in regno Dei: atque adeò non potest non esse pœnale eis, ac molestum exulare perpetuò à regno Dei. Cùm ergò justitiæ Dei non congruat tantam pœnam perpetui exilij ac molestæ afflictionis irrogare innocentibus, alterutrum necessariò fatendum erit; parvulos scilicet vel non esse ab omni reatu immunes, sed originali culpæ obnoxios, vel certè ad regnum cælorum tantoperè desideratum fore admittendos: [I] Nunquam explicant isti, ait idem de ijsdem, quâ justitiâ nullum peccatum habens imago Dei separatur à regno Dei". Et Serm. 14. de Verbis Apostoli cap. 6. dissimulatâ parvulorum innocentiâ, sic arguit hominem Pelagianum: " Quare patrimonium regni cælorum abripis innocenti? A quo regnum cælorum non acquiritur, profectò magno bono fraudatur. Quæ est ista justitia? Dic quare? Quid offendit parvulus non baptizatus; nullam habens culpam, nec suam, nec de parente tractam? Quid offendit, dic mihi, ut non intret in regnum cælorum, ut separetur à sorte Sanctorum, ut sit exul à societate Angelorum? Videris quidem tibi misericors, quia non aufers ei vitam: damnas tamen, quem separas à regno cælorum: damnas, non eum percutis, sed in exilium mittis. Nam & qui exulant, vivunt: si sani sunt, in doloribus corporis non sunt; non torquentur, non carceris tenebris affliguntur: hæc sola illis pœna est, non esse in patria. Si amatur patria, magna pœna: si autem non amatur patria, pejor est cordis pœna. Parvum malum est in hominis corde, qui societatem non quærit Sanctorum, qui non desiderat regnum cælorum? Si non desiderat pœna est de perversitate: si autem desiderat, pœna est de fraudatâ charitate. Sed si, quod vis, parva est pœna, etiam ipsa parva magna est, si nulla culpa est. Hìc defende justitiam Dei: quare vel parva pœna infligitur innocenti, in quo nullum invenitur omninò peccatum"? Et lib. 6. contra Julianum cap. 10. cùm Julianus dixisset magnum à Deo præstari beneficium ijs parvulis, quos salutari Baptismate tingi procurat: mox Augustinus subdidit: " Quid igitur eum *(Deum)* offenderunt, quos pariter innocentes, mundos, à se ad imaginem suam creatos, innumerabiles ab isto munere alienat, nec eorum voluntatem hujus ineffabilis beneficij prævenit largitate, separans tot imagines suas à regno suo? Si hoc eis non erit malum, non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes imagines Dei? Si autem amabunt, & tantùm amabunt quantùm innocentes amare debent regnum ejus, à quo ad ipsius imaginem creantur, nihilne mali de hac ipsa separatione patientur"? Et superiùs ibidem lib. 3. cap. 3. Pelagianos alloquens: " Vos, inquit, excellentissimi amatores illius vitæ, quæ futura est æterna cum Christo, nullam pœnam putatis esse, imaginem Dei in æternum exulare à regno Dei: cùm si parvam pœnam esse diceretis, non esset hæc vox beati amatoris regni illius, sed miseri contemptoris. Porrò autem si, quod huic sufficit causæ, parvam saltem pœnam fatemini esse, quæ magna est, ut imago Dei non sinatur intrare in regnum Dei: obsecro, aperite qualescunque oculos, & videte, quâ justitiâ pœna illa infligenda sit parvulo, quem clausis oculis originali obnoxium negatis esse peccato"? Et lib. 5. cap. 15." Natos ex Adam, inquit, transferri

renatos

H. Aug l. 1. de Peccat. meritis cap. 20. Jo. 3. 3 & 5. Vide Serm. 14 de Verb. Apost. c. 2.

I. Aug. ibid. cap. 30.

„ renatos oportet ad Christum; ne à regno „ Dei pereant imagines Dei: quod sine malo „ fieri qui dicit, nec amorem habet nec timorem Dei". Huc etiam spectat, quòd lib. 1. Operis imperfecti adversùs eundem Julianum cap. 136. dicit, negari non posse quin sit *contumelia imaginis Dei*, separari à regno Dei: quòd item superiùs ibidem cap. 63. cùm Julianus dixisset, *non esse imaginem Dei, qua per exortum suum in regno diaboli sit*; Augustinus ei regesserit:" Quid si tibi alius „ dicat, *Non est imago Dei, qua nulla tea peccate*, „ *non tamen intrat in regnum Dei*; nonne quid „ respondeas non habebis, si vana respondere nolueris"? Hæc & complura alia consimilis tenoris argumenta, in Augustini scriptis passim obvia supponunt inesse cunctis hominibus, etiam parvulis, appetitum naturalem ad cælestem beatitudinem, in clara Dei visione consistentem; vi cujus omnes instinctu intimo eandem incessanter flagitant, nullâ inferiori felicitate satiabiles. Quod totum fundatur in dignitate divinæ eis insculptæ imaginis, anhelantis ad conspectum sui prototypi. Cæterùm Augustino hâc in parte suffragatur etiam Fulgentius, cùm ait: K. Cùm non sit iniquitas apud Deum, qui „ fecit hominem ad imaginem suam; quæ „ justitia est, ut imago Dei quæ nihil deli- „ quit, si non redimatur sanguine Filij „ Dei, in regnum Dei non permittatur intrare"? K Fulgent. lib. de Incarnat. & Grat. c. 14.

CAPUT LXXXVI.

Intuitiva Dei visio in se ipsâ supernaturalis astruitur. Error Begardorum Beguinarumque explodıtur, & à Durando Scotoque alienus ostenditur. Anomæorum vesana præsumptio reprimitur. Pax Dei exuperat omnem sensum, etiam Angelicum. Lumen gloriæ tam nequit esse connaturale intellectui creato, quàm nequit hic transferri in increatum. Supernaturalitatem intrinsecam visionis beatæ non obstare quo minùs ad eam se exporrigat appetitio innata. Hujus appetitionis gemina radix panditur, convenientia scilicet, & indigentia. Cur potius agnoscendus sit innatus omni homini appetitus visionis beatificæ, quàm unionis hypostaticæ? An & quatenùs beatifica Dei fruitio dici queat finis noster naturalis, ex communiori Scholasticorum sententia? Finem assecutu supernaturalem, non posse appetitu esse naturalem, falsò contendit Suarezius. Potentia appetentialis ab obedientiali discernenda est. In damnatis perseverat innatus beatitudinis appetitus. Præstantior est natura rationalis etiam misera, irrationali miserijs inobnoxiâ. Aliter Theologi, aliter ethnici Philosophi vires ac propensiones rationalis naturæ pensiculant: & illis potiùs, quàm istis auscultandum.

CCCXXV. PRo pleniori præmissorum intelligentiâ proponendæ ac dissolvendæ sunt quædam difficultates: quarum prima sumitur ex supernaturalitate visionis beatificæ, in qua consistit beatitudo humanæ naturæ. Scriptum quippe est de Deo, quòd *lucem inhabitet inaccessibilem*: Item *Regi sæculorum immortali, & invisibili, soli Deo honor & gloria*. Item *oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te*: sive ut Apostolus recitat, *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus ijs qui diligunt illum*. Item *Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*: quam revelationem Christus alibi *manifestationem* appellat, cùm pro singulari gratia promittit dilectori suo, quòd *manifestabit ei seipsum*. Pro singulari, inquam, gratiâ: quia scriptum est, *Gratia Dei vita æterna*, quam utique describens ait Christus suo Patri, *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te* &c. Unde alibi quoque scriptum est, *Gratiam & gloriam dabit Dominus*: ubi *dandi* verbo gratuita donatio innuitur: ut proinde lumen ipsum gloriæ attribuatur Deo tanquam unicò authori ac largitori, cùm dicitur ei, *In lumine tuo videbimus lumen*. De quo lumine cùm errassent Begardi & Beguinæ, condemnatus est iste eorum articulus, ordine quintus, in Concilio Viennensi, prout refertur cap. *Ad nostram*, Clemen-

DIFFICULTAS I.

1. Tim. 6. 16. Ibid. 1. 17. Isa. 64. 4. 1. Cor. 2. 9. Joan. 14. 21. Joan. 14. 21. Rom. 6. 23. Joan. 17. 3. Ps. 83. 12. Ps. 35. 10. Begardi.

Clementina de Hereticis: *Anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.* Quem errorem nonnulli attribuunt etiam Durando; eò quòd in 4 Dist. 49. q. 2. n. 24. scripserit, *Ad videndum Deum clarè & manifestè non requiritur species repræsentans divinam essentiam, nec aliquod lumen creatum elevans intellectum: sed sufficit quòd divina essentia immediatè repræsentetur intellectui creato.* Sed profectò procul abesse Durandum ab errore illo Begardorum patet ex hisce ejus verbis ibidem proximè subjunctis: *Quod utique non potest fieri secundùm ordinem naturæ quem experimur, secundum quem nihil intelligimus nisi ex sensatis & imaginatis; sed potest hoc fieri secundùm ordinem divinæ gratiæ.* Ubi requirendo divinam gratiam ad videndum Deum, prorsùs dissidet ab illis hæreticis, quorum articulus suæ integritati restitutus sic sonat: *Qualibet intellectualis natura in seipsa* NATVRALITER *est beata; & anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndùm, & eo beatè fruendum.* Ubi prior pars apertè indicat errantium mentem quoad posteriorem, nimirùm non opus esse ullâ elevativâ illustratione ad Deo beatificè fruendum, eò quòd insitum à natura lumen sufficiat: quod planè adversatur positioni Durandi, qui disertè negat *posse divinam essentiam immediatè repræsentari intellectui creato secundùm ordinem naturæ, sed secundùm ordinem divinæ gratiæ.* Idem quoque dicendum fuerit de Scoto, qui tametsi in 4. Dist. 49. q. 11. scripserit, *Lumen gloriæ ad visionem non videtur mihi necesse poni:* ibidem tamen præmiserat superiùs, *Natura humana non est sufficienter activa ex puris naturalibus ad videndum Deum visione beatâ:* & mox iterùm, *Anima humana non est sufficienter activa ex puris naturalibus ad consequendum actum visionis.* Ambo igitur agnoscunt necessitatem supernaturalis sublevaminis ad videndum Deum: & in hoc immunes sunt ab errore Begardorum, qui naturam sibi ad Deo beatè fruendum sufficere dogmatizarunt, & idcircò damnari meruerunt: [L] Non similiter, „inquit Ambrosius, sensibilia videntur, & is in „cujus voluntate situm est videri, naturæ verò „est non videri". Porrò Begardis prælusisse videntur Anomæi, sectatores Eunomij, qui teste Theodoreto, [M] Ausus est dicere, se nihil „ex rebus divinis ignorare, sed ipsam etiam „Dei essentiam exactè nosse; eandemque de „Deo notitiam habere, quam Deus ipse ha„bet de seipso. Ad quem furorem ab illo „etiam perducti fuerunt, qui ejus pestem hau„serunt: audent quippe hi apertè profiteri, se ita Deum nosse, ut ipse seipsum". Cui insaniæ, præter alias Scripturas mox relatas, obstat quoque illa Apostolica, *Pax Dei quæ exuperat omnem sensum.* Nam ut Augustinus notat, [N] In „eo quòd dicit *omnem*, nec ipse intellectus „Sanctorum Angelorum potest esse exem„ptus, sed Dei solius: neque enim & ipsius intellectum pax ejus excellit". Cui consonans Isidorus, [O] Quamvis, inquit, usque ad parili„tatem Angelicam humana post resurrectio„nem natura proficiat, & ad contemplan„dum Deum indefessa consurgat; videre ta„men ejus essentiam plenè non valet, quam „nec ipsa perfectio Angelica in totum attin„git scire, secundùm Apostolum qui ait, *Pax* „*Dei quæ exuperat omnem sensum:* ut subaudias, etiam Angelorum". Explosis itaque non solùm Anomæorum; sed & Begardorum erroribus, Christiana fides non dubitat cælestem beatitudinem supereminere viribus naturæ creatæ; sive humanæ, sive Angelicæ. Quinimò verius est, impossibilem omninò esse naturam creatam, quæ viribus proprijs Deum beatificè videat: [P] Nullo regente, inquit Au„gustinus; per suam potestatem beatus esse, solus Deus potest". Et lib. 12. de Civit. c. 1. "Quamvis non omnis creatura possit esse „beata; neque enim hoc munus adipiscuntur „aut capiunt feræ, ligna, saxa; & si quid hujus„modi est: ea tamen quæ potest, non ex seipsa „potest, quia ex nihilo creata est; sed ex illo à quo creata est". Cùm ergo nulla creatura fieri possit nisi ex nihilo; profectò juxta Augustini discursum nulla fieri potest quæ ex seipsa sit beata: [Q] Lumen illud, inquit D. Thomas, per „quod intellectus unitur formæ intelligibili „increatæ, communicari quidem potest in„tellectui creato; sed non ut ipsum lumen „naturaliter habeat, nisi in naturam intelle„ctûs increati transferatur; quod est impossibile". Et rursùs 1. p. q. 12. a. 5. ad 3. "Lumen „gloriæ non potest esse naturale creaturæ, nisi „creatura esset naturæ divinæ; quod est impossibile". Et articulo præcedenti ibidem in Corpore: "Relinquitur ergo, inquit, quòd „cognoscere ipsum esse subsistens, sit conna„turale soli intellectui divino; & quòd sit „supra facultatem naturalem cujuslibet in„tellectûs creati: quia nulla creatura est suum „esse, sed habet esse participatum. Non igitur „potest intellectus creatus Deum per essen„tiam videre, nisi inquantùm Deus per suam „gratiam se intellectui creato conjungit, ut intelligibile ab ipso". Quæ cùm ita sint, difficile dictu apparet quomodò naturalis appetitus creaturæ quantumvis excelsæ, ad cælestem ejusmodi beatitudinem omnibus naturæ terminis sublimiorem, sese exporrigat.

DIFFICVLTAS. II.

Altera item difficultas superiori affinis, & penè subalterna, illa est: Utrùm scilicet eadem cælestis beatitudo dici debeat finis creaturæ rationalis naturalis, an supernaturalis. Si enim dicatur finis naturalis, consequens videbitur ut viribus naturæ acquiri possit: quod est contra hactenùs dicta ac deducta. Si verò supernaturalis, consequens

Marginal notes: Durandus. — Scotus. — L. Ambros. l. 1. in cap. 1. Lucæ. — M Theod. l. 4. Hæret. Fabularum cap. 3. — Phil. 4. 7. — N. Aug. Enchi. cap. 63. — O Isidor. l. 1. Sentent. c. 3. Vide Comment. tunc. odum c. 3. — P. Aug. l. 2. de Gen. contra Manich. cap. 13. — Q D. Thom. in 4 Dist. 49 q. 2. art. 6. ad 7.

sequens apparebit ut præter eum assignandus sit creaturis rationalibus alius quisquam finis, qui respectu earum sit & dicatur naturalis; ne cogamur fateri creaturas rationales nullum omninò habere finem naturalem, saltem ultimum. Quòd si hunc habent, consectarium erit ut eo adepto satientur ac requiescant: quod videtur adversari eis quæ superiori capite dicta sunt de inquietudine humani cordis, donec requiescat in Deo beatificè possesso.

CCCXXVI. Ad primam difficultatem respondetur, supernaturalitatem cælestis beatitudinis, in gloriosa Dei fruitione consistentis, nequaquam obstare quò minùs appetitu naturali seu innato à creaturis intellectualibus sive rationalibus expetatur. Neque enim necesse est appetitionem vel cognitionem alicujus objecti esse ejusdem ordinis vel rationis cum ipso objecto: sed sicut actu supernaturali appeti potest bonum, vel nosci verum naturale; ita vice versâ potest actu naturali appeti, vel cognosci bonum, aut verum supernaturale. Qui enim audit concionatorem de superna Sanctorum felicitate egregiè disserentem, potest actu naturali, imò & vitioso; eam felicitatem sibi exoptare, quamvis ipsa in se spectata supernaturalis sit: potest item actu naturali fidei humanæ credere eam reverà talem esse; qualis à concionatore prædicatur. Si autem hoc fieri possit in actibus elicitis, certè non obstabit supernaturalitas objecti, quò minùs in ipsum tendat appetitus innatus. Quid potest esse magis naturale, quàm ipsa natura, quæ basis est totius naturalitatis? Et tamen ipsa natura in Angelo vel homine tendit per actum suum vitalem in objecta quæcunque supernaturalia. Planum igitur est, rem in seipsa naturalem tendere posse vitaliter in objectum supernaturale. Si autem vitaliter, cur non etiam naturaliter? Hoc est, si per actum elicitum, cur non etiam per propensionem innatam? Enimverò *duo sunt*, ut Bonaventura suprà rectè notavit, *quæ faciunt appetitum, scilicet convenientia, & indigentia.* Ubicunque igitur ista duo reperiuntur in aliqua natura respectu alicujus objecti, ibidem agnoscendus est appetitus naturalis, sive innata propensio istius naturæ in illud objectum. Atqui in omni natura rationali & intellectuali, eo ipso quòd ad imaginem Dei condita est, reperiuntur illa duo respectu sui prototypi clarè videndi: ergo in eadem agnoscendus est appetitus innatus respectu ejusdem sui prototypi clarè videndi. *Convenientiam & indigentiam* astruit Augustinus, cùm ait: [R] Quanquam summa non „ sint, quibus est Deus majus bonum; ma„ gna sunt tamen ea mutabilia bona, quæ ad„ hærere possunt, ut beata sint, immutabili „ bono: quod usqueadeò bonum est eorum, ut sine illo misera esse necesse sit". Ubi ex contextu clarum est sermonem esse de hominibus & Angelis, ad imaginem Dei communiter conditis, & duas civitates seu societates commixtim constituentibus, unam gloriosam in cælis, alteram ærumnosam in inferis. Ambo igitur ejus naturæ sunt, quæ adhærendo Deo beata esse queat: & Deus usqueadeò bonum ipsorum est, ut sine ipso miseros esse necesse sit. Si bonum ipsorum est, *convenit* ergo ipsis: siquidem bonum cujusque rei est id, quod convenit ei. Rursùs si sine ipso miseros esse necesse sit, proculdubiò *indigent* ipso. Habemus ergo hîc & *convenientiam*, & *indigentiam*, duas nimirùm illas radices, ex quibus appetitus exurgit. Subdit porrò in eam rem post pauca Augustinus: " Huic na„ turæ, quæ in tanta excellentia creata est, ut „ licèt ipsa sit mutabilis, inhærendo tamen in„ commutabili bono, id est, summo Deo, bea„ titudinem consequatur, nec expleat INDI„ GENTIAM suam nisi utique beata sit, eique „ explendæ non sufficiat nisi Deus; profectò „ non illi adhærere vitium est: omne autem „ vitium naturæ nocet, ac per hoc contra na„ turam est. Ab illa igitur quæ adhæret Deo, „ non naturâ distat ista, sed vitio: quo tamen „ etiam vitio valdè magna multumque lauda„ bilis ostenditur ipsa natura: cujus enim rectè „ vituperatur vitium, proculdubiò natura lau„ datur; nam recta vitij vituperatio est, quòd „ illo dehonestatur natura laudabilis. Sicut „ ergo cùm vitium oculorum dicitur cæcitas, „ id ostenditur, quòd ad naturam oculorum „ pertinet visus; & cùm vitium aurium dici„ tur surditas, ad earum naturam pertinere „ demonstratur auditus: ita cùm vitium crea„ turæ Angelicæ (*idem est de humana*) dicitur, „ quòd non adhæret Deo; hinc apertissimè „ declaratur, ejus naturæ, ut Deo adhæreat, CONVENIRE". Ubi videmus prædictas appetitionis radices, *convenientiam* scilicet & *indigentiam* proprijs suis vocabulis exprimi. *Convenit* proinde ipsi Angelorum hominumque *naturæ, ut adhæreat Deo*: & usqueadeò quidem *convenit*, ut oppositum sit ei vitiosum, id est, naturę contrarium: [S] *Animorum quippe quæcunque sunt vitia*, NATVRALIVM *privationes sunt bonorum.* Sermonem porrò esse de *adhæsione* beatifica, planum est ex illis superioribus verbis, *Nec expleat indigentiam suam nisi utique* BEATA *sit*, tali nimirùm beatitudine, qualem habent sancti Angeli Deo adhærentes, à quibus cæteros dicit *non naturâ distare, sed vitio.* Præmiserat autem superiùs ibidem de utrisque respectivè: " Si cùm quæritur, quare illi „ beati sint, rectè respondetur, quia adhærent „ Deo; & cùm quæritur, cur isti sint miseri, „ rectè respondetur, quia non adhærent Deo,

Vide Fasolum in 1. p. q. 12 art. 9. Dubio 1.

Vide suprà §. 322.

R. August. l. 12 de Civit. c. 1. Vide l. 10. cap 16.

Vide lib. 22 de Civit c. 3. & l. 1. contra Adversarium legis & Proph c. 5. & lib. de Genesi imperf. cap. 4.

S. Aug. Enchir. c. 11.

Vide Aug. l. 10 de Civit c 16 & lib de Spir. & lit. c. 35.

non

Vide Fulgēt. l. 1. ad Monimum cap. 18.

„ non est creaturæ rationalis vel intellectualis bonum, quo beata sit, nisi Deus". Ex mente ergo Augustini insitus est unicuique creaturæ rationali, vel intellectuali, appetitus talis beatitudinis, qualem habent Angeli vel animæ Sanctorum in cælo. Quem quidem appetitum non adventitium, sed à natura inditum esse, claret ex illa comparatione, quâ Augustinus eum comparat appetitui videndi residenti in oculis, & appetitui audiendi residenti in auribus: & rursùs quâ comparat divulsionem à Deo, cæcitati oculorum, & surditati aurium. Nec refert quòd cælestis

PRÆOCCUPATIO.

beatitudo non ita acquiri possit naturæ viribus, sicut visus & auditus acquiri possunt naturæ viribus. Neque enim appetitus naturæ rationalis aut intellectualis tendit in beatitudinem ut naturæ viribus acquirendam; sed in beatitudinem secundùm se, quibuscunque tandem viribus obtinendam. Sic enim & materia prima naturaliter appetit animam rationalem, tametsi nec ipsa suis viribus, imò nec ullius creaturæ viribus, sed solius Dei creantis beneficio valeat eam consequi. Similiter item anima rationalis separata appetit naturaliter reuniri suo corpori; tametsi nec suis proprijs, nec etiam alienis creatis viribus possit reuniri suo corpori. Natura quoque Angelica connaturaliter appetit species intelligibiles, quas tamen fortassis non nisi solius Dei inoperatione potest adipisci. Perperàm interim ex hac nostra sententia quidam

PRÆOCCUPATIO.

contendunt esse consequens, dari in nobis innatum appetitum ad unionem hypostaticam. Quamvis enim insit nobis capacitas obedientialis ad unionem hypostaticam, non tamen propensio, inclinatio, exigentia naturalis; nec sine ea inquietum est cor nostrum; sed sine ea explebilis est indigentia nostra. Denique unionis hypostaticæ carentia adeò non est naturæ nostræ vitiosa, ut, juxta veriorem Augustini & sequacium ejus doctrinam; ea nunquam facta fuisset, nisi natura humana vitium incurrisset: T. Si homo, ait ille, non periisset, filius hominis non venisset". Et rursùs Sermone proximè sequenti c. 1." Nulla „ causa fuit veniendi Christo Domino, nisi „ peccatores salvos facere. Tolle morbos, „ tolle vulnera, & nulla causa est medicinæ. „ Si venit de cælo magnus medicus, magnus „ per totum orbem terræ jacebat ægrotus: ipse ægrotus genus humanum est". Longè igitur dispar est ratio unionis hypostaticæ, & fruitionis beatificæ: illâ enim nunquam indiguissemus, nisi amissâ primævâ integritate vitium cum miseria incurrissemus: sine ista verò nunquam & nusquam indigentiam explevissemus, sed famelici, sitibundi, vacui, irrequieti mansissemus: atque adeò istam naturaliter expetimus, non illam.

T. Aug. Ser. 8. de Verbis Apostoli c. 2.

CCCXXVII. Superfluum foret immorari in conquirendis authorum suffragijs, pro astruendo appetitu innato beatitudinis supernaturalis in particulari; cùm & superiori capite complures adduxerimus, & prætereà ij ipsi, qui contrariæ sententiæ adhærent, ultrò fateantur nostram in scholis esse communiorem: è quibus Salas ita scribit: V. Inter „ Scholasticos COMMUNIOR opinio est, dari „ appetitum insitum & innatum, seu pondus „ quoddam naturæ, ad beatitudinem super- „ naturalem in particulari, scilicet ad visio- „ nem & fruitionem Dei; sive nomine frui- „ tionis intelligatur ipsa visio; sive dilectio; sive delectatio". Idipsum fatetur quoque Molina, licèt ipse, perinde ac Salas, oppositam sententiam præferat. Verba ejus sunt: W. COMMUNIOR Scholasticorum senten- „ tia asserit, esse in nobis appetitum naturalem „ ad beatitudinem in particulari; atque eâ de „ causa illam dicendam esse finem nostrum na- „ turalem: non quoad assecutionem; & simpli- „ citer; eâ enim ratione omnes fatentur dicen- „ dam esse simpliciter finem nostrum superna- „ turalem: sed quoad appetitum, atque potentiam passivam". Quibus ille verbis non solùm quid de prima; sed quid etiam de secundâ à nobis propositâ difficultate Scholastici communiùs sentiant, expressit: nimirùm supernam beatitudinem *esse finem nostrum naturalem*, sed quoad appetitionem, non quoad assecutionem: X. Concedo, inquit Scotus, Deum esse „ finem naturalem hominis, licèt non natura- „ raliter adipiscendum, sed supernaturaliter". Ubi sermonem esse de Deo gloriosè beatificante animam, totus contextus clamat. Sed contrà insurgit Suarez, dicens: Y. Repu- „ gnantia est, quòd finis supernaturalis quoad „ consecutionem, sit naturalis quoad appe- „ titionem; cùm appetitus naturalis non fundetur nisi in naturali potestate". Verùm satius videtur auscultare hac in re Scotum, quàm Suarezium: præsertim cùm D. Thomas Scoto consonet, & non Suarezio, cùm ait". Z. Scientia beata est quodam modo su- „ pra naturam animæ rationalis, inquan- „ tùm scilicet propriâ virtute ad eam perve- „ nire non potest: alio verò modo est secun- „ dùm naturam ipsius, inquantùm scilicet „ secundùm naturam suam est capax ejus, „ prout scilicet est ad imaginem Dei facta". Ubi inprimis certum est sermonem esse de scientia beata, *qua in Dei visione consistit*, prout in corpore articuli palàm exprimitur. Certum pariter est, id dici à Divo Thoma *esse supra naturam*, quod Scoto est *supernaturale*; & similiter id esse Thomæ *secundum naturam*, quod Scoto est *naturale*. Quapropter quod Thomas dicit *animam secundùm naturam esse capacem scientiæ beatæ*, hoc ipsum & Scoto est,

V. Salas in 1. 2. Tract. 2. Disput. 12. Sect. 3. n. 5. 16.

W. Molina in 1. p. q. 12. a. 1. Disp. 3. sub initium.

AD II.

X. Scotus q. 1. Prologi §. Ad quindam de Augustino.

Y. Suarez Prolegom. 4. de Gratia cap. 1. n. 8.

Z D. Thom. 1 p. q. 9. a. 2. ad 3.

Deum

Deum esse finem naturalem hominis, utique ut beatificè possidendum: & quod ille dicit *scientiam beatam esse supra naturam animæ inquantum non potest ad eam propria virtute pervenire*, hoc ipsum Scoto est *Deum non naturaliter adipiscendum esse, sed supernaturaliter*. Ambo igitur consentienter astruunt illa duo, quæ Suarez reputat pugnantia. Nec refert quod Divus Thomas hìc non asserat animam rationalem naturaliter appetere scientiam beatam, sed *secundùm naturam suam esse capacem eius*. Non enim intelligit capacitatem merè obedientialem, sed appetentialem: prout planum est ex his ipsius alibi verbis: [A] Inest homini naturale desiderium cognoscendi causam, cùm intuetur effectum: & ex hoc admiratio in hominibus consurgit. Si igitur intellectus rationalis creaturæ pertingere non possit ad primam causam rerum, remanebit inane desiderium naturæ. Unde simpliciter concedendum est, quòd beati Dei essentiam videant". Ubi idipsum vocat *naturale desiderium*, atque etiam *desiderium naturæ*, quod alibi vocat *capacitatem secundùm naturam*. Quod autem Suarez dicit *appetitum naturalem non fundari nisi in naturali potestate*; falsum est, si intelligatur de potestate intrinseca ipsi appetenti, imò etiam cuicunque agenti creato: [B] Ut patet, quia potentia receptiva est in corpore ad animam intellectivam; & tamen tota natura creata non posset eam inducere". Ita Scotus ante aliquot sæcula eliserat fundamentum adversæ sententiæ: qui rursùs q. 1. Prologi: "Multa sunt, inquit, naturaliter receptiva alicujus perfectionis, cujus non habent principium intrinsecum activum". Et ibidem rursùs aliquantò inferiùs: "Non est inconveniens potentiam esse naturaliter ordinatam ad objectum, ad quod non potest naturaliter attingere: sicut quælibet ex se sola ordinatur ad actum, & tamen non potest ex se sola attingere". Quòd si fortè quis contendat, consequens esse ex hac doctrina, etiam in damnatis remanere appetitum beatitudinis, eò quòd ille inseparabiliter inhæreat naturæ cui innascitur: [C] Respondeo, inquit idem Scotus, quòd in eis (*damnatis*) est appetitus naturalis respectu beatitudinis: quia appetitus naturalis non addit aliquam perfectionem super naturam absolutam, sed solùm inclinationem ipsius naturæ ad suam perfectionem; & ideò manente naturâ, manet ille appetitus. Et si dicas, quòd tunc ille appetitus erit frustrà: ita dicas, quòd damnati frustrà sint homines vel Angeli; cùm appetitus naturalis non addat absolutum aliquid super naturam eorum". Cohæret proinde indivulsè appetitus innatus supernæ beatitudinis imagini Dei, quæ nec ipsis gehennalibus flammis exuri potest, quantumvis uratur: [D] Imago, inquit Bernardus, in gehennâ ipsâ uri poterit, non exuri; ardere, sed non deleri". Si autem in gehenna maneat divinæ imaginis signaculum indeletum, & cum eo naturalis appetitus supernæ beatitudinis; quantò magis in hac vita nec illa deleri, nec ille potest exterminari? [E] Profectò, ait quidam, appetitus naturalis omnium hominum, etiam illorum quibus lux fidei nondum eluxit, suapte naturâ illuc fertur. Cujus firmum testimonium est, quòd quantocunque potiatur homo optato bono in rebus conditis, nullibi tamen quietus est, esseve potest, quoad æternâ illa visione fruatur. Unde confessio illa Augustino in mentem venit, *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec perveniat ad te*. Profectò ita censeo, quòd finis ille simpliciter sit nobis NATVRALIS: neque definierim finem naturalem esse illum, quem possimus naturaliter assequi, sed illum, quem appetimus naturaliter. Et quamvis non valeamus naturaliter pernoscere, illud esse summum bonum, quo beandi satiandique sumus; inquietudo tamen ipsa humani animi, nullibi citra illum statum requiescentis, fidem abundè facit illum esse finem nostrum naturalem: aliàs nullus esset ultimus finis appetitùs humani, quod esset dictu absurdum". Et rursùs ibidem post pauca: "Ut ergo, inquit, rem concludamus, haud negandum est, finem illum esse nobis naturalem, respectu appetitus; sed est nihilominùs, si assecutionem ejus spectes, supra vires naturæ nostræ". Perperàm verò quis hinc eliciat, creaturam rationalem deterioris esse conditionis quàm irrationalem, eò quòd hæc proprijs viribus à natura matre subministratis assequi finem suum valeat, illa viribus proprijs à naturâ novercâ destituta, non nisi alienâ opitulatione pertingere ad finem suum queat. Etenim tanta est sublimitas illius finis quem creatura rationalis naturaliter appetit, præ eo quem natura irrationalis exposcit; ut vel nuda appetitio illius, præponderet assecutioni istius. Qua de re recoli possunt quæ ex Augustino relata sunt §. superiori: quibus & addendum illud ejusdem: [F] Sicut melior est natura sentiens, etiam dolens, quàm lapis qui nullo modo dolere potest: ita rationalis natura præstantior est, etiam misera, quàm illa quæ rationis vel sensus est expers, & ideò in eam non cadit miseria". Frustrà denique adversùs præassertam doctrinam adducitur authoritas Aristotelis, vel aliorum Philosophorum Gentilium. Nam, ut scitè admonet Scotus, [G] In ista quæstione videtur esse controversia inter Philosophos, & Theologos: tenent enim Philosophi perfectio-

PRÆOCCVPATIO.

A D.Thom. 1.p. q.12. a. 1. in corp. Vide eund. in Compendio Theologiæ p.1. c.9.

B. Scotus in 4. Dist. 49. q. 11.

PRÆOCCVPATIO.

C. ibid q. 10.

D. Bernard. Serm. 1. de Annunciatione.

E. Dominic. Sotus lib. 1. de Natura & Grat. c. 4. Vide eund. in 4. Dist. 49. q. 2. a. 1. & 2. & Rada tom. 1. Controvers. 3. & Greg. de Valentia in 1. 2. Disp. 1. q. 5. Puncto 1. & Rossum de Potentia Obedientiali Disput. 2. q. 4.

PRÆOCCVPATIO.

F. August. l. 12. de Civit. c. 1. Vide Epist. 120. c. 21. & lib. de Natura boni c. 5. & lib. 3. de lib. arbit. cap. 5.

G. Scotus q. 1. Prolog.

„ fectionem naturæ, & negant perfectionem „ supernaturalem; Theologi verò cognoscunt defectum naturæ, & necessitatem gratiæ & perfectionum supernaturalium". Quo in dissidio haud dubiè præferenda est Theologia Philosophiæ: siquidem, ut rectè monet Hilarius: [H] Quanta rerum humanarum „ divinarumque discretio est, tantùm ultra terrena studia ratio cælestis excedit". H. Hillar. l. 12 de Trin. Vide Aug. Epist. 18.

CAPUT LXXXVII.

Libertatis uti & beatitatis geminus nobis inest appetitus, innatus, & elicitus: & quid uterque? Prior semper ordinatus est ac rectus, etiam cùm posterior est perversus. Ethnicorum Philosophorum de finibus bonorum ac malorum opiniones non minùs vanitate futiles, quàm varietate discordes. Appetitus naturalis tendit in beatitatem & libertatem secundùm esse verum ac reale, rationalis secundùm esse apprehensum ac intentionale. Sicut beatitas opponitur miseriæ, ita libertas servituti. Nihil est congruum libertati, nisi quod congruum est veritati. Beatus quisque vivit ut vult, sed non è converso. Non tam miserum est non adipisci quod velis, quàm adipisci velle quod non deceat. Beatæ Monicæ *in eam rem assertio de ipsa arce Philosophiæ descendens. Nemo plenè vivit ut vult, nisi eò provectus ubi mori, falli, offendi omninò non possit. Non est quisquam ob id censendus beatus, quòd patienter sit miser. Superbi in Scripturis cur dicti* sibi-placentes? *An & quatenus protoplasti in paradiso vixerint ut voluerint? Beatitudini non sufficit affluentia felicitatis, sine securitate perennitatis. Augustini apparens antilogia conciliatur ex Divo Thoma. Dei visio tantæ est pulchritudinis ac dignitatis, ut quibuslibet alijs sine eâ præditum abundantemquè Plotinus infelicissimum dicere non dubitet.*

CCCXXVIII. Cum jam satis probatum sit appetitum beatitudinis nobis innasci, perinde ac appetitum libertatis, facilè perspicietur quemadmodùm peccare possimus appetendo libertatem, ubi ostensum fuerit peccare nos posse appetendo beatitudinem. Ante omnia autem prænotandum est, duplicem distingui solere appetitum, innatum scilicet, & elicitum: prior est naturalis propensio cujusque rei in bonum sui perfectivum: posterior est vitalis tendentia appetitivæ potentiæ in objectum ut sub ratione boni præcognitum. Prior nihil realiter addit super entitatem appetentis, sed est ipsa ejus natura, quatenùs consideratur prona in perfectionem sibi intimè congruam: unde non nisi analogicè dicitur appetitus quatenùs scilicet res per eum ferri fingitur in objectum conveniens, & quadantenùs imitari appetitum vitalem, qui actu à se elicito prosequitur rem concupitam. In hoc appetitu nullus unquam reperitur error aut deviatio à suo scopo, sed si quis error aut exorbitatio subinde misceatur, aliunde irrepit. [I] Quandocunque, inquit Divus Thomas, aliquis beatitudinem appetit actualiter, conjungitur ibi appetitus naturalis, & „ appetitus rationalis: & ex parte appetitus „ naturalis, semper est ibi rectitudo; sed ex „ parte appetitus rationalis quandoque est „ ibi rectitudo, quando scilicet appetitur ibi „ beatitudo ubi verè est; quandoque autem „ perversitas, quando nimirum appetitur ubi verè non est". Quæ sententia sub eodem tenore applicari potest appetitui libertatis, ut dicatur: Quandocunque aliquis libertatem appetit actualiter, conjungitur ibi appetitus naturalis, & appetitus rationalis: & ex parte appetitus naturalis semper est ibi rectitudo; sed ex parte appetitus rationalis quandoque est ibi rectitudo, quando scilicet appetitur ibi libertas ubi verè est; quandoque autem perversitas, quando ibi appetitur ubi verè non est. Quoniam igitur appetitus naturalis tendit semper in rem appetitam secundùm esse verum ipsius rei, rationalis autem secundùm esse apprehensum; idcircò appetitio naturalis semper est recta, quia res in quam tendit semper est vera; appetitio autem rationalis non semper est recta, sed subinde perversa;

Vide D. Thomam 1. p. q. 19. a. 1. & 9. & q. 59. a. 1. & q. 78. a. 1. ad 3. & Bonavent. in 4. Dist. 49. a. 1. q. 2.

I D. Th. in 4. Dist. 49. q. 1. a. 1. q. 3.

Vide 1. 2. q. 8. a. 1. ad 1.

versa ; quia cùm tendat in rem appetitam
secundùm esse apprehensum , tunc est recta,
quando apprehensio est conformis veritati
objectivæ ipsius rei ; tunc autem perversa,
quando difformis. Hinc ulteriùs fit, ut quam-
vis omnes prorsùs homines unam eandem-
que sive beatitudinem sive libertatem appe-
tant appetitu naturali, non eandem tamen,
sed longè diversam diversi appetant appetitu
rationali : quia nimirum id quod in se unicum
est secundùm esse verum , multiplex prorsùs
est secundùm esse apprehensum : [K] Præclarè, (K. Aug. l. 8. de Civit. c. 3 Vide ibidem l. 19. cap. 41.)
„ inquit Augustinus, vitæ mortisque famâ
„ Socrates reliquit plurimos suæ Philosophiæ
„ sectatores, quorum certatim studium fuit
„ in quæstionum moralium disceptatione
„ versari, ubi agitur de summo bono, sine
„ quo fieri homo beatus non potest. Quod
„ in Socratis disputationibus , dum omnia
„ movet , asserit , destruit , quoniam non evi-
„ denter apparuit , quod cuique placuit inde
„ sumpserunt , & ubi cuique visum est con-
„ stituerunt finem boni. Finis autem boni
„ appellatur, quò quisque cùm pervenerit,
beatus est". Et rursùs inferiùs cap. 8." Hoc
„ ergo, inquit , beatificum bonum alij à cor-
„ pore, alij ab animo , alij ab utroque , in ho-
„ mine esse dixerunt. Videbant quippe ipsum
„ hominem constare ex animo , & corpore: &
„ ideò ab alterutro istorum duûm , aut ab
„ utroque , bene sibi posse esse credebant,
„ finali quodam bono quo beati essent, quò
„ cuncta quæ agebant referrent ; atque id
„ cùm forent adepti , quò referendum esset
ultrà non quærerent". Rursùs ne fortè quis
putaret tres duntaxat fuisse ejusmodi Philo-
sophorum sententias de fine boni sive de bo-
no beatifico , singulas singulis illis tribus
bonis hominis respectivè correspondentes,
subdit ibidem paulò pòst Augustinus:" Nec
„ istæ differentiæ quoniam tres sunt , ideò
„ tres, sed multas dissensiones Philosophorum
„ sectasque fecerunt : quia & de bono cor-
„ poris, & de bono animi, & de bono utriuf-
que, diversi diversa opinati sunt". Et iterùm
inferiùs lib. 19. cap. 1. " De finibus , inquit,
„ bonorum & malorum, multa & multiplici-
„ ter inter se Philosophi disputarunt : quam
„ quæstionem maximâ intentione versantes,
„ invenire conati sunt quid efficiat hominem (Vide Lactantium lib. 3. cap. 7.)
„ beatum. Illud enim est finis boni nostri,
„ propter quod appetenda sunt cætera , ipsum
„ autem propter seipsum: & illud finis mali,
„ propter quod vitanda sunt cætera , ipsum
„ autem propter seipsum. Finem ergo boni
„ nunc dicimus , non quo consumatur ut non
„ sit , sed quo perficiatur ut plenum sit : & fi-
„ nem mali non quo esse desinat , sed quò us-
„ que nocendo perducat. Fines ergo isti
„ sunt, summum bonum, & summum malum:
„ de quibus inveniendis , atque in hac vita
„ summo bono adipiscendo, vitando autem
„ summo malo , multùm , sicut dixi , labora-
„ verunt , qui studium sapientiæ in hujus sæ-
„ culi vanitate professi sunt : nec tamen eos,
„ quamvis diversis errantes modis, naturæ
„ limes intantùm ab itinere veritatis deviare
„ permisit, ut non alij in animo, alij in corpore,
„ alij in utroque , finem bonorum ponerent,
„ & malorum. Ex qua tripertità velut gene-
„ ralium distributione sectarum , Marcus
„ Varro in libro de Philosophia tam multam
„ dogmatum varietatem diligenter & subtili-
„ ter scrutatus advertit, ut ad ducentas octo-
„ ginta octo sectas, non quæ jam essent , sed
„ quæ esse possent , adhibens quasdam diffe-
rentias , facillimè perveniret ". Ecce quàm
varia & multiplex est beatitudo nostra , se-
cundùm esse apprehensum ; quæ tamen unica
est secundùm esse verum ! Quapropter cùm
appetitus rationalis subsequatur apprehen-
sionem mentis, tot necesse est reperiri per-
versas beatitudinis appetitiones , quot fuerint
super eâdem falsæ appetentium opiniones
sive apprehensiones. Rursùs cùm appetitus
naturalis tendat in beatitudinem non secun-
dùm esse apprehensum , sed secundùm esse ve-
rum , quod unicum est; unicam duntaxat
reperiri necesse est appetitionem naturalem,
eamque rectam , correspondentem non solùm
uni appetitui rationali recto, sed etiam tot
ac tam varijs perversis. Atque ita claret quàm
verè dixerit Angelicus Doctor mox relatus,
conjungi semper appetitum beatitudinis na-
turalem, appetitui ejusdem rationali : & ex
parte appetitus naturalis semper ibi esse recti-
tudinem, sed ex parte appetitus rationalis
subinde quidem rectitudinem, subindè verò
perversitatem ; illam quidem quando ibi ap-
petitur beatitudo ubi verè est, istam autem
quando appetitur ubi verè non est.

CCCXXIX. Quemadmodùm beatitudo
opponitur miseriæ , sic libertas servituti :
adeoque sicut appetitor beatitudinis osor est
miseriæ , ita appetitor libertatis execrator est
servitutis. Decipiuntur autem crebrò homi-
nes falsâ libertatis, perinde ac beatitudinis,
imagine : quò fit , ut sicut umbratilem beati-
tudinem pro vera , ita & spuriam quandoque
libertatem pro germana amplectantur ac
prosequantur : [L] Quid aliud, inquit Augusti- (L. August. Epist. 131.)
„ nus , dicendum est eis, qui cùm sint iniqui
„ & impij , liberaliter sibi videntur eruditi,
„ nisi quod in literis verè liberalibus legitur,
„ *Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis?* Per (Io. 8. 36.)
„ eum namque præstatur, ut ipsæ etiam quæ
„ liberales disciplinæ ab eis, qui in libertatem
„ vocati non sunt , appellantur , quid in se
„ habeant liberale noscatur : neque enim ha-
„ bent congruum libertati, nisi quod habent
con-

Ibid v. 32. „ congruum veritati. Unde ille ipse Filius, *Et veritas*, inquit, *liberavit vos*". Non est mirum errasse humana ingenia circa veram libertatem, cùm jam patuerit quantopere errârint circa beatitatem; cujus plenâ demùm adeptione *Creatura liberabitur à servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Unde Augustinus *Rom. 8. 21.*

Augustinus. §. 322. relatus, cùm præmisisset, *Non absurdè virtus definita est ab eis qui dixerunt, Virtus est animi habitus, naturæ, modo, atque rationi consentaneus*: continuò subtexuit, *Verum dixerunt, sed quid sit consentaneum* LIBERANDÆ *atque* BEATIFICANDÆ *naturæ mortalium nesciverunt*. Ubi videmus ignorantiam liberationis, ignorantiæ beatificationis sociari. Et certè tam arcta est societas beatitudinis & libertatis, ut non defuerint qui beatitudinem in eo constituerint, ut quis vivat prout ei libet: quæ tamen descriptio magis exprimere videtur naturam libertatis, quàm beatitatis. Caterùm quamvis omnis beatus vivat prout sibi libet, non tamen è converso beatus est omnis qui vivit ut libet. Unde cùm quædam pia anima Augustinum rogasset ut sibi præscriberet quidnam à Deo peteret orando, respondit ipse: [M.] Ora beatam vitam: hanc enim

M. August. Epist. 121. cap. 4. & 5. „ habere omnes homines volunt. Nam & qui „ pessimè ac perditè vivunt, nullo modo ita „ viverent, nisi eodem modo se esse vel posse „ fieri beatos putarent. Quid ergo aliud oportet te orare, nisi id quod cupiunt & mali & boni, sed ad quod perveniunt non „ nisi boni? Hic fortassè jam quæras, quid „ sit ipsa beata vita? In qua quæstione multorum Philosophorum ingenia otiaque „ contrita sunt; qui tamen eam tantò minùs „ invenire potuerunt, quantò minùs ejus „ fontem honoraverunt, eique gratias egerunt. Priùs itaque attende utrùm acquiescendum sit eis, qui dicunt, *Eum beatum esse, qui secundùm suam vivit voluntatem*. Sed absit ut hoc credamus. Quid enim si nequiter velit vivere? Nonne tanto miserior „ esse convincitur, quanto faciliùs mala ejus „ voluntas impletur? Meritò hanc sententiam „ etiam ipsi, qui sine cultu Dei philosophati „ sunt, respuerunt. Nam quidam eorum vir eloquentissimus ait: *Ecce autem alii, non Philosophi quidem, sed prompti tamen ad disputandum, omnes aiunt esse beatos, qui vivant ut ipsi velint. Falsum id quidem est: velle enim quod non deceat, idem ipsum miserrimum est: nec tam miserum est non adipisci quod velis, quàm adipisci velle quod non oporteat*. Quid tibi videntur hæc verba? „ Nonne ab ipsa veritate per quemlibet hominem dicta sunt? Possumus ergò hic dicere, quod Apostolus ait de quodam Propheta Cretensi, cùm ejus illi sententia placuisset, *Testimonium hoc verum est*. Ille igitur „ beatus est, qui omnia quæ vult habet, nec

Tullius in Hortensio.

Tit. 1. 13.

aliquid vult quod non decet". Huic resolutioni consonat quod matrem suam *Monicam* in quodam colloquio respondisse memorat idem Augustinus in libro de vita beata. Propositâ namque quæstione, *Num omnis qui quod vult habet, beatus sit?* Respondit illa, *Si bona velit & habeat, beatus est: si autem mala velit, quamvis habeat, miser est*. Quo responso audito, Augustinus arridens atque gestiens inquiebat: *Ipsam prorsus, mater, arcem Philosophiæ tenuisti*. Ac tum prædictam Ciceronis sententiam subjunxit, laudavitque, & eandem quoque cum magno encomio repetijt lib. 13. de Trinit. cap. 5: ubi & illud in probationem adjecit: " Quis „ namque ita sit mente cæcus, & ab omni „ luce decoris alienus, ac tenebris dedecoris „ involutus, ut eum qui nequiter vivit ac „ turpiter, & nullo prohibente, nullo ulciscente, nullo saltem reprehendere audente, insuper & laudantibus plurimis, „ quoniam sicut ait Scriptura divina, *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit benedicitur* implet omnes suas facinorosissimas & flagitiosissimas voluptates, „ ideò beatum dicat, quia vivit ut vult: cùm „ profectò quamvis & sic miser esset, minùs „ tamen esset, si nihil eorum quæ perperàm „ voluisset, habere potuisset? Malâ enim voluntate vel solâ quisque miser efficitur; sed „ miserior potestate, quâ desiderium malæ voluntatis impletur". Ex quo mox infrà ibidem concludit: " Omnes beati habent quod „ volunt, quamvis non omnes qui habent „ quod volunt, continuò sint beati. Continuò „ autem miseri, qui vel non habent quod volunt, vel id habent quod non rectè volunt. „ Beatus igitur non est, nisi qui & habet omnia quæ vult, & nihil vult malè".

Monica.

Ps. 9. 24.

CCCXXX Quanquam Augustinus locis jam relatis videatur incunctanter improbare sententiam eorum, qui beatam vitam in eo constituerunt, ut secundùm suam quis vivat voluntatem; alibi tamen rem penitiùs introspiciendo admittit eam definitionem sano sensu intellectam. Ac inprimis nusquam in dubium revocat quin omnis beatus vivat ut vult, sed in eo videtur à se ipso aliquatenus dissidere, quòd cùm in mox citatis locis agnoscat quosdam secundùm suam voluntatem vivere, qui tamen à beatitudine longissimè absint; alibi nihilominus disertè pronuntiet neminem nisi beatum vivere ut vult. Quòd si omnis beatus vivit ut vult, & nemo nisi beatus vivit ut vult: consequens planè erit, beatum rectè ac convertibiliter definiri seu describi, *qui vivit ut vult*; adeoque beatam vitam rectè describi eam, quâ quis secundùm suam vivit voluntatem. Quod si ita est, consectarium apparebit, beatitudinem prorsùs coincidere cum eâ libertate quam omnes instinctu

instinctu naturali expetere cap. 84. præstruximus. Nihil enim aliud appetit qui libertatem suspirat, quàm ut secundùm suam voluntatem vivat. Porrò Augustinum sentire neminem nisi beatum vivere ut vult, planum est ex hisce ipsius verbis: [N] " Donatus est homo sibi, quia deseruit Deum placendo sibi; & non obediens Deo, non potuit obedire nec sibi. Hinc evidentior miseria est, quâ homo non vivit ut vult: nam si ut vellet viveret, beatum se putaret: sed nec sic tamen esset, si turpiter viveret. Quamquam si diligentiùs attendamus, NISI BEATVS, NON VIVIT, VT VVLT: & nullus beatus nisi justus. Sed etiam ipse justus non vivit ut vult, nisi eò pervenerit, ubi mori, falli, offendi omninò non possit; eique sit certum, ita semper futurum. Hoc enim NATVRA expetit; nec plenè atque perfectè beata erit, nisi adepta quod expetit. Nunc verò quis hominum potest ut vult vivere, quando ipsum vivere non est in potestate? Vivere enim vult, mori cogitur. Quomodò ergo vivit ut vult, qui non vivit quamdiu vult? Quòd si mori voluerit, quomodò potest ut vult vivere, qui non vult vivere? Et si ideò mori velit, non quò nolit vivere, sed ut post mortem meliùs possit vivere: nondum ergo ut vult vivit, sed cùm ad id quod vult, moriendo pervenerit. Verùm ecce vivat ut vult, quoniam extorsit sibique imperavit, non velle quod non potest, sicut ait Terentius, [Terentius.] *Quoniam non potest id fieri quod vis, id velis quod possis*: non tamen ideò beatus est, quia patienter miser est". Ex quibus Augustini verbis complura erui possunt documenta scitu digna, breviter hìc perstringenda: ac inprimis illud, *hominem deseruisse Deum placendo sibi*, hoc est, per superbiam præferendo libertatem suam, servituti quam debebat legislatori Deo. Quod verissimum esse, constat ex dictis toto capite 81. quibus & illud addi nunc potest, quod Augustinus lib. de Peccato Originali cap. 24. discernens causam primi Adam, & secundi Adam, ait: " Ille nos in se perdidit faciendo voluntatem suam, non ejus à quo factus est: iste nos in se salvos fecit; [Joh. 6. 38.] *non faciendo voluntatem suam, sed ejus à quo missus est*". Et illud item ejusdem lib. 14. de Civit. c. 13. " Initium malæ voluntatis quod potuit esse, [Eccli. 10. 15.] nisi superbia? *Initium enim omnis peccati superbia est*. Quid est autem superbia, nisi perversæ celsitudinis appetitus? Perversa enim celsitudo est, deserto eo cui debet animus inhærere principio, sibi quodammodò fieri atque esse principium. Hoc fit, cùm sibi nimis placet". Et illud rursùs ejusdem ibidem post pauca: " Nec sic defecit homo, ut omninò nihil esset; sed ut inclinatus ad seipsum, minus esset, quàm erat cùm ei, qui summè est, inhærebat. Relicto itaque Deo, esse in semetipso, hoc est, *sibi placere*, non jam nihil esse est; sed nihilo propinquare. Unde superbi secundùm Scripturas Sanctas alio nomine appellantur *sibi placentes*". Homo proinde Deum deseruit sibi placendo, sibi placuit superbiendo, superbivit perversam celsitudinem appetendo, perversam celsitudinem appetijt indebitam libertatem ambiendo, indebitam libertatem ambivit suâ potestate uti volendo, præceptum rumpere delectando: ut nullo sibi dominante [Vide suprà § 110 Gen. 3. 5.] *fieret sicut Deus*, quia Deo nullus utique dominatur. Alterum documentum eruitur ex illa clausula, *Hinc evidentior miseria est, quâ homo non vivit ut vult*. Quomodò enim vivat ut velit, quem, teste alibi eodem ipso Augustino, [O] " tentat error ut decipiat, tentat [O August. lib. 4. contra Iul. cap 14.] labor aut dolor ut frangat, tentat libido ut accendat, tentat mœror ut sternat, tentat typhus ut extollat? Et quis explicet omnia festinanter, quibus *aggravatur* [Eccli. 40. 1.] *jugum super filios Adam*"? Tertium documentum eruitur ex sequente illa clausula, *Si ut vellet viveret, Beatum se putaret*. Hinc enim colligi datur, eam esse vulgarem hominum existimationem, in hoc sitam esse beatitudinem, quòd quis vivat ut velit. Quam quidem existimationem corrigit Augustinus, conformiter ad ea quæ præcedenti §. relata ex ipso sunt, subdendo: *Sed nec sic tamen esset, si turpiter viveret*. Quia tamen priori illi existimationi subesse veritas potest, ad eam redit, & adjectam correctionem corrigit addendo: *Quanquam si diligentiùs attendamus, nisi beatus non vivit ut vult*: quasi diceret, tametsi minùs accuratè rem scrutantibus appareat fieri posse ut quis sicut vult vivat, qui tamen turpiter vivat; nihilominùs rem penitùs introspiciendo deprehenditur contrarium. Nemo enim turpiter vivens est justus, adeoque nec beatus. Solus autem beatus vivit ut vult: ac per hoc nemo turpiter vivens, vivit ut vult. Solum porrò beatum vivere ut vult, probat Augustinus ex eo, quòd nemo vivat ut vult, *nisi qui eò pervenerit, ubi mori, falli, offendi omninò non possit; eique sit certum ita semper futurum*. Porrò hoc ipsum probat argumento sumpto ex desiderio naturæ, cunctis experimentaliter noto: *Hoc enim*, inquiens, *natura expetit; nec plenè atque perfectè beata erit, nisi adepta quod expetit*.

CCCXXXI. [DIFFICVLTAS.] Hìc tamen occurrit nova difficultas ex ipso Augustini textu emergens, qui in ejusdem libri capite proximè sequenti ait de Adamo: [P] " Vivebat homo in paradiso [P. Aug. l. 14. de Civit. c. 15.] *sicut volebat*, quamdiu hoc volebat quod Deus jusserat". Atqui necdum tunc ille

eò pervenerat, ubi mori, falli, offendi omninò non posset, prout eventus declaravit: neque item ei *certum fuit ita semper futurum.* Unde idem ipse Augustinus superiùs lib. 11. ejusdem Operis c. 12. disertè asserit *illum sui casûs incertum fuisse in magna illa felicitate paradisi.* Falsum igitur est neminem vivere ut vult, *nisi eò pervenerit, ubi mori, falli, offendi omninò non possit; eiq; certum sit, ita semper futurum.* Rursùs si hoc falsum est, falsum pariter erit, neminem fore beatum, nisi eòdem pervenerit. Quod sanè consequens Augustinus dicto lib. 11. cap. 12. indicat, dicens: " Quis primos illos homines " in paradiso negare audeat BEATOS fuisse " ante peccatum, quamvis de sua beatitudine, " quàm diuturna, vel utrum æterna esset, incertos "? Cùm igitur primi illi homines necdum tunc *eò pervenerint, ubi mori, falli, offendi omninò non possint* &c. & nihilominùs etiam tunc *beati* extiterint: consequens planè apparet, posse quem non modò *vivere ut vult*, sed *beatum* quoque esse; tametsi nondum *eò pervenerit, ubi mori, falli, offendi omninò non possit,*

EXPEDITVR. *eiq; certum sit ita semper futurum.* Pro hujus difficultatis expeditione serviet locus Divi Thomæ, hîc opportunè inserendus, quo ait:

Q D.Thom. 1. 2. q. 1. 5. 1. ad 1. Q Illa definitio beatitudinis; quam quidam " posuerunt, *Beatus est qui habet omnia quæ vult*, " vel, *cui omnia optata succedunt*, quodam modo " intellecta est bona, & sufficiens, alio verò " modo est imperfecta. Si enim intelligatur " simpliciter de omnibus quæ vult homo " NATVRALI APPETITV, sic verum est quòd " *qui habet omnia quæ vult, est beatus*: nihil enim " satiat naturalem hominis appetitum, nisi " bonum perfectum, quod est beatitudo. Si " verò intelligatur de his quæ homo vult " secundùm apprehensionem rationis, sic habere quædam quæ homo vult, non pertinet ad beatitudinem, sed magis ad miseriam, inquantùm hujusmodi habita impediunt hominem ne habeat quæcunque vult " naturaliter: sicut etiam ratio accipit ut vera interdùm quæ impediunt à cognitione " veritatis. Et secundùm hanc consideratio" nem Augustinus addit ad perfectionem beatitudinis, *quòd nihil mali velit*: quamvis primum possit sufficere, si rectè intelligeretur, " scilicet quòd *beatus est qui habet omnia quæ vult*". Distinguenda itaque est appetitio naturalis seu innata, ab elicitâ, & item beatitudo plena ac perfecta, ab incompletâ & imperfectâ. Quando igitur primus homo dicitur *vixisse in paradiso sicut volebat*, verbum *volendi* sumitur pro actu elicito appetitus rationalis: & quando idem primus homo dicitur *beatus fuisse in paradiso ante peccatum*; intelligitur beatitudo incompleta sive imperfecta, non autem plena ac perfecta. Hæc enim in via à puris hominibus non obtinetur, sed demùm in patria; quando utique, sicut ait Augustinus, R " Illâ cognitione, illâ visione, " illâ contemplatione *satiabitur in bono animæ desiderium*. Hoc enim ei solùm sat est, " ultrà non habet quod appetat, quò inhiet, quod requirat". In hujus plenissimæ beatitatis comparatione omnis inferior felicitas, quantumvis alioqui in seipsa absolutè eximia, beatitudinis nomen vix meretur. S " Illa namque visio Dei, ait idem alibi, tantæ pulchritudinis visio est, & tanto amore dignissima: ut sine hac, quibuslibet alijs bonis præditum atque abundantem, non dubitet Plotinus infelicissimum dicere". Ratio assignari potest, quia licèt sine hac vivat ut velit, volitione elicitâ; non tamen naturali, seu innatâ. Nam cùm nullum bonum citra eam satiet naturale animæ desiderium, necesse est ut eâ absente maneat anima naturaliter inanis, vacua, famelica, irrequieta: ac per hoc infelix, imò, ut Plotinus ait, *infelicissima*. Quando igitur Augustinus superiori §. relatus dicit de homine, *Si ut vellet viveret, beatum se putaret; sed nec sic tamen esset, si turpiter viveret*; satis quidem indicat fieri posse ut quis turpiter vivens vivat ut velit: sed intelligendus est de *volitione elicita*, de qua similiter intelligendi sunt quos in eam rem §. 329. adduxit & laudavit. Nihil enim obstat quo minus actu elicito velit quis vivere turpiter, adeoque vivendo turpiter vivat ut velit. Fieri autem nequit ut quis appetitu innato velit vivere turpiter: quia appetitu innato id solùm expetitur quod naturæ congruit ut consentaneum & perfectivum; quale non est ullum vitium turpiter viventis, prout §. 320. visum est. Ad hunc ergo innatum appetitum respiciens Augustinus addit, *Sed diligentiùs attendamus. nisi beatus non vivit ut vult*: tanquam diceret, si non hæreamus in appetitu elicito, sed accuratiori indagine perscrutemur insuper appetitum innatum, deprehendemus. neminem vivere ut vult, nisi beatum; quia nimirùm sola beatitudo sedat inquietudinem appetitus innati: beatitudo utique non viæ, sed patriæ; non qualem habuerunt protoplasti in paradiso terrestri, sed qualem Sancti Angeli & homines in paradiso cælesti. Hunc quippe designat, dum negat ipsum etiam justum vivere ut vult, *nisi eò pervenerit, ubi mori, falli, offendi omninò non possit, eique sit certum ita semper futurum.* Cùm igitur nemo dicendus sit vivere ut vult, qui aliquid ultra id quod tenet vult: quisque autem appetitu innato incessanter aliquid ultra id quod tenet velit donec *eò perveniat, ubi mori, falli, offendi omninò non possit, eique certum sit ita semper futurum*: planum fit, neminem vivere ut vult appetitu innato, *nisi eò perveniat, ubi mori, falli, offendi omninò non possit* &c.

R Aug. lib. de Spirit. & lit. cap. 31. Psal. 102.5.

S. Aug. lib. 10. de Civit. cap. 16.

Porrò

Porrò probatio assertionis subjuncta, palàm evincit, Augustinum loqui de appetitu innato, nec non de beatitudine non qualicunque, sed plenâ ac perfectâ. Sic quippe ea habet: *Hoc enim* NATURA *expetit; nec plenè atque perfectè beata erit, nisi adepta quod expetit.* Sermo ergo est de expetentia *naturæ*, non voluntatis ut voluntas est; adeoque de expetentia innatâ, non de elicitâ; de expetentia naturali, non de rationali. Quæ expetentia nunquam satiari, adeoque nec quietari poterit, quoadusque natura id adepta fuerit, quo *plenè atque perfectè beata erit*. Id verò nunquam adipiscetur citra claram Dei visionem: T. Cùm „ enim ultima hominis beatitudo in altissima „ ejus operatione consistat, quæ est opera„ tio intellectûs; si nunquam essentiam Dei „ videre potest intellectus creatus, vel nun„ quam beatitudinem obtinebit, vel in alio „ ejus beatitudo consistet, quàm in Deo: quod est alienum à fide. T. D. Thom. 1. p. q. 12. a. 1. in Corp.

CAPUT LXXXVIII.

Etsi omnes sine exceptione beatitatem libertatemque avidè cupiant, quomodò tamen ad eam perveniatur complures nesciunt. Non solùm boni propterea sunt boni, sed & mali propterea mali, ut sint beati. Peccatores in omnibus flagitijs ac facinoribus quæ perpetrant, beatitudinem quærunt, libertati inhiant: sed sicut illam quærendo incurrunt miseriam, ita huic inhiando incidunt in servitutem, imò & in mortem. Expenditur quod scriptum est, Omnis qui facit peccatum servus est peccati. *Triplex libertas, à necessitate, à peccato, à miseria: prima naturæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ: prima multum habet honoris, secunda plurimum virtutis, tertia cumulum jucunditatis. Libertinorum celeusma,* Quis noster Dominus est? *Eorundem progressus usque ad atheismi barathrum. Metus Numinis quàm necessarius continendis in officio hominibus? Eo semel excusso difficiliùs domantur homines, quàm feræ. Errantium circa Numinis existentiam vel providentiam quadruplex secta ex Epicteto. Aristotelis hallucinatio de Numinis gubernio: uti & aliorum, qui providentiam ad singularia negabant exporrigi, ut in suis sceleribus putarentur impunes.*

CCCXXXII. APpetunt igitur omnes naturaliter beatitatem, & simul ei consentaneam libertatem; nec in hac appetentia unquam errant, aut à mediocritatis tramite altroversùm declinant. At verò dum apprehensam beatitatem, vel libertatem, appetitu rationali atque elicito cupiunt, usqueadeò plerunque à scopo deflectunt, ut pro beatitate miseriam, pro libertate servitutem arripiant: V. Omnes quidem, inquit „ Augustinus, beatitudinem concupiscunt, „ sed quomodò ad eam perveniatur plurimi „ nesciunt: ideoque hoc docet iste qui dicit, „ *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege* „ *Domini*. Tanquam diceret: Scio quid velis, „ beatitudinem quæris. Si ergo vis esse bea„ tus, esto immaculatus: illud enim omnes, „ hoc autem pauci volunt, sine quo non per„ venitur ad illud quod omnes volunt. Sed „ ubi erit quisque *immaculatus*, nisi *in via*? In „ quâ viâ, nisi *in lege Domini*? Ac per hoc, *Beati* „ *immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, „ non superfluò nobis dicitur, sed exhortatio „ necessaria nostris mentibus adhibetur. Quid „ enim boni sit ad quod multi pigri sunt, id „ est, *immaculatos ambulare in via*, quæ est *Lex* „ *Domini*, sic ostenditur, cùm *beatos esse* qui „ hoc faciunt indicatur: ut propter illud quod „ omnes volunt, etiam hoc fiat quod plurimi „ nolunt. Beatum quippe esse, tam magnum „ est bonum, ut hoc & boni velint, & mali. „ Nec mirum est, quod boni propterea sint „ boni, sed illud est mirum, quòd etiam mali „ propterea sint mali, ut sint beati. Nam quis„ quis libidinibus deditus luxuriâ stuprisque „ corrumpitur, in hoc malo beatitudinem „ quærit, & se miserum putat cùm ad suæ con„ cupiscentiæ voluptatem lætitiamque non „ pervenit; beatum verò non dubitat se jactare, „ cùm pervenit. Et quisquis avaritiæ facibus „ inardescit, ad hoc congregat quocunque

V. August. in Psal. 118. Concione 1.

Psal. 118. 1.

„ modo divitias, ut beatus sit. Quicunque
„ molitur inimicorum sanguinem fundere,
„ quicunque desiderat dominationem, qui-
„ quis affectat crudelitatem suam explere,
„ quisquis alienis cladibus pascitur; in omni-
„ bus sceleribus beatitudinem quærit. Hos
„ igitur errantes, & verâ miseriâ falsam bea-
„ titudinem requirentes, revocat ad viam, si
Ps. 118. 1. „ audiatur, vox ista divina, *Beati immaculati*
„ *in via, qui ambulant in lege Domini.* Tanquam
„ dicens: Quò itis? Peritis, & nescitis. Non
„ illàc itur quà pergitis, quò pervenire desi-
„ deratis: nam utique beati esse cupitis, sed
„ misera sunt, & ad majorem miseriam du-
„ cunt itinera ista quæ curritis: tam magnum
„ bonum quærere per mala nolite: si ad illud
„ pervenire vultis, huc venite, hàc ite: viæ
„ perversæ relinquite malignitatem, qui non
„ potestis relinquere beatitudinis volunta-
„ tem: frustrà tendendo fatigamini, quò per-
„ veniendo inquinamini: non enim beati in-
„ quinati in errore, qui ambulant in perver-
„ sitate sæculi; sed *beati immaculati in via, qui*
ambulant in lege Domini". Hæc eadem, mutatis
duntaxat nominibus, accommodari possunt
libertati, & ejus appetitui. Eodem quippe
appetitu, innato respectivè vel elicito, quo
beatitudo expetitur, etiam libertas concu-
piscitur, quatenùs ea in beatitudinis plenitu-
dine implicatur. Nemo quippe beatus eva-
dit, nisi qui eò pervenerit ubi secundùm
suam voluntatem vivat. Quid est autem aliud
appetere vivere secundùm suam voluntatem,
Vide Aug. l. 13. de Trinit. cap. 5. quàm appetere libertatem? Appetunt pro-
inde omnes non solùm in exercitijs honestis,
sed etiam in perversis quandam libertatem,
perinde ac quandam beatitudinem: & sicut
in perversis requirendo beatitudinem, incur-
runt miseriam; ita requirendo libertatem in-
Jo. 8. 34. currunt servitutem: *quia omnis qui facit pecca-*
tum, servus est peccati. Vis amplius? Audi Augu-
W Aug. Ser. 48. de Verb. Domini c. 2. stinum: W. Parùm est, ait ille, quòd qui sub
„ peccato sunt, *servi* dicti sint, etiam *mortui*
„ dicuntur. Quod timet homo ne faciat illi
„ captivitas, jam illi fecit iniquitas. Quid
„ enim, quia videtur vivere, nunquid ideò
Mat. 8. 22. „ erravit ille qui dixit, *Dimitte mortuos sepelire*
„ *mortuos suos*? Ergo mortui omnes sub pec-
„ cato, servi mortui, serviendo mortui, mo-
„ riendo servi". Quærentes igitur vivere se-
cundùm suam voluntatem, amittunt vitam
simul & libertatem: non utique vitam cor-
poris, sed animæ; nec libertatem naturæ, sed
X. Bernard. lib. de Grat. & lib. arbit. gratiæ: X. Triplex est nobis, inquit Bernar-
„ dus, proposita libertas, à peccato, à mise-
„ ria, à necessitate. Hanc ultimo loco posi-
„ tam contulit nobis in conditione natura,
„ in primam restauramur à gratia, media nobis
„ reservatur in patria. Dicatur ergo prima
„ libertas naturæ, secunda gratiæ, tertia vitæ
„ vel gloriæ. Primò namque in liberam vo-
„ luntatem ac voluntariam libertatem condi-
„ ti sumus, nobilis Deo creatura: secundò
„ reformamur in innocentiam, nova in Chri-
„ sto creatura: tertiò sublimamur in gloriam,
„ perfecta in spiritu creatura. Prima ergò li-
„ bertas habet multum honoris, secunda plu-
„ rimum etiam virtutis, novissima cumulum
jucunditatis". Hujus itaque beatissimæ ju-
cunditatis seu jucundissimæ libertatis velut
umbram quandam sibi repræsentant creaturæ
rationales in omnibus suis moliminibus, et-
iam nefandissimis. Sed absit ut sit congruum
libertati, quicquid non est congruum pietati,
æquitati, veritati.

CCCXXXIII. Jam olim produxit Psal-
mographus quosdam, inani libertatis umbrâ
deceptos, qui in abruptum impietatis pro-
lapsi adeò se liberos autumarunt, ut dice-
rent: *Quis noster Dominus est?* Tanquam dice- Ps. 13. 1.
rent, nullus: Y. O verbum diabolicum! ô Y. Chrysost.
„ animam dæmonicam! Vides, ô homo, uni- in Psal. 14.
„ versam creaturam prædicare Domini po-
„ tentiam, sapientiam, curam, providen-
„ tiam: animam tuam, corpus, vitam, quæ
„ sub aspectum cadunt, & quæ non cadunt,
„ omnia propemodùm vocem emittentia lau-
„ dare potentiam Artificis: & dicis; *Quis*
„ *noster Dominus est?* Hoc est furoris, hoc stu-
poris, hoc corrupti animi". De talibus li-
bertinis Theodoretus: Z. Sermones, inquit, Z. Theodoret. in Psal. 13.
„ metiri nesciunt, neque divinas leges respi-
„ cere volunt: sed effrænato ore utentes, cum Vide Chrysost. in Psal. 13.
„ audacia quicquid volunt loquuntur, di-
„ vinam patientiam despicientes, nec sub Dei
„ potestate se esse cogitantes. Talis fuit Pha-
„ rao, ideòque dixit: *Nam novi Dominum.* Talis Exod. 5. 2.
„ & Rapsaces, qui ausus est dicere: *Ne te de-* 4 Reg. 18. 30.
„ *cipiat Deus tuus, in quo confisus es, quoniam li-*
„ *berabit Hierusalem de manu mea.* Talis Nabu-
„ chodonozor qui generosos pueros exter-
„ ruit, nec dicere perhorruit: *Quis est Deus, qui* Dan. 3. 15.
eripiat vos de manu mea"? Scitè quoque notat
Genebrardus dictum istud, *Quis noster Dominus*
est, esse velut celeusma, A. *quo improbi se con-* A. Genebr.
firmate & cohortari ad malum solent, ut sine metu in Psal. 13.
peccent. Quia enim plerunque obicem præ-
struit improbis metus Numinis, idcircò qui
impunè peccare volunt, ipsum Numen de me-
dio tollere cupiunt: ut nimirùm eo sublato
metus cesset, libertinitas subintret, audacia
regnet. Vidit certè ethnicus ille Cæcilius
apud Minutium quàm procliviter subintroëat
delinquendi libertas, ubi sublato Numinis
metu persuadetur impunitas: B. Cùm omnium B. Cæcilius
„ Gentium, ait ille, de Dijs immortalibus, apud Minutium in Octavio.
„ quamvis incerta sit vel ratio vel origo, ma-
„ neat tamen firma consensio; neminem fero,
„ tantâ audaciâ tamque irreligiosâ nescio quâ
„ prudentiâ tumescentem, qui hanc religio-
nem

„ nem tam vetuſtam, tam utilem, tam ſalu-
„ brem diſſolvere aut infirmare nitatur:
„ ſit licèt ille *Theodorus Cyrenaus*, vel qui
„ prior *Diagoras Molius*, cui *Atheon* cognomen
„ appoſuit antiquitas; qui uterque nullos
„ Deos aſſeverando, TIMOREM OM-
„ NEM, QVO HVMANITAS REGITVR,
venerationemq́ue penitùs ſuſtulerunt". Ubi
tametſi errore Gentilitio *Deos* pluraliter no-
minet, rectè tamen metum Numinis ad con-
tinendum in officio humanum genus aſtruit.
C. Auguſt. q. 16. inter 83. Ut enim Auguſtinus rectè admonet, [C] Ho-
„ mines quos nondùm delectat pulchritudo
„ virtutis, niſi pœnis à peccando deterrean-
„ tur, quæ veriſſimè per ſanctos & divinos
„ viros prædicantur, ut quod celant homini-
„ bus, Deo celari non poſſe conſtituant;
„ difficiliùs domantur, quàm feræ. Ut autem
„ timeatur Deus, divinâ providentiâ regi
univerſa perſuadendum eſt". Sperius §. 307.
ex Epiphanio notavimus Democritum do-
Democritus cuiſſe, *Non oportet ſapientem legibus obedire, ſed liberè vivere.* Quod ut hominibus perſuaderet,
Mundum divinâ providentiâ regi negavit.
Quâ de re Lactantius cùm quæſiſſet, *num for-
tuitò facta ſint omnia, vel regantur?* continuò
ſubjunxit: [D] Cujus ſententiæ author eſt *De-*
D Lactant. lib. 1 c. 2. „ *mocritus*, confirmator *Epicurus*. Sed & anteà
„ *Protagoras*, qui Deos in dubium revocavit; &
„ poſteà *Diagoras*, qui excluſit; & alij non-
„ nulli, qui non putaverunt Deos eſſe: quid
„ aliud effecerunt, niſi ut nulla eſſe providen-
tia putaretur"? Quanta porrò delinquendi,
ac quidlibet pro libitu patrandi libertas ex
hac dementiſſimâ perſuaſione conſequatur,
indicat idem Lactantius lib. de Ira Dei cap. 8.
ita ſcribens: " Quòd ſi negotium Deus non
„ habet, nec exhibet; cur non ergo delin-
„ quamus quoties hominum conſcientiam
„ fallere licebit, ac leges publicas circumſcri-
„ bere? Ubicunque nobis latendi occaſio
„ arriſerit, conſulamus rei, auferamus aliena
„ vel ſine cruore, vel etiam cum ſanguine, ſi
„ præter leges nihil eſt ampliùs quod veren-
„ dum ſit. Hæc dum ſentit Epicurus, reli-
„ gionem funditùs delet; quâ ſublatâ, confuſio
„ ac perturbatio vitæ ſequitur. Quòd ſi reli-
„ gio tolli non poteſt, ut & ſapientiam quâ
„ diſtamus à belluis, & juſtitiam retineamus
„ quâ communis vita ſit tutior; quomodò
„ religio ipſa ſine metu teneri aut cuſtodiri
„ poteſt? Quod enim non metuitur contem-
„ nitur, quod contemnitur utique non coli-
„ tur: ita fit, ut religio, & majeſtas, & honor
„ metu conſtet: metus autem non eſt, ubi
„ nullus iraſcitur. Sive igitur gratiam Deo,
„ ſive iram, ſive utramque detraxeris, reli-
„ gionem tolli neceſſe eſt; ſine quâ vita homi-
„ num ſtultitiâ, ſcelere, immanitate comple-
„ tur. Multùm enim refrænat homines con-
„ ſcientia, ſi credamus nos in conſpectu Dei
„ vivere; ſi non tantùm quæ gerimus, videri
„ deſuper, ſed etiam quæ cogitamus, aut
loquimur, audiri à Deo putemus". Porrò qui
libertatem quidlibet impunè pro libitu per-
petrandi affectant, frænum iſtud quoquo
modo excutiendi methodum exquirunt. At-
que hinc eſt quòd quidam eorum expedire ſe
compendio cupientes, ſecurim radici admo-
verint, *dicendo in corde ſuo, Non eſt Deus.* Alij Pſ. 13. 1.
verò cùm in iſtam tam horrendam impieta-
tem nequirent animum inclinare ſuum, Dei
quidem agnoverunt exiſtentiam, ſed vel in
totum vel ſaltem pro aliqua parte ſuſtulerunt
ejus providentiam. Utroſque perſtringit
Epictetus, cùm ait: [E] De Dijs quidam diſ- E. Epictet. apud Arrianum lib. 1. cap. 12.
„ putant, non eſſe omninò Numen aſſeren-
„ tes: alij eſſe quidem, ſed otioſum, & nihil
„ procurans, nihilq́ue proſpiciens: tertij ſunt,
„ qui eſſe, & providere, ſed magna duntaxat
„ & cæleſtia, terrenas res nullas: quarti, qui
„ & terrenarum & cæleſtium rerum procura-
„ tionem penes ipſum eſſe dicunt, commu-
„ niter tamen ad omnia pertinentem, & non
privatim ad ſingula".

CCCXXXIV. Omnes iſtos ex inſanâ &
irrequietâ libertatis ambitione in ſua reſpe-
ctivè paradoxa proſilijſſe haud dubium eſt.
Ambitio quippe libertatis parit odium legis Vide ſuprà §. 108.
eandem coarctantis: odium verò legis pro-
creat tædium legiſlatoris: tædium denique
legiſlatoris prorumpit in exterminium ejuſ-
dem: [F] Naturale eſt enim, inquit Minutius, F. Minutius in Octavio.
„ & odiſſe quem times, & quem metueris,
infeſtare, ſi poſſis". Infeſtare utique uſque
ad exterminium ſaltem affectu, ſi non poſſis
effectu. Sicut autem naturale eſt odiſſe, quem
times: ita naturale eſt ſomniare, quod optas.
De Sabinis vulgariter dici ſolet: *Sabini ſom-
niant, quod volunt.* Sed quod ſpargit vulgus de
una Gente Sabinorum, locum habet in omni
genere atheorum. Somniant quippe hi Deum
non eſſe, quia optant eum ſibi non præeſſe:
[G] Nolunt, inquit de eis Ambroſius, ſupra ſe G. Amb. lib. 1. de Officijs cap. 14.
„ eſſe judicem, quem nihil fallat: nolunt ei
„ dare occultorum ſcientiam, qui metuunt
occulta ſua prodi". Hi igitur pravâ quâdam
impunitatis cupidine illecti vim inferunt ſuæ
naturæ ad Dei imaginem conditæ, atque
adeò ad cognoſcendum prototypum ſuum
naturaliter propenſæ: [H] Hæc eſt enim, ut H. Auguſt. Tract. 106. in Joan. Vide Theodoret in Pſalm 18.
„ Auguſtinus ait, vis veræ divinitatis, ut
„ creaturæ rationali jam ratione utenti non
„ omninò ac penitùs poſſit abſcondi. Excep-
„ tis enim paucis, IN QVIBVS NATVRA NI-
„ MIVM DEPRAVATA EST, univerſum genus
„ humanum Deum Mundi hujus fatetur au-
thorem". Si autem *authorem*, proculdubiò & I Ambroſ. ibid cap. 13. Vide Theodoret, hæret. fab. c. 10.
curatorem ſeu proviſorem: [I] Quis operator,
„ inquit Ambroſius, negligat operis ſui cu-

 ram?

„ ram? Quis deserat & destituat, quod ipse
„ condendum putavit? Si injuria est non re-
„ gere, nonne est major injuria fecisse: cùm
„ aliquid non fecisse, nulla injustitia sit; non
„ curare quod feceris, summa inclementia"?
Hanc tamen inclementiam summo Opifici affingere compulit quosdam libertatis amor, submittere colla recusans. Inter quos eminet *Epicurus*, quem Ambrosius ibidem *ebrium magistrum* nominat, & *voluptatis patronum*: cui, juxta Lactantium præcedenti §. relatum, prælusit *Democritus*; qui cùm Dei providentiam de medio sustulisset, consequenter subintulit, *Non oportere sapientem legibus obedire, sed liberè vivere.* Ubi cur solos *sapientes* ab obligatione legum exemerit, haud obvia ratio est. Fortè id ipsum censuit de legibus divinis, quod Anacharsidem dixisse memorant de legibus humanis, nimirum *Leges telis aranearum similes esse, in quibus infirmiora animalia hærerent, valentiora perrumperent.* Aristotelem divinæ providentiæ contradixisse quidem ferunt, non tamen universim, sed duntaxat quantùm ad sublunaria; [K] Aristoteles, ait Ambrosius, as-
„ serit usque ad lunam descendere Dei providentiam". Et iterum post pauca ibidem. "De
„ Aristotelis opinione quid loquar, qui putat
„ Deum suis contentum esse finibus, & præ-
„ scripto regni modo degere, ut Poëtarum
„ loquuntur fabulæ, qui Mundum in tres
„ ferunt esse divisum: ut alij cælum, alij mare,
„ alij inferna coërcenda, imperij sorte obvenerint". Huc quoque respexit Nazianzenus Orat. 33. prope finem, ubi providentiam ab Aristotele agnitam quidem fuisse subindicat, sed *præparcam, & angustis finibus circumscriptam.* Clemens quoque Alexandrinus lib. 5. Stromatum: "Aristoteli venit in mentem, inquit,
„ usque ad lunam deducere providentiam".
Diogenes item Laërtius de eodem Aristotele loquens: [L] Deum, inquit, sicut & Plato,
„ incorporalem diffinivit, ejusque providen-
„ tiam ad cælestia usque pertingere, ipsum
verò immobilem esse". Theodoretus denique, Diagoræ atheo, & Epicuro Deum penitùs improvidum comminiscenti, subnectit Aristotelem eidem providentiæ limitem præstituentem: [M] Execramur, inquiens, impium
„ Diagoram: abhorremus etiam ab Epicuro,
„ qui Deum quidem esse concedit, sed hunc
„ in seipsum conversum ait, nihil eorum sen-
„ tire quæ in rebus creatis fiunt. Aristotelis
„ quoque providentiam reprehendimus, qui
limitem ei lunam constituit". In hujus absurdissimæ sententiæ assertores ita insurgit Augustinus, ut omninò neget eos esse audiendos: [N] Nec omninò audiendi sunt, inquiens,
„ qui putaverunt sublimes quidem Mundi
„ partes, id est à confinio corpulentioris aëris
„ hujus & suprà, divinâ providentiâ guber-
„ nari; hanc autem imam partem, terrenam &
„ humidam, aëris hujus vicinioris, qui ter-
„ rarum & aquarum exhalationibus humescit,
„ in quo venti nubesque consurgunt, casibus
„ potiùs & fortuitis motibus agitari. Contra
„ hos enim loquitur Psalmus, qui cùm ex-
„ plicasset laudem cælestium, se etiam ad ista
„ inferiora convertit, dicens: *Laudate Dominum*
„ *de terra dracones & omnes abyssi: ignis, gran-*
„ *do, nix, glacies spiritus tempestatis, quæ faciunt*
„ *verbum ejus.* Nihil enim tam videtur casibus
„ volvi, quàm omnes istæ procellosæ ac tur-
„ bulentæ qualitates, quibus cæli hujus in-
„ ferioris, quod non immeritò etiam *terræ*
„ nomine deputatum est, facies variatur &
„ vertitur. Sed cùm addidit, *quæ faciunt ver-*
„ *bum ejus*, satis ostendit earum quoque rerum
„ ordinem divino subditum imperio, latere
„ nos potiùs, quàm universitatis deesse natu-
„ ræ. Quod autem ore suo Salvator dicit,
„ *Vnum passerem non cadere in terram sine Dei vo-*
„ *luntate*; & quòd *fœnum agri, post paululum mit-*
„ *tendum in clibanum, ipse tamen vestiat*: nonne
„ confirmat, non solùm totam istam Mundi
„ partem rebus mortalibus & corruptibilibus
„ deputatam, verùm etiam vilissimas ejus
„ abjectasque particulas, divinâ providentiâ
regi"? Nunc veniendum est ad eos, quos quarto loco Epictetus commemoravit: qui nimirum providentiam ad terrena quidem & cælestia porrectam agnoscunt, sed in communi duntaxat, ad rerum species ac genera, non autem singulatim ad ipsa individua. De his pulchrè satis & appositè disserit Justinus Martyr sub initium Dialogi cum Tryphone Judæo, à quo rogatus an Philosophorum non sit inquirere de rebus divinis? Respondit affirmativè: "Attamen, subdidit, magna
„ eorum pars ne id quidem curat, unusne an
„ plures Dij sint; & provideantne rebus
„ nostris, an non: quasi hæc scire nihil ad
„ felicitatem conferat. Imò vobis etiam per-
„ suadere conantur, Deum providere quidem
„ universitati huic ejusque speciebus ac gene-
„ ribus, mihi verò, ac tibi, singulisque non
„ item: alioquin supervacaneas fore preces
„ nocturnas diurnasque. Quò autem ista ten-
„ dant, facilè deprehenditur: nimirum hæc
„ opinio securitatem sibi quærit, atque licen-
„ tiam faciendi quicquid collibuerit, dum
„ nec pœna timetur, nec ullum à Deo spe-
ratur commodum". Hoc planè est quod astruere enisi sumus, libertinos nimirum eò collimare, ut quoquo modo libertatem sibi vendicent quidlibet impunè perpetrandi pro libitu. Notat porrò Augustinus plerosque hujusmodi libertinos non tam potestatem, quàm voluntatem attendendi rebus humanis denegare Deo: parùm utique curantes quid ille possit si velit, dummodò reipsà advertere

vol

Epicurus.

Democritus

Anacharsis Vide Basil. Hom. 6. Hexam.

K. Ambros. ibidem. Vide Epiph. in compendiaria fidei doctrina, ad calcem Panarij.

Gregor. Nazianzen. Vide Orat. 36.

Clem. Alex.

L. Laërtius, in vita Arist.

M. Theod. lib. 5. hæret. fab. cap. 10.

N. Aug. l. 5. de Genesi ad lit. c. 21.

Psal. 148. 7. & 8.

Mat. 10. 29.

Mat. 6. 30.

Iustinus Martyr.

O. Aug. Ser. 10. de Verbis Domini c. 2. Vide Aug. in Psalm. 74.

vel animadvertere nolit: O. Multi enim, ait „ ille, propterea mala faciunt, dum putant „ quod non videantur à Deo. Et difficile est „ quidem, ut eum credant videre non posse, „ sed putant nolle: pauci inveniuntur tantæ „ impietatis, ut impleatur in eis quod scriptum „ est, *Dixit stultus in corde suo, Non est Deus*: in- „ sania ista paucorum est. Sicut enim magna „ pietas, paucorum est: ita & magna impietas, nihilo minùs paucorum est". Psal. 13. 1.

CAPUT LXXXIX.

Libertatis ambitio clientes suos de medio in extrema utrorsùm præcipitat, hinc in atheismi vacuitatem, inde in polytheismi superfluitatem. Polytheismi origo ad protoplastos, serpentinæ suggestioni in paradiso assentientes, perducta. Multitudo Numinum, nullitas est Numinum: quia Deus si non unicus est, nullus est. Sabinorum more libertini somniant quod optant; fingentes Deorum multitudinem, ut astruant delictorum impunitudinem. Dyscolus servus dominum metuens quem offendit, alium perquirit ad quem confugiat. Ovidij poëma de impenso à Dijs adversùs Deos patrocinio, Sæpè premente Deo fert Deus alter opem *&c. Petronij hemistichium,* Primus in orbe Deos fecit timor, *discutitur. Libertini finxere Deos vitiorum patronos, ut laxandis improbitati habenis assuefacerent vitiosos. Proclive est imitari, quem non piget venerari: magis utique intuentur cultores Iovis aut Herculis quid hi fecerint, quàm quid docuerit Plato, vel censuerit Cato. Libertini non modò personis vitiosis, sed ipsis etiam vitijs divinitatem arrogarunt, ut* Marti, Mercurio, Baccho, Priapo, Cupidini, Veneri, Mammoni, *alijsque consimilibus obscænitatis fontibus. Nihil mirum homines fieri vitiosos, quibus ipsa vitia habentur religiosa; nec modò non caventur ut profana, sed etiam coluntur ut sacra: nulla quippe major libertinismi est illecebra, quàm divinitatis obtentu indulta morbo grassandi licentia.*

CCCXXXV Patet igitur ex jam dictis quemadmodùm ambitio libertatis impulerit homines ad abnegandum supremi Numinis existentiam, vel certè plenam atque integram providentiam. Unde cùm Psalmographus præmisisset, *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus*; mox, quasi radicem tantæ insaniæ detegens, subdidit: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis* P. Fundamentum, inquit Theodoretus, & „ radix impietatis, vitæ corruptela est. Cùm „ enim seipsos intemperantiæ, atque ferinæ „ vitæ addixissent, Dei memoriam à mente suâ projecerunt". Alibi quoque cùm idem Psalmographus de talibus dixisset, *Viduam & advenam interfecerunt, & pupillos occiderunt*; continuò, quid inde consecutum sit indicans, subtexuit: *Et dixerunt, Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Neque verò hoc adeò mirum videri debet, cùm scriptum sit, *Omnis qui male agit, odit lucem.* non ob aliud utique, nisi quia optat sine redargutionis periculo pravas suas cupiditates perficere, timoris frænum excutere, ad libitum vivere. Illud autem valdè mirum videri forsan posset, eandem libertatis ambitionem multitudini Deorum invehendæ præbuisse occasionem. Præbuit tamen, & quidem multipliciter. Nam inprimis constat ex dictis cap. 81. §. 309. & 310. primos parentes ambitione libertatis illectos cecidisse. Ex quo ulteriùs contigit ut verbis illis serpentis, *Eritis sicut Dij*, aures accommodaverint, atque ita polytheismo invehendo aditum patefecerint. Unde Beda expendens illa ipsa serpentis verba: Q Hic primò, inquit, unitas scindi- „ tur, & hic etiam primò idololatria orta est". Et Cyrillus Alexandrinus de eodem serpente protoplastos seducente disserens: R. Calum- „ niatus est, inquit, supremam atque ineffa- „ bilem naturam, & multitudinis Deorum „ doctrinam animis primorum hominum immisit". Et Iustinus Martyr loquens de eodem antiquo

Psal. 13. 1. Ibid. P Theodor. in Psal. 13. Psal. 93. 6. Ibid. v. 7. Ioan. 3. 20. Gen. 3. 5. Q. Beda in cap. 3 Genesis v. 5. R Cyrillus Alexan. l. 3. contra Iulianum.

S Iustin. in paraenetica ad Gentes.
T Ambr. lib. de Parad. c. 15.
V Basil. Seleuc. Orat. 3.

antiquo serpente: S Primos homines, inquit, „plurium Deorum cultum docere est ausus". Et Ambrosius: T Advertere licet, inquit, idololatriæ authorem esse serpentem, eò quòd „plures Deos induxisse in hominum videatur „errorem quâdam serpentis astutiâ; & hoc fefellit, dicens: *Eritis sicut Dy*". Et Basilius Seleucianus: V Observa, inquit, sententiæ hu„jus (*eritis sicut Dy*) insidias, quæ omnis im„pietatis radix est ac parens: siquidem per eam „superstitio Græcorum pullulavit, & impie„tatis sectæ hinc progenitæ sunt. Hanc pri„mam machinam contra veritatem machi„natus est diabolus, persuaderi posse homi„nibus, ut pro Numine sese procreabilem du„cant: hoc usque ad idolorum vilitatem Dei „nomen dissecit: ob hanc vocem imaginati „sunt creaturam esse Deum; ob hanc vocem „*Arius* creaturam esse Dei Filium ausus est di„cere, ob hanc *Eunomius* Filium ex ijs quæ non „sunt decrevit esse, ob hanc Apollinarius „Deum hominem fuisse censuit. Tolle illud, „*Eritis sicut Dy*: & Græcorum superstitio funditùs eripitur". Et Moyses Barcepha: W Adam, „inquit, unà cum uxore suâ Evâ seductus „est fraude diaboli: qui non modò escæ ille„cebris eos fefellit, sed persuasit etiam plures „esse Deos, cùm diceret: *Si comederitis ex ea arbore, eritis sicut Dy*". Et Chrysostomus tractans de insipiente illo qui *dixit in corde suo, Non est Deus*: X Primus insipiens, inquit, diabolus „fuit, qui primus insipientiæ seminator exti„tit & primus præco multitudinis Deorum, „dicens: *Eritis sicut Dy*". Ubi notandum, omnes polytheos à Chrysostomo censeri atheos, ac per hoc stultos sive *insipientes in corde suo dicentes, Non est Deus*. Quoniam igitur diabolus omnium primus seminavit polytheismum, Chrysostomus eundem consectariè arguit atheismi: " Quicunque, ait ille ibidem, mul„tos Deos adorat, dicit: *Non est Deus*. Quem„admodùm enim maritorum multitudo effi„cit ut non censeatur maritus, ita multorum „Deorum cultus est impietas, & perinde est ac „si nullum colas: multorum enim Deorum admissio est unius negatio ". Proindè Chrysostomus diabolum censet *primum insipientem*, quia dicendo protoplastis, *Eritis sicut Dy*, jecit fundamentum polytheismi, cui arctissimè cohærescit atheismus: siquidem teste Athanasio: Y *Multitudo Numinum nullitas est Numinum*. Favet quoque Apostolus, cùm Ephesios pro tempore gentilismi dicit fuisse *sine Deo in Mundo*." Et quomodò, subdit ibidem Chrysosto„mus, Ephesij *sine Deo*? Hine simulachra, il„linc imagines. illic neocoros Diana, illic *De„metrius argentarius qui faciebat templa Dianæ ar„gentea*: tantus est grex Deorum, & quomo„dò sunt *absque Deo* Ephesij? Sed propterea

W. Moyses Barcepha l. de Paradiso p. 2. cap. 7.
Psalm. 13. 8
X. Chrysost in Psal. 13.
Y. Athanas. Orat. contra idola.
Ephes. 2. 12.
Act. 19. 24.

„sunt impij, & *absque Deo*, quòd cùm multos Deos elegerint, ab uno exciderunt". Hinc Theodoretus censet Z Mutilos esse vocandos „non eos modò qui nullum omninò Deum „esse comminiscuntur, sed eos quoque qui „in multa Numina Deum unum partiti sunt, „quive rerum omnium conditori parem sta„tuerunt creaturam. Non itaque soli haben„di sunt athei *Diagoras Milesius*, & *Theodorus* „*Cyrenæus*, & *Evemerus Tegeates*; & quicun„que hos consectati sunt, Deos esse penitus „abnegantes, ut author est Plutarchus; sed „*Homerus* prætereà, & *Hesiodus*, & familiæ „Philosophorum, qui multos Deorum ordi„nes fabulati sunt, & horum quosdam man„cipiorum instar, humanarum perturbatio„num servos esse pronuntiarunt". Patet igitur, ambitione libertatis invectum fuisse primitùs polytheismum, quatenus per eam primi parentes à Deo recesserunt, & subsequenter serpenti pluralitatem Deorum suggerenti crediderunt. Patet pariter, eandem libertatis ambitionem invehendo polytheismum stravisse viam atheismo, quatenus is virtualiter implicatur in polytheismo, juxta illud ex Athanasio mox relatum, *Multitudo Numinum nullitas est Numinum*; & illud item Tertulliani lib. 1. adversus Marcionem cap. 3. *Deus si non unus est, non est*.

Z Theodoret. de Curand. Graec. affectionib. Serm. 3. Vide Pierium lib. 1 de Piscitis Philos. c. 7. & Euseb. l. 14. praep. Evang. cap. 6.
Athanasius. Tertullianus.

CCCXXXVI. Secundò libertatis ambitio invehendæ Deorum multitudini occasionem præbuit, quatenus homines instigavit ad conquirendum patronum, ad quem à Deo irato confugerent. Qui enim secundùm suam voluntatem vivere concupiscit, mox ubi pristini domini tædium conceperit, de refugio quopiam cogitare incipit, quò convolet, cùm pristinum herum offenderit, dicens huic in corde saltem suo, *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* Rursùs cùm sciat se à nulla creatura sufficienter protegi posse contra Deum, fingit alium Deum: ut ad hunc confugiat propitium, ab illo irato: A Homines, inquit „Augustinus, qui suscipiunt fugitivos, quæ„runt ab eis, à quo fugerint: & quem servum „invenerint alicujus hominis minùs potentis, „tanquam sine ullo timore suscipiunt, di„centes in corde suo: Non habet iste talem „dominum, à quo possit investigari. Cùm „autem audierint dominum potentem, aut „non suscipiunt, aut cum magno timore sus„cipiunt". Qui ergò ambierunt vivere ad suum libitum, etiam cum offensâ Dei, decreverunt apud se, refugere aliorsùm cùm offensuri essent Deum. Sed quoniam exploratum habuerunt nullius creaturæ tutelam valere adversùs Deum, idcircò patronum à se electum finxerunt esse Deum. Rursùs quia fieri posse cernebant, ut etiam hunc aliquando offende-

Vide Basil. Orat. 3 ... Seneca l. de Brevit. vitæ c. 16. & lib. de Vita beata c. 26.
Psal. 138. 7.
A. Aug. in Psalm. 118.

rent, tertium quoque Deum, ad quem hinc confugerent, fabricarunt: atque inde porrò quartum, & quintum, & cæteros absque numero vel mensurâ. Cùm Ovidius Cæsareum Numen offendisset, & idcircò relegatus in Pontum fuisset, ad B. *Deos maris & cæli* confugit, rogans ne Cæsaris iræ subscriberent. Sed ne insusitatum implorare videretur patrocinium, addidit: *Sæpe premente Deo fert Deus alter opem.* Quod varijs exemplis illustrans, adjungit: *Mulciber in Troiam, pro Troia stabat Apollo: Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit. Oderat Æneam propior Saturnia Turno, Ille tamen Veneris Numine tutus erat. Sæpe ferox cautum petijt Neptunus Vlyssem, Eripuit patruo sæpe Minerva suo.* Ac tum subdidit ad suum scopum: *Et nobis aliquod, quamvis distamus ab illis, Quid vetat, irato, Numen adesse, Deo?* Fecerunt ergo primi illi Polytheismi invectores; quod videmus fieri à dyscolis civibus. qui non citiùs cogitant offendere Magistratum cui subsunt, quàm prospicere sibi alium ad quem fugiant: item ab indisciplinaribus Scholaribus, qui simul ac statuunt perpetrare aliquod facinus in gymnasio cui inscripti sunt, meditantur transfugium ad illud ubi ignoti fuerint. Quod totum non aliunde quàm ex amore libertatis provenit; quo affectant sic perpetrare quicquid moliuntur, ut nequaquàm patiantur quod merentur. Quod quàm sit execrabile, indicat Augustinus, cùm ait: C. Quis dignè eloqui possit quàm sit mentis „ execrabilior fœditas, pœnas exhorrescere „ meritorum, & merita non cavere pœnarum"? Politheismi tamen invectores exhorruerunt illas, nec caverunt ista: sed ut insistentes istis evaderent illas, à vero ac veteri Deo ad falsum à se noviter confictum transfugerunt. Hunc noviter confictum verus ipse ac vetus Deus apposité nominat *Deum recentem*, cùm ait Israëli: *Si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.* Ipse est Deus recens, qui & alienus: *recens* quidem, quia non nisi demùm in tempore fictus, cùm verus Deus sit prorsùs æternus; *alienus* item, quia non naturâ, sed abusurâ nomen Dei obtinet: D. *Deus recens*, inquit Augustinus, est ad tempus „ factus: Deus autem noster non recens, sed ab „ æternitate in æternitatem. Et Christus noster „ recens fortè homo, sed sempiternus Deus. „ Quid enim ante principium? Et utique *In* „ *principio erat Verbum, & Verbum erat apud* „ *Deum, & Deus erat Verbum*: & ipse Deus no- „ ster *Verbum caro factum ut habitaret in nobis.* „ Absit ergo ut sit in aliquo Deus recens. Deus „ recens aut lapis est, aut phantasma. Non est, „ inquit, lapis: ego argenteum habeo, & au- „ reum. Meritò ipsa pretiosa voluit numerari „ qui dixit, *Idola Gentium argentum & aurum.* „ Magna sunt, quia aurea & argentea, pretiosa „ sunt, lucida sunt: sed tamen *oculos habent, &* „ *non vident* recentes hi Dij. Quid recentius „ Deo ex officina, licèt illos jam vetustos ara- „ nearum casses contexerint? Qui sempiterni non sunt; recentes sunt". De hisce recentibus Dijs rectè intelligitur cecinisse Petronius, *Primus in orbe Deos fecit timor.* Qui enim Deum verum ac veterem audire noluerant jubentem; timere cœperunt minantem: atque ut evadere possint pœnam impendentem, fecerunt sibi Deum recentem: *Si audieris me*, ait ipse Deus verus ac vetus, *non erit in te Deus recens.* Tanquam diceret, Si mihi jubenti filialiter obedieris, non utique minantem serviliter extimesces; ac sic timore illo carebis, qui *primus in orbe Deos fecit.* Neque verò ista Petronij sententia eo modo intellecta repugnat nostræ mox traditæ ac stabilitæ. Nihil enim vetat unum eundemque effectum à duabus processisse causis, præsertim subalternis; quales in proposito sunt Petronianus timor, & à nobis præstructus libertatis amor. Si enim quempiam servili timore correptum interroges, cur timeat? rectissimè respondebit, idcircò timeo, quia libertatem amo; hoc est, quia impunè vivere ad libitum ambio. Etenim cùm timor consistat in quadam fuga mali, necesse est ut fundetur in amore oppositi boni, sive veri, sive apprehensi. Quapropter impossibile est ut quidquam timeat, qui nihil omninò amat: E. Nulli dubium est, „ inquit Augustinus, non aliam metuendi „ esse causam, nisi ne id quod amamus aut „ adeptum amittamus, aut non adipiscamur speratum". Impunitatem proinde amat, qui puniri metuit: ac per hoc qui punitionis metu fecerunt sibi Deos recentes ad quos à Deo vero ac veteri refugerent, ambitione libertatis æstuarunt, quâ juxta suum libitum impunè viverent

B. Ovid. l. 1. de Tristibus Eleg. 2.

C. Aug. l. 1. contra Advers. Legis & Proph. c. 24.

Psal. 80. 9.

D. Aug in Psalm. 80.

Ioan. 1. 1.

Ibid. v. 14.

PRÆOCCUPATIO.

Psal. 134. 15.

Ibid. v. 16.

Petronius.

PRÆOCCUPATIO.

E. August. q. 33. inter 83.

CCCXXXVII. Tertiò libertatis ambitio invehendæ Deorum multitudini occasionem præbuit, quatenùs homines vitiosis cupiditatibus deditos impulit ad indagandum modum, quo omne quod eis libêret, non modò impunè, sed etiam inculpatè liceret. Huic ergò indagini solerter intentis incidit, ut Deos sibi fingerent, eisdem secum cupiditatibus obnoxios: quasi id omne in hominibus debeat vacare culpâ, cui patrocinentur Deorum exempla: F. Deos, inquit Nazian- „ zenus, vitiorum patronos effinximus: ut „ peccatum non modò crimine careat, sed „ etiam divinum censeatur; ad ea videlicet, „ quæ pro Dijs adorantur, defensionis causâ confugiens". Et Augustinus in suis Confessionibus: G. Væ tibi, inquit, flumen mo- „ ris humani, quis resistet tibi? Quamdiu non „ siccaberis? Quousque volves Evæ filios „ in mare magnum & formidolosum, quod „ vix transeunt qui lignum conscenderint? „ Nonne ego in te lego & tonantem JOVEM, „ & adulterantem? Et utique non posset hæc

F. Greg. Nazianz. Orat. 19. Vide eund. Orat. 3.

G August. l. 1. Confess. cap. 16.

duo: sed actum est, ut haberet authoritatem ad imitandum verum adulterium, lenocinante falso tonitruo. Quis autem penulatorum magistrorum audiat aure sobriâ, ex eodem pulvere hominem clamantem & dicentem: *Fingebat hæc Homerus, & humana ad Deos transferebat, divina mallem ad nos?* Sed veriùs dicitur, quòd fingebat hæc quidem ille; sed hominibus flagitiosis divina tribuendo, ne flagitia putarentur; & ut quisquis ea fecisset, non homines perditos, sed cælestes Deos videretur imitatus". Illustrat hoc ipsum Augustinus ibidem subsequenter exemplo libidinosi adolescentis, qui apud Terentium concitabat se ad stuprum, quasi cælesti Jovis magisterio. Quâ de re videri quoque potest idem Epist. 202. & lib. 2. de Civit. c. 7 Minutius Felix de ethnicis Deorum cultoribus loquens:

H Minutius in Octavio. H. Quid loquar, inquit, Martis & Veneris adulterium deprehensum, & in Ganymedem Jouis stuprum cælo consecratum? Quæ omnia in hoc (*ab ethnicis*) prodita sunt, ut vitijs hominum quædam authoritas pararetur". Et Martyr Cyprianus de ijsdem dissentiens:

I. Cyprian. Epist. 2. I. Exprimunt inquit. Impudicam Venerem, adulterum Martem Jovem illum suum non magis regno quàm vitijs Principem, in terrenos amores cum ipsis suis fulminibus ardentem, nunc in plumas Oloris albescere, nunc in puerorum pubescentium raptus ministris avibus prosilire. Quæro jam an possit esse, qui spectat, integer & pudicus? Deos suos quos venerantur imitantur, fiunt miseris & religiosa delicta". Julius Firmicus lib. de errore profanarum Religionum c. 13 "Cuicunque, inquit, superstitionis istius placet metuenda contagio, aut malis suis solatium quærit, aut facinora Deorum tacitâ cogitatione collaudat; hoc optans, hoc quærens, hoc utique magnoperè desiderans, ut etiam sibi liceat quod Dijs suis licuit, & ut se ad consortium talis vitæ morum similitudo perducat. Adulterio delectatur aliquis, Jovem respicit, & inde cupiditatis suæ fomenta conquirit: probat, imitatur, & laudat, quòd Deus suus in cygno fallit, in tauro rapit, ludit in satyro; & ut liberalis in flagitijs esse consuescat, quòd inclusam regiam virginem auro largiter fluente corruperit. Puerorum aliquis delectatur amplexibus, Ganymedem in sinu Jovis quærat, Herculem videat Hylam impatienti amore quærentem, Hyachinti desiderio captum Apollinem discat: Chrysippum alius; alius Pelopen videat, ut per Deos suos sibi licere dicat quidquid hodie severissimè Romanis legibus vindicatur". Et rursùs ibidem post pauca subdit idem author:" Semina omnium penè scelerum à Dijs suis peccantium turba collegit: & ut perditus animus impunè facinus posset admittere, ex præcedentibus facinorum exemplis majore se authoritate defendit. Si stupri præmia corruptor inquirit, si viam optat sollicitationis addiscere, in sinu corruptæ mulieris aurum videat Jovis: si publicus parricida commissam sibi regni custodiam nefariâ prodere cupiditate desiderat, respiciat ad eos qui Saturnum filio prodiderunt: quatenùs jus lædatur hospitij, vel quatenùs amicitiæ jura turbentur, vel quatenùs mensæ conciliatio sancta violetur, si quis ad injuriam pronus quærit esse, ordinem scelerum de Tantali casibus discat." O facinorosæ cupiditatis triste solatium! ô hominum deflenda persuasio! ô infelicis imitationis cruenta meditatio! Scenam de cælo fecistis, & errantes animos per abrupta præcipitia crudeli calamitate duxistis; quibus hominibus peccare cupientibus facinorum via de Deorum monstratur exemplis". Huic exclamationi haud absimilis est illa Arnobij:

K. Arnob. lib 5. advers. Gentes. K. Quis est mortalium tam pudicis moribus institutus, quem non ad hujusmodi furias Deorum exempla proritent? Aut quis suas comprimere cupiditates à cognatis valeat reverendisque personis, cùm inter Superos sanctum nihil in libidinum videat confusione servatum? Ubi enim primam perfectamque naturam intra fines constiterit justos cupidinem suam non valuisse frænare, cur non in promiscuos appetitus effundat se homo & ingenitâ fragilitate præceps datus, & magisterio sanctæ divinitatis adjutus"? Et Arnobij discipulus Lactantius:

L. Lactant. lib 5. c. 10. L. Non est difficile docere, inquit, cur Deorum cultores, boni & justi esse non possint. Quomodo enim sanguine abstinebunt, qui colunt cruentos Deos, Martem, atque Bellonam? Quomodò aut parentibus parcent, qui expulsorem patris sui Jovem? aut natis ex se infantibus, qui Saturnum? Quomodò pudicitiam tuebuntur, qui colunt Deam nudam & adulteram, & quasi apud Deos prostitutam? Quomodò se à rapinis & fraudibus abstinebunt, qui Mercurij furta noverunt, docentis, *Non fraudis esse decipere, sed astutiæ?* Quomodò libidines coërcebunt, qui Jovem, Herculem, Liberum, Apollinem, cæterosque venerantur, quorum adulteria, & stupra in mares & fæminas non tantùm doctis nota sunt, sed exprimuntur etiam in theatris, atque cantantur, ut sint omnibus notiora? Possuntne inter hæc justi esse homines, qui etiamsi naturâ sint boni, ab ipsis tamen Dijs erudiuntur ad injustitiam? Ad placandum enim Deum quem colas, ijs rebus opus est, quibus illum gaudere ac delectari scias. Sic fit, ut vitam colentium Deus pro qualitate nominis sui formet, quoniam religiosissimus est cultus, imitari". Pulchrè quoque & appositè in hanc rem scribit Augustinus:

M. August. l. 2. de Civit. c. 7 M. Omnes, inquiens, cultores

„ talium Deorum, mox ut eos libido perpulerit, *ferventi*, ut ait Persius, *tincta veneno*, „ magis intueatur quid Juppiter fecerit, quàm „ quid docuerit Plato, vel censuerit Cato". Omissis alijs qui magno numero adduci huc possent, unum adducere contentus ero Athanasium, qui cùm nefandissimorum facinorum ac flagitiorum exempla in Dijs Gentium notasset, subdidit: N. Hinc jam in homines in„ genti numero mala incubuerunt. Cùm „ enim cernerent suos Deos istiusmodi rebus „ oblectari, statim eos ijsdem delictis emu„ lati sunt: egregium facinus arbitrati, si „ exempla eorum, quos summos censebant, „ imitarentur. Atque inde factum est, ut sce„ leribus homicidiorum, parricidiorum, om„ niumque libidinum succubuerint: nam „ omnes propemodùm civitates omnibus li„ bidinibus scatent, ob immanitatem morum, quam in Dijs suis conspiciunt".

N Athanas. Orat. contra Idola.

CCCXXXVIII. Magnopere quidem mirum est, homines rationis utcunque compotes, ambitione libertatis eousque devenisse, ut Deos omni vitiorum genere inquinatos sibi fingerent: longè tamen adhuc mirabilius apparet, non defuisse complures, qui eâdem ambitione prurientes ipsamet quoque vitia in Deorum numerum retulerint, eisque divinum honorem impenderint: quasi non sufficeret vitium fingi divinum, nisi insuper fingeretur Deus. Finxerunt tamen aliqui, ut tantò liberiùs ac libentiùs vitijs insisterent, quantò sublimiùs ea ipsa vitia proveherent. Inde est illud Origenis: O. An non „ totius gentilitatis error hinc accepit exor„ dium, dum ea quæ multùm diligunt homi„ nes, Deos esse volunt; & humanis quibus„ que vitijs & cupiditatibus divinum nomen „ adscribunt? Pecuniæ namque cupidi, & „ avaritiæ amore flagrantes, *Mammonem* qui„ dem apud Syros Deum cupiditatis istius di„ cunt: libidinis & voluptatis amatores *Ve„ nerem* Deam sibi vitij hujus quo agitantur „ adscribunt. Similiter & in cæteris vitijs, „ hunc ipsum quo urgentur affectum, Deum „ sibi fecerunt: Unde & Apostolus ait, *Ava„ ritia, quæ est idolorum servitus*. Vides ergo quia „ non solùm adorare simulachrum, sed & ava„ ritiæ studere, idolorum cultus ac servitus reputatur". Consonat Theodoretus: P. Qui„ dam, inquiens, ipsis affectibus, & perturba„ tionibus hominum, Dei nomina & appella„ tiones tribuere sunt ausi: & voluptatem „ quidem *Veneris*, iram verò *Martis*, ebrietatem „ *Bacchi*, furtum *Mercurij*, prudentiam *Minervæ*, „ nominibus appellaverunt. Ac dum hujus„ modi quædam superbo admodùm superci„ lio, & Atticâ facundiâ, non sine summa au„ ditorum admiratione effundunt, complures „ hominum in aliam traduxerunt erroris spe„ ciem; adeò ut qui Philosophiam professi, & „ eo qui ab externo habitu provenit honore „ potiti, homines affectus dominati jusse„ runt, ijsdem ut affectibus colerent authores „ fuerint; mentemque hominis liberam, & sui „ juris existentem, cui affectuum habenæ „ commissæ sunt, concupiscentiæ, & iræ, & „ furto, & ebrietati; alijsque affectibus sacrifi„ care imprudenter & stultè persuaserint". Hanc porrò superstitionem cæteris *magis sceleratam* censet Athanasius Orat. adversùs idola paulò post initium. Unde & homines ei addictos Nazianzenus jure optimo *vitiosissimos* appellat. Postquàm enim variarum aliarum superstitionum sectatores commemorasset, adjecit: Q. JAM VITIOSISSIMI quidam „ ipsa vitia, fœdosque affectus, Deos esse „ censuerunt, aut certè sub Deorum nomine „ coluerunt: *iram* nimirùm, *cædem*, *libidinem*, „ *temulentiam*, reliquaque ejus generis; hanc „ neque æquam neque honestam scelerum suorum excusationem nacti:" Ex quibus verbis non tantùm habemus, vitiosos affectus habitos fuisse pro Dijs; sed præterea eorundem in Deos consecrationem excogitatam fuisse in *humanorum scelerum excusationem*: ut nimirùm culpare illud nullus auderet, quod Deorum cœtui aggregatum nosceret. Refert Lactantius Ciceronem dixisse, R. *Magnum audaxque consilium suscepisse Graciam, quòd cupidinum & Amorum simulacbra in Gymnasijs consecrasset.* Quod dictum Lactantius ibidem mox reprobat, & adulatoriæ vanitatis insimulat: " Non „ enim illud *magnum*, inquiens, aut omninò „ *consilium* dicendum fuit, sed impudicorum „ hominum perdita & deplorata nequitia; qui „ liberos suos, quos erudire ad honesta debe„ rent, prostituerunt libidini juventutis: à „ quibus flagitiorum Deos & in illis potissi„ mùm locis ubi nuda corpora corruptorum „ luminibus patent, & in illa coli ætate volue„ runt quæ simplex & improvida priùs irretiri „ & in laqueos potest cadere, quàm cavere. „ Quid mirum, si ab hac Gente universa „ flagitia manarunt, apud quam ipsa vitia „ religiosa sunt, eaque non modò non vi„ tantur, verùmetiam coluntur"? Eusebius quoque Cæsariensis postquam retulisset qualiter homines, à dæmonibus delusi, primùm quidem fulgentia cæli sydera colere cœpissent, ac deinde heroes quosdam de humano genere benè meritos divinis honoribus afficere perrexissent, addidit: S. Nec „ finem hîc fecerunt, sed proprijs quoque „ passionibus adorabile nomen Dei attribue„ runt. Quod Theologiæ genus ita per se„ ipsum jacet, ut oratione confutatoriâ non „ egeat. Quid enim turpius quàm *Venerem*, „ *Cupidinem*, & *Priapum* Deos nuncupare"? Nuncuparunt tamen ij, qui ita libidini suæ obtem-

O Origen. Homil. 2. in Iudicum.

Col. 3. 5.

P. Theodor. de Provid. Orat. 1. Vide Epiph. in Anchorato versus finé.

Athanasius.

Q. Gregor. Nazianzen. Orat. 34.

R Cicero apud Lactantium l. 1. c. 20.

Lactantius.

S. Eusebius l. 3. Præpar. Evang. c. 3.

obtemperare per omnia voluerunt, ut equidem in eo ipso nequaquam propudiosi, sed potiùs religiosi reputari cupierint. E quorum numero fuisse videtur, adhuc post Eusebij tempora, *Maximus* ille Philosophus quem Isidorus Pelusiota his verbis alloquitur: T. Isidor. Pelus l. 1. Epist. 96.
T. Si tu verus sapientiæ amator esse cupis, „ veram sapientiam ama; quæ non sermonem „ duntaxat, sed etiam vitam exornat, ac ve„ram religionem docet. Nam ea quam mo„dò profiteris, nunc quidem ridicula est, ut „quæ obscœnitatis fontes divinitates vocet; „ & in futuro ævo cruciatum veniæ exper„tem parturit: ubi scilicet Cocytos tibi & Phlegetontas Plato minatus est". Ubi per *obscœnitatis fontes* intelligit vitiorum fomites, signanter libidinem; quam ethnici Dijs suis ridiculè & insulsè annumerarunt, & vel *Veneris*, vel *Cupidinis*, vel *Priapi* nomine compellarunt: Quod eo fine excogitatum, & usu apud flagitiosos firmatum fuit, ut spurcissimis flagitijs non modò acquireretur impunitas, sed pararetur prætereà dignitas & authoritas. Notavit hoc ipsum inter Gentiles Seneca, & idcircò cùm varias Poëtarum de Deorum facinoribus ac flagitijs fabulas recensuisset, adjecit: V. Quibus nihil aliud „ actum est, quàm ut pudor hominibus pec„ candi demeretur, si tales Deos credidissent". V. Senec. lib. de Vita beata c. 26.
Qui rursùs lib. de Brevitate vitæ cap. 16. ait: "Quid aliud est vitia incendere, quàm „ authores illis inscribere Deos, & exem„ plo divinitatis dare morbo excusatam licentiam"?

CAPUT XC.

Libertatis ambitio impulit quosdam unius Dei agnitores comminisci eundem scelerum omnium authorem, ut eum persuaderent non fore eorundem ultorem. Paris perfidiæ est malum culpæ Deo adscribere, ac Deum ipsum penitùs elidere. Quibusnam impietatis gradibus libertini eò devolvantur, ut Deum sibi in culpâ similem comminiscantur? Expenditur Dei increpatio ad peccatorem directa, Existimasti iniquè quod ero tui similis. *Origo calumniosæ hujus perfidiæ ad primos humani generis parentes perducitur; quorum dum alter per sociam à Deo sibi datam, & hæc per serpentem in paradiso secum dimissam excusare suum facinus satagit, ambo lapsum suum obliquè in creatorem retorquent. Intolerabilis est ea quorundam etiamnum grassans superbia, nonnisi Deo imputantium quicquid egerint mali, cùm sibi præsumant arrogare siquid egerint boni. Qui fato studia omnia humana subjiciunt, Deo facinora ac flagitia universa adscribunt; etsi non per viam rectam ac curtam, saltem per cannam distortam ac longam. Qui iniquitatem Deo placere putat, Deum negat. Proinde qui dicit in corde suo,* favet iniquitatibus Deus, *convincitur dicere in corde suo,* Non est Deus. *Si enim Deus est, justus est: si justus est, iniquitatis nec fautor nec author, sed ultor est.*

cccxxxix. VIdimus jam duobus proximis capitibus quemadmodùm perversa libertatis ambitio homines præcipitaverit non solùm in atheismum, sed etiam in polytheismum: superest videndum quemadmodùm etiam quosdam unius veri Dei professione gloriantes, & polytheos unà cum atheis ipsâ suâ professione execrantes, in aliam impietatem, atheismo vel polytheismo parem, si non etiam majorem, illexerit. Eam porrò impietatem intelligo, quam hæretici quidam tum olim, tum etiam nuper amplexi sunt, asserentes Deum esse authorem omnium quæ à nobis perpetrantur peccatorum. Quod non ob aliud certè excogitatum videtur, quàm ut hominibus vivendi ad libitum libertas & impunitas vendicetur. Nemo quippe tam hebes ingenio est, quin facilè perspiciat verissimam esse illam Beati Fulgentij sententiam, W. *Illius rei Deus ultor est, cuius author non est.* Si ergò peccati author est, proculdubiò peccati ultor non est: alioquin enim ejusdem rei author esset, & ultor. Quapropter quisquis

W. Fulgent. l. 1. ad Monimum c. 19. Vid. Aug. in Psalm. 91. in verbis. *Non potest fieri, ut puniat Deus, quod fecit.*

quisquis sibi persuaserit Deum esse omnium peccatorum authorem, consequenter persuadere sibi poterit Deum non esse ullorum peccatorum ultorem. Quæ persuasio frænum divini timoris ab hominum conscientiis penitùs excutit, & licentiam impunè ad libitum vivendi invehit. Unde Basilius, istius persuasionis assertores æquiparat atheis, quantùm ad licentiosæ vitæ invectionem. Tractans quippe ille de dogmate atheorum, *dicentium in corde suo, Non est Deus*; [x] Hoc itaque, inquit, cùm in animum induxerint, certatim ad omne reliquum peccati genus ruunt. Si enim nullus est inspector, si nullus qui pro meritis vitæ cuique tribuat, quid prohibet pauperem conculcare, orphanos necare, viduam & advenam occidere, omne audax facinus tentare, impuris & abominandis affectibus omnibusque pecuinis cupiditatibus inquinari? Idcircò illud, quod talem impietatem, quæ Deum non esse dicit, consequitur, subjungit Psaltes: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis.* Impossibile namque est à vita justa aberrare eum, qui in suo corde non obliviscitur Dei. Unde, quæso, Gentes *traditæ sunt in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt*, ut ait Paulus? Nonne quoniam dixerunt, *Non est Deus*? Cur in passiones ignominiæ ceciderunt, ut *fœminæ apud eos naturalem usum mutaverint in eum qui est contra naturam, mares in mares turpitudinem operantes*? Nonne quoniam *mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem volucrum, & quadrupedum, & serpentium*? Stultus igitur, & verè à sensu alienus est, qui dixerit, *Non est Deus*. Similis item huic est, nec quicquam in stultitia differt, qui Deum malorum causam esse dicit, parque priori scelus existimavit; quoniam ambo bonum Deum similiter negant: alter quidem non esse omninò dicit, alter verò non bonum esse affirmat. Si enim est malorum causa, non bonus est. Si non bonus, nec Deus. Itaque utrobique est negatio Dei". Quod postremum Tertullianus in Scorpiaco adversùs Gnosticos jam pridem apud Basilium scripserat hisce verbis: [y] *Deum* sufficit dici, ut necesse sit bonum credi: malum enim Deum qui præsumpserit, constare in utroque non poterit; aut Deum negare debebit, quem malum existimarit, aut bonum dicere, quem Deum pronuntiârit". Quoniam igitur bonitatem Deo subtrahit, qui eum peccatorum authorem fingit; idcircò Basilius rectissimè æquiparat atheis eos, qui peccatorum perpetrationem Deo authori adscribunt: [z] Quid interest, inquit Seneca, utrum Deos neges, an infames"? Sed quoniam de comparatione eorum qui Deum tanquam peccatorum authorem infamant, & eorum qui eundem de medio tollunt, alibi disseruimus; illud duntaxat in præsenti ostendendum restat, impietatem eorum qui Deum tanquam peccatorum authorem infamant, ex eadem libertatis ambitione profluere, ex qua & atheismi impietatem promanare jam suprà cap. 88. patefecimus. Ad quod præstandum juvabit recolere quæ §. 338. suo initio dicta sunt de ambitione libertatis, tanquam radice progignente odium legis, eoque mediante etiam tædium legislatoris. Quibus prænotatis; attendendus est ordo quo peccator, juxta divinam increpationem, gradatim eò prolabitur, ut Deum sibi assimilare præsumat, velut peccatorem peccatori. Ordo autem indicatur illis Dei ad peccatorem verbis: *Tu odisti disciplinam; & projecisti sermones meos retrorsum: Si videbas furem, currebas cum eo; & cum adulteris portionem tuam ponebas: Os tuum abundavit malitia, & lingua tua concinnabat dolos: Sedens adversùs fratrem tuum loquebaris, & adversùs filium matris tuæ ponebas scandalum; hæc fecisti, & tacui: Existimasti iniquè quod ero tui similis.* Ecce initium increpationis sumptum est ex *odio disciplinæ*: quod utique non aliundè unquam provenit, aut provenire potest, quàm ex amore libertatis. Dum ergo increpatur à Deo peccator, quòd *oderit disciplinam*, tacitè in ipso redarguitur affectatio libertatis tanquam mali istius germinis venenosa radix. Rursùs de malo fructu mali istius germinis subditur, *Projecisti sermones meos retrorsum.* Sicut enim affectatio libertatis parit *odium disciplinæ*, ita & hoc ipsum odium progignit *projectionem sermonum Dei retrorsùm*, hoc est, violationem divinæ legis. Cujus violationis varia subsequenter adjiciuntur exempla, ac tum increpator addit ad increpitum, Deus scilicet ad hominem, legislator ad legis violatorem: *Hæc fecisti, & tacui.* Porrò quia te ista faciente ego tacui, nec ultionem promeritam indilatè rependi; sed longanimiter suspendi, idcircò mea longanimitate abutens, & in peius proficiens, eousque demùm es prolapsus, ut *existimares iniquè me similem tui factum*: [A] Meam patientiam; ait in eum locum Genebrardus, & dissimulationem sic es interpretatus, quasi ego tui similis essem, & malefactis delectarer". Et Theodoretus: [B] Ego quidem, inquit, hæc abs te patrari videns, & patientiâ utens, expecto tuam pœnitentiam: tu verò meâ patientiâ abutens, hinc peccandi occasione arreptâ, putas me tuâ iniquitate delectari, & ideò non punire". Et Augustinus: [C] *Hæc fecisti, & tacui*, inquit: Quid est, *tacui*? Vindictam supersedi, severitatem meam distuli, patientiam tibi prolongavi, pœnitentiam tuam diu expectavi: *Hæc fecisti, & tacui.* Cùm autem ad hoc expectarem ut te

Psal. 13. 1.
x Basil Homil. quod Deus non sit author malorum.
Ibid. v. 1.
Rom. 1. 28.
Ibid. v. 26.
Ibid. v. 23.
y Tertul. in Scorpiaco cap. 5.
z Seneca l. 7. de benef. c. 1.
Vide Gollariensis prodigiorum c. 21. § 73. & c. 49. § 119, & 129.
Psal. 49. 19. & seqq.
A. Genebr. in Psal. 49.
B. Theodor. in Psal. 49.
C Aug. in Psalm. 49.

ut te pœniteret, secundùm Apostolum dicentem, *Tu autem secundùm duritiam cordis tui, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis justi judicij Dei: Suspicatus es iniquitatem, quòd ero tui similis*: Parum est, quia mala facta tua placent tibi, placere putas & mihi. Deum quia non pateris ultorem, vis habere participem, & tanquam corruptum judicem prædæ socium". Patet igitur quemadmodùm peccator gradatim in pejus proficiendo perveniat usque ad Dei accusationem, à libertatis ambitione. Hæc enim prorumpit in odium disciplinæ, odium disciplinæ in legis transgressionem, legis transgressio impunè frequentata in ipsius legislatoris accusationem: atque ita de primo ad ultimum, ambitio libertatis in contumeliam Dei legislatoris.

Rom. 2. 5.
Psalm. 49. 21.

CCCXL. Avebit fortè quispiam nosse, quisnam ille sit *peccator*, qui ex libertatis ambitione devenerit usque ad Dei legislatoris infamationem, & idcircò ab eodem ipso Deo legislatore meruerit audire, *Existimasti iniquè quòd ero tui similis*? Sed non est necesse singularem ullam personam quærere, cùm divina illa increpatio concernat universos, qui vel modò vel olim peccata sua Deo adscribere ausi sint: quorum seriem in Goliathismo pridem recensuimus, sed intra decursum novi Testamenti. Cæterùm si ad initium generis humani extendamus indaginem, inveniemus primum inter homines extitisse illius *iniquæ existimationis* authorem, qui primus extitit hominum. Is enim ambitione libertatis inebriatus, ac de regione similitudinis in regionem dissimilitudinis dejectus, aiebat Domino rationem exposcenti: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*. Ubi addendo, *quam dedisti mihi sociam*, excusare se voluit, accusato Deo. Quem imitata uxor, jam similiter per ambitionem libertatis inebriata ac dejecta, *Serpens*, inquit, *decepit me, & comedi*: obliquè culpam suam Deo adscribens, qui serpentem decepturum in paradiso dimisit. De ambobus loquens Papa Gregorius: D. Adhibere sibimet, inquit, utrique defensionis solatia, quàm confessionis elegerunt. Cumque excusare peccatum voluit vir per *mulierem*, mulier per *serpentem*, auxerunt culpam, quam tueri conati sunt: obliquè Adam Dominum tangens, quòd ipse peccati eorum author extiterit, qui mulierem fecit: & Eva culpam ad Dominum referens, qui serpentem in paradiso posuisset. Qui enim ore diaboli fallentis audierant, *Eritis sicut Dij*: quia Deo esse similes in divinitate nequiverunt, ad erroris sui cumulum Deum sibi facere similem in culpa conati sunt". Nunquid ergo Deus unicuique istorum dicere tunc potuisset, quod posteà per Psalmographum peccatori indeterminatè dicebat, *Existimasti iniquè quòd ero tui similis*? Potuisset planè, & fortè etiam dixit, licèt Moyses in Historia id ex causâ nobis abditâ subticuerit. Signanter quoque notanda est vocula, *iniquè*, afficiens verbum, *existimasti*: utique ad denotandum quòd *existimatio* illa non modò falsa sit & erronea, sed iniqua etiam ac calumniosa. Si enim iniquum est, hominem innocentem falsò crimine impacto infamare, quantò magis Deum totius innocentiæ fontem tam horrendâ blasphemiâ incessere? Incessit tamen primus homo, E. Cùm post peccatum correptus, obliquè per mulierem retorsit propriam culpam in authorem, dicens: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*". Et Rupertus: F. Vide, inquit, quàm terribiliter, qui *existimavit iniquè quòd esset Deo similis*, arguat Deus, & statuat contra faciem suam dicendo: *quia pulvis es, & in pulverem reverteris*". Et Augustinus: G. Dixit Adam, *Mulier, quam dedisti mecum, hæc dedit mihi de ligno, & edi*. Nunquid dixit, peccavi? Superbia habet confusionis deformitatem, & non habet confessionis humilitatem. Ad hoc ista conscripta sunt, quia & ipsæ interrogationes nimirum ad hoc factæ sunt, ut & veraciter & utiliter scriberentur; quia si mendaciter, non utique utiliter: ut advertamus quo morbo superbiæ laborent homines hodie, nonnisi in creatorem conantes referre si quid egerint mali, cùm sibi velint tribui si quid egerint boni. *Mulier* inquit *quam dedisti mecum*, id est, quam dedisti ut esset mecum, *hæc mihi dedit de ligno, & edi*: quasi ad hoc data sit, & non ut ipsa potiùs obediret viro, & ambo Deo". Et lib. 2. de Genesi contra Manichæos cap. 17. loquens de eodem primo homine, jam à primævæ felicitatis statu per ambitionem libertatis dejecto, atque à Deo ad resipiscentiam benignè invitato: "Jam, inquit, more superbiæ suæ non in se accusat quòd consensit mulieri, sed in mulierem refundit culpam suam: & sic subtiliter, quasi de astutia quam miser conceperat, voluit ad ipsum Deum pertinere quòd peccavit. Non enim ait, Mulier dedit mihi, sed addidit dicens, *Mulier quam dedisti mihi*. Nihil est autem tam familiare peccantibus, quàm tribuere Deo velle undecunque accusantur: & hoc de illâ venâ superbiæ, ut quoniam sic homo peccavit cùm vult esse par Deo, id est, liber esse ab ejus dominio, sicut ille ab omni dominio liber est, quoniam ipse est dominus omnium: quoniam in Majestate par illi esse non potuit, jam lapsus & jacens in peccato suo, parem sibi eum facere conatur; vel potiùs illum vult ostendere peccasse, se autem esse innocentem".

Vide Goliathismum locis præcedenti §. in margine citatis.
Gen. 3. 12.
Ibid. v. 13.
D. Greg. lib. 22. Moral. cap. 9. Vide eund. in Psalm. 2. Pœnitentialem, & l. 4. Moral. c. 19. & 25. item lib. 33. Moral. c. 24. & Richard. Victor Annot. in Psal. 23. & Rabanum lib. 1. in Genesin c. 17.
Gen. 3. 5.
E Drogo Cardinalis lib. de creatione & redemptione primi hominis.
F. Rupert. l. 3. in Genesin c. 31.
G Aug. l. 1. de Genesi ad lit. cap. 11.

Sed

CCCXLI. Sed profectò hoc ipsum scelus, prorumpendi in accusationem Dei ex studio excusationis suæ, tam immane ac horrendum est, ut vix ullâ aliorum scelerum magnitudine vel multitudine æquari queat. Unde rectè Tertullianus illam persuasionem, vel potiùs

H. Tertull. in Scorpiaco cap. 7.

persuasionis monstrum, appellat [H] *Spurcum blasphemiæ afflatum de haretico ore fætentem.* Advertit quoque Augustinus, plerosque eorum qui Deum in suis peccatis accusant, non audere ipsum directè & exertè incessere; sed obliquè duntaxat, & per ambages. Cùm enim dixisset eos qui non valde impii sunt, cohibere se ab accusatione Dei, & suum lapsum diabolo

I. August. in Psal. 31.

tanquam authori adscribere, subdidit: [I] "Multi non accusant satanam, sed accusant fatum: *Fatum meum me duxit*, dicit quis. Cùm dixeris illi, Quare fecisti? Quare peccasti? Ille, *Fato meo malo*; ne dicat, *Ego feci*: jam manus ad Deum tendit, lingua blasphemat. Nondum quidem hoc apertè dicit, sed tamen attende, & vide, quia hoc dicit. Quæris ab illo quid sit *fatum*: & dicit, *stella mala*. Quæris ab illo, quis fecit stellas? Quis ordinavit stellas? Non habet quid tibi respondeat, nisi, *Deus*. Restat ergo ut sive per transennam; sive per cannam longam, sive per proximum, Deum accuset: & cùm Deus puniat peccata, Deum facit authorem peccatorum suorum. Non potest autem fieri, ut puniat, quod fecit. Punit quod facis, ut liberet quod fecit. Aliquando autem dimissis omnibus, omninò directè eunt aliqui ad Deum: & quando peccant; dicunt: *Deus hoc voluit; & si nollet Deus, non peccarem*". Et Enarrat. 2. in Psalmum 31. "Multi, inquit, pronunciant iniquitatem suam, sed adversùs ipsum Dominum Deum. Quando inveniuntur in peccatis suis, dicunt, *Deus hoc voluit*. Si enim homo dicat, *Non feci*, aut, *Hoc factum quod arguis non est peccatum*; non pronunciat nec adversùs se, nec adversùs Deum. Si autem dicat, *Prorsùs feci, & peccatum est, sed Deus hoc voluit, quid ergò feci*? Hoc est pronunciare adversùs Deum. Fortè dicatis, Nemo hoc dicit: quis est qui dicat, *Deus hoc voluit*? Multi hoc dicunt: sed & qui hoc non dicunt, & aliud dicunt, quid dicunt? *Fatum mihi fecit, stella mea fecerunt*. Ita jam per circuitum ad Deum volunt pervenire: per circuitum volunt pervenire ad Deum accusandum, qui nolunt de compendio venire ad Deum placandum: & dicunt, *Fatum mihi fecit, stellæ fecerunt*. Quid sunt stellæ? Certè istæ quas in cælo conspicimus. Et quis eas fecit? Deus. Quis eas ordinavit? Deus. Ergò vides quod voluisti dicere, *Deus fecit ut peccarem*. Ita ille injustus, tu justus: quia nisi ille fecisset, tu non peccasses". Et lib. 2. de Genesi ad literam cap. 17. "De fatis syderum, inquit, qualeslibet eorum argutias, & quasi de Mathesi documentorum experimenta, quæ illi *apotelesmata* vocant, omninò à nostræ fidei sanitate respuimus: talibus enim disputationibus, etiam orandi causas nobis auferre conantur; & impiâ perversitate, in malis factis, quæ rectissimè reprehenduntur, ingerunt accusandum potiùs Deum authorem syderum, quàm hominum scelera". Sed non defuere aliqui, qui ut absque Dei accusatione seipsos excusare possent, astris vim fataliter necessitandi tribuebant, non quidem à natura inditam, ne alioquin peccata in Deum naturæ authorem redundarent; sed ab electione, quasi astra libero arbitrio ac rationis usu pollerent: [K] Si naturâ, inquit Basilius, stellis competit maleficium, ipse sanè naturæ creator erit malignitatis effector: sin

K. Basilius Homiliâ 6. Hexam. Vide Ambr. l. 4 Hexam. cap. 4.

autem suâ voluntate improbæ malæque evadunt, animantia quædam erunt eligendi facultate prędita, & liberis imperiosisque appetitionibus utentur. Quod quidem inanimis falsò tribuere summæ dementiæ esse constat". Hos ipsos duos modos, inverso tamen ordine refert Augustinus ac refellit, quibus etiam præmittit tertium, juxta quem nonnulli contendebant astris inesse vim fataliter necessitandi, absque ulla dependentia à Deo, seu ejus voluntate". [L] Illi, inquiens, qui sine Dei voluntate decernere opinantur astra quid agamus, vel quid bonorum habeamus, malorumve patiamur; ab auribus omnium repellendi sunt, non solùm eorum qui veram religionem tenent, sed qui Deorum qualiumcunque, licèt falsorum, volunt esse cultores. Hæc enim opinio quid aliud agit, nisi ut nullus omninò colatur, aut rogetur Deus"? Et mox infrà ibidem de duobus reliquis modis: "Illi verò qui positionem stellarum quodammodò decernentium qualis quisque sit, & quid ei proveniat boni, quidve mali accidat, ex Dei voluntate suspendunt, si easdem stellas putant habere hanc potestatem traditam sibi à summa illius potestate, ut volentes ista decernant; magnam cælo faciunt injuriam; in cujus velut clarissimo senatu, ac splendidissimâ curiâ, opinantur tot scelera facienda decerni, qualia si aliqua terrena civitas decrevisset, genere humano decernente fuerat evertenda. Quale deinde judicium de hominum factis Deo relinquitur, quibus cælestis necessitas adhibetur: cùm dominus ille sit & syderum & hominum? Aut si non dicunt stellas, acceptâ quidem potestate à summo Deo, arbitrio suo ista decernere; sed in talibus necessitatibus ingerendis, illius omninò jussa complere: itane de ipso Deo sentiendum est, quod indignissimum visum

L. Aug. l. 5. de Civitat. cap. 1.

visum est de stellarum voluntate sentire"? Et hos quidem postremos idem ipse Augustinus in Psal. 52. æquiparat atheis, imò atheos reipsâ esse affirmat: " Rarum, inquiens, hominum genus est, qui *dicant in corde suo, Non est Deus*. At verò alio intellectu discusso, invenitur esse in pluribus, quod in paucis, & raris, & penè nullis esse putabamus. Prodeant in medium qui malè vivunt, inspiciamus facta flagitiosorum, facinorosorum, sceleratorumque hominum, quorum magna turba est; qui fovent quotidie peccata sua, qui factis in consuetudinem versis etiam verecundiam perdiderunt. Hæc tanta hominum multitudo est, ut inter eos positum corpus Christi vix audeat reprehendere quod non cogitur admittere; & pro magno sibi putet servari integritatem innocentiæ, ne faciat quod culpare jam per consuetudinem aut non audeat, aut, si ausum fuerit, faciliùs erumpat reprehensio & reclamatio eorum qui malè vivunt, quàm vox libera eorum qui benè vivunt. Et isti tales sunt, ut *dicant in corde suo, Non est Deus*. Tales convinco. Unde convinco? Facta sua Deo placere arbitrantur. Non aliqui ergo, ait, dicunt, sed *dixit imprudens in corde suo, Non est Deus*: qui usque adeò credunt esse Deum, ut eidem Deo arbitrentur placere quod faciunt. Atqui si intelligas prudens, quia *imprudens dixit in corde suo, Non est Deus*, si advertas diligenter, si intelligas, si discutias; qui putat Deo placere facta mala, non eum putat Deum. Si enim Deus est, justus est: si justus est, displicet ei injustitia, displicet iniquitas. Tu autem cùm putas ei placere iniquitatem, Deum negas. Si enim Deus est cui displicet iniquitas; tibi autem non videtur esse Deus cui displicet iniquitas, non est autem Deus nisi cui displicet iniquitas; cùm dicis in corde tuo, *Faves iniquitatibus meis Deus*, nihil aliud dicis, quàm *Non est Deus*".

Psal. 52. 1.

PRÆOCCVPATIO.

CAPUT XCI.

Libertinus Deum velut malorum suorum opificem infamantibus obvians Proverbiastes, Stultitia hominis, *inquit*, supplantat gressus ejus, & contra Deum fervet animo suo. *Alia ejus loci versio sistitur, & eidem calumniæ per alias quoque Scripturas occurritur. Qui libertatis ambitione instincti Deum ausi sunt infamare, facilè conjiciuntur hominibus non parcere. Præcipua humanæ naturæ prærogativa est divinæ imaginis insculptura: quæ vel in anima immortalitate, vel in arbitrij consistit libertate. Libertinorum quidam utramque, quidam alterutram abolere tentant, ut effraniter vivendi licentiam invehant. Exhortatio ad licentiosè vivendum Epicurica, archipiratica consona.* Arabici *hæretici humanas animas unà cum corporibus occidere, unà quoque revivíscere censuerunt: quorum errorem hæresiarcha* Calvinus *Ioanni XXII. Papæ affinxit.* Lutherus *immortalitatem animæ ab Ecclesia Romana definiri indignatur. Mirum est libertinos studio invehendi licentiosam libertatem, voluisse abolere ipsam arbitrij libertatem. Simiæ nimis affectuosè complectendo catulos necant. Quanta absurditatum monstra excidio humanæ libertatis sint consectaria? Isidori Pelusiotæ in eam rem locus unus alterve insignis.*

CCCXLII. Patet ex dictis quemadmodùm effrænis ac turbida libertatis ambitio nonnullos impulerit ad Deum negandum, alios ad multiplicandum, quosdam ad infamandum; quinimò secundos istos, ac tertios, ad eundem cum primis negandum: nam ut §. 336. ex Athanasio retulimus, *Multitudo Numinum nullitas est Numinum*: & ut ex Augustino jam proximè audivimus, *Qui dicit, Favet iniquitatibus Deus, nihil aliud dicit, quam, Non est Deus*. Etenim qui Deum fingit iniquitatum authorem, eundem fingit iniquitatum fautorem: *Diligit enim omnia quæ sunt, & nihil odit eorum quæ fecit: nec enim odiens aliquid constituit aut fecit*. Proinde sicut Deũ negat qui eum favere iniquitatibus dicit; ita eundem negat qui authorem iniquitatum dicit. Porrò rem acu tetigit Proverbiastes, quando ait: *Stultitia*

Vide Aug. Enarrat. 2. in Psal. 52.

Sap. 11. 25.

Sap. 9. 29. *Stultitia hominis supplantat gressus ejus, & contra Deum fervet animo suo*: sive, ut septuaginta Interpretum versio exhibet, *Imprudentia viri vastat vias ejus, Deum autem accusat corde suo.* Cui versioni quoad sensum inhærens Augustinus

M Augus. Epist. 05. Rom. 9. 19. ait: M. Nihil ergò fit eis qui dicunt, *Quid ad-„huc conqueritur? Nam voluntati ejus quis resistit?* „nisi quod legitur in libro Salomonis, *Insi-„pientia viri violat vias ejus, Deum autem causatur in corde suo*". Qui rursùs lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 2. "Sunt homines, inquit, „qui etiam de ipso Deo se excusare conantur:

Iac. 1. 13. & seqq. „quibus dicit Apostolus Jacobus, *Nemo cùm „tentatur dicat, quoniam à Deo tentor; Deus enim „intentator malorum est, ipse autem neminem ten-„tat. Vnusquisque vero tentatur à concupiscentia „sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia „cùm conceperit, parit peccatum. peccatum verò „cùm consummatum fuerit generat mortem.* Item „de ipso Deo se excusare volentibus respon-

Prov. 19 3. „det liber Proverbiorum Salomonis, *Insipien-„tia viri violat vias ejus, Deum autem causatur in*

Eccl. 15. 12. & seqq. „*corde suo.* Et liber Ecclesiasticus dicit: *Ne „dixeris, quia propter Deum recessi: qua enim odit, „ne facias. Ne dixeris. Ipse me induxit. Non „enim opus habet viro peccatore. Omne execramen-„tum odit Dominus, & non est amabile timentibus „eum. Ipse ab initio fecit hominem, & reliquit „illum in manu consilij sui. Si volueris, conservabis „mandata, & fidem bonam placiti. Apponet tibi „ignem & aquam, ad quodcunque volueris extende „manum tuam. In conspectu hominis vita & mors, „& quodcunque placuerit dabitur ei.* Ecce aper-„tissime videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium". Huic igitur, & non Deo peccata sua imputant, qui sanum sapiunt: qui verò ut seipsos excusent, Deum accusant, ij à Proverbiaste mox citato non sanum sapientes, sed *stulti, imprudentes, insipientes* appellantur: ut vel hinc colligamus quantoperè symbolizent negator Dei, & infamator ejusdem, dum cernimus utrumque in Scripturis communi vocabulo nuncupari *in-*

Psal. 52. 1. *sipientem*; Psalmographo canente, *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus*; Paræ-

Prov. 19 3. miaste succinente, *Insipientia viri violat vias ejus, Deum autem causatur in corde suo.* Uterque igitur *insipiens* est, & utrumque in eam insipientiam præcipitaverat perversa libertatis ambitio, ambos pariliter instigans ad fingendum, quod optabant; non esse nimirum, qui crimina plectat, sive quia omninò non sit, sive quia criminum author sit, atque adeò eorundem ultor non sit. Et de prioribus quidem notatu digna est illa Lactantij sententia,

N. Lactant. l. 3. cap. 9. dicentis: N. Illos, qui nullum omninò Deum „esse dixerunt, non modò Philosophos, sed „ne homines quidem fuisse dixerim; qui „mutis simillimi, ex solo corpore constiterint; nihil cernentes animo, sed ad sensum corporis cuncta referentes". De posterioribus denique rectè quis usurpaverit illud Augustini adversùs Manichæos, qui Deum suum omnibus omnium hominum sceleribus inquinari credebant: O. Talem colant Deum, O. Aug. l. 29. cont. Faust. cap. 98. „qui nolunt colere Deum. Sanè, quod fa-„tendum est, etiam ipsi cultores ejus, quam-„vis talem Deum colendo sint pessimi, me-„liores tamen illo sunt, quia saltem sunt: „ille autem nihil est, nisi fictio falsitatis, & cogitatio vanitatis".

CCCXLIII. Sed qui libertatis ambitione inebriati, tam atroces Deo injurias irrogant, ut vel eum nullum esse, vel plures esse, vel scelerosum esse blasphement, videndum est, utrùm imagini Dei parcant, hoc est, homini ad imaginem & similitudinem Dei condito. Prorsùs non parcunt, ne sibi quidem ipsis: sed quemadmodùm Deo adimere nituntur divinitatem, unitatem, bonitatem; ita sibi ipsis, cum universo hominum cœtu, præcipuam humanæ naturæ dignitatem. Præcipua quippe humanæ naturæ dignitas in eo sita est, quòd imaginem Conditoris sui animâ tenùs insculptam gerat. Hanc nonnulli in animæ humanæ immortalitate, alij in arbitrij libertate constituunt: Vide Aug. l. de Quantit. animæ cap. 2. ut proindè ij, qui vel animæ immortalitatem, vel arbitrij libertatem adimere hominibus nituntur, præcipuam humanæ naturæ dignitatem, in divinæ imaginis insculptione consistentem, abolere velle convincantur. Libertinorum porrò aliqui immortalitatem humanæ animæ, aliqui libertatem arbitrij hominibus adimere nituntur: atque adeò præcipuam humanæ naturæ dignitatem, in divinæ imaginis insculptione sitam, abolere velle convincuntur. Immortalitatem animæ negasse perhibentur Democritus & Dicæarchus Democritus Dicæarchus. apud Lactantium lib. 7. cap. 7. ut proinde mirum non sit Democritum, superiùs hîc §. 307. & 333. relatum, effutivisse, *Non oportere Sapientem legibus obedire, sed liberè vivere.* Eidem errori subscripsit cum suis Epicurus: P. Verùm, ut ait Lactantius, ille for- P. Lactant. l. 3. c. 17. Vide eund. in Epitome cap. 4. „tassè impunitatem vitijs suis spopondit: fuit „enim turpissimæ voluptatis assertor, cujus „capiendæ causâ nasci hominem putavit. „Quis, cùm affirmari hoc audiat, vitijs & sce-„leribus abstineat? Nam si periturae sunt ani-„mæ, appetamus divitias, ut omnes suavita-„tes percipere possimus; quæ si desunt nobis, „ab ijs qui habent auferamus clàm, dolo, vi: „eò magis, si humanas res Deus nullus curat, „quandocunque spes impunitatis arriserit, ra-„piamus, necemus. Sapientis est enim malefa-„cere, si & utile sit, & tutum; quoniam si quis „in cælo Deus est, non irascitur cuiquam.

„ Æquè stulti est & benefacere, quia sicut irâ non commovetur Deus, ita nec gratiâ tangitur. Voluptatibus igitur, quoquo modo possumus, serviamus: brevi enim tempore nulli erimus omninò. Ergò nullum diem, nullum denique temporis punctum fluere nobis sine voluptate patiàmur: ne, quia ipsi quandoque perituri sumus, idipsum quod viximus pereat. Hoc ille tametsi non dicit verbo, re tamen ipsâ docet. Nam cùm disputat, omnia sapientem suâ causâ facere; ad utilitatem suam refert omnia quæ agit. Itaque qui audit hæc flagitia, nec boni quidquam faciendum putabit, quoniam benefacere ad utilitatem spectat alienam; nec à scelere abstinendum, quia maleficio præda conjuncta est. Archipirata quisquam, vel latronum ductor, si suos ad grassandum cohortetur, quo alio sermone uti potest quàm ut eadem dicat, quæ dicit Epicurus"? Epicuro hâc in re haud absimilem fuisse *Cainum* fratricidam indicat ipsius disputatio cum *Abele*, superiùs hìc §. 319. relata ex Paraphrasi Hierosolymitana, quatenùs ibi negatur dari *seculum aliud.* Quin & Sardanapalum eodem errore imbutum fuisse, testatur Epitaphium ejus apud Athenæum lib. 12. cap. 12. & apud Strabonem lib. 14. Geographiæ. Sed majori admiratione dignum videtur, repertos fuisse etiam in populo *cui credita sunt eloquia Dei* nonnullos, qui ambitione libertatis æstuantes, immortalitatem humanæ animæ negarent. Reperti tamen sunt & in veteri populo *Sadducæi*, qui dicerent, *non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum*: & in novo populo complures hæretici, ut inprimis *Arabici*, de quibus Isidorus lib. 8. Orig. c. 5. post Augustinum lib. de Hæresibus ad Quodvult Deum c. 83. & Eusebium lib. 6. Hist. Eccles. c. 27. aliàs 37. Deinde *Thnetopsychitæ*, [t] qui, teste „ Damasceno, hominum animos pecudum animis similes inducebant, atque eos unà cum corporibus interire dicebant". Posteà *Albigenses*, de quibus ita scribit Prateolus: [u] „ Corporum resurrectionem cum Sadducæis negabant, utpote quòd opinarentur animam hominis sic in morte cum corpore perire, ut nusquam posteà redeat". Quibus rectè adjungitur *Hermannus Rysvich* de quo Prateolus lib. 8. c. 10. necnon Bellarminus in Chronologia brevi sub an. 1492. ubi ait: " Hic *Hermannus* videtur fuisse omnium hæreticorum perditissimus & stultissimus: quippe qui cùm doceret *Animam mori cum corpore*, maluit tamen vivus exuri, quàm suam hæresim revocare". Addit his Prateolus lib. 2. cap. 8. *Barbaram* Imperatricem, Sigismundi Cæsaris conjugem, quæ dicebat, " Animas cum corporibus interire, nec futuram aliam vitam esse post hanc quam vivimus". *Lutherum* denique, libertinorum hujus ævi primipilum, eidem impietati favisse, planum fit ex ijs quæ scripsit in defensionem Articuli sui 27. à Leone X. damnati, qui sic sonat, *Certum est in manu Ecclesiæ aut Papæ prorsùs non esse, statuere Articulos Fidei, imò nec leges morum seu bonorum operum.* In cujus articuli probatione cùm dixisset omnia credenda haberi in Scripturis plenè exposita; adeòque nullum condi posse fidei articulum ab Ecclesia vel à Papa, subdidit: [x] " Permitto tamen quòd Papa condat articulos suæ fidei, & suis fidelibus: quales sunt, *Panem & vinum transubstantiari in Sacramento: Essentiam nec generare, nec generari: Animam esse formam substantialem corporis humani: Se esse Imperatorem Mundi, & Regem cæli, & Deum terrenum: Animam esse immortalem*: & omnia illa infinita portenta in Romano sterquilinio decretorum; ut qualis est ejus fides, tale sit Euangelium, tales fideles, talis & Ecclesia: & habeant similem labra lactucam, & dignum patellâ sit operculum". Subest interim aliquid discriminis inter istos errones: nam tametsi in hoc omnes conspirent ut animam velint cum corpore perire, quidam tamen eorum credunt eandem in fine Mundi resuscitandam fore cum corpore, signanter *Arabici*; prout ex Eusebio, Augustino, & Isidoro proximè citatis constat. Alij fœdiùs errantes dogmatizarunt, eam sic perire cum corpore, ut nunquam ampliùs redeat in rerum naturam. De Luthero non ita constat an censuerit eam actu morituram, an verò duntaxat naturâ suâ mortalem esse, etiamsi fortè supernaturaliter conservata perennet. Reprobando enim ille articulum astruentem animæ immortalitatem, approbat præcisè articulum oppositum quo astruitur animæ mortalitas. Non sunt autem synonima, nec æquivalentia, nec convertibiliter quidem connexa, mortalem esse, & reipsa mori. Cæterùm *Arabicorum* error ipse planè est, quem Calvinus §. 253. relatus affinxit Joanni XXII. Summo Ecclesiæ Præsuli: sed per summam fatuitatem, vel projectæ impudentiæ malignitatem.

Epicurus.
Cain.
Sardanapalus.
Rom. 3. 2.
Sadducæi.
Act. 23. 8.
Arabici.
Thnetopsychitæ.
[t] Damasc. l. de Hæresib.
[u] Prateol. l. 1. Elenchi Hæresum c. 31.
Hermanistæ.
Barbara Imperatrix.
Lutherus.
[x] Lutherus in Assert. a. 27. apud Roffensem.

CCCXLIV. Quanquam nonnulli in eo hominem ad imaginem Dei conditum fuisse censuerint, quòd secundùm animam immortalis, immortalitatem Dei peculiari quâdam ratione referat ac participet: longè tamen plures censent hominem in eo potiùs conditum fuisse ad Dei imaginem, quòd libero polleat voluntatis arbitrio. Porrò sicut quidam perversi libertatis affectatores tentarunt adimere homini dignitatem divinæ imaginis juxta priorem sententiam intellectæ; inficiando animæ humanæ immortalitatem,

astruen-

astruendove mortalitatem: ita non defuere quidam alij, qui eidem adimere fategerint illam ipsam dignitatem posteriori modo intellectam, inficiando humani arbitrij libertatem, invehendove oppositam necessitatem. Valde quidem mirum apparet, impulsos fuisse homines amore libertatis, in exterminium libertatis. Sed mirari id desinet, qui duo ista secum perpenderit: primum quidem, non rarò accidere ut nimius affectus reipsà interimat rem affectatam: S. Simiarum generi, inquit Plinius, præcipua erga fœtum affectio; est: gestant catulos, quos mansuefactæ intra domos peperére, omnibus demonstrant, tractarique gaudent, similes gratulationem intelligentis. Itaque magnâ ex parte complectendo necant". Ecce nimius amor Simiæ in suam prolem, perimit eandem ipsam adamatam prolem. Et sanè non de bestia, sed de homine loquitur Augustinus, cùm ait: T. Prima hominis perditio fuit amor sui. Si enim se non amaret, sed Deum sibi præponeret, Deo esse semper subjectus vellet; non autem converteretur ad negligendam voluntatem illius, & faciendam voluntatem suam: hoc est enim le amare, velle facere voluntatem suam". Alterum est, non esse eandem omninò libertatem, quam libertini affectant, & quam sibi vel alijs ademptam cupiunt ac fingunt. Ea enim quam affectant non tam est libertas, quàm libertinitas, id est, impunè ad libitum per fas & nefas vivendi licentia: eùm tamen arbitrij libertas quam cupiunt finguntque peremptam, non sit ejusmodi libertinitas, sed electiva agendi vacandique facultas. Aliud proinde est quod libertini affectant, aliud verò quod non quidem effectu, sed affectu saltem exterminant, & exterminatum fingunt, ut licentiùs suo genio indulgeant. Affectant ipsi impunitatem in suis flagitijs ac facinoribus, quibus avidè inhiant: & quia probè sciunt sublatâ libertate invehi impunitatem, aggrediuntur illam, ut assequantur istam. Sed frustrà: neque enim desinunt liberè malefacere, quantumvis autument aut simulent se nequaquam liberè malefacere; nec idcircò promeritas pœnas effugiunt, quòd falsâ impunitatis præsumptione se lactent. Quemadmodùm enim ij, qui inter dormiendum somniant se actionem quampiam liberè exercere, & pœnas annexas incurrere, non ideò eam taliter exercent, aut annexas pœnas reverà incurrunt, quòd exercere, vel incurrere se putent: sic ex adverso ij, qui putant se non liberè, sed necessariò malefacere, nec ullis pœnis subjacere, non ideò non liberè malefaciunt, & debitis pœnis obnoxij subjacent, quòd non liberè se malefacere, & pœnis non subjacere, existiment. Quod cùm apud Orthodoxos omnes indubitatum sit, miror ausum fuisse Franciscum Suarezium affingere Lovaniensibus errorem oppositum, quasi docerent, V. *Hominem operari liberè, quia existimat se operari liberè*: cui consectarium est, hominem non liberè, sed necessariò operari, quia existimat se non liberè, sed necessariò operari. Nullus unquam Lovanij Academicus id docuit, nullus verbo, nedum scripto vel obiter insinuavit. Sed nec ipse Suarezius tam horrendam calumniam ex sua persona divulgare præsumpsit, ideòque interseruit parenthesin, *ut fertur*: nec tamen quemquam omninò designavit, à quo audierit, vel apud quem legerit, doceri illud Lovanij, quod prodidit. Quapropter donec alius quispiam ipso anterior deprehendatur illius calumniosi rumoris author; ipse habendus fuerit author, & censendus voluisse facere rumorem, sub prætextu obviandi rumori: qui unus est è deterrimis calumniandi modis. Pro certo interim tenendum est, non ideò quemquam carere arbitrij libertate, quòd ipse putet aut jactet se carere arbitrij libertate: nec ideò quemquam impunè delinquere, quòd prætextâ necessitate fingat se impunè delinquere. Quis enim sobriæ mentis, à culpâ vel pœnâ excusandos autumet *Simonianos*, *Gnosticos*, *Marcionitas*, *Manichæos*, *Bardesanistas*, *Priscillianistas*, *Albigenses*, *VViclefistas*, & innumeros hujus ævi Sectarios, qui ad invehendam licentiosæ vitæ libertinitatem, negarunt humani arbitrij libertatem, spondentes sibi ac suis asseclis impunitatem? Nemo utique: quia nemo nescit verum esse illud ab Augustino olim proditum: W. Datum est animæ liberum arbitrium: quod qui nugatorijs ratiocinationibus labefactare conantur, usqueadeò cæci sunt, ut ne ista ipsa quidem vana atque sacrilega propriâ voluntate se dicere intelligant". Non tantùm ergò id quod posteà perpetrant, sed etiam hoc ipsum quòd libero arbitrio derogent, de ipso eorum libero arbitrio descendit: atque adeò propter hoc ipsum, perindè ac propter reliqua postmodùm perperam superadjicienda rectissimè puniendi sunt. Neque enim minùs reus est qui suâ prædicatione libertinismum invehit, quàm qui libertinus jam factus quantalibet flagitia vel facinora, quasi impunitatis securus, exercet.

CCCXLV. Cæterùm libertini isti non in sua illatione, sed in assumptione errarunt. Neque enim falsò subintulerunt ex liberi arbitrij negatione impunitatem, sed falsò negarunt ipsam arbitrij libertatem: X. Defectus quippe iste, ut ait Augustinus, qui peccatum vocatur, si tanquam febris invitum occuparet, rectè injusta pœna videretur, quæ pecca-

S. Plin. l. 8. cap. 54.

T. Aug. Ser. 47 de div. vulg. c. 2.

V. Vide Suarez lib. 1 de Auxilijs c. 12, n. 14.

W. Aug. lib. de Quant. anim. c. 36.

X. August. lib. de Vera Relig. c. 14.

peccatum consequitur". Et Epist. 46. " Si „ non est Dei gratia, quomodò Christus sal- „ vat Mundum? Et si non est liberum arbitrium, quomodò judicat Mundum". Et lib. 2. contra Faustum cap. 5. " Nos quidem, in- „ quit, sub fato stellarum nullius hominis ge- „ nesim ponimus: ut liberum arbitrium vo- „ luntatis, quo vel benè vel malè vivitur, „ propter justum judicium Dei; ab omni ne- cessitatis vinculo vindicemus." Sublato igitur libero humanæ voluntatis arbitrio, consequens est & tolli finale Dei Judicis scrutinium quo rependenda sint unicuique sive pro meritis præmia, sive pro demeritis supplicia. Et rursus lib de Vera Relig. cap. 14. " Si „ non voluntate malè facimus, inquit; nemo „ objurgandus est omninò, aut monendus. „ Quibus sublatis, Christiana lex, & disciplina omnis Religionis auferatur necesse est". Eodem spectat & illud Hieronymi adversùs Jovinianum: Y. Liberi arbitrij nos condidit „ Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia ne- „ cessitate trahimur: alioquin ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est". Et Gregorius Nyssenus: Z. Si manet, inquit, inefficax & nullius usus liberum animi institutum & electio, necessariò etiam abolita est „ virtus, impeditâ immobilitate liberi arbi- „ trij. Si autem non sit virtus, honore privata „ est vita, & facto procedit ratio, & ablata est „ laus rectè se gerentium, & vitium est im- „ mobile, nec dijudicari poterit vitæ agendæ „ discrimen. Quis enim, ut est rationi con- „ sentaneum, vel intemperantem amplius re- „ prehenderit, vel temperantem laudaverit; „ cùm quilibet in promptu hanc habeat re- „ sponsionem, quòd nihil eorum quæ nostro „ arbitratu statuimus, in nostra sit potestate, „ majori autem potentiâ humana trahantur „ instituta & proposita ad id quod lubet ei qui dominatum obtinet"? Et Chrysostomus: A. Nonne manifestum est, inquit, suâ quem- „ que voluntate vel malitiam, vel virtutem „ eligere? Nam nisi ita esset, & naturæ „ nostræ potestas insita esset, neque illos pu- „ niri, neque istos virtutum præmia accipere oportebat". Et in Sermone super illis Isaiæ verbis, *Si volueritis & audieritis me* &c. " Si vi- „ vendi rectè, inquit, ac secùs, libertas nobis „ adempta fuisset, nec bonus unquam cœleste „ munus dignè perciperet, nec malus suppli- „ cium competens inveniret; sed totum Deo „ deputaretur authori, qui alios impingeret „ in contemptum, alios formaret in obsequium". Et Hilarius Pictaviensis: B. Quid „ honoris ac præmij, inquit, necessitas boni- „ tatis mereretur, cùm malos nos esse vis quædam nobis conserta non sineret"? Et Eusebius Cæsariensis in Opere de Præparatione Evangelica: C. Jaceret omnis philoso- „ phia, inquit, jaceret pietas, nulla esset laus „ virtutis, nullus fructus laborum, nec pu- „ niendi essent improbi, nec admirandi stu- „ diosi, si non liberâ voluntate & nostrâ spon- „ te susceptis laboribus, sed necessitate fato- „ rum hæc fierent. Ita universam hominum vitam hæc evertit opinio". Et Origenes: D. Sui arbitrij, inquit, est anima, & in quam „ voluerit partem est ei liberum declinare: & „ ideò justum est Dei judicium, quia sponte „ suâ sive bonis sive pessimis monitoribus paret". Et Clemens Alexandrinus Origenis Præceptor: E. Nec laudes, inquit, nec vitu- „ perationes, nec honores, nec supplicia justa „ sunt, si anima non habeat liberam potesta- „ tem & appetendi & aggrediendi, sed vitium sit involuntarium". Et Tertullianus: F. Nec boni, inquit, nec mali merces jure „ pensaretur ei, qui aut bonus aut malus ne- „ cessitate fuisset inventus, non voluntate". Et Justinus Martyr: G. Si fatale sit, inquit, „ hunc quidem esse bonum, illum verò ma- „ lum; neque ille fuerit probandus, neque „ hic reprehendendus. Ac nisi arbitrio libe- „ ro & ad turpia fugienda, & ad honesta di- „ ligenda, facultatem habeat mortalium ge- „ nus, non fuerit in causâ, sive culpâ, qua- liumcunque demùm factorum". Et Isidorus Pelusiota: H. Si fatum est, inquit, lex „ non est: si autem lex, fatum non est. Si fa- „ tum est, admonitio non est: si autem admo- „ nitio, fatum non est. Si fatum est, judi- „ cium non est: si autem judicium, fatum „ non est. Si fatum est, precatio non est: si „ autem precatio, fatum non est. Si fatum „ est, meditationes non sunt: si autem medi- „ tationes, fatum non est. Si fatum est, Phi- „ losophia non est: si autem Philosophia, fa- „ tum non est. Si fatum est, medicina non „ est: si autem medicina, fatum non est. Si „ fatum est, agricultura non est: si autem agricultura, fatum non est". Sed vide alia quædam auditu horrenda, quæ ex positione fatalis necessitatis subinfert idem author ibidem superiùs Epist. 154. Ubi loquens de ijs, qui evacuatâ arbitrij libertate fatalem astruebant necessitatem, ait Lectori suo: " Per- „ spice quotnam hominibus adversentur, & „ quot bona ex animo suo eliminare stu- „ deant; ac vecordiam eorum & amentiam „ perhorresce. Deum aut non esse sta- „ tuunt, aut esse quidem, sed Mundum ne- „ quaquam condidisse: aut si condiderit, „ minimè gubernare: aut si gubernet, im- „ proborum vitio oblectari: aut si non ob- „ lectetur, imperium alijs concessisse: aut „ si non concesserit, invito ereptum fuisse: „ aut si non ei ereptum sit, improbos ul- „ cisci nolle: aut si velit, non posse: aut si „ possit, otium carius & antiquius habere: aut

Vide Aug. Epist. 141.

Y. Hieron. lib. 2. contra Jovin. c. 2.

Z. Gregor. Nyssen. in Orat. Cath. cap. 31.

A. Chrysost. Hom. 22. in Genesim.

B. Hilar. in Psalm. 2.

C. Euseb. l. 6. Præpar. Evang. c. 1.

D. Origen. Homil. 20. in Numeros

E. Clem. Alexan. l. 1. Stromat.

F. Tertull. l. 2. contra Marc. c. 6.

G. Justinus Apolog. 2. pro Christianis.

H. Isid. Pelus. lib. 3. Epist. 191.

„ aut si carius non habeat, ab astrorum motu „ superari: aut si non superetur, inertem ac „ desidem esse velle: aliaque multa, quæ pro- „ lixitatis tædio omittimus, quorum nihil est „ quod extremam stultitiam & impietatem non redoleat". Quòd si fortè cui lubeat nosse quidnam ipsi etiam ethnici de prædictâ libertinorum illatione censuerint, Ciceronem audiat, magnæ apud eos authoritatis virum, apertè dicentem: [I.] Si certus est ordo cau- „ sarum, quo fit omne quod fit: fato fiunt „ omnia quæ fiunt. Quod si ita est, nihil est „ in nostra potestate, nullumque est arbitrium „ voluntatis. Quod si concedimus, omnis hu- „ mana vita subvertitur: frustrà leges dantur, „ frustrà objurgationes, laudes, vituperatio- „ nes, exhortationes adhibentur: neque ullâ „ justitiâ bonis præmia, & malis supplicia constituta sunt". Quamvis errarit illic Tullius, putando tolli arbitrij libertatem astructione divinæ præscientiæ, atque ita studens facere homines liberos fecerit sacrilegos: in eo tamen quòd cum libertinis censuerit sublatâ arbitrij libertate consectariam fore impunitatem, nequaquam erravit, sed idem cum Patribus mox citatis sensit ac scripsit. Non itaque in sua illatione, sed in assumptione errant libertini. Sicut enim non errant in sua illatione Sancti Patres, inferendo ex peccatorum punibilitate arbitrij libertatem: ita nec libertini, inferendo ex carentia libertatis prætensam suam impunitatem. Utrobique enim consequentia firma est, etsi libertinorum assumptio erronea, ac per hoc infirma, caduca, ruinosa.

I. Cicero apud Aug. l. 5. de Civit. cap. 9.

CAPUT XCII.

Libertini Deo pariter & hominibus injurij: ut qui illum deitate, unitate, bonitate; istos animæ immortalitate, & arbitrij libertate despoliare machinentur. Aliud eorum commentum pro persuadendo libertinismo excogitatum; Solâ scilicet fide homines, quantumvis licentiosè viventes, salvari. Simon Magus hæreticorum novæ legis patriarcha, asseclas suos jubebat minas legis non pertimescere, sed tanquam liberos ad libitum vivere. Gnosticorum *origo, & nominis usurpatio. Viâ mediâ inter confessionem infirmitatis & audaciam præsumptionis incedendum, nec ad sinistram aut dexteram declinandum. Libertinismum Apostolicis Epistolis profligatum revexerunt Eunomiani, dicti* Anomæi, *quasi exleges; asserentes, Deum non curare quid quisque agat, dummodò fidei veritatem custodiat. Eundem errorem; iteratò in Anomæis explosum, Lutherus novissimè nisus est non modò renovare, sed & augere; asserendo, opera bona non solum non prodesse; verùm etiam obesse ingressuris per angustam cæli portam. Archipirata vel latronum dux haud aliter suos cohortetur ad grassandum, quàm Lutherus suos ad prævaricandum. Apud Lutheranos quanta sit morum dissolutio, ex suorummet symmistarum testimonio.*

CCCXLVI. Non soli itaque Deo injuriosa est libertatis ambitio, sed & hominibus: quia sicut Deo adimere nititur Deitatem, unitatem, & bonitatem; ita hominibus animæ immortalitatem, & arbitrij libertatem: ut proinde non absimilis videatur ei de quo legitur, (quòd *Deum non timebat, & hominem non verebatur.* Sed consideremus interim alium ejus fœtum, non utique formosum, sed monstrosum, portentosum, licentiosum: illam scilicet quorundam persuasionem, quâ putatur sola fides sufficere, opera verò nec bona prodesse, nec mala obesse. Cujus licentiosæ persuasionis vel primus inter Christianos author, vel præcipuus assertor fuisse videtur Simon Magus: qui, teste Theodoreto, [K.] Jubebat „ eos, qui in ipsum crederent, legis minas non „ pertimescere, sed tanquam liberos facere „ quæ vellent: non enim per bonas actiones, „ sed per gratiam ipsos salutem consecuturos. „ Quamobrem qui hujus erant sectæ, liberè omnem libidinem exercebant". Quàm latè autem diffusa fuerit ista secta in primitivâ Ecclesiâ, indicat Irenæus: [L.] Omnes, inquiens, „ qui quoquo modo adulterant veritatem, &

Luc. 18. 2.

K. Theod. l. 1 hæret. fabul. c. 1.

L. Ireo. lib. 1. cap. 30.

„ præconium Ecclesiæ lædunt, Simonis Samaritani Magi discipuli & successores sunt: „ quamvis non confiteantur nomen magistri „ sui, ad seductionem reliquorum, illius tamen sententiam docent: Christi quidem „ Jesu nomen tanquam irritamentum præferentes, Simonis autem impietatem variè introducentes ". Et superiùs ibidem cap. 20. " Habent, inquit, vocabulum à principe im-

1. Tim. 6. 20.

„ pijssimæ sententiæ Simone, dicti *Simoniani*, à „ quibus *falsi nominis scientia* accepit initia". Quam hic nominat *falsi nominis scientiam*, eandem superiùs c. 5. appellaverat *Gnosticam haeresim*: & inferiùs c. 24. loquens de Carpocratianis, *Gnosticos*, inquit, *se vocant*, hoc est, scios, gnaros, eruditos, illuminatos. Quam eorum arrogantiam demirans ac detestans Clemens

M Clemens Alex. lib. 3. Pædag. c. 6.

Alexandrinus: M. Mihi, inquit, in mentem „ venit admirari, quomodò audeant quidam „ seipsos vocare perfectos, & *Gnosticos*, hoc est, „ cognitione præditos, plus de se, quàm Apo- „ stolus sentientes; inflati, & exultantes:

Phil. 3. 12.

„ cùm ipse Paulus de se fateatur: *Non quod* „ *iam ceperim, vel iam perfectus sim: prosequor autem si quo modo comprehendam*". Sive autem superbum istud *Gnosticorum* nomen à Carpocratianis, sive à Valentinianis, sive à Nicolaitis primitùs usurpatum fuerit; ad omnes promiscuè Simonis asseclas ampliatum demùm

N. Theod in c. 6. prioris ad Timoth. v. 20.

fuisse videtur: N. Qui à Simone orti sunt, in- „ quit Theodoretus, *Gnosticos* seipsos appella- „ runt, quasi scientiâ præditos. Quæ enim „ divina Scriptura tacuit, ea Deum sibi reve- „ lasse jactant: sunt autem pleni omni impie- „ tate ac libidine. Hanc jure vocavit Aposto- „ lus *Falsò nominatam scientiam*: ignorationis „ enim habet caliginem, non divinæ cognitionis lucem ". Et Theophilactus in eundem

Theophilactus.

Apostoli locum: " Opinor, inquit, Aposto- „ lum hęc dicere de ijs, qui tunc nominabantur *Gnostici*, omni impietate repleti ". Cùm enim ex erronea doctrina Patriarchæ sui Simonis Magi sibi persuasissent, *legis minas non esse pertimescendas, sed se tanquam liberos facere posse qua vellent, dummodò fidem non desererent*, omni

O. Aug. Præfat. in Psal. 31. Vide lib. de Fide & operibus cap. 4. 14. & 24.

impietate seipsos implebant: O. Anceps enim „ animus humanus, inquit Augustinus, & „ fluctuans inter confessionem infirmitatis & „ audaciam præsumptionis, plerunque hinc „ atque inde confunditur, & ita impellitur, ut „ ei in quamlibet partem cadere, præcipitium „ sit. Si enim se infirmitati propriæ omni ex „ parte donaverit, & in hanc cogitationem se „ inclinaverit, ut dicat: *Misericordia Dei omnibus peccatoribus, in quibuslibet peccatis perseverantibus, tantum credentibus quod Deus liberat,* „ *Deus ignoscit, ita parata est in finem, ut nemo* „ *pereat fidelium iniquorum, id est, nemo pereat eorum qui sibi dicunt, Quicquid faciam, quibuslibet* „ *facinoribus & flagitijs inquiner, quantumlibet* „ *peccem, liberabit me Deus misericordia suâ, quia* „ *credidi in eum.* Qui ergo dicit neminem perire „ talium, cogitatione malâ inclinatur in im- „ punitatem peccatorum: & Deus ille justus,

„ *cui cantatur misericordia & iudicium*, non sola Psalm. 100. 1.

„ *misericordia, sed & iudicium*, invenit hominem „ malè de se præsumentem, & ad interitum „ suum misericordiâ Dei abutentem: & ne- „ cesse est ut damnetur. Talis quoque cogi- „ tatio præcipitat hominem quâ quisque ten- „ tatur, si se in audaciam quandam præsump- „ tionis erexerit & de suis viribus justitiaque „ præsumpserit, & proposuerit animo imple- „ re justitiam, & omnia quæ præcipiuntur in „ lege ita servare, ut in nullo offendat; atque „ in potestate sua se habere vitam suam, ut „ omninò nusquam labatur, nusquam defi- „ ciat, nusquam titubet, nusquam caliget, „ sibique hoc tribuat, & potentatui volunta- „ tis suæ: etiamsi fortè impleverit omnia quæ „ justa videntur coram oculis hominum, ita „ ut nihil inveniatur in vita ejus quod possit „ reprehendi ab hominibus, ipsam præsump- „ tionem jactationemque superbiæ damnat „ Deus. Quid igitur fit? Si homo se justifi- „ caverit, & de justitia sua præsumpserit, ca- „ dit: si considerans & cogitans infirmitatem „ suam, & præsumens de misericordiâ Dei, „ neglexerit vitam suam mundare à peccatis „ suis, & se omni gurgite flagitiorum demer- „ serit: etiam ipse cadit. Præsumpsio de ju- „ stitia, quasi dextera est: cogitatio impunita- „ tis peccatorum, quasi sinistra est. Audiamus

„ vocem Dei dicentis nobis, *Ne declines in dex-* Prov. 4. 27.

„ *teram, aut sinistram*; ne præsumas ad regnum „ de justitia tua, ne præsumas ad peccandum „ de misericordia Dei. Ab utroque te revocat „ præceptum divinum, & ab illa altitudine, „ & ab istâ profunditate: illuc si ascenderis, „ præcipitaberis; hâc si lapsus fueris, de- „ mergeris; *Ne declines*, inquit, *in dextram, aut sinistram*".

CCCXLVII. Quamvis Apostoli errorem istum suo tempore exortum & per Pseudo-apostolos disseminatum profligassent, revixit tamen postmodùm in *Aëtianis*, & *Eunomianis*,

de quibus Cardinalis Hosius ait: P. Ante mille „ ducentos plùs minùs annos fuisse scribun- „ tur *Anomæi* quidam hæretici, quorum Prin-

P. Hosius in Confess. fidei c. 63.

„ cipes commemorantur *Aëtius* & *Eunomius*, „ qui nihil aliud à nobis Deum requirere do- „ cuerunt, quàm ut ipsum solum cognoscere- „ mus: cujus etiam adeò sibi notitiam arro- „ garunt, ut non sibi se magis esse notos dice- „ rent, quàm ipsi Dei naturam perspectam „ & exploratam haberent. Ac tantum illi fi- „ dei, cujus authores ipsi fuerunt, tribui vole- „ bant, ut si quis eam esset amplexus, etiamsi

Vide Basil. in cap. 30. Isaiæ sub initium.

gravissi-

,, gravissima quæque scelera patrasset, ac non ,, modò patrare non intermitteret, verùm ,, subinde graviora patratis adjungeret, nihil ex eo detrimenti foret accepturus". Et de Aetio quidem, & asseclis ejus, ita scribit in Panario Epiphanius: Q. Multa de hoc audivimus, quomodò diabolus horribiliter machinatus sit ut per ipsum animas hominum ,, inescatorum perderet. Etenim non solliciti ,, sunt de vitæ sanctimonia, non de jejunijs, ,, non de mandatis Dei, non de aliquo alio ad ,, vitam à Deo hominibus præcepto: sed solùm promptus est ipsis sermo, *Per unum verbum omnia*: veluti si quis jacturâ è navi factâ, ,, & omni vectigali ejecto detineat unum ,, quiddam ex his quæ in navem imposita ,, sunt; tegulam, inquam, aut aliud quid, ut ,, per unum instrumentum pernatare totum ,, pontum possit, & salutem sibi parare queat; ,, & talis fallatur, & non sicut putavit de instrumento in manus sumpto finem reperiat, posteà submersus, à toto negotio & ,, salute excidat. Sic *Aëtius*, & qui cùm ipso ,, sunt *Anomæi*, in medium proferentes quod ,, à Domino in Euangelio dictum est, dictionem quidem exponunt, sed vim ipsius non ,, rectè tenentes falluntur. Cùm enim in ipsos ,, inciderit quis, & de mandatis mentionem ,, fecerit, hoc dicunt, velut dictum habet, ,, *quòd nihil aliud est quod quærit Deus à nobis, quàm* ,, *ut cognoscamus ipsum: quemadmodum ipse etiam* ,, *Christus dixit, cùm ait: Da ipsis pater, ut habeant* ,, *in seipsis vitam: hæc autem est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti IESVM CHRISTVM.* Audivimus enim quosdam referentes, quòd ab ipsis palàm audiverunt, cùm quidam accusati fuissent ob ,, absurdum factum, quòd cum muliere dormivissent, & ab ipsis ijsdem condemnarentur, ille (*Aëtius*) nullatenùs indignabatur, ,, sed insuper illudebat, dicens, *Nihil est hoc:* ,, *corporalis enim est necessitas & ministerium, sicut* ,, *autem scalpere*. Et ipse quidem verecundor referre, quæ impurus ille dicebat". De *Eunomio* item Augustinus loquens: R. Fertur, inquit, usque adeò suisse bonis operibus inimicus, ut asseveraret, *quòd nihil cuiquam obesset quorumlibet perpetratio ac perseverantia peccatorum, si fidei, quæ ab illo docebatur, particeps esset*". De utrisque junctim Isidorus Hispalensis: S. Dicunt, inquit, nullum imputari peccatum in fide manentibus". Ad eosdem quoque vel eorum saltem gregales alludere videtur Hieronymus, cùm ait: T. Populum ,, quondam Dei errore decipiunt: & hoc faciunt, ut comedant eos, vel simpliciter in ,, accipiendis muneribus, vel mysticè in occisione animarum eorum. Et promittunt eis ,, pacem, & regna cælestia: & dicunt, *Non* ,, *necesse est ut vivas continenter & sanctè: habeto* ,, *fidem quam docemus, & omnia promissa Domini* ,, *consequêre*". Qui rursùs lib. 1. in caput 4. Oseæ, comparans pravos sacerdotes veteris populi, hæreticis novi populi: " Sacerdotes, inquit, ,, peccata populi comedunt: de quibus scriptum est, *Qui devorant plebem meam, sicut escam panis*. Et idcircò peccata populi devorant, consentientes sceleribus delinquentium: quia cùm eos peccare perspexerint, ,, non solùm non arguunt, sed laudant, atque ,, sustollunt, & beatos prædicant. De quibus ,, & Isaias loquitur, *Populus meus, qui beatos vos* ,, *dicunt, seducunt vos, & semitas pedum vestrorum* ,, *supplantant*. De his & per Psalmistam clamat, ,, *Quoniam laudatur peccator in desiderijs animæ* ,, *suæ, & iniquus benedicitur*. Unde æqualiter ,, populus & sacerdos, indignantis Dei sententiam sustinebunt: quia non solùm opera ,, eorum visitabit, quæ appellantur *viæ* in quibus ingrediuntur; sed & cogitationes, quibus, ut talia facerent, tractaverunt: non ,, solùm enim opus, sed & cogitatio operis ,, mali pœnas luet. De hæreticis facilis intelligentia est, quòd quanto plures fuerint, ,, tanto magis delinquunt Deo, & gloriantur ,, in populis, & idcircò decipiunt infelices, ut ,, *peccata populi comedant*, & *per dulces sermones* ,, *devorent domos viduarum*. Cùm enim viderint ,, aliquot delinquentes, aiunt: *Nihil aliud* ,, *quærit Deus, nisi fidei veritatem: quam si custodieritis, non curat quid agatis*. Hæc enim dicentes, iniquitatibus eorum sublevant animas eorum: ut non solùm non agant pœnitentiam, nec humilientur, sed gaudeant ,, in sceleribus suis, & erectâ cervice gradiantur. Unde & populus & sacerdos, & hi qui ,, docti sunt & hi qui docuerunt, pari judicio constringentur".

Q. Epiphan. Hæresi 76.

Lib. 17. v. 3.

R. Aug. lib. Hæresib. Eunom. cap. 14.

S. Isidor. l. Orig. cap.

T. Hieron. in ... 3. ...

Psalm. 13. 4.

Isaiæ 3. 12.

Psal. 9. 24.

Ose. 4. 8. Marc. 12. 40.

CCCXLVIII. Res planè miranda pariter ac deploranda est, ausos fuisse hæreticos novissimorum horum temporum revocare ex orco errorem de sufficientia fidei ad salutem, quem Ecclesia ante tot annorum centurias in Aëtianis & Eunomianis explosserat, eliserat, & in orcum relegaverat; imò & Apostoli in Pseudoapostolis ex professo impugnaverant & editis etiam libris debellaverant: V. Quoniam hæc opinio, inquit Augustinus, tunc ,, fuerat exorta, Apostolicæ Epistolæ Petri, ,, Joannis, Jacobi, Judæ, contra eam maximè ,, dirigunt intentionem, ut vehementer astruant, *Fidem sine operibus nihil prodesse*: sicut etiam Paulus non qualemcunque fidem quâ ,, in Deum creditur, sed eam salubrem planeque Euangelicam definivit, cujus opera ex ,, dilectione procedunt: *Et fides*, inquit, *quæ* ,, *per dilectionem operatur*. Unde illam fidem ,, quæ sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil

V. Aug. lib. de Fide & operib. c. 14. Vide lib. de Gratia & libero arbit. cap. 7.

Gal. 5. 6.

1. Cor. 13. 2. ita nihil prodesse asseverat, ut dicat: *Si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Ut autem hæc fidelis charitas operatur, sine dubio benè vivitur: Rom. 13. 10. *plenitudo enim legis est charitas*". Et rursùs ibidem inferiùs: " Jacobus autem Apostolus tam vehementer infestus est eis, qui sapiunt, *Fidem sine operibus valere ad salutem*, ut illos etiam dæmonibus compararet, dicens: Jac. 2. 19. *Tu credis, quoniam unus est Deus. Benè facis: & dæmones credunt & contremiscunt.* Quid brevius, verius, vehementius dici potuit"? Nihilominus non obstante tantâ brevitate, veritate, vehementiâ ; *Martinus Lutherus*, hæreticorum hujus ævi choragus, articulum de solius fidei ad salutem sufficientiâ, non veretur statuere *præcipuum* suæ professionis canonem: W Luther. in Gloss. super Edicto Cæsareo. W. Cùm videam, inquiens, quòd hunc *præcipuum* articulum diabolus semper blasphemat per suos porcinos Doctores, neque quiescere aut cessare potest: dico ego Doctor *Martinus Lutherus*, Domini nostri JESU CHRISTI indignus Evangelista, quòd hunc articulum firmum atque inconcussum permittere debet Romanus Imperator, Turcicus Imperator, Tartaricus Imperator, Persicus Imperator, Papa, omnes Cardinales, Episcopi, Sacerdotes, Monachi, Moniales, Reges, Principes Domini, totus Mundus, simul cum omnibus dæmonijs: & debent insuper habere ignem infernalem super capita sua, & nullam gratiarum actionem. Hic esto meus Doctoris Lutheri instinctus à Spiritu Sancto, verumque ac Sanctum Evangelium". Qui rursùs in Commentario super caput 2. Epistolæ ad Galatas ait: " Quando sic docetur, Fides justificat quidem, sed simul servare oportet mandata Dei quia scriptum est, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: Matth. 19. 17. ibi statim Christus negatus est, & fides abolita: quia mandatis Dei sive legi tribuitur, quod est solius fidei". Et iterum in Postilla super Evangelium Dominicæ 8. post Trinitatis: " Nullum opus, inquit, tam malum est quod hominem damnare queat, neque ullum tam bonum quod salvare possit: cæterùm sola fides salvat, sola incredulitas damnat". Et Epist. 238. ad Philippum Melanchthonem: " Sufficit, inquit, quòd per divitias gloriæ Dei agnovimus agnum qui tollit peccatum Mundi: 1. Tim. 1. 9. ab hoc enim non avellit nos peccatum, etiamsi millies millies uno die fornicemur, aut occidamus". Et lib. de Libertate Christiana: " Sola fides, inquit, & verbum in anima regnant: ut clarum sit, homini Christiano suam fidem sufficere pro omnibus, nec operibus ei opus esse, ut justificetur. Quòd si operibus non habet opus, certè liber est à lege; verumque est, *Justo non est lex posita.* Atque hæc est Christiana libertas, fides nostra". Et in caput 2. Epistolæ ad Galatas: " Sola fides Christi, inquit, necessaria est, ut justi simus: cætera omnia liberrima: neque præcepta ampliùs, neque prohibita". Et lib. de Captivit. Babylonicâ cap. *de Baptismo*: " Vides, inquit, quàm dives sit homo Christianus, sive baptizatus: qui, etiam volens, non potest perdere salutem, quantiscunque peccatis, nisi nolit credere, nulla peccata eum damnare possunt, nisi sola incredulitas: nullâ aliâ viâ potest homo cum Deo convenire aut agere, nisi per fidem: opera ille nihil curat, nec indiget".

Et hactenus quidem Lutherus cum veteribus Aëtianis, Eunomianis, Gnosticis ac Pseudo-apostolis consentire videtur. Est verò aliud, in quo perfidiæ palmam eis præripere nititur: ut vel hinc appareat quàm verè scripserit olim Apostolus *Mali homines, & seductores, proficient in pejus errantes, & in errorem mittentes.* Vide [illegible] ad [illegible] lib. [illegible] cap. [illegible] num. 44. 2. Tim. 3. 13. Addit quippe Lutherus errori illorum veteri novam perfidiam, asserendo non solùm non prodesse fidelibus opera bona, nec obesse mala, sed e contrario prodesse mala, obesse bona: X Erga Deum, inquit, non operibus, sed nudâ fide indigemus. X. Luther. Serm. de [illegible] Debemus enim cum solo *Isaac* venire, hoc est, cum fide: servos & asinos, hoc est, opera, deorsum dimittere oportet. Quanto sceleratior es tanto citiùs Deus suam gratiam infundit: si adornes te ut cattus, bonis operibus, ut te Deus acceptet, nihil efficies". Et Serm. in illud Evangel. [illegible] *Sic Deus dilexit Mundum*: Luc. [illegible] 16. " Ego tibi [illegible], inquit, quia angusta est [illegible], oportet te fieri tenuem, si vis per eam transire. Cæterùm qui operibus onerati sunt, sicut conchilibus videmus onustos S. Jacobi peregrinos, ij non poterunt penetrare". Hinc est illa ejusdem libertini parænesis ad suum discipulum in mox citatâ Epistolâ 238. *Esto peccator, & pecca fortiter.* Lubet proinde hic replicare, quod ex Lactantio aliàs descripsimus, mutato duntaxat nomine Epicuri, in nomen Lutheri: *Archipirata quisquam, vel latronum ductor, si suos ad grassandum cohortetur, quo alio sermone uti poterit, quàm ut eadem dicat quæ dicit Lutherus*? Vide [illegible] præf. Porrò si quis avet scire quem fructum in discipulis protulerit cohortatio illa magistri, discere poterit ex hac ingenuâ confessione Andreæ Musculi, unius è præcipuis cohortantis discipulis, Y. Si quis videre velit ingentem turbam nebulonum, hominum turbulentorum, fallacium, impostorum, fœneratorum; civitatem aliquam adeat, in quâ Evangelium purè (*Lutheranicè*) prædicatur: catervatim tales ibi reperiet. Y. Andr. Musculus [illegible] Adve[illegible] Nam meridianâ luce clarius est, quòd hominum effrænatorum & indomitorum, apud quos omnis virtus & honestas penitùs

„ penitùs extincta est, & apud quos pro pec„ cato nihil reputatur, nusquam plures, ne „ quidem apud ethnicos, Turcas, & alios in„ fideles, quàm apud EVANGELICOS, „ apud quos omnia diabolo laxata sunt fræna, reperiantur". Hanc verò Euangelicorum libertinitatem potissimè profluxisse ex illâ ipsorum persuasione *de fidei sufficientiâ ad salutem*, ipsimet agnoscunt ac profitentur apud Jacobum Andreæ, Symmistam suum, Concione 4. in caput 21. Lucæ: cujus verba isthuc spectantia exhibuimus in Goliathismo cap. 67. §. 220, Jac. Andr.

CAPUT XCIII.

Libertatis ambitio novo nixu novum edidit fœtum, errorem scilicet astruentem pendere honestatem pravitatemque cujusque humanæ operationis, ex merâ operantis opinatione; ut nimirum unicuique liceat, quicquid sibi licere persuaserit. Carpocratianorum, Manichæorum, *&* *novissimè* Quintinistarum *in eum errorem conspiratio. Hujus generis dogmatistæ non modò dedignantur voluntatem suam voluntati Dei submittere, sed præterea machinantur voluntatem Dei ad suam detorquere. Tales Augustinus congruenter appellat* pravicordios *&* torticordios. *Non nisi rectum cor collineari potest rectitudini Dei. Major est superbia hujusmodi Libertinorum, quàm dæmonum vel protoplastorum: sicut major ambitio* Cæsaris *non ferentis parem, quàm* Pompei *dedignantis pati superiorem, & major* Alexandri *affectantis monarchatum, quàm* Parmenionis *suadentis polyarchatum. Divina voluntas alia dicitur beneplaciti, alia signi: cujus posterioris assignatur quinquemembris divisio. Beneplaciti divini energia astruitur, quæ nullo humano molimine evacuatur. Detestanda prorsùs est ea hæreticorum calliditas, volentium torquere verba Dei à veritate propter quam dicta sunt, ad perversitatem in quâ ipsi sunt.*

CCCXLIX. Est præterea alius quidam error, humanæ saluti plurimùm exitiosus, quem perversa libertatis ambitio suis inspiravit clientibus: honestatem scilicet & pravitatem cujusque operis, ex merâ pendere opinatione operantis; ita ut unicuique liceat, quicquid sibi licere persuaserit. Quem errorem *Gnosticis*, signanter *Carpocratianis*, attribuit Irenæus, ita de ijs scribens: [a] Intantùm insaniâ effrænati „ sunt, ut omnia quæcunque sunt irreligio„ sa & impia potestatem se habere operandi „ dicant: solâ enim humanâ opinione differre negotia bona, & mala". & rursùs ibidem post pauca: " Secundùm opinionem homi„ num quædam quidem bona, quædam au„ tem mala vocari asserunt, cùm nihil naturâ malum sit". De ijsdem & Epiphanius: [A] Cùm „ mentem suam, inquit, licenter insaniæ ex„ posuerint, innumeris voluptatum affectibus „ seipsos tradunt: asserunt enim quòd quæ„ cunque apud homines mala esse putantur, ea „ mala non sint, sed naturâ bona. Nihil enim „ naturâ malum esse, sed hominibus quædam putari mala". Eundem errorem Manichæis attribuit Julianus Pelagianista apud Augustinum, non quidem ei assentientem, sed nec omninò repugnantem, hisce ad eum verbis: [B] Quid ad nos pertinet, quia Manichæos dice„ re affirmas: *Si quis homicidium conscientiâ for„ midante commiserit, reus est, quia timuit: si au„ tem aliquod facinus exultante perpetraverit auda„ ciâ, velut credens se ex fide facere quod malè fa„ cit, evasit culpam.* Quod quidem nunquam au„ divi dicere Manichæos. Sed quid ad nos si„ ve dicant, sive etiam ipsis calumnieris: cùm „ Catholica hoc non dicat fides, quam tenemus, & cujus te pondere urgemus"? Hunc ipsum errorem novissimis hisce temporibus resuscitarunt *Quintinistæ*, qui & *Libertini* antonomasticè dici jam consueverunt: [C] *Liber„ tinos*, inquit Lindanus, à libertate, quam „ prædicant Euangelicam; P. Viretus facit „ Catabaptistarum prolem. Fanaticum homi„ num genus, in quo jure credas revixisse „ Gnosticos & Valentinianos. Nihil eis æquè „ displicet, nihil magis improbatur, atque „ simplex & germanus Scripturæ sensus. Illis

a. Iren. l. 1. cap. 24.

A Epiphan. Hæresi 27.

B. August. lib 4. cont. Julian. c. 8. Julianus.

C. Lindanus in Dubitantio Dial. 2. cap. 4. Vide Prateolum l. 10. c. 4 & l. 15. cap. 4. Viretus.

„ Christus est Satanas, & contrà: vitium
Viretus. „ virtus, & virtus vitium. *Nihil enim ex eorum*
„ *sententiâ peccatum, nisi eorum opinione qui se*
„ *peccare putant.* Verus Dei timor, & eo imbu-
„ ta conscientia, pro inferno illis habetur: pro
„ paradiso autem conscientia divini judicij
„ contemptrix, secura, stupida, & consopita.
„ Hoc nominis varias sectas sibi usurpare in
Calvinus. „ Brabantia & Hollandia indicat Calvinus,
„ suppressâ furoris hujus origine: sed in Gal-
„ lia appellari ait *Quintinistas*, à quodam Quin-
„ tino Sartore Picardo, qui illic eas sparserit,
cum quodam Coppino Insulano". Et rursùs
ibidem paulò post de ijsdem: "Cæterùm,
„ inquit, suam spiritualem regenerationem
„ in eo collocant, ne ullâ re, nec peccati re-
„ morsu, nec Dei timore, nec judicij terrore
„ tangantur. Unde docent, omnia homini
„ esse licita sine ullâ exceptione, omneque
„ genus vivendi probent: lenonem suo fungi
„ munere volunt, fures audacter furari jubent,
„ matrimonia dissolvunt, quæ appellant car-
„ nalia, ubi uxor mariti sui tædium ceperit.
„ Unde & promiscuos laudant concubitus,
„ modò alter altero sit contentus, id spiritua-
„ le vocant matrimonium. Communionem
„ Sanctorum interpretantur communionem
„ bonorum temporalium: ideoque quantum
quisque potest ut rapiat suadent". Istorum
Libertinorum veterum pariter ac novorum
exemplo edocemur quanta sit pravitas humani cordis, ambitione libertatis inflati. Non solùm enim dedignantur submittere voluntatem suam voluntati Dei, sed insuper curvare volunt voluntatem Dei, secundùm curvitatem voluntatis suæ: [D] Duæ sunt voluntates,

D. August. Enarrat. 2. in Psal 31.

„ inquit Augustinus, sed voluntas tua corri-
„ gatur ad voluntatem Dei, non voluntas
„ Dei torqueatur ad tuam: prava est enim
„ tua, regula est ista: stet regula, ut quod pra-
vum est ad regulam corrigatur". Et rursùs in Expositione Psalmi 93." Ne voluntatem Dei
„ velis torquere ad voluntatem tuam, sed
„ tuam corrige ad voluntatem Dei. Voluntas
„ Dei sic est quomodò regula: ecce puta tor-
„ sisti regulam, unde habes corrigi; illa au-
„ tem integra manet: regula est enim incom-
„ mutabilis. Quamdiu integra est regula, ha-
„ bes quò te convertas, & corrigas pravita-
„ tem tuam; habes unde corrigas quod in te
„ tortum est. Quid autem volunt homines?
„ Parùm est quia voluntatem suam tortuo-
„ sam habent, etiam volunt voluntatem Dei
„ tortuosam facere, secundùm cor suum".
Et Præfat. in Psalm. 124." Qui sunt, inquit,
„ recti corde? Qui voluntatem suam ad vo-
„ luntatem Dei dirigunt, non voluntatem
„ Dei ad voluntatem suam curvare conantur.
„ Breve preceptum est, ut homo dirigat cor
„ suum. Vis habere rectum cor? Tu fac quod
„ vult Deus; noli Deum velle facere quod
vis tu". Cæterùm eos qui voluntatem suam voluptati Dei conformare renuunt, sed voluntatem Dei ad suam torquere student, idem Augustinus Enarrat. in Psalm. 146. *pravicordios & torticordios* appositè nominat: ac tum subdit: " Distortum cor, pravum cor est,
„ quod non se corrigit ad Deum, & Deum
„ vult distorquere ad se. Quid ergo dicit
„ Deus desuper? *Tortus es, æquus sum: si tu rectus esses, sentires æquitatem meam*" Exemplo rem hanc illustrat Concione 2. in Psal. 31.
" Rectus est Deus, inquiens, & ideò distortum cor illi non acquiescit". Ac mox iterum:
" Quomodò distortum lignum si ponas in pa-
„ vimento æquali, non collocatur, non com-
„ paginatur, nec adjungitur, semper agita-
„ tur & nutat; non quia inæquale est ubi po-
„ suisti, sed quia distortum est quod posuisti;
„ ita & cor tuum quamdiu pravum est &
„ distortum, non potest collineari rectitudini
„ Dei; & non potest in illo collocari ut hæ-
reat illi, & fiat rectum".

CCCL. Quanta sit istorum Libertinorum perversitas unusquisque vel mediocriter sensatus facilè animadvertit. Gravissimè deliquerunt dæmones & protoplasti, ambiendo similitudinem Dei, de quâ suprà cap. 81. disseruimus: hi verò non contenti illos imitari, illisque coæquari, etiam studuerunt supergredi. Plus est enim torquere voluntatem Dei ad nutum suum, quàm excutere jugum Dei ut vivat quis ad libitum suum: quia minus est, nolle subesse, quàm velle præesse. Multi Reges terreni excusserunt jugum Cæsaris, qui tamen non eousque progressi sunt ut tentarint subigere sibi Cæsarem. Multi item Prælati Regulares excusserunt jugum Episcoporum, qui tamen se cohibuerunt à subjugatione Episcoporum. Minor fuit ambitio Pompeij *non ferentis superiorem*, quàm Cæsaris *non ferentis parem*. Obtulit Darius Alexandro, sine ulteriori pugnâ, societatem imperij; pugnare tamen maluit, quàm cedere eidem superioritatem imperij: [E] Pro componendo bello,

Vide Flor. lib 4. c. 2.

E. Diodorus Siculus lib. 17. bibliothe.

„ ait de ipso Diodorus, cùm priùs missis Le-
„ gatis, qui Alexandro terras omnes intra
„ Halym, insuperque duo talentorum millia
„ offerrent, nihil efficere potuisset; iterum &
„ alios ad eum legavit, gratias agens, quòd
„ matrem ejus captivosque alios tam honori-
„ ficè tractasset, oransque, ut initâ secum
„ amicitiâ, quicquid citra Euphratem esset, ta-
„ lentaque tria millia, & filiarum suarum al-
„ teram accipere vellet uxorem. Quòd si ob-
„ tinuerit ut generum eum habeat, tunc filij
„ sui gubernatione concessâ, se admissurum
„ quodammodò eum *in totius etiam imperij societatem*,

„*cietatem*, pollicebatur. Alexander auditis Legatis, amicorum consilium habuit, retulitque ad eos de his quæ offerrentur, ut censerent quid eligendum videretur, rogans ut fidenter unusquisque sententiam suam in medium proferret. Ibi cùm alij omnes ob rei quæsitæ magnitudinem haud satis Regi consulere auderent, Parmenio primus: *Ego*, inquit, *si essem Alexander, susciperem quæ conceduntur, fœdusque firmarem.* Cui Alexander ita respondit: *Et ego idipsum facerem quod suggeris, si essem Parmenio*: alijsque magnificis hujusmodi verbis usus, Persarum oblationem parùm æstimavit, pluris faciens nominis sui gloriam, quàm promissorum munerum valorem. Itaque Legatis hoc respondit: *Quemadmodùm Mundus nec ornatum nec ordinem suum haberet, si duo Soles essent: ita & terrarum orbis non facilè seditionum ac tumultuum expers maneret, si duo simul Reges principatum tenerent.* Idcircò jussit ut Dario renuntiarent, *Si primas tueri vellet, ad certamen pro unico rerum omnium imperio contra se properaret: sin autem gloriæ haud admodum avidus, utilitatem & quietis oblectamentum præferret, Alexandro jubenti obsequeretur; in alios potestatem regiam, quam ei amplam ipse esset concessurus, exerceret.* Misso consilio, versùs hostium castra cum exercitu est progressus". Sive igitur oculos reflectamus ad Darij oblationem, sive ad subsequentem Alexandri responsionem, planum nobis fit, ambitionem superioritatis supergredi ambitionem societatis seu æqualitatis. Etenim Darius societatem imperij obtulit, sed superioritatem cedere renuit: Alexander ex adverso societatem oblatam respuit, superioritatem affectatam tanto cum discrimine est prosecutus & assecutus. Alexandri ambitionem majorem fuisse quàm Parmenionis, tum ex hujus suggestione, tum ex illius regestione perspicuum est: nam Parmenionis ambitioni satisfieri potuit societate imperij, Alexandri autem nonnisi superioritate imperij. Planum proinde est ambitiosiores esse affectatores superioritatis, affectatoribus æqualitatis: adeoque ambitiosiores esse libertinos §. præcedenti descriptos, dæmonibus ac protoplastis cap. 81. commemoratis. Hi etenim etsi ambierint similitudinem Dei, quantum ad immunitatem à legibus cujuslibet Superioris; non tamen ambierunt Deo esse superiores: neque enim Lucifer in corde suo dixisse legitur, Dominabor Altissimo, sed *Similis ero Altissimo*: nec idem ipse protoplastis insusurravit, Eritis supra Deum, sed *Eritis sicut Dij*. At verò Libertini præcedenti §. descripti, convincuntur dicere, *Dominamur Altissimo, superiores sumus Deo.* Is enim alteri tanquam superior dominatur, ad cujus nutum voluntas alterius in quamlibet partem torquetur ac flectitur. At verò hi, de quibus loquimur, sic volunt dominari Deo, ut ad ipsorum nutum torqueatur in quamlibet partem voluntas Dei. Ipsi enim sunt *homines* illi, de quibus Augustinus proximo §. relatus ait: *Quid volunt homines? Parùm est quia voluntatem suam tortuosam habent, etiam volunt voluntatem Dei tortuosam facere, secundum cor suum.* Ipsi sunt, qui apud Irenæum ibidem relatum asserunt, *Sola opinione humanâ differre negotia bona, & mala.* Qui item apud Epiphanium ibidem aiunt, *Nihil naturâ malum esse, sed hominibus quædam putari mala.* Qui apud Julianum ibidem subjunctum affirmant, *Qui aliquod facinus exultante perpetraverit audaciâ, velut credens se ex fide facere quod malè facit, evasit culpam.* Qui denique apud Lindanum & Viretum ibidem dogmatizant, *Nihil esse peccatum, nisi eorum opinione qui se peccare putant.*

Ps. 14. 14. (margin) · Parmenio. · Alexander. · Augustinus. · Irenæus. · Epiphanius. · Iulianus. · Lindanus. · Viretus.

CCCLI. Ut autem hæc pleniùs perspiciantur, notandum est, voluntatem Dei dividi solere à Theologis, in voluntatem beneplaciti, & voluntatem signi: [F] „In Deo, inquit Divus Thomas, distinguitur voluntas propriè, & metaphoricè dicta: voluntas ejus propriè dicta vocatur *voluntas beneplaciti*: voluntas autem metaphoricè dicta est *voluntas signi*, eò quòd ipsum signum voluntatis voluntas dicitur". Et ante Thomam Magister Sententiarum: [G] „Scriptura Sacra, inquit, de voluntate Dei varijs modis loqui consuevit: & tamen non est Dei voluntas diversa, sed locutio diversa est de voluntate, quia nomine *voluntatis* diversa accipit: nam voluntas Dei verè ac propriè dicitur quæ in ipso est, & ipsius essentia est; & hæc est una, nec multiplicitatem recipit, nec mutabilitatem, quæ inexpleta esse non potest: de qua Propheta ait, *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit*: & Apostolus, *Voluntati ejus quis resistit?* Et alibi, *Ut probetis quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta.* Et hæc voluntas rectè appellatur *Beneplacitum Dei*, sive *Dispositio*. Aliquando verò secundùm quandam dicendi figuram *Voluntas Dei* vocatur quod secundùm proprietatem non est voluntas ejus: ut *Præceptio, prohibitio, consilium*, necnon *permissio*, & *operatio*: Ideoque pluraliter aliquando Scriptura *Voluntates Dei* pronuntiat. Unde Propheta, *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus*; cùm non sit nisi una voluntas Dei quæ ipse est, pluraliter tamen dicit *Voluntates*: quia *Voluntas Dei* varijs modis ac pro diversis accipitur". Quibus prænotatis subdubitari potest, quænam ex prædictis sit illa Dei voluntas, quam libertini detorquent ad suum ipsorum nutum? Respondeo Libertinos etsi non effectu, saltem

F D. Thom. 1 p. q. 19. a. 11.

G. Magister lib. 1. Sent. Dist. 45. §. 6. & 7. Vide Hugonem Victor. lib. 1 de Sacram. p. 4. c. 2. & seqq.

Psal. 134. 6. · Rom. 9. 19. · Rom. 12. 2. · Psal. 110. 2.

DVBITATIO.

EXPEDITVR.

tem affectu omnem Dei voluntatem ad suum nutum detorquere. Cùm enim ita insistant voluntati propriæ, ut eam pro primariâ operandi regulâ usurpent, consequens omninò est ut eam nulli alteri regulæ conformare, sed quamlibet aliam regulam ei potiùs collineare studeant. Quod tamen eorum studium, quantùm ad inflexionem *voluntatis beneplaciti*, irritum prórsùs est atque inane: quia, ut Augustinus ait, [H] Quantælibet sint voluntates vel Angelorum vel hominum, vel bonorum vel malorum, vel illud quod Deus vel aliud volentes quàm Deus, omnipotentis voluntas Dei semper invicta est, quæ mala esse non potest: quia etiam cùm mala irrogat, justa est; & profectò quia justa est, mala non est". Et lib. de Corrept. & Gratiâ c. 14. " Non est itaque dubitandum, inquit, voluntati Dei, *Qui in cælo & in terra omnia quæcunque voluit fecit*, & *qui* etiam illa *quæ futura sunt fecit*, humanas voluntates non posse resistere, quò minùs faciat ipse quod vult: quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, cùm vult, facit". Et Enarrat. in Psalm. 110. "Non sic constituta sunt opera Domini, ut creatura in libero arbitrio constituta superet Creatoris voluntatem, etiamsi contra ejus faciat voluntatem. Non vult Deus ut pecces, nam prohibet: tamen si peccaveris, non putes hominem fecisse quod voluit, & Deo accidisse quod noluit. Sicut enim vult ut homo non peccet, ita vult peccanti parcere, ut revertatur, & vivat; ita vult postremò in peccato perseverantem punire, ut justitiæ potentiam contumax non evadat. Ita quicquid elegeris, omnipotenti non deerit unde suam de te compleat voluntatem: *Magna* enim *opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus*". Hanc divini beneplaciti inexpugnabilem energiam Mardochæus olim agnovit & confessus est, cùm diceret Deo, *Domine Rex omnipotens in ditione tuâ cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere tuæ voluntati*. Cùm igitur tam firma ac fixa sit voluntas ista divini beneplaciti, planum est non posse eam ullo Libertinorum studio vel conatu irritam reddi, vel aliorsùm torqueri. Verax quippe est qui ait, *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet*: verax quoque est qui ait, *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum*. Nec tamen idcircò immunes sunt à culpâ, qui student torquere beneplacitum Dei ad nutum suum: nam reos facit pravus affectus, etiam cùm sequi nequit effectus. Porrò quod attinet ad *voluntatem signi*; planum est eam à Libertinis non modò torqueri, sed infringi etiam, ac proculcari: torqueri quidem, quando divina mandata velut obtorto collo in favorem illicitæ operationis trahuntur: infringi denique ac proculcari, quando subsequente executione solvuntur, violantur, pessundantur. Et de obtortione quidem notatu digna est ista Augustini sententia: [I] Nonne ista est hæreticorum cavenda calliditas, volentium convertere verba Dei à veritate propter quam dicta sunt, ad perversitatem in qua ipsi sunt"? Quàm grave porrò crimen illud sit, indicat qui ait: [K] Qui divina oracula depravant, atque ad arbitrium suum velut obtorto collo trahunt, graviùs peccant quàm ut ipsis ignosci debeat".

H August. Enchir. cap. 102. Vide lib. de Spir. & Litt. c. 31 & Ser. 43 de Diversis c. 5.

Psal. 134. 6. Isa. 45. 11. juxta 70.

Ps. 110. 2.

Esth. 13. 9.

Isa. 46. 10.

Prov. 21. 30.

I. August. de Util. Eccles. c. 13.

K. Isidor. Pelus. lib. 2. Epist. 154. Vide lib. 3. Epist. 292.

CAPUT

CAPUT XCIV.

Neotericorum quorundam, plus æquo humanis opinionibus indulgentium, Ethica memoratur, & nimiæ propinquationis ad libertinorum persuasionem mox relatam arguitur. Ad honestatem humanarum actionum sufficit his dictamen propriæ cujusque conscientiæ, probabili ratione vel authoritate subnixa, etiam relictâ opinione probabiliore, communiore, tutiore, & quidem pro articulo etiam mortis. Unici authoris suffragium sufficit eisdem ad probabilitatem authenticam, etiam contra innumeros refragatores; modò doctus sit, & rem ex professo tractarit, ratione alicujus momenti nixus, nec argumento convictivo oppressus. Probabilitas intrinseca resolvitur ab eis ultimatè in extrinsecam. Mutuò se laudare solent, ut reciprocam sibi authoritatem concilient. Alter alteri Agnus Dei tollens peccata Mundi. *Eorum scopus est arctam cæli viam dilatare. Episcopi Gandavensis de eis censura.*

CCCLII. Postulat tractationis ordo, ut hoc loco breviter perstringamus Neotericorum quorundam Ethicen, sive morum doctrinam, nimio jam successu in Ecclesia adolescentem, multigenâ librorum editione sese diffundentem, omnibus passim se opportunè importunè ingerentem, libertinis summoperè arridentem, prisco Ecclesiasticæ disciplinæ rigori non tam insidiantem quàm insultantem, suffragatorum multitudine crebrescentem, eorundemque claritudine celebrescentem: quæ humanarum opinionum dictaminibus tantùm defert sive arrogat, ut unicuique liceat afferat quicquid propria conscientia probabilitate subnixa præscripserit: [1] "Qui aliquid „ operatur, ait quispiam horum suffragato- „rum, motus ex opinione probabili, benè „ operatur, & sine peccato: quia in humanis, „ ut cum prudentia, quæ est certa regula actio- „num, operemur, non nisi probabilitas ne- „cessariò requiritur. Id quod ita certum est, „ & ita à Doctoribus comprobatum, ut no- „ strâ discussione non indigeat; etiam opinio- „ ne probabiliore relictâ, etiam omissâ tutio- „ re, etiam communi, etiam in articulo mor- „ tis: quia dum probabilitate, sive intrinsecâ „ sive extrinsecâ, quantumvis tenui, modò „ à probabilitatis finibus non exeatur, confisi, „ aliquid agimus, semper prudenter agimus". Ut autem noverimus quænam huic authori sit opinio probabilis, quænam item probabilitas intrinseca, & quænam extrinseca, præmiserat ibidem n. 1. & 2. hanc elucidationem: "Opinio probabilis est assensus intellectûs de „ aliqua re, qui nitatur ratione, vel authori- „ tate alicujus momenti; modò pro parte op- „ positâ nihil appareat convincens, quamvis „ adsit nonnulla ejusdem partis oppositæ for- „ mido. Quando ejusmodi assensus innititur „ ratione, dicitur *probabilitas intrinseca, extrinseca* quando authoritate". Juxta hunc igitur authorem, & aliós ab eo in margine citatos, ad probabilitatem sufficit ratio vel authoritas *alicujus momenti*, hoc est, alicujus ponderis quantumlibet exilis, *modò pro parte oppositâ nihil appareat convincens*, hoc est, nihil appareat ita peremptorium ut nullâ solutione possit eludi, nedum elidi. Rursùs juxta eundem sufficit probabilitas *quantumvis tenuis*, ut quis prudenter se ei in praxi conformet. Unde idem ipse author in præliminari monitione ad Lectorem ait: "Cùm sententiam quàmpiam „ probabilem, seu, quod idem est, non im- „ probabilem, in his in Decalogum libris, uti „ & alibi, appello; illud dico, eam te sine pec- „ cati scrupulo amplecti, atque in praxi sequi tutò posse". Non solùm ergo censet operantem ex sententia probabili seu *non improbabili*, quantumvis tenuiter tali, reddi *tutum*, hoc est, ab omni probabili periculo immunem; sed etiam ab omni peccati *scrupulo* liberum. Sine ullo itaque peccandi periculo, quin & scrupulo, quisque in praxi sequi poterit opinionem, quantumvis tenuiter, probabilem, *etiam opinione probabiliore relictâ, etiam omissâ tutiore, etiam communi, etiam in articulo mortis*. Rursùs idem author ibid. c. 3. §. 3. n. 4. inquirit, *An authoritas unius Doctoris sufficiat ad probabilem practicè & proximè opinionem constituendam, ita scilicet ut tutò & sine peccato ex ea ipsius in actionem prorumpamus*. Cui inquisitioni affirmativè respon-

[1] Thomas Tamburin. lib. 1. in Decalogum c. 3. § 3. n. 1

respondet ibidem n. 5 additis tamen quibusdam limitationibus, in hunc modum: " Respondeo, tunc solùm puto sufficere unum, tametsi contra innumeros Doctores is doceat; quando idem est doctus, rem ex professo tractat; firmamque rationem pro se habet, nec apparet contra ipsum aliquid convincens. Ratio est, quia ex tali authore sic vallato nascitur meritò prudens judicium ". Ubi inprimis miror hominem non advertere, vel certè dissimulare, duas postremas limitationes spectare, juxta ipsius principia mox relata, non ad probabilitatem extrinsecam sive authenticam, de quâ quærebatur; sed ad intrinsecam sive rationalem, de quâ non quærebatur. Jam enim suprà audivimus eum dicentem, quòd *opinio probabilis sit assensus intellectûs de aliqua re, qui nitatur ratione, vel authoritate alicujus momenti; modo pro parte oppositâ nihil appareat convincens*. Quando ergo author ad probabilitatem opinioni unius Doctoris conciliandam exigit, quòd is *firmam rationem pro se habeat, nec appareat contra ipsum aliquid convincens*, commiscet probabilitatem intrinsecam cum extrinsecâ, rationalem cum authenticâ: atque ita non tam solvit, quàm intricat dubitationem à se sibi propositam. Eandem quoque intricationem iterat finalibus illis verbis, *Ex tali authore SIC VALLATO nascitur meritò prudens judicium*. Quid enim est, *sic vallato*, nisi *firmâ ratione, contra quam nihil appareat convincens*, subnixo? Cæterùm si ab hoc Scriptore quæras, qualiter constare de probabilitate debeat, ut quis ei in praxi conformare se tutò queat? respondebit ibidem n. 8. " Absolutè puto satis esse in omnibus casibus, constare probabiliter opinionem esse probabilem: tunc enim satis firmabitur certa moraliter illa veritas, me in hunc ferè modum dirigens: *Ego hic & nunc prudenter operor, quia dum probabiliter puto hoc esse probabile, satis prudenter illud judicium in praxi sequor*. Nec enim quòd opposita sit evidenter probabilis, dejicit opinionem meam à sua probabilitate ". Ut ergo quis se tutò conformet opinioni cuipiam tanquam probabili, non opus est eam esse certò probabilem, sed satis fuerit eam esse probabiliter probabilem: qualis erit, si probabile sit, rationem, vel authoritatem, quâ nititur, esse *alicujus momenti*.

CCCLIII. Nolo dicere, sententiam istam per omnia coincidere cum errore libertinorum superiori capite disploso: vereor tamen, ne nimis propè accedat, atque ei revehendo aditum pandat. Gnostici §. 342. memorati dicebant, *Solâ humanâ opinione differre negotia bona, & mala*. Manichæi ibidem relati dicebant, *Qui aliquod facinus exultante perpetraverit audaciâ, velut credens se ex fide facere quod malè facit, evasit culpam*. Quintinistæ ibidem descripti dicebant, *Nihil esse peccatum, nisi eorum opinione qui se peccare putant*. Hi nostri asserunt, *Qui aliquid operatur, motus ex opinione probabili, benè operatur, & sine peccato*: Et hoc dicendo, per *opinionem probabilem* intelligunt omnem eam, quæ *nititur ratione vel authoritate alicujus momenti, modo pro parte oppositâ nihil appareat convincens*. Porrò ut ratio vel authoritas censeatur *alicujus momenti*, non necesse putant ut reipsâ sit alicujus momenti, aut ut certò quis sibi persuadeat eam esse talem; sed ut saltem probabile sit eam esse talem, neque de hâc ipsâ reflexivâ probabilitate constare volunt aliter, quàm probabiliter. Itaque ut quis tutò ac sine peccati scrupulo sententiam quampiam in praxi sequatur, sufficerit, probabile esse eam probabiliter esse probabilem. Quamvis autem plerunque distinguant probabilitatem intrinsecam seu rationalem, ab extrinsecâ seu authenticâ; priorem tamen ultimatè resolvunt in posteriorem. Cùm enim dicunt ad probabilitatem intrinsecam requiri rationem sive *firmam*, sive *alicujus momenti*: non exigunt ut reipsâ sit *firma*; vel *alicujus momenti*; sed satis esse reputant, quòd probabiliter sit talis, & quidem probabilitate extrinsecâ sive authenticâ. Ad hanc denique constituendam sufficit eis unus author doctus, etiam *contra innumeros*, qui rem ex professo tractârit. Sed quid si non certò constet hunc unum authorem doctum esse, vel materiam ex professo tractasse? Sanè juxta horum Maximas, nihil id obstabit, dummodò probabile sit eum doctum esse, & materiam ex professo tractasse: *quia dum probabilitate sive intrinsecâ sive extrinsecâ, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus*. Quid verò si extrinseca illa authoritas nitatur solùm suffragijs authorum, quos non certò constat doctos esse? etiam hoc nihil obstabit, dummodò probabile sit eos esse doctos; idque probabilitate sive intrinsecâ, sive authenticâ, *quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur*; etiam opinione probabiliore relictâ, etiam omissâ tutiore, etiam communi, etiam in articulo mortis, ubi de æternitate jacitur alea. Imò verò non opus est plurium suffragijs, sed unius authoritas sufficiet, dummodo is fuerit vel probabiliter doctus, & materiam ex professo probabiliter tractaverit. Sed quid si ille propriâ suâ duntaxat opinione sit doctus? nec hoc obstabit, dummodò probabile sit, probabilitate intrinsecâ vel extrinsecâ, eum esse doctum. Sed quomodò poterit hoc esse probabile, cùm nemo censeatur idoneus testis in suâ causâ? Etiamsi nemo sit idoneus testis in suâ causâ ad certò persuadendum, potest tamen quis esse idoneus testis in sua causâ

ad pro-

ad probabiliter suadendum. Et hoc ipsum tametsi certum non sit, probabile tamen est: idque sufficit: *quia in humanis, ut cum prudentiâ, qua est certa regula actionum, operemur, non nisi probabilitas necessariò requiritur. Id quod ita certum est, & ita à Doctoribus comprobatum, ut nostrâ discussione non indigeat.* Ex qua deductione obvium est cernere, quàm propè accedat hujusmodi authorum persuasio ad errorem istum Manichæorum superiùs ex Juliano relatum: *Qui aliquod facinus exultante perpetraverit audaciâ, velut credens se ex fide facere quod malè facit, evasit culpam.* Sunt præterea quidam ex hujusmodi opinionum laxiorum, quas ipsi vocare solent *benigniores*, patronis, qui asserunt quòd *ut actio quapiam sit peccaminosa, oportet ut procedat ab homine qui noscit & percipit quid boni malive in ea sit: & antequam id videat, aut animum reflectat, actio neque bona est, neque mala.* Sic enim habet articulus 25. inter eos quos ad requisitionem Episcopi Gandavensis anno 1657. die 5. Maij censuravit Facultas Theologica Lovaniensis. Qui profectò articulus non parùm symbolizat cum illo libertinorum dogmate suprà hìc relato: *Nihil est peccatum, nisi eorum opinione, qui se peccare putant.* Cum eodem pariter symbolizare videtur illa Tamburini assertio: [M] *Cùm tibi menti non occurrat illud esse peccatum, nec ullum dubium de indaganda veritate; iam laboras inculpabili conscientiâ, per oblivionem seu inadvertentiam: à quibus excusari operantem, perinde ac ab ignorantiâ, vinni suprà cap. 2. §. 10. n. 1.*

M Tambur. in Decalogum lib. 1. c. 1. §. 2. n. 1.

CCCLIV. Solent isti laxiorum opinionum inventores & assertores in mutuas crebrò excurrere laudes, sibique invicem accinere, *Euge, Euge.* Quod eo fine factitare videntur, ut majorem alter alteri authoritatem vicissim concilient. Cùm enim juxta ipsorum principia probabilitas opinionum crescere soleat pro claritate ac celebritate opinantium, prorumpunt ipsi in mutuas laudes, ut probabilitate augeant mutuas opiniones. Exemplo esse possunt *Caramuel*, & *Diana*; quorum prior in quâdam ad posteriorem Epistolâ sic ei scribit: [N] Quia longissimè absum ab omni adu-„ lationis genere, patere ut aliquid liberiùs & „ sinceriùs scribam. Laudant te & legunt viri „ docti; nec est in Europâ Theologus, qui „ sit studiosus, & te careat: si qui obmurmu-„ rant, docti non sunt; & tota oblocutio æmu-„ lorum pervenit ad columnas Herculeas cùm „ dicunt, *Dianam esse agnum Dei, qui abstulit pec-„ cata Mundi.* Idem ego frequenter inculco, „ ut te commendem: & ex multis locis, in „ quibus cum encomio te cito, elegit Auso-„ nius Noctinot paragraphum 1053. illum-„ que in suâ imò tuâ, doctissimâ Summâ po-„ suit, reposuitque sub initium nonæ tuarum „ Resolutionum partis. Ibi ego: *Ingenium „ Diana, viri quidem doctissimi, veneror: eius indu-„ striâ multas opiniones evasisse probabiles, quæ an-„ tea non erant, invidus sit qui non affirmet.* Si jam „ sunt probabiles, quæ antea non erant; jam „ non peccant qui eas sequuntur, licèt antè „ peccaverint: ergo si ejusmodi peccata ab or-„ be litterario *Diana* sustulit, meritò dicitur „ esse *Agnus Dei, qui abstulit peccata Mundi*". Addit præterea aliquantò inferiùs in eâdem Epistolâ de eodem *Agno Dei*, si superis placet: " Certi sumus; tanto illius dogmata Theolo-„ gorum firmari numero, ut quærenti an hoc „ aut illud liceat, sufficiat respondere, *Diana dixit*". Porrò quid *Diana* vicissim de *Caramuele* scripserit, diligenter ab eodem ipso *Caramuele* collectum habetur ad calcem ejusdem Epistolæ, ubi sic legitur: " Ut videat Lector *Cara-„ muelem* etiam redamari à *Diana*, has paucu-„ las lineas subjungo: Igitur Part. 7. Tract. „ 11. Resolut. 1. sic inquit Diana: *Nota, Le-„ ctor, quòd in tui gratiam inferiùs multas opinio-„ nes supradicti Caramuelis adducam, quia eius co-„ dex non ita facilè invenitur: & licèt aliquando suis „ opinionibus non adhæream, semper tamen illum „ honoris causâ nominatum esse volo; est enim vir „ doctissimus, & acutissimi ingenij: &, ut alias dixi, „ non solùm Scholastica & Moralis Theologia, sed „ etiam politioris literatura peritissimus. Et utinam „ amicissimus vir alios felices ingenij sui fœtus in lu-„ cem pariat*". Cætera ibidem subnexa prætereo, quibus eadem *doctissimi* & *acutissimi* epitheta ad nauseam usque inculcantur & iterantur: ut nequaquam ambigam reperiri complures, qui reciprocas illas amborum laudationes lecturi exclamabunt, [O] *Mutuum muli scabunt.* Verùm, ut anteà monui, reciproca ista præconizatio, patronis laxitatum familiaris, eò tendit, ut mutuis commentis, à communi Eruditorum sensu alienis, probabilitatem comparent, vel adaugeant. Cùm enim duplex ab eis distinguatur probabilitas, intrinseca scilicet seu rationalis, & extrinseca seu authentica; ubi vident deesse suis commentis primam, student eis procurare saltem secundam: atque in hunc finem laudant alterutrum, ut quisque eorum laudando suum laudatorem directè, laudet seipsum saltem reflexè; ac sic procuret suis opinionibus umbram quandam probabilitatis ab authoritate, quam denegari cernit à ratione. Notavit, & detestatus est hanc eorum praxin non adeò pridem Episcopus Gandavensis, in Epistola Pastorali ad clerum suæ diœcesis, post obitum ipsius editâ, adversùs laxiores quorundam sententias invehi illuc cœptas, atque à Facultate Theologicâ Lovaniensi suis singulatim notis inustas: " Expe-„ rimur, ait ipse ibi, quotidie, tantâ passim „ licentiâ novas & laxas in doctrinâ morali „ excogitari opiniones & commenta, ut vix quid-

N Caram. Epist. ad Dianam in Pendulo Theologiæ Fundam.

Diana.

O. Vide Erasmum in Adagiis Chil. 1 Cent. 7. cap. 91.

Episc. Gandens.

„ quidquam posthac illicitum futurum sit, si
„ quorundam placitis acquiescimus; nec ul-
„ lum penè præceptum, naturale aut positi-
„ vum, quod quæstuosis istorum probabili-
„ tatibus obnoxium non sit, & eludatur: us-
„ queadeò student peccata omnia fucare &
„ obvolvere, aut è medio etiam omninò tol-
Mat. 7. 14. „ lere; *arctamque* cæli *viam*, reclamante Christo
„ Domino, dilatare, ut, quantum saltem ap-
Ibid. v. 13. „ paret, commodiùs per *spatiosam* ambulent,
2. Tim 4. 3. „ quæ utinam ipsos cum sectatoribus *ad perdi-*
„ *tionem* non ducat. Et hi non solùm corruptæ
„ naturæ *prurientes aures* blanditijs suis demul-
„ cent, sed & MVTVÒ SCALPVNT, at-
„ que de adinvento aliquo vitijs prætextu,
„ tanquam de novo cæli tramite reperto, sibi
„ invicem gratulantur, & applaudunt: sic-
„ que pro innatâ homini ambitione, & existi-
„ mationis cupiditate, *coacervantur magistri*, 2. Tim. 4. 3.
„ quorum sive authoritate, sive pietatis spe-
„ cie, sive adulatione ducti, vel naturali
„ etiam propensione in vitia, honestate præ-
„ sertim vestita, seducti rudes & incauti;
„ facilè *à veritate auditum avertunt*, *ad* fallaces Ibid. v. 4.
„ autem istas *fabulas convertuntur*. Nec per-
„ pendunt, supremum Judicem Deum, non
„ ex Magistrorum istorum placitis aut com-
„ mentis, sed ex Christianæ pietatis præscri-
„ ptis regulis sententiam aliquando laturum:
„ istosque consultores tribunali tunc tempo-
„ ris non adfuturos, qui causam agant, &
„ Philosophicis suis ratiocinationibus defen-
„ dant reos, quibus, relictâ securiori viâ,
„ per minùs securam, modò commodam,
se tutò posse incedere persuaserant".

CAPVT XCV.

Neoterici laxitatum præcones imitantur priscos Iudaici populi palpones, de quibus ad eundem populum Dominus exclamat, Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. *Vtrique sunt olei venditores, quatenus falsa vel ignorata laudando præcipitant animas in ruinam, quibus vana gaudia conciliant, aliquam ab eis mercedem sive ciborum, sive pecuniæ, sive honoris, sive alicujus commodi temporalis expectantes. Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat; nec comprimit delicta, sed nutrit. Paulini Nolani querela de adulationis vitio adeò tunc invalescente, ut humanitatis ac benevolentiæ loco duceretur; & qui adulari nesciret, pro invido aut superbo haberetur. Moderni probabilitatum cusores sententias suas laxiores blandiori vocabulo appellant* benigniores: *adversarios quoque suos traducunt ut inhumanos, prærigidos, conscientiarum carnifices; necnon imperitos, eò quòd* securissimas probabilitatum semitas *repudient. Archiepiscopi Mechliniensis de Caramuelicis Scriptis Censura. De duabus humanæ conversationis vijs, arctâ scilicet & spatiosâ, pulcher Paulini discursus. In æternum stultitiæ pœna subeunda est ei, quem persona inanis, aut opinio falsa deceperit. Non secundùm humanarum opinationum vanitatem, sed secundùm divinarum præceptionum veritatem quisque judicandus est. Tam nequit humana solertia adjicere ad viam cæli digitum unum latitudinis, quàm nec ad humanam staturam cubitum unum longitudinis.*

CCCLV. NEquaquam ab heri & nudiustertius cœpit ista tentatio populi Dei: jam enim etiam veteri Hebræorum populo, ante Christianum nomen in Mundo exortum, non defuisse palpones, laxitatem adversùs divinæ legis rigorem invehere molientes, indicat ipse legis Conditor apud Prophetam
clamans: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi* Isa. 3. 12.
te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.
Quâ de re Hieronymus suprà hic §. 347. re- Hieronymus.
latus. Cui addendus Basilius in ejusdem loci
Commen-

P. Basil. in cap. 3. Isaiæ v. 12.

Commentario, ubi ait: P. Quisquis non sinit eos qui defecerunt à zelo prædecessorum, viam ingredi quæ sensu ipso inamæna est, & tristitiam parit; sed delinquentes quasi recta agentes deprędicat beatos, hic semitam pedum eorum conturbat ". Augustinus quoque hujusmodi palpones censet in Parabolâ Evangelicâ, de virginibus fatuis, signari per *venditores olei*: Q. Vendunt oleum adulatores, inquit, qui sive falsa sive ignorata laudando, animas in errorem mittunt; & eis vana gaudia tanquam fatuis conciliando, aliquam de his mercedem, sive ciborum, sive pecuniæ, sive honoris, sive alicujus commodi temporalis accipiunt: non intelligentes quod scriptum est; *Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt* ". Pulchrè admodùm & appositè Cyprianus: R. Cùm scriptum sit, inquit, *Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, & semitas pedum vestrorum turbant*: qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat; nec comprimit delicta ille, sed nutrit. At qui consilijs fortioribus redarguit simul atque instruit fratrem, promovet ad salutem: *Quos diligo*, inquit Dominus, *redarguo & castigo*. Sic oportet & Dei sacerdotem non obsequijs decipientibus fallere, sed remedijs salutaribus providere. Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum virus inclusum dum servat exaggerat ". Et Epist. 28. " Salubria nostra & vera consilia nihil promovent, dum blanditijs & palpationibus perniciosis salutaris veritas impeditur ". Hic proculdubiò benigni illi probabilitatum assertores negabunt se impedire salutarem veritatem, sed potiùs abstergere damnabilem iniquitatem. Quid enim aliud est iniquitas, quàm peccati fœditas? Hanc autem abstergit adinventa opinionum probabilitas, quatenùs per eam inducitur conscientiarum securitas. Unde *Diana*, solertissimus probabilitatum adinventor ac divulgator, meruit indigitari *Agnus Dei tollens peccata mundi*: prout proximo §. visum est. Quapropter *Caramuel* ibidem relatus applaudit eidem *Dianæ*, quòd complures opiniones reddendo probabiles, reddiderit licitas. Qui rursùs in Theologia Fundamentali nu. 275. editionis Francofordiensis, sive 451. editionis Lugdunensis, confidenter asserit, *Omnia purè probabilia esse licita*. Quinimò ibidem superiùs nu. 265. aliàs 435. præmiserat, *Omnes opiniones probabiles secundùm se sunt æquè tutæ, nimirùm si agatur de formali peccato*. Rursùs ibidem nu. 268. aliàs 441. sic ait: ". Solent aliqui angi scrupulis, & suadere, solent

Q. August. q. 59. inter 83.
Vide Paulinum Epist. 50.

R. Cyprian. lib. de Lapsis n. 16.
Vide Prosp. Epigram. 86

Apoc. 3. 19.

PRAOCCVPATIO.

Caramuel.

etiam præcipere viam tutiorem in materia probabili. At ipsi videbantur mihi non percallere probabilitatis essentiam: & ideò in Commentario meo in Regulam Divi Benedicti Disputat. 6. de Opinione probabili nu 58. & 61. duas Theses posui: Prima erat, *Omnes opiniones probabiles sunt per se æquè tutæ & securæ*. Secunda, *Benigniores, etsi aliquando sint minùs probabiles, per accidens sunt semper utiliores & securiores* ". Quo postremo loco opiniones laxiores blandiori vocabulo appellavit *benigniores*. Sed optandum foret ut Lectores tam ipsius, quàm aliorum similiter blandientium, reputarent sibi viritim dictum; quod olim Paulinus Nolanus inculcavit Celantiæ: S. Adulatorum assentationes, inquiens, & noxia blandimenta fallaciæ, velut quasdam animæ pestes fuge: nihil est quod tam facilè corrumpat mentes hominum, nihil quod tam dulci & molli animum feriat vulnere. Unde & quidam Sapiens ait, *Verba adulatorum mollia, feriunt autem interiora ventris*: & Dominus loquitur per Prophetam, *Popule meus, qui beatificant vos, seducunt vos, & semitas pedum vestrorum dissipant*. In multis, isto maximè tempore, regnat hoc vitium; quodque est gravissimum, * humanitatis ac benevolentiæ loco ducitur. Eo fit, ut qui adulari nescit, aut invidus, aut superbus putetur ". Haud aliter certè etiam hodie isti probabilitatum artifices haberi volunt humaniores, benevolentiores, benigniores: adversarios autem suos traducunt ut inhumanos, prærigidos, & conscientiarum carnifices: quin & imperitos, quòd *securissimas probabilitatum semitas* repudient: T. Magna, inquit idem Caramuel, hoc ævo *imperitorum* copia viris doctis insultat, quòd invenerint opiniones *benignas*, & per *securissimas probabilitatis semitas* homines ad cælum conducant. Nescio quis anonymus contra Jesuitas virus evomit; & tandem conclusit, ab hujusmodi Scriptorum industriâ expectari, ut tandem aliquando totus decalogus evadat in sententias probabiles. Sanè hoc non expectamus: multa enim in Decalogo tam certa & clara, ut in controversiam probabilem venire non possint; multa sunt fide sancta, multa demonstratione firma. Sed, esto hoc posset fieri: quid mali? Quid homo perderet, si esset in tali conditionis statu, in quo mereri magna incrementa gratiæ posset, peccare non posset? Existimo anonymum illum calcasse ingenium, tam stolidam periodum scripturus. Nullibi probabilitas opinionum nocere poterit: si res, de qua

S. Paulinus Epist. 50 eadem est inter Hieronymianas 14.

* astus bequilinum.

T Caram. l. 2 Theolo. Moral. Disp. 12 Hypoth. 6 n. 1313.

quâ agitur, necessaria sit necessitate præcepti, ad materiam liberam impulsu probabilitatis reducitur; si de necessitate medij, vitæ temporê urgere non potest, & in mortis articulo remissiùs obligat quàm si cognosceretur evidenter. Et ut terminos Decalogi non prætergrediar, si latum esse constaret solùm probabiliter, probabiliter solùm obstringeret, possemusque aut obedire, aut non obedire, pro arbitrij libertate".

CCCLVI. Cùm hanc *Caramuelis* doctrinam perlegissem, venit mihi in mentem Archiepiscopi Mechliniensis Decretum, anno 1655. die 18. Februarij expeditum, quo libros omnes istius authoris à sua Diœcesi proscribit, inter alias proscriptionis suæ causas allegans, " Eum varijs in locis apertè profiteri, sese ad hoc studiosè laborare, ut multarum sententiarum probabilitates introducendo, plurima faciat hominibus licita, quæ hactenùs æstimantur esse peccata; & sic viam cæli in dies latiorem & faciliorem reddat: quasi verò possit adinventionibus suis mendacem facere sermonem Euangelicum Domini nostri JESV CHRISTI, ubi ait: *Intrate per angustam portam, quia lata est porta & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam*"? Miratus præterea fui, neotericos istos laxioris Ethices procursores non modò accedere ad veterum Libertinorum sententiam, sed eorundem quoque resumere jactantiam. Ostensum quippè est superiùs § 347. *Eunomium* Hæresiarcham tentasse suo tempore invehere aut revehere libertinismum in Ecclesiam. Constat autem eundem, perinde ac modernos istos, jactasse, se novum cæli tramitem priscis incompertum reperisse, atque adeò viam vitæ ac salutis æternæ dilatasse, facilioremque reddidisse: ᵛ· Inanibus nugis, ait de ipso Basilius, sermonem suum implevit, super omnes qui unquam Dei notitiam consequi studuerunt elatus; quasi ipse novam quandam viam, & inauditam, quæ ad Deum ducat, invenisset, & quam nemo è prioribus perspexisset". Hæc ante tot annorum centurias scripsit de Eunomio, & contra Eunomium Magnus Basilius: quæ ignorans vel dissimulans Caramuel, *imperitos* vocat imitatores Basilij, *doctos* verò qui renovant insolentiam Eunomij: *Magna*, ait, *hoc ævo imperitorum copia viros doctos insultat, quòd invenerint opiniones benignas, & per securissimas probabilitatis semitas homines ad cælum conducant.* Sed profectò tam non potest humana solertia ad semitam cæli adjicere digitum unum latitudinis, quàm *non potest ad staturam hominis adjicere cubitum unum* longitudinis. Etenim qui vitæ hominis *constituit terminos qui præteriri non poterunt*, ipse constituit viæ cæli terminos qui præteriri non poterunt, ipse quoque constituit viæ tartari terminos qui contrahi non poterunt: atque adeò & illa permanet arcta, prout ab ipso constituta est; & ista perseverat spatiosa, prout ab ipso constituta est. Quisquis igitur seriam salutis suæ curam gerit, audiat potiùs quid de utrâque istâ viâ scripserit jam olim Paulinus ad Celantiam, quàm quid scribat hodie *Caramuel*, vel ab eo deprædicatus *Diana*. Verba illius sunt: ᵂ· Procul esse debemus à vitijs, dicente Apostolo: *Qui enim Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs*. Nec turbam sequamur errantem; qui se veritatis discipulos confitentur. Duas certè conversationis vias, & distincta in diversum itinera vivendi, Salvator in Euangelio ostendit: *Quàm*, inquit, *spatiosa via quæ ducit ad mortem, & multi sunt qui intrant per eam*? Et rursùm: *Quàm arcta via & angusta est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam*? Vide quanta inter has vias separatio sit, quantumque discrimen: illa ad mortem, hæc tendit ad vitam: illa celebratur & teritur à multis, hæc vix invenitur à paucis: illa enim vitijs per consuetudinem quasi declivior ac mollior, & amœna velut quibusdam floribus voluptatum, facilè ad se trahit commeantium multitudinem; hæc velut insueto calle virtutum tristior atque horridior, ab ijs tantùm eligitur, quibus non tam delectatio itineris cordi est, quàm utilitas mansionis. Asperam enim nobis & insuavem virtutum viam nimis facit vitiorum consuetudo; quæ si in partem alteram transferatur, invenietur, sicut Scriptura dicit, *semita justitiæ levis*. Ponamus ergò jam rationem vitæ nostræ, & per quam potissimùm gradiamur viam conscientiâ teste discamus. Omne enim quod agimus, omne quod loquimur, aut de latâ, aut de angustâ viâ est: si cum paucis angustum iter & subtilem quandam semitam invenimus, ad vitam tendimus; si verò multorum comitamur viam, secundùm Domini sententiam imus ad mortem. Si ergò odio atque invidiâ possidemur; si cupiditati & avaritiæ cedimus; si præsentia commoda futuris præferimus, per spatiosam viam incedimus: habemus enim ad hæc comitem multitudinem, & latè similium stipamur agminibus. Si iracundiam libidinemque explere volumus, si inju-

Archiepisc. Mechliniens.

Mat 7. 13. & 14.

v Basil. l. 2. contra Eunom. post medium.

Caram. hic supra § 311.

Mat. 6. 27.

Iob. 14. 5.

W. Paulin. Epist. 10.

Gal. 5. 24.

Prov 4. 11. Iuxta 70.

„ injuriam vindicare, si maledicenti remaledicere, & adversùs inimicum inimico animo sumus, æquè cum pluribus ferimur. „ Si vel adulamur ipsi, vel adulantem libenter audimus, si verum dicere gratiâ impedimur, & magis offendere animos hominum timemus quàm non ex animo loqui, „ de multorum item viâ sumus; tot nostri „ sunt socij, quot extranei veritatis. At è „ contrario si ab his omnibus vitijs sumus extranei, & omni cupiditate calcatâ solis studemus divites esse virtutibus, per angustam „ viam nitimur. Conversatio enim ista paucorum est, estque perrarum atque difficile „ idoneos hujus itineris comites reperire. „ Quinetiam multi hâc se ire simulant, & per „ diversa errorum diverticula ad viam multitudinis revertuntur: ideoque timendum „ est ne quos duces recti hujus itineris habere nos credimus, eos comites habeamus erroris". Hactenùs illic Paulinus: qui & ibidem post pauca subjungit: " Cesset „ omnis excusatio errorum, auferantur peccandi fœda solatia: Nihil omninò agimus, qui nos per multitudinis exempla defendimus".

CCCLVII. Quæ cùm ita sint, profectò intolerabilis est illa Caramuelis adulatio §. 354. relata, *Quærenti an hoc aut illud liceat, sufficit respondere, Diana dixit.* Neque enim in Schola Pythagoræ degimus, sed in schola Christi: qui nequaquam dixisse perhi-
Joan. 14. 6. betur, Ego sum proba. ilitas, sed *Ego sum Veritas.* Hujus magisterio didicimus, arctitudinem viæ deducentis ad vitam, & latitudinem viæ deducentis ad mortem. Porrò quod hujus magisterio didicimus, verum esse non ambigimus. Proindè quantumvis *Diana* moliatur viam cæli dilatare, vel viam perditionis angustare, non ei credimus; sed Christo potiùs acquiescimus, asseveranti, illam esse *arctam*, istam verò *spatiosam.* Qui enim illam prædicavit *arctam*, & istam *spatiosam*, Deus est, Legifer est, Veritas est: *Diana*, quantumlibet à *Caramuele* laudatus, homo purus est, legifer non est, veritas non est.
Prov. 14. 12. *Est via,* inquit Parœmiastes, *quæ videtur HOMINI justa, novissima autem eius deducunt ad mortem.* Non ait, Quæ videtur Deo justa,
Isa. 5. 20. sed *homini*: qualibus dictum est, *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* In Dei judicio non quæretur à judicandis quid dixerit *Diana*, quid *Caramuel*, aut alius quispiam talium: sed quid Christus, quid alij quivis Legislatores, & legitimi superiores. Unde
X. Lactant. l. 3. c. 13. rectè monet Lactantius: X. Ne trahamur auctoritate cujusquam, sed veritati potiùs „ faveamus & accedamus. Nullus hîc temeritati locus est: in æternum stultitiæ pœna „ subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit". Qui item superiùs in eodem libro, postquàm eas Philosophiæ partes, quæ theoriam concernunt, perstrinxisset, subdidit cap. 7. " Transeamus nunc „ ad alteram Philosophiæ partem, quam ipsi „ *Moralem* vocant; in qua totius Philosophiæ „ ratio continetur: siquidem in illâ Physicâ „ sola oblectatio est, in hâc etiam utilitas. „ Et quoniam in disponendo vitæ statu, formandisque moribus, periculo majori peccatur, majorem diligentiam necesse est „ adhiberi, ut sciamus quomodò nos oporteat vivere. Illic enim potest venia concedi, quia sive aliquid dicunt, nihil prosunt; sive delirant, nihil nocent: hîc verò „ nullus dissidio, nullus errori est locus; omnes unum sentire oportet, ipsamque Philosophiam uno quasi ore præcipere: quia „ siquid fuerit erratum, vita omnis evertitur". Nemo nescit, humanam quamcunque opinionem, eo ipso obnoxiam esse periculo erroris, quòd non transcendat limites probabilitatis. Si igitur contingat eam reipsâ errare, prout contingere potest; quisquis ei se in operando vel otiando conformaverit, opinione falsâ decipietur. Non ergò ad vitam, sed ad mortem verget, dicente Lactantio, *In æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit.* Ubi notatu dignum est, Lactantium loqui non de opinione improbabili, sed simpliciter de *falsa*: qualis potest esse ea, quæ non solùm probabilis, sed etiam inter probabiles probabilissima existit. Sicut enim opinio sive minùs probabilis, sive etiam minùs quàm probabilis, potest esse vera: ita ex adverso opinio probabilior, vel etiam probabilissima, potest esse falsa. Quamdiu ergo intra limites probabilitatis hæretur, errandi periculo non plenè obviatur. In materiâ autem morum necessariâ, prout ex Lactantio mox audivimus, *Si quid fuerit erratum, vita omnis evertitur.* Cui doctrinæ favere planè videtur Augustinus, dum enumeratis aliquot peccatorum divinæ legi adversorum generibus ait Catechumeno quem instruere satagit: Y. Cùm videris multos non „ solùm hæc facere, sed etiam defendere, „ atque suadere; tene te ad legem Dei, & „ non sequaris prævaricatores ejus. Non „ enim secundùm illorum sensum, sed secundùm illius veritatem judicaberis". Similiter quoque Gregorius Nazianzenus, cùm ei objiceretur multitudo contra eum sentientium, atque ejus vivendi modum improbantium: Z. Quid verò, inquit, mea interest, qui rei „ veritatem magis curo, imò solùm curo? „ Hoc enim vel me condemnaverit, vel ab- Y. August. l. de catechiz. Rudibus c. 21. Z Greg. Nazianz. Orat. 17.

 solverit;

„ ſolverit, hoc miſerum, vel beatum reddi-„ derit. At quid alijs videatur, nihil ad nos, „ quemadmodùm nec alienum ſomnium. *Non* „ *ita alijs videtur*, ais. Quid verò? An ijs qui „ vertigine correpti ſunt, terra fixa & ſta-„ bilis eſſe videtur? An ebrijs ſobrij integrâ „ mente eſſe, ac non potiùs in caput ince-„ dere, ac ſursùm deorsùmque moveri? An „ non quibuſdam interdum hominibus mel „ amarum eſt, nempè morbo laboranti-„ bus, maleque affectis? At non propterea „ res ita ſe habent, ut qui hoc ſtatu ſunt arbi-trantur".

CAPUT XCVI.

Novella probabilitatum perſuaſio mera eſt ignorantiarum palliatio: nec ſecurat opinionis probabilitas quem non excuſat ignorantia cacitas. Fruſtraneè ad ignorantia aſylum recurritur, cùm juris præſertim innati ſanctio temeratur. Arctiùs lex agnita, quàm ignota conſtringit. Ignorantiæ lapſus ſi non imputaret Deus juſtus, non eos ſibi ignoſci poſceret homo fidelis. Quæ à legis ignarus in eam perpetrantur, voluntaria ſunt voluntate facti, tametſi non voluntate peccati. Celeſtianorum articulus à Dioſpolitaná Synodo reprobatus, Oblivio & ignorantia non ſubjacent peccato, quoniam non ſecundùm voluntatem eveniunt, ſed ſecundùm neceſſitatem. *Ne Pelagiani quidem abnuebant culpandam eſſe ignorantiam quâ neſciat quis ſuâ negligentiâ, quod adhibitâ diligentiâ ſcire debeat. Qui opinionum probabilitati arrogant impeccantiæ ſecuritatem, langueſcere faciunt inſtantiam poſcendi notitiam veritatis. Pro ignorantiæ peccatis præſcripta fuère in lege hoſtiæ, in Evangelio offeruntur lamenta pœnitentiæ. Timoratorum conſcientiæ aſſiduis excubant vigilijs, ne opinio veriſimilis fallat, ne verſutus ſermo decipiat, ne ſe tenebræ alicujus erroris offundant; ne quod bonum eſt malum, aut quod malum eſt bonum eſſe credatur. Scholaſticorum præcipui cum Patribus cenſent, ignorantiam juris, ſaltem naturalis, non excuſare penitus à peccato, ſiquidem inflicta ſit in pœnam peccati.*

CCCLVIII Huic doctrinæ elucidandæ ſerviet ſententia Doctorum de ignorantia rerum agendarum. Ubi enim hæc excuſat à culpa, etiam probabilitas opinionis eâ ſubnixæ excuſare poterit: ſecùs ubi illa non excuſat. Quapropter quotquot cenſent, ignorantiam juris ſaltem naturalis non excuſare à culpâ operantem ex ipſa, conſequenter cenſere debent probabilitatem opinionis eâ ſubnixæ nequaquam excuſare opinantem, & ex tali ſuâ opinione quantumvis probabili operantem. Cenſent porrò illud authores claſſici, quorum ſententiam in negotio ſalutis æternæ nemo prudens contempſerit, aut contra eam operans ſecurum ſe eſſe exiſtimaverit. Ex his eſt Auguſtinus, qui apertiſſimè ait: [A] Si quis „ bonum putaverit eſſe quod malum eſt, & „ fecerit; hoc putando utique peccat. Et ea „ ſunt omnia peccata ignorantiæ, quando quis benè fieri putat, quod malè fit". Et lib. 1. de Peccatorum meritis cap. 36. " An „ nullum eſt, inquit, ignorantiæ malum, & „ ideò nec purgãdum? Et quid ait illa vox, *De-* „ *licta iuventutis & ignorantias meas ne memineris*? Pſal 24 7. „ Etſi enim damnabiliora peccata ſunt, quæ „ ab ſcientibus committuntur; tamen ſi ig-„ norantiæ peccata nulla eſſent, hoc non lege-„ remus quod commemoravi, *Delicta iuventutis & ignorantias meas ne memineris*". Et lib. 1. de Adulterinis conjugijs cap. 9. " Majus adul-„ terium eſſe quis negat, uxore non fornicante „ dimiſsâ alteram ducere, quàm ſi fornican-„ tem quis dimiſerit, & tunc alteram duxerit; „ non quia & hoc adulterium non eſt, ſed „ quia minus eſt, ubi fornicante dimiſsâ, altera

A. Auguſt. Epiſt. 154.

altera ducitur? Nam simili locutione usus etiam Jacobus Apostolus ait, *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.*

Jac. 4. 17.

Nunquid ideò non peccatum est illi, qui nescit bonum facere, & ideò non facit? Utique peccatum est: sed hoc gravius, si etiam sciat, & non faciat: nec illud ideò nullum, quia minus". Et lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 3. "Dominus, inquit, in Evangelio ait: *Servus qui nescit voluntatem Domini sui, & facit digna plagis, vapulabit pauca: servus autem qui scit voluntatem Domini sui; & facit digna plagis, vapulabit multa.*

Luc. 12. 47. & 48.

Ecce ubi ostendit graviùs peccare hominem scientem, quàm nescientem. Nec tamen ideò confugiendum est ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quisque requirat excusationem: aliud est enim nescisse, aliud scire noluisse. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur, *Noluit intelligere, ut benè ageret*: sed & illa ignorantia quæ non est eorum qui scire nolunt, sed eorum qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat; si propterea non credidit, quia non audivit omninò quod crederet: sed fortassis, ut mitiùs ardeat". Et Epist. 105. ad Sixtum: "Humana superbia, inquit, tanquam præsumens de viribus liberi arbitrij, excusatam se putat quando ignorantiæ, non voluntatis est quòd peccat. Secundùm hanc excusationem *inexcusabiles* dicit Scriptura divina quoscunque scientes peccare convincit: Dei tamen justum judicium nec illis parcit qui non audierunt: *Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.* Et quamvis se ipsi excusare videantur, non admittit hanc excusationem qui scit se *fecisse hominem rectum*; eique obedientiæ dedisse præceptum, nec nisi ejus quo malè usus est libero voluntatis arbitrio etiam quod transiret in posteros manasse peccatum. Neque enim damnantur qui non peccaverunt, quandoquidem illud *ex uno in omnes pertransijt, in quo,* ante propria in singulis quibusque peccata, *omnes* communiter *peccaverunt*. Ac per hoc inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat, sive qui judicat, sive qui non judicat: quia & ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio". Et lib. 1. operis imperfecti adversùs Julianum cap. 105. "Necesse est ut peccet, qui nesciendo quid facere debeat, quod non debet facere facit. De quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur, *Delicta juventutis meæ, & ignorantiæ meæ ne memineris.* Quod genus delictorum si non imputaret Deus justus, non ea sibi dimitti posceret homo fidelis. Unde dicit & Dei famulus Job, *Signasti peccata mea in sacculo, & annotasti si quid invitus commisi*"? Et rursùs ibidem capite proximè sequenti: "Necesse est ut peccet, à quo ignoratur justitia. Nunquid ideò, cum justitiam cognoverit, non sunt ei remittenda peccata, quæ ignorantiæ necessitate commisit"?

Psal. 35. 4.
Rom. 1. 20.
Rom. 2. 12.
Eccli. 7. 30.
Rom. 5. 12.
Vide Prosp. Sent. 109.
Job. 14. 17. juxta 70.

PRÆOCCUPATIO.

Quòd siquis huic doctrinæ opponat, non posse ea dici voluntaria, quæ ignoranter fuerint commissa: respondebit idem ipse Augustinus lib. 1. Retract. cap. 15. hisce verbis: "Qui nesciens peccavit, non incongrue tamen nolens peccasse dici potest; quamvis & ipse quod nesciens fecit, volens tamen fecit. Ita nec ipsius esse potuit sine voluntate peccatum: quæ voluntas utique sicut definita est, *Animi motus* fuit, *nullo cogente, ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscendum.* Quod enim nisi voluisset non fecisset, non coactus est facere: quia voluit ergo fecit, etiamsi non quia voluit peccavit, nesciens peccatum esse quod fecit. Ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit: sed voluntate facti non voluntate peccati. Quod tamen factum, peccatum fuit: hoc enim factum est, quod fieri non debuit". Quæ Augustini doctrina planiùs perspici poterit ex ijs quæ in eandem rem scribit Estius: qui cùm dixisset ignorantiam invincibilem juris positivi reddere actum prorsùs involuntarium sub ratione peccati, subdidit continuò: [B] "At ignorantia juris naturalis nunquam facit actum prorsùs involuntarium, etiam quâ ratione peccatum est: quia non facit ut malum prorsùs ignoretur, sed semper permittit ipsum aliquo modo sciri. Quamvis enim qui hâc ignorantiâ laborat, ignoret hoc malum quod agit, sub ratione generis, id est, nesciat esse peccatum; novit tamen sub ratione speciei, cui naturaliter & essentialiter tale genus competit. Exempli causâ, qui mentitur officiosè, putans tale mendacium esse licitum, is quidem nescit tale mendacium pertinere ad genus peccati, ideòque putat non esse peccatum: scit tamen se mentiri, & proinde actum qui essentialiter malus est, voluntariè committit. Eadem ratio est in fornicatione, usurâ, simoniâ, ac cæteris per se malis, id est, quæcunque non ideò mala sunt, quia prohibita; sed ideò prohibita atque illicita, quia mala sunt".

Vide lib. de Duabus anim. c. 10.
B Estius in 2. Dist. 22. §. 14.

CCCLIX. Augustino hac in re consonant orientales illi Antistites, qui Diospoli in Palæstinâ Synodaliter congregati, Pelagium Hæresiarcham ad proferendam in se suosque sententiam Episcopali districtione coarctarunt: quos numero quatuordecim nominatim expressos Augustinus in confirmationem

Patres Diospolitani.

Vide Aug l. 1. cont. Jul. cap. 5.

ſuæ ſententiæ adversùs Julianum Pelagianiſtam adducere non dubitavit. Coram his in Synodo, præſente Hæreſiarcha Pelagio, recitata ſuêre quædam capitula de Libro Celeſtij Hęretici excerpta, quorum unum erat, *Oblivio & ignorantia non ſubiacent peccato, quoniam non ſecundùm voluntatem eveniunt, ſed ſecundum neceſsitatem.* Finitâ recitatione,[C] Synodus dixit: „Quid ad hæc quæ lecta ſunt capitula dicit „ præſens Pelagius Monachus? Hæc enim „ reprobat Sancta Synodus, & Sancta Dei Catholica Eccleſia". Ubi videmus duo à Synodo præſtari, unum quidem per modum judicii cenſorii, alterum per formam teſtimonii. Per modum judicii cenſorij reprobat articulum præfatum, unà cùm reliquis ibidem de libro Celeſtij recitatis, dicens; *Hac reprobat Sancta Synodus*: per formam teſtimonij declarat quid Catholica Dei Eccleſia de iiſdem articulis cenſeat; ſubdens *Et Sancta Dei Catholica Eccleſia.* Quod idcircò notandum duxi, ut ſi fortè aliqui probabilitatum aſſertores renuant acquieſcere authoritati iſtius Synodi tanquam judicis, acquieſcant ſaltem authoritati Catholicæ Eccleſiæ à Synodo adductæ ſub qualitate teſtis. Non ſint obſtinatiores ipſo Pelagio, qui ibidem capitula illa ex Celeſtij libro objecta negavit quidem ſua eſſe aut ſe pro eis reſpondere teneri; nihilominùs reprobavit ea ſi non corde, ſaltem ore, dicens: *Quæ dixi non eſſe mea, ſecundùm judicium Sanctæ Eccleſiæ reprobo; anathema dicens omni contravenienti, & contradicenti Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ doctrinæ.* Unde Auguſtinus inferiùs in eodem libro poſtquàm eadem capitula recenſuiſſet, adjecit: [D] Hæc „ omnia, & ſiquæ argumentationes ad ea „ confirmanda interpoſitæ ſunt, ſua negan„tem & anathematizantem Pelagium judi„ces approbaverunt: & ideò pronuntiave„runt eum contraria Eccleſiaſticæ fidei re„probando & anathematizando damnaſſe. „ Ac per hoc quomodolibet ea Celeſtius po„ſuerit an non poſuerit, vel Pelagius ſenſe„rit aut non ſenſerit; tanta mala tam novæ „hujus hæreſis illo Eccleſiaſtico judicio dam„nata gaudeamus, & Deo gratias agamus, laudeſque dicamus". Planum igitur eſt juxta mentem tam illius Synodi, quàm Auguſtini eandem hâc ex parte approbantis, oblivionem & ignorantiam ſubjacere peccato non ſolùm quando eveniunt ſecundùm voluntatem, ſed etiam quando ſecundùm neceſſitatem. De ſolo enim poſteriori iſto caſu viguit controverſia Catholicorum cum Pelagianis, non autem de priori: neque enim alterutra pars dubitavit quin oblivio & ignorantia ſubjacerent peccato, quando eveniſſent ſecundùm voluntatem. Unde Auguſtinus alibi loquens de Pelagio, & refellens quendam ejus librum ſeu

C. Apud Auguſtin. l. de Geſtis Palæſtinis c. 19.

Pelagius.

D. Aug. l. de Geſtis Palæſtinis c. 35.

Tractatum: [E] Tractat etiam iſte, inquit, de „ peccatis ignorantiæ, & dicit *Hominem prævigilare debere ne ignoret; ideòque eſſe culpandam ignorantiam, quia id homo neſcit negligentia ſua, quod adhibita diligentia ſcire debuiſſet*: dum tamen omnia potiùs diſputet, quàm ut oret, „ & dicat, *Da mihi intellectum, ut diſcam mandata „ tua.* Aliud eſt enim non curaſſe ſcire, quæ „ negligentiæ peccata etiam per ſacrificia „ quædam legis videbantur expiari: aliud in„telligere velle, nec poſſe; & facere contra „ legem; non intelligendo quid fieri velit. „ Unde admonemur *à Deo petere ſapientiam, qui „ dat omnibus affluenter*: utique his *omnibus*, qui „ ſic petunt, & tantùm petunt, quomodò & quantùm res tanta petenda eſt". Non igitur de prioribus illis controvertebatur, qui *non curabant ſcire*: ſed de poſterioribus, qui *intelligere volebant, nec poterant; & faciebant contra legem, non intelligendo quid fieri vellet.* Qui tamen etiam ipſi non omninò dicendi ſunt non potuiſſe intelligere, ſed duntaxat ex hypotheſi quòd neglexerint ſapientiam à Deo *ſic petere, & tantùm petere, quomodo & quantùm res tanta petenda eſt.* Hanc profectò petendi inſtantiam amovere potiùs quàm promovere videntur, qui probabilitatem quantumlibet tenuem ſufficere ad ſecurè agendum arbitrantur. Quorsùm enim ſe quis fatiget petendo à Deo notitiam certam veritatis, qui ſecurum ſe reputat ductu ambiguæ probabilitatis? Neque enim ob aliud neceſſaria eſt legis gnaritas, niſi ut obtineatur benè agendi ſecuritas. Hâc proinde obtentâ per dictamen probabilitatis, ceſſabit anxietas exquirendi limam veritatis. Etenim ut ait Papa Leo, [F] Nemo ad cognitionem „ veritatis magis propinquat, quàm qui in„telligit, in rebus divinis etiamſi multùm „ proficiat, ſemper ſibi ſupereſſe quod quæ„rat. Nam qui ſe ad id, in quod tendit, per„ veniſſe præſumit, non quæſita reperit, ſed in inquiſitione deficit". Qui ergo perſuaderi ſibi ſinunt ſe per opinionum probabilitates pertigiſſe ad rectè agendi ſecuritatem, deſinent poſcere à Deo ulteriorem legis intelligentiam, præſumentes ſe jam perveniſſe ad ſecuritatis ſufficientiam. Sed non ſe decipiant, aut decipi ſinant. Audiant potiùs magnum Eccleſiæ Doctorem apertè pronuntiantem: [G] Duabus ex cauſis peccamus, aut non vi„dendo quid facere debeamus, aut non fa„ciendo quod debere fieri jam videmus, quo„rum duorum illud ignorantiæ malum eſt, „ hoc infirmitatis. Contra quæ quidem pu„gnare nos convenit, ſed profectò vincimur „ niſi divinitùs adjuvemur, ut non ſolùm vi„deamus quid faciendum ſit, ſed etiam acce„dente ſanitate delectatio juſtitiæ vincat in „nobis earum rerum delectationes, quas vel habere

E. Aug. l. de Natura & gratia c. 17.

Pelagius.

Pſal. 118. 73.

Iac. 1. 6.

F. Leo Ser. 9. de Nativitate Domini cap. 3.

G. Aug. Enchiridij cap. 81.

„ habere cupiendo, vel amittere metuendo,
„ scientes videntesque peccamus: jam non
„ solùm peccatores, quod eramus etiam tùm
„ per ignorantiam peccabamus, verùm etiam
„ prævaricatores, cùm id non facimus quod
„ faciendum jam esse novimus, vel facimus
„ quod non faciendum esse jam scimus: Qua-
„ propter non solùm si peccavimus ut ignos-
„ cat, propter quod dicimus, *Dimitte nobis de-*
Mat. 6. 12. „ *bita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nos-*
„ *tris*; verùm etiam ne peccemus ut regat,
Ibid. v. 13. „ propter quod dicimus, *Ne nos inferas in tenta-*
„ *tionem*, ille rogandus est cui dicitur in Psal-
Psalm. 26. 1. „ mo, *Dominus illuminatio mea, & salus mea*: ut
„ *illuminatio* detrahat ignorantiam, *salus* infir-
mitatem". Non ait, ut illuminatio suggerat
probabilem, sive sententiam sive conscien-
tiam: sed, *ut detrahat ignorantiam*. Nunquam
autem ignorantia legis detrahitur, quamdiu
quis ultra probabilitatum nebulas non evehi-
tur: siquidem probabilitatum nebulæ nihil
aliud sunt, quàm obvolucra ignorantiæ. Ma-
net proinde ignorantiæ obscuritas, quamdiu
non transcenditur probabilitas.

CCCLX. Audiamus nunc alios quoque
Doctores, qui cum Augustino ac cæteris præ-
memoratis censent contra Celestianos, igno-
rantiam subjacere peccato: ac inprimis Hiero-
nymum Cypriano sic scribentem ad illa Psal-
Psal. 18. 13. H. Hieron. Epist. 129. mographi verba, *Ab alienis parce servo tuo*: [H] Alie-
„ na nobis sunt vitia: quæ sæpe voluntate, in-
„ terdum ignorantiâ & errore committimus;
„ & tamen cùm non sit voluntas in crimine,
error in culpa est". Hoc ipsum fusiùs pro-
sequitur idem author in libris adversùs Pela-
gianos, quorum articulum synodaliter repro-
batum præcedenti §. memoravimus. Ex ho-
I. Apud Hieron. l. 1 contra Pelag. c. 19. rum quippe persona Critobulus ibi ait: [I] *Rogo,*
quæ est ista justitia, ut in peccato teneat erroris, cujus
reatum non habet conscientia? Nescio me peccasse,
& ejus rei quam nescio pœnas luo? Et quid plus fa-
ciam, si sponte peccavero? Cui mox respondens
Hieronymus ait sub nomine Attici: " A me
„ sententiæ & dispositionis divinæ causas re-
„ quiris? Respondet stultæ interrogationi
Eccli. 3. 22. „ tuæ liber Sapientiæ, *Altiora te ne quæsieris*" &c.
Ubi rem ipsam planè supponit, sed de ejus
justitia interrogare reputat stultum, cùm suffi-
cere homini debeat Deum sic disposuisse.
Quam Dei dispositionem postquàm ibidem
subsequenter usque ad finem libri astru-
xisset, subdidit in ipso primo capite libri se-
quentis: " Tacere tibi videor, qui tantis exem-
„ plis docere te volui, peccare hominem per
„ ignorantiam; & pro peccato, ut in lege ho-
„ stias, ita & in Euangelio offerendam pœni-
tudinem". Et rursùs ibidem cap. 2. " Jacobus
Jac. 4. 11. „ Apostolus scribit, *Si judicas legem, non es factor*
„ *legis, sed judex*. Ille judicat legem, qui dicit,
„ aliquid non justè præceptum, & ignoran-
„ tiam non habere peccatum, & frustrà offerri
„ victimas pro errore, quòd peccati non ha-
bet conscientiam". Ubi diligenter notandum
est, Hieronymum in libris istis loqui de igno-
rantia illa quam Celestiani contendebant ex-
cusare à culpa operantem ex ipsa, non autem
de ea quam unà cum Catholicis fatebantur
subjacere peccato: hoc est, de ignorantiâ *eve-*
niente secundùm necessitatem; non autem de *eve-*
niente secundùm voluntatem: prout superiori §.
visum est. Hieronymo hac in re consonat
Prosper, qui inter sententias quas de Augustini
libris excerpsit & suas fecit; hanc recensuit:
[K] Inexcusabilis est omnis peccator vel reatu K Prosper Sent. 109. Vide hic supra § 113.
„ originis, vel additamento etiam propriæ
„ voluntatis; sive qui novit, sive qui ignorat,
„ sive qui judicat, sive qui non judicat: quia
„ & ipsa ignorantia in ijs qui intelligere noluo-
„ runt, sine dubitatione peccatum est; in eis
„ autem qui non potuerunt, pœna peccati.
„ Ergò in utrisque non est excusatio, sed justa
damnatio". Idem quoque Prosper lib. de In-
gratis c. 32. sic scribit adversùs contrariæ sen-
tentiæ assertores: *Non autem rectè, nec verè di-*
cuntur, illos, Qui sunt exortes divini muneris, &
quos Gratia neglexit degentes mortis in umbra,
Peccati non esse reos, quia recta gerendi Non data
sit virtus. Author item librorum de vita con-
templativa, qui à plerisque putatur esse idem
ipse Prosper, ab alijs Julianus Pomerius, sic
scribit in hanc rem lib. 2. cap. 5. " Plerosque
„ peccandi consuetudo delectat, alios ad pec-
„ candum occasio alicujus lucri temporalis
„ invitat; fragilitas nonnullos inclinat, quos-
„ dam ignorantia boni facit nescire quòd
peccant". Eòdem quoque spectat quod de
humana voluntate loquens Fulgentius ait:
[L] Quamdiu gratiâ divini muneris non mu- L. Fulgent. lib. 1. de Verit. Prædest. cap. 20.
„ tatur, aut præcepta non intelligit, aut in-
„ tellecta contemnit, id est, aut nesciens pec-
„ cat, aut peccatum suum vitio prævaricationis
„ accumulat. De ijs igitur quos ignorantiæ
„ circumvallat obscuritas, dicitur, *Non scive-* Psalm 81. 5.
„ *runt neque intellexerunt, in tenebris ambulant*: hi,
„ sicut Apostolus dicit, *Ambulant in vanitate sen-* Eph. 4. 17. & 18.
„ *sus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum,*
„ *alienati à via Dei per ignorantiam quæ est in*
„ *illis, propter cæcitatem cordis ipsorum*. De scien-
„ tibus verò dicit, *Quia cùm cognovissent Deum,* Rom. 1. 21.
„ *non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias ege-*
runt, sed evanuerunt in cogitationibus suis". Idem
rursùs lib. 1. de Remissione peccatorum cap.
13. " Remissio peccatorum, inquit, non nisi
„ in conversione cordis sortitur effectum; in
„ illis duntaxat qui propriæ voluntatis uten-
„ tes arbitrio, divini muneris opitulatione
„ conversi; mutatâ in melius vitâ, non desi-
„ stunt ad poscendam remissionem peccato-
rum

rum currere: ad quorum perpetrationem sive nescientes ignorantia impulit, seu, quod est deterius, scientes contumacia voluntatis illexit. Propter quod Propheta orat Deum, *Delicta iuventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*: & Salvator noster ait, *Servus nesciens voluntatem Domini sui, & faciens indigna, vapulabit paucis: & servus sciens voluntatem Domini sui, & faciens indigna, vapulabit multis*". Consonat item Papa Gregorius, dum ita scribit in Moralibus: M. Crebrò peccatum aut ignorantiâ aut infirmitate perpetratur, ut vel nesciat homo quid velle debeat, vel non omne quod voluerit possit. Quò contra rectè per Psalmistam dicitur, *Dominus illuminatio mea, & salus mea*. Quia enim Dominus & scientiam præbet & virtutem, contra ignorantiam *illuminatio*, & contra infirmitatem *salus* vocatur. Hinc etiam de iniquis dicitur, *Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum*: ut scilicet per *tenebras*, quò ire debent non videant; qui etsi recta viderent, in eis tamen per *lubricum* stare non possent. Isti itaque per *lubricum* inter bona claudicant, illi per *tenebras* quæ bona sequantur ignorant". Accedit hisce Isidorus Hispalensis in sententijs, ita scribens: N Sunt qui ignoranter peccant, & sunt qui scienter: sunt etiam qui pro ignorantiæ excusatione scire nolunt, qui tamen non seipsos muniunt, sed magis decipiunt. Nescire simpliciter, ad ignorantiam pertinet; noluisse verò scire, ad contumacem superbiam: voluntatem quippe proprij domini velle nescire, quid aliud est quàm velle dominum superbiendo contemnere? Nemo igitur se de ignorantiâ excuset: quia Deus non solùm eos judicat qui à cognitione suâ se avertunt, sed etiam illos qui nescierunt". Quæ Isidori sententia planè consona est ijs quæ §. 358. ex Augustino lib. de Gratia & libero arbitrio in hanc rem allegavimus: prout patet intuenti. Addit præterea idem Isidorus ibidem inferiùs cap. 27." Sæpe quæ apud hominum judicium bona apparent, apud examen diligentissimi & acutissimi judicis reproba deteguntur: ideoque omnis Sanctus veretur, ne fortè bonum quod agit, pro aliqua animi intentione in oculis Dei reprobum sit". Exemplo esse potest Sanctus Job, qui ait Deo, *Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti*. Ignoravit nimirum Sanctus ille vir novellam doctrinam probabilitatum, quæ legis etiam naturæ violatoribus, probabili saltem opinione tametsi erroneâ subnixis, promittit securitatem. Ignorarunt quoque eandem veteres alij justi, O. Vigilijs continuis, ut Augustinus ait, excubantes, ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se tenebræ alicujus erroris offundant; ne quod bonum est malum, aut quod malum est bonum esse credatur".

Psalm 24. 7.
Luc 12 47. & 48.
M Greg lib. 19. Moral. c. 24 alijs 20. Vide Aug. hic suprà §. 358.
Psalm. 26 1.
N. Isidorus lib. 2. Sent. cap. 17.
Job. 9. 28.
O. Aug l. 19. de Civitat. cap. 28.

CCCLXI. Sed addamus prædictis Patribus Scholasticos, priùs tamen alios Patres ætati Scholasticorum viciniores: ut inprimis Anselmum Cantuariensem, qui apertè ait: P. Impotentia quæ descendit ex culpâ non excusat à culpâ impotentem, culpâ manente". Et paulò pòst iterùm de humana loquens naturâ: "Quoniam ergo, inquit, peccando deseruit justitiam, ad peccatum illi imputatur impotentia, quam ipsa peccando sibi fecit: nec solùm impotentia justitiam habendi, sed etiam impotentia illam intelligendi similiter in non baptizatis imputatur ad peccatum, quoniam pariter descendit à peccato". Quid aliud est *intelligendi justitiam impotentia*, nisi ignorantia? Hæc ergo, juxta Anselmum, à peccato non excusat, quoniam ipsa de peccato descendit. Anselmo consonat Hugo Victorinus, cùm ait: Q. Considerandum est, quòd non potest excusare illa necessitas, quam præcedens operata est voluntas. Culpa enim voluntaria pœnam meruit, pœna autem operata est infirmitatem, infirmitas verò induxit necessitatem: & idcircò quia necessitatem operata est voluntas, voluntatem ipsam excusare non potest necessitas". Eadem habet idem author in Dialogo de Sacramentis Legis naturalis & Scriptæ, & in Epistolam ad Romanos q. 49. Eòdem item collimat Bernardus, quando præmissâ divisione interioris oculi in bonum & meliorem, malum & pejorem; hunc postremum dicit malum esse dupliciter, & propterea appellari *nequam*: R. Cui quippe & malitia parit ignorantiam, & ignorantia malitiam operit: ita ut sæpe nesciens & malum quod vult non faciat, & bonum faciat quod non vult: *Obscuratum* nempe *est insipiens cor eorum* qui istiusmodi sunt; & quasi jam *traditi in reprobum sensum*, bonum omninò nec diligere, nec dignoscere queunt. De talibus scriptum est, *Impius cùm venerit in profundum malorum, contemnit*. Nam qui hujusmodi est, cavere profectò malum nec vult etiamsi possit, nec si velit scit". Et rursùs ibidem post pauca: "Sive itaque malum putes bonum quod fortè agis, sive bonum malum quod operaris, utrumque peccatum est". Idem rursùs Epist. 77. "Forsitan is, inquit, qui asserit non posse peccari per ignorantiam, nunquam pro suis ignorantijs deprecatur, sed potiùs Prophetam irridet deprecantem & dicentem, *Delicta iuventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*. Forsitan & reprehendit Deum, exigentem pro peccato ignorantiæ satisfactionem &c". His Synchronus propemodùm perhi-

P. Ansel. lib. de Concordia cap. 19.
Q. Hugo Victor. lib. 1. de Sacram. p. 7. c. 31.
Matth. 20. 15
R. Bern. lib. de Præcepto & dispens. cap. 14.
Rom. 1. 21.
Ibid. v. 28.
Prov. 18. 3.
Psalm. 24. 7.

perhibetur falsò Gratianus Decreti Compilator, atque etiam alicubi elucidator: qui disertè pronuntiat, [s] ignorantiam juris naturalis omnibus adultis damnabilem esse". Innocentius quoque tertius cap. *Per tuas nobis*, de Simonia, declarat quendam incurrisse labem simoniacam; quem tamen ignorantiâ juris lapsum testatur. Inter Scholasticos Magister Sententiarum lib. 2. Dist. 22. §. 10. docet ignorantiam eorum qui simpliciter nesciunt, neminem plenè excusare. Ad quod probandum adducit locum Augustini ex libro de Gratiâ & libero arbitrio, hic suprà §. 358. à nobis descriptum. Angelicus item Doctor in Quæstionibus Disputatis: [t] "Ignorantia illa, inquit, quâ quis ignorat ea quæ tenetur scire, non est absque peccato: tenetur autem scire quilibet ea quibus dirigatur in proprijs actibus. Unde omnis homo tenetur scire ea quæ fidei sunt, quia fides intentionem dirigit: & tenetur scire præcepta Decalogi, per quæ potest peccata vitare, & bonum facere". Rursùs lib. 3. contra Gentes cap. 160. "Quamvis illi qui in peccato sunt, inquit, vitare non possint per propriam potestatem quin impedimentum gratiæ præstent vel ponant, nisi auxilio gratiæ præveniantur: nihilominùs tamen hoc eis imputatur ad culpam, quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur". Quæ sententia planè consonat eis quæ ex Anselmo, Hugone, & Bernardo mox retulimus. Idem rursùs in Summa p. 3. q. 80. art. 4. ad 5. "Hoc, inquit, quòd non habeat aliquis conscientiam sui peccati, potest contingere dupliciter: uno modo per culpam suam, vel quia per ignorantiam juris, QVÆ NON EXCVSAT, reputat non esse peccatum quod est peccatum; puta si quis fornicator reputaret simplicem fornicationem non esse peccatum mortale: vel quia negligens est in examinatione sui, contra id quod Apostolus dicit, *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Et sic nihilominùs peccat peccator sumens Corpus Christi, licèt non habeat conscientiam peccati; quia ipsa ignorantia est ei peccatum". Et 1. 2. q. 19. art. 6. in corpore: "Si ratio errans dicat, quòd homo teneatur ad uxorem alterius accedere, voluntas concordans huic rationi erranti est mala: eò quòd error iste provenit ex ignorantia Legis Dei, quam scire tenetur". Et Gregorius Ariminensis cùm sibi objecisset, quòd *secundum omnes Doctores non imputantur homini quæ ex ignorantiâ simpliciter invincibili committuntur*: [v] "Dico, inquit, quòd istud est intelligendum de ignorantia, quæ non est peccatum, nec pœna peccati, cujus ille sit aut fuerit reus. Nam ignorantia quæ provenit homini ex peccato cujus ipse fuit reus, eum nequaquam excusat, saltem à toto". Et superiùs in Dist. 26. 27. & 28. q. 1. art. 3. paulò ante finem præmiserat: "Non omnis impotentia benè agendi excusat hominem à peccato, si non benè agat; quia non illa quæ est pœna peccati: sicut nec ignorantia quæ est pœna peccati excusat hominem à peccato, si non agat quod debet, aut agat quod non debet". Pro eâdem quoque sententia, quatenùs saltem negat ignorantiam juris naturalis excusare à culpa, allegari possunt plures alij Scholastici, qui vel generaliter negant dari ignorantiam invincibilem juris divini, sub quo comprehenditur jus naturale; vel specialiter idipsum negant de jure naturali. Cùm enim in confesso apud omnes sit ignorantiam vincibilem non excusare, planum est ignorantiam juris divini vel naturalis non excusare apud eos qui asserunt eam non dari unquam invincibilem; sed semper vincibilem esse, signanter in adultis. Tales magno numero recensentur à Vasquezio in 1. 2. Disput. 120. cap. 1. & Disp. 122. cap. 1. nominatim Albertus Magnus, Alexander Alensis, Bonaventura, Gulielmus Parisiensis, Guilielmus Antissiodorensis, Durandus, Gabriel, Gerson, Adrianus, Alphonsus à Castro: quibus addi potest Caietanus in 1. 2. q. 76. art. 4. & Ioannes Hesselius in explicatione Decalogi c. 21. Quid plura? Testatur Gerson eam sententiam esse *concordem*: [w] "Quicquid sit, inquiens, de ignorantia facti aut juris humani positivi, CONCORS EST SENTENTIA, nullam in his quæ legis divinæ sunt cadere ignorantiam invincibilem". Quod si ita est, profectò consectarium est, ut concors quoque sit sententia, eandem ignorantiam nequaquàm excusare à culpa: cùm in confesso apud omnes sit, vincibilem ignorantiam non excusare à culpâ, tametsi interdum extenuet culpam.

[s] Gratian. in cap. Forbitur 1. q. 4.

Innoc. III.

Magister.

[t] D. Thom. q. 3 de Malo art. 7. in corpore.

1. Cor. 11. 28.

[v] Gregor. Arimin. in 2. Dist. 29. q. 1. a. 2.

Albertus. Alensis. Bonavent. Guil. paris. Guil. Antissiod. Durandus. Gabriel. Gerson. Adrianus. Castrius. Cajetanus. Hesselius.

[w] Gerson lib. de vitâ spirituali Lect. 4. Coroll. 8.

CAPVT XCVII.

Quamvis humanarum opinionum dictamina nihil aliud sint quàm ignorationum symptomata, cavent tamen probabilitatum præcones sua sensa vocare ignorationes, sed blandiori nomine opinationes. *Ignorantia alia dicitur negationis, alia privationis, alia pravæ dispositionis: ad quam postremam formaliter vel æquivalenter universa spectat turma ancipitum opinionum.* Contra stimulum calcitrare *non modò* durum est, *sed & sævum. Cur verba sapientium assimilentur* stimulis, *& verba palponum* pulvillis *&* cervicalibus? *Sapiens censeri non debet, cujus sermo non pungit, sed ungit. Ignorantia pravæ dispositionis quatenùs cæteris deterior? In natura hominis sanâ non modò nulla erronea opinio, sed nec ulla penitùs fuisset opinio. Erronea opinio ita se habet in cognoscibilibus, ut monstrum in naturis corporalibus. E tribus humanæ mentis fœtibus, intelligentiâ, credentiâ, opinantiâ, primus per se ipsum consideratus sine vitio est semper, secundus nonnunquam, tertius nunquam. Usque adeò natura rationalis refugit falsitatem, & quantum potest devitat errorem, ut falli nolint etiam quicunque fallere amant. Error per seipsum in re qualibet malus semper est. Quonam sensu Augustinus dixerit, nos in quibusdam rebus nullo malo, in quibusdam etiam nonnullo bono falli? Expenditur Ecclesiastici oraculum,* Qui amat periculum, in illo peribit. *Tutius fuerit in rebus ambiguis sententiam suspendere, quàm cum erroris periculo præcipitare: Academicorum tamen, de omnibus dubitantium, hæsitantiam, civitas Dei detestatur ut dementiam. Dubitationis & opinationis discerniculum. Quòd intelligimus, debemus rationi; quòd credimus, authoritati; quòd opinamur, errori.*

CCCLXII. DVrum sanè videtur, si non etiam temeritati proximum, adversùs tot ac tantorum Tractatorum veterum pariter ac recentiorum *concordem sententiam* recalcitrando, non modò ignorantiæ excusationes in materia juris divini etiam naturalis astruere, sed impeccantiæ quoquè securitatem ignoranter delinquentibus polliceri. Astruunt tamen illas & pollicentur istam novelli probabilitatum patroni, quorum sensa cap. 94. & 95. perstrinximus. Quanquam enim ii libentiùs ac frequentiùs in suis scriptis atque colloquiis utantur nomine *opinionum*, quàm *ignorantiarum*: velint tamen nolint, coguntur fateri, opinionum quantumvis plausibilium dictamina nihil aliud esse, quàm ignorantiarum symptomata. Vt enim rectè monet Estius,[x] Distinguenda est triplex ignorantia: „ una puræ negationis, quâ nimirum aliquid „ nescitur quod non opus est sciri: altera pri„vationis, id est, quâ nescitur aliquid quod „ pro loco & tempore debet. aut convenit „ sciri: tertia pravæ dispositionis, quæ alio „ nomine error seu deceptio vocatur, quâ „ scilicet assentimur falsis tanquam veris, sive „ firmo judicio id fiat, sive opinando duntaxat". Ad hoc tertium ignorantiæ membrum directè vel consecutivè spectant omnes illæ de moribus opiniones, quibus probabilitatum præcones securitatem dirigendi humanas operationes attribuunt. Nec obstat quòd non omnis ejusmodi opinio reipsâ sit error sive deceptio, sed quædam subinde sint veræ. Nam inprimis opinantem latet veritas, siqua fortè subest: ac proinde eodem prorsùs modo se dictamini vero accommodat, ac si reipsâ abesset veritas, subesset falsitas. Ex quo ulterius fit, ut interpretativè censeatur falsitatem amplecti velle, perinde ac veritatem. Deinde cùm juxta adversariorum placita omnes opiniones probabiles sint in praxi æquè securæ: contradictoriarum autem opinionum probabilium altera haud dubiè sit falsa: con- PRÆOCCVPATIO

fectarium

[x] Estius in 2 Dist. 22. §. 7.

ſectarium omninò eſt, ut juxta ipſorum placita tam ſecura ſit opinio falſa, quàm vera; adeoque ignorantia diſpoſitionis pravæ, quàm non pravæ. Quando igitur quærunt ipſi, atque reſolvunt, an probabilis opinio præſtet opinanti ſecuritatem benè operandi; implicitè quærunt, atque reſolvunt, an probabilis ignorantia pravæ diſpoſitionis præſtet ignoranti ſecuritatem benè operandi. Reſolutio porrò ipſorum affirmativa eſt quoad illud prius: atque adeò affirmativa eſſe debet quoad iſtud poſterius. Quapropter cùm Patres & Scholaſtici præcedenti capite relati contradicant eis quoad iſtud poſterius, planum eſt eoſdem contradicere eis quoad illud prius. Cæterùm tot & tam egregijs Tractatoribus contradicentibus obluctari quid aliud eſt, quàm *contra ſtimulum calcitrare*?

Act. 9. 5 — Hoc autem, teſte Salvatore, *durum eſt*: & teſte Auguſtino, *ſævum*. Verba hujus ſunt:

1. Aug. Ser. de Verb. Apoſt. c. 5. — „[1] Sæviat, ſæviat quantùm poteſt, qui calces adverſùs ſtimulum mittit: nonne in ſeipſum ſævit"? Si ſævum eſt ſævire in alterum, quantò magis in ſeipſum? Sed quid commune prædictis Tractatoribus cum *ſtimulis*, ut eorum obluctatores dicantur *contra*

Eccl. 12. 11. — *ſtimulum calcitrare*? Audi Eccleſiaſten, *Verba Sapientium*, inquit, *ſicut ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi*. Obluctari Tractatoribus nihil aliud eſt, quàm refragari eorum verbis ſeu ſententijs: ac per hoc cùm *verba eorum ſint ſicut ſtimuli*, planum eſt refragatores horum calcitrare adverſùs ſtimulos. Sed cur verba Sapientium aſſimilantur ſtimulis, atque clavis in altum defixis? Ideò utique, interprete

2 Hieron. in c. 12 Eccleſiaſtæ. — Hieronymo, 2. Quòd in ſimilitudinem ſtimulorum corrigant delinquentes, & pigros „mortalium greſſus aculeo pungente commoveant; ſicque ſint firma, quaſi clavi „in altum ſolidumque defixi: nec authoritate unius, ſed conſilio atque conſenſu magiſtrorum omnium proferantur". Sed an addendum quod Hieronymus ibidem poſt paucula ſubdit? Addendum prorsùs, ut appareat an novelli laxitatum invectores habendi ſint in numero Sapientium: "Notandum eſt, ait ille ibi, quòd dicantur verba „Sapientium pungere, non palpare; nec „molli manu attrahere laciniam, ſed errantibus & tardis pœnitentiæ dolores & vulnus infigere. Si igitur ſermo non pungit, „ſed oblectationem facit audientibus, iſte „non eſt ſermo Sapientis; *verba* quippe *Sapientium ſicut ſtimuli*: quæ quoniam ad converſionem provocant delinquentem, & „firma ſunt, & à concilio Sanctorum data, „atque ab uno Paſtore conceſſa, & ſolidâ radice fundata ſunt. Hoc ſtimulo necdum „Paulum, ſed adhuc Saulum puto in viâ „converſum erroris audiiſſe, *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*". Scabant ergo ſe mutuò hi noſtri Probabilitatum præcones; ſit alter alteri *Agnus Dei tollens peccata Mundi*, & hic illi viciſſim *doctiſſimus & acutiſſimus*: certè Hieronymus Sapientem non reputat quemquam, *cujus ſermo non pungit, ſed oblectationem audientibus facit*: quia Eccleſiaſte atteſtante, *Verba Sapientium ſicut ſtimuli*. Cæterùm ſicut pungentia Sapientium verba comparantur ſtimulis, ita palpantia inſipientium verba comparantur pulvillis & cervicalibus, dicente Domino per Prophetam: *Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas*: A. Ad hoc, ait Papa Gregorius, pulvil- — Ezech 13. 18

A. Greg lib. 18 Moral. cap. 4. — „lus ponitur, ut molliùs quieſcatur. Quiſquis „ergo malè agentibus adulatur, pulvillum „ſub capite vel cubito jacentis ponit: ut qui „corripi ex culpa debuerat, in eâ fultus laudibus molliter quieſcat".

CCCLXIII. Ignorantia pravæ diſpoſitionis, quam probabilitatum præcones ſub nomine *opinionis* venditant, in hoc deterior eſt cæteris, quòd nunquam reperiatur ſolitaria, ſed vel utramque reliquam, vel ſaltem alterutram ſemper habeat indivulsè connexam. Nemo quippe unquam opinatur, quin ſimul careat ſcientiâ ejus rei, circa quam opinando hallucinatur. Hæc porrò ſcientia vel haberi tunc deberet, vel non deberet: ſi deberet, tunc ejus carentia eſt ignorantia privationis; ſi non deberet, tunc ejus carentia eſt ignorantia negationis. Sicut autem ignorantia privationis pejor eſt ignorantiâ puræ negationis, ita pejorem reddit opinionem ſibi cohærentem, quàm altera ſibi connexam. Turpiùs namque eſt errare vel erroris periculo ſe exponere circa id quod ſciri deberet, quàm circa id quod non deberet: ſiquidem illic contravenitur obligationi ſciendi, iſtic ſecùs. Et tamen etiam iſthæc ipſa opinatio non caret inordinatione, quantò igitur magis inordinata eſt illic? In ſtatu innocentiæ potuit eſſe, & reipsâ fuit ignorantia negationis; cùm certum ſit homines in eo ſtatu nequaquàm fuiſſe omniſcios, tametſi ſcierint omnia quæ ſcire debuerint. Ex quo planum fit ignorantiam negationis ex ſeipſa non importare inordinationem, quamvis importet carentiam majoris quidem, ſed indebitæ perfectionis: qualem carentiam habuerunt etiam Angeli in viâ, imò & habent nunc quoque in cæleſti paradiſo. At verò ignorantia tam privationis, quàm pravæ diſpoſitionis inordinata eſt, & idcircò nec in cæleſti paradiſo, nec in terreſtri ante lapſum eſſe potuit: B. Primus homo, inquit Angelicus „Doctor, ſic inſtitutus eſt à Deo, ut haberet „omnium ſcientiam in quibus homo natus eſt „inſtrui. Et hæc ſunt omnia illa, quæ virtualiter exiſtunt in primis principijs per ſe — B. D Thom. 1 p. q. 94. a. 3 in corp.

nntis; quæcunque scilicet naturaliter homines cognoscere possunt. Ad gubernationem autem vitæ propriæ & aliorum, non solùm requiritur cognitio eorum quæ naturaliter sciri possunt, sed etiam cognitio eorum quæ naturalem cognitionem excedunt; eò quòd vita hominis ordinatur ad quendam finem supernaturalem: sicut nobis ad gubernationem vitæ nostræ necessarium est cognoscere quæ fidei sunt. Unde & de his supernaturalibus tantam cognitionem primus homo accepit, quanta erat necessaria ad gubernationem vitæ humanæ secundùm statum illum. Alia verò quæ ex naturali hominis studio cognosci possunt, nec sunt necessaria ad gubernationem vitæ humanæ, primus homo non cognovit, sicut cogitationes hominum, futura contingentia, & quædam singularia; puta, quot lapilli jaceant in flumine, & alia hujusmodi ". Hinc habemus primò, nihil in illo statu ignoratum fuisse, quod sciri debuisset: adeoque ignorantiam privationis ab illo statu penitùs abfuisse. Indidem præterea habemus, ignorantiam negationis ibidem esse potuisse, imò & de facto fuisse. Ad hanc enim spectat illa nescientia cogitationum internarum, contingentium futurorum, lapillorum in flumine jacentium &c. Rursùs idem author articulo proximè sequenti removet ab eodem innocentiæ statu omnem prorsùs ignorantiam pravæ dispositionis, quatenùs ea comprehendit quamcunque falsam existimationem: "Manifestum est, inquiens, quòd sicut verum est bonum intellectûs, ita falsum est malum ejus: ut dicitur in Sexto Ethicorum. Undè non poterat esse, quòd innocentiâ manente intellectus hominis alicui falso acquiesceret quasi vero. Sicut enim in membris corporis primi hominis erat quidem carentia perfectionis alicujus, scilicet claritatis, non tamen aliquod malum inesse poterat: ita in intellectu poterat esse carentia notitiæ alicujus, nulla tamen poterat ibi esse existimatio falsa: quod etiam ex ipsâ rectitudine primi statûs apparet". Et mox iterum in fine corporis: "Manifestum est, inquit, quod rectitudo primi statûs non compatiebatur aliquam deceptionem circa intellectum". Ubi ne quis fortè suspicetur eum loqui de deceptione in specie scientiæ duntaxat, non etiam de ea quæ est per modum opinionis, notanda sunt hæc ejus alibi verba: C. Non

[C. Idem q. 18. de Verit. a. 6. in corpore.]

solùm in statu innocentiæ non potuit error esse, sed qualiscunque falsa opinio. Quod sic patet: quamvis enim in statu innocentiæ potuerit esse alicujus boni carentia, nullatenùs tamen esse poterat aliqua corruptio boni. Bonum autem ipsius intellectûs est cognitio veritatis: & ideò habitus illi, quibus intellectus perficitur ad cognoscendum verum, virtutes dicuntur, ut dicitur Sexto Ethicorum: utpote intellectûs actum bonum reddentes. Falsitas autem non solùm est carentia veritatis, sed etiam ipsius corruptio: non enim sic se habet ad veritatem ille qui omninò caret veritatis cognitione, in quo est carentia veritatis, quamvis contrarium non opinetur; & ille qui habet falsam opinionem, cujus æstimatio corrupta est per falsitatem. Unde sicut verum est bonum intellectûs, ita falsum est malum ipsius: propter quod habitus opinativus non est virtus intellectualis, quia eo contingit falsum dicere, ut dicitur Sexto Ethicorum: nullus autem actus virtutis malus esse potest, ac si ipsa opinio falsa sit quidam malus actus intellectûs. Unde cùm in statu innocentiæ non fuerit aliqua corruptio, vel aliquod malum, non potuit esse in statu innocentiæ aliqua falsa opinio. Vnde dicit etiam Commentator in tertio de anima, quod falsa opinio ita se habet in cognoscibilibus, sicut monstrum in natura corporali. Est enim falsa opinio proveniens præter intentionem ipsorum primorum principiorum, quæ sunt quasi virtutes seminales cognitionis; sicut monstra eveniunt præter intentionem virtutis naturalis agentis: & hoc ideo, quia omne malum est præter intentionem, ut dicit Dionysius quarto capite de divinis nominibus. Vnde sicut in conceptione humani corporis in statu innocentiæ nulla monstrositas accidisset, ita in intellectu hominis nulla falsitas esse potuisset". Clarum igitur est, Divum Thomam removère à statu innocentiæ non modò errorem seu deceptionem in specie scientiæ, sed etiam opinionis. Quinimò ibidem subsequenter extendit assertionem suam ad omnem prorsùs opinionem, sive falsam, sive veram. Subdit quippe continuò post verba mox relata: "Quod item patet ex hoc, quòd semper contingit inordinatio quando aliquid movetur à non proprio motivo: sicut si voluntas moveatur à delectabili sensus, cùm debeat tantummodò moveri ab honesto. Proprium autem motivum intellectûs est verum id, quod habet infallibilem veritatem: unde quandocunque intellectus movetur ab aliquo fallibili signo, est aliqua inordinatio in ipso, sive perfectè, sive imperfectè moveatur. Unde cùm nulla inordinatio in statu innocentiæ in intellectu hominis esse potuerit, nunquam intellectus hominis inclinatus fuisset magis in unam partem, quàm in aliam, nisi ab infallibili aliquo motivo. Ex quo patet, quod non solùm in eo nulla falsa opinio fuisset, sed PENITVS NVLLA OPINIO IN EO FVISSET, & quicquid cogno-

„cognovisset, secundùm certitudinem cognovisset". Habemus ergo planissimè ex Divi Thomæ sententia, removendas esse à statu innocentiæ omnes penitùs opiniones, adeoque omnem prorsùs probabilitatum usum, quoad directionem humanorum morum. Eadem quoque est sententia Richardi de Media Villa, qui loquens de homine pro statu primæ integritatis, ait: D. De ignotis nunquam al„teram partem determinatè judicasset". Consonat item Estius: E. In primo statu, „inquiens, de unaquaque re semper aut ve„rum mentis judicium futurum fuisset, ut „de rebus cognitis; aut nullum, ut de re„bus prorsùs incognitis; aut suspensum, ut „de rebus animo quidem oblatis, sed incertis aut ambiguis".

D Richard. in 2. Dist. 23. a. 1. q. 4. ad 9.

E Estius in 2. Dist. 23. §. 7. in fine.

CCCLXIV. Videmus hinc quàm caduca sint fulcra, super quibus novelli laxitatum patroni fundant eam rectè agendi securitatem, quam sequentibus probabilitatum dictamina spondent. Fulcra quippe illa sunt monstrosi fœtus humanæ mentis peccato jam corruptæ, ac per hoc inordinatæ: quales fœtus mens sana nunquam peperisset, si in primævâ suâ sanitate incolumis perstitisset. Iam enim ex Commentatore per Angelicum Doctorem approbato audivimus, *quòd falsa opinio ita se habeat in cognoscibilibus, sicut monstrum in natura corporali.* Hi autem nostri, æqualem agendi securitatem arrogant sequentibus quamcunque opinionem probabilem, sive veram, sive falsam. Ex quo fit, ut totius securitatis ab eis venditatæ fulcrum nihil aliud sit, quàm humanæ conceptionis monstrum, vel certè quidpiam æquivalens monstro. Humana quippe opinio quando falsa est, monstrum est: quando vera, monstro æquivalet, quia nihil amplius monstro præstat. Eapropter Angelicus Doctor mox relatus censet, quòd durante innocentiæ statu *non solùm nulla falsa opinio fuisset, sed penitùs nulla opinio*: & hoc ideò, quia *quandocunque intellectus movetur ab aliquo fallibili signo, est aliqua inordinatio in ipso, sive perfectè, sive imperfectè moveatur. Vnde cùm nulla inordinatio in statu innocentiæ in intellectu hominis esse potuerit, nunquam intellectus hominis inclinatus fuisset magis in unam partem, quàm in aliam, nisi infallibili aliquo motivo.* F. Tria sunt, inquit Augusti„nus, velut finitima sibimet in animis homi„num, distinctione dignissima: intelligere, cre„dere, opinari. Quæ si per seipsa considerentur, „primum semper sine vitio est, secundum „aliquando cum vitio, tertium nunquam sine vitio". Si nunquam sine vitio, nunquam ergo non vitiosum. Rursùs si nunquam non vitiosum, profectò nunquam non inordinatum, nunquam non monstrosum, nunquam non naturæ rationali dissentaneum. Etenim eodem Augustino teste, G. Usque adeò ratio„nalis natura refugit falsitatem, & quantùm „potest devitat errorem, ut falli nolint etiam quicunque amant fallere". Nec obstat quòd ibidem cap. 19. idem Augustinus subdat: "In quibusdam rebus magno, in quibusdam „parvo, in quibusdam nullo malo, in quibusdam etiam nonnullo bono fallimur". Nam ne fortè quis hâc sententiâ abutens putet errorem subinde bonum esse, aut saltem non malum, explicat se author ibidem post pauca subdendo: " Sed cùm dico: *In quibusdam re„bus nullo malo aliquem, vel nonnullo etiam bono „falli*; non ipsum errorem dico nullum ma„lum, vel nonnullum bonum: sed malum „quò non venitur, vel bonum quò venitur „errando, id est, ex ipso errore quid non „eveniat, vel quid proveniat: Nam ipse per „seipsum error, aut magnum in re magna, „aut parvum in re parva, tamen semper est „malum. Quis enim, nisi errans, malum ne„get approbare falsa pro veris, aut improbare „vera pro falsis, aut habere incerta pro certis, vel certa pro incertis"? Cum ergo error in seipso semper sit malus, profectò ejus periculo se spontaneè exponere, censeri debet malum, siquidem, *qui amat periculum, in illo peribit.* Cæterùm spontaneè sive ultroneè exponit se periculo errandi, qui absque premente necessitate prorumpit in actum opinandi: quia ambiguum ei est num actus in quem prorumpit verus sit, an falsus. Porrò non videtur unquam occurrere necessitas, quæ eum premat ad prorumpendum in ejusmodi actum; atque adeò videtur spontaneè seu ultroneè se exponere periculo errandi, quoties reipsâ prorumpit in talem actum. Probatur istud subsumptum: quia poterit quis semper & ubique elidere quamcunque pretensam necessitatem imitando homines pro statu primæ integritatis, quorum *de unaquaque re semper aut verum mentis judicium futurum fuisset, ut de rebus cognitis; aut nullum, ut de rebus prorsùs incognitis; aut suspensum, ut de rebus animo quidem oblatis, sed incertis aut ambiguis.* Qui postremo isto casu in assensum opinativum prorumpit, quâdam mentis inordinatione infectum se prodit, erroris periculo se citra necessitatem exponit, adeoque reatum erroris incurrit; temeritatis sibi notam inurit, monstrosum mentis fœtum parit, & quasi jam sufficiente notitiâ ad rectè agendum instructus studium ulterioris indagationis deponit: H. Opinari, „inquit Augustinus, duas ob res turpissimum „est: quòd & discere non potest qui sibi jam „se scire persuasit, si modò illud disci potest; „& per se ipsa temeritas non bene affecti animi signum est". De priori horum duorum recoli possunt quæ §. 359. dicta sunt; de posteriori autem quæ proximo §. ex Divo Thoma recitavimus. Quibus addi potest & illa

F. August. lib. de utilitate credendi c. 11.

G idem Enchir. c. 17

PRÆOCCVPATIO.

Eccl. 3. 27.

Vide Estii §. praeced. in fine.

H. August. l. de Utilit. credendi c. 11.

Augustini lib. 1. de Trinitate cap. 2. paraenesis:" Imbecillem mentem observata pietas sanet, ne in opinionem noxiæ falsitatis temeritas inordinata præcipitet". Unde & in libro adversùs Priscillianistas & Origenistas cap. 11. affirmat, magis culpandam esse temerariam præsumptionem, quàm cautam ignorationem. Ad cujus imitationem Ioannes Sarisberiensis, [I] Malo, inquit, cum „Academicis, si tamen alia via non pateat, „de singulis dubitare, quàm pernicio sa simulatione scientiæ quod ignotum vel absconditum est temerè diffinire". Et rursùs ibidem lib. 7. cap. 1." Academici, inquit, „vitantes præcipitium falsitatis, in eo quidem modestiores sunt, quòd defectum „suum minimè diffitentur, & in rerum ignorantia positi ferè de singulis dubitant. „Quod quidem longè tutius est, quàm incerta temerè diffinire". Et iterum capite proximè sequenti" Eò temperatiores alijs „Academici fuerunt, quòd omnem veriti „sint temerariæ diffinitionis subire notam, & præcipitium falsitatis". Addit præterea per modum querimoniæ ibidem inferiùs cap. 9."Pauci sunt qui Academicorum imitatores esse dignentur, cùm unusquisque „pro libita potiùs quàm ratione eligat quod „sequatur. Alij namque proprijs, alij Doctorum opinionibus, alij multitudinis consortio distrahuntur". Nequaquàm tamen putandus est hic author Academicorum dubitantiam in omnibus & per omnia approbare: omninò enim ea reprobanda est, quatenùs ad res evidenti ratione vel irrefragabili authoritate compertas extenditur. Vnde Augustinus: [K] Quod attinet, inquit, ad illam „differentiam, quam de Academicis novis „Varro adhibuit, quibus incerta sunt omnia, omninò civitas Dei talem dubitationem tanquam dementiam detestatur; habens de rebus, quas mente atque ratione „comprehendit, etiamsi parvam, propter „*corpus corruptibile quod aggravat animam*, quoniam sicut dicit Apostolus, *Ex parte scimus*, „tamen certam scientiam: creditque sensibus in rei cujusque evidentia, quibus per „corpus animus utitur: quoniam miserabiliùs fallitur, qui nunquam putat esse credendum. Credit etiam Scripturis sanctis „& veteribus & novis, quas *canonicas* appellamus, unde fides ipsa concepta est, *ex qua justus vivit*, per quam sine dubitatione ambulamus quamdiu peregrinamur à Domino. Quâ salvâ atque certâ, de quibusdam „rebus, quas neque sensu, neque ratione percepimus, neque nobis per Scripturam canonicam claruerunt, nec per testes quibus non credere absurdum est in nostram „notitiam pervenerunt, sine justâ reprehensione dubitamus". Vbi notandum non dici sine justa reprehensione opinamur, sed *sine justâ reprehensione dubitamus*. Hàc quippè in re permittit ut imitemur Academicos, qui nequaquàm opinabantur, sed dubitabant: volentes utique cavere errorem, cujus periculo exponuntur opinantes, non item dubitantes. Vsqueadeò enim vicinus est opinioni error, ut Augustinus scripserit: [L] . Quòd intelligimus, debemus rationi; quòd credimus, authoritati; quòd opinamur, errori". Errorem porrò *semper esse malum*, mox ex eodem Augustino audivimus.

I. Ioan. Sa. risb. l. 2. Policrat. c. 22.

K. August. lib. 19. de Civit. c. 18.

Sap. 9. 15. 1. Cor. 13. 9.

Rom. 1. 17.

L. August. Vtilit. credendi c.

C A P V T

CAPVT XCVIII.

Cohibendi sunt laxitatum buccinatores, non modò ne fallant; sed ne & ipsi pereant, & alios perdant. Christus dicendo, Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt, *non solùm terruit cæcum ducentem, sed & cæcum sequentem. Conciliatur cum hac doctrina responsum Christi ad Pharisæos*, Si cæci essetis, non haberetis peccatum. *Probabilitatum patroni, cæci sunt, quia opinantes, ac per hoc hallucinantes; & simul cæcorum duces, quia hallucinationum suarum sequacibus securitatem falsò spondentes, persuasione suâ accendunt præsumptionem, extinguunt orationem: consectaneum quippe est, ut qui se eorum ductui accommodant, ament languores suos, & pro sanitate habeant quòd ægrotare se nesciant. Cum ignorantiæ cæcitas non modò pœna sit peccati, sed subinde etiam peccatum, verendum omninò est ne probabilitatum præcones ac sectatores indidem accusentur, unde se defendi arbitrantur. Expenditur Apostoli textus*, usque ad legem peccatum erat in Mundo, peccatum autem non imputabatur cùm lex non esset. *Adduntur & alia ejusdem Apostoli loca, quibus conficitur, quædam Decalogo prodita fuisse peccata, quæ homines ignorantiâ cæcati possent putare justitias. Legis evulgandæ sc pus fuit, non ut peccatum vel insereretur, vel extirparetur, sed ut demonstraretur; quò animam humanam, quasi de innocentiâ securam, ipsâ peccati demonstratione ream argueret. Quædam peccata prodita sunt Decalogo, quæ nec suspicione quidem apparuerant, displicere Deo. Cur non statim post primum humani generis lapsum promulgarit Deus Legis Decalogum?* Lex data est, *ut gratia quæreretur; gratia data est, ut Lex impleretur. Naturæ depravatæ vitium est, ut homo peccet: Legis officium, ut homini peccatum ignoratum notificet. Expenditur Apostoli dictum*, Lex propter transgressiones posita est.

CCCLXV. SI novelli probabilitatum patroni non aliud malum sequacibus suis inferrent, quàm quòd eos in errorem immitterent, aut saltem erroris periculo exponerent; utcunque fortassis tolerandi vel dissimulandi pro isto humanæ fragilitatis statu viderentur. Sed cùm etiam hominum mores procliviter inflectant ad suas laxas opiniones, coërcendi profectò sunt, non modò ne fallant, verùm etiam ne & ipsi pereant, & alios perdant, ut impleatur in utrisque respectivè quod scrip-

Mat. 15.14. tum est, *Cæci sunt, & duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*, Quibus verbis Christus, ut observat Augustinus, M. Terret non solùm cæcum ducentem,

M. August. lib. de pers. jub. cap. 10. „ sed & cæcum sequentem: neque enim ait, „ cadit in foveam ducens, & non cadit se-„ quens; sed *cæcus cæcum ducens, ambo in foveam cadunt*". Nec est quòd sibi blandiantur in eo, quod idem ipse Christus alibi ait ducibus cæcis, *Si cæci essetis, non haberetis peccatum.* Sensus quippe est, eodem Augustino interprete: N. Si vos cæcos adverteretis, si vos „ cæcos diceretis, & ad medicum curreretis: „ si ergo ita cæci essetis, non haberetis pecca-„ tum; quia veni ego auferre peccatum. *Nunc* „ *verò dicitis, quia videmus peccatum vestrum ma-* „ *net.* Quare? Quia dicendo, *Videmus*, medi-„ cum non quæritis, in cæcitate vestrâ rema-„ netis. Hoc est ergo quod paulò antè non „ intellexeramus, quod ait, *Ego veni, ut qui* „ *non vident, videant.* Quid est, *ut qui non vident,* „ *videant*? Qui se non videre confitentur, & „ medicum quærunt, ut videant. *Et qui vident,* „ *cæci fiant*: Quid est, *Qui vident, cæci fiant*? Qui

PRÆOCCVPATIO.

Jo. 9. 41.

N Idem. Tract. 44. in Joan.

ibid.

ibid. v. 39.

ibid.

„Qui se putant videre, & medicum non quærunt, in suâ cæcitate permaneant". Non ergò à peccato immunes prædicantur, quibus dicitur, *Si cæci essetis, non haberetis peccatum*: sed potiùs ad peccati agnitionem & confessionem invitantur; ut agnito morbo ad medicum recurrant, & supplicationum instantiâ beneficium curationis implorent, & impetrent: quod nulli denegatur, *sic petenti, & tantum petenti, quomodò & quantum res tanta petenda est*, prout §. 359. indicatum est. Illud ergo, *Si cæci essetis, peccatum non haberetis*, hunc habet sensum: Si cæcos vos esse agnosceretis, peccati vestri abolitionem posceretis, & impetraretis; atque ita in peccato non maneretis, nec in sordibus sordesceretis. Attendant hæc probabilitatum præcones, & videant quanto periculo sequaces suos secum exponant. *Cæci* namque sunt ipsi, quia opinantes; & *cæcorum duces*, quia securitatem opinantibus pollicentes: atque ita pollicendo securitatem, abscondunt cæcitatem: absconsâ cæcitate extinguunt sedulitatem. Quis enim imploret opem medici, quamdiu sui inconscius est morbi? Unde de unoquoque talium malè securorum ait Prosper: [o] „In illo profundo „jacet, in quod se suâ libertate demersit. „Amat ergò languores suos, & pro sanitate „habet, quòd ægrotare se nesciat; donec pri„ma hæc medela conferatur ægroto, ut in„cipiat nosse quòd langueat, & possit opem medici desiderare, quâ surgat". Quantùm itaque ad ea quæ per ignorantiam quantumvis tenuiter probabilem tales agunt, securos se reputant: & in hac suâ securitate ita sibi applaudunt, ut dicant: [p] *Sani sumus, opus medico non habemus*. Sanos quippè se esse autumant, quia pro sanitate habent, quòd ægrotare se nesciant: cùm tamen ipsa ignorantia pravæ dispositionis quam tolerant, & morbus sit, & morborum etiam aliorum parens.

[o] Prosp. in Resp. ad capit. 6. Gallorum. Vide lib. contra Collat. cap. 9. & lib. de Ingratis c. 40.

[p] Semipelagiani apud eundem in Epist. ad Demetriadem cap. 31.

Morbus etenim est, quia naturæ vitium est: quæ natura, ut Augustinus perhibet, [q] „in tantùm sana non est, inquantùm id quod faciendum est aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet". Morborum quoque parens est, quia ut idem Augustinus superiùs hic §. 359. relatus ait; " Duabus ex causis „peccamus, aut non videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere „fieri jam videmus: quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis". De quibus duobus alibi quoque loquens: [r] „Ex „his, inquit, morborum non ubertatis, sed „indigentiæ tanquam fontibus, omnis miseria naturæ rationalis emanat". Planum proinde est ignorantiam Augustino & morbum esse, & morborum fontem sive parentem; „[s] Non itaque, ait idem ipse alibi, de suis viribus præsumat ægrotus, *quia in multitudine virtutis suæ non erit salvus*. Nam si inde præsumat, videat ne vires istæ non sint quales „solent esse sanorum, sed quales solent esse „phreneticorum; qui cùm sint insani, adeò „se sanos putant, ut nec medicum quærant". Rectè autem de hujusmodi ignorantium præsumptione ait Prosper, [t] *Unde se defendi existimat, accusatur*. Existimat quippè se defendi sive excusari probabilitate humanæ opinionis, quæ tamen vel formaliter vel saltem æquivalenter est mera ignorantia pravæ dispositionis, prout § 362. visum est. Hæc autem in rebus scitu necessarijs non tam excusat quam accusationi ipsa subjacet: [v] „Cæcitas enim cordis, ut Augustinus ait, si peccatum non esset, injustè argueretur: arguitur autem justè, ubi dicitur, *Pharisæe cæce*, „& alijs plurimis divinorum Eloquiorum lo„cis. Eademque rursùs cæcitas si peccati pœ„na non esset, non diceretur, *Excæcavit enim „illos malitia illorum*. Quod si de Dei justo ju„dicio non veniret, non legeremus, *Obscu„rentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum „semper incurva*. Quis porrò volens cæcus est „corde, cùm velit nemo cæcus esse vel corpore"? Patet igitur quâ ratione de prædictâ ignorantium præsumptione verificetur illa Prosperi sententia, *Unde se defendi existimat, accusatur*. Cui consonans Papa Gregorius in suis moralibus: [w] „Væ, inquit, etiam laudabili vitæ hominum, si remotâ pietate judi„cetur: quia districtè discussi, inde ante ocu„los judicis, unde se placere suspicatur, ob„ruitur. Unde rectè Deo per Prophetam di„citur, *Non intres in judicium cum servo tuo, „quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. „Rectè quoque per Salomonem dicitur, *Sunt „justi atque sapientes, & opera eorum in manu Dei; „& tamen nescit homo utrùm amore an odio dignus „sit, sed omnia in futurum servantur incerta*. Hinc „rursùm per eundem Salomonem dicitur, „*Quis hominum intelligere poterit viam suam*? Et „nimirùm bona malave quis faciens con„scientiâ attestante cognoscitur: sed idcircò „dicitur, quod via sua ab hominibus nescia„tur; quia etiamsi recta se quisque opera age„re intelligat, sub districto tamen examine, quò tendat, ignorat".

[q] Aug. lib. de perfect. justitiæ c. 2. Vide lib. de Nat. & Grat. plac. 30. & 31.

[r] Aug. Enchir. c. 24.

[s] August. Epist. 95 q. 1. Ps. 32. 16.

[t] Prosp. in contra Collat. cap. 13.

[v] Aug. lib. 1. Oper. imperf. c. 47. Vide lib. 5. contra Jul. cap. 3. Mat. 23. 26. Sap. 2. 21. Ps. 68. 24.

[w] Greg. lib. 9. Moral. cap. 8. Ps. 142. 2. Eccl. 9. 1. Prov. 20. 24.

CCCLXVI. Ante datam veteri Dei populo legem Moysaicam in monte Sinai, sub exitum ejusdem populi de Ægypto, plerique mortales ita peccabant etiam contra legem naturæ omnibus communem, ut peccare se nescirent: *Usque ad legem enim*, ut ait Apostolus, *peccatum erat in Mundo: peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset*: [x] „Non dixit, inquit Augustinus, Non erat; sed, *Non imputabatur*: quia lex non erat, quâ arguente demonstraretur". Et rursùs lib. 1. de peccat. Merit. c. 10. "Quid est, inquit, *Non deputabatur*, nisi,

Rom. 5. 13.

[x] August. Epist. 89. q. 2.

„ nisi, ignorabatur, & peccatum esse non pu„tabatur? Neque enim ab ipso Domino Deo „ tanquam non esset habebatur: cùm scriptum Rom. 2. 12. „sit, *Quicunque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*". Et lib. 2. de Nuptijs & concup. c. 27. " *peccatum*, inquit *non deputabatur, cùm lex non „ esset*. Erat ergo, sed *non deputabatur*, quia non „ ostendebatur quod deputaretur: sicut etiam Rom. 3. 20. alibi dicit, *Per legem cognitio peccati*". Et lib. 6. contra Iulian. c. 4." Erat quidem peccatum, „ inquit, sed non deputabatur, quia non cog„noscebatur: *per legem enim*, sicut alio loco dicit, *cognitio peccati*". Porrò ne quis putaret sermonem his locis esse de solo originali, non etiam de actuali seu personali peccato, idem ipse Augustinus lib. 2. Operis imperfecti adversùs eundem Iulianum cap. 84. sic scribit: "Apostolus quod ait, *Vsque ad legem pecca„tum in Mundo fuit*, non originale tantùm, sed omne peccatum intelligi voluit". De peccato igitur sic intellecto loquitur rursùs idem Augustinus inferiùs ibidem c. 200." Planè, „ inquiens, *Cum lex non est, non imputatur pec„catum*: sed ab hominibus, qui inscrutabilia „ judicia Dei nesciunt. Nam si Deus peccatum „ non imputat cùm lex non est, quâ tandem „justitiâ Dei, *Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*"? Et lib. Expositionis quarundam Propositionum de Epistolâ ad Romanos cap. 28. "Dicit Apostolus, inquit, manifestata esse „ peccata per legem, non autem ablata, cùm „dicit: *Peccatum non deputabatur cùm lex non esset*. „ Non enim ait, non erat, sed *Non deputabatur*. „ Neque cùm lex data est, ablatum est, sed deputari cœpit, id est, apparere". Eòdem spectat quod in libro 83. Quæstionum q. 66. affirmat, Rom. 7. 8. Rom. 5. 13. peccatum ab Apostolo dici *mortuum* & *non deputari*," quia non apparebat, antequam lege prohibente ostenderetur". Hinc rursùs lib. 1. ad Bonifacium cap. 9. collatis inter se varijs Apostoli locis eundem sensum elicit, dicens: " Quod ait Apostolus in Epistolâ ad Roma- Rom. 7. 13. „ nos, *Peccatum ut appareat peccatum, per bonum „mihi operatum est mortē*, congruit superioribus, Ibid. v. 7. „ ubi dixit, *Sed peccatum non cognovi, nisi per legē, „nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non* Rom. 3. 20. „ *concupisces*; & superiùs, *Per legem cognitio pec-* Rom. 7. 8. „ *cati*. Hoc enim & hic dixit, *Vt appareat pecca„tum*: ut illud quod dixerat, *Sine lege enim „ peccatum mortuum est*, non intelligamus, nisi, „ tanquam non sit latet, non apparet, penitùs „ ignoratur, tanquam in nescio quibus igno„rantiæ tenebris sit sepultum. Et quod ait Ibid. v. 9. „ *Ego autem vivebam aliquando sine lege*, quid ait, Ibid. „nisi vivere mibi videbar? Et quod adiunxit „*Adveniente autem mandato peccatum revixit*, quid est aliud, quàm eminuit & apparuit"? Ceterùm non agi hisce in locis de lege positivâ, sed de naturali, contentâ sive expressâ in Decalogo, docet ex professo idem Augustinus lib. de Spiritu & littera c. 8." Ne quisquam

„ putaret, inquiens, Apostolum eâ lege dixisse Rom. 3. 20. „ *neminem iustificari*, quæ in Sacramentis veteri„bus multa continet figurata Præcepta, unde „ etiam ipsa est circumcisio carnis, quam die „octavo accipere parvuli jussi sunt, continuò Ibid. „ subjunxit quam legem dixerit & ait: *Per le„gem enim cognitio peccati*. Illa igitur Lex est, de „ quâ posteà dicit, *Peccatum non cognovi, nisi per* Rom. 7. 7. „*legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex di„ceret, Non concupisces*. Nam quid aliud est, *Per legem cognitio peccati*"? Planum igitur est, sermonem esse de lege Decalogi, cujus inter præcepta unum est, *Non concupisces*. Quod ipsum uberiùs adhuc explanat inferiùs ibidem c. 14. ubi ipsius *Decalogi* per Moysen populo ministrati meminit, & de eo scriptum ab Apostolo fuisse perhibet, *Lex iram operatur: ubi enim non* Rom. 4. 15. *est lex, nec prævaricatio*: item *Vsque ad legem peccatum in Mundo erat, peccatum autem non deputabatur cùm lex non esset*: item *Per legem cognitio peccati*: ac denique, *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces*. De hac itaque Decalogi lege, præcepta juris naturalis complectente, Augustinus indubiè loquitur in omnibus locis ex ipso jam relatis; quemadmodùm etiam in Explanatione cap. 3. Epistolæ ad Galatas, ubi lo- Vide Aug. lib. de Spir. & litt. c. 38. quens de Iudæis: " Lex, inquit, ostendebat „ peccatum esse, quod illi per consuetudinem cæcati possent putare justitiam". Peccatum igitur seclusâ Decalogi promulgatione non modò non deputabatur à cæcatis peccatum, sed putari potuisset justitia. Quò spectat etiam quod idem ipse Augustinus lib. 1. ad Simpli- Vide Aug. in psal. 129. & Serm 49. de tempore cianum q. 1. perhibeat, "Legem ad hoc da„tam esse, non ut peccatum inseretetur, ne„que ut extirparetur, sed tantùm ut demon„straretur; quò animam humanam, quasi „ de innocentiâ securam, ipsâ peccati demonstratione ream faceret". Ecce quemadmodùm seclusâ legis intimatione homines reipsâ peccantes, putarant se non modò innocentes, sed & de ipsâ suâ innocentiâ securos. Quod planè notandum est contra novellos patronos probabilitatum, qui opinionum suarum sectatoribus spondent impeccantiæ securitatem. Pergit porrò ibidem paulò pòst Augustinus, subdens:" Quod ait „ Apostolus, *Sine lege peccatum mortuum est*, Rom. 7. 8. „ pro eo positum est, ac si diceret, latet, „ hoc est, mortuum putatur. Quod paulò „ pòst evidentiùs dicturus est, *Ego autem*, in- Ibid. v. 9. „quit, *vivebam sine lege aliquando*: id est, nullâ „ ex peccato morte terrebar, quia non ap- Ibid. „ parebat, cùm lex non esset: *Adveniente autem „ mandato peccatum revixit*, hoc est, apparuit: „ *Ego autem mortuus sum*, id est, mortuum me Ibid. v. 10. „ esse cognovi, vel quia reatus prævaricatio„nis certum mortis supplicium comminatur. „ Sanè quod ait, *peccatum revixit adveniente man„dato*, satis significavit hoc modo, aliquan„do vixisse peccatum, id est, notum fuisse:

,, ſicut arbitror, in prævaricatione primi ho-
,, minis, qui & ipſe mandatum acceperat. Nam
1 Tim 2. 14. ,, & alio loco dicit, *Mulier in prævaricatione ſeducta*
Rom. 5. 14. ,, *eſt*: & iterùm, *In ſimilitudinem prævaricationis*
,, *illa, qui eſt forma futuri*. Non enim poteſt re-
,, viviſcere, niſi quod vixit aliquando: ſed
,, mortuum fuerat, id eſt, occultatum, cùm
,, mortales nati ſine mandato legis homines vi-
,, verent, ſequentes concupiſcentiam carnis,
,, ſine ulla cognitione, quia ſine ulla prohibi-
tione". Et rursùs poſt pauca: "Itaque, inquit,
,, ad nihil aliud accipit legem qui non eâ legi-
,, timè utitur, niſi ut peccatum ejusquod late-
,, bat ante prohibitionem, apparere incipiat
Rom. 7. 13. ,, per prævaricationem: & hoc *ſupra modum*,
,, quia jam non ſolùm peccatum ſit, ſed etiam
,, contra mandatum. Sequitur ergo, & adjun-
,, git: *Sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum*
,, *mihi operatum eſt mortem, ut fiat ſupra modum pec-*
,, *cator aut peccatum per mandatum*. Unde manife-
,, ſtat quo ſenſu dixerit ſuperiùs, *Sine lege pec-*
Rom 7. 8. ,, *catum mortuum eſt*: non quia non erat, ſed quia
Ibidem v. 9. ,, non apparebat: & quomodò dictum ſit, *pec-*
,, *catum revixit*; non ut eſſet, quod erat & ante
,, legem; ſed ut appareret, quoniam fiebat
,, contra legem: quandoquidem hoc loco ait,
,, *Sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi*
,, *operatum eſt mortem*. Non enim ait, ut ſit pec-
catum, ſed, *ut appareat peccatum*".

CCCLXVII. Ne fortè quis autumet iſtam
Apoſtoli textus interpretationem Auguſti-
no peculiarem eſſe, non abs re fuerit indagare
quid alij etiam Interpretes de eodem Apoſ-
toli textu cenſuerint. Primus horum prodeat
Y Ambr. l. de Iacob & vita beata c. 4. Vide eundē l. 6. in cap. 7. Lucæ in fin. Ambroſius, qui ait: [Y] "Lex peccatum denun-
,, tiavit, ſed in conditione lubricâ penitùs co-
,, hibere non potuit: cognovi enim peccatum
,, quod neſciebam, cognovi concupiſcentiam
,, eſſe peccatum; & hâc occaſione, peccati æra
,, cumulata ſunt, quia peccatum quod antè per
,, ignorantiam in me mortuum videbatur re-
vixit". Et rursùs ibidem aliquantò inferiùs:
"Erat peccatum, inquit, etſi neſciebatur, ſed
,, cognitione coacervatum eſt, & quaſi incre-
,, mentum erroris aſſumpſit, atque in naturam
delicti ceſſit forma mandati". Qui rursùs lib.
,, 5. Epiſt. 41. ad Irenæum: "Sine lege, in-
,, quit, peccatum neſciebatur: & minor erat
Ioan. 15. 22. ,, culpa, ubi erat culpæ ignorantia. Unde &
,, Dominus ait, *Si non veniſſem, & locutus non*
,, *fuiſſem tis, peccatum non haberent: nunc autem ex-*
,, *cuſationem non habent de peccato*. Lata eſt ergo
,, lex, primùm ut excuſationem tolleret, ne
,, quis diceret; peccatum neſcivi, quia præ-
,, ſcriptum non erat quid caverem: deinde ut
,, omnes faceret ſubditos Deo agnitione pec-
cati". Sub ejuſdem Ambroſij nomine circum-
fertur Commentarius in Epiſtolas Paulinas,
cujus genuinus author videtur fuiſſe Hilarius
Diaconus, ab Auguſtino memoratus lib. 4. ad
Bonifacium c. 4. & paſſim jam ab eruditis dic-
tus *Ambroſiaſter*. Qui tametſi alibi ſcateat erro-
ribus, in præſenti tamen puncto conſonare vi-
detur ipſi vero Ambroſio mox relato, quate-
nùs verba iſta Apoſtoli, *Peccatum non cognovi* Rom 7. 7.
niſi per legem, exponens ſubinfert: [Z] "Non ergo Z. Ambroſiaſter in c. 7. ad Rom.
,, peccatum eſt lex, ſed index peccati. Oſten-
,, dit enim & quæ latebant peccata, & quæ im-
punè futura non eſſent apud Deum". Et mox
iterùm ad illa ſequentia verba, *Concupiſcentiam*
neſciebam niſi lex diceret: Non concupiſces: "Nō diſ-
,, crevit, inquit, concupiſcentiam hanc à pec-
,, cato, ſed miſcuit, hoc ſignificans, quia cùm
,, nec ſuſpicio quidem eſſet iſtud non licere
apud Deum, *cognovi*, inquit, *eſſe peccatum*". Et
iterùm ad illa verba ibidem ſubtexta, *Sine lege* Rom. 7. 8.
peccatum mortuum erat: "Peccatum, inquit,
,, mortuum eſſe dixit, quia putabatur quod
,, non imputaretur apud Deum: ideò apud
,, hominem erat mortuum, quaſi impunè pec-
caretur". Quæ explanatio iiſdem verbis tradi-
tur à Sedulio, qui & addit: [A] "Sine lege enim
,, penè lex in oblivionem ierat naturalis, quæ A. Sedulius in collect. ſuper cap. 7. ad Rom.
,, ſuggerebat quid eſſet peccatum: idcircò lex
,, *littera* ſuprà dicta eſt, ut commemoraret Ibid v. 6.
oblitos". Et mox iterùm ad illa verba, *Sed*
ubi venit mandatum, peccatum revixit: "In fine Ibid v. 9.
,, oblivionis, inquit, recognitum eſt peccatum
,, adveniente mandato, ut omnis qui illud fe-
,, cerit, mortuum ſe eſſe cognoſcat. *Peccatum*
,, autem *revixit*: quia vixerat per ſcientiam na-
,, turalem, & mortuum fuerat per oblivionem;
,, idcircò dicitur *revixiſſe* per legem. *Ego autem* Ibid. v. 10.
,, *mortuus ſum*. Mortuus eſt homo, qui videt ſe
,, reum apud Deum: anteà ſe putabat non fu-
,, turum obnoxium ex his quæ peccabat". Con-
,, ſonat item Primaſius: [B] "*Sine lege*, inquiens, B. Primaſius in c. 7. ad Rom.
,, *peccatum mortuum erat*, id eſt, latebat, non ap-
,, parebat, ignorabatur, mihi mortuum vide-
,, batur: vel in oblivionem ierat lex naturalis,
,, quæ oſtendebat quid eſſet peccatum; ideò
,, lex data eſt litteræ, quæ commemoraret le-
gem naturæ". Rabanus Maurus in Explana-
tione Epiſtolę ad Romanos: [C] "Dicit Apoſto-
,, lus, inquit, manifeſtata eſſe peccata per le- C. Rabanus in cap. 5 ad Rom.
,, gem, non autem ablata, cùm dicit, *Peccatum* Rom. 5. 13.
,, *non imputabatur, cùm lex non eſſet*. Non ait, non
,, erat; ſed, *Non imputabatur*. Neque cùm lex
,, data eſt ablatum eſt, ſed deputari cœpit, id
eſt, apparere". Quæ ipſiſſima ſunt Auguſtini
verba præcedenti §. relata. Idem rursùs in
Commentario cap. 7. ad Romanos, apertè aſ-
ſerit, "Legem ad hoc datam eſſe non ut pec-
,, catum infereretur, neque ut extirparetur,
,, ſed tantùm ut demonſtraretur; quò animam
,, humanam quaſi de innocentiâ ſecuram, ipſâ
peccati demonſtratione ream faceret". Quæ
ſunt pariter Auguſtini verba ſuperiori item §.
recitata. Claudius quoque Scotus, quem non-
nulli Altiſſiodorenſem, alij Taurinenſem fa-
ciunt Epiſcopum, cujus in Epiſt. ad Galatas
Commen-

Commentarios extat in Bibliotheca Patrum: „ D Non ergo lex data est, inquit, ut peccatum auferret, sed ut sub peccato omnia concluderet. Lex enim ostendebat esse peccatum, quod illi (*Iudæi*) per consuetudinem cæcati possent putare justitiam: ut hoc modo humiliati cognoscerent non in sua manu esse salutem suam, sed in manu Mediatoris". Quæ sententia ex Commentario Augustini in caput 3. Epistolæ ad Galatas verbatim transcripta est. Consonat item Haymo: E *peccatum non cognovi*, inquit, *nisi per legem*, id est, pœnam & vindictam peccati non cognovi, nisi per legem quæ punit peccata: vel etiam quædam mala opera non cognoscebam quòd peccata essent, usquequo lex venit. Erant enim quædam peccata, quæ non putabantur ante legem esse peccata: sicut erat peccatum concupiscentiæ, de quo Apostolus subjungit: *Nam concupiscentiam*, libidinis, & aliarum malarum rerum *nesciebam*, subaudi, peccatum esse, *nisi lex diceret, Non concupisces*. Per concupiscentiam enim intelliguntur & alia quamplura peccata, quæ ante legem ignorabantur esse peccata, vel quâ pœnâ digna essent". Consonat quoque author Commentarii in Paulinas Epistolas Anselmo attributi, cùm ita scribit: F Ait Apostolus, quia *Usque ad legem peccatum erat in Mundo*: & addidit, *peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset*. Non dixit, non erat; sed, *Non imputabatur*, id est, ignorabatur, & peccatum esse non putabatur. Neque enim à Domino Deo, tanquam non esset, habebatur; sed ab hominibus cæcis nesciebatur, quia non erat lex, quâ arguente demonstraretur; sive lex rationis in parvulis, sive lex litteræ in populo". Et rursus inferiùs in caput 7. ejusdem Epistolæ: " Loquitur Apostolus voce humani generis: lex non est peccatum, sed index peccati: quia *Peccatum*, inquit, *non cognovi, nisi per legem*. Quare Intelligimus, legem ad hoc datam esse, non ut peccatum infereretur, neque ut extirparetur, sed tantùm ut demonstraretur; quatenùs animam humanam, quasi de innocentiâ securam, ipsâ demonstratione peccati ream faceret ". Addi his potest Divus Thomas in Commentario ejusdem Paulinæ Epistolæ, dicens: G Quamvis lex peccatum non auferret, peccati tamen cognitionem fecit, quod anteà non cognoscebatur. Unde subdit Apostolus, *Peccatum autem non imputabatur cùm lex non esset*. Quod quidem planum est si intelligatur de lege naturali: quamvis enim peccatum originale sit in parvulo ante legem naturalem, & reputetur ei à Deo, non tamen imputatur ei apud homines. Si autem intelligatur de lege Moysi, planum est quantùm ad aliqua peccata actualia, quòd non imputabantur ante legem; sicut illa quæ specialiter sunt per legem prohibita, quæ homines peccata non reputabant, sicut quod dicitur Exodi 20. *Non concupisces* &c." Qui rursùs inferiùs in c. 7. ejusdem Epistolæ lect. 2. verba illa Apostoli, *Cùm venisset mandatum, peccatum revixit*," Intelligi posse, ait, quantùm ad cognitionem hominis, qui incœpit cognoscere peccatum in se esse, quod priùs non cognoverat: Hieremiæ 31. *Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum: confusus sum, & erubui*".

D Claudius Scotus in c. 3. ad Galat.

E Haymo in cap. 7. ad Romanos.

F Anselmo. Bettin c. 5. ad Roman.

G D. Thom. in cap. 5 ad Rom. lect. 6.

Vide eund. 1. 2. q. 98. a. 1. ad 2.

Hier. 31. 19

CCCLXVIII. Quamvis apud omnes unius veri Dei cultores veraciter Catholicos indubitanter verum sit, quod in Ecclesiaste scriptum legitur de Deo, *Cuncta fecit bona tempore suo*: nihilominùs Catholici Tractatores, non quidem dubitandi, sed tamen elucidandi, atque infidelibus obviandi gratiâ discutiunt, Num lex Moysaica opportuno tempore data fuerit? In cujus discussionis decursu inquirunt, Cur non statim ab initio post lapsum humani generis, sed demùm tempore Moysis data sit? Cujus quæstionis communem ac veram solutionem, præsenti nostro scopo percommodam Angelicus Doctor his verbis expressit ac tradidit H. Convenientissimè lex vetus data fuit tempore Moysis. Cujus ratio potest accipi ex duobus, secundùm quod quælibet lex duobus generibus hominum imponitur: Imponitur enim quibusdam duris & superbis, qui per legem compescuntur & domantur: imponitur etiam bonis, qui per legem instructi adjuvantur ad implendum quod intendunt. Conveniens igitur fuit, tali tempore legem veterem dari, ad superbiam hominum convincendam. De duobus enim homo superbiebat, scilicet de *Scientiâ*, & de *Potentiâ*: de scientiâ quidem, quasi ratio naturalis ei posset sufficere ad salutem: & ideò, ut de hoc ejus superbia convinceretur, permissus est homo regimini suæ rationis, absque adminiculo legis scriptæ; & experimento homo discere potuit quòd PATIEBATUR RATIONIS DEFECTUM, per hoc, quod homines usque ad idololatriam, & turpissima vitia, circa tempora Abrahæ sunt prolapsi: & ideò post hæc tempora fuit necessarium legem scriptam dari in remedium humanæ ignorantiæ, quia per *legem est cognitio peccati*, ut dicitur Rom. 3. Sed postquam homo est instructus per legem, convicta est ejus superbia de infirmitate, dum implere non poterat quod cognoscebat: & ideò, sicut Apostolus concludit ad Rom. 8. *Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, misit Deus Filium suum, ut justificatio legis impleretur in nobis*. Ex parte verò bonorum, lex data est in auxilium; quod quidem tunc maximè populo necessarium fuit, quando lex naturalis OBSCURARI

Eccle. 3. 11.

H D. Thom. 1. 2. q. 98. a. 6. in Corp. Vide eund. 3. p. q. 1. a. 5. in Corpore & in c. 3. ad Galat. lect. 7.

Rom. 3. 20.

Rom. 8. 3.

incipiebat propter exuperantiam peccatorum. Oportebat enim hujusmodi auxilium quodam ordine dari, ut per imperfecta ad perfectionem manuducerentur: & ideò inter legem naturæ, & legem gratiæ, oportuit legem veterem dari". Hinc apertè habemus, legem Decalogi reservatam fuisse de industriâ in illud tempus, quo lex cordibus naturaliter insita *deficere*, & *exuperantiâ peccatorum obscurari jam cœperat*. Unde Idem Sanctus Doctor ibidem in responsione ad primum subdit: " Dicendum quòd statim post peccatum primi hominis non competebat legem veterem dari: tum quia nondum homo recognoscebat se eâ indigere, de suâ ratione confisus; tum quia adhuc dictamen legis naturæ nondum erat obtenebratum per consuetudinem peccandi". Pridem ante Divum Thomam Hugo Victorinus eandem rationem non datæ legis ab initio humani lapsûs, sed dilatæ usque ad Moysaica tempora, assignaverat: I. Hoc factum est, inquiens, ut homo morbum infirmitatis suæ agnosceret, & gratiam sibi necessariam imploraret. In lege enim naturali relictus est sibi, ut sic vires naturæ experiretur: & convictus est de ignorantia, & confessus est, *quia defecit lumen oculorum suorum*. Adhuc tamen credebat se habere virtutem, quâ possit implere quicquid necessarium ad salutem erat: unde & dicebat, *Non deest qui impleat, sed deest qui jubeat*; quasi diceret, *Cognitione, non virtute indigeo*. Data est igitur lex, quæ ignorantiam illuminaret, sed infirmitatem non adjuvaret; quæ peccatum detexit, sed non consumpsit. Quâ datâ, invaluit morbus, & aucta est concupiscentia; non legis, sed naturæ vitio, & instantiâ diaboli: ut ita cognitâ utriusque legis insufficientiâ, & suâ infirmitate, clamaret ad Medicum, & quæreret gratiæ auxilium. Et sic *multiplicatis infirmitatibus acceleraverunt* ad Medicum, qui veniens in formâ servi sanavit vulnera languidi". Quæ doctrina nequaquam ab isto authore primùm excogitata, sed de limpidissimis Augustini fontibus hausta est, qui ait: K. Non ergo lex data est ut peccatum auferret, sed ut sub peccato omnia concluderet. Lex enim ostendebat peccatum esse, quod illi per consuetudinem cæcati possent putare justitiam: ut hoc modo humiliati, cognoscerent, non in suâ manu esse salutem suam, sed in manu Mediatoris: maximè quippe humilitas revocat, unde nos dejecit superbia". Huc etiam spectat ista Prosperi, ex eodem Augustino decerpta, sententia: L. Lex data est, ut gratia quæreretur; gratia data est, ut lex impleretur. Neque enim suo vitio non implebatur, sed vitio prudentiæ carnis: quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit". Tempore itaque legis naturæ viguit vitium, sub prudentia carnis; sed ignorabatur, & ideò ad Medicum pro ejus curatione non currebatur: quia homines ægri pro sanitate habebant, quòd ægrotare se nescirent. Accessit posteà lex, morbum non sanatura, sed proditura: ut detecto ulcere, ægrum faceret quærere antidotum. Unde ait Fulgentius: M. Ut ordinem suæ curationis Sapientia Dei sapienter expleret, priùs dedit præceptum per legem justitiæ, quo suam infirmitatem ægrotus agnosceret; daturus effectum per gratiam, quo infirmus suæ infirmitatis salubriter conscius, non jam confidens in virtute suâ intumesceret, sed ipsum fontem vitæ salutisque cognoscens, ab ipso sibi sanitatis beneficium postularet: nec suam iactans superbo corde justitiam, sic se putaret alienum à morbo, tanquam non egeret curationis auxilio". Præmiserat idem author superiùs lib. 1. ejusdem Operis cap. 20. hanc sententiam eòdem spectantem: " Lex sine gratiâ ostendere potest ægritudinem, non sanare: vulnera monstrat, medicamina non ministrat: ut autem legis impleatur præceptum, gratia ministrat auxilium; ac sic lex revelat culpam, gratia confert indulgentiam. Legis est igitur, quòd peccata cognoscimus: gratiæ, quòd vitamus. Dicit enim Apostolus, *Peccatum non cognovi, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces*. De gratia quoque ait, *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum*. Naturæ itaque depravatæ vitium est, ut homo peccet: legis officium, ut homini peccatum, quod ignorat, demonstret: gratiæ verò donum est, ut hominis vitium sanet, quod sibi culpa intulit, & legis agnitio cumulavit". Et rursùs lib. 2. cap. 2. " Dicit Creator Salvatorque mortalium, *Non esse necessarium sanis Medicum, sed malè habentibus: neque se venisse, ut vocaret justos, sed peccatores ad pœnitentiam*. Hinc itaque cognoscitur quid idem Medicus in infirmis inveniat, & quid ipse sanandis impendat: invenit liberum hominis arbitrium, in eâ duntaxat ætate quæ usui jam rationis potest servire, aut suæ infirmitatis nescium, aut morbo noxiæ cogitationis inflatum, dum scilicet aut quid faciendum sit nescit, aut quod faciendum scierit suis se viribus implere confidit: ac sic aut homo nescius morbum amplectitur, aut plùs ægrotat dum non à medico poscit, sed ipse nititur adhibere remedium: unde consequens est, ut lethali morbo vel ignorantiæ, vel superbiæ prægravatus, nec Medicum requirat, neque in se effectum veræ sanitatis inveniat". Qui rursùs lib. de

Incar-

I Hugo Victor. in Epistolam ad Galat. q. 19. Vide eund. Dialogo de Sacram. legis naturæ & Scriptæ. & lib. 1 de Sacrament. p. 8. c. 3. & Serm. 70. & Collat. 1. de Verbo Incarn.

Ps. 37. 11.

Ps. 15. 4.

K. Aug. in expos. 3. ad Galatas.

L. Prosp. Sentent. 44. Vide Aug. lib. de Spir. & lit. c. 19.

M. Fulg. l. 2. de Verit. Prædest. c. 3. Vide Aug. in Psal. 118. & Ser. 43 de tempore, & Fragm. 10.

Vide Cyrill. Alex. lib. 6. Glaphyrorum in Genesim post medium, & Homil. 19. Paschali, & Chrisolog. Serm. 115. & 116.

Rom. 7. 7.

Ibid. v. 24. & 25.

Luc. 5. 31.

Incarnatione & gratia cap. 16." Intantùm, inquit, natura cæca sine lege peccat, ut peccare se nesciat. Propter quod dicitur, *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces*. Legalis quoque anditus non solùm neminem de potestate tenebrarum eripuit, quin etiam peccatoribus cumulum prævaricationis adjecit. Sine gratiâ quippe Fidei graviùs lex agnita, quàm ignota condemnat: ubi quantùm ignorantia peccati minuitur, tantùm reatus peccatoris augetur. Ideò Apostolus ait, *Lex iram operatur: ubi enim non est lex, nec prævaricatio*. Idem quoque ait, *Quia lex propter transgressionem posita est*". Pulchrè admodùm & prædictis consonè Augustinus: ". Quare, inquit, dabatur lex, si sufficiebat natura? Et tamen nec lex sufficere potuit, ita infirma erat ipsa natura. Data est lex, sed non quæ posset vivificare: quare ergo data est lex? *Lex*, inquit Apostolus, *prævaricationis gratiâ data est*: prævaricationis gratiâ posita est, ut te faceret prævaricatorem. Quare, ut me faceret prævaricatorem? quia noverat Deus superbiam tuam: noverat quia dicebas, *O si sit qui doceat, O si sit qui ostendat*! Ecce lex dicit tibi, *Non concupisces*. Cognovisti legem dicentem, *Non concupisces*: surrexit concupiscentia, quam non noveras; inerat enim, sed nesciebatur. Cœpisti conari vincere quod inerat, & apparuit quod latebat. Superbe, per legem factus es prævaricator: agnosce gratiam, & esto laudator". Maneat itaque per hæc Apostolica & Ecclesiastica documenta luculenter ostensum, peccasse passim homines tempore legis naturæ, ignorantes ipsam, cui contraveniebant, legem naturæ; imò & putantes se securos esse innocentiæ ac justitiæ. Atque utinam non idem eveniat modernis probabilitatum patronis, cum suis sequacibus, quibus ingerendo securitatem adimunt precandi sedulitatem.

Rom. 4. 15. — Gal. 3. 19. — N. Aug. Serm. 81. de Verb. Apost. c. 6. Vide Serm. 89 ibid. c. 2. & seqq.

CAPUT XCIX.

Lex naturalis individuè cohæret & inhæret hominibus ratione pollentibus, ubilibet & quandolibet in orbe terrarum degentibus. Decalogus non minùs obligat hodie Christianos, quàm olim Judæos: imò magis, idque multiplici titulo. Omne animi vitium tantò conspectiùs in se crimen habet, quantò major qui peccat habetur. *Quadrifaria disparitas peccatorum, exemplis singulatim illustrata. Expenditur locus Apostoli de Genti*libus naturaliter ea quæ legis sunt facientibus. *Quicquid in peccatorum cordibus diabolus invidendo falsavit, veritas miserendo rescribit. Decalogi depravatio per malos interpretes invecta non excusavit cæcum populum sequentem, nedum magistros ducentes.* Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt; *sed ductor profundiùs, quàm secutor. Tantò graviùs peccant seductores Christianorum, quàm Judæorum vel ethnicorum; quantò fœdior est lapsus illorum, quàm istorum. Variarum Gentium ritus ac mores legi naturali in Decalogo expressæ dissentanei memorantur ex Hieronymo. Non excusavit ethnicos falsa persuasio, quâ putarunt suos ritus legi naturæ reapse contrarios, eidem esse consentaneos. Idolorum cultus clanculariè primùm subintroductus, paulatim consuetudine firmatus ac propagatus, demum imperiosâ tyrannorum lege sancitus invaluit: nec unquam tamen in obsequium licitum exurgere, aut humanâ probabilitate desordescere potuit.*

CCCLXIX Vide Aug. in Psal. 118. concione 30. HEbræos, ab hominibus sive priorum, sive posteriorum temporum, non natura discrevit, sed naturæ institutio. Quapropter cùm lex naturalis ipsam naturam humanam ubicunque ac quandocunque in hac vitâ mortali degentem comitetur, & stringat; planum fit, nullius nationis aut ætatis homines, liberi arbitrii usu pollentes, ab ejus obligatione fuisse, vel esse, vel fore exemptos. Et quidem de hominibus priorum temporum, jam superiori capite id satis ostensum est: de posteriorum quoque temporum hominibus, signanter de nobis

1. Cor. 10. 11.

Christianis, *in quos*, teste Apostolo, *fines saculorum devenerunt*, planissima & certissima est illa Augustini sententia: ° Certè legem „Moyses ministrandam populo accepit in „monte, *scriptam in tabulis lapideis digito Dei.* „Hæc decem præceptis constringitur, ubi „nihil de circumcisione mandatum est, nihil „de victimis pecorum, quæ nunc à Christia„nis non immolantur. In illis igitur decem „Præceptis, exceptâ sabbathi observatione, „dicatur mihi quid non sit observandum à „Christiano, sive de non faciendis colendis„que idolis, alijsve ullis Dijs præter unum „verum Deum, sive de non accipiendo no„mine Domini in vanum, sive de honorandis „parentibus, sive de cavendis fornicationi„bus, homicidijs, furtis, falsis testimonijs, „adulterijs, re alienâ concupiscendâ? Quid „horum quisquam dixerit Christianum non debere servare"? Qui rursùs lib. 3. ad Bonif. cap. 4. "Profectò, inquit, illam Dei legem, „non solùm illi tunc populo, verùm etiam „nunc nobis ad instituendam rectè vitam ne„mo dubitaverit necessariam. Si enim Chris„tus nobis abstulit illud gravissimum mul„tarum observationum jugum, ne carnaliter „circumcidamur, ne pecorum victimas im„molemus, ne sabbatho, septeno dierum vo„lumine redeunte, ab operibus etiam neces„sarijs quiescamus, & cætera hujusmodi; sed ea „spiritaliter intellecta teneamus, remotis„que umbris significantibus in rerum ipsarum „quæ significantur luce vigilemus: nunquid „proptereà dicturi sumus, non ad nos perti„nere quod scriptum est, ut alienum quod„cunque perditum quisquis invenerit reddat „ei qui perdidit, & alia multa similia quibus „piè rectèque vivere discitur; maximèque „ipsum Decalogum, qui duabus illis lapideis „tabulis continetur, exceptâ Sabbathi ob„servatione carnali quę spiritalem sanctifica„tionem quietemque significat? Quis enim „dicat non debere observare Christianos, ut „uni Deo religionis obsequio serviatur, ut „idolum non colatur, ut nomen Domini in „vanum non accipiatur, ut parentes hono„rentur; ne adulteria, homicidia, furta, falsa „testimonia perpetrentur; ne uxor, ne om„ninò res ulla concupiscatur aliena? Quis est „tam impius, qui dicat, ideò se ista legis non „custodire præcepta, quia est ipse Christia„nus, nec sub lege, sed sub gratiâ constitu„tus"? Et iterum lib. de Spir. & litt. cap. 13. " Volo scire, inquit, si quis mihi dicere au„deat, utrùm *Lex fidei* non dicat, *Non concu„pisces?* Si enim non dicit, quid causæ est cur „non in eâ positi securè atque impunè pecce„mus"? Absque ulla igitur dubitatione totus Decalogus, quatenùs naturalem morum regulam continet præscriptam, ad nos pertinet, non minùs quàm ad Iudæos quibus per Moysen fuerat ministratus: imò verò magis, si Augustino credimus, qui de Præceptis Decalogi loquens: P. Illa omnia „præcepta, inquit, nobis MAGIS præcipiuntur, & observanda sunt". Rationem hujus disparitatis assignat ibidem subsequenter, majorem excellentiam præmij nobis præ Iudæis propositi. Ex quo ulteriùs fit, ut violatio Præceptorum Decalogi culpabilior censeri debeat in nobis, quàm in Iudæis: ubi enim arctior est obligatio, ibi enormior est transgressio. Quapropter etiamsi lex naturalis omni semper ævo homines rationis compotes obligarit, ejus tamen violatio utcunque tolerabilior fuerat pro eo tempore quod Apostolus denotat, dicens: *Usque ad legem peccatum erat in Mundo, peccatum autem non imputabatur cùm lex non esset.* Posteà verò cœpit intolerabilior & enormior fieri, ex quo, juxta eundem Apostolum, *Lex subintravit, ut abundaret delictum:* quia, ut proximo §. ex Fulgentio audivimus, *Graviùs lex agnita, quàm ignota condemnat.* Demum gravissima evasit pro novissimo isto tempore, ad quod Augustinus mox relatus alludit, dicens: *Illa omnia pracepta nobis magis pracipiuntur, & observanda sunt.* Cujus excessivæ gravitatis ratio, præter eam quam ex Augustino mox retulimus, etiam alia reddi potest ex ipsius Christianismi peculiari sanctitudine sumpta: tantò quippe gravior est prolapsio, quantò sublimior professio: & ut Poëta Satyricus ait, *Omne animi vitium tantò conspectius in se crimen habet, quantò major qui peccat habetur.* Unde & prosper ait, R. Quia sublimiora „quæque graviùs ruunt, gaudet Princeps „superbiæ, eos, quos potuerit suâ impulsione prosternere, ad celsiora crevisse". Hinc illa Papæ Leonis ad unumquemque Christianum exclamatio: R. Agnosce, O Christiane, „dignitatem tuam: & divinæ consors factus „naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri „conversatione redire. Memento, cujus capitis & cujus corporis sis membrum". Hanc, conditionem *membri* consideravit Apostolus quando deterrens Christianos homines à crimine fornicationis: *Nescitis*, inquit, *quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.* Idem rursùs Apostolus cap. 2. ad Hebræos, ex eo aggravat peccata Christianorum præ peccatis Iudæorum, quòd lex vetus prædicata Iudæis fuerit per Angelos, Evangelica autem Christianis per ipsum Angelorum dominum. Qui item cap. 8. ad Romanos, præferens statum Christianorum statui Iudæorum, eos facit filios, istos autem servos: *Non accepistis*, inquiens, *Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater* &c. In quem

O. Aug. l. de Spir. & litt. c. 14. Vide Leon. Ser. 14. de Passion. c. 5. Roo. 51. 18.

Vide Aug. in Psal. 77.

Rom. 7. 7.

P. August. Tract. 3. in Ioannem. Vide Isid. Pelus. l. 4. Epist. 200.

Rom. 5. 13.

Ibid. v. 20. Fulgen. sup.

Iuvenalis.

R. Prosp. Epist. ad Demetr. c. 10.

R. Leo Ser. 1. de Nativit. c. 3.

1. Cor. 6. 15.

Rom. 8. 15.

quem locum Isidorus Pelusiota commentans,
[S Isid. Pelus. lib. 1 Epist. 107. Vide lib. 2. Epist. 208.] exclamat: S. O ingentem honorem! Quàm
,, altè erexit humi prostratos! Eâdem enim
,, operâ & Iudæorum ignobilitatem Aposto-
,, lus ob oculos ponit: nobilitatem contra
,, Christianorum, quam omni ope servare
,, justum fuerit; ne honore excidentes gra-
,, viùs castigemur, ut pote tanto indigni ho-
nore". Qui rursùs lib. 4 Epist. 204. ad hoc
propositum applicat illam Christi ad discipu-
[Matth. 5. 20.] los comminationem, *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorũ.* Ubi per *Scribas & Pharisæos* intelligit generatim filios veteris Testamenti, & quidem signanter eos qui præ cæteris fuerunt *virtute clari ac celebres.* Expressa
quoque in eam rem est ista alterius Isidori
[T Isid. Hisp. l. 2. Sent. c. 20.] sententia, T. Sub veteri Testamento minoris
,, culpæ erant peccata: quia in eo non ipsa
veritas, sed umbra veritatis aderat". Etenim lex Iudæos instar pædagogi texit tanquàm pueros, ut innuit Apostolus cap. 3. ad Galatas: Evangelium verò Christianos initiat Christo tanquam adultos, pædagogiâ puerili non ampliùs jam indigentes. Sicut ergo peccata adultorum communiter graviora sunt, quàm puerorum sub pædagogo constitutorum: ita & Christianorum, quàm veterum Iudæorum. Unde idem Isidorus ibid. lib. 2. cap. 18." Peccata, inquit, quæ inci-
,, pientibus levia sunt, perfectis viris gravia
,, deputantur. Tantò enim graviùs cognos-
,, citur esse peccatum, quantò major qui pec-
,, cat habetur. Crescit enim delicti cumulus,
,, juxta ordinem meritorum: & sæpè quod
,, minoribus ignoscitur, majoribus imputa-
[D. Thomas.] tur". Quem Isidori locum divus Thomas 1. 2. q. 73. art. 10. adhibet, ad probandum quòd *magnitudo personæ peccantis aggravet peccatum.* Ubi & in corpore articuli varias hujus aggravationis causas congerit, præsenti nostro scopo accommodas, quæ apud ipsum & ejus ibi interpretes cerni possunt.

CCCLXX. Hæc eo fine ingerenda censui, ut animadvertat Lector quantâ sedulitate Rectores animarum Christianismo initiatarum conniti debeant, ne eædem animæ per lubricas probabilitatum rotas in præcipitia transgressionum devolvantur. Si enim Rectores animarum utriusque prioris status debuerint pervigilare, ne animæ sibi commissæ abducerentur per humanarum opinionum præstigias à viâ regiâ, quam lex naturalis sive cordibus insculpta, sive insuper tabulis lapideis expressa monstrabat, in errorum hinc inde subjacentes voragines: quantò magis attendere debent Rectores animarum tertij hujus status, longè prioribus sanctioris ac præstantioris; ne eædem animæ per illecebrosa humanarum persuasionum blandimenta graviori lapsu, quia ex altiori statione, de eâdem viâ regiâ in subjacentes utrinsecùs vortices præcipitentur: verificeturque de eis illud Poetæ, *Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant?* V. Prævaricata ergo, ut Augustinus [Claudianus]
,, ait, lege quæ in paradiso data est, nascitur [V. August. Epist. 89. q. 2.]
,, homo ex Adam cum *lege peccati & mortis*, de
,, qua dicitur, *Video aliam legem in membris meis*
,, *repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me* [Rom. 7. 23.]
,, *in lege peccati, quæ est in membris meis:* quæ ta-
,, men nisi malâ posteà consuetudine robore-
,, tur, faciliùs vincitur; non tamen nisi gra-
,, tiâ Dei. Lege autem aliâ prævaricatâ, quæ
,, est in usu rationis animæ rationalis in ætate
,, hominis jam ratione utentis, *prævaricatores* [Ps. 118. 119.]
,, *fiunt omnes peccatores.* Prævaricatâ verò lege
,, etiam illâ quæ data est per Moysen, multò
,, ampliùs abundat delictum: *Si enim data esset* [Gal. 3. 21. & 22.]
,, *lex, quæ posset vivificare, omninò ex lege esset*
,, *iustitia: sed conclusit Scriptura omnia sub peccato,*
,, *ut promissio ex fide IESV CHRISTI daretur cre-*
,, *dentibus.* De qua lege iterùm dicit, *Lex præ-* [Ibid. v. 19.]
,, *varicationis gratiâ posita est, donec veniret semen*
,, *cui promissum est, disposita per Angelos in manu Me-*
,, *diatoris:* Christum commendans, cujus gra-
,, tiâ salvi fiunt omnes, sive parvuli à lege [Vide Aug. l. 3 de Symbolo ad catech. c. 6. & Tract. 49. in Ioan.]
,, peccati & mortis, cum quâ nati sumus; sive
,, majores, qui malè utentes arbitrio volunta-
,, tis, prævaricati sunt legem naturalem ipsius
,, rationis; sive qui legem acceperunt, quæ
,, data est per Moysen, eamque prævaricantes
,, *litterâ occisi sunt.* Cùm verò etiam Euange- [2. Cor. 3. 6.]
,, lica præcepta homo prævaricatur, velut
,, *quatriduanus mortuus putet:* nec de illo tamen [Ioan. 11. 39.]
,, desperandum est, propter ejus gratiam, qui
,, non lentè dixit, sed *magnâ voce clamavit, La-* [Ibid. v. 43.]
zare veni, foras". Ecce hic nobis exhibentur quatuor peccatorum gradus, gravitate dispares, in Adæ posteris: Ad primũ gradum spectat originale peccatum, quo solo inficiuntur parvuli nondum regenerati, quod eatenùs personalibus criminibus levius est, quatenùs alienâ duntaxat voluntate patratum est. Ad secundum gradum spectant peccata actualia eorum, qui sine lege Decalogi forinsecùs sonante deliquerunt, de qualibus scriptum est, *Quicunque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.* [Rom. 2. 12.] Ad tertium genus spectant peccata similiter actualia eorum, quibus Decalogi per Moysen promulgati *lex subintravit, ut abundaret delictum.* [Rom. 5. 20.] Ad quartum denique gradum spectant peccata Christianorum, qui Evangelicâ luce collustrati, & Christo capiti tanquam membra coadunati, prolabuntur, *rursùm crucifigentes sibimetipsis Filium Dei.* [Heb. 6. 6.] Hos Augustinus, tanquam prædictis tribus ordinibus deploratiùs mortuos, *Lazaro quatriduano fœtenti* assimilat: Apostolus quoque Iudæis Moysaicæ legis prævaricatoribus deteriores statuit, dicens: *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ullâ* [Heb. 10. 28. & 29.]
misera-

miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit". In quem locum Theodoretus: W "Si is, inquit, qui convincitur quòd „legem Moysis sit transgressus, de medio „tollitur: considerate quot mortes mereatur, „qui ipsum Moysis Deum habet despicatui, „& pretiosum sanguinem velut communem „contemnit, & ipsam Spiritûs gratiam contumeliâ afficit". Advertit prætereà Theophylactus, Apostolum habuisse rem hanc pro tam clarâ & evidenti, ut noluerit ipse quæstionem decidere, sed ipsorum ad quos scribebat arbitrio decidendam relinquere: X. Ipsis, in„quit, judicium permittit, quod in valdè „apertis facere solemus, ut adeò auditores judices & arbitros faciamus". Quod si evidens sit transgressorem Evangelicæ legis enormiùs peccare transgressore legis Moysaicæ, evidens quoque esse debet, enormiùs peccare eos qui opinionum suarum commentis ansam præbent Christianis transgrediendi legem Evangelicam, quàm qui olim Iudæis similiter ansam præbuère transgrediendi Moysaicam. Porrò sub Evangelicâ lege comprehendi moralia Decalogi præcepta, jam proximo §. ostensum fuit, & Papa Leo indicat cùm ait Y. In præceptis morali„bus nulla prioris Testamenti decreta re„probata, sed Evangelico magisterio multa „sunt aucta: ut perfectiora & lucidiora essent „dantia salutem, quàm promittentia Salvatorem". Lex quippe Evangelica, lex est gratiæ: quæ proinde naturam non destruit, sed perficit; adeoque legem naturæ non abolet, sed adolet. Unde Apostolus loquens de primitivis Christianis, non ex Iudaismo, sed ex Gentilismo ad Christianismum conversis, *Gentes*, inquit, *quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*. De quibus Augustinus: Z Dicuntur, inquit, sine lege *naturaliter* ea quæ legis sunt facere, quia ex Genti„bus venerunt ad Evangelium, non ex cir„cumcisione, cui lex data est: proptereà *na„turaliter*, quia ut crederent, ipsa in eis est per Dei gratiam correcta natura". Et lib. de Spiritu & littera cap. 27. "Hoc agit Spiri„tus gratiæ, inquit, ut imaginem Dei, in quâ „naturaliter conditi sumus, instauret in no„bis. Vitium quippe contra naturam est, „quod utique sanat gratia: propter quod „Deo dicitur, *Miserere mei, sana animam meam „quoniam peccavi tibi*. Proinde *naturaliter* ho„mines *quæ legis sunt faciunt*: qui enim hoc non „faciunt, vitiosè faciunt; quo vitio lex Dei „deleta est de cordibus. Ac per hoc, vitio sa„nato, cùm illic scribitur, fiunt quæ legis „sunt *naturaliter*: non quòd per naturam ne„gata sit gratia, sed potiùs per gratiam reparata natura". Ad hanc naturæ reparationem, & legis rescriptionem alludit Prosper, cùm ait: A. Dominus, *ut legem non solveret, sed im„pleret*, per gratiæ auxilium efficax fecit legis imperium". Et mox inducit eundem Dominum olim per os Prophetæ promittentem, *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam*: ac tum subdit ibidem Prosper, " Quod utique quotidie facit, dum cor„dibus vocatorum suam inserit voluntatem; „& stylo Spiritûs Sancti quicquid in animæ „paginis diabolus invidendo falsavit, Veritas miserando rescribit".

W Theod. in cap. 10. ad Hebræos.
X Theophylac. in c. 10. ad Hebræos.
Y Leo Ser. 14. de Passione cap. 1.
Rom. 2. 14.
Z. Aug. l. 4. contra Iul. cap. 3. Vide Prosp. l. cont. Collat. c. 22. & Fulg. l. de Incarnat. & grat. c. 21.
Ps. 40. 5.
A. Prosp. l. 1. de voc. gent. cap. 8. in ed. ditione Cambrensi.
Ier. 31. 33. Heb. 10. 16.

CCCLXXI. Decalogum Hebræis Moyses consignavit, in duabus tabulis lapideis descriptum. Harum prima continebat tria priora præcepta, divinam religionem concernentia: altera complectebatur septem reliqua, quibus quisque erga proximum ritè disponebatur; & primò quidem erga parentes: *Honora*, inquit, *patrem tuum & matrem tuam*: B. Honor, inquit „Hieronymus, in Scripturis non tantùm in „salutationibus & officijs deferendis, quan„tùm in eleëmosynis ac munerum oblatione „sentitur: *Honora*, inquit Apostolus, *viduas „quæ verè viduæ sunt*, hic honor donum intelli„gitur: & alio loco, *Presbyteri duplici honore „honorandi sunt, maximè qui laborant in verbo & „doctrinâ Dei*. Et per hoc mandatum jubemur „*Bovi trituranti os non claudere*: & *Dignus sit ope„rarius mercede suâ*. Præceperat Dominus, vel „imbecillitates, vel ætates, vel penurias pa„rentum considerans, ut *filij honorarent*, etiam „in vitæ necessarijs ministrandis, *parentes suos*. „Hanc providentissimam Dei legem volen„tes Scribæ & Pharisæi subvertere, ut impie„tatem sub nomine pietatis inducerent, do„cuerunt pessimos filios, ut si quis ea quæ „parentibus offerenda sunt, Deo vovere vo„luerit, qui verus est pater; oblatio Domi„ni præponatur parentum muneribus. Vel „certè ipsi parentes, quæ Deo consecrata „cernebant, ne sacrilegij crimen incurrerent, „declinantes, egestate conficiebantur: atque „ita fiebat ut oblatio liberorum, sub occa„sione Templi & Dei, in Sacerdotum lucra „cederet. Hæc pessima Pharisæorum traditio „de alia veniebat occasione: multi habentes „obligatos ære alieno, & nolentes sibi cre„ditum reddere, delegabant sacerdotibus; „ut exacta pecunia, ministerijs Templi, & eorum usibus deserviret". Videmus hinc qualiter Scribæ & Pharisæi præcepta quædam Decalogi pravis suis interpretationibus perverterint & tanquam Doctores legis plebem sibi obsequentem seduxerint. Quid dicemus? Excusabimusne ipsos à violatione legis prætextu probabilitatis? Excusabimusne plebem eis obsequentem, & per probabilitatum se-

Vide Aug. q. 71. in Exod. & l. 15. cont. Faust. c. 4. & 7. & Epist. 119. c. 11. & cont. in Psalm 32.
Exo. 20. 12.
B Hier. in c. 15. Matthæi.
1. Tim. 5. 3.
Ibid. v. 17.
1. Cor. 9. 9. Luc. 10. 7.

mitas

mitas velut securè incedentem? Quis enim negare audeat eos & magno numero fuisse, & magnam sibi eruditionis ac probitatis opinionem apud populum comparasse? Quis item abnuere ausit rationem quam obtendebant non modò *alicuius momenti*, sed planè speciosam ac plausibilem fuisse; utpote in divinæ paternitatis prærogativa fundatam? Sanè si modernorum probabilitatum patronorum principiis insistimus, non facilè apparet quomodò eos accusare possimus, & multa suppetunt unde excusari posse videantur. Atque ut demus excusari non posse magistros, quid obijcere poterimus plebeis eorum sequacibus? An fortè obstat eorum excusationi instructio Domini, dicentis ad magistros: *Quare vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram? Nam Deus dixit, Honora patrem & matrem; &, Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, Quicunque dixerit patri vel matri: Munus quodcunque est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum, & matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei, propter traditionem vestram?* Obstet quidem illa excusationi eorum pro tempore subsequente, certè tamen obstare non poterit pro tempore antecedente. Et tamen accusat eos Christus de legis *irritatione* anteà perpetratâ, non de perpetrandâ: non enim ait, irritum facietis, sed *irritum fecistis mandatum Dei, propter traditionem vestram.* Ecce accusantur pro tempore præterito, quo nondùm fuerant à Christo instructi. Quid tunc defuit eorum *traditioni*, è requisitis per neotericos nostros ad opinionis probabilitatem, ac rectè agendi securitatem? Sed demus ipsos Magistros sive negligenter, sive malignanter illam suam *traditionem* inchoasse vel continuasse: quid equidem dicturi sumus de rudiori populo, eis se conformante? An hunc saltem fatebimur per *securissimas probabilitatū semitas* inculpatè incessisse, tot ac tantorum Magistrorum ducatui insistentem? Certè non fatetur, sed diffitetur id Christus, qui cùm de Magistris ducentibus dixisset ibidem, *Cæci sunt, & duces cæcorum:* mox adjecit, *Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Quibus verbis, ut ex Augustino superiùs commemoravimus, non solùm terruit cæcum ducentem, sed & cæcum sequentem; neque enim ait, cadit in foveam ducens, & non cadit sequens; sed, *ambo*, ait, *in foveam cadunt.* "Sicut igitur utrumque appellat *cæcum*, ita & utrumque asserit *cadere*: non utique in foveas, quasi plures seu diversas; sed, *in foveam*, quasi unam in quam tamen profundiùs cadit cæcus ducens, quàm sequens; siquidem qui prior est in via, prior est in fovea; nec super sequentem cadit ipse, sed sequens cadit super ipsum. De hujusmodi porrò cæcitate recoli possunt quæ §. 365. ex Augustino citavimus: quibus addi potest & illud ejusdem alibi: C "Cæcus, puto quòd velit videre, sed non potest. "Si autem vult, & non potest; inest voluntas, sed amissa est possibilitas". Cæcitatem porrò mentis idem ipse Augustinus Enarratione in Psalmum 6. definit esse *Damnum intelligentiæ veritatis*. Quapropter cùm Psalmographus dicat Deo; *Omnia mandata tua veritas;* planum fit, damnum intelligentiæ mandatorum Dei rectè appellari cæcitatem: Cui damno subjacuisse prædictos Scribas & Pharisæos ducentes, nec non & plebem eos sequentem, testatur qui ait, *Cæci sunt, & duces cæcorum.* In quem locum sic scribit Anselmaster: D "*Cæci sunt*, id est, luce mandatorum Dei "privati, pro traditionibus suis: & *duces cæco-* "*rum*, qui non solùm sibi non prospiciunt, sed "etiam alios in præcipitium trahunt, *errantes & in errorem mittentes*". Si igitur cæcitas illa, sive damnum intelligentię mandatorum Dei, non excusavit pro tempore Moysaicæ legis cæcos ducentes, aut cæcos sequentes: quantò minùs excusare putanda est pro tempore Evangelicæ legis, ubi arctior est parendi obligatio, juxta illam regulam ex Augustino §. 369. relatam: *Illa omnia præcepta nobis magis præcipiuntur, & observanda sunt?*

PRÆOCCUPATIO

Matth. 15. 3. & seqq.

Matth. 15. 14.

Vide Aug. hic supra §. 365.

C. Aug. lib. de Nat. & gratia c. 31.

Ps. 118. 86.

D. Anselm. in cap. 15. Matthæi.

2. Tim. 3. 13.

Augustinus. Vide Estium in 3. Dist. 37. §. 9.

CCCLXXII. Quòd si illa Decalogi præcepta nobis Christianis magis observanda sunt, quàm Hæbræis, lege litteræ ultra legem naturæ instructis, ambigi profectò non debet, quin sint nobis magis observanda, quàm Gentilibus, solâ lege naturę sine adminiculo litterę præditis. Cùm enim magis observanda fuerint Iudæis, quàm istis; consectarium omninò est, ut si nobis magis observanda sint quàm Iudæis, magis itidem nobis observanda sint quàm istis. Rursùs si istis usqueadeò observanda fuerint, ut nullâ cæcitate excusari potuerint sive cæci ducentes, sive cæci sequentes, quò minùs *ambo in foveam caderent*, quoties præcepta illa violarent: consequens profectò apparet, eadem nobis quoque usqueadeò observanda esse, ut nullâ mentis cæcitate excusemur quoties illa transgredimur, quin in foveam cadamus, sive cæci cæcis præeamus ducendo, sive cæci cæcos subsequamur parendo. Porrò Gentiles, lege litteræ destitutos, nullâ cæcitate excusari posse, quin violatione Decalogi in foveam caderent, asseverat præter alios Prosper Aquitanicus, cùm ait: E "Etsi fuerint ex alienige- "nis, quos temporibus legis veritas illustrare "dignata sit; tamen tam pauci fuerunt, ut "vix cognoscatur an fuerint. Neque ob hoc "excusabiles sunt Nationes, quæ alienatæ à "conversatione Israël, spem non habentes, & "sine Deo in hoc Mundo sub ignorantiæ te- "nebris perierunt, quia hęc abundantia gratię

E Prosper lib. 2 de voc. Gent. cap. 14.

„ quæ nunc universum Mundum rigat, pari
anteà largitate non fluxit ". Qui rursùs in
Responsione ad Dubium 8. Genuensium:
" Divinarum vocum, inquit, authoritatibus
„ eruditi, gratias agamus Deo, qui dedit no-
„ bis Spiritum fidei & virtutis, continentiæ
„ & charitatis, sapientiæ & intellectûs, con-
„ silij & fortitudinis, scientiæ & pietatis, ac
„ timoris sui. Quæ bona si non dedisset nobis,
„ qui operatur omnia in omnibus, prorsùs
„ non haberemus in nobis: & cum his, qui
„ non cognoverunt Dominum, aut cùm cog-
„ novissent, non sicut Deum glorificaverunt,
„ aut gratias egerunt; sed hoc ipsum suæ sa-
„ pientiæ deputantes, stulti facti, obscurato
„ corde evanuerunt in cogitationibus suis:
„ cum his, inquam, sederemus in tenebris, &
„ in umbrâ mortis, nec querelam habentes de
„ pœna, NEC EXCVSATIONEM DE IGNORANTIA
nec præsidium de natura ". Ecce non modò ij
qui Deum cognitum non glorificaverunt, sed
Vide Aug. l. de Gratia & lib. arb. c. 3.
ij etiam qui non cognoverunt, *excusationem de*
ignorantiâ non habent. Unde & Psalmista ait
Psalm. 78. 6.
Deo, *Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non no-*
verunt: & Apostolus prædicit Christum in no-
vissimo die venturum cum Angelis virtutis,
2. Thess. 1. 8.
in flamma ignis dare vindictam ijs qui non noverunt
Ephes. 4. 17. & seq.
Deum. Conjurat quoque idem Apostolus neo-
phytos Christianos, *ut non ambulent, sicut Gen-*
tes ambulant in vanitate sensûs sui, tenebris obscura-
tum habentes intellectum, alienati à vita Dei, per
ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis
ipsorum: qui desperantes tradiderunt semetipsos im-
pudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in ava-
F. Aug. l. 3. cont. Iulian. cap. 12.
ritiam. F. Nonne audis, ait Iuliano Augusti-
„ nus, quemadmodùm detestetur Apostolus
„ quosdam, quos dicit *alienatos à vita Dei per*
„ *ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem*
cordis eorum"? Et rursùs lib. 5. cap. 9. ait ei-
dem: " Non vis intelligere quod ait Aposto-
1. Thess. 4. & 5.
„ lus, *Ut sciat unusquisque vestrûm suum vas possi-*
„ *dere, non in morbo desiderij, sicut Gentes quæ ig-*
norant Deum". Multa & mira de variarum
Gentium, Deum ignorantium, abominan-
dis flagitijs ac facinoribus, legi naturæ ad-
Alex. Sa.
versis, commemorat Alexander Sardus Fer-
rariensis tribus libris, *de Moribus ac Ritibus Gen-*
tium inscriptis, signanter lib. 1. cap. 1. 2. 3.
G. Hieron. lib. 2. advers. Iovin. cap. 6.
& 23. Quibus consona sunt quæ breviter in
hunc modum perstringit Hieronymus: G Sco-
„ torum natio uxores proprias non habet: &
Vide Hessel. in Explicatione Decalogi c. 17. & seqq. & Theodoret. de curan. Græcor. affect. Serm. 9. & Lactant. l. 5. c. 10. & 11. & Minut. in Octavio.
„ quasi Platonis politiam legerit, & Catonis
„ sectatur exemplum, nulla apud eos con-
„ junx propria est; sed ut unicuique libitum
„ fuerit, pecudum more lasciviunt. Persæ,
„ Medi, Indi, & Æthiopes, regna non modi-
„ ca, & Romano Imperio paria, cum matri-
„ bus, & avijs, cum filiabus, & neptibus co-
„ pulantur. Massagetæ, & Derbices, miserri-
„ mos putant qui ægrotatione moriantur: &
„ parentes, cognatos, propinquos, cùm ad
„ senectam venerint, jugulatos devorant;
„ rectiùs esse ducentes, ut à se potiùs, quàm
„ à vermibus comedantur. Tibareni, quos
„ dilexerint, senes suspendunt in patibulis:
„ Hircani volucribus & canibus semivivos
„ projiciunt: Caspij ijsdem bestijs mortuos:
„ Scythæ eos, qui à defunctis amati sunt, vi-
„ vos infodiunt cum ossibus mortuorum:
„ Bactri canibus ad hoc ipsum nutritis obij- Vide Alph. à Castro l. 2. de potestate legis pœnal. c. 14. & Surbatum disp. 43. & Lactant. l. 6. c.
„ ciunt senes; quod cùm Alexandri Præfectus
„ Nicanor emendare voluisset, penè amisit
„ provinciam. Coge Ægyptium, ut ovium
„ lacte vescatur; impelle, si potes, Pelusio-
„ ten, ut manducet cepe. Singulæ penè in
„ Ægypto civitates, singulas bestias & mon-
„ stra venerantur; & quodcunque coluerint,
„ hoc inviolabile & sacrum putant: unde &
„ urbes apud eos ex animalium vocabulis
„ nuncupantur, Leonte, Cyno, Lyco, Busi-
„ ris, Thmuis, quod interpretatur hircus. Et ut
„ sciremus quales Deos semper Ægyptus re-
„ cepisset, nuper ab Hadriani amasio urbs eo-
„ rum *Antinous* appellata est. Pervides igitur,
„ quòd non solùm in esu, sed & in sepulturis,
„ & in connubijs, & in omni conversatione,
„ una quæque Gens suo ritu & proprietatibus
„ victitet; & hoc eam naturæ legem putare,
quod didicit". Audebitne quis omnia illa
Gentium excæcatarum facinora ac flagitia
excusare, sub prætextu ignorationis, aut hu-
manæ opinationis; adversùs Apostolum di-
centem, quòd Christus *in flamma ignis daturus*
sit vindictam ijs qui non noverunt Deum? Et tamen,
ut ex Hieronymo mox audivimus, suo ritu
unaquæque earum Gentium victitabat; *& hoc*
legem naturæ putabat, quod didicit. Usqueadeò igi-
tur se illis suis sceleribus violare naturæ legem
nesciebant, ut inveteratam ea perpetrandi
consuetudinem pro lege naturæ habuerint.
Quid igitur dicturi sumus, nisi quod §. 363.
ex Fulgentio recitavimus, *Intantum natura cæca* Fulgentius PRÆOCCVPATIO.
sine lege peccat, ut peccare se nesciat? Neque verò
novelli probabilitatum patroni respondere
poterunt, eos propterea accusari posse, excu-
sari non posse, quod eorum persuasio non
fuerit probabilis. Cùm enim juxta horum
placita, superiùs §. 352. & sequentibus relata,
sufficiat ad securitatem rectè agendi probabi-
litas sive intrinseca sive extrinseca, funda-
ta subinde super authoritate pauculorum sa-
pientium, imò etiam interdum unius; cer-
tè non apparet defuisse tunc probabilitatem
persuasioni illorum Gentilium, qui autho-
ritati omnium Sapientium unius integræ re- Vide Aug. l. 2. de Doct. Christ. c.
gionis, imò ferè totius Gentilitatis, sese con-
formabant; præsertim cùm nullus esset ad ma-
num contradictor, nullus oppositæ persuasio-
nis insinuator, nedum assertor; imò verò
etiam legibus Principum firmarentur dicta-
mina

mina Sapientium. Legimus quippe in libro Sapientiæ, quòd idolorum cultus, primo Decalogi precepto adversus, clancularìè fuerit primùm introductus a. posteà consuetudine propagatus, demumque lege sancitus: *Interveniente tempore*, ait sacer textus, *convalescente iniquâ consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio colebantur figmĕta.* Profectò si publico hujusmodi imperio Principum, conspirante simul suffragio Sapientium, non fiebant securi cultores tunc idolorum,

Sap. 14. 16

non apparet quomodò Decalogi violatores possint nunc securari probabilitatibus neotericorum. Audebitne quispiam horum neotericorum securitatem arrogare cultoribus tunc idolorum? Si audeat, audebo & ego regerere ei illud Sapientis oraculum: *Infelices sunt, & inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt Deos opera manuum hominum.* Ab hac generali regula neminem video prætextu probabilitatis aut humanæ opinabilitatis exceptum.

Sap. 13. 10.

CAPUT C.

Diluuntur tres objectiones adversùs traditam doctrinam moveri solitæ. Fausti Regiensis Opus de Gratiâ & libero arbitrio à Gennadio & Sidonio deprædicatum, sed ab Augustino refutatum antequam natum. Non est consequens ut ignoratores Dei habeantur excusabiles, eò quòd Apostolus cognitores Dei eundem non glorificantes dixerit inexcusabiles. *Augustinus excutiendo scrupulum Pollentij elisit obtendiculum Fausti. Peccator & prævaricator quatenùs differant? Quomodò Psalmographus* prævaricantes reputavit omnes peccatores terræ, *cùm quædam peccata adscribantur legis nescientiæ? In protoplastis prævaricantibus prævaricati sunt posteri. Communißima legis naturæ principia universis adultis intimè sunt nota. Totus Decalogus in unico illo principio œcumenico recapitulatur,* Non facias quod pati nolis. *Confertur istud principium cum illo Evangelico,* Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. *An, & quâ ratione peccata ignorantiæ perpetrantibus sint voluntaria? Discutitur & excutitur paradoxum* Caramuelis, *contendentis* posse Deum creare homines exleges. *Reijcitur & altera ejusdem positio,* Posse Deum in tota lege Decalogi dispensare contradictoriè, in præceptis secundæ tabulæ etiam contrariè. *Exhibetur Caramuelicus Heptalogus, præceptis secundæ tabulæ contrarius. Ea dicenda sunt Deo possibilia, quæ ipsius sanctißimæ ac sapientißimæ naturæ sunt consentanea: neque enim temerariâ potentiâ, sed sapientiæ virtute omnipotens ipse est. Quod non potest justè, non potest justus.*

CCCLXXIV OBIECTIO.

Non deerit fortè qui pro ignorantium aut probabiliter opinantium impeccantiâ astruendâ obtendat authoritatem Apostoli, qui cùm Gentium Philosophos pronuntiasset *inexcusabiles*, continuò, quasi rationem hujusce inexcusabilitatis assignans, subtexuit: *Quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Ex quo apparet quod excusabiles illi fuissent, si Deum non cognovissent. Hoc obtendiculo ante mille & amplius annos usus fuit Faustus Regiensis in Opere de Gratiâ & libero arbitrio, quod Gennadius lib. de Scriptoribus Ecclesiæ cap. 85. nuncupat *Opus egregium:* & Apollinaris Sidonius lib. 9. Epist. 9. *Opus operosißimum, multiplex, acre, sublime, digestum.* Ait ergo ibi Faustus: Cùm dicat Apostolus, Quia quod „ *notum est Dei manifestum est illis, Deus enim illis* „ *manifestavit;* evidenter hoc differit, per in„ ternam doctrinam paginis mentis insculp„ tam, manifestam illis esse debuisse notitiam

Gennadius.

Sidonius.

Faustus l. 1. de grat. & lib. arbit. cap. 7.

Dei,& per creaturæ magnificentiam creatorem potuisse cognosci. *Inexcusabiles* quippe apud Deum non essent,nisi & extrinsecùs & intrinsecùs copiam percipiendę veritatis habuissent; adjiciente Apostolo, *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*. Impios ergò & de intellectu quòd abusi sunt damnat, quòrum injustitiam in contemptum divinitatis accusat". Hanc objectionem jam pridem Augustinus præoccupaverat, antequam à Fausto formata fuisset: ut proinde etiam huic rei accommodari posse videatur quod ait Ioannes Maxentius, [I] Assertioni Fausti ita contradixisse Augustinum, ut credas eum jam tunc non nisi contra Scripta Fausti respondere". Porrò juxta Augustini interpretationem Apostolus propterea *inexcusabiles* dixit Gentium Philosophos, Deum cognitum non glorificantes;quia ipsa Dei cognitio abstulit eis familiarem illam peccantibus excusationem,quâ *ad excusandas excusationes in peccatis* solent homines confugere ad asylum ignorantiæ sive nescientiæ, dicentes: *Nesciebamus sic esse, putabamus aliter esse* &c. [K] Istos quippe, ait Augustinus, Scriptura dicit *inexcusabiles*, quos non latet veritas, & in eis perseverat iniquitas: *Revelatur enim ira Dei de cælo*, ait Apostolus, *super omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, qui veritatem in iniquitate detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est illis; Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim eius à creaturâ Mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & divinitas: ut sint inexcusabiles*. Si ergò istos *inexcusabiles* dicit, qui invisibilia illius, per ea quæ facta sunt intellecta conspicere potuerunt, nec obedierunt tamen veritati, sed iniqui & impij permanserunt; neque enim non cognoverunt, sed *cognoscentes*, inquit, *Deum, non ut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt*; quantò magis inexcusabiles sunt, qui *ex lege eius instructi confidunt seipsos duces esse cæcorum; & alios docentes, seipsos non docent: qui prædicant non furandum, & furantur*, & cætera quæ de ipsis Apostolus loquitur? Eis quippe dicit, *Propterea inexcusabilis es, ô homo omnis qui iudicas: in quo enim alium iudicas, teipsum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas*. Dicit etiam Dominus in Evangelio, *Si non venissem, & eis locutus non fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem nō habent de peccato suo*. Non utique peccatum nullum haberent, qui pleni erant alijs magnis multisque peccatis: sed hoc peccatum vult intelligi non eos habituros fuisse si non venisset, quo cùm audissent eum, non crediderunt in eum. Hanc eos excusationem non habere asserit, quâ possint dicere, *Non audivimus, ideò non credidimus*. Humana quippe superbia, tanquam præsumens de viribus liberi arbitrij, excusatam se putat, quando ignorantiæ, non voluntatis est quòd peccat. Secundùm hanc excusationem inexcusabiles dicit Scriptura divina quoscunque scientes peccare convincit: Dei tamen justum judicium nec illis parcit qui non audierunt: *Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*". Et rursùs ibidem paulò inferiùs subdit: " Ideò divina Eloquia eos *inexcusabiles* dicunt, qui non ignorantes, sed scientes peccant: ut secundùm judicium superbiæ suæ, quò multùm confidunt de viribus propriæ voluntatis, se *inexcusabiles* videant: quia de ignorantia jam non habent excusationem, & nondum est justitia cui præsumebant sufficere voluntatem". Quemadmodùm igitur est quidam argumentandi modus, quem vocant *ad hominem*; quo nimirùm ex propria respondentis confessione concludit argutor suum intentum adversùs ipsum: ita est quidam inexcusabilitatis modus velut *ad hominem*, juxta quem peccator ex principijs etiam proprijs convincitur *inexcusabilis*; qui alioqui in cæteris soleat *declinare cor suum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis*. Et juxta hunc peculiarem inexcusabilitatis modum Divina Scriptura, Augustino interprete, *inexcusabiles* pronuntiat eos, qui cognitione veritatis ac honestatis imbuti, ad consuetum ignorantiæ asylum confugere nequeunt. Sed non hinc consequens est eos reverà, & secundùm Dei judicium, excusabiles esse, qui more hominibus familiari ignorantiam prætexere possunt. Nam ut Augustinus ibidem paulò pòst subdit: " Universi qui se in nequitijs & iniquitatibus excusatos volunt, ideò justissimè puniuntur, quoniam qui liberantur, non nisi gratiâ liberantur. Nam si excusatio illa justa esset, non inde jam gratia, sed justitia liberaret. Cum verò non liberet nisi gratia, nihil justum invenit in eo quem liberat; non voluntatem, non operationem, non saltem ipsam excusationem: nam si hæc justa est, quisquis eâ utitur, merito, non gratiâ liberatur". Patet igitur præfocatum fuisse ab Augustino obtendiculum Fausti, priusquam illud emanasset à Fausto. Cæterùm argumento Fausti parallelum videtur argumentum Pollentij, qui ex eo quòd Christus dixerit, *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*; perperàm colligebat, nequaquam mœchari eum, qui ob fornicationem dimissâ uxore, aliam duxerit. Cui respondens Augustinus: [L] Simili locutione, inquit, usus etiam Jacobus Apostolus ait: *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi*. Nunquid ideò non peccatum est illi, qui nescit bonum facere, & ideò non facit? Utique peccatum est; sed

DILUTIO.

I. Ioan. Maxent. Resp. ad Epistol. Hormisdæ

Psal. 140. 4.

K Augustin. Epist. 105. Vide Estium in cap. 1. ad Romanos v. 20. & 21. Rom. 1. 18. & seqq.

Rom. 2. 18. & seqq.

Ibid. v. 1.

Vide Aug. Tract. 89. in Ioannem. Ioan. 15. 22.

Vide suprà hic §. 138. & seq.

Rom. 2. 12.

Psal. 140. 4.

Pollent. Mat. 19. 9.

L. Aug. l. de Adulterinis coniugiis c. 4. loc. 4. 17.

„ sed hoc gravius, si etiam sciat, & non faciat: „ nec illud ideò nullum, quia minus. Ut ergo „ eodem modo utrumque dicamus: Sicut „ *quicunque dimiserit uxorem, exceptâ causâ fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur*; ita *quicunque scit bonum facere, & non facit, peccat*. „ Sed quemadmodùm hic rectè dici non potest, Ergo si nescit, non peccat; sunt enim „ etiam peccata ignorantium, quamvis minora quàm scientium: ita nec illic rectè „ dici potest, Ergo si causâ fornicationis dimiserit, & aliam duxerit, non mœchatur; „ est enim mœchatio eorum, qui alias ducunt, „ relictis propter fornicationem prioribus; sed „ utique minor quàm eorum, qui non propter fornicationem dimittunt, & alteras „ ducunt".

Psalm. 118. 119.

CCCLXXV. Secundò obijci potest authoritas Psalmographi, qui omnes indiscriminatim peccatores reputat prævaricatores, dicens: *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ*. Cùm enim prævaricatio nihil aliud sit quàm legis agnitæ temeratio, consectarium omninò apparet ut omnes prorsùs peccatores sint legis cognitæ temeratores, quandoquidem juxta Psalmographum omnes sint prævaricatores. Porrò si omnes prorsùs peccatores sint legis cognitæ temeratores, nulli nobis supererunt, quos ignoranter peccare sustineamus: sed cogemur admittere illam Tamburini assertionem §. 353. in fine relatam, *Cum tibi menti non occurrat illud esse peccatum, nec ullam dubium de indagandâ veritate, jam laboràs inculpabili conscientiâ, per oblivionem seu inadvertentiam: à quibus excusari operantem, perinde ac ob ignorantiam, innui supra cap. 2. §. 10. n. 1.*

Tamburin.

PRÆOCCUPATIO.

Nec elidi potest hujus objectionis vis, dicendo Psalmographum loqui juxta præsumptionem humanam, quâ omnes peccatores meritò præsumuntur prævaricatores, licèt subinde contingat quosdam esse reipsâ legis ignoratores. Quamvis enim in vulgata Psalmorum editione verbum, *reputavi*, videatur importare nudam ipsius Psalmographi reputationem seu præsumptionem: tamen in originali Hebræo, ad Deum sermo dirigitur in secundâ personâ, prout in ejus versiculi Commentario notat Genebrardus: cui consonans Pagninus ita vertit ex fonte, *Ut scorias cessare fecisti omnes impios terræ*. Quapropter etiamsi admittamus *reputandi* verbum non plus importare quàm præsumptionem, omninò tamen negandum est eam præsumptionem esse merè humanam; sed potiùs divinam: tum quia Psalmographus Deo inspirante locutus fuit, tum quia originalis textus non ipsi, sed Deo *reputationem* illam attribuit, qui nihil *reputat* nisi secundùm quod verè subest, dicente Apostolo, *Judicium Dei est secundùm veritatem*.

Genebrard. Pagninus.

Rom. 2. 2.

DILUTIO.

Hoc ergo supposito manet in suo vigore objectio: sed duplici responsione vigor iste eliditur, primò dicendo Psalmographum respicere ad prævaricationem totius humani generis, in protoplasto, omnium personam gerente, incursam: quæ adeò generalis est, ut non solùm adultos, sed parvulos etiam comprehendat, de quorum unoquolibet verificatur illud Dei dictum, *Pactum meum irritum fecit*, hoc est, Præceptum meum in paradiso prævaricatus est. Unde Augustinus, illum ipsum Psalmographi versiculum ex professo edisserens, ait: „ Si in *omnibus peccatoribus* „ *terræ* non incongruè deputantur & parvuli, propter originalis vincula peccati; „ etiam ipsi in similitudine prævaricationis „ Adæ ad illam prævaricationem pertinere „ monstrantur, quæ datâ lege in paradiso „ prima commissa est. Ac per hoc rectè, nullo „ prorsùs excepto, *prævaricatores æstimantur omnes peccatores terræ*". Qui rursùs lib. 16. de Civit. cap. 27. Cùm dicat Apostolus, inquit, „ *Ubi non est lex, nec prævaricatio*; quo pactò „ quod est in Psalmo verum est, *Prævaricatores* „ *æstimavi omnes peccatores terræ*, nisi quia omnes „ legis alicujus prævaricatæ sunt rei, qui aliquo peccato tenentur obstricti? Quamobrem si etiam parvuli, quod vera fides habet, „ nascuntur non propriè, sed originaliter peccatores, unde ipsis gratiam remissionis peccatorum necessariam confitemur: profectò „ eo modo quo sunt peccatores, etiam prævaricatores legis illius quæ in paradiso data „ est agnoscuntur: ut verum sit utrumque „ quod scriptum est, & *Prævaricatores æstimavi* „ *omnes peccatores terræ*, & *Ubi lex non est, nec prævaricatio*".

Gen. 17. 14.

D. Aug. in Psalm. 118. conc. 25.

Rom. 4. 15.

Ps. 118. 119.

Hæc prima responsio prorsùs enervat vim propositæ objectionis: nam cùm nullus sit in terra peccator quin in protoplastis prævaricantibus prævaricatus fuerit, verissimè Psaltes *Prævaricantes reputavit omnes peccatores terræ*: sed tametsi peculiari illâ consideratione omnes peccatores sint prævaricatores, non idcircò necesse est ut quoties quisque peccat, toties prævaricator, id est, legis cognitæ transgressor, fiat; prout ex præcedentibus luculentè constare confido. Secundò item objectionis vigor eliditur, dicendo cum Divo Thoma 1. 2. q. 94. art. 6. Legem naturalem continere duplicis generis præcepta; quædam scilicet adeò communia, ut à nemine rationis compote ignorari queant; quædam verò magis particularia, quæ sunt quasi conclusiones prioribus subnixæ. Quoniam igitur quoties adulti peccant, impingunt non solùm in aliquod particulare præceptum legis naturæ, quod fortè ignorant, sed etiam in aliquod universale, quod ignorare non possunt: ideò quatenùs istud universale præceptum, semper notum, transgrediuntur, prævaricatores reverà sunt & dicuntur; quamvis sub eâ ratione quâ particulare præceptum sibi ignotum

D. Thom.

tum violant, nequaquam prævaricatores, sed tantummodò peccatores fiant. Huic responsioni congruit illud ex Estio superiùs §. 358. relatum: *Ignorantia juris naturalis nunquam facit actum prorsùs involuntarium, etiam quâ ratione peccatū est: quia non facit ut malum prorsùs ignoretur, sed semper permittit ipsum aliquo modo sciri.* Eandem quoque responsionem Augustinus superiori responsioni premiserat in prǽcitatâ concione 25. super Psalmum 118. dicens: "Secundùm id quod Apostolus ait, *Ipsi sibi sunt lex*, non immeritò *Prævaricatores æstimantur omnes peccatores terræ*. Nullus enim est qui faciat alteri injuriam, nisi qui fieri sibi nolit. Et in hoc transgreditur naturæ legem, quam non sinitur ignorare, dum id quod facit, non vult pati". Et Enarrat: in Psalmum 57. "Quis, inquit, de justitiâ interrogatus, quando non habet causam, non facilè respondeat quid sit justum: quandoquidem manus Formatoris nostri in ipsis cordibus nostris Veritas scripserit, *Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri*? Hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est: ut esset unde judicarentur etiam quibus lex non esset data. Sed ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est in tabulis, quod in cordibus non legebant: non enim & scriptum non habebant, sed legere nolebant: oppositum est oculis eorum, quod in conscientiâ videre cogerentur; & quasi forinsecùs admotâ voce Dei, ad interiora sua homo compulsus est, dicente Scripturâ, *In cogitationibus impij interrogatio erit*. Ubi interrogatio, ibi lex: sed quia homines appetentes ea quæ foris sunt, etiam à seipsis exules facti sunt, data est etiam conscripta lex; non quia in cordibus scripta non erat; sed quia tu fugitivus eras cordis tui, ab illo qui ubique est comprehenderis, & ad teipsum introrevocaris. Propterea scripta lex quid clamat eis qui deseruerant legem scriptam in cordibus suis? *Redite prævaricatores ad cor*. Quis enim te docuit, nolle accedi ab altero ad uxorem tuam? Quis te docuit, nolle tibi furtum fieri? Quis te docuit, nolle injuriam pati, & quicquid aliud vel universaliter vel particulariter dici potest: multa enim sunt, de quibus singulis interrogati homines, clarâ voce respondeant, nolle se pati? Age, si non vis pati ista, nunquid solus es homo? Nonne in societate vivis generis humani? Qui tecum factus est, socius tuus est; & omnes facti ad imaginem Dei, nisi terrenis cupiditatibus conterant, quod ille formavit. *Quod ergo tibi non vis fieri, noli alteri facere*: judicas enim malum esse in eo, quod pati non vis; & hoc te cogit nosse lex intima, in ipso tuo corde conscripta". Et concione 1. in Psalmum 32. loquens de decem Præceptis Decalogi, denotatis per *Psalterium decem chordarum*, & referens omnia ad charitatem Dei & proximi: "In tribus, inquit, charitas Dei, in septem alijs charitas est proximi: *Ne facias alij, quod pati non vis. Honores patrem & matrem*, quia vis tu honorari à filijs tuis: *Non mœchaberis*, quia nec mœchari uxorem tuam post te vis: *Non occidas*, quia & occidi non vis: *Non fureris*, quia furtum pati non vis: *Non falsum testimonium dicas*, quia odisti adversùm te falsum testimonium dicentem: *Non concupisces uxorem proximi tui*, quia & tuam non vis ab alio concupisci: *Non concupisces rem aliquam proximi tui*, quia si quis tuam concupiscit, displicet tibi. Converte & in te linguam, quando tibi displicet, qui tibi nocet". Addamus Augustino pro pleniori hujus responsionis confirmatione Beatum Hilarium Pictavorum Antistitem, qui explanans illum Psalmographi versiculum, *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ*: "Nos, inquit, prævaricatores eos existimamus, qui susceptam fidem, & cognitionem Dei adeptam relinquunt; aliud pollicitos, & aliud nunc agentes. Sed hîc: *prævaricatores existimantur omnes peccatores terræ*: nullus excipitur, generaliter ad omnes *prævaricationis* nomen refertur. Lex enim veluti naturalis est, injuriam nemini inferre, nihil alienum præripere, fraude ac perjurio abstinere, alieno conjugio non insidiari. Novit & hanc naturæ Apostolus legem, dicens: *Cùm enim Nationes quæ legem non habent, naturaliter secundùm legem faciunt; tales homines legem non habentes sibi ipsi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*. Ergo prævaricatores existimantur, qui quod à naturâ legis accipiunt, derelinquunt. Furem quis deprehensum, aut adulterum, aut homicidam, arguit lege naturæ: sed si in his ipse versetur, prævaricator est legis". Summa hujus responsionis in hoc sita est, omnes peccatores terræ eatenùs dici *prævaricatores*, quatenùs peccando impingunt in illud communissimum legis naturæ præceptum nemini incognitum, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*. Cui negativo quadantenùs correspondet & illud affirmativum, quod Christo teste legem complectitur & Prophetas: *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*.

Estius.

Augustinus. Vide lib. 2 de Ser. Domini in monte c. 9. & l. 2 Confess. cap. 4. Rom. 2. 14.

Vide Hugonem Vict. in Regulam B. Augustini cap. 10 & in Dialogo de Sacram. legis naturalis & scriptæ.

Sap. 1. 9.

Isa 46. 8. Vide Greg. lib 10 Moral. c. 4.

Ps. 32 2.

Ps. 118 119. N. Hilar. in Psalm 118. v. 119.

Rom. 2. 14 & 15.

Matt. 7 12.

CCCLXXVI. Sed quoniam istis Augustini Hilarijque discursibus non plus probatur, quàm quod universa præcepta secundæ tabulæ recapitulentur in illo uno communissimo, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, sive, ut in libro Tobiæ scriptum legitur, *quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu aliquando alteri facias*: nondum liquet quemadmodùm in eodem illo communissimo præcepto recapitulentur mandata primæ tabulæ, quibus erga Deum quis

SCRUPULUS.

Tob. 4. 16.

ritè

ritè disponitur. Hunc scrupulum proponit & excutit idem ipse Augustinus alibi: [o] Sed dicis, inquiens, furtum si faciam, id facio quod pati nolo: si occidam, id facio quod ab altero pati nolo: si parentibus meis honorem non deferam quando volo ut deferatur mihi à filijs meis, id facio quod pati nolo: si sum mœchus & aliquid tale molior, id facio quod pati nolo: nàm si interrogetur, dicit, Nolo ut uxor mea tale aliquid faciat. Si concupisco uxorem proximi mei & nolo quisquam concupiscat meam, id facio quod pati nolo: si concupisco rem proximi mei nolens ut auferatur mea, id facio quod pati nolo. Cùm verò ad meretricem eo, cui facio quod pati nolo? Quod gravius est, ipsi Deo. Etenim, *Quod fieri tibi non vis, alij ne feceris*; ad duo præcepta pertinet. Quomodò pertinet ad duo præcepta? Si homini non feceris quod pati non vis ab homine, ad proximi præceptum pertinet, ad dilectionem proximi, ad septem chordas: si autem quod non vis pati ab homine, ipsi Deo vis facere, quid est hoc? Nonne facis alteri, quod pati non vis? Charior tibi factus est homo, quàm Deus? Ego quomodò injuriam facio, inquis, ipsi Deo? Corrumpis teipsum. Et unde injuriam facio Deo, quia corrumpo meipsum? Unde facit tibi injuriam; qui voluerit fortè lapidare tuam tabulam pictam, in qua est imago tua in domo tuâ inaniter posita ad vanum honorem tuum, nec sentiens, nec loquens, nec videns? si quis illam lapidet, nonne in te factam esse contumeliam attendis? Cùm verò imaginem Dei, quod es tu, corrumpis in te per fornicationes, & per diffluentias libidinis, attendis quia ad nullius uxorem accessisti, attendis quia post uxorem tuam nihil fecisti, quia uxorem non habes: & non attendis, per libidinem, & illicitas fornicationes, cujus imaginem violasti? Postremò Deus, qui scit quid tibi utile sit, qui verè sic suos servos gubernat ad utilitatem illorum, non ad suam; non enim indiget servis quasi ad adjutorium, sed tu indiges Domini auxilio: ipse ergo Dominus, qui scit quid tibi sit utile, uxorem concessit, nihil amplius. Hoc jussit, hoc præcepit, ne per illicitas voluptates corruat templum ejus, quod esse cœpisti. Nunquid hoc ego dico? Apostolū audite: *Nescitis quia templum Dei estis & spiritus Dei habitat in vobis*? Hoc dicit Christianis, hoc dicit fidelibus: *Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus.* Videtis quomodò minatur? Non vis corrumpi domum tuam, quare corrumpis domum Dei? Certè facis alicui, quod pati non vis. Non est ergo quà evadatur. Tenetur ille, qui se teneri non putabat. Omnia enim peccata hominum aut ad corruptelam pertinent flagitiorum, aut ad facinora nocendi. Quia Deo nocere non potes in facinoribus, in flagitijs eum offendis, in corruptelis illum offendis, in te illi facis injuriam: facis enim injuriam gratiæ ipsius, domui ipsius. Servum si haberes, velles ut serviret tibi servus tuus: servi tu meliori domino, Deo tuo. Servum tuum non tu fecisti; & te & servum tuum ille fecit. Vis ut tibi serviat, cum quo factus es; & non vis servire ei à quo factus es? Ergo cùm vis ut serviat tibi servus tuus homo, & tu non vis servire Domino Deo tuo, facis Deo, quod tu pati non vis. Ergo illud unum præceptum continet duo, illa duo continent decem, illa decem continent omnia". Ex hac Augustini deductione apparet affirmativum illud Christi præceptum §. præcedenti in fine relatum. *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*, nequaquàm adæquatè correspondere illi communissimo legis naturæ præcepto, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*. Quamvis enim quoad complexionem præceptorum secundæ tabulæ paria sint ambo, istud tamen postremum complectitur insuper præcepta etiam primæ tabulæ, quæ non comprehenduntur sub altero, quippe restricto ad *homines*: quâ restrictione seclusâ, alterum præceptum alteri plenè adæquatèque correspondere t, & singula totum atque integrum Decalogum comprehenderent. Notavit hanc discrepantiam Augustinus, cùm ait: [p] Videtur hoc præceptum (*Quæcunque vultis &c.*) ad dilectionem proximi pertinere, non etiam ad Dei; cùm alio loco *duo præcepta* esse dicat, *in quibus tota lex pendeat, & Prophetæ.* Nam si dixisset, *Omnia quæcunque vultis fieri vobis, hæc vos facite*; hâc unâ sententiâ utrumque illud præceptum complexus esset: citò enim diceretur, diligi se velle unumquemque & à Deo, & ab hominibus. Cùm itaque & hoc ei præciperetur, ut quod sibi fieri velit, hoc faceret; id utique præciperetur, ut diligeret Deum & homines. Cùm verò expressiùs de hominibus dictum est, *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*; nihil aliud dictum videtur, quàm *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Sed non est negligenter attendendum quod subjecit, *Hæc est enim lex & prophetæ*: in his autem duobus præceptis non tantùm ait, *lex pendet & prophetæ*, sed etiam addidit, *tota*; pro eo quòd est *omnis*. Quod cùm hìc non addidit, servavit locum alteri præcepto, quod ad dilectionem Dei pertinet".

o. Aug. lib. de decem Chordis c. 10.

1. Cor. 3. 16. & 17.

P. Aug. 1. de Sermone Domini in monte c. 22

Mat. 22. 40.

Mat. 7. 12.

Mat. 22. 39.

Mat. 7. 12.

Mat. 22. 40.

CCCLXXVII. Per hæc referatur aditus solutioni tertiæ objectionis, quam probabilitatum patroni desumunt ex absurdo, quod nostræ OBIECTIO III.

nostræ sententiæ hactenùs astructæ clamant fore consectarium: Peccare scilicet homines non voluntariè. Cùm enim de ratione voluntarij sit, ut procedat à principio intrinseco cum cognitione finis; non potest censeri voluntarium, quod cum ignoratione vel ex ignoratione finis elicitur. Ignoratio quippe hujusmodi directè opponitur cognitioni ad voluntarium requisitæ, adeoque ad peccandum necessariæ; siquidem, Augustino teste, [q] „Usqueadeò peccatum voluntarium est malum, „ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium: & hoc quidem ita manifestum „est, ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat". Certè enim absurdum istud nullatenùs est nostræ sententiæ consentaneum, nedum consectarium, sed potiùs oppositum. Omnes enim quotquot adversùs naturæ legem peccant, in illam generalem & quasi transcendentalem ipsius legis sanctionem impingunt, [R] „Quam, eodem „Augustino teste, omnes habent in corde „fixam, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* „Nunquid hoc de paginis discitur, & non in „naturâ ipsâ quodammodò legitur? Furtum vis pati? Utique non vis. Ecce lex in „corde tuo, *Quod non vis pati, facere noli.* Et hanc legem transgrediuntur homines". Porrò quia hanc legem sibi intimè notam transgrediuntur, non modò peccatores, sed & prævaricatores jure merito reputantur, dicente Psalmographo, *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ:* „Nullus enim est, prout §. 375. „ex Augustino audivimus, qui faciat alteri „injuriam, nisi qui fieri sibi nolit. Et in hoc „transgreditur naturæ legem, quam non sinitur ignorare; dum id quod facit, non vult pati". Inquirit prætereà idem Augustinus mox ibidem, [S] *Nunquid lex ista naturalis non erat in populo Israël?* Respondet autem: *Erat planè, quoniam & ipsi homines erant. Sine lege autem naturali essent, si præter naturam humani generis esse potuissent.* Quæ sententia signanter recolenda est, non solùm quòd prætextitiam ignorantiam prædictæ sanctionis naturalis amputet, sed quòd prætereà novitiam illam & planè exoticam Caramuelis positionem jugulet, quâ ille asserit, [T] *Posse Deum creare homines exleges, hoc est, nulli morali legi subiectos.* Id enim Augustino mox relato censetur tam impossibile, quàm homines *præter naturam humani generis esse*, hoc est, homines nequaquam homines esse. Neque verò ibi continere se potuit Caramuelica innovandi libentia, sed eò usque se exporrigit, ut affirmet, posse Deum subijcere homines legi morali contrariæ Decalogo, quoad præcepta saltem secundæ tabulæ. Sic enim ait ibidem inferiùs n. 1184. *Articulos secunda tabula potuit Deus non indixisse, & potuit indixisse contradictorios, imò & contrarios.* Et rursùs n. 1191. *In tribus prima tabulæ articulis Deus non potest dispensare contrariè: in tota tamen lege potest contradictoriè, in secundâ tabulâ etiam contrariè.* Ubi quantùm ad primam assertionis partem non satis sibi constat assertor. Nam si Deus non possit dispensare contrariè in præceptis primæ tabulæ, ergo ea præcepta necessariò tenent vim obligandi, saltem eatenùs, ut nemini liceat exercere actus eis contrarios. Quod si ita sit, profectò non poterit Deus creare *homines exleges*: quia quicunque ab ipso creabiles fuerint, subjecti erunt legi morali prohibenti exercere actus contrarios præceptis primæ tabulæ: quippe in quibus ne Deus quidem ipse possit contrariè dispensare. In secunda assertionis parte fingit Deum posse hominibus dicere, *Non opus est ut alteri quigram faciatis, quod vobis fieri vultis.* In tertiâ denique parte asserit posse Deum facere homines, quantùm ad præcepta secundæ tabulæ, non modò exleges, verùm etiam antileges: ut nimirùm loco illius generalis præcepti, universam secundam tabulam complectentis, *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*, surrogetur istud non minùs generale, sed planè adversum, *Quicquid vultis ab hominibus fieri vobis, contrarium facite illis.* Exempli causâ, vultis à filijs vestris honorari, sed vos inhonorate parentes vestros: vultis à nemine occidi, sed vos occidite quotquot poteritis: vultis ut nullus res vestras furto vel rapinâ vobis auferat, sed quicquid poteritis clàm aut palàm ab alijs auferre auferte: vultis ut ad uxores vestras extraneus nullus accedat, sed vos quasi *equi emissarij, ad uxores proximorum vestrorum hinnite*: vultis ut nullus contra vos testimonium falsum proferat, sed vos in hypocrisi loquimini mendacium, unusquisque cum proximo suo, & de proximo suo: vultis ut nemo concupiscat uxores vestras, nemo domos vestras, aut servos, aut ancillas, aut boves, aut asinos, aut aliud quidquam vestrum; sed concupiscite vos quicquid occurrerit commodum aut delectabile in bonis alienis, sive uxor fuerit, sive domus, sive servus, sive ancilla, sive bos, sive asinus, sive aliud quidpiam libidini vestræ complacitum. Verùm quia ista Caramuelicæ subtilitatis portenta integro nuper syntagmate discussit ac displosit conterraneus ipsius Caramuelis, vir illustrissimus & eruditissimus Crispinus à Borgia, ex Archidiacono Saguntino & Præposito ac Cathedratico Valentino Episcopus Oriolensis, congregationis Oratorij, nolo his diutiùs immorari: dum tamen de isto novo legislatore Caramuelico dixero, quod de fictitio Manichæorum Deo Augustinus olim aiebat, [V] *Talem colunt Deum, qui nolunt colere Deum.* Non est certè ille Deus Patriarcharum, *sui nullus similis in legislatoribus*: non est Deus Israëli-

Marginalia:

[q] Aug. l. de vera Relig. cap. 14.

DILVITVR.

[R] August. Tract. 49 in Ioan.

Ps. 118. 119.

[S] August. in Psalm. 118. Conc. 25.

[T] Caram. lib. 2. Theol. Moral. nu. 1067.

Mat. 7. 12.

HEPTALOGVS CARAMVELICVS.

Hier. 5. 8.

Crisp. à Borgia.

[V] Aug. in conc. Faust. cap. ult. Iob 36. 22.

Israëlitarum, cui dictum est à Psalmographo, *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua*: Non est Deus Prophetarum, qui per horum unum ait, *Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes scripserunt injustitiam*: Non est Deus Evangelistarum, qui iniquis rerum arbitris indignabundè dicebat, *Quid autem & à vobis ipsis non judicatis quod justum est?* quasi diceret, Cur non ex eo quod fieri vobis vultis, colligitis qualiter erga alios gerere vos debeatis? Non est Deus Apostolorum, de quo horum quispiam ait, *Non est dissensionis Deus, sed pacis*: hoc est, non est qui ea præcipiat, quibus humana societas penitùs dissolvatur; parricidijs, homicidijs, adulterijs, furtis, rapinis, perjurijs, flagitijs omnia misceantur; quibus humanum genus in eum præcipitetur statum, quem Poeta describens ait; W. *Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus, Non socer à genero: fratrum quoque gratia rara est. Imminet exitio vir conjugis, illa mariti: Luridaterribiles miscent aconita novercæ: Filius ante diem patrios inquirit in annos. Victa jacet pietas.* Nec est quòd pro astruenda Caramuelis sententia ostendatur Dei omnipotentia: X. Neque enim, Augustino teste, potentiâ „ temerariâ, sed sapientiæ virtute omnipotens est". Unde & Pelusiota, Y. Si ex nobis „ quæratur, inquit, an omnia Deo possibi„ lia sint: respondeamus, eum omnia hæc „ posse, quæ ipsius naturæ consentanea sunt". Quænam autem hæc sint, edisserit pro parte Theodoretus, cùm ait; Z. Quòd si dixerint, „ *Quæcunque vult potest Deus*: dicendum illis „ erit, nihil eum velle facere, quod naturæ „ non congruat. Naturâ autem est bonus, ni„ hil ergo vult mali: naturâ est justus, nihil „ ergo vult injusti: naturâ est verax, men„ dacium ergo respuit: naturâ est immutabilis, mutationem ergo non recipit". Breviter & appositè Augustinus: A. Quod non „ potest justè, inquit, non potest justus". Quod mox ibidem exemplo ex Scripturis sumpto confirmans: „ Dominus, inquit, cùm „ per Angelos suos justum Loth de Sodomis „ exeuntem urgeret ut properaret in Segor: „ *Non potero*, inquit, *facere rem, donec tu illò* „ *introeas*. Non posse se dixit, quod sine du„ bio poterat per potentiam, sed non poterat per justitiam". Sed nec minùs appositè Anselmus: B. Sicut in Deo, inquit, quantum„ libet parvum inconveniens sequitur impos„ sibilitas: ita quantumlibet parvam ratio„ nem, si majori non vincitur, comitatur necessitas". Hinc est illa Richardi Victorini brevissima quidem, sed nervosa, de Deo sententia: C. *Nihil nisi quod decet, facere potest.* Non arbitror quemquam vel mediocriter sapientem reperiri, qui censeat decere Deum, aut congruere ejus naturæ, bonitati, sapientiæ, justitiæ, æquitati, ut præcipiat hominibus facinora illa ac flagitia, quæ tanquam contraria præceptis moralibus secundæ tabulæ mox recensuimus; aut inscribat eorum cordibus generalem illam sed planè irregularem regulam universa complectentem: *Quicquid vultis ab hominibus fieri vobis, contrarium facite illis.* Quod cùm ita sit, profectò falsum est quod Caramuel asserit, *posse Deum in secundâ Decalogi tabulâ dispensare etiam contrariè*: ex adverso autem verum est quod ex Augustino suprà memoravimus, *homines sine lege naturali essent, si præter naturam humani generis esse potuissent.* Ex quo ulteriùs fit, ut cùm impossibile sit homines præter naturam humani generis esse, impossibile pariter sit, eosdem sine lege naturali esse: sine illa nimirùm lege naturali, *quam nemo sinitur ignorare, qua præscribit ut alijs non faciamus, quod nobis fieri nollemus.*

Ps. 118. 85.
Isa. 10. 1.
Luc. 12. 17.
1. Cor. 14. 33.
W. Ovid lib. 1. Metamor.
X. Aug. lib. 9. de Gen. ad lit. c. 17.
Y. Isid. Pelus. lib. 2. Epist. 117.
Z. Theodor. Epist. 144.
A. Aug. l. 1. contra Gaudent. c. 30. vide Hugon. Vict. q. 40. in Epist. ad Galat.
Gen. 19. 22.
B. Ansel. l. 1. Cur Deus homo, c. 10.
C. Richar. Vict. lib. de statu Inter. homin. s. p. 1. c. 23. Vide D. Tho. 1. 2. q. 100. a. 8. in corp. & ad 2. & ibi Sylvium, cum iis quos citat.

C A P V T CI.

Possitne lex naturæ quoad omnia morum principia à quoquam rationis compote invincibiliter ignorari? Ethnici Philosophi & legislatores multa docuerunt & sanxerunt contra particularia legis naturalis præcepta, sed nihil directè contra œcumenica principia. Expenditur Psalmographi versiculus, Absorpti sunt juncti Petræ judices eorum. *Proponitur quæstio de invincibilitate ignorantiæ præceptorum Decalogi; & excutitur Caramuelis positio*, Prudentia humana viribus naturæ derelicta probabilissimè crederet dari plures Deos. *Caramuel arrogat probabilitati, quod denegat Deitati. Ejus principijs consectaneum est excusari posse à culpâ non modò polytheismum, sed & atheismum. Falsò innuit multas Respublicas etiam benè gubernatas omni religionis cultu caruisse. Summi delicti est nolle recognoscere, quem nequeas ignorare. Ignorantiam præceptorum Decalogi non dari invincibilem in ullis hominibus usu rationis pollentibus, multiplex ratio suadet, & vetustiorum Theologorum concors authoritas firmat. Cur minùs ignorari invincibiliter queant præcepta Decalogi, quàm fidei divinæ articuli? De ignorantiâ præceptorum Decalogi quid censuerit Vasquez, professus imitari se Cordubam?*

ccclxxviii. PEr præmissas trium principalium objectionum solutiones patet decisio quæstionis quâ petitur, num juris naturæ ignorantia dari possit invincibilis? Dicendum namque est, non posse quemquam rationis compotem ignorare invincibiliter legem naturæ, quantùm ad illa generalia principia, in quibus vel universa Decalogi præcepta, vel tota saltem secunda tabula recapitulatur: de quibus jam superiori capite disseruimus. Quapropter quisquis rationis compos violat quodcunque Decalogi præceptum, is formaliter vel interpretativè prævaricator est: quicquid enim sit de præcepto particulari cui contravenit, nunquam nisi vincibiliter ignorare potest sanctionem generalem legis naturæ, in se & sub se complectentem particulare istud præceptum quod violat: D. Ad „legem naturalem, inquit Divus Thomas, „pertinent primò quidem quædam præcepta communissima, QVÆ SVNT OMNIBVS NOTA: quædam autem secundaria „præcepta magis propria, quę sunt quasi „conclusiones propinquę principijs. Quantùm ergo ad illa principia communia lex „naturalis nullo modo potest à cordibus hominum deleri in universali: deletur tamen in particulari operabili, secundùm „quod ratio impeditur applicare commune „principium ad particulare operabile, propter concupiscentiam, vel aliquam aliam „passionem, ut suprà dictum est. Quantùm „verò ad alia præcepta secundaria potest lex „naturalis deleri de cordibus hominum, vel „propter malas persuasiones, eo modo quo „etiam in speculativis errores contingunt „circa conclusiones necessarias, vel etiam „propter pravas consuetudines, & habitus „corruptos: sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia „contra naturam, ut Apostolus ad Rom. 1. dicit". Ex hoc discrimine principiorum communium, & præceptorum particularium, subortum est aliud notatu dignum: nimirum quod nullus unquam Princeps aut Magistratus condiderit leges civiles directè oppositas principijs communibus; cùm tamen crebrò condiderint leges vel potiùs corruptelas, directè adversas præceptis particularibus. Unde cùm D. Thomas ibidem sibi objecisset, *Multa fuisse ab hominibus statuta contra legem naturæ, Ergo lex naturæ potest à cordibus hominum aboleri*: respondit in solutione ad 3. " Dicendum, inquiens, quòd ratio illa procedit de secundis „præceptis legis naturæ: contra quæ aliqui „legislatores statuta aliqua fecerunt, quæ sunt iniqua". Complures hujusmodi iniquas leges, paticularibus Decalogi præceptis adversas, recenset Theodoretus de curandis Græc. affect. Serm. 9. qui *de Legibus* inscribitur, Ex quo Hesselius: E. Philosophorum libri, inquit,

D. Thom. 1. 2. q. 94. a. 6. in corp. Vide ibid. a. 4. & q. 100. a. 8. & 11.

Vide q. 77. art. 2.

E. Hessel. in Decal. c. il.

inquit, iniquiſſimis legibus ſunt referti: videas Platonis leges de licenter mentiendo, de non ſuccurrendo valetudinarijs, de occidendis infantibus, de haud multùm puniendis homicidis & parricidis. Lycurgus ſuis legibus jubet hoſpites finibus pelli, pueros impunè proſtitui, fœminas licenter exponi, leges nuptiales everti". De hujuſmodi famoſis legum ſive conditoribus, ſive ſuggeſtoribus aut interpretibus, intelligit Auguſtinus illud Pſalmographi, *Abſorpti ſunt juncti petræ judices eorum*, hoc eſt, exinanita eſt authoritas eorum comparatà authoritati ejus de quo ſcriptum eſt, *Petra erat Chriſtus*: [Pſ. 140. 6.] [1 Cor. 10. 4.] [f. Auguſt. in Pſalm. 140.] f. Judices magni, ait ille, potentes, docti: ipſi dicuntur *judices eorum*, tanquam judicantes de moribus, & ſententiam proferentes. Dixit hoc Ariſtoteles: adjunge illum *Petræ*, & *abſorptus eſt*. Quid eſt Ariſtoteles? Audiat, *Dixit Chriſtus*: & apud inferos contremiſcit. Dixit hoc Pythagoras, dixit hoc Plato: adjunge illos *Petræ*, compara authoritatem illorum authoritati Evangelicæ, compara inflatos crucifixo. Dicamus eis, Vos litteras veſtras conſcripſiſtis in cordibus ſuperborum, ille crucem ſuam fixit in cordibus Regum. Poſtremò mortuus eſt, & reſurrexit: vos mortui eſtis, & nolo quærere quemadmodùm reſurgatis. Ergo *abſorpti ſunt juxta Petram* iſtam *judices eorum*: tamdiu videntur aliquid dicere, donec comparentur *Petræ*". De iiſdem populorum judicibus & iniquarum legum dictatoribus Lactantius: [g. Lactant. l. 3. cap. 29.] g. Omnis ſapientia hominis, inquit, in hoc uno eſt, ut Deum cognoſcat, & colat. Hoc noſtrum dogma, hæc ſententia eſt. Quantâ itaque voce poſſum, teſtificor, proclamo, denuntio: hoc eſt illud, quod Philoſophi omnes in totâ ſuâ vitâ quæſierunt, nec unquam tamen inveſtigare, comprehendere, tenere valuerunt: quia religionem aut pravam tenuerunt, aut totam penitùs ſuſtulerunt. Faceſſant igitur illi omnes, qui humanam vitam non inſtruunt, ſed turbant. Quid enim docent, aut quem inſtruunt, qui ſeipſos nondùm inſtruxerunt? Quem ſanare ægroti, quem regere cæci poſſunt? Huc ergo nos omnes, quibus eſt cura ſapientiæ, conferamus. An expectabimus, donec Socrates aliquid ſciat? Aut Anaxagoras in tenebris lumen inveniat? Aut Democritus veritatem de puteo extrahat? Aut Empedocles dilatet animi ſui ſemitas? Aut Arceſilas & Carneades videant, ſentiant, percipiant"? Quibus conſona ſunt iſta Minutij: [h. Minut. in Octavio.] h. Socrates ſcurra Atticus viderit, nihil ſe ſcire confeſſus, teſtimonio licèt fallaciſſimi dæmonis glorioſus. Arceſilas quoque, & Carneades, & Pyrrho, & omnis Academicorum multitudo deliberet: Simonides etiam in perpetuum comperendinet. Philoſophorum ſupercilia contemnimus, quos corruptores & adulteros novimus, & tyrannos, & ſemper adversùs ſua vitia facundos. Nos, qui non habitu ſapientiam, ſed mente præferimus; non eloquimur magna, ſed vivimus: gloriamur nos conſecutos, quod illi ſummâ intentione quæſiverunt, nec invenire potuerunt". De hujuſmodi fallacibus morum Magiſtris rectè intelligitur dixiſſe verax Magiſter, *Omnes quotquot venerunt, fures ſunt & latrones*. [Io. 10. 8.] [i. Auguſt. Tract. 45. in Ioan.] Unde Auguſtinus: i. Fuerunt, inquit, quidam Philoſophi, de virtutibus & vitijs ſubtilia multa tractantes, dividentes, definientes, ratiocinationes acutiſſimas concludentes, libros implentes, ſuam ſapientiam buccis crepantibus ventilantes: qui etiam dicere auderent hominibus: *Nos ſequimini, ſectam noſtram tenete, ſi vultis beatè vivere*. Sed non intrabant per oſtium: perdere volebant, mactare & occidere". Certè enim quicquid legi naturali adverſum propinabant, noxium erat, pernicioſum erat, venenoſum erat: [K. Lactant. lib. 5. c. 1.] K. In hoc, inquit Lactantius, Philoſophi & Oratores & Poëtæ pernicioſi ſunt, quòd incautos animos facilè irretire poſſunt ſuavitate ſermonis, & carminum dulci modulatione currentium. Mella ſunt hæc, venenum tegentia". Porrò quamvis illi ſubindo venena propinaverint melle circumlita, particularibus Decalogi præceptis adverſa; nunquam tamen eouſque proſilierunt, ut aliquam legem conderent, aut condendam ſuggererent, directè oppoſitam communiſſimis illis legis naturalis principijs, quibus vetamur *alijs facere quod nobis fieri nollemus*, aut jubemur *præſtare alijs quod nobis præſtari vellemus*. Non ob aliud utique, quàm quod obliterari illa poſſint, iſta non poſſint. Idolorum cultus conſuetudine firmatus tandem lege latâ ſancitus fuit, contra primum Decalogi præceptum, ut §. 373. viſum eſt. Cujus legis plerique obſervatores, forte etiam conditores, ignorarunt particulare legis naturæ præceptum vetans idololatriam; ſed ignorare non poterant commune principium, totius Decalogi complexivum, quo vetatur quiſque *facere alteri, quod pati non vult*. Et ideò quamvis ſub eâ ratione, quâ particulare Decalogi præceptum violabant, non fuerint niſi peccatores; ſub ea tamen ratione, quâ commune principium ſibi notum tranſgrediebantur, fuerunt etiam prævaricatores. Et juxta hunc dicendi modum facilè conciliatur iſta Apoſtoli ſententia, *Ubi non eſt lex, nec prævaricatio*; [Rom. 4. 15.] cum illo Pſalmographi verſiculo, *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ*: [Pſ. 118. 119.] facilè quoque ab antilogiâ purgatur Auguſtinus cum ſuis ſequacibus, qui ſubinde videntur peccata ignorantiæ aſtruere, aliàs autem nullum peccatum

busque alicujus legis notitiâ agnoscere ; quia nimirùm peccata quæ perpetrantur ex ignorantia preceptorum particularium, non perpetrantur sine notitiâ principiorum communium : L. Cùm enim ad rectè agendum, inquit Divus Thomas, homo dirigatur duplici scientiâ, scilicet universali, & particulari ; utriusque defectus sufficit ad hoc, quòd impediatur rectitudo voluntatis & operis, ut suprà (q. 76. art. 1.) dictum est. Contingit ergo, quòd aliquis habeat scientiam in universali, puta nullam fornicationem esse faciendam ; & tamen non cognoscat in particulari hunc actum, qui est fornicatio, non esse faciendum. Et hoc sufficit ad hoc, quòd voluntas non sequatur universalem scientiam rationis ". Hæc ille satis appositè ad præmissa.

L. D. Thomas 1. 2. q. 77. art. 2. in corp. Vide q. 76. a. 1. ad 3. item q. 1. de Malo a. 6. in corp.

DUBIUM. § CCCLXXIX. Dubitari porrò hîc potest, utrùm ignorantia particularium præceptorum legis naturæ, in Decalogo expressorum, possit in hominibus usu rationis pollentibus dari invincibilis ? Aliud quippe est inquirere an detur ignorantia invincibilis totius legis naturalis, etiam quoad communissima principia, quod jam negativè decidimus : aliud verò an detur ejusmodi ignorantia particularium præceptorum in Decalogo proditorum, & sub communibus principijs, à nemine ignorabilibus, comprehensorum. Neque verò in dubium hîc revocatur num ejusmodi præcepta ignorari queant, sed num invincibiliter: ostensum quippe est superiùs cap. 98. & 99. ea à plerisque mortalibus ignorata fuisse partim ante legem Moysaicam Hebræis traditam, partim etiam ab ethnicis post eandem Hebræis traditam. Hoc ergo supposito, in quæstionem vertitur, utrùm ea ignorantia censeri debeat invincibilis, an vincibilis ? Et quidem Neoterici probabilitatum patroni consequenter ad suas Maximas asseverant, dari posse invincibilem. Cùm enim juxta ipsos sola invincibilis ignorantia excuset à culpâ, coguntur fateri eos omnes subjacere invincibili ignorantiæ præceptorum Decalogi, quos censent per *securissimas probabilitatum semitas* excusari, tametsi materialiter violent præcepta Decalogi. Exemplo sit Caramuel, qui violatorem primi præcepti, quo unius supremi Numinis cultus præscribitur, excusandum autumat probabilitate polytheismi. Asserit quippe ipse, M. *Deorum pluralitatem, stando puris principijs naturalibus, defendi posse & propugnari.* Et rursùs n. 1563. *Prudentia humana, viribus naturæ derelicta, probabilissimè crederet dari plures Deos.* Ecce non tantùm probabiliter, sed & *probabilissimè* ethnici homines suæ humanæ prudentiæ relicti, sive fidei illustratione destituti, persuadere sibi poterant, *plures dari Deos.* Si autem dari, proculdubiò etiam coli, & quidem securè, juxta Caramuelis placita §. 355. relata, quibus asserit quamcunque probabilitatem per se præstare benè agendi securitatem. Ubi obiter notandum, Caramuelem plus tribuere probabilitati, quàm ipsi Deitati. Nam Deo denegat potestatem dispensandi contrariè in præceptis Decalogi primæ tabulæ, prout §. 377. vidimus : quam tamen potestatem arrogat probabilitati, quatenus asserit posse per eam credi adeoque tutò coli plures Deos, contra primum præceptum eorum trium, super quibus Deum posse contrariè dispensare pernegat. Cunctantiùs quidem ac timidiùs loquitur ipse de atheismo, quàm de polytheismo : sed tamen astruendo probabilitatem unius directè, astruere cogitur probabilitatem alterius obliquè : juxta illud Athanasij dictum §. 335. relatum, & Chrysostomi, Thodoreti, ac Tertulliani suffragijs firmatum, *Multitudo Numinum nullitas est Numinum.* Quo fit, ut si *multitudo Numinum* sit probabilis, etiam *nullitas Numinum*, perinde sit probabilis : & rursùs si cultorem *multitudinis Numinum* excuset probabilitas, etiam cultorem *nullius Numinis* perinde excuset probabilitas. Neque verò negare Caramuel potest illud Athanasij dictum esse saltem probabile, utpote quatuor ut minimùm doctissimorum authorum suffragijs munitum : quandoquidem juxta ipsum alibi, N. *In hoc omnes conveniunt, quòd opinio quatuor Authorum sit probabilis.* Sed an ipse inter hos *omnes* censendus ? Audi sequentia : *Sed contrà*, subdit, *ego hanc rationem efformo, quæ solutione hucusque caruit : Quicquid testantur quatuor Authores est probabile : sed ad probabilitatem non requiri quatuor Authores, sed unum omninò sufficere, quatuor testantur Authores, imò viginti, aut plures : Ergo opinio unius Authoris est probabilis. Hâc ratione usus sum in Commentario in Regulam D. Benedicti Disp. 6. n. 53. Interim quicquid de ista subtilitate sit, in illam sententiam sequero quæ docet, Quatuor Authorum opinionem esse satis probabilem.* Cogitur proinde Caramuel, suis Maximis insistendo, admittere probabilitatem atheismi, ad eum modum quo astruit probabilitatem polytheismi : ut dicat, *Prudentia humana, viribus naturæ derelicta, probabilissimè crederet nullum dari Deum.* Et verò hoc ipsum satis insinuat ; cùm invincibilem Dei ignorantiam astruit possibilem. Si enim hæc fuerit invincibilis, nihil profectò obstabit quin sit & probabilis. Ait igitur ipse lib. 2. Theologiæ Moralis n. 1301. *Posse dari invincibilem Dei ignorantiam quoad aliquod tempus, saltem breve, ferè omnes Scholastici admittunt : at verò posse dari hominem bono judicio præditum, qui invincibiliter totâ vitâ atheus sit, pauci admittunt ; pauciores que posse dari Rempublicam, quæ invincibiliter ignoret Deum.* Nullam harum trium sententiarum ipse improbat, quinimò tertiam, quæ & *pauciores* habet assertores,

M. Caram. lib. 4. Theol. Moralis n. 1559. Vide Greg. de Valentia tom. 2. disp. 6. q. 6. punct. 1. Corol. 7. in hac.

N. Caram. in Theolog. Fundam. n. 443. editionis Lugdu.

tores, & minorem cæteris verisimilitudinem, approbare videtur, subdens continuò ibidem: *Sanè multas* (Respublicas) *fuisse, & quidem benè gubernatas, à quibus omnis Deorum cultus proscriptus apud excellentissimos Authores videmus.* Pro exemplis allegat veteres Hispaniarum Gallecos, & noviter subactos Indiarum aliquot populos. Sed nec probat eorum Respublicas fuisse *benè gubernatas*, nec eorum ignorantiam fuisse *invincibilem*: denique neminem nominat eorum *Authorum*, quos vocat *excellentissimos*; ut inspici queat quidnam scribant, aut de quibus scribant. Nec sanè video cur cuiquam eorum credere hac in re debeamus, potiùs quàm Plutarcho, qui ex adverso ait: o. Peregrinantibus multas contingit occurrere absque „ mœnibus urbes, absque studijs litterarum, „ absque Regibus, absque auri argentique usu; „ quibus ignota prorsùs theatra, & gymnasticæ omnes exercitationes: quinetiam quibus nullæ sint domus, sed tuguria duntaxat, „ & mapalia. Nusquam autem extat urbs aut „ oppidum, quibus nullus sit Deus, nulla juramenta, nullæ preces, nulla sacrificia ad „ bona curanda, & mala impendentia prævertenda. Talem urbem nemo unquam vidit, „ aut verò videre potuit: potiùsque sine Sole, „ quàm sine Deo ac religione urbem quis conspexerit. Hi enim sunt nervi totius humanæ societatis, & fundamenta, sine quibus „ nullæ leges vigere, nulla politia consistere queat". Verùm quia Plutarchus fuit ethnicus, lubet inspicere quid Christiani de ignoratione Dei veri, quem primo Decalogi præcepto colere jubemur, censuerint: p. Vulgus, „ inquit Cyprianus, in multis Deum naturaliter confitetur, cùm mens & anima sui „ authoris & principis admonetur. Dici frequenter audimus, *ô Deus*, & *Deus videt*, & „ *Deo commendo*, & *Deus mihi reddet*, & *quod vult Deus*, & *si Deus dederit*. Atque hæc est summa delicti, nolle agnoscere, quem ignorare non possis". Et Tertullianus in Apologetico: q. Quod immensum est, inquit, soli sibi „ notum est: hoc quod est, Deum æstimari „ facit, dum æstimari non capit. Ita eum vis „ magnitudinis & notum hominibus objecit, „ & ignotum. Et hæc est summa delicti, nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt". Ecce quemadmodùm uterque consonanter asseverat, *Deum ignorari non posse*: utique invincibiliter sive inculpatè: r. Hæc est „ enim, ut ait Augustinus, vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti „ non omnino ac penitùs possit abscondi". Unde & Damascenus ait, s. Nemo est mortalium, cui non hoc à Deo naturaliter insitum sit, ut Deum esse habeat perspectum". Et Arnobius: t. Quisquamne est hominum, „ inquit, qui non cum istius Principis notione „ diem primæ nativitatis intraverit? Cui non „ sit ingenitum, non affixum, imò ipsis penè „ in genitalibus matris non impressum, non „ insitum, esse Regem ac Dominum, cunctorum quæcunque sunt moderatorem"? Planum proinde est, notitiam Dei ita omnibus hominibus esse à naturâ insitam, ut adultorum nullus eâ carere, nisi fortè vincibiliter & culpabiliter, possit. Ex quo ulteriùs fit, ut ipsa ejus carentia pœnam promereatur ut culpabilis. Quâ de re Minutius: v. Eos meritò „ torqueri, inquit, qui Deum nesciunt, ut impios, ut injustos, nisi profanus nemo deliberat: cùm parentem omnium, & omnium „ Dominum, non minoris sit sceleris ignorare, quàm lædere". Ecce quemadmodùm reputet *profanum* eum omnem, qui in deliberationem seu dubitationem revocat, num meritò tanquam impij & injusti torqueantur, qui Dei nescientia obtenebrantur! Sed nec hoc contentus, addit pro ratione, quòd *Parentem omnium ac Dominum non minoris sit sceleris ignorare quàm lædere*.

o Plutarch. lib. contra Colotem c. 33.

p Cyprian. lib. de vanit. idolorum.

q Tertul. in Apolog. cap. 17.

r August. Tract. 106. in Ioan.

s Damasc. lib. 1 de fide orthod. c. 1.

t Arnob. l. 1. adversus Gentes.

v. Minutius in Octavio.

CCCLXXX. His ita discussis respondetur ad dubium proximo §. propositum, ignorantiam præceptorum Decalogi nunquam in hominibus usu rationis preditis dari invincibilem. DECISIO Quæ responsio multipliciter suaderi potest: primò quidem à posteriori ex dictis cap. 96. ubi ostendimus eos subjacuisse reatui culpæ ac pœnæ, qui Decalogi præceptis ignoranter contraveniebant. At verò si eorum ignorantia fuisset omninò invincibilis, nequaquàm subjacuissent reatui culpæ aut pœnæ, prout palàm ultroque fatentur Adversarij: è quibus Caramuel: w. *Qui violat legem*, inquit, *quâ se teneri invincibiliter ignorat, aut quâ se non teneri probabiliter putat, non peccat, adeòque nec puniri poterit.* Et rursùs n. 1331. *Qui probabilem sequitur opinionē, insuperabiliter veritatem ignorat: adeoque debet non peccare. Si enim insuperabilis ignorantia nō excusaret à peccato, juberet Deus impossibilia, interdiceretque necessaria.* Et lib. 2. Theologiæ Moralis n. 1048. propositâ quæstione in specie de lege Decalogi: *Lex æterna moralis*, inquit, *hominibus imponitur. An omnibus? Primò imponi omnibus ratione utentibus, & cognoscentibus obligationem, tam certum est, ut probari non debeat. Secundò non esse impositam invincibiliter eam ignorantibus, ostendi, affirmans Deum misericordiæ fontem neminem voluisse ultra vires humanas obligare.* Cùm igitur ex dictis cap. 96. & sequentibus constet, homines ex ignorantia præceptorum Decalogi peccasse contra ipsam legem Decalogi, signanter eo tempore de quo ait Apostolus, *Peccatum non imputabatur, cum lex non esset*: constare utique debet, ignorantiam, quâ laborarunt, non eos excusasse à peccato. Quæro igitur num illa eorum ignorantia fuerit vincibilis an invincibilis? Si Adversarij dixerint

w Caram. in Theolog. fundament. n. 1077. Vide Tamburin. lib. 8. in Decalog. c. 2 § 10. n. 4.

Rom. 5. 13.

Ddd 3 fuisse

fuisse invincibilem, evertent penitùs suas Maximas jam relatas, quibus asseverant, eos nullatenùs subjacere culpæ aut pœnæ, qui invincibiliter nesciunt culpabile aut punibile esse quod faciunt. Si autem vincibilem dixerint, necesse est ut fateantur non dari invincibilem Decalogi ignorantiam in ullis hominibus usu rationis præditis: adeoque omnem Decalogi ignorantiam in talibus esse vincibilem. Nulla enim legitima sciendi impedimenta allegari pro alijs possunt, quæ in præfatis Decalogi violatoribus locum non habuerint: ac per hoc si nulla sciendi impedimenta præstare potuerint ut eorum ignorantia evaderet invincibilis, profectò nulla sciendi impedimenta præstare poterunt, ut aliorum quorumlibet hominum, usu rationis pollentium, ignorantia Decalogi, evadat invincibilis. Restat proinde ut & in illis vincibilis fuerit, & in reliquis pariformiter vincibilis censeri debeat. Secundò eadem responsio suaderi potest à priori ex dictis, capite proximo, ubi ostendimus inprimis communia legis naturalis principia non posse à quoquam rationis compote ignorari: Insuper quoque ostendimus universa Decalogi præcepta principijs illis evidenter cohærere, ad eum scilicet modum quo conclusio demonstrativa cohæret præmissis primò veris, è quibus per manifestam consequentiam elicitur. Sicut ergo fieri nequit ut is qui scit omne rationale esse risibile, & omnem hominem esse rationalem, ignoret invincibiliter omnem hominem esse risibilem: ita fieri nequit ut is qui scit nihil alteri esse faciendum quod sibi fieri nolit, & scit se nolle sibi fieri furtum, homicidium, aut aliam quamcunque injuriam, ignoret invincibiliter eadem à se nequaquam alteri esse facienda. Tertiò eadem responsio suaderi potest ex dictis partim §. 359. partim 365. ubi ex Augustino ostendimus, eos, qui ignorantiâ rerum agendarum omittendarumve laborant, posse suam ignorantiam vincere, *petendo sapientiam à Deo, qui dat omnibus affluenter: utique his omnibus, qui sic petunt, & tantùm petunt, quo modò & quantùm res tanta petenda est.* Neque verò ab hujusmodi petitionis instantiâ excusare quemquam potest sua ignorantia: [x] Nulli „enim hominum, ut Augustinus perhibet, „ablatum est scire utiliter quærere, quod inutiliter ignorat: & humiliter confitendam „esse imbecillitatem, ut quærenti & confitenti ille subveniat, qui nec errat dum subvenit, nec laborat". Quemadmodùm igitur in agendo, ita & in petendo, unusquisque rationis compos instruitur quibusdam generalibus regulis, à nemine ignorabilibus: quibus si legitimè uti velit, excussâ ignorantiâ ad sapientiam perveniet. Unde & Augustinus capite proximè sequenti testatur, "Animam accepisse naturale judicium, quo sapientiam præponat errori, & quietem difficultati; ut ad hæc non nascendo, sed studendo perveniat". Addit & ibidem rursùs post pauca: "Anima omnis & quærendum esse concedit quod inutiliter nescit, & perseveranter in officiosis laboribus enitendum „ad evincendam rectè faciendi difficultatem, „& opem à Creatore implorandam: ut conantem adjuvet, qui vel extrinsecùs lege, „vel intimis cordis allocutione conandum esse præcepit". Quartò denique eadem responsio suaderi potest communi calculo Scholasticorum §. 361. in fine memoratorum; inter quos & Gersonem retulimus, incunctanter dicentem: *Concors est sententia, nullam in his quæ legis divinæ sunt cadere ignorantiam invincibilē.* Quod sanè vel potissimùm verificari debet de lege divinâ naturali, quam Decalogus continet per articulos digestam: de quâ specificè loquens Alphonsus à Castro: [y] Theologi omnes, inquit, concorditer docent, ignorantiam legis naturę neminem excusare à transgressione illius legis". Ubi ne quis putet eum loqui de lege naturæ non quoad particularia præcepta in Decalogo digesta, subdit ibidem postpaucula: "Naturali ratione suadente, sine „aliquo alio præceptore, intelligere homines „valent ea, quæ lex in Decalogo præcipit". Sermo ergo ei est de lege naturali, prout ea per articulos in Decalogo exprimitur. De eâdem quoque sic spectatâ, intelligendus est Adrianus, dum in quodlibeticis ait: [z] Ignorantia juris naturalis quoad prima principia „legis naturæ, & alia quæ quis pro officio „vel statu scire tenetur, unicuique est damnabilis". Ubi quid per *prima principia legis naturæ* intelligat, ipsemet satis indicat inferiùs Quodlibeto 4. q. 1. cum argumentis: "Eorum, inquiens, quæ sunt legis divinę, est „differentia: quędam enim sunt, quorum „notitia omnibus adultis necessaria est ad „salutem; quædam verò, quorum notitia „solùm quibusdam est necessaria ad salutem. „Prima, ut communia juris naturalis præcepta, cujusmodi sunt præcepta Decalogi, „& communes articuli fidei, ut de omnipotentiâ Dei, Christi humanitate, passione, „resurrectione, & de resurrectione mortuorum „& sic de alijs. Et horum ignorantia in nullo est invincibilis". Ubi per *communia juris naturalis præcepta*, ea ipsa intelligit, quæ superiùs vocaverat *prima principia legis naturæ*. Utrobique proinde intelligit præcepta Decalogi, de quibus posteriori loco subdit, *cujusmodi sunt præcepta Decalogi*. Horum proinde ignorantia juxta ipsum, *unicuique est damnabilis*: atque adeò, ut postremo loco ait, *in nullo est invincibilis*. Cui sententiæ, quantùm ad aliqua saltem Decalogi præcepta, suffragatur Gregorius de Valentia:

x. Aug. lib. 3. de lib. arbit. cap. 19.

Gerson.

y. Alphons. a Castro de potestate legis poenalis cap. 1. Vide lib. & ibid. c. 14.

z. Adrian. q. 1. Quodlib. cum argumentis. art. 4.

A Greg. de Valentia to. 3. Disp. 6. q. 4 punct. 1. Coroll. 7. Vide Tanner tom. 2. Disp. 4. q. 5. Dub. 1. n. 14. & 15.

Valentia: qui cùm dixisset, A. Ignorantiam „invincibilem posse contingere & circa quod- „vis factum contingens, & circa quodvis jus": continuò subjunxit exceptionem à posteriori membro." Exceptis, inquiens, primis prin- „cipijs legis naturę, qualia sunt, Bonum esse „faciendum, Malum vitandum, Quod tibi „non vis fieri, alteri ne feceris &c. item ex- „ceptis alijs pręceptis, quę ex hujusmodi „principijs nullo negotio à quovis homine „deduci possunt: ut quòd sit Numen divinum „colendum, quòd parentes sint honorandi". Generaliùs de omnibus Decalogi pręceptis, simpliciter ac sine peculiari aliquâ circumstantiâ spectatis, loquitur Vasquez, professus se sequi Antonium de Corduba lib. 2. q 4. conclus. 1. B. Concedimus, inquiens, nunquam „contingere ignorantiam invincibilem in pri- „mis principijs naturalibus, neque in pręcep- „tis Decalogi, quę sunt propinquæ conclu- „siones, nisi ex culpâ aliquâ, ut explicatum „est Et ita nostra sententia confirmatur testimonio etiam S. Thomę". Ubi alludit ad locum S. Thomæ §. 378. sub initio descriptum: cui addi possunt & alia ejusdem Sancti Doctoris testimonia §. 361. relata. Subdit porrò Vasquez ibidem mox: " Dico, prima princi- „pia moralia, & præcepta Decalogi, adeò „esse nota lumine naturali, ut si simpliciter, „& sine circumstantiâ aliquâ peculiari occur- rant, nunquam ignorentur sine culpâ". Breviter & dilucidè Durandus, rationem assignans cur minùs pręcepta Decalogi excusabiliter ignorari queant, quàm articuli fidei; „C. Non est simile, inquit, de præceptis, & „de articulis: quia præcepta sunt de jure na- „turali, & nota in lumine naturali; & ideò „nullus excusatur si per ignorantiam faciat „contra ea, cùm recta ratio naturalis dictet „ea Articuli autem sunt supra rationem, nec „habentur nisi ex alterius revelatione seu „doctrinâ; propter quod ignorantia eorum „est in toto excusabilis, quoad illos, quibus „non fuissent per aliquem modum expliciti, si per eos non stetisset".

B Vasq. to. 1 in 1. 2. Disp. 123. c. 1. n. 7. Corduba. D Thomas. Vide eundem Quodlibeto 3. a. 10. & Zumel in 1. 2. q. 76. a. 2. a Medinam ibidem.

C. Durand. in 3 Dist. 25. q. 1. ad 2. Vide Alex. Alens. 2 p. q. 139. Memb. 8.

C A P V T CII.

In legibus magnoperè à politicis commendantur paucitas & claritas. Sicut multitudo medicorum & pharmacorum subindicat multitudinem morborum, ita multitudo legum multitudinem litium. Iusti Lipsij gravis expostulatio cum Cæsare Lothario, super reducto legum auctario. Solon obscurando legum suarum Edicta, amplificavit Iudicum subsellia. Advocatorum, cuilibet indiscretim causæ patrocinari promptorum, detestanda avaritia pariter ac nequitia perstringitur, & exemplo Galeacij Ducis Mediolanensis animadvertenda suggeritur. Decalogum, paucis planisque legibus divinitus digestum, humana subtilitas, varietate interpretationum adeò obscuravit ac litigijs substravit, ut vix ea in re cedat vel Lotharij Pandectis, vel Solonis Scitis. Præceptum diligendi Deum, quod Christo primum est ac maximum, à quibusdam ita eluditur, ut prædicare præsumant, Non teneri hominem in rigore per totam suam vitam elicere unquàm actum amoris Dei. *Contrarium natura suggerit, ratio suadet, authoritas evincit. Nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, nolit saltem rependere. Referuntur & eliduntur ratiunculæ, quibus aliqui contendunt non dari speciale præceptum diligendi Deum. Exhibitio operis probatio est dilectionis. In quanta errorum præcipitia clientulos suos devolvat amor novitatis, & nausea vetustatis? Crebri piorum gemitus pro culpis nesciênter incursis. Psalmographi versiculus istuc spectans,* Conversus sum in ærumnâ meâ dum configitur spina.

a Lips.

DUo sunt quæ in legibus magnopere commendantur à Politicis, paucitas nimirùm, & claritas: quorum alterutro deficiente leges fiunt litium seminaria, quarum deberent esse repagula. Inde est illud Arcesilai, D. Quemadmodum ubi pharmaca „multa multique medici sunt, ibidem & „morbi abundant: sic etiam ubi plurimæ leges fuerint,

D. Arcesilaus, apud Stobæum Serm. 41.

fuerint, ibi & injustitia viget maximè". Quò alludens nuperus quidam Scriptor: [g] "Quemadmodùm, inquit, multorum signa sunt morborum medici multi, multaque pharmaca: ita ubi multæ sunt leges, multa injustitia est: imò legum multitudo mali Reip. status indicium est. Nòn igitur probanda. Et utinam pro tot indigestis legum voluminibus unum esset breve ac perspicuum juris compendium. Illa legum multitudo litium est seminarium, in quas multò plùs quævis Respublicâ quàm in bellum impendit: adeò leges, quæ finiendis inventæ sunt litibus, lites quotidie generant, dum quæ bona sunt, ad injuriam à pravis ingenijs detorquentur". Et ante hunc Iustus Lipsius: [f] "Leges in Republica, inquit, ut medicamenta esse debent: atqui nec hæ multa aut varia probentur: non item illæ. Plato verissimè: *Vbi plurima leges, ibi & lites, itemque mores improbi*. Deus bone, quàm rem tetigit! & usus ubique gentium aut temporum hoc affirmabit. Maneamus in Romanâ Republicâ: Paucas ea initiò habuit, paulò plures Decemviri addiderunt; & ita ad Principes ferè mansit. Tunc sanè plures: & à Iustiniano plurimæ, quibus utimur; Lothario Imperatore, cùm diu siluissent, eas reducente: nam Gallia, Hispania, Germania, earum ad id ævi ferè expertes erant. Receptæ igitur sunt: & quo fructu? Certè illo litium, nemo negaverit, quæ ex eo nimiùm quantùm succreverunt. Europam vide; & mentior, nisi maxima ejus pars circa istas occupatur. Alij judicant, alij instruunt, alij agunt; &, qui miserrimi sunt, eas habent. Bone Lothari, manes tui, per me quiescant, sed rosæ aut lilia sepulchrum tuum non ornent, qui tot tricas & spinas nobis sevisti. Nam quæ tam clara causa est; quæ non aliquâ lege, lege? imò interpretatione, nam & has admisimus, obscuretur? Quæ tam improba, cui non dent colorem? Ars enim facta est causidicina, & peritè captare aut capere laudem habet". Et hæc quidem pro legum paucitate, sive contra nimiam earum numerositatem. Superest claritas, de qua idem qui suprà Vernulæus ibidem §. 6. ait: "Proba lex, & multitudini profutura, simpliciter & æquè omnibus apertè scribi debet; ne variâ pro cujusque arbitratu interpretatione torqueatur". Et mox iterùm ibidem: "Quæ ambiguæ sunt leges, inquit, Forensibus rabulis litium infinitarum occasionem præbent". Huc quoque spectat illa Isocratis ad Nicoclem parænesis: "Leges oportet te ponere æquas & utiles, & sibi invicem concordes, MINIMEQVE ANCIPITES; sed quæ oppidò quàm faciles habeant solutiones". Etenim utroque jure sancitum est, leges ita condi debere, ut ab ijs quibus imponuntur intelligantur. Extat eâ de re constitutio Imperialis lib. 1. Codicis, ita sonans: [G] "Leges sacratissimæ, quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent: ut universi præscripto earum manifestiùs cognito vel inhibita declinent, vel permissa sectentur". Unde & Iustinianus Novellâ 107. c. 1. (*Quid enim*, inquit, *sic proprium est legum, sicut claritas*) Corpori quoque Iuris Canonici inserta est illa Isidori Hispalensis sententia lib. 5. Originum cap. 21. [H] "Erit autem lex, honesta, justa, possibilis, secundùm naturam, secundùm patriæ consuetudinem, loco temporique conveniens, necessaria, utilis; MANIFESTA QVOQVE, NE ALIQVID PER OBSCVRITATEM IN CAPTIONEM CONTINEAT". In Extravagantibus denique Ioannis XXII. legitur: [I] "Sedes Apostolica in suis actibus veritatem prosequens, lucem amans; libenter evitat nodosæ ambiguitatis involucrum". Hoc ipsum conari debent omnes legislatores: alioquin enim condendo leges, multiplicabunt lites; multiplicando autem lites, committent inter se cives. Verissimum quippe est illud Platonis, [K] "Nunquam fuerint concordes aut inter amantes cives, ubi mutuæ multæ lites judiciales sunt, sed ubi eæ brevissimæ, & paucissimæ". Quâ in re non caruit reprehensione famosus ille Atheniensium legislator Solon, de quo Plutarchus: [L] "Dicitur, inquit, legibus scribendis implicatioribus, & multùm contortis, vim amplificasse subselliorum: cùm enim non possent per leges decidi lites, evênit ut nunquam non opus haberent Iudicibus; ad quos, sicut legum quodammodò dominos, controversias omnes deferrent". Nihil famelicis & avaris causidicis accidere potest gratius aut optatius, ejusmodi perplexarum legum emanatione. Hi enim libenter piscantur in aquâ turbidâ; &, quemadmodùm olim aiebat de eis Ammianus Marcellinus: [M] "Ut in professione turbulentâ clarescant, ad expugnandam veritatem ora mercenaria procudentes, per prostitutas frontes, vilesque latratus, quò velint, aditus sibi patefaciunt crebros. Qui inter sollicitudines Iudicum per multa distentas, irresolubili nexû vincientes negotium, laborant ut omnis quies litibus implicetur". Ex hoc genere hominum fuit ille, qui oblatâ suo Principi operâ ad patrocinandum causæ patenter iniquæ, pro mercede reportavit ab eo restim. Quâ de re Lipsius libro & capite mox citatis: "Galeacius, inquit, Dux Mediolanensium, cùm aliquoties audisset, vafro ingenio causidicum esse, qui lites serere, & satas producere, atque alere, etiam in liquido jure posset:

[g] Nic. Vernul. l. 3. Institut. Polit. tit. 2. §. 4.
[f] Lips. l. 2. Exemplor. Polit. c. 10.
Vernulæus. Vide Petrũ Gregor. lib. 10. de Rep. c. 5.
Isocrates.
[G] Lib. 1. Cod. tit. 14. cap. 9.
[H] Cap. Erit autem lex, Dist. 4.
[I] Extravag. 4. cap. 1.
[K] Plato l. 5. de legibus.
[L] Plutarch. in vita Solonis.
[M] Ammianus Marcel. lib. 30.
Lipsius. Galeacius.

„ posset, hominem ad se accitum affatur: „ Debeo, inquit, *pistori meo centum aureos: non lubet solvere. Tu ecquid tueris me in jure, & rem protellere potes?* Annuit largiter, & Principi promptè se dedit: sed iste ei malum. Nam fraudis sic confessum, verbis „ priùs increpitum, laqueo publicè necari jussit".

CCCLXXXII. Universam naturæ legem exiguo decem præceptorum dilucidè expressorum numero complexus est is, *Cui nullus similis in legislatoribus*: ut proindè nemo in eâ sic contractâ conqueri jure queat sive de nimiâ præceptorum numerositate, sive de eorundem obscuritate. Verumtamen, quod magnopere dolendum est, humana curiositas tot ac tam varias interpretationes commenta est, tot tricas ac spinas superseviт, tam densas nodosæ ambiguitatis nebulas offudit: ut non minùs obnoxiæ sint hodie litigijs sanctiones Decalogi, quàm Pandectæ Lotharij, vel olim leges Solonis. Quid enim in toto Decalogo intactum relinquant, aut litigio obnoxium non reddant, qui præceptum diligendi Deum, quod Christus *Maximum & primum mandatum* pronuntiavit, in dubium revocant? Inter viginti sex Articulos, quos die 4. Maij. 1657. Facultas Theologica Lovaniensis, ad requisitionem Episcopi Gandavensis, improbavit, & suis sigillatim censuris perstrinxit, vigesimus quartus ordine fuit iste: *In rigore loquendo videtur quòd homo non teneatur unquam per totam vitam suam elicere actum amoris Dei.* Quem eundem Articulum biennio pòst Episcopus Namurcensis cum suâ Synodo Diœcesanâ circumscripsit, unà cum alijs sedecim, ad calcem ejusdem Synodi recensitis. Video tamen eundem Articulum, saltem æquivalenter, tradi à Tamburino, etiam in editione Insulensi anni 1660. Ubi cùm Author varia commemorasset tempora quibus juxta diversos scriptores urget obligatio diligendi Deum ex vi istius præcepti, subdidit: [N] Mihi placet „ doctrina Azorij, qui docet, hoc præceptum charitatis impositum fuisse ob justificationem impij: solùm igitur tunc obli- „ gare, quando impius, quia Sacramentum „ pœnitentiæ non est in promptu, non ha- „ bet aliam viam, quâ se justificet, nisi eli- „ ciat actum contritionis, quæ semper ali- „ quo tandem modo actum amoris Dei su- „ per omnia dilecti involvit. Consequenter „ igitur & indirectè, ratione suæ justifica- „ tionis, ad actum charitatis fideles obli- „ gantur. Vide suprà cap. 1. §. 1. n. 10. ubi „ idem loquendi modus mihi placuit de præcepto actûs fidei, & spei". His verbis æquivalenter à Tamburino tradi prædictum Articulum, patet ex eo, quòd in rigore loquendo fieri possit ut nunquam desit impio via se justificandi per Sacramentum pœnitentiæ quoties opus fuerit. Si ergò præceptum eliciendi actum charitatis tunc solùm obliget, quando absque Sacramento pœnitentiæ impius tenetur sese justificare: profectò quisquis in infantia baptizatus vel nunquam posteà fit impius, vel in promptu habet Sacramentum pœnitentiæ quoties tenetur ab impietate resurgere, is *non tenebitur unquam per totam vitam suam* quantævis diuturnitatis, *elicere actum amoris Dei.* Quod si ita est, certè non tenebitur *in rigore*: quia nemo in rigore tenetur ad id, sine quo, per se loquendo & seclusis extrinsecis, satisfacere plenè potest functioni & obligationi suæ. Unde idem ipse Tamburinus ibidem n. 3. conformiter ad sua principia jam relata concludit, *Præceptum charitatis indirectè solùm & ratione alterius obligare.* Stupenda planè ordinis transversio, ut quod Christus disertis verbis pronuntiavit *Primum omnium mandatum*, id Doctor Christianus audeat dicere, *indirectè solùm & ratione alterius obligare.* Si enim indirectè solùm & ratione alterius obligat, quis non videat prius ac principaliùs illo esse istud alterum directè obligans, ratione cujus ipsum indirectè solummodò obligat? Rursùs cùm illud censeatur magis tale, propter quod alterum est tale; nonne planum est ea præcepta propter quæ mandatum dilectionis indirectè duntaxat obligat, magis obligare quàm ipsum, quod non nisi propter ea obligat? Falsò igitur dixerit Veritas mandatum dilectionis non modò *primum esse*, sed & *maximum.* Sed quia illa non falsò dixit quod dixit, testat profectò ut hîc subintret illud Gregorij, [O] *Aliud Iudex nunciat, & aliud præco clamat.* Absit proinde ut quisquam veritatis studiosus aurem præbeat præconi contra Iudicem clamanti, ac non potiùs Iudici contra talem præconem nuncianti. Audiendus ex adverso fuerit veteranus ille ejusdem Iudicis præco, qui idipsum clamans, quod Iudex nunciaverat: [P] Iustum est Domine, inquit, ut diliga- „ mus te, quia & tu nos diligis: & iniquum „ omninò est, ut te in aliquo dilecti tui of- „ fendant. Verè *hoc mandatum legem complectitur & Prophetas,* & in hoc verbo omnium „ Scripturarum volumina coarctantur. Hoc „ natura, hoc ratio, hoc Domine verbi „ tui clamat authoritas: hoc ex ore tuo au- „ divimus; hîc invenit consummationem „ omnis religio. Primum est hoc mandatum „ & ultimum: hoc in libro vitæ conscrip- „ tum, indeficientem hominibus & Ange- „ lis exhibet lectionem. Legat hîc unum ver- „ bum, & in hoc mandato meditetur Christia- „ na religio, & inveniet ex hâc Scriptura

Marginal notes: Ib. 36. 22. — Mat. 22. 38. — [N] Tamburin. in Decalog. lib. 2. c. 3. §. 3. n. 2. — Mat. 22. 39. — Vide Divum Thom. 2. 2. q. 44. a. 1. in corp. & ad 1. — Mat. 22. 39. — [O] Gregor. Hom. 37. in Evang. — [P] Cyprian. Ser. de Bapt. Christi. — Ibid. v. 40. — Vide Alredum in Compendio speculi charitatis cap. 1. & Cassiodor. lib. de Amicitia.

„ omnium doctrinarum regulas emanasse; & „ hinc nasci, & huc reverti quicquid Ecclesiastica continet disciplina; & in omnibus „ irritum esse & frivolum quicquid dilectio „ non confirmat. Non pertinet Domine ad te, nec de ruis est, qui te non diligit". Huic finali clausulæ consona est illa Apostoli execratio, *Si quis non amat Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, sit anathema, maranatha.* Ubi notandum, nec Cyprianum dixisse, qui te odit; sed, *Qui te non diligit*: nec Apostolum dixisse, quisquis odit Dominum nostrum, sed, *Quisquis non amat.* Maximum ergo, ut Augustinus „ ait, quod ad beatam vitam ducit. primum„ que mandatum est, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & animâ, & mente*". Et mox infrà rursùs ibidem: "Summum bonum, „ inquit, quod etiam optimum dicitur, non „ modò diligendum esse NEMO AMBIGIT; sed „ ita diligendum, ut nihil ampliùs diligere „ debeamus: idque significatur & exprimitur „ eo quod dictum est, *Ex totâ animâ, & ex toto corde, & ex totâ mente*". Quid est ergo quòd hodiè in disceptationem revocatur, quod in primitivâ Ecclesiâ, *nemine ambigente* incunctanter credebatur? Numquid hodie eadem natura, eadem ratio, eadem divina Authoritas manet, quæ tempore Martyris Cypriani viguit, qui mox relatus aiebat: *Hoc natura, hoc ratio, hoc Dominicæ verbi tui clamat authoritas?* Clamat quippe natura amandum esse Creatorem, clamat ratio redamandum esse amatorem. Etenim Augustino teste, „ Nimis durus est animus, qui „ dilectionem si nolebat impendere, nolit „ rependere". Unde & idem addit inferiùs ibidem cap. 22. "Quis non redamare affectet „ justissimum & misericordissimum Deum, „ qui prior sic amavit injustissimos & superbissimos homines, ut propter eos mitteret „ unicum Filium, per quem fecit omnia"? Et lib. 4. Confessionum cap. 9." Hoc est „ quod diligitur in amicis, & sic diligitur, „ ut rea sibi sit humana conscientia, si non „ amaverit redamantem, aut si amantem non redamaverit". *Si rea sibi sit humana conscientia non redamando amantem*, certè illa agnoscit se teneri redamare amantem: ac per hoc pugnat cum ejus dictamine hominem non teneri in rigore per totam suam vitam diligere Deum, se diligentem, ac tot beneficijs benignissimè cumulantem. Pugnat denique idipsum cum divinorum eloquiorum authoritate clamantium, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ mente tua: hoc est maximum, & primum mandatum.* Quin imò non veretur Augustinus scribere, universa divina Eloquia in hujus præcepti inculcationem conspirare: „ Non præcipit Scriptura, inquit ille, nisi charitatem, nec culpat nisi

1\. Cor. 16. 22.

Aug. lib. de Moribus Eccles. c. 11.

Mat. 22. 37.

Aug. l. de Catech. rudibus c. 4.

Mat. 22. 37. & 38.

Aug. l. 3. de Doctrina Christ. c. 10.

„ cupiditatem: & eo modo informat mores hominum". Ubi ne quis cavilletur, sermonem esse de charitate habituali, notandum inprimis est, præcepta non ferri de habitibus ut sic, sed de actibus, actuum ve omissionibus: deinde Augustinum ibidem in subsequentibus palàm indicare se loqui non de charitate quæ sit habitus animi, sed quæ sit *motus animi.* Sic enim ibi ait:" Charitatem voco motum „ animi ad fruendum Deo propter ipsum, & „ se atque proximo propter Deum: cupiditatem autem motum animi ad fruendum se, & „ proximo & quolibet corpore, non propter Deum".

Vide Divum Thom. 1. 2. q. 44. a. 1. ad 1.

CCCLXXXIII. Nullo igitur modò admittenda, aut in praxi sequenda, sed prorsùs ab auribus mentis & corporis repellenda est illa Tamburini positio, dicentis: "Licet „ communis sententia doceat dari Præceptum speciale de amando Deo, in illis verbis, *Diliges Dominum Deum tuum*, & alibi „ tamen non ignobiles Doctores docent „ hoc preceptum non esse speciale, & speciali tempore implendum; sed generale im„ bibitum in omnibus præceptis: sicuti & „ cuidum præceptum de dilectione proximi, „ non est speciale, sed in Decalogi præceptis „ contentum: nam propterea dicitur, *In his „ duobus præceptis*, id est, dilectionis Dei & proximi, *universa lex pendet & Prophetæ*: &, *Qui „ habet præcepta mea, & servat ea, ille est qui diligit „ me*: & *Plenitudo legis est dilectio*. Si enim qui fer„ vat præcepta diligit, quique diligit servat, „ jam unum ex his continetur in altero & con„ sequenter præceptum charitatis indirectè solùm & ratione alterius obligabit". In quibus verbis illud saltem rectè agnoscit Author, *Communem sententiam docere dari præceptum speciale de amando Deo, in illis verbis, Diliges Dominum Deum tuum, & alibi.* Sed illud certè omnibus sanum sapientibus jure merito displicet, quòd ipse ab eâ sententia, quam communem rectè agnoscit, in contrariam deflexerit, nullâ ratione vel authoritate ullius momenti fultus. Obtendit quidem pro se authoritatem *non ignobilium Doctorum*, sed in genere duntaxat, nemine nominatim expresso: ex quo conjicere licet, vel nullos ei occurrisse, vel non nisi tales quos nominare suppudoerit. Suo ergo silentio satis prodit quàm sit destitutus suffragijs *non ignobilium Doctorum*. Refert quidem Dominicus Sotus quandam sententiam asserentem, præceptum dilectionis Dei obligare duntaxat pro articulo mortis: sed cùm eam censuret ut *ridiculam*, proculdubiò si Tamburini sententia ei oblata fuisset, eam plusquam ridiculam dixisset: „ Si dixeris, ait ille, satis esse semel in vi„ tâ, idque in articulo mortis, implere; „ profectò longè à naturâ præcepti aberras,

T. Tambur. lib. 2. in Decalog. c. 1. §. 2. n. 3.

Mat. 22. 37.

Ibid. v. 40.

Joan. 14. 21.

Rom. 13. 10.

V Sotus l. de Iustit. & Iure q. 1. a. 10.

Cùm

[1. Tim. 1. 5.] "Cùm enim præceptum hoc cæterorum omnium sit præambulum, &, ut ait Paulus, *finis*, nam *Finis præcepti est charitas*, RIDICVLVM esset dicere, quòd liceat transigere totam vitam antequam nos obliget". Plusquam ridicula ergo huic Theologo est sententia Tamburini, quæ ne quidem pro articulo vitæ extremo obligationem ejusdem præcepti agnoscit; nisi fortè per accidens, quia nimirum tunc quis est in statu peccati mortalis, & caret opportunitate suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ, quod cum solâ attritione justificet. Sed nec minùs ridiculæ sunt rationes quas in probationem suæ positionis Tamburinus adducit. Nam præceptum dilectionis proximi *non esse speciale*, falsum est: [Vide Divum Thom. 1. 2. q. 100. a. 10.] prout evincit authoritas Christi dicentis, *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*; [Io. 13. 34. 1. Io. 4. 21.] & Ioannis Apostoli scribentis, *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum diligat & fratrem suum*. Deinde etiamsi verum foret non dari speciale præceptum diligendi proximum, ridicula tamen est consequentia quâ inde infertur non dari speciale præceptum diligendi Deum. Neque enim proximus sortitur rationem summi boni seu finis ultimi humanæ vitæ, sicut Deus: atque adeo longè potiori jure obstringimur diligere Deum, quàm proximum: [W] "Bonum enim [W Aug. lib. 10. de Civit. cap. 4.] nostrum, inquit Augustinus, de cujus fine inter Philosophos magna contentio est, nullum est aliud, quàm illi cohærere, cujus unius anima intellectualis incorporeo, si dici potest, amplexu, veris impletur fœcundaturque virtutibus. Hoc enim bonum diligere in toto corde, in totâ animâ, & in tota virtute præcipimur. Ad hoc bonum debemus & à quibus diligimur duci, & quos diligimus ducere: sic complentur *duo illa præcepta, in* [Mat. 22. 37. & seqq.] *quibus tota lex pendet & Prophetæ: Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ, & in totâ mente tuâ: & diliges proximum tuum tanquam teipsum*. Ut enim homo sese diligere nosset, constitutus est ei finis, quò referret omnia quæ ageret, ut beatus esset: non enim qui se diligit, aliud esse vult, quàm beatus. Hic autem finis est, adhærere Deo. Iam igitur scienti diligere seipsum, quid aliud mandatur, cùm mandatur de proximo diligendo sicut seipsum, nisi ut ei quantùm potest commendet diligendum Deum"? Non est ergo par, sed longè dispar obligatio diligendi Deum, ac diligendi proximum: Deus enim est finis ultimus, & quidem unicus, totius vitæ humanæ, propter quem primariò ac per se dilectum diligenda sunt reliqua quæcunque diligenda sunt. Quapropter si unica sola creatura rationalis aut intellectualis in rerum natura existeret, dilectionem Deo impendere deberet: non autem proximo, cùm utique nullum haberet: [X] "Quisquis ergo [X Aug. l. 1. de Doctrina Christ. c. 22.] rectè proximum diligit, hoc cum eo agere debet, ut etiã ipse toto corde, totâ animâ, totâ mente diligat Deum. Sic enim eum diligens tanquam seipsum, totam dilectionem sui & ipsius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur". Ab hoc debito persolvendo longè profectò abest Tamburinus, cum suis *non ignobilibus Doctoribus*, quos nominare vel non potuit, vel puduit: qui proximos suos docent, non teneri eos totâ vitâ diligere Deum, nisi fortè *indirectè, & ratione alterius*. Nec eos juvat, quod Christus dixerit, *In duobus præceptis universam legẽ pendere & prophetas*. Non enim ideo hoc ille dixit, quòd duo illa præcepta nullam specialem obligationem importent distinctam ab obligatione cæterorum præceptorum: sed quòd eorum observatio pariat observationem cæterorum præceptorum. Quis enim dicat non [Vide Cassiodor lib. de Amicitia.] distingui à fructibus arborem, eò quòd fructus pendeant in arbore vel ex arbore? Dilectio Dei & proximi est illa *arbor bona*, quæ, causando observantiam præceptorum Decalogi, [Mat. 7. 17.] facit fructus bonos: [Y] "Lex igitur, inquit [Y August. Epist. 144.] idem Augustinus, adducit ad fidem, fides impetrat spiritum largiorem, diffundit Spiritus charitatem, implet charitas legem. Ideo lex vocatur *Pædagogus*, sub cujus minacissimâ severitate *qui invocaverit nomen Domini salvus erit: quomodò autem invocabunt, in quem non crediderunt?* [Gal. 3. 24. Rom. 10. 13. & 14.] Proinde ne littera sine Spiritu occidat, Spiritus vivificans credentibus & invocantibus datur: *Charitas verò Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis*; [Rom. 5. 5.] ut fiat quod idem Apostolus dicit, *Plenitudo legis est charitas*". [Rom. 13. 10.] Nimis igitur impertinenter finalia ista Apostoli verba in suæ positionis probationem adduxit Tamburinus, quippe quæ non aliud important, quàm quòd charitas seu dilectio impleat sive impleri faciat omnia legis præcepta. Cui sensui planè congruit illa Christi sententia, *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*. [Io. 14. 23.] Cui sententiæ mox subditur, & ista velut è contrario, *Qui non diligit me, sermones meos non servat*. [Ibid. v. 24. Vide Salmantic. in 2. 2. q. 24 art. 1. Dub. 1. Conclus. 3. ad 2. Ibid. v. 21.] Ex quibus sententijs apparet quàm impertinenter pro se alleget Tamburinus illa Christi verba ibidem præmissa, *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me*. Genuinus quippe sensus est, signum unde colligatur inesse cuipiam mei dilectio, est mandatorum meorum observatio: quia nimirum fructus observationis subindicat arborem dilectionis: [Z] "Audistis, ait Papa Gregorius, quid veritas dicit, *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*. [Z Gregor. Hom. 30. in Evangelia.] Probatio ergo dilectionis, exhibitio est operis".

tum violant, nequaquam prævaricatores, sed tantummodò peccatores fiant. Huic responsioni congruit illud ex Estio superiùs §. 358. relatum: *Ignorantia juris naturalis nunquam facit actum prorsùs involuntarium, etiam quà ratione peccatum est: quia non facit ut malum prorsùs ignoretur, sed semper permittit ipsum aliquo modo sciri.*

Estius.

Augustinus Vide lib. 2 de Ser. Domini in monte c. 9. & l. 2 Confess. cap. 4 Rom. 2. 14.

Eandem quoque responsionem Augustinus superiori responsioni præmiserat in præcitatâ concione 25. super Psalmum 118. dicens: "Secundùm id quod Apostolus ait, *Ipsi sibi sunt lex*, non immeritò *Prævaricatores æstimantur omnes peccatores terræ*. Nullus enim est qui faciat alteri injuriam, nisi qui fieri sibi nolit. Et in hoc transgreditur naturæ legem, quam non sinitur ignorare, dum id quod facit, non vult pati". Et Enarrat. in Psalmum 57.

Vide Hugonem Vict. in Regulam B. Augustini cap. 10 & in Dialogo de Sacram. legis naturalis & scriptæ.

"Quis, inquit, de justitiâ interrogatus, quando non habet causam, non facilè respondeat quid sit justum: quandoquidem manu Formatoris nostri in ipsis cordibus nostris Veritas scripserit, *Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri*? Hoc & ante quàm lex daretur, nemo ignorare permissus est: ut esset unde judicarentur etiam quibus lex non esset data. Sed ne sibi homines aliquid defuisse quærerentur, scriptum est in tabulis, quod in cordibus non legebant: non enim scriptum non habebant, sed legere nolebant: oppositum est oculis eorum; quod in conscientiâ videre cogerentur; & quasi forinsecùs admotâ voce Dei, ad interiora sua homo compulsus est, dicente Scripturâ, *In cogitationibus impii interrogatio erit.* Ubi interrogatio, ibi lex: sed quia homines appetentes ea quæ foris sunt, etiam à seipsis exules facti sunt, data est etiam conscripta lex; non quia in cordibus scripta non erat; sed quia tu fugitivus eras cordis tui, ab illo qui ubique est comprehenderis, & ad teipsum intro revocaris. Propterea scripta lex quid clamat eis qui deseruerunt legem scriptam in cordibus suis? *Redite prævaricatores ad cor.*

Sap. 1. 9.

Isa 46. 8. Vide Greg. lib 10 Moral. c. 4.

Quis enim te docuit, nolle accedi ab altero ad uxorem tuam? Quis te docuit, nolle tibi furtum fieri? Quis te docuit, nolle injuriam pati, & quicquid aliud vel universaliter vel particulariter dici potest? multa enim sunt, de quibus singulis interrogati homines, clarâ voce respondeant, nolle se pati? Age, si non vis pati ista, nunquid solus es homo? Nonne in societate vivis generis humani? Qui tecum factus est, socius tuus est; & omnes facti ad imaginem Dei, nisi terrenis cupiditatibus conterant, quod ille formavit. *Quod* ergo *tibi non vis fieri, noli alteri facere*: judicas enim malum esse in eo, quod pati non vis; & hoc te cogit nosse lex intima, in ipso tuo corde conscripta". Et concione 1. in Psalmum 32. loquens de decem Præceptis Decalugi, denotatis per *Psalterium decem chordarum*, & referens omnia ad charitatem Dei & proximi: "In tribus, inquit, charitas Dei, in septem alijs charitas est proximi: *Ne facias alij, quod pati non vis. Honores patrem & matrem*, quia vis tu honorari à filijs tuis: *Non mœchaberis*, quia nec mœchari uxorem tuam post te vis: *Non occidas*, quia & occidi non vis: *Non furtum facies*, quia furtum pati non vis: *Non falsum testimonium dicas*, quia odisti adversùm te falsum testimonium dicentem: *Non concupisces uxorem proximi tui*, quia & tuam non vis ab alio concupisci: *Non concupisces rem aliquam proximi tui*, quia si quis tuam concupiscit, displicet tibi. Converte & in te linguam, quando tibi displicet, qui tibi nocet". Addamus Augustino pro pleniori hujus responsionis confirmatione Beatum Hilarium Pictavorum Antistitem, qui explanans illum Psalmographi versiculum, *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ*: "Nos, inquit, prævaricatores eos existimamus, qui susceptam fidem, & cognitionem Dei adeptam relinquunt; aliud pollicitos, & aliud nunc agentes. Sed hic: *prævaricatores existimantur omnes peccatores terræ*: nullus excipitur, generaliter ad omnes *prævaricationis* nomen refertur. Lex enim veluti naturalis est, injuriam nemini inferre, nihil alienum præripere, fraude ac perjurio abstinere, alieno conjugio non insidiari. Novit & hanc naturæ Apostolus legem, dicens: *Cùm enim Nationes quæ legem non habent, naturaliter secundùm legem faciunt; tales homines legem non habentes sibi ipsi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Ergo prævaricatores existimantur, qui quod à naturâ legis accipiunt, derelinquunt. Furem quis deprehensum, aut adulterum, aut homicidam, arguit lege naturæ: sed si in his ipse versetur, prævaricator est legis". Summa hujus responsionis in hoc sita est, omnes peccatores terræ eatenùs dici *prævaricatores*, quatenùs peccando impingunt in illud communissimum legis naturæ præceptum nemini incognitum, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Cui negativo quadantenùs correspondet & illud affirmativum, quod Christo teste legem complectitur & Prophetas: *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis:*

Ps. 32 2.

Ps. 118 119 N. Hilari in Psalm 118. v. 119.

Rom. 2. 14. & 15.

Matt. 7. 12.

CCCLXXVI. Sed quoniam istis Augustini Hilarijque discursibus non plus probatur, quàm quod universa præcepta secundæ tabulæ recapitulentur in illo uno communissimo, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, sive, ut in libro Tobiæ scriptum legitur, quod ab *alio oderis tibi fieri, vide ne tu aliquando alteri facias*: nondum liquet quemadmodùm in eodem illo communissimo præcepto recapitulentur mandata primæ tabulæ, quibus erga Deum quis ritè

SCRVPVLVS.

Tob. 4. 16.

ritè disponitur. Hunc scrupulum proponit &
excutit idem ipse Augustinus alibi: ᵒ Sed di- (o Aug. lib. de decem Chordis c. 10.)
,, cis, inquiens, furtum si faciam, id facio
,, quod pati nolo: si occidam, id facio quod
,, ab altero pati nolo: si parentibus meis ho-
,, norem non deferam quando volo ut defe-
,, ratur mihi à filijs meis, id facio quod pati
,, nolo: si sum mœchus & aliquid tale mo-
,, lior, id facio quod pati nolo: nam si inter-
,, rogetur, dicit, Nolo ut uxor mea tale ali-
,, quid faciat. Si concupisco uxorem proximi
,, mei & nolo quisquam concupiscat meam,
,, id facio quod pati nolo: si concupisco rem
,, proximi mei nolens ut auferatur mea, id
,, facio quod pati nolo. Cùm verò ad mere-
,, tricem eo, cui facio quod pati nolo? Quod
,, gravius est, ipsi Deo. Etenim, *Quod fieri tibi*
,, *non vis, alij ne feceris*; ad duo præcepta perti-
,, net. Quomodò pertinet ad duo præcepta?
,, Si homini non feceris quod pati non vis ab
,, homine, ad proximi præceptum pertinet,
,, ad dilectionem proximi, ad septem chor-
,, das: si autem quod non vis pati ab homine,
,, ipsi Deo vis facere, quid est hoc? Nonne
,, facis alteri, quod pati non vis? Charior
,, tibi factus est homo, quàm Deus? Ego
,, quomodò injuriam facio, inquis, ipsi Deo?
,, Corrumpis teipsum. Et unde injuriam facio
,, Deo, quia corrumpo meipsum? Unde facit
,, tibi injuriam, qui voluerit fortè lapidare
,, tuam tabulam pictam, in qua est imago tua
,, in domo tuâ inaniter posita ad vanum ho-
,, norem tuum, nec sentiens, nec loquens,
,, nec videns? si quis illam lapidet, nonne in
,, te factam esse contumeliam attendis? Cùm
,, verò imaginem Dei, quod es tu, corrumpis
,, in te per fornicationes, & per diffluentias
,, libidinis, attendis quia ad nullius uxorem
,, accessisti, attendis quia post uxorem tuam
,, nihil fecisti, quia uxorem non habes? &
,, non attendis, per libidinem, & illicitas for-
,, nicationes, cujus imaginem violasti? Postre-
,, mò Deus, qui scit quid tibi utile sit, qui
,, verè sic suos servos gubernat ad utilitatem
,, illorum, non ad suam; non enim indiget
,, servis quasi ad adjutorium, sed tu indiges
,, Domini auxilio: ipse ergo Dominus, qui
,, scit quid tibi sit utile, uxorem concessit,
,, nihil amplius. Hoc jussit, hoc præcepit, ne
,, per illicitas voluptates corruat templum
,, ejus, quod esse cœpisti. Nunquid hoc ego
,, dico? Apostolū audite: *Nescitis quia templum*
,, *Dei estis & spiritus Dei habitat in vobis?* Hoc
,, dicit Christianis, hoc dicit fidelibus: *Nesci-* (I. Cor. 3. 16. & 17.)
,, *tis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in*
,, *vobis? Si quis templum Dei corruperit, corrum-*
,, *pet illum Deus*. Videtis quomodò minatur?
,, Non vis corrumpi domum tuam, quare
,, corrumpis domum Dei? Certè facis alicui,
,, quod pati non vis. Non est ergo quā eva-
,, datur. Tenetur ille, qui se teneri non puta-
,, bat. Omnia enim peccata hominum aut ad
,, corruptelam pertinent flagitiorum, aut ad
,, facinora nocendi. Quia Deo nocere non
,, potes in facinoribus, in flagitijs eum offen-
,, dis, in corruptelis illum offendis, in te illi
,, facis injuriam: facis enim injuriam gratiæ
,, ipsius, domui ipsius. Servum si haberes,
,, velles ut serviret tibi servus tuus: servi tu
,, meliori domino, Deo tuo. Servum tuum
,, non tu fecisti; & te & servum tuum ille fe-
,, cit. Vis ut tibi serviat, cum quo factus es:
,, & non vis servire ei à quo factus es? Ergo
,, cùm vis ut serviat tibi servus tuus homo,
,, & tu non vis servire Domino Deo tuo,
,, facis Deo, quod tu pati non vis. Ergo illud
,, unum præceptum continet duo, illa duo
,, continent decem, illa decem continent
omnia". Ex hac Augustini deductione appa-
ret affirmativum illud Christi præceptum
§. præcedenti in fine relatum. *Quæcunque vul-*
tis ut faciant vobis homines, & vos facite illis, ne-
quaquàm adæquatè correspondere illi com-
munissimo legis naturæ præcepto, *Quod tibi*
fieri non vis, alteri ne feceris. Quamvis enim quo-
ad complexionem præceptorum secundæ ta-
bulæ paria sint ambo, istud tamen postremum
complectitur insuper præcepta etiam primæ
tabulæ, quæ non comprehenduntur sub alte-
ro, quippe restricto ad *homines*: quâ restrictio-
ne seclusâ, alterum præceptum alteri plenè
adæquatèque corresponderet, & singula to-
tum atque integrum Decalogum comprehen-
derent. Notavit hanc discrepantiam Augus-
tinus, cùm ait: ᵖ Videtur hoc præceptum (P. Aug. l. 2 de Sermone Domini in monte c. 22)
,, (*Quæcunque vultis &c.*) ad dilectionem pro-
,, ximi pertinere, non etiam ad Dei; cùm alio
,, loco *duo præcepta* esse dicat, *in quibus tota lex* (Mat. 22. 40)
,, *pendeat, & Prophetæ*. Nam si dixisset, *Omnia*
,, *quæcunque vultis fieri vobis, hæc vos facite*; hâc
,, unâ sententiâ utrumque illud præceptum,
,, complexus esset: citò enim diceretur, diligi
,, se velle unumquemque & à Deo, & ab ho-
,, minibus. Cùm itaque & hoc ei præciperetur,
,, ut quod sibi fieri velit, hoc faceret; id uti-
,, que præciperetur, ut diligeret Deum & ho-
,, mines. Cùm verò expressiùs de hominibus
,, dictum est, *Omnia quæcunque vultis ut faciant vo-* (Mat. 7. 12.)
,, *bis homines, & vos facite illis*; nihil aliud dictum
,, videtur, quàm *Diliges proximum tuum sicut teip-* (Mat. 22. 39.)
,, *sum*. Sed non est negligenter attendendum
,, quod subjecit, *Hæc est enim lex & prophetæ*: in (Mat. 7. 12.)
,, his autem duobus præceptis non tantùm ait,
,, *lex pendet & prophetæ*, sed etiam addidit,
,, *tota*; pro eo quòd est *omnis*. Quod cùm hìc (Mat. 22. 40.)
,, non addidit, servavit locum alteri præcep-
to, quod ad dilectionem Dei pertinet".

CCCLXXVII. Per hæc reseratur aditus (OBJECTIO III.)
solutioni tertiæ objectionis, quam probabi-
litatum patroni desumunt ex absurdo, quod
nostræ

nostræ sententiæ hactenùs astructæ clamant fore consectarium : Peccare scilicet homines non voluntariè. Cùm enim de ratione voluntarij sit, ut procedat à principio intrinseco cum cognitione finis ; non potest censeri voluntarium, quod cum ignoratione vel ex ignoratione finis elicitur. Ignoratio quippe hujusmodi directè opponitur cognitioni ad voluntarium requisitæ, adeoque ad peccandum necessariæ; siquidem, Augustino teste, [q] „Usqueadeò peccatum voluntarium est malum, „ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium : & hoc quidem ita manifestum „est, ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat ". Certè enim absurdum istud nullatenùs est nostræ sententiæ consentaneum, nedum consectarium, sed potiùs oppositum. Omnes enim quotquot adversùs naturæ legem peccant, in illam generalem & quasi transcendentalem ipsius legis sanctionem impingunt, [R] „Quam, eodem „Augustino teste, omnes habent in corde „fixam, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* „Nunquid hoc de paginis discitur, & non in „naturâ ipsâ quodammodò legitur? Furtum vis pati? Utique non vis. Ecce lex in „corde tuo, *Quod non vis pati, facere noli.* Et hanc legem transgrediuntur homines". Porrò quia hanc legem sibi intimè notam transgrediuntur, non modò peccatores, sed & prævaricatores jure merito reputantur, dicente Psalmographo, *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ :* " Nullus enim est, prout §. 375. „ex Augustino audivimus, qui faciat alteri „injuriam, nisi qui fieri sibi nolit. Et in hoc „transgreditur naturæ legem, quam non sinitur ignorare ; dum id quod facit, non vult pati ". Inquirit prætereà idem Augustinus mox ibidem, [S] *Nunquid lex ista naturalis non erat in populo Israël?* Respondet autem : *Erat planè, quoniam & ipsi homines erant. Sine lege autem naturali essent, si præter naturam humani generis esse potuissent.* Quæ sententia signanter recolenda est, non solùm quòd prætextitiam ignorantiam prædictæ sanctionis naturalis amputet, sed quòd prætereà novitiam illam & planè exoticam Caramuelis positionem jugulet, quâ ille asserit, [T] *Posse Deum creare homines exleges, hoc est, nulli morali legi subiectos.* Id enim Augustino mox relato censetur tam impossibile, quàm homines *præter naturam humani generis esse*, hoc est, homines nequaquam homines esse. Neque verò ibi continere se potuit Caramuelica innovandi libentia, sed eò usque se exporrigit, ut affirmet, posse Deum subijcere homines legi morali contrariæ Decalogo, quoad præcepta saltem secundæ tabulæ. Sic enim ait ibidem inferiùs n. 1184. *Articulos secundæ tabulæ potuit Deus non indixisse, & potuit indixisse contradictorios, imò & contrarios.* Et rursùs n. 1191. *In tribus primæ tabulæ articulis Deus non potest dispensare contrariè : in tota tamen lege potest contradictoriè, in secundâ tabulâ etiam contrariè.* Ubi quantùm ad primam assertionis partem non satis sibi constat assertor. Nam si Deus non possit dispensare contrariè in præceptis primæ tabulæ, ergo ea præcepta necessariò tenent vim obligandi, saltem eatenùs, ut nemini liceat exercere actus eis contrarios. Quod si ita sit, profectò non poterit Deus creare *homines exleges* : quia quicunque ab ipso creabiles fuerint, subjecti erunt legi morali prohibenti exercere actus contrarios præceptis primæ tabulæ : quippe in quibus ne Deus quidem ipse possit contrariè dispensare. In secunda assertionis parte fingit Deum posse hominibus dicere, *Non opus est ut alteri cuiquam faciatis, quod vobis fieri vultis.* In tertiâ denique parte asserit posse Deum facere homines, quantùm ad præcepta secundę tabulæ, non modò exleges, verùm etiam antileges : ut nimirùm loco illius generalis præcepti, universam secundam tabulam complectentis, *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*, surrogetur istud non minùs generale, sed planè adversum, *Quicquid vultis ab hominibus fieri vobis, contrarium facite illis.* Exempli causâ, vultis à filijs vestris honorari, sed vos inhonorate parentes vestros : vultis à nemine occidi, sed vos occidite quotquot poteritis : vultis ut nullus res vestras furto vel rapinâ vobis auferat, sed quicquid poteritis clàm aut palàm ab alijs auferre auferte : vultis ut ad uxores vestras extraneus nullus accedat, sed vos quasi *equi emissarij, ad uxores proximorum vestrorum hinnite* : vultis ut nullus contra vos testimonium falsum proferat, sed vos in hypocrisi loquimini mendacium, unusquisque cum proximo suo, & de proximo suo : vultis ut nemo concupiscat uxores vestras, nemo domos vestras, aut servos, aut ancillas, aut boves, aut asinos, aut aliud quidquam vestrum ; sed concupiscite vos quicquid occurrerit commodum aut delectabile in bonis alienis, sive uxor fuerit, sive domus, sive servus, sive ancilla, sive bos, sive asinus, sive aliud quidpiam libidini vestræ complacitum. Verùm quia ista Caramuelicæ subtilitatis portenta integro nuper syntagmate discussit ac displosit conterraneus ipsius Caramuelis, vir illustrissimus & eruditissimus Crispinus à Borgia, ex Archidiacono Saguntino & Præposito ac Cathedratico Valentino Episcopus Oriolensis, congregationis Oratorij, nolo his diutiùs immorari : dum tamen de isto novo legislatore Caramuelico dixero, quod de fictitio Manichæorum Deo Augustinus olim aiebat, [V] *Talem colant Deum, qui nolunt colere Deum.* Non est certè ille Deus Patriarcharum, *cui nullus similis in legislatoribus* : non est Deus Israëli-

Marginal notes:

[q] Aug. l. de vera Relig. cap. 14.

DILVITVR.

[R] August. Tract. 49 in Joan.

Psal. 118. 119.

[S] August. in Psalm. 118. Conc. 11.

[T] Caram. lib. 2. Theol. Moral. nu. 1167.

Matt. 7. 12.

HETTALOGVS CARAMVELICVS.

Hier. 5. 8.

Crisp. à Borgia.

[V] Aug. in cont. Faust. cap. ult. Job. 36. 22.

Israëlitarum, cui dictum est à Psalmographo, *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua*: Non est Deus Prophetarum, qui per horum unum ait, *Va qui condunt leges iniquas, & scribentes scripserunt iniustitiam*: Non est Deus Evangelistarum, qui iniquis rerum arbitris indignabundè dicebat, *Quid autem & à vobis ipsis non iudicatis quod iustum est?* quasi diceret, Cur non ex eo quod fieri vobis vultis, colligitis qualiter erga alios gerere vos debeatis? Non est Deus Apostolorum, de quorum quispiam ait, *Non est dissensionis Deus, sed pacis*: hoc est, non est qui ea præcipiat, quibus humana societas penitus dissolvatur; parricidijs, homicidijs, adulterijs, furtis, rapinis, perjurijs, flagitijs omnia misceantur; quibus humanum genus in eum præcipitetur statum, quem Poeta describens ait; W. *Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus, Non socer à genero: fratrum quoque gratia rara est. Imminet exitio vir coniugis, illa mariti: Lurida terribiles miscent aconita novercæ: Filius ante diem patrios inquirit in annos. Victa iacet pietas.* Nec est quòd pro astruenda Caramuelis sententia ostendatur Dei omnipotentia: X. Neque enim, Augustino teste, potentiâ „ temerariâ, sed sapientiæ virtute omnipotens est". Unde & Pelusiota, Y. Si ex nobis „ quæratur, inquit, an omnia Deo possibi„lia sint: respondeamus, eum omnia hæc „ posse, quæ ipsius naturæ consentanea sunt". Quænam autem hæc sint, edisserit pro parte Theodoretus, cùm ait; Z. Quòd si dixerint, „ *Quæcunque vult potest Deus*: dicendum illis „ erit, nihil eum velle facere, quod naturæ „ non congruat. Naturâ autem est bonus, ni„hil ergo vult mali: naturâ est justus, nihil „ ergo vult injusti: naturâ est verax, men„dacium ergo respuit: naturâ est immutabilis, mutationem ergo non recipit". Breviter & appositè Augustinus: A. Quod non „ potest justè, inquit, non potest justus". Quod mox ibidem exemplo ex Scripturis sumpto confirmans: „ Dominus, inquit, cùm „ per Angelos suos justum Loth de Sodomis „ exeuntem urgeret ut properaret in Segor: „ *Non potero*, inquit, *facere rem, donec tu illò* „ *introeas*. Non posse se dixit; quod sine du„bio poterat per potentiam, sed non poterat per justitiam". Sed nec minùs appositè Anselmus: B. Sicut in Deo, inquit, quantum„libet parvum inconveniens sequitur impos„sibilitas: ita quantumlibet parvam ratio„nem, si majori non vincitur, comitatur necessitas". Hinc est illa Richardi Victorini brevissima quidem, sed nervosa, de Deo sententia: C. *Nihil nisi quod decet, facere potest.* Non arbitror quemquam vel mediocriter sapientem reperiri, qui censeat decere Deum, aut congruere ejus naturæ, bonitati, sapientiæ, justitiæ, æquitati, ut præcipiat hominibus facinora illa ac flagitia, quæ tanquam contraria præceptis moralibus secundæ tabulæ mox recensuimus; aut inscribat eorum cordibus generalem illam sed planè irregularem regulam universa complectentem: *Quicquid vultis ab hominibus fieri vobis, contrarium facite illis.* Quod cùm ita sit, profectò falsum est quod Caramuel asserit, *posse Deum in secundâ Decalogi tabulâ dispensare etiam contrariè*: ex adverso autem verum est quod ex Augustino suprà memoravimus, *homines sine lege naturali essent, si præter naturam humani generis esse potuissent.* Ex quo ulteriùs fit, ut cùm impossibile sit homines præter naturam humani generis esse, impossibile pariter sit, eosdem sine lege naturali esse: sine illa nimirùm lege naturali, *quam nemo sinitur ignorare, qua præscribit ut alijs non faciamus, quod nobis fieri nollemus.*

Ps. 118. 85.
Isa. 10. 1.
Luc. 12. 57.
1. Cor. 14. 33.
W. Ovid lib. 1. Metamor.
X. Aug. lib. 9. de Gen. adlit. c. 17
Y Isid Pelus. lib. 2. Epist. 117.
Z. Theodor. Epist. 144.
A Aug. l. 1. contra Gaudent. c. 30. vide Hugon Vict. q. 40 in Epist. ad Galat.
Gen. 19. 22
B Ansel. l. 1. Cur Deus homo, c. 10.
C Richar. Vict. lib. de statu inter. homin. 1 p. 1. c. 21. Vide D. Tho. 1. 2. q. 100. a. 8. in corp. & ad 2. & ibi Sylvium, cum iis quos citat.

CAPUT CI.

Possitne lex naturæ quoad omnia morum principia à quoquam rationis compote invincibiliter ignorari? Ethnici Philosophi & legislatores multa docuerunt & sanxerunt contra particularia legis naturalis præcepta, sed nihil directè contra œcumenica principia. Expenditur Psalmographi versiculus, Absorpti sunt juncti Petræ judices eorum. *Proponitur quæstio de invincibilitate ignorantiæ præceptorum Decalogi, & excutitur Caramuelis positio*, Prudentia humana viribus naturæ derelicta probabilissimè crederet dari plures Deos. *Caramuel arrogat probabilitati, quod denegat Deitati. Ejus principijs consectaneum est excusari posse à culpâ non modò polytheismum, sed & atheismum. Falsò innuit multas Respublicas etiam benè gubernatas omni religionis cultu caruisse. Summi delicti est nolle recognoscere, quem nequeas ignorare. Ignorantiam præceptorum Decalogi non dari invincibilem in ullis hominibus usu rationis pollentibus, multiplex ratio suadet, & vetustiorum Theologorum concors authoritas firmat. Cur minùs ignorari invincibiliter queant præcepta Decalogi, quàm fidei divinæ articuli? De ignorantiâ præceptorum Decalogi quid censuerit Vasquez, professus imitari se Cordubam?*

ccclxxviii. PEr præmissas trium principalium objectionum solutiones patet decisio quæstionis quâ petitur, nam juris naturæ ignorantia dari possit invincibilis? Dicendum namque est, non posse quemquam rationis compotem ignorare invincibiliter legem naturæ, quantùm ad illa generalia principia, in quibus vel universa Decalogi præcepta, vel tota saltem secunda tabula recapitulatur: de quibus jam superiori capite disseruimus. Quapropter quisquis rationis compos violat quodcunque Decalogi præceptum, is formaliter vel interpretativè prævaricator est: quicquid enim sit de præcepto particulari cui contravenit, nunquam nisi vincibiliter ignorare potest sanctionem generalem legis naturæ, in se & sub se complectentem particulare istud præceptum quod violat: D. "Ad legem naturalem, inquit Divus Thomas, pertinent primò quidem quædam præcepta communissima, QUÆ SUNT OMNIBUS NOTA: quædam autem secundaria præcepta magis propria, quę sunt quasi conclusiones propinquę principijs. Quantùm ergo ad illa principia communia lex naturalis nullo modo potest à cordibus hominum deleri in universali: deletur tamen in particulari operabili, secundùm quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile, propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem, ut suprà dictum est. Quantùm verò ad alia præcepta secundaria potest lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas persuasiones, eo modo quo etiam in speculativis errores contingunt circa conclusiones necessarias; vel etiam propter pravas consuetudines, & habitus corruptos: sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut Apostolus ad Rom. 1. dicit". Ex hoc discrimine principiorum communium, & præceptorum particularium, subortum est aliud notatu dignum: nimirum quod nullus unquam Princeps aut Magistratus condiderit leges civiles directè oppositas principijs communibus; cùm tamen crebrò condiderint leges vel potiùs corruptelas, directè adversas præceptis particularibus. Unde cùm D. Thomas ibidem sibi objecisset, *Multa fuisse ab hominibus statuta contra legem naturæ, Ergo lex naturæ potest à cordibus hominum aboleri*: respondit in solutione ad 3. "Dicendum, inquiens, quòd ratio illa procedit de secundis præceptis legis naturæ: contra quæ aliqui legislatores statuta aliqua fecerunt, quæ sunt iniqua". Complures hujusmodi iniquas leges, paticularibus Decalogi præceptis adversas, recenset Theodoretus de curandis Græc. affect. Serm. 9. qui *de Legibus* inscribitur. Ex quo Hesselius: z. Philosophorum libri, inquit,

D. Thom. 1.2. q.94. a. 4 in corp. Vide ibid. a. 4. & q. 100. a. 1. & 11.

Vide q. 77 art. 2.

z. Hessel. Decal. c.

inquit, iniquissimis legibus sunt referti: videas Platonis leges de licenter mentiendo, de non succurrendo valetudinarijs, de occidendis infantibus, de haud multùm puniendis homicidis & patricidis. Lycurgus suis legibus jubet hospites finibus pelli, pueros impunè prostitui, fœminas licenter exponi, leges nuptiales everti". De hujusmodi famosis legum sive conditoribus, sive suggestoribus aut interpretibus, intelligit Augustinus illud Psalmographi, *Absorpti sunt iuxta petra iudices eorum*, hoc est, exinanita est authoritas eorum comparatâ authoritati ejus de quo scriptum est, *Petra erat Christus*: F. Judices magni, ait ille, potentes, docti: ipsi dicuntur *iudices eorum*, tanquam judicantes de moribus, & sententiam proferentes. Dixit hoc Aristoteles: adjunge illum *Petra*, & *absorptus est*. Quid est Aristoteles? Audiat, *Dixit Christus*: & apud inferos contremiscit. Dixit hoc Pythagoras, dixit hoc Plato: adjunge illos *Petra*, compara authoritatem illorum authoritati Evangelicæ, compara inflatos crucifixo. Dicamus eis, Vos litteras vestras conscripsistis in cordibus superborum, ille crucem suam fixit in cordibus Regum. Postremò mortuus est, & resurrexit: vos mortui estis, & nolo quærere quemadmodùm resurgatis. Ergo *absorpti sunt iuxta Petram* istam *iudices eorum*: tamdiu videntur aliquid dicere, donec comparentur *Petra*". De ijsdem populorum judicibus & iniquarum legum dictatoribus Lactantius: G. Omnis sapientia hominis, inquit, in hoc uno est, ut Deum cognoscat, & colat. Hoc nostrum dogma, hæc sententia est. Quantâ itaque voce possum, testificor, proclamo, denuntio: hoc est illud, quod Philosophi omnes in totâ suâ vitâ quæsierunt, nec unquam tamen investigare, comprehendere, tenere valuerunt: quia religionem aut pravam tenuerunt, aut totam penitùs sustulerunt. Facessant igitur illi omnes, qui humanam vitam non instruunt, sed turbant. Quid enim docent, aut quem instruunt, qui seipsos nondùm instruxerunt? Quem sanare ægroti, quem regere cæci possunt? Huc ergo nos omnes, quibus est cura sapientię, conferamus. An expectabimus, donec Socrates aliquid sciat? Aut Anaxagoras in tenebris lumen inveniat? Aut Democritus veritatem de puteo extrahat? Aut Empedocles dilatet animi sui semitas? Aut Arcesilas & Carneades videant, sentiant, percipiant"? Quibus consona sunt ista Minutij: H. Socrates scurra Atticus viderit, nihil se scire confessus, testimonio licèt fallacissimi dæmonis gloriosus. Arcesilas quoque, & Carneades, & Pyrrho, & omnis Academicorum multitudo deliberet: Simonides etiam in perpetuum comperendinet. Philosophorum supercilia contemnimus, quos corruptores & adulteros novimus, & tyrannos, & semper adversùs sua vitia facundos. Nos, qui non habitu sapientiam, sed mente præferimus; non eloquimur magna, sed vivimus: gloriamur nos consecutos, quod illi summâ intentione quæsiverunt, nec invenire potuerunt". De hujusmodi fallacibus morum Magistris rectè intelligitur dixisse verax Magister, *Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones*. Unde Augustinus: I. Fuerunt, inquit, quidam Philosophi, de virtutibus & vitijs subtilia multa tractantes, dividentes, definientes, ratiocinationes acutissimas concludentes, libros implentes, suam sapientiam buccis crepantibus ventilantes: qui etiam dicere auderent hominibus: *Nos sequimini, sectam nostram tenete, si vultis beatè vivere*. Sed non intrabant per ostium: perdere volebant, mactare & occidere". Certè enim quicquid legi naturali adversum propinabant, noxium erat, perniciosum erat, venenosum erat: K. In hoc, inquit Lactantius, Philosophi & Oratores & Poëtæ perniciosi sunt, quòd incautos animos facilè irretire possunt suavitate sermonis, & carminum dulci modulatione currentium. Mella sunt hæc, venenum tegentia". Porrò quamvis illi subinde venena propinaverint melle circumlita, particularibus Decalogi præceptis adversa; nunquam tamen eousque prosilierunt, ut aliquam legem conderent, aut condendam suggererent, directè oppositam communissimis illis legis naturalis principijs, quibus vetamur *alijs facere quod nobis fieri nollemus*, aut jubemur *præstare alijs quod nobis præstari vellemus*. Non ob aliud utique, quàm quod obliterari illa possint, ista non possint. Idolorum cultus consuetudine firmatus tandem lege latâ sancitus fuit, contra primum Decalogi præceptum, ut §. 373. visum est. Cujus legis plerique observatores, fortè etiam conditores, ignorarunt particulare legis naturę preceptum vetans idololatriam; sed ignorare non poterant commune principium, totius Decalogi complexivum, quo vetatur quisque *facere alteri, quod pati nolit*. Et ideò quamvis sub eâ ratione, quâ particulare Decalogi præceptum violabant, non fuerint nisi peccatores; sub ea tamen ratione, quâ commune principium sibi notum transgrediebantur, fuerunt etiam prævaricatores. Et juxta hunc dicendi modum facilè conciliatur ista Apostoli sententia, *Ubi non est lex, nec prævaricatio*; cum illo Psalmographi versiculo, *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ*: facilè quoque ab antilogiâ purgatur Augustinus cum suis sequacibus, qui subinde videntur peccata ignorantiæ astruere, aliàs autem nullum peccatum

Ps 140. 6.
1 Cor. 10. 4.
F Augustin. Psalm. 140.
G Lactant. l. 3 cap. 30.
H Minut. in Octavio.
Io. 10. 8.
I. August. Tract. 45. in Ioan.
K. Lactant. lib. 5. c. 6.
Rom. 4. 15.
Ps 118. 119

tores, & minorem cæteris verisimilitudinem, approbare videtur, subdens continuò ibidem: *Sanè multas* (Respublicas) *fuisse, & quidem benè gubernatas, à quibus omnis Deorum cultus proscriptus apud excellentissimos Authores videmus.* Pro exemplis allegit veteres Hispaniarum Gallecos, & noviter subactos Indiarum aliquot populos. Sed nec probat eorum Respablicas fuisse *benè gubernatas*, nec eorum ignorantiam fuisse *invincibilem*: denique neminem nominat eorum *Authorum*, quos vocat *excellentissimos*; ut inspici queat quidnam scribant, aut de quibus scribant. Nec sanè video cur cuiquam eorum credere hac in re debeamus, potiùs quàm Plutarcho, qui ex adverso ait [o]. Peregri-

o. Plutarch. lib. contra Colotem c. 25.

,, nantibus multas contingit occurrere absque
,, mœnibus urbes, absque studijs litterarum,
,, absque Regibus, absque auri argentique usu;
,, quibus ignota prorsùs theatra, & gymnas-
,, ticæ omnes exercitationes: quinetiam qui-
,, bus nullæ sint domus, sed tuguria duntaxat,
,, & mapalia. Nusquam autem extat urbs aut
,, oppidum, quibus nullus sit Deus, nulla ju-
,, ramenta, nullæ preces, nulla sacrificia ad
,, bona curanda, & mala impendentia præver-
,, tenda. Talem urbem nemo unquam vidit,
,, aut verò videre potuit: potiùsque sine Sole,
,, quàm sine Deo ac religione urbem quis con-
,, spexerit. Hi enim sunt nervi totius huma-
,, næ societatis, & fundamenta, sine quibus
,, nullæ leges vigere, nulla politia consistere
queat". Verùm quia Plutarchus fuit ethnicus, lubet inspicere quid Christiani de ignoratione Dei veri, quem primo Decalogi præcepto colere jubemur, censuerint: [p]. Vulgus,

p Cyprian. lib. de vanit. idolorum.

,, inquit Cyprianus, in multis Deum natu-
,, raliter confitetur, cùm mens & anima sui
,, authoris & principis admonetur. Dici fre-
,, quenter audimus, *ò Deus, & Deus videt*, &
,, *Deo commendo*, & *Deus mihi reddet*, & *quod vult*
,, *Deus*, & *si Deus dederit*. Atque hæc est sum-
,, ma delicti, nolle agnoscere, quem ignorare
non possis". Et Tertullianus in Apologetico: [q]. Quod immensum est, inquit, soli sibi

q Tertul. in Apolog. cap. 17.

,, notum est: hoc quod est, Deum æstimari
,, facit, dum æstimari non capit. Ita eum vis
,, magnitudinis & notum hominibus objecit,
,, & ignotum. Et hęc est summa delicti, no-
,, lentium recognoscere, quem ignorare non
possunt". Ecce quemadmodùm uterque consonanter asseverat, *Deum ignorari non posse*: utique invincibiliter sive inculpatè: [r]. Hęc est

r August. Tract. 106. in Ioan.

,, enim, ut ait Augustinus, vis veræ divinita-
,, tis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti
,, non omnino ac penitùs possit abscondi".
Unde & Damascenus ait, [s]. Nemo est mor-

s Damasc. lib. 1 de fide orthod. c. 1.

,, talium, cui non hoc à Deo naturaliter insi-
,, tum sit, ut Deum esse habeat perspectum".
Et Arnobius: [t]. Quisquamne est hominum,

t Arnob. l. 1. adversus Gentes.

,, inquit, qui non cum istius Principis notione
,, diem primæ nativitatis intraverit? Cui non
,, sit ingenitum, non affixum, imò ipsis penè
,, in genitalibus matris non impressum, non
,, insitum, esse Regem ac Dominum, cuncto-
rum quæcunque sunt moderatorem"? Planum proinde est, notitiam Dei ita omnibus hominibus esse à naturâ insitam, ut adultorum nullus eâ carere, nisi fortè vincibiliter & culpabiliter, possit. Ex quo ulteriùs fit, ut ipsa ejus carentia pœnam promereatur ut culpabilis. Quâ de re Minutius: [v]. Eos meritò

v. Minutius in Octavio.

,, torqueri, inquit, qui Deum nesciunt, ut im-
,, pios, ut injustos, nisi profanus nemo deli-
,, berat: cùm parentem omnium, & omnium
,, Dominum, non minoris sit sceleris igno-
rare, quàm lædere". Ecce quemadmodùm reputet *profanum* eum omnem, qui in deliberationem seu dubitationem revocat, num meritò tanquam impij & injusti torqueantur, qui Dei nescientiâ obtenebrantur! Sed nec hoc contentus, addit pro ratione, quòd *Parentem omnium ac Dominum non minoris sit sceleris ignorare quàm lædere.*

DECISIO

CCCLXXX. His ita discussis respondetur ad dubium proximo §. propositum, ignorantiam præceptorum Decalogi nunquam in hominibus usu rationis prędiris dari invincibilem. Quæ responsio multipliciter suaderi potest: primò quidem à posteriori ex dictis cap. 96. ubi ostendimus eos subjacuisse reatui culpæ ac pœnæ, qui Decalogi præceptis ignoranter contraveniebant. At verò si eorum ignorantia fuisset omninò invincibilis, nequaquàm subjacuissent reatui culpæ aut pœnæ, prout palàm ultroque fatentur Adversarij: è quibus Caramuel: [w]. *Qui violat legem*, inquit, *quâ se teneri invincibiliter ignorat, aut quâ se non teneri probabiliter putat, non peccat: adeòque nec puniri poterit.* Et rursùs n. 1331. *Qui probabilem sequitur opinionē, insuperabiliter veritatem ignorat: adeoque debet non peccare. Si enim insuperabilis ignorans, à nō excusaret à peccato, juberet Deus impossibilia, interdiceretque necessaria.* Et lib. 2. Theologiæ Moralis n. 1048. propositâ quæstione in specie de lege Decalogi: *Lex æterna moralis*, inquit, *hominibus imponitur. An omnibus?* *Primò imponi omnibus ratione utentibus, & cognoscentibus obligationem, tam certum est, ut probari non debeat. Secundò non esse impositam invincibiliter eam ignorantibus, ostendi, affirmans Deum misericordiæ fontem neminem voluisse ultra vires humanas obligare.* Cùm igitur ex dictis cap. 96. & sequentibus constet, homines ex ignorantia præceptorum Decalogi peccasse contra ipsam legem Decalogi, signanter eo tempore de quo ait Apostolus, *Peccatum non imputabatur, cùm lex non esset*: constare utique debet, ignorantiam, quâ laborarunt, non eos excusasse à peccato. Quæro igitur num illa eorum ignorantia fuerit vincibilis an invincibilis? Si Adversarij dixerint

w Caram. in Theolog. fundament. n. 1077. Vide Tambur. lib. 4. in Decalog. c. 1 §. 3. n. 4.

Rom. 5. 13.

fuisse invincibilem, evertent penitùs suas Maximas jam relatas, quibus asseverant, eos nullatenùs subjacere culpæ aut pœnæ, qui invincibiliter nesciunt culpabile aut punibile esse quod faciunt. Si autem vincibilem dixerint, necesse est ut fateantur non dari invincibilem Decalogi ignorantiam in ullis hominibus usu rationis præditis: adeoque omnem Decalogi ignorantiam in talibus esse vincibilem. Nulla enim legitima sciendi impedimenta allegari pro alijs possunt, quæ in præfatis Decalogi violatoribus locum non habuerint: ac per hoc si nulla sciendi impedimenta præstare potuerint ut eorum ignorantia evaderet invincibilis, profectò nulla sciendi impedimenta præstare poterunt, ut aliorum quorumlibet hominum, usu rationis pollentium, ignorantia Decalogi, evadat invincibilis. Restat proinde ut & in illis vincibilis fuerit, & in reliquis pariformiter vincibilis censeri debeat. Secundò eadem responsio suaderi potest à priori ex dictis, capite proximo, ubi ostendimus inprimis communia legis naturalis principia non posse à quoquam rationis compote ignorari: insuper quoque ostendimus universa Decalogi præcepta principijs illis evidenter cohærere, ad eum scilicet modum quo conclusio demonstrativa cohæret præmissis primò veris, è quibus per manifestam consequentiam elicitur. Sicut ergo fieri nequit ut is qui scit omne rationale esse risibile, & omnem hominem esse rationalem, ignoret invincibiliter omnem hominem esse risibilem: ita fieri nequit ut is qui scit nihil alteri esse faciendum quod sibi fieri nolit, & scit se nolle sibi fieri furtum, homicidium, aut aliam quamcunque injuriam, ignoret invincibiliter eadem à se nequaquam alteri esse facienda. Tertiò eadem responsio suaderi potest ex dictis partim §. 359. partim 365. ubi ex Augustino ostendimus, eos, qui ignorantiâ rerum agendarum omittendarumve laborant, posse suam ignorantiam vincere, *petendo sapientiam à Deo, qui dat omnibus affluenter: atque his omnibus, qui sic petunt, & tantùm petunt, quomodò & quantùm res tanta petenda est.* Neque verò ab hujusmodi petitionis instantiâ excusare quemquam potest sua ignorantia: [x] Nulli „enim hominum, ut Augustinus perhibet, „ablatum est scire utiliter quærere, quod inutiliter ignorat: & humiliter confitendam „esse imbecillitatem, ut quærenti & confitenti ille subveniat, qui nec errat dum subvenit, nec laborat". Quemadmodùm igitur in agendo, ita & in petendo, unusquisque rationis compos instruitur quibusdam generalibus regulis, à nemine ignorabilibus: quibus si legitimè uti velit, excussâ ignorantiâ ad sapientiam perveniet. Unde & Augustinus capite proximè sequenti testatur, " Animam accepisse naturale judicium, quo sapientiam præponat errori, & quietem difficultati: ut ad hæc non nascendo, sed studendo perveniat". Addit & ibidem rursùs post pauca: " Anima omnis & quærendum „esse concedit quod inutiliter nescit, & perseveranter in officiosis laboribus enitendum „ad evincendam rectè faciendi difficultatem, „& opem à Creatore implorandam: ut conantem adjuvet; qui vel extrinsecùs lege, „vel in intimis cordis allocutione conandum esse præcepit". Quartò denique eadem responsio suaderi potest communi calculo Scholasticorum §. 363. in fine memoratorum; inter quos & Gersonem retulimus, incunctanter dicentem: *Concors est sententia, nullam in his quæ legis divinæ sunt cadere ignorantiam invincibilē.* Quod sanè vel potissimùm verificari debet de lege divinâ naturali, quam Decalogus continet per articulos digestam: de quâ specificè loquens Alphonsus à Castro: [y] Theologi omnes, inquit, concorditer docent, ignorantiam legis naturę neminem excusare à transgressione illius legis". Ubi ne quis putet eum loqui de lege naturæ non quoad particularia præcepta in Decalogo digesta, subdit ibidem post paucula: " Naturali ratione suadente, sine „aliquo alio præceptore, intelligere homines „valent ea, quæ lex in Decalogo præcipit". Sermo ergo ei est de lege naturali, prout ea per articulos in Decalogo exprimitur. De eâdem quoque sic spectatâ, intelligendus est Adrianus, dum in quodlibeticis ait: [z] Ignorantia juris naturalis quoad prima principia „legis naturæ, & alia quæ quis pro officio „vel statu scire tenetur, unicuique est damnabilis". Ubi quid per *prima principia legis naturæ* intelligat, ipsemet satis indicat inferiùs Quodlibeto 4. q. 1. cum argumentis: " Eorum, inquiens, quæ sunt legis divinę, est „differentia: quędam enim sunt, quorum „notitia omnibus adultis necessaria est ad „salutem; quædam verò, quorum notitia „solùm quibusdam est necessaria ad salutem. „Prima, ut communia juris naturalis præcepta, cujusmodi sunt præcepta Decalogi, „& communes articuli fidei, ut de omnipotentiâ Dei, Christi humanitate, passione, „resurrectione, & de resurrectione mortuorum „& sic de alijs. Et horum ignorantia in nullo est invincibilis". Ubi per *communia juris naturalis præcepta*, ea ipsa intelligit, quæ superiùs vocaverat *prima principia legis naturæ*. Utrobique proinde intelligit præcepta Decalogi, de quibus posteriori loco subdit, *cujusmodi sunt præcepta Decalogi*. Horum proinde ignorantia juxta ipsum, *unicuique est damnabilis*: atque adeò, ut postremo loco ait, *in nullo est invincibilis*. Cui sententiæ, quantùm ad aliqua saltem Decalogi pręcepta, suffragatur Gregorius de Valentia:

x. Aug. lib. 3. de lib. arbit. cap. 19.

Gerson.

y. Alphons. à Castro de potestate legis pœnalis cap. 2. vide lib. 1. ibid. c. 4.

z. Adrian. q. 1. Quodlib. cum argumentis, art. 2.

Valentia: qui cùm dixiſſet, [A] Ignorantiam „invincibilem poſſe contingere & circa quod„vis factum contingens, & circa quodvis jus": continuò ſubjunxit exceptionem à poſteriori membro." Exceptis, inquiens, primis prin„cipijs legis naturę, qualia ſunt, Bonum eſſe „faciendum, Malum vitandum, Quod tibi „non vis fieri, alteri ne feceris &c. item ex„ceptis alijs pręceptis, quę ex hujuſmodi „principijs nullo negotio à quovis homine „deduci poſſunt; ut quòd ſit Numen divinum „colendum, quòd parentes ſint honorandi". Generaliùs de omnibus Decalogi pręceptis, ſimpliciter ac ſine peculiari aliquâ circumſtantiâ ſpectatis, loquitur Vaſquez, profeſſus ſe ſequi Antonium de Corduba lib. 2. q 4. concluſ. 1. [B] Concedimus, inquiens, nunquam „contingere ignorantiam invincibilem in pri„mis principijs naturalibus, neque in pręcep„tis Decalogi, quę ſunt propinquæ conclu„ſiones, niſi ex culpâ aliquâ, ut explicatum „eſt Et ita noſtra ſententia confirmatur teſtimonio etiam S. Thomę". Ubi alludit ad locum S. Thomæ §. 378. ſub initio deſcriptum: cui addi poſſunt & alia ejuſdem Sancti Doctoris teſtimonia §. 361. relata. Subdit porrò Vaſquez ibidem mox: " Dico, prima princi„pia moralia, & præcepta Decalogi, adeò „eſſe nota lumine naturali, ut ſi ſimpliciter, „& ſine circumſtantiâ aliquâ peculiari occurrant, nunquam ignotentur ſine culpâ". Breviter & dilucidè Durandus, rationem aſſignans cur minùs pręcepta Decalogi excuſabiliter ignotari queant, quàm articuli fidei; „[C] Non eſt ſimile, inquit, de præceptis, & „de articulis: quia præcepta ſunt de jure na„turali, & nota in lumine naturali; & ideò „nullus excuſatur ſi per ignorantiam faciat „contra ea, cùm recta ratio naturalis dictet „ea Articuli autem ſunt ſupra rationem, nec „habentur niſi ex alterius revelatione ſeu „doctrinâ; propter quod ignorantia eorum „eſt in toto excuſabilis, quoad illos, quibus „non fuiſſent per aliquem modum explicati, ſi per eos non ſtetiſſet".

A Greg. de Valentia 10. 2. Disp. 6. q 6 puncł 1. Coroll. 9 Vide Tanner tom. 2. Disp. 4. q. 2. Dub. 1. n. 14. & 15.

B Vasq. to. 3 in 1. 2. Dis. put. 122. c. 1. n. 7. Corduba. D Thomas. Vide eundē Quodlibeto 9 art. 10 & Zamelin 1. 2 q. 76. a 2. a Medinam ibidem.

C. Durand. in 3 Dist. 25 q. a. 3. Vide Alex. Alens. 2 p q. 129 Memb. 2.

CAPVT CII.

In legibus magnoperè à politicis commendantur paucitas & claritas. Sicut multitudo medicorum & pharmacorum ſubindicat multitudinem morborum, ita multitudo legum multitudinem litium. Iuſti Lipſij gravis expoſtulatio cum Cæſare Lothario, ſuper reducto legum auctario. Solon obſcurando legum ſuarum Edicta, amplificavit Iudicum ſubſellia. Advocatorum, cuilibet indiſcretim cauſæ patrocinari promptorum, deteſtanda avaritia pariter ac nequitia perſtringitur, & exemplo Galeacij Ducis Mediolanenſis animadvertenda ſuggeritur. Decalogum, paucis planiſque legibus divinitus digeſtum, humana ſubtilitas, varietate interpretationum adeò obſcuravit ac litigijs ſubſtravit, ut vix ea in re cedat vel Lotharij Pandectis, vel Solonis Scitis. Præceptum diligendi Deum, quod Chriſto primum eſt ac maximum, *à quibuſdam ita eluditur, ut prædicare præſumant,* Non teneri hominem in rigore per totam ſuam vitam elicere unquàm actum amoris Dei. *Contrarium natura ſuggerit, ratio ſuadet, authoritas evincit. Nimis durus eſt animus, qui dilectionem ſi nolebat impendere, nolit ſaltem rependere. Referuntur & eliduntur ratiunculæ, quibus aliqui contendunt non dari ſpeciale præceptum diligendi Deum. Exhibitio operis probatio eſt dilectionis. In quanta errorum præcipitia clientulos ſuos devolvat amor novitatis, & nauſea vetuſtatis? Crebri piorum gemitus pro culpis neſcienter incurſis. Pſalmographi verſiculus iſtuc ſpectans,* Converſus ſum in ærumnâ meâ dum configitur ſpina.

DUo ſunt quæ in legibus magnoperè commendantur à Politicis, paucitas nimirùm, & claritas: quorum alterutro deficiente leges fiunt litium ſeminaria, quarum deberent eſſe repagula. Inde eſt illud Arceſilai, [D] Quemadmodùm ubi pharmaca „multa multique medici ſunt, ibidem & „morbi abundant: ſic etiam ubi plurimæ leges fuerint,

[illegible] Lipſ.

D. Arceſilaus apud Stobæum Serm 41.

„ fuerint, ibi & injustitia viget maximè".
Quò alludens nuperus quidam Scriptor:
E. Nic. Vernul. l. 3. Institut. Polit. tit 2. §. 4.
E. Quemadmodùm, inquit, multorum signa
„ sunt morborum medici multi, multaque
„ pharmaca: ita ubi multæ sunt leges, multa
„ injustitia est: imò legum multitudo mali
„ Reip. statûs indicium est. Nõn igitur pro-
„ banda. Et utinam pro tot indigestis legum
„ voluminibus unum esset breve ac perspi-
„ cuum juris compendium. Illa legum mul-
„ titudo litium est seminarium, in quas multò
„ plùs quævis Respublica quàm in bellum
„ impendit: adeò leges, quæ finiendis in-
„ ventæ sunt litibus, lites quotidie generant,
„ dum quæ bona sunt, ad injuriam à pravis
ingenijs detorquentur". Et ante hunc Iustus
F. Lipf. l. 2. Exemplor. Polit. c. 10.
Lipsius: F. Leges in Republica, inquit, ut
„ medicamenta esse debent: atqui nec hæ
„ multa aut varia probentur: non item illæ.
„ Plato verissimè: *Vbi plurima leges, ibi & lites,*
„ *itemque mores improbi.* Deus bone, quàm rem
„ tetigit! & usus ubique gentium aut tempo-
„ rum hoc affirmabit. Maneamus in Romanâ
„ Republicâ: Paucas ea initio habuit, paulò
„ plures Decemviri addiderunt; & ita ad
„ Principes ferè mansit. Tunc sanè plures: &
„ à Iustiniano plurimæ, quibus utimur; Lo-
„ thario Imperatore, cùm diu siluissent, eas
„ reducente: nam Gallia, Hispania, Germa-
„ nia, earum ad id ævi ferè expertes erant.
„ Receptæ igitur sunt: & quo fructu? Certè
„ illo litium, nemo negaverit, quæ ex eo
„ nimiùm quantùm succreverunt. Europam
„ vide; & mentior, nisi maxima ejus pars
„ circa istas occupatur. Alij judicant, alij in-
„ struunt, alij agunt; &, qui miserrimi sunt,
„ eas habent. Bone Lothari, manes tui, per
„ me quiescant, sed rosæ aut lilia sepulchrum
„ tuum non ornent, qui tot tricas & spinas
„ nobis sevisti. Nam quæ tam clara causa est;
„ quæ non aliquâ lege, lege? imò interpre-
„ tatione, nam & has admisimus, obscure-
„ tur? Quæ tam improba, cui non dent co-
„ lorem? Ars enim facta est causidicina, &
„ peritè captare aut capere laudem habet".
Et hæc quidem pro legum paucitate, sive con-
tra nimiam earum numerositatem. Superest
Vernulæus. Vide Petrũ Gregor. lib. 10. de Rep. c. 5.
claritas, de qua idem qui suprà Vernulæus
ibidem §. 6. ait:" Proba lex, & multitu-
„ dini profutura, simpliciter & æquè omni-
„ bus apertè scribi debet; ne variâ pro cujus-
„ que arbitratu interpretatione torqueatur".
Et mox iterùm ibidem:"Quæ ambiguæ sunt
„ leges, inquit, Forensibus rabulis litium
„ infinitarum occasionem præbent". Huc quo-
Isocrates.
que spectat illa Isocratis ad Nicoclem paræ-
nesis:" Leges oportet te ponere æquas &
„ utiles, & sibi invicem concordes, MINI-
„ MEQVE ANCIPITES; sed quæ oppidò
quàm faciles habeant solutiones". Etenim
utroque jure sancitum est, leges ita condi de-
bere, ut ab ijs quibus imponuntur intelli-
gantur. Extat eâ de re constitutio Imperialis
lib. 1. Codicis, ita sonans: G. Leges sacra-
G. Lib. 1. Cod. tit. 14. cap. 9.
„ tissimæ, quæ constringunt hominum vitas,
„ intelligi ab omnibus debent: ut universi
„ præscripto earum manifestiùs cognito vel
„ inhibita declinent, vel permissa sectentur".
Unde & Iustinianus Novellâ 107. c. 1. *Quid*
enim, inquit, *sic proprium est legum, sicut claritas?*
Corpori quoque Iuris Canonici inserta est
illa Isidori Hispalensis sententia lib. 5. Ori-
ginum cap. 21. H. Erit autem lex, honesta,
H. Cap. Erit autem lex, Dist. 4.
„ justa, possibilis, secundùm naturam, secun-
„ dùm patriæ consuetudinem, loco tempo-
„ risque conveniens, necessaria, utilis; MA-
„ NIFESTA QVOQVE, NE ALIQVID PER OBSCV-
RITATEM IN CAPTIONEM CONTINEAT". In
Extravagantibus denique Ioannis XXII. legi-
tur: I Sedes Apostolica in suis actibus veri-
I Extravag. 4. cap. 1.
„ tatem prosequens, lucem amans; libenter
„ evitat nodosæ ambiguitatis involucrum".
Hoc ipsum conari debent omnes legislatores:
alioquin enim condendo leges, multiplica-
bunt lites; multiplicando autem lites, com-
mittent inter se cives. Verissimum quippe est
illud Platonis, K. Nunquam fuerint concor-
K. Plato l. 5. de legibus.
„ des aut inter se amantes cives, ubi mutuæ mul-
„ tæ lites judiciales sunt, sed ubi eæ brevissi-
„ mæ, & paucissimæ". Quâ in re non caruit
reprehensione famosus ille Atheniensium
legislator Solon, de quo Plutarchus: L. Dici-
L. Plutarch. in vita Solonis.
„ tur, inquit, legibus scribendis implicatiori-
„ bus, & multùm contortis, vim amplifi-
„ casse subselliorum: cùm enim non possent
„ per leges decidi lites, evénit ut nunquam
„ non opus haberent Iudicibus; ad quos, si-
„ cut legum quodammodò dominos, contro-
versias omnes deferrent". Nihil famelicis &
avaris causidicis accidere potest gratius aut
optatius, ejusmodi perplexarum legum ema-
natione. Hi enim libenter piscantur in aquâ
turbidâ; &, quemadmodùm olim aiebat de
eis Ammianus Marcellinus: M. Ut in pro-
M. Ammianus Marcel. lib. 30.
„ fessione turbulentâ clarescant, ad expug-
„ nandam veritatem ora mercenaria procu-
„ dentes, per prostitutas frontes, vilesque
„ latratus, quò velint, aditus sibi patefaciunt
„ crebros. Qui inter sollicitudines Iudicum
„ per multa distentas, irresolubili nexu vin-
„ cientes negotium, laborant ut omnis quies
litibus implicetur". Ex hoc genere hominum
fuit ille, qui oblatâ suo Principi operâ ad
patrocinandum causæ patenter iniquæ, pro
mercede reportavit ab eo restim. Quâ de re
Lipsius libro & capite mox citatis:" Galea-
Lipsius Galeacius.
„ cius, inquit, Dux Mediolanensium, cùm
„ aliquoties audisset, vafro ingenio causi-
„ dicum esse, qui lites serere, & satas produ-
„ cere, atque alere, etiam in liquido jure
posset."

„ posset, hominem ad se accitum affatur: „ *Debeo*, inquit, *pistor, meo centum aureos: non lu-* „ *bet solvere. Tu ecquid taceri me in jure, & rem* „ *protollere potes*? Annuit largiter, & Prin- „ cipi promptè se dedit: sed iste ei ma- „ lum. Nam fraudis sic confessum, verbis „ priùs increpitum, laqueo publicè neca- ri jussit".

CCCLXXXII. Universam naturæ legem exiguo decem præceptorum dilucidè expressorum numero complexus est is, *cui nullus similis in legislatoribus*: ut proindè nemo in eâ sic contractâ conqueri jure queat sive de nimiâ præceptorum numerositate, sive de eorundem obscuritate. Verumtamen, quod magnopere dolendum est, humana curiositas tot ac tam varias interpretationes commenta est, tot tricas ac spinas superseviţ, tam densas nodosæ ambiguitatis nebulas offudit: ut non minùs obnoxiæ sint hodie litigijs sanctiones Decalogi, quàm Pandectæ Lotharij, vel olim leges Solonis. Quid enim in toto Decalogo intactum relinquant, aut litigio obnoxium non reddant, qui præceptum diligendi Deum, quod Christus *Maximum & primum mandatum* pronuntiavit, in dubium revocant? Inter viginti sex Articulos, quos die 4. Maij. 1657. Facultas Theologica Lovaniensis, ad requisitionem Episcopi Gandavensis, improbavit, & suis sigillatim censuris perstrinxit, vigesimus quartus ordine fuit iste: *In rigore loquendo videtur quòd homo non teneatur unquam per totam vitam suam elicere actum amoris* Dei. Quem eundem Articulum biennio pòst Episcopus Namurcensis cum suâ Synodo Diœcesanâ circumscripsit, unà cum alijs sedecim, ad calcem ejusdem Synodi recensitis. Video tamen eundem Articulum, saltem æquivalenter, tradi à Tamburino, etiam in editione Insulensi anni 1660. Ubi cùm Author varia commemorasset tempora quibus juxta diversos scriptores urget obligatio diligendi Deum ex vi istius præcepti, subdidit: [N] Mihi placet „ doctrina Azorij, qui docet, hoc præcep- „ tum charitatis impositum fuisse ob justi- „ ficationem impij: solùm igitur tunc obli- „ gare, quando impius, quia Sacramentum „ pœnitentiæ non est in promptu, non ha- „ bet aliam viam, quâ se justificet, nisi eli- „ ciat actum contritionis, quæ semper ali- „ quo tandem modo actum amoris Dei su- „ per omnia dilecti involvit. Consequenter „ igitur & indirectè, ratione suæ justifica- „ tionis, ad actum charitatis fideles obli- „ gantur. Vide suprà cap. 1. §. 2. n. 10. ubi „ idem loquendi modus mihi placuit de præcepto actûs fidei, & spei". His verbis æquivalenter à Tamburino tradi prædictum Articulum, patet ex eo, quòd in rigore loquendo fieri possit ut nunquam desit impio via se justificandi per Sacramentum pœnitentiæ quoties opus fuerit. Si ergò præceptum eliciendi actum charitatis tunc solùm obliget, quando absque Sacramento pœnitentiæ impius tenetur sese justificare: profectò quisquis in infantia baptizatus vel nunquam posteà fit impius, vel in promptu habet Sacramentum pœnitentiæ quoties tenetur ab impietate resurgere, is *non tenebitur unquam per totam vitam suam* quantævis diuturnitatis, *elicere actum amoris Dei*. Quod si ita est, certè non tenebitur *in rigore*: quia nemo in rigore tenetur ad id, sine quo, per se loquendo & seclusis extrinsecis, satisfacere plenè potest functioni & obligationi suæ. Unde idem ipse Tamburinus ibidem n. 3. conformiter ad sua principia jam relata concludit, *Præceptum charitatis indirectè solùm & ratione alterius obligare*. Stupenda planè ordinis transversio, ut quod Christus disertis verbis pronuntiavit *Primũ omnium mandatum*, id Doctor Christianus audeat dicere, *indirectè solùm & ratione alterius obligare*. Si enim indirectè solùm & ratione alterius obligat, quis non videat prius ac principaliùs illo esse istud alterum directè obligans, ratione cujus ipsum indirectè solummodò obligat? Rursùs cùm illud censeatur magis tale, propter quod alterum est tale; nonne planum est ea præcepta propter quæ mandatum dilectionis indirectè duntaxat obligat, magis obligare quàm ipsum, quod non nisi propter ea obligat? Falsò igitur dixerit Veritas mandatum dilectionis non modò *primum esse*, sed & *maximum*. Sed quia illa non falsò dixit quod dixit, restat profectò ut hìc subintret illud Gregorij, [O] *Aliud Iudex nunciat, & aliud præco clamat*. Absit proinde ut quisquam veritatis studiosus aurem præbeat præconi contra Iudicem clamanti, ac non potiùs Iudici contra talem præconem nuncianti. Audiendus ex adverso fuerit veteranus ille ejusdem Iudicis præco, qui idipsum clamans, quod Iudex nunciaverat: [P] Iustum est Domine, inquit, ut diliga- „ mus te, quia & tu nos diligis: & iniquum „ omninò est, ut te in aliquo dilecti tui of- „ fendant. Verè *hoc mandatum legem complec-* „ *titur & Prophetas*, & in hoc verbo omnium „ Scripturarum volumina coarctantur. Hoc „ natura, hoc ratio, hoc, Domine verbi „ tui clamat authoritas: hoc ex ore tuo au- „ divimus; hìc invenit consummationem „ omnis religio. Primum est hoc mandatum „ & ultimum: hoc in libro vitæ conscrip- „ tum, indeficientem hominibus & Ange- „ lis exhibet lectionem. Legat hìc unum ver- „ bum, & in hoc mandato meditetur Christia- „ na religio, & inveniet ex hâc Scriptura

Eccl. 36. 22.

Matt. 22. 38.

N Tambur. in Decalog. lib. 2. c. 1. §. 2. n. 2.

Matt. 22. 39.

Vide Olivum Thom. 2. 2. q. 44. a. 1. in corp. & ad 1.

Matt. 22. 39.

O Gregor. Hom. 27. in Evang.

P. Cyprian. Ser. de Bapt. Christi.

Ibid. v. 40.

Vide Alredũ in Compendio speculi charitatis cap. 1. & Cassiodor. lib. de Amicitia.

„ omnium doctrinarum regulas emanasse; & „ hinc nasci, & huc reverti quicquid Ecclesiastica continet disciplina; & in omnibus „ irritum esse & frivolum quicquid dilectio „ non confirmat. Non pertinet Domine ad te, nec de tuis est, qui te non diligit". Huic finali clausulæ consona est illa Apostoli execratio, *Si quis non amat Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, sit anathema, maran atha*. Ubi notandum, nec Cyprianum dixisse, qui te odit; sed, *Qui te non diligit*: nec Apostolum dixisse, quisquis odit Dominum nostrum, sed, *Quisquis non amat*. Q Maximum ergo, ut Augustinus „ ait, quod ad beatam vitam ducit, primum„ que mandatum est, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & animâ, & mente*". Et mox infrà rursùs ibidem: "Summum bonum, „ inquit, quod etiam optimum dicitur, non „ modò diligendum esse NEMO AMBIGIT; sed „ ita diligendum, ut nihil ampliùs diligere „ debeamus: idque significatur & exprimitur „ eo quod dictum est, *Ex totâ animâ, & ex toto corde, & ex totâ mente*". Quid est ergo quòd hodiè in disceptationem revocatur, quod in primitivâ Ecclesiâ, *nemine ambigente* incunctanter credebatur? Nunquid hodie eadem natura, eadem ratio, eadem divina Authoritas manet, quæ tempore Martyris Cypriani viguit, qui mox relatus aiebat: *Hoc natura, hoc ratio, hoc Domine verbi tui clamat authoritas*? Clamat quippe natura amandum esse Creatorem, clamat ratio redamandum esse amatorem. Etenim Augustino teste, R Nimis durus est animus, qui „ dilectionem si nolebat impendere, nolit „ rependere". Unde & idem addit inferiùs ibidem cap. 22. "Quis non redamare affectet „ justissimum & misericordissimum Deum, „ qui prior sic amavit injustissimos & super„ bissimos homines, ut propter eos mitteret „ unicum Filium, per quem fecit omnia"? Et lib. 4. Confessionum cap. 9." Hoc est „ quod diligitur in amicis, & sic diligitur, „ ut rea sibi sit humana conscientia, si non „ amaverit redamantem, aut si amantem non redamaverit". *Si rea sibi sit humana conscientia non redamando amantem*, certè illa agnoscit se teneri redamare amantem: ac per hoc pugnat cum ejus dictamine hominem non teneri in rigore per totam suam vitam diligere Deum, se diligentem, ac tot beneficijs benignissimè cumulantem. Pugnat denique idipsum cum divinorum eloquiorum authoritate clamantium, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tua, & ex tota mente tua: hoc est maximum, & primum mandatum*. Quinimò non veretur Augustinus scribere, universa divina Eloquia in hujus præcepti inculcationem conspirare: S Non præcipit Scriptura, in„ quit ille, nisi charitatem, nec culpat nisi „ cupiditatem: & eo modo informat mores hominum". Ubi ne quis cavilletur, sermonem esse de charitate habituali, notandum inprimis est, præcepta non ferri de habitibus ut sic, sed de actibus, actuum ve omissionibus: deinde Augustinum ibidem in subsequentibus palàm indicare se loqui non de charitate quæ sit habitus animi, sed quæ sit *motus animi*. Sic enim ibi ait: " Charitatem voco motum „ animi ad fruendum Deo propter ipsum, & „ se atque proximo propter Deum: cupidita„ tem autem motum animi ad fruendum se, & „ proximo, & quolibet corpore, non propter Deum".

1. Cor. 16. 22.
Q Aug. lib. de Moribus Eccles. c. 11.
Mat. 22. 37.
R Aug. l. de Catech. rudibus c. 4.
Mat. 22. 37. & 38.
S Aug. l. 3. de Doctrina Christ. c. 10.
Vide Divum Thom. 2. 2. q. 44. a. 1. ad 2.

CCCLXXXIII. Nullo igitur modo admittenda, aut in praxi sequenda, sed prorsùs ab auribus mentis & corporis repellenda est illa Tamburini positio, dicentis T: Licet „ communis sententia doceat dari Præcep„ tum speciale de amando Deo, in illis ver„ bis, *Diliges Dominum Deum tuum*, & alibi: „ tamen non ignobiles Doctores docent „ hoc præceptum non esse speciale, & spe„ ciali tempore implendum; sed generale im„ bibitum in omnibus præceptis: sicuti se„ cundum præceptum de dilectione proximi, „ non est speciale, sed in Decalogi præceptis „ contentum: nam propterea dicitur, *In his* „ *duobus præceptis*, id est, dilectionis Dei & pro„ ximi, *universa lex pendet & Prophetæ*: &, *Qui* „ *habet præcepta mea, & servat ea, ille est qui diligit* „ *me*: & *Plenitudo legis est dilectio*. Si enim qui ser„ vat præcepta diligit, quique diligit servat, „ jam unum ex his continetur in alio: & con„ sequenter præceptum charitatis indirectè „ solùm & ratione alterius obligabit". In quibus verbis illud saltem rectè agnoscit Author, *Communem sententiam docere dari præceptum speciale de amando Deo, in illis verbis, Diliges Dominum Deum tuum, & alibi*. Sed illud certè omnibus sanum sapientibus jure merito displicet, quòd ipse ab eâ sententia, quam communem rectè agnoscit, in contrariam deflexerit, nullâ ratione vel authoritate ullius momenti suffultus. Obtendit quidem pro se authoritatem *non ignobilium Doctorum*, sed in genere duntaxat, nemine nominatim expresso: ex quo conijcere licet, vel nullos ei occurrisse, vel non nisi tales quos nominare suppuduerit. Suo ergo silentio satis prodit quàm sit destitutus suffragijs *non ignobilium Doctorum*. Refert quidem Dominicus Sotus quandam sententiam asserentem, præceptum dilectionis Dei obligare duntaxat pro articulo mortis: sed cùm eam censuret ut *ridiculam*, proculdubiò si Tamburini sententia ei oblata fuisset, eam plusquam ridiculam dixisset: „ V Si dixeris, ait ille, satis esse semel in vi„ tâ, idque in articulo mortis, implere; „ profectò longè à naturâ præcepti aberras.

T Tambur. lib. 2 in Decalog. c. 3. § 2. n. 3.
Mat. 22. 37.
Ibid. v. 40.
Joan. 14. 21.
Rom. 13. 10.
V Sotus l. 2. de Iustit. & Iure q. 3. a. 10.

Cùm

„ Cùm enim præceptum hoc cæterorum om- „ nium sit præambulum, &, ut ait Paulus, *finis*, „ nam *finis præcepti est charitas*, RIDICVLVM „ esset dicere, quòd liceat transigere totam vitam antequam nos obliget". Plusquam ridicula ergo huic Theologo est sententia Tamburini, quæ ne quidem pro articulo vitæ extremo obligationem ejusdem præcepti agnoscit; nisi fortè per accidens, quia nimirum tunc quis est in statu peccati mortalis, & caret opportunitate suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ, quod cum solâ attritione justificet. Sed nec minùs ridiculæ sunt rationes quas in probationem suæ positionis Tamburinus adducit. Nam præceptum dilectionis proximi *non esse speciale*, falsum est: prout evincit authoritas Christi dicentis, *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*; & Ioannis Apostoli scribentis, *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum diligat & fratrem suum.* Deinde etiamsi verum foret non dari speciale præceptum diligendi proximum, ridicula tamen est consequentia quâ inde infertur non dari speciale præceptum diligendi Deum. Neque enim proximus sortitur rationem summi boni seu finis ultimi humanæ vitæ, sicut Deus: atque adeo longè potiori jure obstringimur diligere Deum, quàm proximum: [w] „ Bonum enim „ nostrum, inquit Augustinus, de cujus fine „ inter Philosophos magna contentio est, nul- „ lum est aliud, quàm illi cohærere, cujus „ unius anima intellectualis incorporeo, si dici „ potest, amplexu, veris impletur fœcundatur- „ que virtutibus. Hoc enim bonum diligere in „ toto corde, in totâ animâ, & in tota virtute „ præcipimur. Ad hoc bonum debemus & à „ quibus diligimur duci, & quos diligimus „ ducere: sic complentur *duo illa præcepta, in* „ *quibus tota lex pendet & prophetæ: Diliges Domi-* „ *num Deum tuum in toto corde tuo, & in totâ animâ* „ *tuâ, & in totâ mente tuâ: & diliges proximum* „ *tuum tanquam teipsum.* Ut enim homo sese di- „ ligere nosset, constitutus est ei finis, quò re- „ ferret omnia quæ ageret, ut beatus esset: „ non enim qui se diligit, aliud esse vult, quàm „ beatus. Hic autem finis est, adhærere Deo. „ Iam igitur scienti diligere seipsum, quid „ aliud mandatur, cùm mandatur de proximo „ diligendo sicut seipsum, nisi ut ei quantùm „ potest commendet diligendum Deum"? Non est ergo par, sed longè dispar obligatio diligendi Deum, ac diligendi proximum: Deus enim est finis ultimus, & quidem unicus, totius vitæ humanæ, propter quem primariò ac per se dilectum diligenda sunt reliqua quæcunque diligenda sunt. Quapropter si unica sola creatura rationalis aut intellectualis in rerum natura existeret, dilectionem Deo impendere deberet: non autem proximo, cùm utique nullum haberet: [x] „ Quisquis ergo re- „ ctè proximum diligit, hoc cum eo agere de- „ bet, ut etiã ipse toto corde, totâ animâ, totâ „ mente diligat Deum. Sic enim eum diligens „ tanquam seipsum, totam dilectionem sui & „ ipsius refert in illam dilectionem Dei, quæ „ nullum à se rivulum duci extra patitur, cu- „ jus derivatione minuatur". Ab hoc debito persolvendo longè profectò abest Tamburinus, cum suis *non ignobilibus Doctoribus*, quos nominare vel non potuit, vel puduit: qui proximos suos docent, non teneri eos totâ vitâ diligere Deum, nisi fortè *indirectè, & ratione alterius.* Nec eos juvat, quod Christus dixerit, *In duobus præceptis universam legẽ pendere & prophetas.* Non enim ideo hoc ille dixit, quòd duo illa præcepta nullam specialem obligationem importent distinctam ab obligatione cæterorum præceptorum: sed quòd eorum observatio pariat observationem cæterorum præceptorum. Quis enim dicat non distingui à fructibus arborem, eò quòd fructus *pendeant* in arbore vel ex arbore? Dilectio Dei & proximi est illa *arbor bona*, quæ, causando observantiam præceptorum Decalogi, facit fructus bonos: [y] „ Lex igitur, inquit „ idem Augustinus, adducit ad fidem, fides „ impetrat spiritum largiorem, diffundit Spi- „ ritus charitatem, implet charitas legem. „ Ideo lex vocatur *Pædagogus*, sub cujus mina- „ cissimâ severitate *qui invocaverit nomen Do-* „ *mini salvus erit: quomodò autem invocabunt, in* „ *quem non crediderunt?* Proinde ne littera sine „ Spiritu occidat, Spiritus vivificans cre- „ dentibus & invocantibus datur: *Charitas* „ verò *Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiri-* „ *tum Sanctum qui datus est nobis*; ut fiat quod „ idem Apostolus dicit, *Plenitudo legis est charitas*". Nimis igitur impertinenter fualia ista Apostoli verba in suæ positionis probationem adduxit Tamburinus, quippe quæ non aliud important, quàm quòd charitas seu dilectio impleat sive impleri faciat omnia legis præcepta. Cui sensui planè congruit illa Christi sententia, *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Cui sententiæ mox subditur, & ista velut è contrario, *Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Ex quibus sententijs apparet quàm impertinenter pro se alleget Tamburinus illa Christi verba ibidem præmissa, *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me.* Genuinus quippe sensus est, signum unde colligatur inesse cuipiam mei dilectio, est mandatorum meorum observatio; quia nimirum fructus observationis subindicat arborem dilectionis: [z] „ Audistis, ait Papa Gregorius, quid veritas di- „ cit, *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* „ Probatio ergo dilectionis, exhibitio est „ operis".

1. Tim. 1. 5.

Vide Divum Thom. 2. 2. q. 100. a. 10.

Io. 13. 34. 1. Io. 4. 21.

[w] Aug. lib. 10. de Civit. cap. 4.

Mat 22. 37. & seqq.

[x] Aug. l. 1. de Doctrina Christ. c. 22.

Vide Cassio. dor. lib. de Amicitia.

Mat 7. 17.

[y] August. Epist. 144.

Gal. 3. 24.

Rom. 10. 13. & 14.

Rom. 5. 5.

Rom. 13 10.

Io. 14 23.

Ibid. v. 24

Vide Salmantic. tr. 2. 2. q. 10 art. 1. Dub. 1. Concl. 1 ad 2.

Ibid v. 21.

[z] Gregor Hom. 30. in Evangelia.

CCCLXXXIV. Mirantur mecum complures, quomodò Theologo Christiano irrepere in mentem potuerit ea persuasio, quam ex Tamburino hactenùs retulimus: sed admirationem minuit lectura Lactantij, qui Diagoram & Theodorum Cyrenæum memorat, non ob aliud toti antiquitati, Deum negando, contradixisse, quàm ut viderentur novum aliquid prioribus incompertum adinvenisse: A. Ambo, ait ille, quia nihil novi „ poterant reperire, omnibus jam dictis & „ inventis, maluerunt vel contra veritatem „ id negare, in quo priores universi sine ambiguitate consenserant ". Recensuerat Tamburinus denas Doctorum sententias super tempore quo teneantur homines elicere actum dilectionis Dei: B. Primum tempus, in„quiens, quod aliqui assignant, est initium „ usûs rationis: secundum, finis vitæ: ter„tium, tota vita indeterminatè sumpta, ut „ saltem semel in ea ametur Deus: quartum, „ omnes dies festivi, in quibus debemus Deo „ specialiter vacare: quintum, tempus quo „ adultus suscipit Baptismum: sextum, tem„pus quo quis suscipit Eucharistiam: septi„mum, quando fortè sumitur Martyrium: „ octavum, quando magnum à Deo accipis „ beneficium: nonum, quando audis aliquem „ contra Deum blasphemantem: decimum, „ quando gravi urgeris tentatione, præsertim „ odij Dei, cum periculo consensus, nisi ad Deum per amorem te convertas". Ut ergo novam sententiam procuderet, nullo unquam tempore per totam vitam teneri homines Deo dilectionem impendere vel rependere censuit, nisi *indirectè solùm, & ratione alterius*. Unde & mox ibidem n. 4. duo priora tempora, à compluribus respectivè, vel etiam copulativè, designata, signatè excludit, dicens; " Probabilis ergo & tutissima sententia est il„lorum, qui negant fideles initio usus ratio„nis, & fine vitæ, obligari ad se convertendos ad Deum, illum amando". Rationem generalem non tantùm pro duobus hisce temporibus, sed etiam pro toto vitæ tempore excludendo, allegaverat superiùs ibidem cap. 1. §. 1. n. 9. " Nunquam, inquiens, „ præceptum aliquod obligat, nisi sit deter„minatum: cùm enim non possit ut indeter„minatum exire in executionem, non censetur practicè esse completum". Hâc generali ratione nititur ille enervare vim præceptorum fidei, spei, & charitatis, ita ut nullum eorum unquam per totam vitam obliget quemquam directè & per se, sed *indirectè solùm, & ratione alterius*. Idipsum ibidem censet de *præcepto confessionis, & item communionis extra mortis articulum, antequam Ecclesia determinasset tempus paschale*. Inferiùs item cap. 4. §. 2. n. 4. eâdem generali suâ ratione elidit obligationem præcepti divini de orando, itemque de adorando Deum. Proposito namque dubio, *Quandonam obliget naturale præceptum orandi, vel adorandi?* respondet: " Doctores modò citati „ varia tempora assignare conantur. Ego hìc „ sentio quod suprà dixi de præcepto fidei, „ spei, & charitatis, non dari scilicet certum „ tempus & determinatum, in quo directè „ obligat: sed esse illud in quo obligat indi„rectè, quando scilicet urget necessitas ali„cujus boni acquirendi, vel mali, seu tenta„tionis avertendæ, quæ acquirere, vel aver„tere, sine Dei auxilio nos non posse, tunc animadvertimus ". Quo finali additamento satis indicat, ejusmodi præcepta nunquam obligare, nequidem *indirectè & ratione alterius*, nisi quando quis *animadvertit* se hic & nunc obligari. Quod utique consentaneum est alteri ipsius regulæ superiùs §. 353. in fine relatæ, & rursùs §. 375. repetitæ. Ubi obiter notandum, hunc Authorem inibidem velle elidere obligationem orandi, unde alij plerique Theologi eandem astruere non dubitant: C. Fortassis, inquit Bannez, nobis igno„rantibus aliquando est omissio hujus præ„cepti, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde* „ *tuo* &c. Sicut etiam solet esse omissio præ„cepti orandi Deum: & propterea oportet „ dicere semper, *Ab occultis meis munda me Domi„ne* ". Ecce hic astruit orandi jugem necessitatem ex eo quòd aliquando lex obliget non modò inadvertentes, sed & ignorantes! Tamburino autem ex adverso cessat penitùs orandi indigentia, interveniente vel ignorantiâ, vel etiam inadvertentiâ. Bannezio consonat Sylvius, cùm ex professo disserens de præcepto diligendi Deum: D. Certum est, in„quit, hoc præceptum sæpiùs in vitâ obliga„re. Cùm enim datum sit ad vitam rectè in„stituendam, & ad salutem æternam promo„vendam, nullo modo verisimile est quòd „ solùm obliget in periculo mortis, quando „ vita jam est finienda. Punctualiter autem „ definire singula tempora, quibus sit im„plendum sub reatu peccati mortalis, est im„possibile: prudenti proinde judicio opus „ est ad judicandum an per nimis longum „ tempus fuerit quis sine Dei dilectione. Et „ quia nobis non advertentibus interdum ac„cidit hujus præcepti omissio, ipsam esse cre„dimus inter peccata, de quibus Psalm 18. „ dicitur: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me*". Ubi notandum inprimis Sylvium habere pro *certo* id, cuius oppositum Tamburinus venditat pro probabili, & securo in praxi. Deinde Sylvium *nullo modo verisimile* reputare, quòd præceptum dilectionis Dei obliget solùm in periculo mortis: non quòd dubitet quin obliget pro articulo mortis, quippe cùm ibidem præmiserit, *Satis certum*

A Lactant. lib. de ira Dei cap. 9.

B Tambur. l. 2. in Decalogum c. 9. §. 2. n. 1.

C. Bannes in 2. 2. q. 44. a. 1. Dub. 1. Conclus. 1. ad 9. Mat. 22. 37.

Ps. 18. 13.

D Sylvius in 2. 2. q. 44. a. 6. q. 1. Vide Greg. à Valentia 3. 1. Disp. 3. q. 19. p. 1. & tom. 2. Disp. 2. q. 1. p. 6.

certum esse, quòd per se obliget in articulo mortis: sed quòd non dubitet quin obliget etiam sæpiùs in decursu vitæ citra periculum mortis. Tertiò Sylvium, consonante Bannezio, astruere peccata ignoranter commissa, pro quorum remissione supplicatur Deo cùm ei dicitur, *Ab occultis meis munda me Domine.* Quod planè conforme est Augustino, & Synodo Diospolitanæ, superiùs §. 358. & 359. relatis; nec non eidem Augustino alibi monenti, „ Attendendum esse quàm in *multis offendimus omnes*, dum putamus Deo, quem diligimus, placere, vel non displicere quod facimus: & posteà per Scripturam ejus, sive certâ & perspicuâ ratione commoniti, cùm didicerimus quòd ei non placeat, pœnitendo deprecamur ut ignoscat". Ubi ne quis

S. Aug. l. de Spir. & lit. cap. 36. Lec. 3. 2.

putet hoc in raris quibusdam casibus accidere, subdit continuò Augustinus: *Plena humana vita est documentis talibus*. Plena ergo est humana vita delictis ignorantiæ, dum putant homines Deo placere, vel saltem non displicere quod faciunt, vel quod omittunt. Plena quoque est humana vita deprecationibus piorum, pro ignoscentiâ delictorum, non solùm cum ignorantiâ vel inadvertentiâ inexistentis pravitatis, sed etiam cum existimantiâ oppositæ bonitatis ac probitatis, perpetratorum. Horum quisque, agnitâ demùm culpâ suâ per ignorantiam admissâ, usurpet illud Psalmographi, *Conversus sum in ærumnâ meâ, dum configitur spina.* S. Quid factum est, inquit Augustinus, „ *Cùm configeretur spina*? Datus est ei sensus doloris, invenit infirmitatem suam",

Ps. 31. 4. S. August. Enarrat. 2. in Psal. 31.

CAPVT CIII.

Non sunt præsumendi parcere Decalogo, qui laxant & luxant mandatum dilectionis, quod est basis totius Decalogi. Præceptorum moralium triplex gradus ex Divo Thoma, quorum primus complectitur mandatum dilectionis, per se ac specialiter obligans; fortiter, enixè, & sub interminatione pœnali indictum, inculcatum, & nimis custodiri jussum. Primum Decalogi præceptum quoad utramque partem exhibetur, & à probabilitatum patronis laxari ostenditur. Numinis adoratio Tamburino non est completè præcepta, eò quòd non sit determinato tempori adstricta. Expenditur querela illa Dominica, Si Pater ego sum; ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus? *Multis titulis paternitas divina præponderat humanæ. Qui præceptum adorandi Deum laxant, in illud œcumenicum Iuris naturæ principium impingunt*, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. *Pejus est legem pravam condere, vel rectè conditam pravè interpretari, vel iniquam sententiam proferre, quàm pravè agere. Caramuelis paradoxa probabilitatem polytheismi & atheismi astruentia sistuntur, & explodumtur. Inexcusabiles fuere*, qui in præteritis generationibus dimissi ingredi vias suas, *sine ullâ veri Dei cognitione defecerunt: uti & qui ea quæ creata sunt ad utendum, venerati sunt ad colendum. Missionariorum apud Chinas controversia super excusabilitate idololatriæ externæ sub prætextu piæ intentionis occultæ, Romam delata, & ibidem decisa. Ea decisio elidendo prolem, peremit matrem; quatenùs amputando prætextum reservationum mentalium in actionibus, amputavit consequenter in locutionibus. Si enim illicita est mentalis restrictio in factis, cur non & in dictis?*

ccclxxxv. NEminem reor adeò hebetem fore, ut existimet parci ab eis legi Decalogi, qui neutiquam parcunt precepto dilectionis, quod est basis totius Decalogi. Neque enim idcircò præceptum dilectionis omissum est in Decalogo, quòd minùs obligatorium sit præceptis Decalogi; sed quòd magis manifestum, adeoque minùs oblivioni vel obliterationi obnoxium, quàm præcepta expressa in Decalogo, quorum principium

G D. Thom. 1. 2. q. 100. a. 11 in corpore.

cipium & finis est ipsum: G. "Præcepta moralia, inquit D. Thomas, ex ipso dictamine naturalis rationis efficaciam habent, etiamsi nunquam in lege statuantur. Horum autem triplex est gradus; nam quædam sunt communissima, & adeò manifesta, quòd editione non indigent; sicut mandata de dilectione Dei & proximi, & alia hujusmodi, ut suprà dictum est, quæ sunt quasi fines præceptorum: unde in eis nullus potest errare secundùm judicium rationis. Quædam verò sunt magis determinata, quorum rationem statim quilibet etiam popularis potest de facili videre: & tamen quia in paucioribus circa hujusmodi contingit judicium humanum perverti, hujusmodi editione indigent: & hæc sunt præcepta Decalogi. Quædam verò sunt, quorum ratio non est adeò cuilibet manifesta, sed solùm sapientibus: & ista sunt præcepta moralia superaddita Decalogo, tradita populo à Deo per Moysen & Aaron. Sed quia ea quæ sunt manifesta, sunt principia cognoscendi eorum quæ non sunt manifesta; alia præcepta moralia, superaddita Decalogo reducuntur ad præcepta Decalogi, per modum cujusdam additionis ad ipsa". In hoc triplici præceptorum moralium gradu primum locum tenet præceptum dilectionis; cujus obligatio adeò notoria ac manifesta est ex ipso rationis dictamine, ut editione non eguerit; sicut eguerunt præcepta Decalogi circa quæ potuit humanum judicium, saltem in paucioribus, perverti, tametsi vincibiliter, ut cap. 101. visum est. Qui ergo ausi sunt præcepto charitatis vim directè ac per seipsum obligandi adimere contra manifestissimum & omnibus insitum rationis dictamen, quid non audeant circa præcepta Decalogi, quæ idcircò editione indiguerunt, quia saltem à paucioribus perversè censentibus ignorari potuerunt? Frustrà verò quis obtendat D. Thomam loqui non de speciali charitatis præcepto, directè ac ratione sui obligante.

PRÆOCCUPATIO.

Hoc quippe obtendiculum præoccupaverat Sanctus Doctor ibidem articulo proximè præcedenti, dicens: "Actus charitatis dupliciter considerari potest: uno modo, secundùm quod est quidam actus PER SE: & hoc modo cadit sub præcepto legis, quod de hoc SPECIALITER datur, scilicet *Diliges Dominum Deum tuum*, & *Diliges proximum tuum*". Et mox infrà: "Alio modo potest considerari actus charitatis, secundùm quod est modus actuum aliarum virtutum, hoc est, secundùm quod actus aliarum virtutum ordinantur ad charitatem, quæ *est finis præcepti*, ut dicitur 1. ad Timoth. 1. Dictum est enim suprà, quòd intentio finis est quidam modus formalis actus ordinati in finem". Manifestè igitur, ex mente Angelici Doctoris, actus charitatis non per accidens duntaxat & ratione aliorum actuum quos modificet, sed *per se cadit sub præcepto legis, quod de hoc specialiter datur, scilicet Diliges Dominum Deum tuum* &c. Unde & ibidem in responsione ad primum subditur: "Dominus non dixit, *Si vis ad vitam ingredi, serva unum mandatum*, sed *serva omnia mandata*; inter quæ etiam continetur mandatum de dilectione Dei & proximi". Et rursùs ad 3. ibidem: "Observare omnia præcepta legis homo non potest, nisi impleat præceptum charitatis, quod non fit sine gratiâ: & ideò impossibile est quod Pelagius dixit, hominem implere legem sine gratiâ". Et 2. 2. q. 44. a. 1. in corpore: "In quolibet genere, inquit, id quod est per se, potius est eo quod est propter aliud: & ideò *maximum præceptum* est de charitate, ut dicitur Matthæi 22". Et rursùs ibidem in responsione ad primum: "Modus dilectionis, inquit, non cadit sub illis præceptis quæ dantur de alijs actibus virtutum: puta, sub hoc præcepto, *Honora patrem tuum, & matrem tuam*, non cadit quòd hoc ex charitate fiat: cadit tamen actus dilectionis sub præceptis specialibus". Planum igitur est, ex mente D. Thomæ, præceptum dilectionis Dei & *speciale* esse, & *per se* obligare: H. "De virginitate, inquit Cassiodorus, datur consilium, non præceptum: *Qui potest capere capiat*: &, *De virginibus quidem præceptum non habeo, consilium do*. Charitas autem à Deo præcipitur, ipsiusque præceptum fortiter, & enixè; & sub interminatione pœnali cordibus humanis indicitur: *Mandavit*, & quidem hoc *mandatum Dominus custodiri nimis*: & ut ipse cordibus nostris altiùs quasi clavum infigeret, velut crebros ictus sæpiùs ingeminavit, priùs ut *diligeremus ex toto corde*, posteà subjungit, quòd *ex totâ animâ*; demùm adjicit, quòd *ex totâ virtute nostra*. Velut clavus aut stimulus est hoc præceptum: nam, sicut Salomon dicit, *Verba sapientia stimuli sunt, & quasi clavi in altum defixi*. Nonne plusquam stimulus est aut clavus, *Sermo Dei vivus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*? Sanè duritia cordis nostri hanc exigebat inculcationis instantiam, ut præceptum ad nostrorum cordium interiora transiret; sicut duro stipiti clavus crebrâ percussione infigitur, donec internis adigatur". Hic singulæ propemodùm clausulæ emphasin habent: nam inprimis discernitur à virginitate charitas, quòd hæc *præcipiatur*, illa duntaxat *consulatur*. Secundò charitatis præceptum non quomodocunque ingeritur, sed *fortiter, & enixè, & sub interminatione pœnali humanis cordibus indicitur*. Tertiò eidem charitatis præcepto peculiariter & velut antonomasticè

Matth. 19. 17.

H. Cassiodor. lib. de Amicit. Matt. 19. 12. 1. Cor. 7. 25.

Ps. 118. 4.

Marc. 12. 30.

Eccle. 12. 11.

Heb. 4. 12.

mastice accommodatur, quod communiter de divinis mandatis dictum est Deo, *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*. Quartò, ob tam vehementem ejusdem præcepti inculcationem, ipsum comparatur *stimulo*, atque etiam *clavo in altum defixo*. Quintò imputatur duritię cordis humani tanta ac tam crebra inculcationis instantia. Sextò demùm ea corda assimilantur duris stipitibus, quæ tantæ ac tam iteratæ percussioni vel neutiquam cedunt, vel nonnisi ægrè succumbunt. Porrò si durum est tantæ inculcationis instantiæ non cedere, vel non nisi ægrè cedere; quantò duriùs censeri debet, in ipsum præceptum doctrina-

Vide suprà § 182.

liter insurgere, eique omnem vim directè ac per se obligandi adimere? Faciunt tamen hoc, vel facere saltem tentant, qui docent, prædicant, dogmatizant, *Non teneri hominem in rigore per totam suam vitam unquam elicere actum amoris Dei*. Sed profectò verendum est talibus, ne in consequentiam hujus doctrinæ quispiam doceat servos aut clientes, ipsorum non rependere ipsis totâ vitâ affectum dilectionis, quantislibet beneficiis cumulatos. Si enim ipsis fas est prędicare immunes esse servos Dei ab obligatione amoris Dei, cur alteri fas non sit prædicare immunes esse servos hominum

Vide suprà §. 183.

ab obligatione diligendi suos dominos? Si autem hoc noluit ipsi prædicari, viderint an non prævaricentur illam naturæ sanctionem superius §. 375. & 376. perpensam, *Non facias, quod pati nolis*.

CCCLXXXVI. Videamus nunc quemadmodùm prædicti probabilitatum præcones luxandis ac laxandis Decalogi præceptis in-

Exod. 20. 3. & 4.

cumbant: quorum primum est, *Non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi sculptile* &c. Quamvis enim non defuerint, qui duo ista separaverint, ac distinctis præceptis assignaverint; Augustinus tamen, communiter nunc receptos, in unum conflat, & posteriorem partem pro planiori prioris elucidatione adjectam

I Aug. q. 71. in Exodum

censet: I. Reverà, inquiens, quod dictum est, „*Non erunt tibi Dii alieni præter me*, hoc ipsum „perfectiùs explicatur, cùm prohibentur co„lenda figmenta": Unde & D. Thomas postquam aliquorum Veterum sententiam, præcepta separantem ac multiplicantem, com-

K D. Thom. 1. 2. q. 100. a. 4. in corp.

memorasset, adjecit: K Sed quia *facere sculptile* „*vel similitudinem* non est prohibitum, nisi se„cundùm hoc, ut non colantur pro Dijs, „nam in tabernaculo Deus pręcepit fieri „imaginem Seraphim Exodi 25. convenien„tiùs Augustinus ponit sub uno præcepto, „*Non habebis Deos alienos*, &c. *Non facies sculptile*". Ubi obiter notandum, ineptè ac stolidè torqueri posteriorem istam partem à modernis Iconoclastis in præjudicium sanctarum imaginum, quæ in Ecclesia formantur, & decenti cultu honorantur. Cùm enim posterior ista pars non constituat novum præceptum, sed partem duntaxat primi pręcepti; proculdubiò interpretanda est juxta sensum prioris partis ejusdem præcepti: ut nimirùm eâ prohibeatur sculptile divino cultu adorandum. Cui interpretationi omninò congruit editio 70. Interpretum, quâ sic integer locus exprimitur, *Non erunt tibi Dii alii præter me, non facies tibi ipsi idolum*. Quæ versio elucidatur ex se- Ibid. v. 23.

quenti contextu ejusdem capitis, ubi in vulgatâ etiam editione habetur, *Non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis*, hoc est, nolite facere vobis sculptile ex auro, vel argento, vel aliâ quâvis materiâ, cui divinum honorem impendatis, quasi ei divinitas insit. Hic quippe honor nulli impendendus absolutè est, nisi ei de quo dictum est per Moysen Israëli, & per naturale rationis dictamen

unicuique homini, *Dominum Deum suum timebis, & illi soli servies*: sive ut Christus exhibet, Deut. 6. 13.

Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Matt. 4. 10.

Quibus verbis integer sensus primi pręcepti decalogi accuratè exprimitur. Quapropter primo isti Decalogi pręcepto non parùm derogare videntur novelli laxitatum patroni, signanter Tamburinus & Caramuel; quorum prior omnem vim per se ac directè obligandi adimit pręcepto adorandi Deum ex naturæ dictamine; perinde ac præcepto credendi, sperandi, diligendi, pœnitendi, orandi, prout §. 384. visum est: quinimò negat ullum horum, aut consimilium præceptorum affirmativorum sine determinatione temporis sancitorum, habere completam rationem pręcepti; *Nunquam*, inquiens, *præceptum aliquod* Tambur. ib.

obligat, nisi sit determinatum: cùm enim non possit ut indeterminatum exire in executionē, non censetur practicè esse completum. Ex quo principio consectariè elicitur, quod etiamsi Deus millies ingeminaret, *Dominum Deum tuum adorabis*, quamdiu nullum determinatum tempus executioni præstitueret, homo equidem per se & ex naturâ rei liber prorsùs ab adorationis executione maneret. Inofficiosa proinde fuerit illa Domini expostulatio cum veteri suo populo apud Malachiam: *Filius honorat* Mal. 1. 6.

patrem, & servus Dominum suum: si ergò pater ego sum, ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? Non urget hìc Dominus determinationem præcepti quoad tempus exequendi, sed nudè titulum *Patris* respectivè, ac *Domini*. Si Tamburinianæ sententiæ patroni filios haberent aut servos, nullo unquam tempore reverentialem honorem aut timorem sibi impendentes, sub prætextu indeterminationis temporis ad id præstandum: nonne justè succenserent, & identidem ingeminarent, *Filii honorant patres, & servi Dominos suos: si ergo patres nos sumus, ubi est honor noster? & si Domini sumus, ubi est timor noster?* Nonne

Tambu-

Tamburinus illud saltem à se alibi scriptum replicaret, L. *Obstringitur filius signa benevolentiæ externa parentibus ostendere?* Unde verò ista obstrictio, nisi ex isto Decalogi præcepto, quo *Parentes honorari* jubentur? Et tamen illud præceptum non minùs est indeterminatum quoad tempus, quàm illud de quo agimus, *Dominum Deum tuum adorabis.* Quâ ergo sermonis cohærentiâ alterum dicitur absolutè obstringere, alterum non obstringere? An arctiori vinculo tenetur genitus venerari genitorem, quàm creatura creatorem, plasma plasmatorem, redemptus redemptorem? Nunquid Deo tam sublimiter ac supereminenter competit titulus *Patris*, ut Apostolo teste; *Ex ipso omnis paternitas in cælis & in terrâ nominetur?* Nunquid in comparatione superexcellentissimæ istius paternitatis terrena omnis paternitas quasi nihilum reputatur, dicente ad suos Magistro irrefragabili, *Patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim pater vester, qui in cælis est?* M. Quasi diceret, inquit Clemens Alexandrinus, „Ne existimetis eum qui carnali „vos sevit satu, authorem & causam vestræ „essentiæ; sed adjutricem causam generationis, vel potiùs ministrum". Et nuperus quidam Evangelij explanator: N. Is pater, „inquit, qui in cælis est, nempe Deus, est „author totius vitæ vestræ, ille corpus vobis „formavit, ille animam vitæ principium in„fudit, ille vos pascit, fovet, educat, prove„hit, servat; ille *Pars hæreditatis vestræ & cali„cis vestri*: de illius denique curâ providen„tiæ pendetis toti, *à quo omnis paternitas no„minatur in cælo & in terrâ.* Huic si compa„rentur mortales, *Patres* dici non merentur: „quorum providentia, in educandis, ser„vandis, provehendis, & locupletandis fi„lijs, admodùm incerta est; in generandis „autem nihil nisi semen administrat forman„do corpori, & hoc ipsum Dei munere acceptum". Si quispiam è novellis laxitatum patronis vel centesimam partem tantorum beneficiorum cuiquam impertivisset, & hic ei vicissim totâ vitâ suâ nullum benevolentiæ symbolum rependisset: nonne succenseret? Nonne impietatis & ingratitudinis insimularet? Nonne Hyrcanæ tigridi, quàm homini similiorem reputaret? Prorsùs succenseret, insimularet, reputaret. Cur ergo talis ex seipso non judicat quod justum est? Cur non convertit in seipsum linguam suam, ut dicat sibi: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris?*

L. Tambur. lib. 5. in Decalog. cap. 2, §. 2. n. 5.
Exod. 20. 12.
Eph. 3. 15.
Matth. 23. 9.
M. Clem. Alex. lib. 3. Stromat.
N. Francis. Lucas in c. 23. Matth.
Psalm. 15. 5.
Ephes. 3. 15.

PRÆOCCUPATIO.
Si dixerit se non facere quod pati nolit, sed duntaxat docere quid fieri possit: discat ex Apostolo reos esse mortis non solùm qui malum faciunt, *sed etiam qui consentiunt facientibus.* Si autem qui facientibus consentiunt, proculdubiò qui eosdem excusant, justificant, palpant. Scriptum est, *Væ qui condunt leges iniquas.* Et mox subditur, *ut scribentes, injustitiam scripserunt.* Pejus est malam legem condere aut benè conditam pravè interpretari, aut sententiam iniquam proferre; quàm malè facientibus consentire, imò quàm malum facere: O. Censet Socratica providentia, ait qui„dam, pejus esse in legibus constituendis „(*supple, vel interpretandis*) errare, quàm homi„nem interficere. Ejusmodi namque error „multos per multa sæcula interficit animos, simul & corpora". Et de iniquâ sententiâ Isidorus Pelusiota: P. Malum quidem est, „inquit, injustè agere, sed injustam ferre sen„tentiam, id verò longè est deterius. Alte„rum enim spem auxilij relinquit ei qui in„juria affectus est, alteram verò hanc ipsam „spem aufert, & injustum factum corrobo„rat". Hæc ille de sententiâ quidem judiciali, sed quæ locum cum proportione habent in sententiâ etiam doctrinali. Unde sicut Scriptura dicit, *Deum horrendè appariturum ijs, qui non rectè judicaverint, nec legem justitiæ custodierint*: ita eadem Scriptura alibi ait, *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Nulli hostes magis perniciosi sunt humano generi, quàm istiusmodi perversi doctores. Unde Paulus Orosius ex communi popularium suorum personâ: „Q. Dilacerati sumus, inquit, graviùs à „pravis Doctoribus, quàm à cruentissimis hostibus".

Rom. 1. 32.
Isai. 10. 1.
O. Pet. Gregor. lib. 10. de Rep. c. 3. n. 14.
P. Isid. Pelus. lib. 4. Epist. 14.
Sap. 6. 5. & 6.
Isa. 5. 20.
Q. Paulus Oros. Epist. ad August.

CCCLXXXVII. Sequitur Caramuel, qui eidem primo decalogi præcepto non parùm derogare videtur in eo, quòd superiùs §. 377. relatus ait, *Deorum pluralitatem posse, stando puris principijs naturalibus, defendi & propugnari*, utique probabiliter, imò probabilissimè: sic enim ibidem subsequenter ex ipso habes, *Prudentia humana, viribus naturæ derelicta, probabilissimè crederet dari plures Deos.* Ostensum prætereà ibidem à nobis est, quòd ex hâc Caramuelis positione, & alijs ejus Maximis ibidem quoque relatis, consectarium sit, *Probabile esse, secundùm humanam prudentiam sibi relictam, non dari ullum Deum.* Quibus positis, corruit penitùs quoad utramque partem, apud homines suæ humanæ prudentiæ relictos, obligatio primi istius præcepti à Christo ex Deuteronomio relati, *Dominum Deum adorabis, & illi soli servies.* Nam si humana prudentia sibi relicta probabiliter credat nullum Deum esse, probabiliter itidem sibi persuadebit nullum Deum adorandum esse. Rursùs si eadem humana prudentia sibi relicta probabiliter credat plures Deos esse, probabiliter quoque sibi persuadebit plures Deos adorandos esse. In priori casu elidetur obligatio præcepti quoad primam illam partem, *Dominum Deum tuum adorabis*: in posteriori itidem casu elidetur

Caramuel.
Matth. 4. 10.

eadem

eadem obligatio quoad alteram illam præcepti partem, *Illi soli servies*. Neque verò solummodò elidetur in utroque respectivè casu obligatio, sed licita quoque fiet ex Caramuelis Maximis, opposita executio: [a] Quid est, ait ipse, demonstrare rem esse ,, licitam? Respondeo, Demonstrare rem ,, esse licitam, est ostendere illam saltem esse ,, probabilem. Patet, quia omnia purè pro- ,, babilia sunt licita. Quòd si aliquando in ,, materiâ probabili detur obligatio certa, ,, hæc non à probabilitate, sed ab aliquâ lege ,, concomitante, quæ evidenter est certa, ,, suboritur. Quamobrem definimus, Om- ,, nem omninò actum humanum esse licitum, ,, qui non impingit evidenter in aliquam legem obligatoriam evidenter". Quærit similiter ipse ibidem inferiùs n. 453. *Quid est demonstrare rem esse illicitam?* Et continuò respondet, *Demonstrare eandem non esse probabilem.* Ubicunque igitur, juxta hunc authorem, intervenit probabilitas opinionis, ibi per se loquendo, agnoscenda est honestas sive actionis respectivè, sive omissionis. Ac per hoc possunt homines, suæ humanæ prudentiæ relicti, licitè ac honestè sive adorationem Numinis penitùs omittere, sive eandem pluribus Numinibus impendere: atque adeò primum Decalogi præceptum quoad utramque partem evigorare. Frustrà igitur & imperitè Psalmographus Deo dixerit, *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt*: frustrà item Apostolus Christum Judicem in novissima die venturum prædixerit, *In flamma ignis dare vindictam iis qui non noverunt Deum*: frustrà quoque Henoch Patriarcha, septimus ab Adam, dixerit apud Iudam Apostolum, *Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris quæ locuti sunt contra Deum peccatores impii*: frustrà Tertullianus scripserit, [s] Hæc est ,, summa delicti, nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt": frustrà Cyprianus dixerit, [t] Hæc est summa delicti, ,, nolle agnoscere, quem ignorare non possis": frustrà dixerit Minutius, [v] Eos meritò tor- ,, queri qui Deum nesciunt, ut impios, ut in- ,, justos, nisi profanus nemo deliberat: cùm ,, parentem omnium, & omnium dominum ,, non minoris sceleris sit ignorare, quàm lædere": frustrà dixerit Augustinus, [w] Aliud ,, est nescisse, aliud scire noluisse. Voluntas ,, quippe in eo arguitur, de quo dicitur, *Noluit intelligere, ut benè ageret*: sed & illa igno- ,, rantia, quæ non est eorum qui scire nolunt, ,, sed eorum qui tanquam simpliciter nes- ,, ciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno ,, igne non ardeat; si proptereà non credidit, ,, quia non audivit omninò quod crederet; ,, sed fortassis ut minùs ardeat. Non enim ,, sine causa dictum est, *Effunde iram tuam in* ,, *gentes, quæ te non noverunt*: & illud quod ait ,, Apostolus, *Cùm venerit in flamma ignis dare vindictam in eos, qui ignorant Deum*": frustrà dixerit Prosper: [x] Neque enim remotum est ,, ab inspectione communi, quot sæculis, quàm ,, innumera hominum millia, erroribus suis ,, impietatibusque dimissa, sine ulla veri Dei ,, cognitione defecerint: sicut etiam in Acti- ,, bus Apostolorum Pauli & Barnabæ verba ,, declarant, dicentium Iconijs: *Viri fratres,* ,, *quid hæc facitis? Et nos mortales sumus similes vobis homines, annuntiantes vobis, ut ab his vanis convertamini ad Deum vivum, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt: qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas*". Ecce hìc habemus dimissas fuisse à Deo gentes ingredi vias suas, hoc est, relictas fuisse humanæ prudentiæ suæ: quam secutæ non modò sine ulla veri Dei cognitione defecerunt, sed prætereà multitudine Deorum invectâ, opus manuum suarum adoraverunt: probabiliter quidem juxta Caramuelem, sed planè culpabiliter juxta Scripturas, & Patres mox relatos; quibus & alibi Prosper subscribit, dicens: [y] Inexcusabiles facti sunt, quia ,, Deos sibi Dei dona fecerunt: & quę creata ,, erant ad utendum, venerati sunt ad colen- ,, dum. In quam impietatem etiam illa gens, ,, quam sibi ab omnibus gentibus Dominus ,, segregavit, tota transijsset, nisi misericordiæ ,, suæ propositum sustentandis electorum lapsibus prætendisset". Homines igitur dimissi ingredi vias prudentiæ suæ, inexcusabiliter lapsi sunt in impietatem, sive Deum verum ignorando, sive Deorum multitudinem credendo ac colendo. Dicat ergo Caramuel num eorum persuasio fuerit probabilis, an non? Si primum eligat, consequenter fateri cogitur, contra suas Maximas toties decantatas, probabilitatem non præstare impeccantiæ securitatem; quandoquidem præstare illis non potuerit impietatis excusabilitatem. Si verò secundum præferat, consequenter delere ex suo libro debet illam suam Maximam, *Prudentia humana, viribus naturæ derelicta, probabilissimè credere dari plures Deos.* Indidem pariter delere debet eas præmissas, ex quibus consectarium fit, *Probabile esse, secundùm humanam prudentiam sibi relictam, non dari ullum Deum.*

CCCLXXXVIII. Occasione præmissorum inquiri hìc potest, num in primum istud Decalogi præceptum à Christo Domino replicatum, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, impingant ij, qui palàm coram idolo exhibitis adorationis symbolis, clàm dirigunt intentionem ad Deum, ut repræsentatum in imagine, penes ipsos, vel secùs idolum latente? Hæc quæstio ante paucos annos multùm agitata fuerat inter Missionarios

[a] Caram. in Theologia fundament. n. 452.

Psalm. 78. 6.

2. Thess. c. 1.

Iudæ v. 14. & 15.

[s] Tertul. in Apol. c. 17.

[t] Cyprian. lib. de Vanit. idolorum.

[v] Minut. in Octavio.

[w] Aug. lib. de Gratia & lib. arbitrio cap. 3.

[x] Prosper Epist. ad Ruffin. c. 11

Act. 4. 14. & 15.

[y] Prosp. lib. 1. de Vocat. gent. c. 5. & 6.

Matt. 4 10

Apostolicos apud Chinenses, sive Sinenses: quibusdam contendentibus externam hujusmodi adorationem, cum prædictâ cautione exercitam, immunem esse ab omni labe idololatriæ, adeoque non adversari præcepto de uno solo vero Deo adorando; alijs verò eam praxin non minùs zelosè improbantibus, & idololatricæ superstitionis censurâ notantibus. Quæ controversia Romam demùm perlata, & Sacræ Congregationi de propagandâ fide fuit proposita: quæ, auditis suffragijs Qualificatorum supremæ inquisitionis, sententiam pro posterioribus adversùs priores tulit die 12. Septembris M.DC.XLV. Extat ea Congregationis decisiva sententia apud Thomam Hurtadum ad calcem suarum Resolutionum orthodoxo-moralium de vero Martyrio fidei, sub titulo; *Quæsita Missionariorum Chinæ seu Sinarum, Sacra Congregationi de propagandâ fide exhibita, cum responsis ad ea.* Quæsita illa universim fuère septemdecim, quorum septimum ita sonat ibi ad verbum: Z. *In omnibus illius regni* (Chinensis) *civitatibus & villis, templa cuidam Idolo, CHACIMCHOAN dicto, erecta ac dicata reperiuntur; quod fingunt Chinenses esse Protectorem, Regentem, & Custodem civitatis: stabilitâque regni lege ordinatur, ut omnes Gubernatores civitatum & villarum, quos* Mandarinos *vocant, quando Regiminis possessionē assumunt, & anni decursu bis in mense, sub pœnâ privationis ab officio, templa adeant præfata, ibique ante dicti Idoli altare prostrati genibus flexis, capiteque ad terram usque inclinato, Idolum illud adorent ac venerentur eidem candelas, odoramenta, flores, carnes, vinumque in sacrificium offerant: & cùm sui regiminis possessionem accipiunt, ante prædictum Idolum iurant de rectè administrando; & si contrà fecerint, se submittunt supplicio ab Idolo infligendo: simulque ab illo petunt modum benè gubernandi, & alia huiusmodi. Quæritur, utrùm istius gentis fragilitates tolerari possint pro nunc, quando tales Gubernatores Christiani deferunt quandam crucem, quam occultè inter alcaris Idoli florer, vel in manibus proprijs reponunt; & facerè, intentione non ad Idolum, sed ad crucem directâ, omnes illas genuflexiones, reverentias, & adorationes ante altare illud, exterius tantū & fictè, omnem cultum interiùs & in corde ad crucem dirigendo? quia si huiusmodi Gubernatores cogantur ad hoc non faciendum, priùs apostatabunt à fide, quàm relinquant officium Regiminis.* Ecce Missionariorum disceptantium Quæsitum, ordine septimum inter septemdecim Sacræ Congregationi oblata, & per eandem, ut suprà decisa. Sequitur ibidem Congregationis decisoria Censura, quâ *Censuit nullatenus licere Christianis huiusmodi actus publicos reverētiæ & cultûs tribuere Idolo, prætextu vel intrutiòne crucis, quā vel manu gestent, vel in altari inter flores abscōdant:* A De soliditate huius Responsionis, ait „ Hurtadus, pluribus actum est in superiori-

Hurtadus.

Z Missionariorum chinensium q. 7. apud Hurtadum.

CENSVRA

A Hurtad. ibid. Tract. ult. Resol. 70. § 1.

„ bus, & in nostro secundo Tomo Morali, „ Tractatu *De delictis generantibus suspicionem in fide.* Quare de his nihil occurrit amplius dicendum: est enim hæc diabolica inventio, & manifesta idololatria, saltem externa, opposita fidei confessioni: *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem;* quandoquidem illa fides cordis nihil prodest, quando exterior cultus defertur Idolo: *Infandorum enim Idolorum cultura, omnis mali causa est, initium, & finis*". Inquirit prætereà idem author inferiùs ibidem Resolutione ultimâ, *Utrùm sint veri Martyres, qui contra hanc doctrinam prædicantes, pro fide Christi passi sunt inter Chinenses?* Cui inquisitioni respondet ipse continuò ibidem hisce verbis: "Si loquamur „ de his, si qui modò prædicarent contra has „ Sacræ Congregationis determinationes, „ etiamsi fidem Christi suo modo disseminarent, & pro hoc fuerint passi: certissimum „ hoc, quòd non sint veri Martyres, cùm „ decedant excommunicati, ut constat ex sententiali Decreto Congregationis, à summo „ Pontifice confirmato: & sic sunt Evangelicæ Prædicationis fures & latrones. Si tamen sit sermo de illis, qui doctrinas rejectas „ & reprobatas in his Decisionibus tenebant „ antequam publicarentur, & ad eorum notitiam pervenirent: res est odiosa, id determinare aliorum sit judicium. Puto tamen, „ quòd id faciebant ex ignorantiâ quæ vel erat „ affectata, vel supina: quia in nullius Catholici mentem prudenter poterat venire, ea „ quæ faciebant, convenire novæ Christianitati". Quòd si cui lubeat scire unde in mentem Missionarijs illis ea doctrina venire potuerit, quam humanus animus vel audire horret? Respondet idem author superiùs Resol. 70. Sect. 1. venisse eis in mentem ex præjudicio alterius sententiæ, quam præconceperant, de mentali nimirum vocum restrictione. Inde enim arbitrati sunt consectarium esse, admittendas similiter esse restrictiones rerum, sive actionum. Postquam igitur ibi Hurtadus sententiam patrocinantium restrictionibus vocum retulisset, subdidit: "Ex „ quâ occasionem absque dubio sumpserunt „ Missionarij illi Sinarum, ad introducendum inter illas gentes licitam esse in factis æquivocationem, & mentalem restrictionem: ita quòd quamvis fumigatio, prostratio ad terram usque, genuflexio exterior, ad Idolum externè referatur ex institutione & lege idololatricâ inter illas gentes receptâ; tamen „ mentali directione excluditur à labe idololatriæ, ab illâque purgata, ad crucem „ in occulto positam: quia nisi illa ceremonia „ fiat exteriùs coram Idolo, exponitur homo magno damno amissionis officij, & vitæ

Rom. 10. 10.

Sap. 14. 27.

manifesto

„ manifesto periculo: propter quod vitandum docent licitam esse hanc religionis simulationem æquivocatione facti & ambiguitate, quam inducit mentalis restrictio: sicut ex sententiâ Lessij, aliquâ idoneâ causâ veniente, si quis adigatur, potest uti in verbis restrictione mentali; quod multò meliùs poterit in factis externis". At verò eventus disceptationis super restrictionibus factorum satis manifestat, Missionarios illos longè meliùs sibi & auditoribus suis consulturos fuisse, si contrario modo deductionem suam instituissent, ut dicerent: Illicita est reservatio mentalis in factis, Ergo & in dictis.

CAPVT CIV.

Transitus ad secundum Decalogi præceptum, quo non vetatur juramentum, sed perjurium. Expenditur istud Propheticum mandatum, Jurabis, vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in justitiâ; *ubi de trinis legitimi juramenti comitibus disseritur, & Hieronymi ac Divi Thomæ dicta in speciem pugnantia conciliantur. Cur Paulus Apostolus crebrò in scriptionibus, nunquam in sermonibus jurarit? Iuramenti complures abusus adversùs eius comites sigillatim commemorantur ex Salviano. Apud veteres Francos perjurium non tam criminis genus erat, quàm sermonis. Bernardus in suis contemporaneis carpit, quòd probro ducerent contravenire juramentis iniquè emissis. Qui tali persuasione occupantur,* Herodiani *non absonè nuncupantur. Refertur articulus triformis laxorum Ethicorum pro usu mentalium restrictionum in emissione juramentorum, refelliturque censuris Episcoporum ac Doctorum. Ejusdem Articuli disseminatores redarguuntur œcumenico illo legis naturalis principio omnibus indissimulabiliter noto,* Non facias quod pati nolis. *Protagoræ magistri cum Evathlo discipulo juridica concertatio. Iustum est ut mentalium restrictionum patroni in laqueos, quos posuêre, cadant. Earundem restrictionum praxis patronis suis fidem adimit, Apostolici oraculi soliditatem concutit, primariæ vocum institutioni discongruit, humanæ societati summoperè officit: jucundior est homini societas sui canis, quàm hominis ignoti idiomatis. Complura alia argumenta contra earundem restrictionum praxin congeruntur.*

CCCLXXXIX. ET circa primum quidem Decalogi præceptum sufficere ista pro specimine corruptelarum à neotericis invectarum arbitror: quibus prælibatis, transeo ad secundum præ- Exod. 20. 7.
ceptum, quo vetamur *assumere nomen Domini Dei nostri in vanum.* Cujus prohibitionis genuinum sensum Christus Dominus duabus illis vocu- Matth. 5. 33.
lis expressit, *Non perjurabis.* Ex quo planum est, neqnaquam in Decalogo reprobari juramentum, sed perjurium: quod nihil est aliud, quàm assumptio divini nominis in vanum. Insonat Dominus per Prophetam unicuilibet jurare volenti, *Iurabis, vivit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iustitiâ:* tanquam diceret, si- Hier. 4. 2.
quando iurandum tibi fuerit, cave ne per inanimata simulachra jures, sed per Deum vivum, dicendo, *vivit Dominus:* cave propterea, ne etiam per ipsum Deum vivum jures, nisi tuum ejusmodi juramentum tribus suis comitibus stipa- B Hieron. in
tum sit, *veritate* scilicet, & *iudicio*, & *iustitiâ:* cap. Hieremiæ.
B Animadvertendum, inquit Hieronymus, v. 2.

„ quòd jusiurandum hos habeat comites, *veritatem, iudicium*, atque *iustitiam*: si ista defuerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium". Cæterùm ut de comitibus istis pleniùs instruamur, addenda est Angelici

C. D. Thom. 2. 2. q. 89. a. 3. in corp.

Doctoris elucidatio, dicentis: C. Juramentum non est bonum, nisi ei qui benè utitur juramento: ad bonum autem usum juramenti duo requiruntur, primò quidem quòd aliquis non leviter, sed ex necessariâ causâ, & discretè juret: & quantùm ad hoc requiritur *iudicium*, scilicet discretionis, ex parte jurantis. Secundò, quantùm ad id quòd juramento confirmatur, ut scilicet neque sit falsum, neque sit aliquid illicitum: & quantùm ad hoc requiritur *veritas*, per quam aliquis juramēto confirmat quod verum est; & *iustitia*, per quam confirmat quod licitum est. Iudicio autem caret juramentum incautum, *veritate* autem juramentum mendax, *iustitiâ* autem juramentum iniquum sive illicitum".

DVBITATIO.

Super illis autem Hieronymi finalibus verbis, *si ista defuerint, nequaquam erit iuramentum, sed periurium*; dubitari potest num ea intelligenda sint de omnibus tribus junctim, an verò etiam de singulis seorsim: adeoque num ad periurium requiratur absentia omnium trium, vel sufficiat absentia uniuscuiuslibet?

DECISIO.

Sanè cùm ad honestum legitimumque juramentum omnia tria junctim sint necessaria, planum est ad turpe illegitimumque sufficere absentiam uniuscuiuslibet seorsim; bonum enim ex integrâ causâ, malum verò ex singulis defectibus. An autem omne juramentum, quod defectu cujuslibet è tribus illis comitibus vitiosum est, dici debeat *periurium*, quæstio est de solo nomine: cuius affirmativæ parti favere videtur Hieronymi locus mox citatus: negativæ autem Divus Thomas inferiùs ibidem q. 98. art. 1. ubi in argumento, *Sed contra*, ait: *Periurium diffinitum esse mendacium iuramento firmatum*: & rursùs in fine corporis, *Falsitas est de ratione periurij*. Ex quibus apparet non sufficere ad rationem perjurij absentiam solius *iudicij*, vel solius *iustitiæ*, vel etiam utriusque junctim; sed de necessitate requiri absentiam *veritatis*, adeoque præsentiam falsitatis. Verùm idem ipse divus Thomas ibidem conciliat assertionem suam, cum dictis Hieronymi: nam in corpore articuli ait: "Finis juramenti est confirmatio dicti humani, cui quidem confirmationi falsitas opponitur: per hoc enim confirmatur aliquod dictum, quòd ostenditur firmiter esse verum; quod quidem non potest contingere de eo quod falsum est. Unde falsitas directè evacuat finem juramenti; & propter hoc à falsitate præcipuè specificatur perversitas juramenti, quæ perjurium dicitur". Non ergo negat evacuari finem juramenti per carentiam *iudicij*, vel *iustitiæ*, saltem indirectè; sed potiùs tacitè id innuit, quatenùs asserit eum *directè* evacuari falsitate, quæ est carentia veritatis. Nec item negat perversitatem juramenti specificari, saltem minùs præcipuè, per eandem carentiam *iudicij*, aut *iustitiæ*; sed potiùs id subindicat, quatenùs asserit eam *præcipuè specificari à falsitate*. Quorsum enim addidisset, *præcipuè*, nisi ad innuendum, quòd ab alio vel alijs quoque specificetur, saltem minùs præcipuè? Rursùs ibidem in Responsione ad primum ait: "Sicut Hieronymus dicit Hieremiæ 4. quodcunque illorum trium defuerit, perjurium est: non tamen eodem ordine, sed primò quidem & principaliter periurium est, quando deest *veritas*, ratione iam dictâ: secundariò autem, quando deest *iustitia*; quocunque enim modo quis jurat illicitum, ex hoc ipso falsitatem incurrit, quia obligatus est ad hoc, quod contrarium faciat. Tertiò verò, quando deest *iudicium*: quia cum indiscretè jurat, ex hoc ipso committit se periculo falsitatem incurrendi". Quicquid igitur omnium trium iuramento defuerit, eius carentia perjurium sive directè ac formaliter, sive saltem indirectè vel interpretativè constituet: directè quidem ac formaliter carentia *veritatis*; indirectè autem vel interpretativè carentia *iustitiæ*, aut *iudicij*: nam is cuius juramento deest justitia, manet obligatus ad falsificandum suum juramentum, positione oppositi ejus quod iuraverat; & is cuius iuramento deest *iudicium*, sive discretio ac circumspectio, temerè se exponit periculo falsitatis, adeoque censetur interpretativè velle ipsam falsitatem, sicut scriptum est, *Qui amat periculum, in illo peribit*.

Eccli. 3. 27.

Quo in genere non parum reprehensibiles sese præbent, qui iurationi sic assuescunt, ut iuramentum quasi ludum reputent.

D. August. Epist. 89. q. 4.

D. Non ideò, inquit Augustinus, quia in suis litteris iuravit Apostolus, vir in veritate firmissimus, ludus nobis debet esse juratio. Multò enim tutiùs, quantum ad nos attinet, nunquam juramus; ut sit in ore nostro, *Est, est, Non, non*, sicut Dominus monet: non quia peccatum est verum jurare, sed quia gravissimum peccatum est falsum jurare, quò citiùs cadit qui consuevit jurare".

Matt. 5. 37.

Ubi notanter dixit Apostolum jurâsse *in suis litteris*, non autem in suis colloquijs aut sermonibus, iuxta id quod lib. 19. contra Faustum cap. 23. scribit de ipso: "Apostolus in sermonibus, quos habuisse narratur, nunquam iuravit; ne iurandi consuetudine aliquando vel nescius in periurium laberetur. In Scripturis autem, ubi est consideratio maior atque propensior, pluribus locis iurasse invenitur; ne quisquam putaret etiam verum jurando peccari, sed potiùs intelli-

Vide Aug. lib. de mendacio c. 15.

„intelligetet, humanæ fragilitatis corda non jurando citiùs à perjurio conservari". Observatu sanè dignum est, quòd cùm Ecclesiasticus jurandi consuetudinem dissuaderet, signatè meminerit *oris*, non autem calami, quia utique multò proclivius est per inconsiderantiam labi inter loquendum, quàm inter scri-
Eccli. 23. 9. bendum: *Iurationi*, ait ille, *non assuescat os tuum, multi enim casus in illa.*

CCCXC. De omnibus tribus perjurij speciebus latè disserit Salvianus Antistes in opere de Gubernatione Dei: ubi inprimis de juramentis absque judicio discretionis seu circumspectionis frequentatis ait: " Si peie-
S. Salvian. l. 4. de Gubern. Dei. „ret Francus, quid novi facit? qui perjurium „ipsum sermonis genus putat esse, nō criminis". Hæc quidem ille de Francis, sed olim Barbaris & needum tunc Christi fide illustratis. Atque utinam vel hodie vetus illa corruptela inter Francos Christo initiatos penitùs obsolevisset. Vidi ante paucos annos in quodam navigio aliquot Francos Christiano-catholicos, qui cùm ad fallendum tempus & excutiendum tædium luderent chartis, ad singula quæque emergentia dubia jusiurandum interponebant ac reponebant, & quidem sub hac forma, ipso relatu horrenda: *Renuntio Deo, si non ita sit ut contendo.* Cum autem quispiam assidentium increpasset ut desisterent, alius quidam è vectorum numero accessit, habitu Religiosus, Theologiæ apud suos professor, asserens, illa nequaquam apud Gallos reputari juramenta, sed quædam duntaxat assertionum exaggeramenta. Ita bonus ille Theologus in Christianis inculpatum prædicavit, quod tantò anteà Salvianus Episcopus in ipsis etiam ethnicis culpârat. Qui rursùs ibidem post pauca subiungit: " Noster „ergo hic peculiariter reatus est, qui legē divinam legimus, & legalia semper scripta „violamus; qui Deum nosse nos dicimus, & „jussa illius ac præcepta calcamus: Ac per „hoc cùm eum spernamus quem coli à nobis „credimus atque jactamus, idipsum, quod „cultus Dei videtur, injuria est. Denique, ut „de peccatis alijs nihil dicam, quis est omninò hominum secularium, præter paucos, „qui non ad hoc semper Christi nomen in „ore habeat, ut pejeret? Unde etiam pervulgatum hoc ferè & apud nobiles, & apud „ignobiles, Sacramentum est: *per Christum, „per Christum quia hoc facio, per Christum quia hoc „ago, per Christum quia nihil aliud dicturus sum, „per Christum quia nihil aliud acturus sum.* Et „quid plura? In id penitùs deducta res est, „ut, sicut de paganis barbaris priùs diximus, „Christi nomen non videatur iam Sacramentum esse, sed sermo. Nam intantùm apud „plurimos nomen hoc parvi penditur, ut nunquam minùs cogitent quidpiam facere, „quàm cùm se iurant *per Christum* esse facturos: & cum scriptum sit, *Non nominabis nomen* Exod. 20. 7.
„*Domini Dei tui in vanum*, in id reverentia „Christi decidit, ut inter cæteras sæculi vanitates nihil iam penè vanius, quàm nomen Christi esse videatur". Quibus ille verbis in eos stylum distringit, quibus juramenta vel nimiâ assiduitate viluissent, vel falsitate obsorduissent. Transit porrò subsequenter ad tertium perjurorum genus, eorum scilicet qui nullâ habitâ ratione illius justitiæ, quæ tertia est in iuramenti comitibus, non modò res futiles atque inanes, sed iniquas quoque ac prorsùs illicitas iurisiurandi religione firmassent: " Denique, inquiens, non otiosas tantummodò res & aniles, sed etiam scelera „quædam se jurant *per Christi nomen* esse facturos. Hic enim loquendi usus est talibus, „*Per Christum quia tollo illud, per Christum quia „cædo illum, Per Christum quia occido istum.* Ita ad „hoc res decidit, ut cùm *per Christi nomen* iuraverint, putent se scelera etiam religiosè esse „facturos. Denique quid mihi ipsi acciderit, „dicam: Cùm ante aliquantulum tempus, „victus cuiusdam pauperis prece, præpotentiori cuidam supplicarem; obsecrans ne homini misero & egestuoso rem ac substantiam suam tolleret, nec subsidium & stipem, „quo paupertas illius nitebatur, auferret: „tum ille, qui eis rebus siti rabidâ inhiaverat, ac prædam iam spe & cupiditate ardentissimâ devoraverat, respiciēs, ac vibrans „in os meum truces oculos, utpote qui tolli „sibi à me putaret quod ipse alteri non tulisset, *Nequaquam hoc quod peterem facere se posse*, „respondit; quasi verò iussu aut scripto sacro „faceret, quod penitùs præterire non posset. „Cùmque ego causam, quâ hoc fieri non „valeret, quærerem, dixit rem violentissimam, & cui contradici penitùs non deberet: *Iuravi*, inquiens, *res illius à me esse tollendas: vide ergo an possim, vel non debeam, efficere, „quod etiam interposito Christi nomine iuravi me esse „facturum?* Tum ego, quid enim ampliùs facerem, cùm res tam iusta obtenderetur & „sancta? auditâ religiosissimi sceleris ratione, „discessi. Hìc nunc interrogo omnes qui sanæ mentis sunt, quis unquam crederet „usque in hanc contumeliam Dei, progressuram fuisse humanæ cupiditatis audaciam, „ut idipsum in quo iniuriam Christo faciunt, „dicant se *ob Christi nomen* esse facturos? O inæstimabile facinus, & prodigiosum! Quid „non ausæ sunt improbæ mentes? Armant se „ad latrocinandum *per Christi nomen*, authorem quodammodò sui sceleris Deum faciunt: & cùm interdictor ac vindex malorum omnium Christus sit, dicunt se scelus quod agunt, agere pro Christo". Neque verò potuit Salvianus hâc suâ dehortatione prædictam

dictam persuasionem popularium suorum cordibus eximere: nam Beatus Bernardus qui Salviano plusquam sexcentis annis extitit recentior: F. De duobus, inquit, non excu- „samus Regem: nam & juravit illicitè, & „ perseveravit injustè. Verùm id non volun- „ tate, sed verecundiâ: nam probro ducitur, „ sicut optimè nostis, apud Francigenas jura- „ mentum solvere, quàmlibet malè publicè „ juratum sit; quamvis nemo sapiens dubitet „ illicita juramenta non esse tenenda. Verùm- „ tamen ne hoc quidem excusari posse fate- „mur". Loquitur Bernardus de sui ævi *Francigenis*, eosque dicit probrosam reputare violationem juramenti, etiam de re illicitâ præstiti: & hoc adeo notorium esse asserit, ut nec ipsos Italicos Præsules, ad quos scribit, lateat. Sed quia de hoc perjurij genere satis in superioribus disseruimus, non est quòd hic diutiùs ejus improbationi immoremur. Advertere interim ex ibi dictis licet, eos qui perversâ ejusmodi persuasione occupati fuerint, non incongruè *Herodianos* nũcupari posse; eò quòd *Herodem* illum imitentur, qui caput præcursori amputari jussit, ne iniqui juramenti violator appareret.

F Bernard. Epist. 211.

Vide suprà cap 10.

CCCXCI. Quanquàm verò omne juramentum quâcunque trium comitum destitutum prohibeatur secundo illo Decalogi præcepto, *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, sive ut Christus expressit, *Non perjurabis*: quia tamen Christus ibidem continuò subdidit tanquam præcepti sive partem, sive laciniam, *Reddes autem Domino juramenta tua*, ideircò præcipuè nobis pro præsenti disserendum est de eo juramento, quo perjurij pravitas incurritur defectu *veritatis*, quæ inter juramenti comites primo loco apud Prophetam posita legitur, cùm dicitur: *Iurabis, vivit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iustitiâ.* Sunt enim inter modernos laxitatum patronos nonnulli, qui docere non verentur, licitum esse usum reservationum mentalium in humanis colloquijs atque commercijs, etiam juramento firmatis aut firmandis. Inter Articulos per Facultatem Theologicam Lovaniensem anno 1653. ad requisitionem Archiepiscopi Mechliniensis reprobatos, hic fuit ordine quintus, *Licitum est, tam in iudicio, quàm extra iudicium, iurare cum restrictione mentali; non habito respectu ad intentionem eius, qui petit iuramentum.* Rursùs inter Articulos per eandem facultatem annó 1657. ad instantiam Episcopi Gandavensis reprobatos, iste fuit ordine decimus nonus, *Qui mediante commendatione, vel munere, ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare iuramentũ quod de mandato Regio à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis: quia non tenetur fateri crimen occultum.* Denique inter

Exod. 20. 7.

Mat. 5. 33.

Hier. 4. 2.

Articulos per Episcopum Namurcensem cum suâ Synodo Diœcesanâ anno 1659. interdictos, hic fuit ordine decimus, *Si quis vel solus, vel coram alijs, sive interrogatus, sive propriâ sponte, sive recreationis gratia, sive quocunq; alio fine iuret se non fecisse aliquid quod reverà fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam diem ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec est periurus.* Censuit nimirùm Episcopus cum Synodo Articulos septemdecim, quorum iste decimus ordine est, ad calcem Actorum synodalium excusos, interdici debere tanquam *noves, periculosas, & salutis animarum destructivos*. Verba quippe Synodi superiùs fuerant ista: G. Quia ex- „ perientiâ comperimus varias variorum opi- „ niones *valde periculosas* prodire in lucem, nõ „ sine magno animarum detrimento; ideò „ mandavimus hic inseri instructionem nos- „ tram, cui quisque Confessarius diœcesis „ nostræ se conformare promittet, sub pœna „ rejectionis; & in casum non servati post ad- „ missionem promissi, sub pœna suspensionis, „ donec eidem paruerit. Inprimis monetur „ seriò omnis confessarius, ut in consulendo, „ judicando, & absolvendo, abstineat ab o- „ pinionibus *novis, periculosis, & salutis animarum* „ *destructivis*; quarum catalogus tradetur Exa- „ minatoribus, per eosdem ijsdem prælegen- dus, de quo infrà". Ex iteratione censuræ prædicti Articuli, nonnihil licèt mutati, pro varijs Belgij diœcesibus successivè factâ vel procuratâ, conijcere licebit, disseminatores ejusdem Articuli imitatos fuisse mercatores illos, qui merces suas in uno foro spretas aut depretiatas transferunt ad aliud forum, & inde rursùs ad aliud, donec tandem alicubi reperiant emptores. Sed profectò tam putrida merx est Articulus prædictus, sub quocunque verborum tenore proditus, ut mirum sit uspiam reperiri, quos ab ejus emptione putor ipse non arceat. Quisquamne est talium, qui pacato animo toleret, si quis sibi per artificium mentalium restrictionum illudat? Respondet Augustinus §. 364. relatus, *Usque adeò rationalis natura refugit falsitatem, & quantùm potest devitat errorem, ut falli nolint etiam quicunque amant fallere.* Cur ergò non attendunt legi naturæ jugiter insonanti, *Quod vobis fieri non vultis, alijs ne feceritis*? Cur non formidant ne discipuli, usum mentalium restrictionum ab ipsis edocti, eundem in magistros aliquando retorqueant? Philosophi vox est, H. *Si quod quis fecit, patitur, iustissima lex est.* Si justum est quemque pati quod fecit, quantò justius censeri debet quemque pati quod docuit? Ostensum quippe superiùs §. 386. fuerat, enormiùs delinquere pravitatis doctores, quàm executores; & iniquos legislatores, quàm iniquitatis perpetratores. An fortè hi

G Synod. Namurc. Tit. 4. c. 18

Augustinus. Vide lib 1. de Doctrina Christ. c. 36. & Serm. 113 de diversis cap. 10.

H. Aristot. lib. 5 Ethic. ad nicomach. cap

nostri

nostri secuti sunt methodum Origenis, qui teste Hieronymo adversùs Ruffinum, [L] "Docuit magistris mentiendum, discipulos autem non debere mentiri"? Sed profectò proclive est ut quis, occasione datâ, utatur arte quam calluerit, etiam recalcitrando in magistrum, instar pulli in matrem, prout de Aristotele queritur Plato. Sic in Protagoram recalcitrasse Evathlum refert Gellius in suis Noctibus Atticis [K] *Evathlus*, inquiens, adolescens "dives, eloquentiæ discendæ, causarumque orandi cupiens fuit, is in disciplinam *Protagoræ* sese dedit, daturumque promisit mercedem grandem pecuniam, quantam *Protagoras* petiverat: dimidiumque ejus dedit jam tunc statim, priusquam disceret; pepigitque ut reliquum dimidium daret, quo primo die causam apud Iudices orasset, & vicisset. Postea cùm diutiùs auditor assectatorque *Protagoræ* fuisset, & in studio quidem facundiæ abundè promovisset, causas tamen non reciperet, tempusque jam longum transcurreret; & facere id videretur, ne reliquum mercedis daret: cepit consilium *Protagoras*, ut tum existimabat, astutum: Petere instituit ex pacto mercedem, litem cum *Evathlo* contestatur: & cum ad Iudices conjiciendæ consistendæque causæ gratiâ venisset, tum *Protagoras* sic exorsus est: *Disce, stultissime adolescens, utroque id modo fore ut reddas quod peto, sive contra te pronunciatum fuerit, sive pro te. Nam si contra te lis data fuerit, merces mihi ex sententia debebitur, quia ego vicero: sin verò secundùm te iudicatum fuerit, merces mihi ex pacto debebitur, quia tu viceris.* Ad ea respondit Evathlus: *Potui*, inquiens, *huic tuæ tam ancipiti captioni isse obviam, si verba non ipse facerem, sed alio patrono uterer: sed majus mihi in istâ victoriâ prolubium est, cum te non in causâ tantùm, sed in argumento quoque isto vinco. Disce igitur tu quoque, magister sapientissime, utroque modo fieri, ut non reddam quod petis: nam si Iudices pro causâ meâ senserint, nihil tibi ex sententia debebitur, quia ego vicero; sin contra me pronunciaverint, nihil tibi ex pacto debebo, quia ego non vicero.* Tum Iudices, dubiosum hoc & inexplicabile esse, quod utrinque dicebatur, rati; ne sententia sua utramcunque in partem dicta esset, ipsa sese rescinderet: rem injudicatam reliquerunt, causamque in diem longissimam distulerunt. Sic ab adolescente discipulo magister, disciplinâ eloquentiæ inclytus, suo sibi argumento confutatus est, & captionis versutè excogitatæ effectu frustratus fuit". Quidni igitur ad hunc modum, Doctores restrictionum mentalium, à suis reconventi discipulis, suo aliquando damno experiantur, quanto satiùs abstinuissent, quàm sua ista circumventionum mysteria propalassent? Qui enim ab eis didicerint ejusmodi mysteria, incidere facilè possunt, casu vel studio, in alium quempiam didascalum, qui ejus insonet illud Ovidianum: [L] *Fallite fallentes; ex magnâ parte profanum sunt genus: in laqueos, quos posuere, cadant.*

L. Hieron. lib. 1 adversus Ruffinum c. 4.

K. Aulus Gellius l. 5. Noct. Attic. c. 10. vide Ioan. Saresber. lib. 5. Policratici cap. 12.

Protagoras.

Evathlus.

Vide Erasm. in Adagiis Chil. 1. Cent. 1. cap. 50 & seqq. L. Ovid lib. 1. Artis amatoriæ.

CCCXCII. Istud ergo est primum argumentum, & quidem peremptorium, adversùs mentalium reservationum praxin, quòd nec ipsi quidem earum defensores æquo animo patiantur sibi per eas, etiam à suis discipulis, illudi. Ex quo planum est eos impingere in œcumenicum illud legis naturæ principium nemini ignotum, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Alio praetereà argumento evincitur non esse audiendos illius praxeos defensores: quia nimirum docendo illam praxin esse licitam, fortassis eâ ipsâ praxi utuntur dum dicunt eam esse licitam, atque ita in corde suo sentiunt illicitam, quam verbis mentaliter restrictis venditant tanquam licitam. Cur enim & hìc non habeat locum regula ista Augustini: [M] "Quomodò credendum est ei, qui putat aliquando esse mentiendum, ne fortè & tunc mentiatur cùm præcipit ut credamus"? Quòd si fortè asseverent, vel etiam jurent, se non uti mentali restrictione; quis equidem prudens eis fidet, cùm non immeritò ambigatur num in hac ipsâ suâ asseveratione vel juratione non utantur mentali restrictione? Omnem ergo fidem sibi adimunt, qui mentalium restrictionum patronos se exhibent. Tertiò quoniam non solùm in simplicibus assertionibus, sed etiam in jurationibus usum mentalium restrictionum approbant, Apostolicum illud oraculum penitùs evacuant: *Homines per maiorem sui iurant; & omnis controversia eorum finis, ad confirmationem, est iuramentum.* Nulla quippe humana controversia poterit juramento ritè finiri, si juranti fas sit mentali restrictione uti. Quartò mentalium restrictionum usus omninò adversatur institutioni vocum, dicente Augustino: [N] "Utique verba propterea sunt instituta, non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. Verbis igitur uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est". Pulchrè & appositè Bernardus: [O] "Chaos magnum, inquit, inter nos firmatum est, nisi interveniente quasi instrumento verborum fiat ad invicem transitus quidam cordium in communicatione cogitationum. Hâc necessitate inventa sunt verba". Quando quis Deo solì loquitur, perinde est an exterioribus verbis aut aliis signis, an interioribus mentis conceptibus, an denique partim his partim illis loquatur; quia Deo æqualiter omnia patescunt, nec ullum chaos inter ipsum & cor humanum

Vide Aug. Serm. 112. de Diversis cap. 10.

M Aug. lib. de Mendacio cap. 8.

A Heb. 6. 16.

N. Aug. Enchir. c. 22.

O. Bern. in Sententiis.

humanum interiacet: sed quia homines mutua corda non introspiciunt, indita eis est facultas loquendi, ut quod quisque gerit in corde, communicare alijs valeat verbo. Unde Augustinus: P. *De falso testimonio*, inquit, quod „in decem preceptis legis positum est, nullo „modo quidem concedi potest dilectionem „veritatis in corde servandam, & proferen„dum falsum ad eum apud quem dicitur „testimonium. Cùm enim Deo tantùm dici„tur, tunc tantùm in corde veritas am„plectenda est: cùm autem homini dicitur, „etiam ore corporis verum proferendum est, quia homo non est cordis inspector". Atque hinc exurgit quintum argumentum contra eundem mentalium restrictionum usum: adversatur enim summoperè societati humanæ, adeoque ipsi humanæ naturæ, quæ eam societatem naturaliter appetit: Q. Quia homo, „inquit Divus Thomas, est animal sociale, „naturaliter unus homo debet alteri id sine „quo societas humana servari non posset. „Non autem possent homines ad invicem „convivere, nisi sibi invicem crederent, tan„quam sibi invicem veritatem manifestanti„bus". In dispersione gentium, post Babylonicam confusionem linguarum, illi homines sibi invicem cohæserunt, qui se ejusdem idiomatis esse comperêrunt; quia ij soli mutuas mentes intimare invicem potuerunt, sine quâ intimatione coalescere in unam societatem nequierunt. Unde Augustinus: R. Si duo, „inquit, sibimet invicem fiant obviam, ne„que præterire, sed simul esse aliquâ necessita„te cogantur, quorum neuter norit linguam „alterius: faciliùs sibi animalia muta, etiam „diversi generis, quàm illi, cum sint homines „ambo, sociantur. Quando enim quæ sen„tiunt inter se communicare non possunt „propter solam linguarum diversitatem, ni„hil prodest ad consociandos homines tanta „similitudo naturæ: ita ut libentiùs homo sit „cum cane suo, quam cum homine alieno". Alienus porrò homini, quantùm ad hoc propositum, est omnis homo, cujus idioma non aperit socio mentem. Ac per hoc alienus censeri debet qui aliquid mente occultatum reservat, unde sensus integri sermonis pendet: perindè ac is qui vocabulis notis ignotum admiscet, ex quo provenit ut mens loquentis audientem lateat. Quinimò in dictionum syllabis quidpiam simile observare licet. Sit, verbi causâ, aliquis qui vasis quibusdam hominibus opulentis dicat suo socio, *Isti sunt divi*, reservatâ mentaliter syllabâ *tes*: quis non mallet cum suo cane, quàm cum tali socio conversari, qui pro *divitibus* obtruserit ei *divos*? Et tamen non minùs mutatur sensus enunciationis additione, subtractione, vel reservatione vocis integræ, quàm significatio nominis, aut verbi, additione, subtractione, vel reservatione syllabæ, imò interdùm unius etiam litteræ; ut si pro *mensa* dicatur *mens*, reservatâ mentaliter litterulâ, *a*; vel pro *verum* efferatur *ver*, reservatâ mentaliter litterâ *u*. Quænam, obsecro, societas coalescere inter eos potest quorum alter alteri pro affirmatione negationem, aut vice versâ obtruserit? Et tamen reservationum mentalium patroni nunquam possunt rationem reddere cur minùs reservari mentaliter queant affectiones copulæ enunciativæ, quàm extremorum. Quòd si etiam hæ reservari licitè queant, licitè profectò & affirmationes pro negationibus, & hæ vicissim pro illis ingeri poterunt. Atque ex hac deductione argumenti quinti emergit sextum, in hoc consistens, quòd proferens scienter enunciationem falsam, solâ mentali reservatione verificabilem, mentiatur. Cùm ergo omne mendacium, fatentibus ultrò ipsis restrictionum patronis, sit illicitum: consectarium omninò est prolatorem enunciationis falsæ, solâ mentali reservatione verificabilis, illicitè agere. Assumptum probatur inprimis authoritate Patris Lessij, qui volens excusare multos veteres Tractatores mendacio in speciem saltem patrocinantes, ut Origenem, Abbatem Ioseph, Cassianum, Chrysostomum, Hieronymum, Theodoretum, Theophylactum, OEcumenium, & plerosque Græcos: „S. Putarem, inquit, plerosque ex prædictis „Patribus excusari posse, quòd MENDACIUM „vocent etiam orationem alio sensu dictam, „vel HABENTEM TACITAM MENTIS LI„MITATIONEM, ita ut alter aliud intelligat, & decipiatur". Ex confessione igitur hujus magni restrictionum mentalium patroni; plerique illorum Patrum vocarunt *mendacia* orationes tacitâ mentis limitatione restrictas. Si autem eas vocarunt *mendacia*, procul dubiò censuerunt eas reverâ esse *mendacia*: alioquin fatendum foret, eos in hoc ipso fuisse mentitos, quòd *mendacia* dixerint, quæ *mendacia* non esse reverâ censuerint. Idipsum probatur secundò authoritate aliorum Tractatorum qui mendacia nullo unquam casu licere, censuerunt, ac docuerunt: ut inprimis Divi Thomæ, qui ait: T. Veritati opponitur quòd aliquis per verba exteriora aliud significet, „quàm quod habet apud se: quod ad mendacium pertinet". Præmiserat quoque idem ipse quæstione præcedenti art. 1. in corpore: " Ratio mendacij sumitur à formali falsitate, „ex hoc scilicet quòd aliquis habeat voluntatem falsum enunciandi". Consonat omninò Augustinus, ubi ait: V. Cùm falsum ab sciente dicitur, procul dubiò mendacium est, sive illo quisquam, sive nemo lædatur". Et lib. de Mendacio

P. Aug. lib. de Mendacio cap. 17. Exod. 20. 13.

Q. D. Thomas 2. 2. q. 109 artic. 3. ad 1.

R. Aug. lib. 19. de Civit. cap. 7.

S. Lessius l. 2 de Iustitia & Iure cap. 47 Dub. 6. n. 33.

T. D. Thom. 2. 2. q. 110 artic. 1. in corp.

V. Aug. ... 63 in Leviticum Vide etiam Euch. ... Sp...

Vide Divum Thom. 2. 2. q. 109. a. 2. ad 4.

Mendacio cap. 3. " Ille mentitur, inquit, „ qui aliud habet in animo, & aliud verbis „ vel quibuslibet significationibus enuntiat. „ Unde etiam duplex cor dicitur esse mentientis, id est, duplex cogitatio: una rei „ ejus quam veram esse vel scit, vel putat, & „ non profert; altera eius rei quam pro ista „ profert, sciens falsam esse, vel putans". Hinc porrò exurgit septimum argumentum adversùs easdem mentales restrictiones. Cùm enim iuxta Augustinum *ille mentiatur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis vel quibuslibet significationibus enuntiat*, proculdubiò ex ipsius mente non minùs mentitur qui mentaliter restringit verba sua, quàm qui alia quævis signa exteriùs prodita. Atqui iam superiori capite §. 388. ostensum est authoritate Congregationis Romanæ, eos mentiri qui talia signa exteriùs prodita restringunt mentaliter: Ergo etiam mentiri censendi sunt, qui verba sua exteriùs prolata restringunt mentaliter. Quod quidem adeò clarum est, ut Divus Thomas, loco mox citato, ex falsitate verborum mentaliter restrictorum, tanquam notiore, colligat falsitatem reliquorum signorum similiter restrictorum, dicens: " Ad „ virtutem veritatis pertinet, ut quis talem „ se exhibeat exteriùs per signa exteriora, „ qualis est. Signa autem exteriora non solùm sunt verba, sed etiam facta. Sicut ergo „ veritati opponitur quòd aliquis per verba „ exteriora aliud significet, quàm quod habet apud se, quod ad mendacium pertinet: „ ita etiam opponitur veritati, quòd aliquis „ per signa factorum, vel rerum, aliquid significet contrarium ejus quod in eo est; „ quod propriè *simulatio* dicitur. Unde simulatio propriè est mendacium quoddam, in „ exteriorum signis factorum consistens. Non „ refert autem utrùm aliquis mentiatur ver„ bo vel quocunque alio facto. Unde cùm „ omne mendacium sit peccatum, ut suprà „ dictum est; consequens est etiam quòd omnis simulatio sit peccatum". Cùm igitur hinc habeamus exteriorem simulationem, quantumvis mente restrictam, excusari à mendacio non posse; à fortiori idem censendum erit de exteriori vocum falsarum prolatione, quantumvis mentaliter restrictâ. Nec refert utrùm quis ultroneè, an invitè, ad taliter simulandum, vel taliter loquendum processerit. Nam ut Augustinus ait: " *Mentiens est etiam qui mentitur invitus*. Quæ cùm ita sint, ambigi non debet, quin perjurii crimen incurrant, qui ejusmodi mendacia sua, quomodolibet palliata, juramento confirmant. Quapropter in eos qui modos quosdam excogitant, & regulas præscribunt, quibus doceant, quandonam & quatenùs liceat verba vel facta in seipsis quidem falsa, sed mentaliter restricta, juramento firmare, rectissimè quadrat illud ejusdem Augustini lib. contra Mendacium cap. 18. " Sunt in eis docti, qui etiam regu„ las figant finesque constituant, quando de„ beat, quando non debeat pejerari. O ubi „ estis fontes lachrymarum! Et quid faci„ mus, quò ibimus, ubi nos occultabimus ab „ irâ Veritatis, si non solùm negligimus ca„ vere mendacia, sed audemus insuper docere perjuria"? Certè enim quamvis grave peccatum sit pejerare, longè tamen gravius est perjuria docere, prout ex dictis §. 386. colligere licet. Et idem quoque cum proportione dicendum fuerit de mendacii executione, & eiusdem doctione. Unde idem Augustinus ibidem inferiùs cap. 21. " Aut cavenda sunt „ mendacia, inquit, rectè agendo, aut con„ fitenda sunt pœnitendo: non autem cùm „ abundent infeliciter vivendo, augenda sunt & docendo.

D. Thom.

Aug. lib. de Mendacio cap. 11.

Ggg CAPVT

CAPVT. CV.

Vberior & authenticior reservationum mentalium improbatio præmissis adjicienda decernitur, eò quòd plerunque non satis sit ad contentionem, quod abundat ad fidem. Binæ iuramentorum formulæ per Serenissimos Belgarum Principes ad obviandum ambitui præscriptæ, mentalium restrictionum irrepta deludi cœptæ, sed per Theologos & Iurisperitos Lovanienses ratione & authoritate adversùs Ludificatores vindicatæ. Cautela pro exteris contra eos, qui se pro Theologis, aut Professoribus, aut Regentibus Academicis abusivè venditant. Iurans tanquam verum, quod scit esse falsum, Augustino bellua est detestanda, & de rebus humanis exterminanda. *In omni quæstione ad propositum interrogationis pertinere debet sensus responsionis. Aliud consulenti aliud respondere, dementis est. Periurus est quisquis expectationem iuratarij decipit. Dupliciter reus fit, qui & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capit. Dolus agitur cùm aliud pectore tegitur, aliud ore profertur. Fraus non dissolvit, sed astringit periurium.* Cydiæ *perjurium fraude illitum divinitus detegitur, & peierantis exitio vindicatur. Vbi se occultabunt ab irâ Veritatis, qui non solùm negligunt cavere mendacia, sed audent insuper docere periuria? Vir bonus ad honores verâ viâ nititur, malus dolis ac fallacijs contendit. Iuramenta à Belgarum Principibus adversùs ambitum avaritiamque præscripta consonant legibus Cæsareis in eum finem olim conditis, & Corpori Iuris insertis.*

CCCXCIII. CVm anceps hærerem utrùm ab ulteriori restrictionum mentalium improbatione desistere, atque ad sequentia Decalogi præcepta progredi deberem, commodè mihi in mentem venit illa Facundi Hermianensis sententia:[x] Hæc quidem sufficere judicamus „eis, qui fideli ac piâ intentione volunt cog„noscere veritatem: sed propterea dicemus „& alia, quoniam satis non est ad contentionem, quod abundat ad fidem". Quâ sententiâ permotus statui quædam præmissis adiicere, non quidem nova, sed paulò vetustiora; & tantò meis dictis robustiora, quantò sublimioribus ingeniis comprobata. Ante annos propemodùm triginta deprehenderunt Parochi huius Oppidi Lovaniensis irrepsisse plerisque parochianis suis persuasionem restrictionum mentalium, sive ex lectione quorundam authorum ei persuasioni faventium, sive ex verbali instructione aliorum humanæ ambitioni placere studentium. Exhibuerunt itaque prædicti parochi tribus primariis Facultatibus Academicis, Theologicæ, Canonicæ, & Civili, formas duorum

x Facund. Hermian. l. 3. de tribus capitulis c. 6. in fine.

Anno M. DC. XXXIV.

iuramentorum authoritate Principali præstari respectivè iussorum, ab universis & singulis sive in Magistratum aut Senatum cooptandis, sive per Magistratum aut Senatum de officio vel beneficio providendis: quarum formarum antiquior & fusior ita sonat in Latinum versa: *Ego N. N. per & super sancta Evangelia promitto ac iuro, me pro Consulatu, vel officio iurato, nec bona ulla, nec pecuniam, nec munus, nec obsequium, nec beneficium dedisse; promisisse, obtulisse; aut dari, promitti, vel offerri meo nomine curasse: insuper nec precibus sollicitasse, aut sollicitatorem me: posuisse; nec mutuum dedisse, vel dari fecisse, quoquo modo, sive per me, sive per alium quemquam. Quod si secùs egerim, prævaricator & infamis censear, nec unquam ad Senatum, aut ministerium, aut ullam iurisdictionem, ullumve regimen cuiusquam urbis, oppidi, vel pagi pateat mihi aditus: similiter quoque me non accepturum, sive per meipsum sive per alium, ullum munus, aut oblationem honorariam, sive in pecuniâ, sive in bonis, pro collatione cuiusquam officij vel ministerij mihi competente: nec permissurum ut ulla mihi fiat eiusmodi promissio eo intuitu.* Alterius formæ, recentioris ac succinctioris, anno 1626. præscriptæ, tenor Latinè redditus ita sonat: *Iuro me*

nec pro

nec pro statu isto assequendo, nec eius intuitu, quidquam cunquam, sive in pecuniâ, sive in aliâ quâcunque re obtulisse, promisisse, aut dedisse; nec item offerre, promitti, aut dari curasse, vel curaturum aut daturum, directè vel indirectè, aut quovis alio modo: salvo duntaxat eo, quod pro expeditione erogari consuevit." Has itaque juramentorum formulas, authoritate supremâ Principum Belgij praescriptas, supradicti Pastores, pro salute animarum suo respectivè curatui commissarum solliciti, proposuerunt praememoratis Facultatibus Academicis, de quarum una etiam Rector tunc Universitatis extitit: petentes, *Utrùm liceat ambire Magistratum, aut officium, solicitando suffragia Collatorum, promissis symposijs, pecunijs, muneribus, per se vel suos? Rursùs, Utrùm liceat munera, symposia, pecunias, aut simile quidpiam accipere, per se vel suos, aut sinere ut promittantur sibi, in eum finem, ut ad officium quodcunque suae collationis aliquem suo suffragio quis promoveat; & simul tamen liceat ista juramenta respectivè praestare?* Haec fuit Curatorum propositio: sequitur Facultatum decisio, quae quoniam in exterminium restrictionum mentalium potissimùm collimat, opportunè hìc ad longum inserenda visa est: ut non modò proponentium ac Resolventium posteris, sed & extraneis quoque innotescat, quid hujus Academiae Theologi, pariter ac Iurisperiti, de subinductitiâ mentalium reservationum praxi censuerint. Ubi obiter admonendi sunt exteri, rerum fortè hìc Academicarum ignari, ne procliviter adhibeant fidem frontispicijs librorum, in quibus subinde viderint Authorem intitulari *Sacrae Theologiae in Academiâ Lovaniensi Professorem*, aut *Regentem*, aut denique *Regentem primarium*, vel quid simile: nam ejusmodi titulos, non sine grandi abusu, nonnunquam usurpant authores, qui nihil habent commune cum Academicis, praeter commorationem intra ejusdem vastissimi oppidi muros. Idem quoque abusus committi interdum cernitur, in approbationibus praemitti consuetis, quarum nonnullis extat subinde praefixa haec aut similis epigraphe, *Approbationes Theologorum Lovaniensium*, nullo licèt Academico Theologo subinscripto. Sic nimirùm olim diversae & adversae Philoso-

Vide Cicer. l. 2 offic. phorum sectae affectabant dici *Socratica*; cùm nihil minùs aliquàndo essent, quàm Socraticae. Quisquis igitur in libros, titulis vel approbationibus ejusmodi praenotatos, inciderit, si in eorum decursu suscipi patrocinium mentalium reservationum deprehenderit, fucum sibi fieri noverit: quaenam verò sit Academicorum Lovaniensium, non modò Theologorum, sed & Iurisconsultorum sententia in materiâ istâ, ex subiuncto ipsorum ad Curatorum Oppidanorum Quaesita Responso perdiscat.

„CCCXCIV. Respondetur, non licere. Et „quisquis eorum aliquid, quae in istis formulis „tanguntur, juxta quod planissimè verba so„nant, fecerit; & tamen juraverit se non fe„cisse: est indubitati perjurij reus. Non est ista „in puteum Democriti abstrusa veritas, ut „nonnulli putant, sed ita perspicuè oculis hu„mani generis exposita: ut non minùs dolen„dum sit, imperitorum animos proprijs cupi„ditatibus ita obscurari, ut eam, jam olim in„ter ethnicos indubitatam, à peritioribus ve„luti dubiam discutiendam censeant; quàm „ipsos peritos cupiditatibus alienis usque „adeò lenocinari, ut rem lucidissimam tor„tuosis ratiocinationibus quodammodò ob„ruere, ac de conscientiâ hominum delere „velle videantur. Quid enim? an fortè non „est jusiurandum, quo se dicunt sanctè pro„mittere, tactisque Evangelijs jurare? An „non disertis verbis omnia & singula se fe„cisse vel facturos esse negant, *per se, per alios,* „*directè vel indirectè, quocunque modo*, quae secun„dùm apertissimum verborum, quem ex Prin„cipis & Reipubl. mente habent, & omnium „hominum sano judicio prae se ferunt, eos fe„cisse vel facere se sciunt, & in ipso casu sup„ponuntur? Falsum ergo esse sciunt, quod „jurant, & proinde perjurium est. Quid enim „perjurium, nisi jurare quod falsum quis arbi„tretur: videlicet non se fecisse vel facturum „esse, quod se fecisse aut facere norit? Unde „August. totius humani generis sensum de Serm. 28. de verbis „illa veritate promens, *Da*, inquit, *alium, qui* Apost. c. 2. „*scit falsum esse, & dicit verum esse, & jurat tan*„*quam verum sit quod scit falsum esse. Videtis, quam* „*ista detestanda sit belua, & de rebus humanis exter*„*minanda! Quis enim hoc fieri velit? omnes homines* „*talia detestantur*. In quo genere jurantium vi„derint illi num ab Augustino comprehensi „sint, qui sciunt se prensationibus, promissis „vini, cerevisiae, pecuniarum effusionibus, „nundinatos esse Magistratus, Lectiones, „aut officia: & scientes videntesque, co„ram scientibus, Deo ipso, quem testem „invocant, inspectante, nihilominùs jurant „non fecisse: videant, inquam, etiam atque „etiam, utrùm ipsi non sint, qui *jurant tan*„*quam verum sit, quod sciunt falsum esse*; & si„mul videbunt, quàm *detestanda belua*, & „*de rebus humanis exterminanda*, veritate per „os Augustini loquente, decernantur. Cujus „quidem rei ratio ut enucleatiùs intelligatur, „& occurratur frivolis quorumdam cavilla„tionibus, quibus tanquam ficulneis folijs „turpitudinem tegunt: sciendum est, certam, „receptissimamque esse veritatem, etiam „apud illos, qui quàm maximè habenas adul„terandae veritati laxaverunt, fallacijsque ver„borum perturbarunt humani generis com„mercium, Eum, qui sponte suâ, nemine, nisi

propriâ ambitione assequendi honoris, impellente, juramento sese ingerit, & ejus necessitati se exponit; atque interim Princeps vel per se, vel per statutum justissimis de caussis latum, præcipit, ut juret veritatem, non posse aliter jurare, quàm secundùm mentem Principis ac statuti. Tunc enim, quidquid aliàs licere vel non licere quispiam dixerit, cessat omnis caussa vel in speciem legitima fucandæ veritatis. Nam & Princeps, ut supponimus, legitimè jubet, & Principi legitimè jubenti obediendum esse lex humana & divina, & naturalis, & æterna testatur; nec Principi obedire potest, nisi eo sensu jurando, quem mens Principis postulat, & ipsa verba planissimè profitentur. Nam in illis circumstantijs, nescio quo privato sensu à sensu Principis, & statuti, & Reipubl. & omnium hominum alieno jurare, non est obedire Principi, sed illudere: neque calliditas ista perjurio jurantem liberat, sed eum reddit principis indignatione, & humani generis detestatione digniorem. Omnem enim fidem ex ejus commercio funditùs tollit, qui in tam rationabilibus circumstantijs adhuc à verborum strophis, & occulti sensus versutijs præsidium petendum putat. Atqui hæc omnia in præsenti casu concurrunt liquidissimè. Nam & Princeps legitimus jurari veritatem jubet, & legitimè jubet, & tota respublica id, quod jubet, probat, & quo sensu jubeat, verba clamant, ut vel tardissimis notum est: & res gravissima est, & Reipubl. omninò necessaria, & neminem ad jurandi necessitatem adigit nisi propriæ ambitionis æstus, qui ad honores per ambitus corruptelas anhelat & properat. Quis igitur dubitet, hic fidem atque synceritatem jussui statutoque Principis, & expectationi Reipubl. deberi, nisi qui dolosè jurando fallere, & omnem loquendi synceritatem, omnem jurisjurandi fidem ex hominibus exterminatam cupit? Cui enim, quando, quomodo quisquam injurato credat, si neque iuratis hic tutò credi potest? Si, inquam, liceat hic commentitio verborum fuco Principis & Reipublic. & omnium hominum expectationem fallere; & de cepis interrogatum, de allijs jurare? hoc enim non jurare, sed pejerare est. Nam, ut optimè verissimeque Sanctus Augustin. [Epist. 224.] *Expectationem eorum quibus iuratur, quisquis deceperit, periurus est*: quod cùm prædictis saltè circumstantijs, si unquam, absolutissimè verum esse, nullum dubium esse debet. Quam perversitatem nimis Reipubl. etiam in loquendo, nedum in jurando, perniciosam graviter prestrinxit Tertull. [Lib. 4. cont. Marc. c. 18.] *Iusta & digna praescriptio est, in omni quaestione ad propositum interrogationis pertinere debere sensum responsionis. Caeterum aliud consulenti aliud respondere, dementis* *est*. Et August. fallacijs pejerantium terminos collocans, fidentissimè dicit: [Epist. 224.] *Illud sanè rectissimè dici non ambigo, secundùm expectationē illius, cui iuratur, quam novit ille, qui iurat, fidē iurationis impleri, nam verba difficillimè comprehendunt maximè breviter sententiam, cuius à iurante fides exigitur. Unde periuri sunt, qui servatis verbis, expectationem eorum, quibus iuratum est, deceperunt*. Propter quam, credo, absolutissimam Augustini resolutionem Veritas illa in Ius Canonicum, sancto Isidoro Hispalensi Episcopo verba præformante, translata est. [Cap. quacunque arte 22 q. 5 Isidor. lib. 2 Sent. c. 31] *Quâcunque arte verborum quisque iuret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui iuratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit, qui & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capit*. Unde perjurium simul ac dolum in huiusmodi jureiurando, quod ad privatas intentiones relicto legitimo verborum sensu detorquetur, non minùs Isidorus atque Augustinus detestantur, dum non minùs [Isidor. ibid.] ita jurando, quàm *proximū dolo capiendo*, jurantes reos fieri volunt. Nempe uterque regulam à Spiritu Sancto fixam intuebatur: qui cùm rogaretur à Propheta suo, [Psal. 14. 1.] *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* planissimum responsum dedit, non solùm dicendo, [Ibid. v. 3. & 3.] *Qui loquitur veritatem in corde suo*, quod omnes isti Principum & Reipubl. Ludificatores pro se iactitant; sed etiam addendo, *Qui non egit dolum in lingua sua, qui iurat proximo suo, & non decepit*. Quantò iustiùs addas, Qui jurat Regi suo & Reipubl. & non decipit? Nam huiusmodi deceptio, si uspiam, certè in istis nostri casus circumstantijs, tam æquis ex parte Regis & Reipubl. tam iniquis ex parte ambientium, qui ultrò præcipites in istas mentiendi & pejerandi angustias ruunt, maximè detestabilis est: ut sanè adversùs tales potissimùm sententias suas Scriptura & veteres isti pronuntiaverint, quibus & Zacharias exitium comminatur: [Zach. 5. 3. & 4.] *Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ: & veniet ad domum iurantis in nomine meo mendaciter, & consumet eam, & ligna eius, & lapides eius.*

CCCXCV. Deinde ex alio capite, doctrinæ istius veritas perspicuò constare potest; quando enim à Principe, vel Collegijs popularibus aliqui ad Magistratum vel professiones Academicas adsciscuntur, inter Eligentes Electosque expressum hoc intercedit pactum, ut non aliâ lege ad Magistratum aut Professionem admoti censeantur, quàm si solemni iureiurando hi se de ambitu purgaverint, verò præterea se viros idoneos, Officijs atque Lectionibus, citra personarum acceptionem, ac munerum sordes, se admotu-ros receperint, juxta formulas Iuramenti

suprà

supra descriptas. Iam verò certum est, & omnium Doctorum sententiâ indubitatum, à conventionibus pactisque mutuis, sive tacitis sive expressis, omnem abesse debere fraudem, dolumque malum; multoque magis à Sacramentis, quibus conditionem appositam se servaturos alter alteri spondet ac jurat. Est autē fraus, dolusque malus, *sicut fere omnis, qui verbal. etiam intelligit, cùm aliud agitur & aliud fingitur*, inquit Augustinus; vel, ut alibi post Philosophos dicit, *Cum aliud agitur, aliud simulatur; cùm aliud ore profertur, aliud pectore tegitur.* Quod qui faciunt, ut olim rectè quidam dixit, *perfidi, improbi, malitiosi sunt*: qui autem Dei testimonio fidem simulationis istius supplere volunt, perfidiæ addunt perjurium. Alterutrum autem quisquis tanquam licitum in conventiones humanæ societatis admittit, omnia profectò vincula mutui cōmercij disrumpit, omnem fidem adimit dicentibus, promittentibus, jurantibus; pontemque sternit, per quem omnes fraudes, mendacia, perjuria tutò transeant. Hoc certè scio, quisquis hujusmodi restrictionum, vel potiùs fraudium aut mendaciorum, strophas in mutuis conventionibus permissas putat, nemini succensere debere, qui sibi juranti, cælumque & terram in fidei subsidium invocanti, non crediderit. Quâ pœnâ talibus nulla forsan justior, & ad perversitatem illam corrigendam opportunior infligi posset: nimirùm, ut suam omnibus hominibus fidem in loquendo suspectam esse sentiant, qui eam ex hominibus docendo sustulerunt. Fixum ergò ratumque maneat, à pactis mutuis omnem abesse debere fraudulentiam: omnem ergò occultam restrictionem, quæ verbis ex mente paciscentium non comprehenditur. Tanto enim perniciosior ille dolus est, quanto latentiùs lædit; tanto detestabilior, quanto majori hypocrisi sub integritatis pallio latet. Ex quo nascitur, ut omnium gentium judicio, quisquis in paciscendo, pactisque conditionibus jurejurando sanciendis, etiam hostem, nedum Principem fefellerit, aliud animo cogitans, aliud verbis præ se ferens, sacrilegus & perjurus sit. Talis judicatus est olim Cydias, qui cùm aurum ex deposito reddendum suscepisset, baculum, cui illud incluserat, Archetimo cuidam, qui deposuerat, manu tenendum tradidit, intereà testem invocans Deum, cum versutâ mentis interpretatione, se aurum ei reddidisse. Sed Deo suam à fraudibus vindicante veritatem, baculus per Archetimum iratum fractus, aurum effusum, dolus detectus fuit; Cydias cum detestatione humani generis malâ morte perijt. Tales & illi multò potiori jure sunt, qui cum Professionem, vel Magistratum, sub lege præstitæ vel præstandæ integritatis, à nundinationum sordibus, acceperint, eamque pecuniarum & munerum acceptione apertissimè violaverint; audacter jurant, eam se præstitisse, videlicet (sicut mentis restrictione Principem suum ludificantur) quia non acceperunt, ut non nemo, *publicè*: ut alij, *non ab indignis*: ut alij, *non ultra solitū*. Quasi verò acceptio clancularia, aut ab eis quos ipsi dignos judicant, aut per corruptos hominum mores jam consueta, non sit acceptio munerum, non sordes, non damnatæ impositâ lege corruptelæ. Sic enim, his authoribus, etiam Romanus populus dejerare potuisset, se nihil omninò accepisse, quando usque adeò consuetudine quâdam ambitus invaluerat, ut corruptelis uterentur [illegible], *ut opifici consueto*: palamque in foro, mensæ pecunijs plenæ ponerentur, quibus suffragia populi redimerent. Nihil enim ultra consuetum, nihil nonnunquam palam, nihil sæpiùs ab indignis accipiebant. Nam Cæsar inter cæteros industriâ, fortitudine domi belliq; clarus, & per quàm dignus fuit, qui Gallicarum opum profusione obnoxiam tenebat plebem. Sed quemadmodùm nemo dubitat, intolerandas istas fuisse Romani populi corruptelas, ita & nostrates esse, certum est: & neutræ restrictionum beneficio inter jurandum interpositò, à manifesti perjurij labe excusari possunt. *Fraus enim astringit, non dissolvit perjurium.* Nec verò veritas ista tā obscura est, ut vel in solis Doctoribus Ecclesiasticis, vel in Sacris Litteris quærenda sit. Vidit eam, scripsit, opereque expressit impietas Paganorum: ut pietas Christianorum nostrorum erubesceret. Marcus enim Attilius Regulus, cùm à Carthaginensibus captus, eis non per Sacramenta Dei veri; sed per dæmonum inquinamenta jurare cogeretur, ut nisi captivorum commutationem impetrasset, rediret ad carcerem; non putavit in istis angustijs aliquâ jurandi dexteritate sibi posse subveniri, sed horrendos corporis cruciatus sibi revertendo subeundos potiùs arbitratus est, quàm fallaciter suum de reditu jusjurandum intelligendo, vel non redeundò, pejerare. Perjurum enim se omninò fore judicavit, si aliud juraret, quàm quod legitimus verborum sensus præ se tulit, quodque ab illo non Rex, non Respublica sua, sed hostis firmandum sacramenti sanctitate postulabat. Nam hinc est etiam illud præclarum, & ab Augustino celebratum, quod Romana Censura post acceptam Cannensem cladem noluit retinere in numero Senatorum, non solùm eos, qui metu mortis crudeliumque pœnarum apertissimè pejerare, quàm ad castra Pœnorum redire maluerunt; sed etiam illos, qui reatu perjurij se putaverant absolutos, quia post præstitum jusjurandum quasi aliquid obliti, fictâ

Tract. 7. in Ioan. & in Psalm. 5. & in 14.

Tull. lib. 1. offic.

Historiam narrat ex Heiod. Stobæus ser. 28.

Plutarch. in Catone Uticensi.

Idem in Cæsare.

Cicero lib. 3. offic.

August. Epistola 224.

Polib. & Aug. unum fuisse volūt eo decē. Livius vero & Attilius Crassus plures, de quo & Tull. in fine 3. offic.

fictâ nescio quâ necessitate, reversi fuerant, quam quodam jurandi artificio præter mentem eorum, quibus juraverant, excepisse videbantur. Omnibus enim notis ignominiisque confectos esse tradunt, ut quidam eorum mortem sibi extemplò consciverint: cæteri non foro solùm omni deindè vitâ sed propè luce, ac publico caruerint. *Ita non attenderunt*, inquit Augustinus, *qui eum Senatu pepulerunt, quid ipse iurando cogitasset, sed quid ab illo ii, quibus iuraverat, exspectaverint.* Hæc legimus, hæc miramur, hæc infidelium sensa & facta laudibus in cælum tollimus; & nos Christiani disputandum paramus, utrùm perjuri sint, qui non hostibus, sed Reipubl. & Regi suo, nullo mortis justæ vel injustæ, nullo carceris arcendi metu, sed solo ambitionis æstu stimulante, ultrò sese ad Magistratum & Officia, & inde ad jusjurandum libeandum offerunt, sibi ut àque facti sui & conscientiâ reclamante, dejerant, nihil eorum se fecisse vel facturos esse, quæ jurisjurandi formulâ exprimuntur. Et quod magis intolerabile est, id non [illegible] licitum, viri boni, nescio quâ Theologiæ subtilioris fiduciâ, annecessarium esse se errant. Quid enim est hoc aliud, quàm artem fallendi Principem & Rempubl. adeòque pejerandi tradere, si verum est quod verissimum esse in casu longè minori docuit Augustinus, *Periuros esse, qui servatis verbis exspectationem eorum, quibus iuratum est, deceperunt?* Quæ si temporibus Augustini monstra sententiarum prodiissent, quantâ vocis contentione & animi gemitu iterum juxta doctrinæ suæ jam traditæ regulam exclamasset: *Et sunt in eis docti, qui etiam regulas figunt, finesque constituunt, quando debeat, quando non debeat peierari. O ubi estis fontes lacrymarum! & quid faciemus, quo ibimus, ubi nos occultabimus ab irâ Veritatis; si non solùm negligimus cavere mendacia; sed audemus insuper docere periuria?*

Vid. Livium lib. 22. in fine. Tull. in fine lib. 1 offic. August. Epistola 224.

Aug. Epist. 224.

Lib. contra mendac. c. 18.

§. CCCXCVI. Ab hujus labe criminis aliqui se immunes putant, quòd non aliter censeant intelligendum hoc jusjurandum, vel aliter à Principe intelligi, quàm ne corrumpantur donis promissisve Collatores ut in personam indignam suffragium suum conferant. Argumento esse, quòd Princeps sciat istam donandi potandique consuetudinem, nec in statuti (ut sonat) transgressores animadvertat. Ita vindex criminum, in eorum patrocinium accersitur: sed toto cælo falluntur; primò, quia ex conniventia Principum, scelerum licentiam colligere fallacissimum est argumenti genus. Nam in criminibus vindicandis multa possunt Principes, quæ non expediunt; multa expediunt, quæ non possunt; multa possunt & expediunt, sed opportuniùs differuntur, multa, quia publicæ probationis luce destituta, quamvis severissimè punienda, relinquunt Deo, qui solus occultorum testis & judex est. Deindè, quòd putant Principem & Rempub. intelligere cum ista restrictione juramentum, sine dubio falsum est. Primò, quia non potest cadere in priorem juramenti partem, quâ quisque jurat, *se non ambivisse muneribus Magistratum.* Illius enim sensus absolutus est, quòd munera nulla dederit, quibus suffragia compararet, sepositâ omni dignitatis indignitatisque consideratione. Quid enim magis fingi posset fatuum, quàm jusjurandum ab aliquo de sua dignitate seu capacitate postulare, ut videlicet juret, nullis muneribus, quibus eligentes corruperit, se ambivisse, ut se indignum eligerent? Igitur neque restrictio illa in posteriorem partem cadere potest, quâ iidem jurant, *se munera non accepturos.* Disertè enim additur, *quòd similiter*, sive eodem sensu, quo jurant se non dedisse, jurent se non accepturos esse munera. Deinde, quemadmodum officia conferre indignis propter munera, gravis noxa Reipubl. est, ita & muneribus corrumpi, ad officia minùs dignis conferenda, præteritis dignioribus, Reipubl. vehementer noxium est. Utrumque ergò incommodum amoliri voluerunt, qui in bonum Reipubl. istas jurisjurandi formulas præscripserunt. Denique, quia juramenti objectum, sensus, & veritas ex verborum, quibus expressum est, significatione pendet, non ex conceptibus, quos sibi pro arbitrio jurantes formant. Ex mentali autem restrictione verborum significationem suspendere, est omnem istorum vocalium signorum vim ac certitudinem, adeoque omnem humanæ societatis fidem, quæ citra illam subsistere nequit, uno lætali ictu interimere. Cùm ergo in præscriptis jurisiurandi formulis nullum verbum sit, quod vel dignitatis vel indignitatis significationem præ se ferat, non est illa juramenti interpretatio, sed adulteratio. Dignitatis ergo eorum, qui concurrunt, æstimatio, conscientiæ cujusque juxta naturæ legem relicta fuit, non autem juramento illigata; propterea quòd plerunque illius comparatio incertior sit, quàm ut juramento asseri possit: mala autem fides in illa spectanda secretior sit, quàm ut deprehendi possit. At verò quia munerum oblatio Collatorum judicia excæcare, & affectum potentissimè ad se trahere solet, illæque synceritatis pestes facilè notari possunt, in eas cautio juramenti palàm directa fuit, ut universim excluderentur. Ad extremum Rex ipse sensum juramentorum talium

nuper perspicuè exposuit. Nam in Edicto anni 1626. quo Sacramentum omnibus officiorum Candidatis imponitur, disertissimis verbis declarat, se non permittere, *ut Collatores officiorum ex eis emolumentum suum captent, non magis venditione, aut elocatione, quàm aliâ quacunque ratione: neque ut quisquam accipiat aut largiatur quicquam respectivè in recognitionem aut gratitudinem, directè vel indirectè, quocumque modo.* An dignis vendere & elocare, à dignis pretium emungere, caveas cerevisiarias exugere, non est suum captare emolumentum? Hinc ulteriùs in eodem Edicto cuncta officia, quæ tali modo extorta fœdataque fuerint, ipso jure vacare & impetrari posse decernuntur. An dignorum officia, non sunt officia? Hinc quotquot præterea pretii alicuius accepti aut dati culpâ detinentur, ab officiis dejiciendos, & ad hoc ipsum vel aliud administrandum totâ vitâ inhabiles esse, sancitur. Quæ profectò manifestissimè clamant, omnes omninò quorumlibet corruptelas, sive digni sive indigni videantur Candidati, Regia Sanctione esse suppressas. Et sanè remedium, quod sordibus istis coërcendis iam olim publicâ authoritate oppositum fuit, hoc sensu intellectum nullius fuerit, esseve poterit utilitatis: juramento enim satisfecerit, fidemque purgaverit suam, quisquis dixerit se dignum putavisse, qui reverà indignus fuerit: adeoque jurisiurandi violati non nisi à seipso damnari poterit. Neque minùs contra scopum hujusce Regiæ Sanctionis tendit, quòd à dignis, quàm quòd ab indignis accipiantur munera. Toto enim Edicto illud inprimis spectat Princeps, quemadmodum latè in ipsa Præfatione alijsque locis declaratur, ne populus exactionibus, alijsque illicitis emungendę pecuniæ modis, à Magistratibus Pręfectisque suis opprimatur, dum pretium, quod in venandos honores & officia, plenâ manu fusum fuit, paulatim iterum cum fœnore colligitur. Quod profectò malum Reipubl. ab omnibus illis ambitiosis suffragiorum corruptionibus imminet. Nec verò unquam hujusmodi leges & juramenta sic intellecta fuerunt in Rebuspublicis, quæ sordes ambientium severè coërcendo, oppressiones justitiæ & populi, aliaque mala, à cervicibus suis arcere voluerunt. Testis est Romana, in qua semper Ambitus, hoc est, criminis affectati perperam honoris, fuerunt rei, quotquot in se populi suffragia pretio pertraxissent, sive de cætero digni, sive indigni haberentur. Qua de causa crimen istud etiam in maximis illius Reipubl. viris tum accusatum, tum magnâ severitate vindicatum est. Nam ut Salustius, *Vir bonus ad honores & imperium verâ viâ*, hoc est, ut eum exponit Augustinus, virtute, *nititur: malus dolis atque fallacijs contendit*: Inter quas profectò munerum corruptelæ non infimum locum tenent. Itaque postquam suffragiorum invaluisset corruptelà per adulteratos populi mores, & Cato legem à Senatu ferendam curasset, quò Magistratus designati, si neminem accusatorem haberent; *iurato iudicio se offerre cogerentur, atque ibi rationem peracti Magistratus reddere*; etiam perjuri habiti sunt, non solùm suffragatores, qui pretio in Candidatos traducti probarentur, sed etiam Candidati, si cuius facta sacramento eius dissona probata fuissent. Quam propterea legem ita timuêre Candidati, ut periculosissimus tumultus adversùs Catonem concitatus fuerit. Nimirum quia nondum didicerant à Christianis Ethnici dexteritatem deponendi istius metus: subtilem, inquam, illam Thologiam, quâ legitimam Reipubl. Sanctionem de non comparandis aut vendendis pretio suffragijs, quam iuxtà Reipubl. mentem violassent, sine periurio se non violasse iurarent. Periuri igitur fuerunt Ethnicorum iudicio, qui Magistratus aut officia pretio ambientes, se pretium non dedisse dejerassent. Periuri fuerunt, etiam Imperatorum iudicio, Theodosij & Valentiniani, qui cùm iussissent Magistratus *iuratos inter gesta depromere, se pro administrationibus sortiendis, neque dedisse quidpiam, neque daturos unquam posthnodum fore, sive per se, sive interpositam personam, in fraudem legis Sacramentiq;*; quæ formula hodierno iuramento, de quo tractamus, est simillima; adversùs trangressores, tanquam publico crimine neglecti Sacramenti periuros, addunt, *Si quis ausus fuerit prabita Sacramenta negligere, non modò aduersùs accipientem, sed etiam adversùs dantem accusandi cunctis tanquam crimen publicum concedimus facultatem.* Quod si quis à Romanis Imperatoribus, & Ethnicis Senatoribus, & priscis Romanæ Curiæ Censoribus tanquam Theologiæ imperitis, ad subsellia Theologorum Christianorum provocandum putet, profectò causa, de quâ satagimus, finita est. Periuri enim fuerunt, etiam principis Theologorum Augustini iudicio: qui de tali suffragiorum suorum nundinatore populo, quia iuratus in suffragia mittebatur, sine fluctuatione decernit: *Quid aliud toties Senatores corrupti in iudicijs, toties populus in suffragijs, vel in quibusque causis, qua apud eum concionibus agebantur, nisi etiam peierando peccabant? Nam corruptissimis moribus ad hoc mos iurandi servabatur antiquus, non ut à sceleribus metu religionis prohiberentur, sed ut periurja quoque sceleribus cæteris adderentur*".

CAPVT

[Marginal notes: In Præfatione. — Artic. I. — Salust. in Coniur. Catil. — August. lib. 5 de Civit. cap. 12. — Plut. in Catone Minore. — Lege. Sanciemus eius. modi. Cod. Ad legem Iuliam Repetund. — August. lib. 2 de Civit. cap. 2.]

CAPVT CVI.

Ad tertium Decalogi præceptum progreßio, quo sanctificatio Sabbato impendenda decernitur. Profanatores Sabbati quàm graviter in veteri lege ex divinâ sanctione animadversi? Iudæorum Rabbini in extrema utrorsùm circa Sabbati observationem dilapsi, frequentiùs tamen in nimium rigorem quàm in laxiorem interpretationem propensi. Iudæus quidam in cloacam Sabbato lapsus, extrahi durante Sabbatismo renuit: sed qui cùm posset noluit, cùm vellet non potuit. De itinere Sabbati ex Rabbinorum traditione taxato quid Hieronymus, quid item Origenes censuerit? Dositheanorum vana superstitio, omnem situs mutationem Sabbato vetitam censentium; sed & vanior Essenorum, alvi exonerationem Sabbato interdictam autumantium. De navarcho Iudæo memorabilis historia ex Synesio. Sabbato Iudæorum surrogatur Dominica Christianorum. Præceptum sanctificandi Sabbatum quadantenùs morale, quadantenùs cæremoniale: quatenùs morale, omnes immutabiliter obligat; quatenùs cæremoniale, nec omnes, nec invariabiliter stringit. Lutheri hæresiarchæ insulsa positio super Ecclesiasticarum festivitatum instituto. Laxorum quorundam Moralistarum Articulus à Schola Lovaniensi nuper reprobatus, Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo & absente contemptu. *In quo consistat plena & integra Sabbati observatio apud Christianos, ex Tamburino? Reprobatur à Lovaniensibus laxorum Casuistarum Articulus,* Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor, simul à diversis celebrantibus audit. *In auditione Missæ posse quemlibet voluntariè distrahi, perperàm asserit Tamburinus. Aliæ quædam ejusdem exorbitantiæ super eadem materia referuntur ac refelluntur.*

CCCXCVII. His de primo & secundo Decalogi præcepto præmissis, progrediendum est ad tertium, quod in Exodo exprimitur verbis istis, *Memento ut diem Sabbati sanctifices.* (Exod. 20. 8.) Et mox subditur ejusdem sanctificationis quidam modus non tam positivus, quàm negativus: *Non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, servus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena qui est intra portas tuas.* (Ibid. v. 10.) Ut autem noverimus obligationis hujus gravitatem, alibi decernitur pœna mortis in violatores, cùm dicitur: *Omnis qui fecerit opus in hac die, morietur.* (Exod. 31. 15.) Unde & ipse Dominus posteà consultus peculiariter de quodam homine, qui deprehensus est colligens ligna Sabbato respondit: *Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba, extra castra.* (Num. 15. 35.) Mirum (DVBIVM.) fortè cuiquam videbitur, quid opus fuerit consulere Dominum super pœnâ isti profanatori Sabbati infligendâ, cùm jampridem decreta fuerit pœna mortis in tales, prout mox audivimus ex capite 31. Exodi. Verùm (DECISIO.) admiratio ista cessabit, si animadvertatur quòd tametsi pœna mortis pridem decreta fuerit in profanatores Sabbati, nullum tamen determinatum mortis genus fuerat adhuc expressum; atque adeò super hoc consulendus fuit Dominus, qui hâc occasione determinavit & genus, & locum supplicij; genus quidem istis verbis, *Obruat eum lapidibus omnis turba*, locum denique illis sequentibus, *extra castra.* Fortassis etiam non defuerunt tunc quoque laxi quidam legis interpretes, qui contenderint violatorem legis excusari à pœnâ mortis sive propter exiguitatem materiæ, sive propter urgentem necessitatem quâ premebatur pauperculus ille lignorum collector. Si enim de genere

aere duntaxat, vel de loco supplicii, non etiam de ipso supplicio consultus fuisset Dominus, frustrà respondisset, *Morte moriatur homo iste*; cùm interrogationi consulentium sufficere potuissent sequentia illa verba, *Obruat eum lapidibus omnis turba, extra castra*. Apparet ergo extitisse etiam tunc quosdam laxiorum interpretationum legis patronos, quos Dominus suâ declaratione compescuerit: sicut è contrario surrexerunt posteà alii, qui nimis rigidè eandem legem sanctificationis Sabbati exponerent: quales fuere Pharisæi illi, qui videntes Christi discipulos Sabbato vellere [Mat. 12. 2.] & manducare spicas, dixerunt Magistro, *Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbatis*: quos ille ibidem subsequenter redarguit exemplis Davidis, & Sacerdotum. Ad eandem quoque prærigidam interpretationem spectat [Luc. 6. 7.] quod scriptum est, *Observabant Scribæ & Pharisæi si in Sabbato* (Christus) *curaret, ut invenirent unde accusarent eum*. Ex quo apparet eos persuasisse populo quòd nequidem liceret beneficium curationis cuiquam impendere durante Festivitate Sabbati. Quamvis autem Christus huic eorum persuasioni obviasset, argumento quod vocant ad hominem, dicens: [Luc. 14. 5.] *Cujus vestrûm asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbati?* nihilominùs Pharisaica illa persuasio adeò inhæsit quorundam Iudæorum mentibus, ut autumarent non licere vel hominem quidem de puteo vel fossâ in die Sabbati extrahere, multò minùs bovem vel asinum. Patet id ex historia quam in suo Promptuario Morali recitat [Y. Staplet. in Prompt. Morali ad Dominicam 10. post Pentecosten.] Stapletonus: Y. Præceptum, inquiens, de „ observando Sabbato non prohibebat ulla „ opera necessitatis, aut charitatis erga proxi„ mos. Necessitatis opera non fuisse inter„ dicta Christus docet, quia bovem vel asi„ num de fovea extrahebant Iudæi, ne peri„ ret: quibus tamen alij Iudæi magis erant „ superstitiosi, ut de Salomone quodam Iu„ dæo, cùm olim in Anglia Iudæi versaren„ tur, nostri Annales referunt. Cùm enim in „ cloacam die Sabbati incidisset, nec inde eo „ die extrahi vellet, dicens: *Sabbata sancta* „ *colo, de stercore surgere nolo*: ex sententiâ Iudi„ cis loci, die Dominicâ sequenti non fuit „ extractus, respondente ei patrefamilias, „ cum quo versabatur: *Sabbata nostra quidem Salomon celebrabis ibidem*". Eandem historiam refert Volaterranus, addito etiam nomine oppidi in quo contigerat, regnante tunc in [Z. Volater. lib. 3. Geographia.] Anglia Henrico ejus nominis tertio: Z. Hoc „ tempore, ait ille, quidam Iudæus cùm apud „ *Theuksburi* in cloacam Sabbato cecidisset, ob „ diei observationem extrahi noluit. At co„ mes ejus loci nec insequente die permisit, „ ob Dominicæ diei reverentiam: ex quo extinctus est". Ubi per *loci comitem* intelligitur Gloverniæ seu Glocestriæ comes, in cujus ditione situm est oppidum *Theoksburium*, à Sancto Theoco Eremita sic denominatum, teste Camdeno in suâ Britanniæ descriptione. His quoque vetustior Henricus Knyghtonus eandem refert historiam, expresso etiam nomine comitis, qui Iudæum extrahi elapso Sabbato vetuit: A. Eo tempore, ait ille, apud [A Henric. Knyghton. l. 4. de Eventibus Angliæ cap. 10.] „ *Theoksburi* quidam Iudæus per diem Sabbati „ cecidit in latrinam, nec permisit se extrahi, „ propter honorem Sabbati sui. Quâ de causâ „ *Richardus de Clara*, Comes Gloverniæ, non „ permisit eum extrahi die Dominicâ sequen„ ti, propter reverentiam sui Sabbati: & sic mortuus est". Annum signatè notavit Con- [Continuator Parisii] tinuator Matthæi Parisij, nimirùm millesimum ducentesimum sexagesimum, Regis Henrici Tertij quadragesimum quartum. Porrò ista Iudæorum superstitiosa persuasio videtur subintroducta ex malo intellectu verborum Moysis in Exodo dicentis: *Maneat unus-* [Exod. 16. 29.] *quisque apud semetipsum, nullus egrediatur de loco suo die septimo*. Quamvis enim nonnulli Iudæorum Rabbini apud Hieron. Epist. 151. q. 10. ita eum [Hieronymus.] locum interpretati sint, ut eo vetetur duntaxat evagatio *ultra spatium bis mille pedum*; vel, ut est apud Origenem lib. 4. Periarchon cap. 2. [Origenes.] *ultra duo millia ulnarum*: alij tamen apud Orig. ibidem, signanter *Dositheani*, tam mordicùs inhæserunt cortici litteræ, ut asseruerint, & multis persuaserint, *quòd unusquisque quo habitu, quo loco, quâ positione in die Sabbati fuerit inventus, ita usque ad vesperam debeat permanere: ut utrùm si sedens, sedeat totâ die; vel si jacens, totâ die jaceat* &c. Esseni denique, omnium superstitiosissimi, *nec alvum quidem Sabbato durante purgabant*, ut de eis refert Iosephus lib. 2. de Bello Iu- [Iosephus.] daico cap. 7. Ex quibus omnibus cernere licet quanta fuerit apud Iudæos opinionum varietas super intelligentia tertij illius præcepti Decalogi, quo præscribitur sanctificatio Sabbati. Apparet tamen Iudæorum Rabbinos plerunque propendisse in excessum rigoris potiùs, quàm laxitatis: cujus quidem excessivi rigoris memorabile exemplum re- [Vide Synesium Epist. 4 ad Evoptium.] fert in suis Epistolis Synesius Cyrenensis Episcopus, de quodam navarcho, gente ac superstitione Iudæo, qui prætextu observationis Sabbati seipsum cum nave & omnibus vectoribus præsentissimo naufragij periculo exposuit; nolens apponere manum clavo à vesperâ primâ Sabbati, usque ad exitum ejusdem legalis Festivitatis.

CCCXCVIII. Quemadmodùm antiquitùs præscripta fuerat observantia Sabbati in memoriam beneficij creationis, ita nunc præscribitur observantia diei Dominicæ in memoriam beneficii recreationis seu restauratio- [B D Thom. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 4.] nis: B. Observantia diei Dominicæ, inquit „ Divus Thomas, in novâ lege succedit ob„ servantiæ Sabbati, non ex vi præcepti legis,

 sed ex

"sed ex constitutione Ecclesiæ, & consuetudine populi Christiani". Neque verò huic surrogationi unius diei in alterius locum obstare potuit immutabilitas legis naturæ, per Decalogum propalatæ. Nam teste eodem Divo Thomâ ibidem in responsione ad 1. "Præceptum de sanctificatione Sabbati litteraliter intellectum, est partim morale, partim autem cæremoniale: morale quidem quantùm ad hoc, quòd homò deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum divinis: inest enim homini naturalis inclinatio ad hoc, quòd cuilibet rei necessariæ deputetur aliquod tempus, sicut corporali refectioni, somno, & alijs hujusmodi. Unde etiam spirituali refectioni, quâ mens hominis in Deo reficitur, secundùm dictamen naturalis rationis aliquod tempus deputat homo. Et sic habere aliquod tempus deputatum ad vacandum divinis, cadit sub præcepto morali: sed inquantùm in hoc præcepto determinatur speciale tempus in signum creationis Mundi, sic est præceptum cæremoniale". Qui rursùs 1.2.q.100 a.3. ad 2. ita in eandem rem scribit: "Præceptum de observatione Sabbati est secundùm aliquid morale, inquantùm scilicet per hoc præcipitur quòd homo aliquo tempore vacet rebus divinis, secundùm illud Psalmi, *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus*: & secundùm hoc inter præcepta Decalogi computatur, non autem quantùm ad taxationem temporis; quia secundùm hoc est cæremoniale". Porrò sicut in Veteri lege fuerunt multa alia Festa observari jussa præter Sabbatum, ita & in novâ præter Dominicam. Omnia interim Festa sive illius, sive hujus legis, hoc habent commune cum veteri Sabbato, quòd eorùm observatio sit lege naturali præcepta quoad substantiam, licèt jure duntaxat positivo sive divino, sive humano, quoad determinationē temporis, aut aliarum quarundam circumstantiarum. Nam ut ex D. Thomâ mox audivimus, *Habere aliquod tempus deputatū ad vacandū divinis, cadit sub præcepto morali*; tametsi istius temporis in particulari taxatio, sicut aliarum quarundam circumstantiarum determinatio, cadat sub præcepto duntaxat cæremoniali, sive divino, sive humano. Dixi, *sive divino, sive humano*: nam etiam tempore veteris Testamenti instituta fuêre varia Festa, non solùm à Deo in libris Moysaicis passim; sed ab Ecclesia quoque illius temporis, in memoriam specialium quorundam beneficiorum extra ordinem perceptorum: prout cernere licet Iudith 16. 31. & Esther 9. 29. & sequentibus, item Esther 10. 13. necnon 1. Machab. 4. 59. Unde meritò explodenda & exsibilanda est ista Lutheri in libro adversùs Catharinum insulsissima positio, *Duodecima facies Antichristi est festorum dierum observatio; cùm omnes dies sint liberi, & ad feriandum, & ad laborandum*. Neque enim minor est authoritas Christianæ Ecclesiæ, quàm fuerat veteris Synagogæ, quantùm ad sancienda ea quæ divinum cultum concernunt: prout inter Catholicos in confesso est. Quo supposito quæritur, quanta sit obligatio observandi Festa per Ecclesiam novæ legis indicta? Non desunt inter Neotericos laxitatum patronos, qui levem duntaxat obligationem agnoscant, secluso scandalo, ac contemptu: nam octavus Articulus inter septemdecim, quos anno 1653. Facultas Theologica Lovaniensis ad instantiam Archiepiscopi Mechliniensis reprobavit, erat iste: *Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus*. An autem sub veniali saltem obliget, seclusis scandalo & contemptu, author subticuit: atque ita fortassis reipsâ eam tenuit sententiam, quam hæreticis hujus temporis attribuit Cardinalis Bellarminus: c "Observatio, inquiens, certorum dierum festorum rectè præcipitur in Ecclesia, lege obligante conscientiam, etiam citra contemptum & scandalum. Hæc propositio est contra hæreticos hujus temporis". Probat hanc assertionem suam Bellarminus ibidem inferiùs, argumento planè consono eis quæ mox adduximus; "Iure divino præcipitur, inquiens, ut aliqui dies festi observentur: & tamen nulli sunt certi dies à jure divino determinati: Ergò debuit esse in Ecclesia potestas determinandi certos dies, & obligandi ad eorum observationem; quia alioquin non servaretur jus divinum". Porrò quemadmodùm obligatio observandi dies festos à Deo olim peculiariter determinatos fuit gravis & sub mortali, prout patet ex pœna lapidationis in violatores decreta juxta dicta §. præcedenti: ita similiter gravis censeri debet obligatio observandi dies festos, ab Ecclesia in locum veterum illorum Festorum surrogatos. Surrogatum enim sortitur naturam ejus, in cujus locum surrogatur: &, quemadmodùm ex Bernardo superiùs §. 301. memoravimus, *Sive Deus, sive homo vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obsequendum est curâ, pari reverentiâ deferendum*. Unde & Divus Thomas incunctanter asseverat, D "Leges humanitùs positas, si quidem justæ sint, habere vim obligandi in foro conscientiæ à lege æternâ, à quâ derivantur, secundùm illud Proverb. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt*". Addit prætereà idem ibidem in responsione ad 1. "Sicut Apostolus dicit ad Romanos 13. *Omnis Potestas humana à Deo est*: & ideò *qui Potestati resistit* in his quæ ad potestatis ordinem pertinent, *Dei ordinationi resistit*: & secundùm hoc

afficitur

Psal. 45. 11.

Luther.

c Scil. l. 3 de Sanct. Prop. 3.

Vide Tostum ... Dist. 1 q. 6.

Bernardus.

D. D. Tho. 1. 2. q. 96. a. 4. in corp.

Prov. 8. 15.

Rom. 13. 1. & 2.

efficitur reus quantùm ad conſcientiam". Efficitur utique reus culpæ, & quidem mortalis, quando materia fuerit tantæ gravitati proportionata. Unde & Apoſtolus ibidem continuò ſubtexit, *Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*. Rursùs ne quis putaret humanas leges obſervari debere non ad cavendum reatum culpæ, ſed duntaxat pœnæ, ſequitur ibidem diſtricta admonitio: *Neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*. Plura huc ſpectantia repeti poſſunt ex capite 78. & duobus ſequentibus, quibus obedientiam & obſervantiam terrenis Principibus ac Poteſtatibus impendendam aſtruximus: & à fortiori id habere locum in Eccleſiæ præceptis ſervandis oſtendimus: E. "*Qui Eccleſiam*, ait quidam, ſeu Eccleſiæ Prælatum, *non audierit*, jubetur *haberi ſicut ethnicus & publicanus*. Conſequens igitur eſt, quòd gravis peccati reus ſit. Accedit quòd ſententia communiter recepta, eaque proculdubiò CERTISSIMA eſt, fideles ſub peccati mortalis reatu obligari ad Miſſam Dominicis ac feſtis diebus audiendam, ad jejunandum in Quadrageſimâ & alijs diebus per Eccleſiam conſtitutis, ad confitendum ſemel in anno, & ad communicandum in Paſchate". Eandem quoque ſententiam tanquam *certam* tradit Caſtropalaus, licèt in compluribus alijs materijs alioqui laxitatum patronus: F. "Certa ſententia eſt, inquiens, tam legem Eccleſiaſticam, quàm Civilem, habere vim & efficaciam obligandi ſubditos in conſcientia, ita ut tranſgreſſores illarum peccent mortaliter. Sic omnes Expoſitores cum D. Thoma 1. 2. quæſt. 96. art. 4. Caſtro lib. 1. de lege pœnali cap. 4. & 5. Navarrus Summæ cap. 23. num. 54. Suarez lib. 3. de legibus cap. 21. nu. 6. & lib. 4. cap. 17. Azorius Tomo 1. lib. 1. cap. 6. quæſt. 1. 2. & 3. Salas de legibus Diſp. 10. Sect. 1. n. 6. Bonacina Diſput. 1. quæſt. 1. p. 7. nu. 1. Vaſquez in 1. 2. Diſput. 158. cap. 2. & 4. Sayrus lib. 3. cap. 4. & 7. Valentia Tomo 2. Diſp. 7. quæſt. 5 p. 6. Reginaldus Summæ lib. 13. nu. 174. Molina alios referens de Hiſpanorum Primogenijs lib. 2. cap. 1. n. 7. & alij plures ab ijſdem relati. Et videtur concluſio definita à Paulo Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*: & taliter ſubdita, ut *Si poteſtati reſiſtat, Dei ordinationi reſiſtat*. Sed qui Dei ordinationi reſiſtit, peccat, & *ſibi damnationem acquirit*". Nullo igitur pacto audiendus, ſed omnimodis repellendus fuerit quiſquis prædicare præſumpſit, *Præceptum ſervandi feſta non obligare ſub mortali, ſeposito ſcandalo, ſi abſit contemptus*: utique formalis, ſiquidem virtualis ſeu interpretativus contemptus in ipſa præcepti tranſgreſſione imbibitur. Cum eodem quoque repellendus ab auribus fuerit Tamburinus, quatenùs generaliùs aſſerit, G. "*Leges civiles de facto, vel rarò, vel nunquam non frequenter obligare ſub mortali: Eccleſiaſticas item non multùm frequenter*".

Rom. 13. Vide Synod. Trid. Seſſ. 6. Can. 20.

E Sylvius in 1. 2. q. 96. art. 4. q. 2. Vide eund. 2. 2. q. 33. a. 4. q. 1. Mat. 18. 17.

F Caſtropal. To. 1. Tract. 3. Diſp. 1. p. 14. n. 2.

D. Thomas. Caſtro. Navarrus. Suarez. Azorius. Salas. Bonacina. Vaſquez. Sayrus. Valentia. Reginaldus. Molina.

G. Tambur. in Decal. l. 1. cap. 3 §. 3. n. 12.

CCCXCIX. Diximus jam ſuperiori §. præceptum *ſanctificandi Sabbatum* partim eſſe morale, partim cæremoniale: & ſub priori quidem conſideratione perpetuam univerſis rationis uſu pollentibus obligationem injicit, licèt ſub poſteriori conſideratione mutabilitati ſubjaceat. De eo ſub præſenti Eccleſiæ ſtatu ſic diſſerit Tamburinus: H. "Per ſanctificationem ſeu obſervationem Sabbati præcipitur obſervatio feſtorum, quæ nunc propria ſunt populi Chriſtiani. Ejuſmodi autem obſervatio conſiſtit, ex Cajetano, in tribus: in Miſſæ auditione, in abſtinentiâ ab operibus ſervilibus, in abſtinentiâ quorundam operum forenſium. Addo & quartum, in obſervatione jejuniorum, quæ inſtituta ſunt certis diebus in honorem Chriſti, & Sanctorum. Primum ex his eſt præceptum poſitivum, ſecundum & tertium negativum, quartum alij poſitivum, alij probabiliùs negativum eſſe contendunt". Videamus inprimis de auditione Miſſe quid laxitatum patroni cenſeant, & qualiter hâc in re præceptum *ſanctificandi Sabbatum* evigorent. Inter Articulos per Facultatem Theologicam Lovanienſem anno 1657. ad inſtantiam Epiſcopi Gandavenſis reprobatos iſte eſt ordine decimus ſeptimus: *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas eius partes, imò quatuor, ſimul à diverſis celebrantibus audit*. Cenſura per Facultatem inuſta, fuit iſta, *Falſa eſt & præceptorum Eccleſiæ eluſiva: nec maiorem habet apparentiam de quatuor Sacri partibus, quàm de viginti*. Ubi obiter notandum patronos laxitatum pedetentim proceſſiſſe in pejus: Cùm enim pridem aliqui docuiſſent ſatisfieri præcepto audiendi Miſſam, auditione ſucceſſivâ duarum medietatum diverſarum Miſſarum, etiam ordine inverſo; alij inde ſubinſerebant ſatisfieri eidem præcepto, auditione ſimultaneâ duarum medietatum diverſarum Miſſarum: ac demùm alij longiùs progreſſi contenderunt ſatisfieri eidem præcepto, auditione etiam ſimultaneâ trium vel quatuor partium diverſarum Miſſarum. Cæterùm cùm per eandem progreſſionis regulam conſequens foret ſatisfieri eidem præcepto, auditione ſimultaneâ viginti vel etiam quadraginta partium totidem reſpectivè Miſſarum diverſarum, rectiſſimè Facultas Theologica ex notoriâ falſitate hujus ultimi conſequentis, arguit falſitatem Articuli illud inferentis. Quæ ſanè argutio adeò

H Idem in Præfat. libri 4. ibid. Vide Cajet. in ſumma, verbo Feſtorum violatio.

Facultas. Lovan.

est manifesta, ut nec ipsos quidem nasutiores laxitatum patronos latuerit: qui proinde maluerunt negare primum antecedens, quàm admittere ultimum consequens. Exemplo sit Tamburinus, qui cùm alicubi dixisset:

I. Tambur. l. 4. c. 2. §. 2. n. 10.

[I.] Qui mediam Missam, verbi gratiâ, post
,, consecrationem usque ad finem, audit ab
,, uno Sacerdote, audiendo posteà eàdem die
,, ab alio aliam mediam, hoc est, ab initio
,, usque ad consecrationem, præcepto satis-
,, facere, saltem propter authoritatem ex-
,, trinsecam multorum id asserentium, *probabile est*": statim animadversâ consequentis inferendi insulsitate subjunxit: " Sed in ri-
,, gore veram autumo contrariam sententiam:
,, quia ex duabus partibus nequaquam con-
,, flatur unum sacrificium, cui interesse iubet
,, Ecclesia. Adde & absurdum, quod ex
,, priore opinione consequitur: nam sic posset
,, quis simul ab uno Sacerdote dimidiam
,, Missam audire, & ab alio celebrante, eâ-
,, dem horâ in vicino altari aliam dimidiam,
,, & hoc pacto satisfacere: cùm ad utrumque
,, Sacerdotem præsentia moralis haberi possit.
,, Quod certè, quicquid sentiant alii, Suarez
,, meritò reputat absurdum: quia sic posses
,, à tribus vel quatuor Sacerdotibus, simul in
,, vicinis altaribus Missas celebrantibus, va-
,, rias partes Missæ audire, & satisfacere: &
,, in officio à sex recitantibus, sex diversas
,, lectiones simul audire, & satisfacere; cùm
,, præsentia moralis ad omnes jam habeatur".

At verò cùm absurdum non sequatur nisi ex absurdo, nullum autem probabile durante probabilitate reputari debeat absurdum: mirum sanè apparet quomodò hic author uno eodemque contextu antecedens fateatur *esse probabile*, & consequens asserat *meritò reputari absurdum*. Nec refert quòd antecedenti nonnisi extrinsecam attribuat probabilitatem. Nam absurditas repugnat omni probabilitati sive extrinsecæ sive intrinsecæ, ita ut nemini liceat reputare probabile, quod ipsemet asserit esse absurdum. Accedit quòd idem hic author superiùs §. 352. relatus scripserit, *Dum probabilitate, sive intrinsecâ sive EXTRINSECA, quantùmvis tenui modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Prudenter ergo agit, secundùm ipsum, qui extrinsecâ probabilitate istius sententiæ confisus, contentat se auditione unius velut Missæ, ex diversarum Missarum partibus conflatæ. Cùm ergo, iuxta eundem ipsum, hoc *meritò reputetur absurdum*, quid aliud hinc sequitur, quàm eum prudenter agere qui agit absurdè, ipsamque prudentiam esse absurdam? Quantò ergo satiùs author iste eam sententiam non probabilem dixisset, sed absurdam, ex quâ juxta ipsum elicitur consequens absurdum? Sed nimirùm voluit unâ eâdemque operâ & ferventioribus Christianis ingerere veritatem, & tepidioribus indulgere securam laxitatem. Sed audiamus eundem alibi in hac ipsâ materiâ laxioribus indulgentem, vel potiùs ut præ se fert, scrupulosioribus medentem, quibus suggerit ut persuasum habeant, [K.] In

K. Idem l. 2. cap. 1. §. 8. n. 14.

,, audiendo Missam de præcepto, vel recitan-
,, dis horis ex obligatione, satis esse attentio-
,, nem externam: undè posse quemlibet voluntariè distrahi". Quám assertionem à Sylvestro pridem traditam Cabezudus jure meritò *falsissimam & prorsùs improbabilem* appellat:

L. Cabezudus p. q. 71. a. 1. Dub. 2.

[L.] Notandum, ait ille, quòd Sylvester ver-
,, bo *Missa* 2. q. 6. docet non esse necessariam
,, attentionem interiorem ad implendum hoc
,, præceptum, sed exteriorem tantùm, id est,
,, quòd homo sit ibi præsens, & non sit occu-
,, patus in aliqua alia re. Et probat, quia Ec-
,, clesia non potest præcipere actum interio-
,, rem, non enim habet potestatem nisi super
,, exteriora. Sed istud præceptum est Eccle-
,, siasticum: Ergo non obligat ad actũ interio-
,, rem. Hæc tamen sententia *falsissima est & prorsùs improbabilis*: nam Ecclesia præcipit istum
,, actum, ut sit in virtute Religionis: sed sine
,, attentione interiori non est actus Religio-
,, nis: Ergo neque adimpletur præceptum.
,, Ad argumentum ergò in oppositum respon-
,, detur, quòd Ecclesia præcipit actum exterio-
,, rem secundùm quòd est bonus: unde con-
,, sequenter præcipit etiam actum interiorem
,, quotiescunque ille est necessarius ut actus
,, exterior sit bonus. Itaque per se loquendo
,, tantùm præcipit & habet potestatem super
,, actus exteriores, super actum verò interio-
,, rem ratione actûs exterioris, inquantùm est
,, forma illius: quemadmodùm ponitur præ-
,, ceptum Inquisitoribus, & excommunica-
,, tionis pœna, ut non procedant contra aliquem ex odio". Accedit præterea quòd Ecclesia præcipiendo auditionem Missæ in die festivo, determinet duntaxat præceptum naturale sanctificandi Sabbatum, prout §. præcedenti visum. Quapropter suppositâ istâ Ecclesiæ determinatione lex naturalis jubens sanctificari Sabbatum subintrat, & vim suam exerit. Unde cùm lex naturalis indubitanter obliget ad attentionem interiorem, consequens omninò est eos non satisfacere legi Ecclesiasticæ eam determinanti, siquando desit attentio interior. Simile quidpiam cernere licet in præcepto legendi horas Canonicas, quo determinatur naturale sive divinum præceptum orandi: & idcircò Ecclesia præcipiendo eam lectionem, etiam modum virtutis ex lege naturali requisitum expressit, mandans eam fieri, [M.] *Studiosè pariter & devotè.* Similiter quia jure divino præcepta est confessio peccatorum, & sumptio Eucharistiæ; Ecclesia determinando tempus implendi præcepta eò spectan-

M. Cap. Dolentes de celebrat. Missarum.

ſpectantia, etiam modum virtutis expreſſit, mandans confeſſionem quotannis fieri N. *fideliter*, & Euchariſtiam ſuſcipi *reverenter*. Voluit enim filios ſuos reddere immunes à fulmine maledictionis iſtius Propheticæ, *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter*. Noluit eoſdem imitari Phariſæos, quibus Chriſtus indignabundus aiebat: *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Iſaias, dicens, Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me*. Non ignoravit illud quod unus quiſpiam è filiorum ſuorum numero ait: O Quis magis impius, „ an profitens impietatem, an mentiens ſanc-„ titatem? Nonne is, qui etiam mendacium audens, geminat impietatem"? Nunquid ſanctitatem mentitur, adeoque impietatem geminat, qui Miſſæ ſacrificio aſſiſtit exteriùs devotus, ſed interiùs voluntariè diſtractus? P. Labia doloſa inquit Auguſtinus, ſi in ho-„ minum quibuſcunque ſermonibus ſunt, ſaltem in orationibus non ſint". Sed de hoc nunc ſatis: quia ſuperſunt aliæ etiam ejuſdem Tamburini ſuper Miſſæ auditione laxitates: ut inprimis illa, quâ cenſet ſatisfieri præcepto auditionis Miſſæ, etiamſi quis non interſit conſecrationi: Q Quia poteſt, inquit, „ adhærere opinioni aſſerenti ſacrificij eſſen-„ tiam in communione conſiſtere, atque adeò non eſt dicendus omiſiſſe ſacrificium". Deinde illa, quâ cenſet ibidem n. 7. " Miſſam „ omitti poſſe ſine culpa in die feſto, prop-„ ter lucrum quod tunc ceſſaret ſi quis Miſſæ adeſſet". Quâ ſententiâ nihil gratius audire poſſunt avari mercatores lucris avidè ſemper inhiantes, & ſpem lucri nunquam non prætexturi. Tertiò illa, quâ ibidem inferiùs §. 3. o. 9. affirmat, prævisionem carentiæ Miſſæ non obſtare quo minùs quis proficiſcatur venatum ad locum deſertum, ubi ob penuriam Sacerdotis nequibit die feſto Miſſam audire. Quæ laxitas non minùs eſt grata venatoribus, quàm proximè præcedens mercatoribus. Habent quippè venatores inde bina commoda, quia in diebus feſtivis & venari inculpatè ſinuntur, & ab obligatione audiendi Miſſam eximuntur; dummodò ad manum ibi non ſit qui Miſſam celebret. Dicet fortè Tamburinus ſe eam ſententiam nequaquàm tradere, ſed duorum aliorum, ſententias & quidem diſſidentes referre. Verùm cùm apertè aſſerat *utrumque Patrem probabiliter eſſe locutum*, conſequenter ad ſua principia agnoſcit utramque ſententiam in praxi eſſe ſecuram.

N Cap. Omnis utriuſque ſexus, de Pœnit. & Remiſſ.

Hier. 48. 10.

Ma. 15. 7. & 8.

O. Bernard. in Apolog. ad Guilliel. Abbatem.

P. Auguſt. Epiſt. 107.

Q. Tambur. lib. 4. c. 2. §. 1. n. 3.

PRAEOCCVPATIO.

CAPVT. CVII.

Ad Sabbati sanctificationem spectat non solùm Missæ auditio, sed prætereà ab opere servili & strepitu judiciali feriatio. Sylvestri Papæ Constitutio pro jugi feriatione Cleri. Feria idem sonat quod Sabbatum, *&* Feriatio *quod* Sabbatizatio. *Feriarum popularium à clericalibus discretio. Caramuel omnes & solas Dominicas festivari cuperet; & quidem pro tempore duntaxat antemeridiano. Puellis, atque etiam Mechanicis, indulget festorum violationem, ad vitandum otium, propter pericula inde impendentia. Tamburinus eximit Barbitonsores, Pictores, atque etiam Sutores; quin & omnes extraordinarij lucri aucupatores. Annuit & heris ut per servos ethnicos, & per jumenta, laborent in Festis: imò per Christianos servos, absque culpa saltem mortali, dummodò nemo unus ultra biborium in festo laboret, quamvis turba integrum occupet diem. Iejunia Ecclesiastica præparationes sunt ad festa. Recensentur varij hæretici jejunijs Ecclesiasticis infesti. Exhibentur & bini laxorum Ethicorum Articuli, à Scholâ Lovaniensi ad instantiam Episcopi Gandensis censurati. Tamburino probabile, est nullos omninò Artifices obligari ad jejunia. Quid de conjugatis, item de Religiosis choro addictis censeat Caramuel? Frustrà hic tentat abjungi à suo Dianâ, quem alibi profitetur se sequi quòcunque ierit. Ad Sabbati sanctificationem reducitur Horarum Canonicarum Lectio, necnon rerum divino cultui consecratarum veneratio: quarum obligatio à novis Casuistis multifariè laxatur & luxatur.*

CD. AD Sabbati sanctificationem spectat non solùm prætacta Missæ auditio, sed prætereà à servilibus operibus & forensi strepitu feriatio. In veteri lege, signanter Levitici 23. ipsa Festa illius temporis aliquoties appellantur *Feria*, & in sacrâ Machabæorum historiâ legitur de Apollonio, quòd
2. Mach. 5. 25. *cùm venisset Hierosolymam, pacem simulans, quievit usque ad diem sanctum Sabbati: & tunc FERIATIS Iudæis, arma capere suis præcepit.* Ubi quod dictum est, *feriatis*, perinde sonat ac si diceretur, otiantibus, vacantibus, à servili opere abstinentibus. De Papa Sylvestro legitur, quòd
R. Breviar. Roman. die 31. Decemb. „ R. *Sabbati* & *Dominici Diei* nomine retento, reliquos hebdomadæ dies, *feriarum* nomine „ distinctos, ut jam antè in Ecclesia vocari „ cœperant, appellari voluerit: quo significaretur, quotidie Clericos, abjectâ cæterarum rerum curâ, uni Deo vacare debere". Sed hæc feriandi ratio solos concernit Clericos, divino servitio peculiariter præ cæteris mancipatos. Hinc Beda ad eandem Clericorum feriationem respiciens: S. *Ferias* habere
S. Beda lib. de Ratione tempor. c. 6. „ Clerum, inquit, primus Papa Sylvester edo„ cuit: cui, soli Deo vacanti, nunquam militiam vel negotiationem liceat exercere mundanam, dicente Psalmographo, *Vacate,* Vide lib. de Temporib. cap. 4. Psal. 45. 11.
„ *& videte, quoniam ego sum Deus:* itemque Apostolo, *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus.* Et primum quidem diem, quo & 2. Tim. 2. 4.
„ lux in principio facta, & Christi est resurrectio celebrata, *Dominicum* nuncupavit, „ quod illi nomen jam primis Ecclesiæ temporibus inditum fuisse testatur Ioannes, qui dicit in Apocalypsi, *Fui in spiritu in die Dominico.* Deinde secundam feriam, tertiam se- Apoc. c. 1.
„ riam, quartam, quintam, & sextam de suo „ annectens, *Sabbatum* ex veteri Scripturâ retinuit; nihil veritus Grammaticorum ferulas, qui sicut *Kalendas*, *Nonas*, & *Idus*, ita & „ *Ferias* plurali tantùm numero proferendas esse decernunt". Iuxta hanc Sylvestri ordinationem prima feria est ipse dies Dominicus; alioquin enim si ipse non computaretur in ferijs, posterus dies non debuisset dici *feria secunda*, sed prima: quid enim aliud est *feria secunda*, nisi feria proximè succedens feriæ primæ? Ipsa ergo Dominica, resurrectioni Dominicæ consecrata, prima est feria, cui proximè succedit Vide Durand. in Ration. lib. 7. c. 1. & Covar. lib. Var. 6. 1.

succedit illa dies, quæ in ordine feriarum appellatur *secunda*. Nec opus fuit ut septimus dies, abjecto pristino *Sabbati* nomine, novum *Feriæ* nomen assumeret; quia pristinum ipsum eandem importat vacationem, quam nomen *Feriæ*. Unde quod scriptum est, *Sabbatizavit populus die septimo*, perinde sonat ac *Feriatus est populus die septimo*, sive ut Chaldæus Paraphrastes expressit, *Quievit populus die septimo*: sic enim & ipsa Scriptura interpretatur *Sabbati* vocabulum, cùm ait: *Erit Sabbatum, id est, requies*: quâ voce nihil aliud importatur quàm feriatio. Unde & ibidem præmissum fuerat, *Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis celeberrimas atque sanctissimas*. Voluit ergo Sylvester Clericos totâ septimanâ feriari, quantum ad servilia & forensia opera, idque ut divino obsequio expeditè incumberent. Interest tamen inter primam feriam, & reliquas, quòd primæ feriæ sanctificatio totum populum cum Clero concernat. reliquorum verò dierum feriatio Clericis sit propria, seclusâ occurrentiâ aliarum Festivitatum. Unde Rabanus de Sylvestro loquens: [T] Statuit, inquit, ut otium Sabbati „magis in diem Dominicum transferretur, ut „eâ die à terrenis operibus ad laudandum „Deum vacaremus, juxta illud quod scrip„tum est, *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus*" Quemadmodùm igitur in veteri lege non soli Sacerdotes & Levitæ, sed totus quoque populus feriari debuit diebus sabbatinis, ita in nova lege, translato Sabbato in Dominicam, feriari eâ die debent non solùm Clerici, sed etiam Laici. Unde in concilio Lugdunensi decernitur, [V] Pronuntiandum Lai„cis, ut sciant tempora feriandi per annum, „id est, omnem Dominicam à vespera usque „ad vesperam, ne Iudaismo capiantur. Ferian„di verò per annum sunt isti dies, Natalis „Domini, Sancti Stephani, Sancti Ioannis Evangelistæ &c". Et in Synodo Compendiensi scriptum est, [W] Omnes dies Domini„cos à vesperâ in vesperam, cum omni ve„neratione decernimus observari, & ab om„ni illicito opere abstinere: ut in eis merca„tum minimè fiat, neque placitum; neque „aliquis ad mortem, vel ad pœnam judice„tur: nec Sacramenta, nisi pro pace vel aliâ necessitate, præstentur". Est quoque sub eodem titulo *de Feriis*, Rescriptum Alexand. III. ad Episcopum Triburiensem, ubi perhibet, [X] Tam veteris quàm novi Testamenti pa„ginam septimum diem ad humanam quie„tem specialiter deputasse: & tam eum, quàm „alios dies Majestati Altissimi deputatos, „necnon natalitia Sanctorum Martyrum, Ec„clesiam decrevisse observanda, & in eis ab omni opere servili cessandum". Profitetur tamen Caramuel, [Y] *Se desiderare omnes & soles dies Dominicos festos esse, & vix alios*. Rursùs ibidem inferiùs n. 1440. satis innuit se propendere in eorum placitum, *Qui desiderant ipsas etiam Dominicas à meridie esse liberas*. Prætereà ibidem n. 1441. cum retulisset sententiam cujusdam neoterici, asserentis puellas excusari ratione pietatis, in die festo suentes, vel aliud opus facientes, ad vitandum otium, ne ad fenestras se conspiciendas exhibeant: inde ipse pro se subinfert, "*Ergo, si puellæ piè possunt operari die festo ad vitandum otium, & ne garriant, aut se conspiciendas exhibeant; poterunt etiam rustici & mechanici, ad vitandum otium, & ne ludendo aut potitando, pejerandi, blasphemandi, aut rixandi se exponant manifesto periculo: dummodo id fiat clam, domique, ad vitandum scandalum*". Sed quid de Festorum observatione Tamburinus? Excusat planè ille Barbitonsores, atque etiam Sutores à violatione Festorum, titulo signanter lucri cessantis: [Z] Si enim, inquit, Barbiton„sor diebus festis neget suis parochianis suum „laborem, facilè à plerisque relinquetur, cum „notabili lucri jacturâ. Quæ ratio militat „etiam pro Sutoribus, qui nisi calceos novos „suis parochianis imponant, ab ipsis facili negotio derelinquentur". Quinimò ibidem superiùs n. 8. censet generaliter excusari quoscunque artifices die festo laborantes, spe notabilis lucri, modò tamen non sit ordinarium. Rursùs superiùs §. 1. n. 8. "Arridet mihi, „inquit, sententia Layman, qui cum dixisset „Pictores contendere suam artem unam esse „ex liberalibus, concludit, esse probabile, „pingere sine magno apparatu licere die festivo". Ibidem quoque inferiùs tametsi n. 16. contendat non licere domino Christiano injungere opera servilia suis servis ethnicis in diebus festivis; subdit tamen n. 17. "Quo„niam verò scio, Paulum Layman docere, „perpetuò amentibus fas esse opera servilia „diebus festivis imponere; quare idem con„cessurus esset propter parem, imò maiorem „rationem, infidelibus, ut in terminis idem „docet Diana: ideò non improbabilis est ea sententia". Si autem *non improbabilis*, proculdubiò juxta Tamburini Maximas, §. 352. relatas, in praxi omninò tuta ac secura; imò & sine ullo scrupulo amplexibilis. Fatetur tamen idem author ibidem n. 16. prohibitionem operum servilium in festis Christianorum, fundari in tertio decalogi præcepto: quod est naturale quoad substantiam, atque ita spectatum obligat indifferenter omnes homines usu rationis præditos, sive fideles sint, sive infideles, sive liberi, sive servi. Quandonam igitur servi illi infideles, quibus injunguntur opera servilia diebus festivis, satisfacere poterunt obligationi naturali vacandi Deo? An fortè diebus non festivis? Sed qui laborem eis injungit in diebus festivis, nunquid quietem indulturus est in non festivis?

Non

Exod 16. 30.
Levit. 23. 32.
Ibid. v. 27.
T Raban. lib. 1. de Instit. Cler. c. 40.
V Cap. Pronunciandum, de consecr. Dist. 3.
W Cap Omnes, de Feriis
X Cap. Licet, ibid.
Y Caram. in Theolog. fundam. n. 1438. edit. Lugdun.
Z. Tambur. l. 4 in Decalog c. 1. §. 2. n. 13.

Non utique, sed coget eos jugiter laborare, sequens aliam illam Tamburini Maximam §. 384. & 386. discussam, *Nunquam praeceptum aliquod obligat, nisi sit determinatum: cùm enim non possit ut indeterminatum exire in executionẽ, non censetur practicè esse completum.* Unde cùm praeceptum observandi Festa, quatenùs morale est, non sit determinatum, consequens erit ut nunquam obliget illos infideles qui Ecclesiæ

Vide suprà § 384 & 386.

legibus non subsunt. Cur enim non liceat idipsum de hoc praecepto sentire, quod de praeceptis credendi, sperandi, diligendi, orandi, adorandi docetur? Sed mirum est non advertisse Tamburinum quomodò ex praedictâ suâ positione consectarium sit, duriorem esse conditionem hujusmodi servorum nunc, quàm fuerit olim conditio non dico mancipiorum, sed & jumentorum. Olim quippe

Deut. 5. 14.

Lex divina dicebat, *Septimus dies Sabbati est, id est, requies Domini Dei tui: non facies in ea quidquam operis tu, & filius tuus, & filia, servus & ancilla, & bos, & asinus, & omne jumentum tuum, & peregrinus qui est intra portas tuas: ut requiescat servus tuus, & ancilla tua, sicut & tu.* Verùm omissis servis infidelibus, videamus quid Tamburi-

A. Tambur. lib. 4. c. 1 §. 2. n. 3.

nus censeat etiam de fidelibus: [A] Per duas „ horas, inquit, vacare servilibus non esse mor„ tale, est jam nostrâ ætate recepta sententia: „ quia modicum tempus judicatur duarum ho„ rarum spatium, comparatione viginti quatuor horarum". Sed quid si herus quispiam habens duodecim servos injungat eis laborem integri diei, assignando singulis duas horas successivè ac divisivè? Nec hunc nec illos Tamburinus reputat mortalis culpæ reos: quia, ut ibidem n. 2. subdit, " Notat Sanches „ non esse mortale, singulis Festis per duas „ operari horas, quamvis animo fixum teneas „ id toto anno efficere velle, & de facto effi„ cias. Ratio est, quia unius dies festus non „ adnectitur cum alio ad hujus materiæ gravi„ tatem efformandam. Non absimili modo „ advertit Bonacina; dominum injungentem „ laborem duarum horarum viginti famulis „ simul, non peccaturum mortaliter: quia „ unius opus nequaquàm unitur cum opere „ alterius. Idemque erit si singuli successivè „ per modicam moram in eodem die laborent, „ etiamsi uno post alterum laborante totus „ dies occupetur: quia pari modo unius opus cum alio non connectitur". Sed cùm juxta veridicam Augustini doctrinam, Saulus Ste-

Vide Aug. de Serm. 14 Sanctis.

phanum eorum omnium manibus lapidasse censeatur, quorum vestimenta servabat ut expeditiùs lapidarent: quis non videat potiori ratione herum illum toto die festo serviliter laborare, cujus jussu tot famuli, divisis inter se horis, toto die serviliter laborant? Neque enim minùs, sed longè profectò magis cooperatur operantibus, qui herili auctoritate laborem indicit, quàm qui laborantium vestimenta custodit, vel alia expeditè laborandi impedimenta duntaxat removet. Etenim inter cooperandi modos primò omnium recensetur *jussio*, etiam apud ipsum Tamburinum lib. 8. Tract. 4. cap. 2. n. 1. Praetereà si quis mandaret diversis famulis modicum quid furari è singulis templis unius provinciæ vel regni, proculdubiò peccaret mortaliter non solùm in genere furti, sed & sacrilegij, si modò illa minuta singulorum furta notabilem quantitatem sacrilegè per partes surreptam conflarent. Cur ergo non peccet mortaliter qui similiter diversis famulis injungit ut singuli modicam partem temporis Deo consecrati profanent, quando omnes illæ partes in unum collectæ notabile temporis sacri spatium conflant? Sicut enim res permanentes subtrahuntur profanis usibus, & deputantur divino cultui, per ritualem consecrationem: ita & tempus, per Festivitatis indictionem.

CDI. Ad Sabbati praetereà sanctificationem Tamburinus §. 399. relatus reducit jejuniorum observationem; Caramuel insuper addit Horarum Canonicarum lectionem: [B] Coluntur dies, inquiens, cessatione à

B. Caram. in Theolog. Fondam. n 1357 edit. Lugd. Vide ibid. n. 1444.

„ servili labore; coluntur auditione Missæ, „ & horarum lectione; coluntur etiam abstinentiâ, & jejunio". Ratio esse potest, quia tametsi plerunque non in ipsis Festis jejunia celebrentur, sed eis praemittantur, eorum tamen praemissio est quaedam Festorum condignè celebrandorum praeparatio. Hoc enim sunt pridiana jejunia ad alia Festa; quod Quadragesimale ad Pascha: de quo ait Leo Papa, [C] Cùm ad istos recurritur dies, quos spe-

C. Leo Ser. 4. de Quadragesima c. 1.

„ cialiùs reparationis humanæ Sacramenta „ signarunt, & qui vicino ordine atque con„ tiguo Festum Paschale praecedunt, diligen„ tiùs nobis praeparatio religiosæ purificationis indicitur". Ubi quadragesimale jejunium vocat *Religiosæ purificationis praeparationem*: de qua item superiùs ibidem Serm. 1. cap. 2. praemiserat: " Hæc praeparatio licèt omni „ tempore salubriter assumatur, ut pervigiles „ hostes incessabili superentur industriâ; nunc „ tamen sollicitiùs expetenda est, & studio„ siùs instruenda, quando & ipsi subtilissimi „ adversarij acriori insidiantur astutiâ. Scien„ tes enim agere nos sacratissimos Quadrage„ simæ dies, in quorum observantiâ omnes „ praeteritæ desidiæ castigantur, omnes ne„ gligentiæ diluuntur; ad hoc totam vim suæ „ malignitatis intendunt, ut celebraturi Sanc„ tum Pascha Domini, in aliquo inveniamur „ indigni: & unde nobis obtinenda erat propitiatio, inde contrahatur offensio". Malignis spiritibus hâc in re famulati sunt quidam haeretici tam veteres quàm recentiores,

jejunio-

jejuniorum Ecclesiasticorum impugnatores: Aeriani. ut *Aeriani* apud Epiphanium Heresi 75. & apud Augustinum Heresi 53. item, Iovinianaistæ *Iovinianista* apud Hieronymum lib. 1. adversùs Iovinianum c. 2. & apud Augustinum Heresi 82. item Vigilantiani *Vigilantiani* apud Hieronymum lib. adversùs Vigilantium c. 1. item Eustathiani *Eustathiani* apud Socratem lib. 2. Historiæ Eccles. c. 43. item Massaliani *Massaliani* apud Damascenum lib. de Heresibus; item Agapetæ. Vvaldenses *Agapetæ* apud Hieronymum Epist. 22. c. 5. item Beguardi. Beguinæ. Sectarii. *VValdenses* apud Reinerum in libro adversùs ipsos c. 5. item *Beguardi*, & *beguinæ*, Clementinâ, *Ad nostrum*, de Hæreticis; denique, Lutherus. *Sectarij* passim omnes horum temporum, quorum antesignanus Martinus Lutherus, in peculiari tractatu quem *de vitandis hominum doctrinis* inscripsit, ita loquitur: *Erroneum est, & plenum mendacijs, quòd certis temporibus anni, vigilijs Apostolorũ, & aliorum Sanctorum, ieiunij necessitatẽ imponũt sub gravi peccato, tanquam Ecclesiæ Decreto & Mandato. Nam ieiunia, quòd ad dies & cibos attinet, libera & adiaphora in perpetuum esse debent.* Ceterùm quãvis Catholici omnes unanimiter profiteantur, Ecclesiam rectissimè ac saluberrimè instituisse atque indixisse jejunia & abstinentias, quibus tanquam idoneis medijs Deus, ut in Prefatione Quadragesimali solenniter canitur, *Vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur & præmia*: quidam tamen eorum non ita pridem, ausi sunt maximam laxitatem hac in re invehere, & licentiosam victitandi methodum propalare. Inter Articulos à Schola Lovaniensi ad instantiam Episcopi Gandavensis an. 1657. reprobatos iste est ordine vigesimus secundus: *Qui dormire nequit nisi vesperi sumpta cæna, nõ tenetur ieiunare; imò neque in prandio collationẽ sumere, quamvis hoc modo isti incommodo obviare posset; quia nemo tenetur pervertere ordinem refectionum.* Rursùs vigesimus tertius eorumdẽ Articulorum est iste: *Defessus ex quocunq; labore licito vel illicito, v. g. cum fæminæ commixtione, liberatur à lege ieiunij.* Escobar. Uterq; Articulus videtur desumptus ex Theologiâ Morali P. Antonij de Escobar, prior quidem ex Examine XIII. cap. 3. n. 67. posterior ex capite proximè præcedenti n. 23. Pro priori citat ille ibid. Filliucium, pro posteriori nemi- Tamburin. nem. Utrique favere videtur Tamburin. l. 4. c. 5. §. 7. partim n. 14. partim inferiùs n. 30. & 32. Idem quoque Tamburin. ibid. n. 28. generaliter asserit, *Propter authoritatem Doctorum esse probabile nullos artifices obligari ad ieiunia.* Sed quid de cojugatis, etiam non artificibus? Respondet ipse ibid. n. 37. liberari eos ab obligatione jejunij, quando illud servando nequeunt invicem reddere debitum conjugale. Addit præterea ibidem: *Quod si precibus, aliove modo posset coniunx removere alterũ à petendo debitũ, adhuc tamen nõ teneretur uti hoc remedio: atq; adeo posset non ieiunare, & sic reddere.* Subdit insuper ibidem n. 41. *Illud approbo, si advertat coniunx periculũ incontinentiæ in alio, posse petere debitũ, etiamsi ut petat opus sit ieiunium frangere.* Disputat prolixè Caramuel in suâ Theologiâ Fundamentali n. 1537. & 1538. *Verùm coniuges ieiunare teneantur?* Caramuel. Et sub eâ quæstione subinquirit, *An usus matrimonij sit causa sufficiens ad omittenda ieiunia?* Subditque rationem dubitandi hanc pro parte affirmativâ: *Nam Sutores, Sartores, Barbitonsores, & alij mechanici solent à ieiunio excusari: cũ tamen certum sit magis debilitari hominem, Venerẽ exercendo, quàm suendo, sarciendo, tondendo.* Et quidem in priori editione, ubi quæstio ista ventilatur n. 1126. & alia eòdem spectans n. 1127. nulla prorsùs subditur decisio, sed loco decisionis substituitur hæc clausula: *Hos ego casus duos viris doctis decidendos propono. Si respondeant severè; repetam, an tantùm probabiliter stringant? Qui enim probabiliter stringit, ipsissimus probabiliter laxat. Si dicant severam certam, benignam improbabilem esse, debebunt hanc ipsam improbabilitatem demonstrativè persuadere: non enim improbabilitas alicuius sententiæ probabiliter potest probari. Si benignã esse certam aut probabilem dicant, volo scire, qui sint in Mundo, qui debeant ieiunare? Sutores, Sartores, Barbitonsores, Fossores, Ferrarij, & similes; Prædicatores, Lectores, Confessarij, &c. Advocati, Procuratores, Scriptores &c. etiam Musici, iter agentes, Prægnantes, & Lactantes. Qui ergo manent? Sanè otiosi, qui nullum munus habent. At isti omnes, aut ferè, coniugati sunt. Quem igitur tenet ieiunij Ecclesiastici lex, si etiam coniugati excusantur?* Hæc ille in priori editione, ex personâ propriâ; sed in Romanâ editione alienam induit personam, inducens alium quasi proponentem, ut videatur non loqui ex proprio sensu: ubi & hanc subdit decisionem de suo, sed admodùm jejunam: *Respondeo nihilominus, coniugatos hoc solo nomine non excusari.* Si quæras hujus decisionis probationem vel argumentorũ in contrarium adductorum solutionem; neutram Caramuel suggerit: atque adeò juxta ipsius mentem sententia laxior manet inconcussa. Cùm enim juxta ipsum mox relatum *non possit improbabilitas alicuius sententiæ probabiliter probari, sed debeat demonstrativè persuaderi*: profectò qui ne quidem probabiliter eam probat, sed nudè oppositam asserit, eam inconcussam relinquit. Iam regero ei illud suum, *Quem igitur tenet ieiunij Ecclesiastici lex, si etiam coniugati excusantur?* Ecce quemadmodùm bonus Ethicus insudet, ut lex jejunij inanescat vel evanescat! Putabit PRÆOC-CVPATIO. fortè aliquis eam in suo vigore mansuram, respectu saltem Monachorum. Sed audiat is quemadmodùm idem Caramuel enitatur etiam hos à jejunii lege eximere ibidem n. proximè sequenti: *Musici*, inquit, *à ieiunio ex-* Caramuel. *cusantur: At omnes Religiosi sunt Musici, nec in Mundo Musici qui plus cantent, quàm Monachi, Benedictini præcipuè: Ergo Monachi non tenentur ieiunare. Quæ ratio idem de cæteris Religiosis evincit: nullo enim, qui non cantent plus quàm Sæculares. Puto quidẽ*

conſequentiam legitimam, Minorem certam: & Maiorem probo, citando Sancium, Dianamque. Et allegatis ſubſequenter amborum iſtorum pro Majore ſuffragijs, ſubdit Caramuel: *Ergo ſi etiam Religioſos excludimus, qui erunt in Eccleſiâ Romanâ, qui teneantur obſervare ieiunia? Volo non ſeverè, ſed ſincerè erudiri.* In Romanâ editione ſublata ſunt ſex poſtrema vocabula, interrogationem ſequentia: & conatur author ſe excuſare, tanquam non aſſerendo, ſed Dianæ ſententiam referendo, Religioſos à jejunio excuſari prætenderit. Verùm excuſatio iſta ſubſiſtere non poteſt, niſi author abjuret ſuam Epiſtolam ad Dianam, ſuperiùs hìc §. 354. citatam, in quâ poſtquàm Diana dictus fuiſſet *Agnus Dei tollens peccata Mundi*, ſubditur inferiùs ex perſona Caramuelis, & reliquorum ſimiliter ſentientium: *Sequimur hunc agnum, nimirum Dianam, quòcunque ierit. Certi enim ſumus, tanto illius dogmata Theologorum firmari numero: ut quærenti, An hoc aut illud liceat? ſufficiat reſpondere, Diana dixit.* Si ergo Diana dixit Religioſos excuſari à jejunio prætextu cantûs, ſequitur eum Caramuel, ſaltem eatenùs, ut illud Dianæ dictum habeat pro probabili, atquè adeò pro licito, tuto, ac ſecuro in praxi: alioquin enim falsò dictum fuerit; *Sequimur agnum, quòcunque ierit:* nec certi erimus licere, quicquid Diana licere dixerit. Revocet proindè Caramuel ſuam priſtinam Epiſtolam, aut agnoſcat probabilem ac licitam, quam Dianæ attribuit ſententiam. Deeſt quidem ea Epiſtola in editione Romana, ſed extat adhuc in Francofordiana.

CDII. Horarum Canonicarum lectionem Caramuel ſub initium proximi §. relatus comprehendit ſub Sabbati ſanctificatione: & ego ad eandem Sabbati ſanctificationem reduci poſſe arbitror eam rerum ſacrarum venerationem cui opponitur vitium Simoniæ: hæ enim res ex magna parte ordinantur ad condecentem obſervationem dierum divino cultui deputatorum. Hìc itaque conjungemus laxitates à neotericis invectas tam circa Horarum canonicarum lectionem, quàm circa rerum ſacrarum venerationem. Ac inprimis circa Horarum Canonicarum lectionem occurrit illa laxitas à Tamburino ſuperiùs §. 399.
Tamburin. comprobata, contendente, *In audiendo Miſſam de præcepto, vel recitandis horis ex obligatione, ſatis eſſe attentionem externam; undè poſſe quemlibet voluntariè diſtrahi.* Eidem laxitati patrocinatur Caramuel in Epiſtolâ præliminari ad Dianam
Caramuel mox mentionatâ, dicens: *Navarrus, & quotquot internam attentionē requirunt in officio divino verbi gratiâ, conſideratâ vivacitate humani ingenij concludunt, vix, aut ne vix quidē poſſe hominem ſatisfacere ſine aliquâ diſtractione veniali; ſic de præceptis alijs pariformiter philoſophātur. At nos, qui cōtrà generoſè ſentimus, & ſenſum noſtrum armato ratiocinio firmamus, non ſolùm milites, ſed & virgines ſumus: poſſumus enim ita Horis, aut alijs etiā Eccleſiæ præceptis ſatisfacere, ut ne in levem quidem culpam labamur. Prolatio enim & quacunque alia extrinſeca operatio eſt facillima; & humana Principum leges, Eccleſiaſticæ aut ſæculares ſint, non præcipiunt internas.* Et vide quid de ſeipſo Horas Canonicas legente ſcribat in ſuâ Theologiâ Fundamentali n. 442. *Uno momento, inquit, cælum verſo, altero ad ſubterranea tranſeo: nulla in oratorio movetur muſca, quæ mihi nō ſit impedimento: attendere lectioni deſidero, ſed diſtractiones non evito involuntarias, millies interdùm etiā voluntarias. Et nihilominùs nullo crucior ſcrupulo, nullo dubio angor: quia prudēter ſuppono, me ad actionē internam nō teneri; eā habere bonū eſſe, & eâ carere nequidē eſſe levē culpam: me ad lectionem tantùm, & attentionē externā obligari: me legiſſe totū quod Rubricæ iubent, certò ſcio; & ita certò, ut poſſim iurare: Ergo me ne venialiter quidē peccaviſſe in hac materia, certò ſcio; & ita certò, ut poſſim iurare.* Ecce quàm incunctanter & aſſeveranter prędicat & inculcat non requiri internam attentionem inter orandum, ſed ſufficere externam lectionem ſive vocum prolationem! Sed contra hanc ejus aſſeverationem vehementer militant quæ §. 398. & 399. adducta ſunt. Et ſanè humanus ſenſus horret audire, Eccleſiam non plus in hac materia indicere Clericis aut Monachis, quàm præſtari poſſit à pſittacis: D. Deprecati Dominum, D. Aug. Expoſitione in Pſal. 18.
„ inquit Auguſtin. ut ab occultis noſtris mun„ det nos, & ab alienis parcat ſervis ſuis, quid „ hoc ſit, intelligere debemus; ut humanâ ra„ tione, non quaſi avium voce cantemus: nam „ & meruli, & pſittaci, & corvi, & picæ, & „ hujuſmodi volucres, ſæpè ab hominibus do„ centur ſonare quod neſciunt: ſcienter autem „ cantare, naturæ hominis divinâ voluntate conceſſum eſt". Et Laurentius Iuſtinianus: E. O quàm ſæpè, inquit, qui divinis occu„ pantur in laudibus, ſolo aſſiſtunt corpore, & E. Laur. Iuſtin. lib. de Diſciplina Monaſtica convers. c. 17.
„ tanquam garrulæ aves ſine interiore ſenſu „ emittunt verba! De talibus per Prophetam Iſa. 29. 13.
„ Dominus dicit, *Populus hic labijs me honorat, cor* „ *autem eorum longè eſt à me.* O quoties tædio „ prægravata mens, ab omni guſtu cæleſtium „ cantionum jejuna pertranſit! Loquitur, & „ ignorat cui; clamat voce, nec ſeipſam intel„ ligit, nec percipit quid dicat: nam totaliter „ extra ſe evecta, atque velut amens effecta, „ adversùm ſe Deum provocat vehementer". Nemo certè Deum adversùs ſe provocat vehementer, niſi peccando, & quidem graviter. Pejerabit proinde Caramuel, ſi ſe, millies voluntariè in oratiòne diſtractum, juret, ne venialiter quidem peccaſſe. F. Clamor ad Domi„ num, inquit Auguſtinus, qui fit ab orantibus, F. Aug. In Pſalm. 118 Concione 29.
„ ſi ſonitu corporalis vocis fiat, non intento in „ Dominum corde, quis dubitet inaniter fieri"? Hodie verò non tam dubitat, quàm certò aſſeverat Caramuel, & jurejurando confirmat, non ſolùm non inaniter iſtud fieri, ſed & ita proficuè, ut & Eccleſiaſtico præcepto ſatisfiat, & omnis quoque ſcrupulus leviſſimi

peccati

peccati evanescat. Insignem nimirum patronum tandem nacti sunt Psittacei illi cantores, contra quos scribit Laurentius Iustinianus, cùm ait [G]: Sunt qui prolixas obsecrationes vocales faciunt, & quid proferant nequaquàm intelligunt, cùm diversarum cogitationum distrahantur involucro. Hos per Prophetam sub figurâ populi Hebræorum Dominus redarguit dicens: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Insinuat namque Dominus, ut quemadmodùm in oratione moventur labia, verba formantur, & Sancti Spiritûs promuntur eloquia: ita intendat mens, affectus evigilet, & alienæ excludantur cogitationes; quatenùs tam interior homo, quàm exterior, laudabiliter divinis occupetur in laudibus, valeatque cum Apostolo dicere: *Psallam spiritu, psallam & mente; orabo spiritu, orabo & mente".*

G Laur. Iustinian. de Gradib. perfect. c. 22.

Sed qui ad lectionem divini officij necessariam non censent attentionem, requiruntne saltem præcepti implendi intentionem? Minimè sanè: docet namque expressè Tamburinus, H. *Te satisfacere præcepto, si Horas recites animo non satisfaciendi.* Idipsum docet & Caramuel in Commentario Regulæ S. Benedicti Disp. 112. n. 1415. & in Theologia Fundament. n. 760. Idem rursùs in eodem Commentario Disp. 117. n. 1446. aliam methodum adinvenit & suggessit, juxta quam possit quis etiam pro longo tempore excutere obligationem legendi Horas Canonicas, absque ullâ culpâ saltem mortali, idque beneficio probabilitatum: *Paulus*, inquit ille ibi, *ingressurus navim, majoris commoditatis gratiâ contulit secum Diurnale, subscribens Thomæ Sanchez in Summa Tom. 3. lib. 1. c. 19. n. 8. affirmanti, legentem ea quæ continentur in Diurnali, Officio divino satisfacere. Postquàm autem solverunt è portu, mutavit dictamen, & secutus sententiam Ioannis Sancij in Selectis Disp. 15. n. 2. asserentis, in Diurnali non contineri integrum officium divinum; ac proinde carentem Breviario, licèt Diurnale habeat, non teneri legere Officium divinum; illud non legit.* Hunc taliter procedentem Caramuel ibidem subsequenter excusat ab omni culpâ saltem gravi, quia nihil agit nisi ex probabilitatis dictamine. An autem à veniali culpâ excusetur, indecisum relinquit: sed tamen ex principijs per eum traditis non apparet unde vel levissimæ culpæ accusari possit, quantùmlibet diuturna fuerit navigatio, vel post appulsum in portum carentia Breviarij: *Vt exactè respondeam*, inquit, *opus est omnes circumstantias expendere. Paulus primò Sanchezij sententiam sequebatur: & benè faciebat, quia est gravis auctor, ac probabilis eius sententia. Ex vi huius dictaminis potuit sine culpa gravis scrupulo relinquere Breviarium in terra, & solùm conferre Diurnale. Secundò asseritur Paulus mutasse dictamen; & hoc humanum est & rationale: homo non est suarum opinionum mancipium, cùm probabile dictamen mutat utitur sibi cælitus concessâ libertate; & bene facit. Fidei Orthodoxæ dogmatibus, demonstrationibus, & principijs per se notis subest ingenium, probabilibus sententijs superest: ideòque quàm liberè sententiam Sanchezij approbavit, tam liberè potuit illam dimittere. Potuit igitur Paulus sine conscientiæ scrupulo mutare dictamen, & valedicens uni authori sequi alterius opinionem probabilem. Tertiò dicitur Paulus voluisse uti Diurnali, & defectu Breviarij multis diebus, quibus in navi fuit, Horas non recitasse. Nec tamen peccavit mortaliter: operabatur enim juxta conscientiæ dictamen, quod erat probabile & prudens, fultum Sancij authoritate.*

h Cor. 14. 15. Vide Chrysost. Homil. 79. ad populum Antioch.

H. Tambur. lib. 3. c. 5. §. 1. n. 3.

Cæterùm quia multis ad officij divini quotidianam recitationem obstrictis non lubet navigare, suggerit idem Caramuel aliam methodum elidendi obligationem; quâ eximere se poterunt, etiam domi manentes, signanter si habitent in urbe vel oppido ubi diversa horologia discrepantia reperiuntur: [I] *Horologia bona, ait ipse, quæ diligenter diriguntur habent vim opinionis probabilis. Hinc patet neminem se qui debere unum, potiùs quàm aliud: quoniam in merè probabilibus est licita alterutra pars.* Quinimò ex proximè relatis ejusdem Caramuelis dictis patet, posse quemque licitè ab unâ parte transire in aliam, & è converso ex hac rursùs in illam: adeoque conformare se nunc uni horologio, nunc alteri, siquidem utrumque *habeat vim opinionis probabilis.* In casu itaque præmisso quispiam ad Horas Canonicas obstrictus proponet conformare se ei horologio quod aliquantò post alterum sonat, mediam noctem indicans, quâ finitur dies naturalis, lectioni Horarum Canonicarum præfixus; eique proposito insistens, differet lectionem, quoadusque audierit alterum horologium, quod mediæ fortè horæ spatio citiùs sonuerit. Quo audito, mutabit opinionem, conformando se dictamini horologij jam auditi: & dicet, probabile est diem naturalem, lectioni officij Canonici præstitutum, transijsse, quia horologium satis diligenter directum indicat transijsse: & quoniàm id probabile est, perinde probabile fuerit me nôn ampliùs teneri legere officium Canonicum, transacto jam diei affixum. Ecce hic domi manens, & Breviarium ad manum habens, omisit officij Canonici recitationem; & tamen, juxta methodum à Caramuele suggestam procedens, omnem evasit culpam, munimine probabilitatum protectus. Porrò quia illa horologiorum discrepantia durare potest non uno duntaxat die, sed integris etiam septimanis, mensibus, annis, aut etiam annorum lustris; poterit quoque ejusdem Caramuelicæ methodi resumptione, omissio officij Canonici continuari, & quidem inculpatè, per septimanas, menses, annos, aut etiam annorum lustra: nam quod semel licet, semper recurrentibus iisdem per omnia circumstantijs, licebit. Eâdem suâ methodo Caramuel eludit præcepta jejunandi, Missam audiendi & alia hujusmodi

I Caram. in Theol. Fundam. n. 207. alias 142.

modi, de quibus ex professo adversùs eum tractat Crespinus à Borgia in suis Selectis Moralibus q. 9. per totam, cujus exordium est: In rebus moralibus vix datur casus, in quo „non sint duæ opiniones contradictoriæ, & „probabiles: & hoc punctum ita ad punctum „reduxit Caramuel, ut vix sit aliquod præ„ceptum Ecclesiasticum, quod eludi non „possit, si ejus doctrinæ, quam probabilem „putat, adhæreamus. Nam duas opiniones „probabiles contradictorias sequi quemlibet „posse, probabile esse contendit: ex quo fit, „ut nemo teneri videatur præcepto jejunandi, „audiendi sacrum, recitandi horas Canonicas, & alia hujusmodi". Et vide quantâ cum asseverantiâ Caramuel libertatem transeundi ab unâ parte contradictionis ad alteram astruat in probabilibus: [K] *Qui ex duabus*, inquit, *opinionibus probabilibus nunc sequitur alteram, potest sequenti momento licitè tenere alteram. Hanc Thesin judico luce meridianâ clariorem.* In Romanâ tamen & Lugdunensi editione Thesin mutavit, sponte an coactè, viderit ipse: & ita quidem mutavit, ut eâ mutatione omnes suas exoticas laxitates eidem superstructas everterit. Sic enim ibi habetur n. 465. *Qui ex duabus opinionibus probabilibus nunc sequitur alteram, potest sequenti momento licitè tenere alterã; dummodò alterutram sequendo præceptum impleat;* Quo finali additamento evertit methodum eludendi præcepta mox relatam: quæ utique ad hoc excogitata suggestaque fuerat, non ut homines ad præceptorum impletionem adigerentur, sed ut ab eorum jugo libertini eximerentur. Et sanè non videtur satis cautum fidelibus contra laxitates Caramuelicas per additamenta editioni Romanæ vel Lugdunensi inspersa, quamdiu priorum editionum lectio non fuerit interdicta, ipsaque interdictio palàm omnibus notificata. Plerique enim in Germania superiori & inferiori ignorantes Romanam correctionem, versant manibus & oculis incorrectas editiones: & quas author vult censeri disquisitiones, arripiunt tanquam decisiones. Quis enim non putet eum decidere pro parte affirmativâ quæstionem de confessione & communione annuâ, *An unica duorum annorum obligationi satisfaciat?* cùm in editione Francofordiana legit, [L] *Probabilissima est affirmativa sententia.* Et tamen in editione Romana & Lugdunensi nunc legitur n. 764. *Non licet unicâ confessione, aut unicâ communione, duorũ annorum obligationi satisfacere.* Si autem non licet, profectò prior sententia non est Caramueli jam *probabilissima*, imò nec probabilis; quia juxta ipsius Maximas crebrò decantatas, *Omnia probabilia licent.* Simile quidpiam cernere est in ea sententia quam in eadem Francofordianâ editione n. 502. & aliquot sequentibus operosè astruere nititur: unicâ scilicet officij Canonici lectione, duorum dierum obligationi satisfieri. Et tamen in Romanâ & Lugdunensi editione n. 764. nunc legitur: *Non licet unica matutinorum & Laudum lectione duorum dierum obligationi satisfacere.* Denique, ut alia præteream, in editione Francofordiana n. 1100. & aliquot sequentibus, operosè contendit probare, obligatum ad legendum officium Canonicum satisfacere legendo quotidie officium Paschale, pro quovis alio officio quantumlibet prolixo per annum incidente: & ita quidem, ut si absque ullâ causâ id fiat, non nisi venialis sit culpa; si autem ulla causa saltem mediocris interveniat, nequidem venialis sit culpa. Et tamen nunc in editione Romanâ & Lugdunensi n. 1489. legitur: *Non licet mutare aliud officium in officium de resurrectione; adeòque peccabit mortaliter, qui de Resurrectione legit, si debeat legere de Dominica, Feria, vel Sancto.*

Crespin. à Borgia.

K. Caram. ibid. n. 285. edit. Francof.

L. Caram. ibid. n. 500.

CDIII. Dictum est superiori §. spectare quadantenùs ad festorum dierum sanctificationem rerum divino cultui consecratarum venerationem: ex quo consequens est, eidem sanctificationi adversari istiusmodi rerum profanationem; adeoque Simoniacam earundem contrectationem. Porrò neoterici laxitatum patroni hâc quoque in re vigorem legum plùs æquo obtundunt, rigoremque emolliunt. Inter Articulos à Facultate Lovaniensi anno 1657. ad instantiam Episcopi Gandavensis reprobatos hic fuit ordine decimus quintus: *Dare temporale pro spirituali nõ est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiẽdi spirituale; vel etiã quando per temporale fit solùm cõpensatio gratuita pro spirituali, aut è contrà: & id quoque locum habet etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur quã res spiritualis.* Idem quoque Articulus est ordine sextus inter septemdecim, quos anno 1659. Episcopus Namurcensis synodaliter interdixit per suam Diœcesin, tanquam *novos, periculosos, & salutis animarum destructivos.* Et sanè obvium est unicuique advertere, vigente doctrinâ istius Articuli excusari facilè posse promiscuè omnes, qui Simoniaci censentur, & ut tales puniuntur. Unde non malè aiebat Caramuel in suâ Theologiâ Morali: [M] „Quàm „multa, quàm levia, quàm superficialia de „Simoniæ singularissimâ, gravissimâ, & pro„fundissimâ materiâ scripta! Quàm multa „supposita! Quàm pauca radicitùs examina„ta! Si Scriptor scrupulosus sit, nulla erit „circumstantia ab hoc contagio libera: si au„dentior, ipsiusmet Simoniæ conceptus erit „idea Platonica, ut dicitur, quæ non reperitur in rebus". De audentiorum Scriptorum numero haud dubiè fuerunt, qui Articulum

Vide Greg. de Valentia To. 3. Disp. 6 q. 16. p. 2. & Tannerum To. 3. Disp. 5. q. 8. Dub. 3. n. 64. & seqq.

Vide supra §. 391.

M. Caram. in Theolog. Morali l. 2. n. 164.

mox

mox relatum procuderunt: quo utique semel admisso, conceptus Simoniæ usque adeò à rebus humanis exulabit, & in Mundum Platonicum demigrabit, ut si *Simon Magus*, *Giezi*, & *Balaam* à mortuis jam resurgant, haud magno labore seipsos expurgent: qui tamen non modò Simoniaci, sed & Simoniacorum præcipui Patriarchæ reputantur; adeò quidem ut Adrianus Quodlibeto 9. q. 2. dicat, Simoniam apud Doctores vetustiori vocabulo dici *Balaamiam*, quia *Balaam* Prophetiæ donum vendere voluit Num. 22. & Angelicus Doctor 2. 2. q. 100. art. 1. ad 5. scribat, venditores spiritualium posse dici non solùm *Simoniacos*, sed etiam *Giezitas*; à duobus nimirùm reliquis suis Patriarchis, *Simone Mago*, & *Giezi*, quorum hic tempore Helisæi Prophetæ pretium curationis à Naamá irreligiosè accepit 4. Reg. 5. ille temporibus Apostolorum obtulit pecuniam pro adipiscendâ potestate conferendi Spiritum Sanctum per manuum impositionem Act. 8. 19. Si autem tres isti Simoniacorum Patriarchæ à labe Simoniæ immunes habeantur, ubinam in hoc Mundo Simoniaci reperientur? Nusquàm utique: ac sic, prout ait Caramuel mox relatus, *Simonia conceptus erit idea Platonica, quæ non reperitur in rebus.* De prædictis tribus Simoniacorum Patriarchis ait Hugo Victorinus: „Simoniacæ hæresis contagium jam olim „in *Balaam* pullulavit, qui divinationis pre„tio proposito ad maledicendum populum „Dei perrexit. Dehinc hujus hæresis duo „leguntur authores pestilentes emersisse, alter „sub Propheticâ, alter sub Apostolicâ doctri„nâ: prius *Giezi* magister esse vendentium, „deinde *Simon* author videtur ementium". Quis porrò istorum trium non se poterit expurgare à labe Simoniæ, juxta doctrinam Articuli mox relati? Nunquid enim *Balaam* confidenter asseverare poterit, se munus à Moabitico sibi Rege missum acceptasse, non ut pretium propheticæ maledictionis, sed ut motivum? Neque enim vel Rex curabat quonam titulo ille munus acciperet, dum quoquo modo ad maledicendum hostibus eum permoveret; nec *Balaam* admodùm curabat quonam titulò oblatum munus sibi obveniret, dum quoquo modo suam inde philargyriam expleret. Simile quoque argumentum pro Simone Mago militat: dicet quippe ille se *obtulisse Apostolis pecuniam*, non sub formali ratione pretij, sed tanquam motivum quo eorum voluntatem inclinaret ad conferendum sibi potestatem impertiendi Spiritum Sanctum per manuum impositionem. Neque enim ille curabat modum, dum tamen assequeretur rem quoquo modo. Nec Beatus Petrus eum reprehendit, quòd voluerit donum Dei assequi pecunijs sub formali ratione emptionis: sed *Pecunia tua*, ait ei, *tecum sit in perditionem quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri*. Nunquid pecuniâ possidetur, quod pecuniarij muneris præstatione per modum illecebræ permoventis, absque pretij formalitate, obtinetur? Nunquid postremò profanus *Giezi* cum magnâ confidentiâ obtendet se perperàm Simoniaci criminis insimulari, cùm non alio quàm *gratuitæ compensationis* titulo munus à *Naamano* poposcerit, & impetrarit? Neque enim in tota serie rei gestæ ullum extat indicium vel venditionis ex parte petentis, vel emptionis ex parte largientis, saltem sub formali ratione talium contractuum. *Naaman* à leprâ mundatus obtulit Helisæo munera, non sub ratione pretij, sed in recognitionem percepti beneficij: *Obsecro*, inquiens, *ut accipias benedictionem à servo tuo.* Hanc benedictionem à Prophetâ recusatam, Prophetæ servus *Giezi* subdolè posteà emunxit, fingens se à magistro submissum. Qua in re tametsi infideliter ac fraudulenter egerit, ideoque reprehensionem cum pœnâ promeruerit; non tamen simoniacam transactionem, juxta formalitates in supradicto Articulo præscriptas, tentavit, nedum perfecit. Unde non ait ei reprehensor, Accepisti argentum & vestes in pretium: sed simpliciter, *Accepisti argentum, & accepisti vestes.* Quo autem fine ea munera acceperit, indicant ista sequentia: *Ut emas oliveta, & vineas, & oves, & boves, & servos, & ancillas.* Ubi quidem mentio fit *emptionis*, non tamen eatenùs peractæ, sed in futurum intentæ, nec ullatenùs simoniacæ, cùm nihil ibi interveniat spiritale, sive per modum pretij, sive per modum mercis. Quæ cùm ita sint, apparet profectò, neminem illorum trium, qui Simoniacorum Patriarchæ communiter reputantur, reum fuisse criminis simoniaci, secundùm eas formalitates quas Articulus præfatus exposcit. Restat proinde, ut eædem illæ formalitates nequaquam ad contrahendam Simoniæ labem de jure requirantur: de jure, inquam, divino; quod utique unicum tunc in hâc materiâ viguerat, quando prædicti tres Patriarchæ labem Simoniæ incurrerunt, nondum in eam rem conditis Ecclesiæ Canonibus. Quapropter præfatus novorum Casuistarum Articulus non solùm in Belgio, ut suprà jam dictum est, sed etiam in Galliâ reprobatus est, signanter ab Archiepiscopo Senonensi, cujus de eo Censura extat hujus tenoris: O. *Hæc doctrina, quæ Simonia contra jus divinum crimine eos omnes liberat, qui pecuniã propter Sacerdotia vel dederunt, vel acceperunt, modò pecunia motivi locum habeat, non pretij; tota falsa, nefaria, impia est; hæresim Simoniacam, toties à Sanctis Concilijs & Pontificibus damnatam, subdolè renovans; & ad implendam lupis Ecclesiam, & corrumpendam eius in ipso fonte, hoc est, Sacerdotum Ordine,*

Adrianus.

D. Thomas. Vide Magistrum lib. 4. Sent. Dist. 25 §. 4.

H. Hugo Victor l. 2. de Sacram. p. 10. cap. 2.

Act. 8. 18.

Ibid. v. 20.

4. Reg. 5. 15

Ibid. v. 26.

O Censura Senonensis die 3 Septemb 1658.

Ordine, sanctitatem, inventa. Quando Theologi & Canonistæ tria genera munerum distinguunt, quibus spiritualia simoniacè acquirantur, omninò supponunt impertinens esse an ea munera impendantur sub formali ratione pretij, an duntaxat sub ratione motivi. Volunt enim legum conditores, ut spiritualium rerum dispensatores, *Excutiant manus suas ab omni munere*; quia probè norûnt quàm verum sit illud, *Munera excæcant oculos Sapientum.* Unde & *Balaam* post acceptum munus à Rege Moab, *Irruente in se spiritu Dei, assumptâ parabolâ, ait: Dixit Balaam filius Beor, dixit homo cujus obturatus est oculus* &c. Ne igitur oculi eorum, quibus spiritualium dispensatio concredita est, acceptione munerum obturentur aut excæcentur, jussi sunt excutere manus suas ab omni munere sive à lingua, sive ab obsequio, sive à manu. Unde in Canone Pontificio scriptum est: [P] Qui res Ecclesiasticas non ad hoc ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucra, munere linguæ, vel indebiti obsequij, vel pecuniæ, largitur, vel adipiscitur, Simoniacus est; cùm principalis intentio *Simonis* fuerit sola pecuniæ avaritia". Et Petrus Damiani tractans propheticam illam sententiam mox relatam, *Qui excutit manus suas ab omni munere*: [R] Planè, inquit, Prophetica illa sententia sic exponitur, ut tria dicantur munerum genera; scilicet munus à manu, munus ab obsequio, munus à lingua. Siquidem munus à manu pecunia, munus ab obsequio obedientia subjectionis, munus à lingua favor est adulationis". Quod si fortè quis contendat debere intervenire pactum, ut datio vel acceptio hujusmodi munerum censeatur Simoniaca: respondet idem author ibidem Epistolâ proximè sequenti: "Sunt nonnulli, inquiens, qui vel antequàm consecrationis exhibeant ministerium, vel ante decisum causæ negotium, nullum pacti sunt commodum; postmodùm verò tanquam à debitoribus exigunt, & extorquendis remunerationibus vehementer insistunt. Hi se non dubitent *Giezi* crimen incurrere, qui postquàm Naaman curatus est, jamque revertens, de dono Sancti Spiritûs ausus est pecuniam postulare". Aliud item exemplum Simoniæ absque pacto incursæ assignat Adrianus in *Simone Mago*, & ante Adrianum assignaverat etiam Armacanus apud ipsum: [R] In facto *Simonis Magi*, ait ille, ut rectè dicit Armacanus lib. 10. cap. 19. nullum pactum fuit: pecuniam obtulit, potestatem sibi dari petijt: concludens, etiam cùm sine pacto fit, à Simoniâ liberum non haberi".

Isa 33. 15.

Deut 16. 19.

Num 24. 2. & 3.

P Cap. Salvator 1. q. 3.

R. Pet. Damiani lib. 2. Epist. 1.

Vide D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 5.

PRÆOC-CVPATIO.

R. Adrian. Quodlibet. 9. q. 2. Armacanus.

CAPVT

CAPUT CVIII.

Transitus ad quartum Decalogi præceptum, quo parentibus honor decernitur impendendus. Cur præceptis primæ tabulæ, Deum concernentibus, subnectatur proximè honoratio parentum? Parentis appellatio Deo cum hominibus communis, uti & pietatis appellatio cultui amborum. Qui vel Deum vel parentes revereri negligunt, in bestialem conditionem degenerant: imò & bestijs deteriores evadunt. Pietatis vestigium in quibusdam feris & volucribus elucet, signanter in Ciconijs. Veteres quidam non dubitarunt parentes appellare Deos conspicuos. Nunquam valent filij, parentum in se beneficijs ad æqualitatem respondere. Existimare debent filij, se in domibus paternis versari debere, tanquam in templis æditiuos aut sacerdotes ab ipsâ naturâ consecratos: ut parentum, quasi Deorum larium, cultui incumbant. Solonis lege ignobiles & obscuri censebantur, qui parentes enutrire dedignabantur. Cur Solon adversùs parricidas nullam suis legibus pœnam constituerit? An eadem ratio militet in Romulo? Hic non solùm fratricidij, sed & patruicidij, & socericidij, imò & avicidij sibi conscius, erubuit plectere in subditis, quod à se noverat perpetratum. Eius posteri experimento impietatis edocti, supplicio culei in parricidas animadverterunt: & quod illud? Recensentur aliquot Principes, qui ut privatam ignominiam publico scelere obtegerent, licentiam criminum lege sanxerunt. Culei supplicium à Pompeio pridem sancitum redintegratur à Constantino, approbatur à Iustiniano. Parentum in filios immorigeros quàm ampla fuerit potestas ex legibus Romanorum vetustis? Congeruntur testimonia Scripturarum utriusque Testamenti, quibus honor parentibus impendendus decernitur, præmia obsequentibus proposita, & pœnæ refractarijs intentatæ memorantur. Christus ad hoc apparuit in carne, ut humanam vitam admonēdo excitaret, exempla præbendo accenderet, moriendo redimeret, resurgendo repararet. Idem ipse honorationem parentum non solùm verbo docuit, sed & exemplo firmavit. Mundum habens sibi subditum, parentibus subditur. Lignum crucis, cui fixa erant membra morientis, simul extitit cathedra docentis.

CDIV. EXhibuimus specimen laxitatum à novis morum magistris subinductarum adversùs primæ tabulæ Decalogicæ trina præcepta Deum concernentia, superest exhibendum similiter specimen laxitatum ab ijsdem invectarum adversùs præcepta secundæ tabulæ, in qua primatum tenet honoratio parentum:[a] Præcepta Decalogi, inquit Angelicus „ Doctor, ordinantur ad dilectionem Dei, „ & proximi. Inter proximos autem maxi„ mè obligamur parentibus: & ideò im„ mediatè post præcepta ordinantia nos in „ Deum, ponitur præceptum ordinans nos „ ad parentes; qui sunt particulare prin„ cipium nostri esse, sicut Deus est univer„ sale principium. Et sic est quædam affinitas „ hujus præcepti ad præcepta primæ tabulæ". Idem quoque superiùs ibidem q. 101. art. 3. ad 2. advertit, quòd tametsi Deus *religione*, & pater *pietate* honoretur; tamen quia Deus per excellentiam *pater noster* dicitur, idcircò etiam ejus cultus communi *pietatis* nomine gaudet: " Ea quæ sunt creaturarum, inquit, per

[a] S. D. Thom. 2. 2. q. 122. a. 5. in corp.

per quandam excellentiam & causalitatem transferuntur in Deum, ut Dionysius dicit in libro de Divinis Nominibus. Unde per excellentiam *pietas* cultus Dei nominatur, sicut & Deus excellenter dicitur *pater noster*". T. Cogita, inquit Iosephus, quod Deus læsis parentibus offendatur, qui & ipse totius humani parens est generis; & ad se pertinere injuriam existimat, quæ infertur hominibus, cum quibus illi communis est appellatio, si eis filij non præstent quæ debent". Philo Iudæus præceptum *honorandi parentes* ad primam tabulam revocat, postremum in eâ locum illi assignans, ut sit ambarum tabularum sit velut confinium: V. Cùm enim, inquit, in primâ tabulâ sit ultimum, conjungit ambas, priori secundam applicans, complectentem jus quod nobis intercedit cum hominibus. Quod ideò factum arbitror, quia parentum natura videtur mortalis & immortalis essentiæ confinium: mortalis quidem, propter cognationem cum hominibus, & cæteris animantibus, & propter corpus corruptibile: immortalis verò, quia gignendo refert Deum, omnium genitorem. Sunt autem qui alteri parti addicti, alteram videntur contemnere: pleni enim pietatis desiderio, relictis alijs negotijs, totam vitam dedicant divino cultui: alij contrà, dum nullum esse jus præter humanum existimant, solam curant societatem hominum, bona sua cum quibuslibet communicantes liberaliter, & mala illorum sublevantes pro viribus. Illos Dei amatores, hos hominum, rectè dixeris semiperfectæ virtutis homines: integri enim ab utroque probantur genere. Cæterùm qui nec de hominibus benè merentur, læti eorum prosperitatibus, condolentes adversitatibus, nec pietatem sanctitatemque suspiciunt, possunt videri mutati in ferarum ingenium: inter quos primatum tenent qui parentes suos negligunt, utriusque partis hostes, tum ejus quæ Deo, tum ejus quæ hominibus se approbare vult. Sciant igitur se damnatos pro duobus tribunalibus, quæ sola sunt naturalia: impietatis apud Divinum, quòd secundos post Deum authores vitæ suæ non tractent ex officio: inhumanitatis verò apud humanum; cui enim benefacient; qui proximos optimè de se meritos vilipendunt, quibus nulla potest referri gratia non inferior acceptis beneficijs? Quomodò enim genitus poterit genitorem suum vicissim gignere, quam eximiam prærogativam natura dedit parentibus, nunquàm compensandam à liberis? Proindè indignissimum fuerit, si qui ne omnibus quidem officijs possunt gratitudini satisfacere, graventur præstare vel minima. Quos hunc in modum libet alloqui: Feræ debent cicurari ab hominibus, & licet interdùm videre mansuefactos leones, ursos, pardos, blandientes non solis cibum præbentibus, sed alijs etiam; opinor quia vident illos eis similes. Decet autem deteriorem sectari potiorem, in spem futuri profectus. Nunc cogor contrarium dicere: Vos, cùm homines sitis, quasdam feras imitamini. Illæ pro accepto beneficio norunt gratiam reponere: canes custodiunt domos, & cadunt pugnando pro dominis repentino aliquo periculo circumventis: alij gregibus servandis adhibiti, usque ad mortem decertant pro salute pecorum, ne damnum accipiant pecuarij: & non fatebimur probrum esse longè turpissimum, hominem gratijs natum gratitudine superari à cane, audaci asperâque bestiâ? Quòd si à terrestribus virtutem hanc non discimus, eamus ad volucres, præpetibus alis ultrò citroque volitantes per aëra; & ab his saltem discamus quid nos deceat. Ciconiæ senes, volandi impotes, nido se continent: ex his prognatæ terrâ marique volitant, & cibos parentibus afferunt. Sic illæ, ut earum ætati congruit, quiete fruuntur & copiâ: juniores verò laborem comportandi solantur pietate, ac spe recipiendæ in senectute gratiæ; debitum persolventes interim, quod tempus postulat; & eâdem operâ natos implumes, & effœtos parentes educant, naturæ instinctu & pullis & decrepitis alacriter præstando mutuum officium. Et posthàc non faciem præ pudore obvolvent homines parentum suorum contemptores, damnabuntque suam incuriam in re quæ vel sola erat curanda, vel ante alias; præsertim cùm non tam conferatur, quàm referatur beneficium? Filiorum enim nihil est, quod non parentibus debeant, à quibus vel acceperunt, vel in acquirendo adjuti fuerunt. Habentne igitur pietatem ac sanctitatem, principales virtutes, in animâ, an ejecerunt eas è pectore? Deo enim subserviunt parentes in gignendis liberis: unde qui ministrum spernit, spernit & principem. Et sunt qui audaciùs exaggerantes nomen parentum, aiunt *Patrem & matrem Deos esse conspicuos, illius ingeniti imitatores in fingendis animantibus, & hoc uno differre, quòd Deus sit totius Mundi Genitor, hi verò filiorum duntaxat: nec fieri posse, ut pius sit erga illum invisibilem, qui erga hos conspicuos sit impius*". Refert Stobæus fragmentum libri quem Hierocles ediderat sub titulo, *Quomodò erga parentes agendum sit?* Ubi hæc inter alia huc spectantia occurrunt: W. Si quis parentes, *secundos ac terrestres quosdam Deos* dixerit, non errabit: cùm propter vicinitatem, si dicere fas est, vel ipsis Dijs honorabiliores nobis sint. Necessarium autem

T. *Ioseph.* l. 4. Antiq. cap. 9.

V. Philo lib. de Decalogo.

De Ciconiis pietate vide Basil. Hom. 8. Hexam. & Ambros. l. 5. Hexam. cap. 16. & Cassiod. 16. Variarum Epist. 14. & Alciatum Emblem. 30

W. Hierocles apud Stob. Serm. 77. Vide Cœlium Rhodig. lib. ... 2. c. 6. lect. ant.

„ autem est ita existimare, & perpetuâ animi
„ promptitudine conandum, ut ipsorum bene-
„ ficijs paria faciamus: quantumvis enim mul-
„ ta in eorum gratiam fecerimus, semper tamen
„ inferiora erunt omnia, quàm esse deberent".
Et rursùs post pauca: " Ut igitur, inquit, in
„ promptu habeamus, quibus officijs erga pa-
„ rentes obstringamur, summariam hanc sen-
„ tentiam semper animo versare oportet.
„ Quòd parentes nobis Deorum imagines sint;
„ & per Iovem Dij lares seu domestici, bene-
„ ficiorum authores, cognati, creditores, do-
„ mini, & amici constantissimi. Sunt etenim
„ *Deorum imagines* certissimæ, & similitudinem
„ eorum nobis referunt meliùs, quàm ullius ar-
„ tis facultas exprimere possit, cùm tanquam
„ Dij, domûs patroni, & nobis familiares sint.
„ Sunt item maximorum nobis *beneficiorum au-*
„ *thores*, & maxima quæque præstant, non qui-
„ dem ea duntaxat quę habemus, sed quicquid
„ nobis exhibere & optare voluerint. Ad hæc
„ proximè *cognati*, & authores cognationis ad
„ alios. Prætereà *creditores* rerum pretiosissi-
„ marum, ex quibus ea solùm repetunt; quo-
„ rum ipsa redditio iterùm beneficium est:
„ quod enim esset tantum filio lucrum; quan-
„ tum pietas & gratitudo in parentes? *Domini*
„ verò jure optimo sunt: nam cujus possessioni
„ potiùs cederemus, quàm illorum, per quos
„ sumus? Denique *amici*, & auxiliarij perpetui
„ spontaneique sunt, quovis tempore & casu
„ ferentes opem. Sed quoniam inter omnia ha-
„ ctenùs enumerata pręstantissimum est *parentis*
„ nomen, cujus gratiâ ipsos appellamus *Deos*,
„ adijciamus quod ad hanc sententiam sequi-
„ tur, nempe filios existimare debere, se in do-
„ mo patriâ, veluti in fano quodam æditous &
„ sacerdotes ab ipsâ naturâ creatos & con-
„ secratos esse, ut parentum cultui operam
„ impendant. Quandoquidem verò duplex
„ cultus est, alter corporis, alter animi;
„ quicquid ad utrumque pertinet, alacriter
„ exequentur, si modò quod lex & ratio ju-
„ bet; facere voluerint. Est autem minor
„ ratio corporis, necessaria tamen. Itaque
„ liberali victu; & qui senectutis imbecil-
„ litati conveniat, prospiciendum eis est,
„ item lecto, somno; unctione, balneo; &
„ veste; in summâ, rebus omnibus corporis
„ curæ necessarijs; ut nulla eorum inopiâ la-
„ borent; quemadmodùm & ipsi à puero nos
educarunt".

CDV. Patet igitur honorationem paren-
tum, lege naturæ sancitam, ipsis etiam ethnicis
visam fuisse necessariam ad honestatem mo-
rum inter homines custodiendam. Refert La-
ertius Solonem inter alias leges etiam hanc
condidisse, [x] *Si quis parentes non enutrierit, is ig-* — x Solonis apud Laertium l. 1. Philo-
nobilis & obscurus esto. Addit quoque ibidem
post pauca idem Laertius de eodem Solone,
quòd interrogatus cur nullam legem adversùs
parricidas edixisset, responderit, *Quoniam des-*
peravi hoc scelus: tanquam diceret, idcircò legem
non tuli, quia nunquam quemquam subdito-
rum tanti facinoris reum fore putavi. De eo-
dem, & de Romulo, Alexander ab Alexan-
dro in Genialibus ait: [y] Solon & Romulus — y Alex. ab Alexandro l. 1. Genial. cap. 3.
„ nullam in parricidas statuêre pœnam, quòd
„ neminem tam nefarium & conscaleratum
„ existimarint, qui tantum facinoris admitte-
ret". Potuit quidem ea ratio permovisse So-
lonem; sed nescio quomodò in Romulum
quadrare possit; qui etsi fortè non omninò
pari, saltem suppari crimine sese ipsum con-
taminaverit; occidendo fratrem suùm ge-
mellum *Remum*, patruum *Amulium*, imò
etiam, teste Orosio, avum *Numitorem*; fortè
& patrem occisurus; si nosset. Et quidem
patruum *Amulium* ab eo obtruncatum memo-
rat præter alios Plutarchus in *Romulo*: de
reliquis duobus sic scribit Orosius: [z] *Romu-* — z. Paulus Orosius l. 2. Hist. cap 4.
„ *lus* interfecto primùm avo *Numitore*, de-
„ hinc *Remo* fratre, arripuit Imperium, urbem-
„ que constituit: regnum avi, muros fra-
„ tris; templum soceri sanguine dedica-
„ vit; sceleratorum manum promissâ impu-
nitate collegit". Tantorum ergo scelerum,
avicidij; patruicidij, fratricidij, ac soceri-
cidij sibi conscius, quomodò existimare po-
tuit *neminem fore tam nefarium & conscaleratum,*
qui tantum facinus (patricidium) *admitteret*?
Addit prætereà idem Orosius inferiùs lib.
5. cap. 16. quandam historiolam huic con-
jecturæ utcunque faventem: " Marij trium-
„ phum, inquiens; Romanamque victo-
„ riam incredibile facinus, & nunquam an-
„ teà Romanis cognitum; Romæ subitò
„ perpetratum, versâ in horrorem ac mœ-
„ rorem totâ urbe, suscavit: P. siquidem
„ Malleolus, servis annitentibus, matrem
„ suam interfecit. Qui damnatus parricidij;
„ insutusque in culeum; in mare projectus
„ est: impleruntque Romani facinus &
„ pœnam; unde Solon Atheniensis decer-
„ nere non ausus fuerat, dum fieri posse
„ non credidit. At Romani, qui se ortos
„ à Romulo scirent, etiam hoc fieri intelli-
„ gentes, supplicium singulare sanxerunt".
Ubi signanter ad propositum notanda est illa
clausula, *Qui se ortos à Romulo scirent*; quâ
utiquè innuitur causa unde Romani intel-
lexerint fieri posse, quod Solon pro im-
possibili habuerat; & ideò in specie non pro-
hibuerat. Si autem Romuli gesta sufficien-
ter admonuerint Romanos ab ipso ortos,
quanto magis ipsum à quo sunt orti? Alia
proinde causa verisimilior assignari potest cur
Romulus in parricidas legem non statuerit,
quàm quæ ab Alexandro reddita est, ne sci-

licet

licet exprobraretur ei, quòd in alios severus,
in seipsum lenis existeret: ne diceretur ei,
Rom. 2. 1. *In quo iudicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas*; aut certè si non *eadem*,
saltem valdè vicina. De Semiramide Assyriorum Reginâ idèm qui suprà Orosius lib. 1.
cap. 4. ait: "Filio flagitiosè concepto, im-
,, piè exposito, incestè cognito, privatam ig-
,, nominiam publico scelere obtexit: præce-
,, pit enim, ut inter parentes & filios, nullâ
,, delatâ reverentiâ naturæ, de conjugijs ap-
,, petendis, ut cuique libitum esset, liberum
fieret". Similiter & Ptolemæus Ægypti
Rex cognomento Philadelphus, cùm Arsinoen sororem suam optasset uxorem, idem
alijs ut facerent lege indulsit, ignominiæ vi-
A. Alex. ab Alex. lib. 1. Genialium cap. 24. tandæ causâ: A. Ægyptij, ait quidam, soro-
,, rum amoribus conjugijsque implicari, &
,, cum his passim matrimonia inire solitavere.
,, Quippè Ptolemæus, ut sororis, quam miro
,, amore deperibat, conjugium sortiretur, &
,, suam libidinem expleret, passim id licere
,, permisit. Itaque ut dirum facinus, & no-
,, tam turpitudinis nefariæ, velamento ma-
,, trimonij obnubilaret, omnibus id permitti
,, voluit. Id quod Persis quoque licuit: nam
,, Cambyses duas sorores, cùm desiderium
,, ferre non posset; & Darius Satyram, ijsdem
,, genitam parentibus, connubio sibi devinxe-
,, re. Idem Epirotæ, & Macedones: siquidem
,, Ptolemæus Ceraunicus Arsinoen duxit; &
,, Olympias Pyrrhi filia, fratris conjugio po-
tita fuit". His consideratis, majori admiratione dignum apparet, Romulum tot parricidiorum sibi conscium non tulisse legem parricidijs faventem, quàm omisisse legem eadem plectentem. At verò quam ille, malè sibi conscius, legem omisit, posteri experi-
B. Cicero Orat. pro Roscio Amerino. mento edocti supplerunt: B. Qui, ut Cicero
,, ait, cùm intelligerent, nihil esse tam sanctum,
,, quod non aliquando violaret audacia; sup-
,, plicium singulare in parricidas excogita-
,, runt: ut quos natura ipsa retinere in officio
,, non potuisset, ij magnitudine pœnæ male-
,, ficio submoverentur. Insui voluerunt in
,, culeo vivos, atque ita in flumen demergi". De quo supplicio loquens Alexander ab
C. Alex. ab Alex. lib. 3. Genial. c. 5. Alexandro: C. Mansit hæc pœna, inquit, in
,, parricidas ad hæc tempora: culeo enim gal-
,, lus gallinaceus, simia, & vipera, cum ho-
,, mine insuitur, & in flumen vel mare detru-
,, ditur; ut in rixa infensorum animalium, &
,, fœdâ laceratione corporis, ob tanti sceleris
,, immanitatem, diro cruciatus vulnere inte-
,, rimatur; utque ab omni elemento repudia-
,, tum cadaver, irrequieto labore, & perpetuis
fluctibus agitetur". Verba legis recitat Car-
D. Baron. in Notis Martyrologij ad diem 9. Aprilis. dinalis Baronius, quæ sunt hujusmodi: D. *Si quis parentes occiderit, vel verberarit, ei damnato obvolvatur os folliculo lupino, solea lignea pedibus in-*

ducantur: & in carcerem ductus, ibi sit tantisper, Vide Thom. Hurtadum Tract. de vario fidei ancipytio Resol. 33. Digress. 2. Sect. 2. & Rodiginum lib. 11. Antiquar. lect. cap. 21.
dum paretur culeus, in quem coniectus in profluentem præcipitetur. Ex qua lege apparet culei supplicium non solùm in *occisores*, sed etiam in *verberatores* parentum fuisse constitutum. Notat præterea Baronius ibidem ex Cujacio,
"Damnatum culeo, illo inclusum, supra
,, plaustrum imponi solitum, quod trahe-
,, rent boves nigri; ac sic ad mare deferri".
Meminit Iustinianus Augustus, in suis Institutionibus, antiquæ legis de parricidijs, quæ à suo Conditore Pompeio appellatur *Pompeia*, & sub Constantini Magni nomine vulgata habetur lib. 9. Codicis tit. 17 quâ pœna parricidij ampliatur etiam ad eos qui vel filios vel affines occiderint; & cum gallo, simiâ, & viperâ, etiam *canis* in culeum cum parri-
E. Iustinian. lib. 4. Instit. tit. 18. cidâ includendus decernitur: E. Alia lex, in-
,, quit Iustinianus ibi, asperrimum crimen
,, pœnâ novâ persequitur, quæ *Pompeia de*
,, *parricidijs* vocatur: quâ cavetur, ut si quis
,, parentis, aut filij, aut omninò affinitatis
,, ejus quæ nuncupatione *parentum* contine-
,, tur, fata præparaverit, sive clàm sive palàm
,, id ausus fuerit, nechon is cujus dolo malo
,, id factum est, licèt extraneus sit; pœnâ par-
,, ricidij puniatur, & neque gladio, nec igni-
,, bus, neque ulli alij solemni pœnæ subijcia-
,, tur, sed insutus culeo cum *cane, & gallo gallinaceo, & viperâ, & simiâ*; & inter eas ferales
,, angustias comprehensus, secundùm quod re-
,, gionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare
,, vel in amnem projiciatur: ut omnium ele-
,, mentorum usu vivus carere incipiat, & ei
,, cælum superstiti, & terra mortuo auferatur".
Aliam quoque viam Romani veteres excogitarunt, & lege firmarunt, quâ parentum honori & securitati adversùs filiorum ingratitudines & machinationes nefarias consulerent; delegando nimirùm eis amplissimam potestatem, etiam vitæ & necis, in filios quantumvis ætate provectos, aut dignitate sublimes:
F. Dionys. Halicarn. lib. 2. Hist. Rom. F. Romanorum legislator, ait Dionysius Ha-
,, licarnassensis, omnem, ut ita dicam, potes-
,, tatem patri dedit in filium, idque toto vitæ
,, tempore, sive in carcerem eum mittere, sive
,, flagris cædere, sive vinctum ablegare ad rusti-
,, ca opera, sive necare libeat; etiamsi filius
,, tractet Rempublicam, etiamsi Magistratus
,, gerat maximos, etiamsi liberalitatis laudem
,, publicè sit promeritus. Certè juxta hanc le-
,, gem viri illustres, pro rostris favente plebe
,, concionantes in Senatus invidiam, fruentes-
,, que auris popularibus, detracti è suggesto per
,, parentes abducti sunt, pœnas daturi ex ipso-
,, rum sententiâ: quos, dum per forum duce-
,, rentur, nemo adstantium eripere poterat nec
,, Consul, nec Tribunus, nec ipsa turba cui tùm
adulabantur". Illud autem majore admiratione dignum videtur, eosdem veteres Romanos
hanc

hanc potestatem patriam extendisse etiam ad patres adoptitios sive arrogatitios; ita ut non soli patres naturales, sed hi etiam legales potestatem habuerint vitæ & necis in eos, quos sibi in filios adoptassent, aut arrogassent. Patet id ex ipsâ arrogationis formulâ, quam his verbis arrogantis ad populum peragi solitam fuisse, Aulus Gellius memorat: *Velitis, jubeatis, ut Lucius Valerius Lucio Titio tam jure legeque filius sibi siet, quàm si ex eo patre matreque familiâs eius natus esset: utque ei vitæ necisque in eum potestas siet, ut patiendo filio est. Hæc ita, ut dixi, vos Quirites rogo.* Annuentibus huic rogationi Quiritibus, arrogatio perficiebatur; atque ita arrogatus potestati patriæ arrogantis, etiam quoad vitam & necem, subjiciebatur, perindè ac si ex ipso genitus fuisset. Tanti apud eos ipsa patris appellatio fiebat, ut ea sive naturaliter adepta, sive legaliter indulta plenissimam authoritatem disponendi de filio haberet adjunctam: pleniorem utique quàm heri in servum. Etenim ut ibidem subjungit Halicarnassensis, "Romanus legislator majorem largitus est „potestatem Patri in filium, quàm hero in „mancipium. Servus enim semel venditus, deinde libertatem adeptus, in posterum sui juris erat: filius verò à patre „venditus, si liber fieret, rursùm sub patris potestatem redigebatur; iterùm quoque venundatus, & liberatus, servus ut „anteà patris reddebatur. Post tertiam demùm venditionem eximebatur à patris potestate".

[H. Aulus Gellius l. 5. Noct. Attic. cap. 19.] [Dion. Halicarn.]

CDVI. Videamus jam quid lex divina de honore parentibus à filijs impendendo statuerit, & quænam præmia obsequentibus, quænam item supplicia negligentibus aut contemnentibus rependenda sancierit: *Honora*, ait illa, *patrem tuum, & matrem tuam: ut sis longævus super terram.* Et iterùm, *Qui percusserit patrem suum, aut matrem suam, morte moriatur.* Et rursùs, *Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur.* Et alibi, *Unusquisque patrem suum, & matrem suam timeat.* Et iterùm, *Qui patri, matrique suæ maledixerit, sanguis eius sit super eum.* Et alibi, *Qui maledicit patri suo, & matri, extinguetur lucerna eius in medijs tenebris.* Et iterùm, *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.* Et alibi, *Iudicium patris audite filij, & sic facite, ut salvi sitis.* Et iterùm, *Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam. Qui honorat patrem suum, iucundabitur in filijs, & in die orationis suæ exaudietur. Qui honorat patrem suum, vitâ vivet longiore; & qui obedit patri, refrigerabit matrem. Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis serviet his qui se genuerunt. In opere, & sermone, & omni patientiâ honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in novissimo maneat. Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Et mox iterùm, *Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius: & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tua: Eleemosyna enim patris non erit in oblivione.* Et mox infrà rursùs, *Quàm malæ famæ est, qui derelinquit patrem! & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem.* Et iterùm inferiùs, *Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviscaris: memento quoniam nisi per illos natus non fuisses: & retribue illis, quomodo & illi tibi.* Et alibi, *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius: memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in utero suo.* Et alibi, *Audi fili disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ; ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Et rursùs, *qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est & infelix.* Et iterùm, *Audi patrem tuum, qui genuit te; & ne contemnas cum senuerit mater tua.* Et iterùm, *qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre; & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.* Et alibi quoque, *Si genuerit homo filium contumacem & protervum, qui non audiat patris aut matris imperium, & coercitus obedire contempserit: apprehendent eum, & ducent ad seniores civitatis illius, & ad portam iudicij, dicentque ad eos: Filius noster iste protervus & contumax est, monita nostra audire contemnit, commessationibus vacat & luxuriæ, atque convivijs: Lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur, ut auferatis malum de medio vestri, & universus Israël audiens pertimescat.* In novâ quoque lege Paulus Apostolus, tuba Christi, in capite Epistolarum suarum, inter eos quos commemorat *traditos fuisse à Deo in reprobum sensum*, recenset *parentibus non obedientes.* Alibi quoque præmonens discipulum de periculis novissimorum temporum: *Hoc scito*, inquit, *quòd in novissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati.* Alibi quoque ad eundem scribit *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* Et mox iterùm, *Si qua vidua filios aut nepotes habet, discat primùm domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coram Deo.* Et alibi, *Filij obedite parentibus vestris per omnia: hoc enim placitum est Domino.* Et alibi rursùs, *Filij obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim iustum est. Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione: ut benè sit tibi, & sis longævus super terram.* Et alibi, *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.* Et iterùm, *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Huc item revocanda sunt quæ superiùs §. 371. dicta sunt de hujus præcepti depravatione per Scribas & Pharisæos invectâ, sed per Christum novæ legis authorem reformatâ, reprobatâ, refixâ.

[Exod. 20. 12.] [Exod. 21. 15.] [Ibid. v. 17.] [Lev. 19. 3.] [Lev. 20. 9.] [Prov. 20. 20.] [Prov. 30. 17.] [Eccli. 3. 2.] [Ibid. v. 5. & seqq.] [Ibid. v. 14. & 15.] [Ibid. v. 18.] [Eccli. 7. 29. & 30.] [Tob. 4. 3. & 4.] [Prov. 1. 8. & 9.] [Prov. 19. 26.] [Prov. 23. 22.] [Prov. 28. 24.] [Deut. 21. 18. & seqq.] [Rom. 1. 28. & 30.] [2. Tim. 3. 1. & 2.] [1. Tim. 5. 1.] [Ibid. v. 4.] [Col. 3. 20.] [Ephes. 6. 1. & seqq.] [1. Tim. 4. 8.] [1. Tim. 5. 8.]

refixâ. Quinimò idem ipse novæ legis author, qui, teste Gregorio, [l] Ad hoc apparuit in „ carne, ut humanam vitam admonendo ex„ citaret, exempla præbendo accenderet, mo„ riendo redimeret, resurgendo repararet": honorationem parentum non verbo duntaxat docuit, sed & exemplo firmavit: unde & ait, *Honorifico patrem meum.* Et paulò superiùs loquens de eodem Patre suo ait, *Quæ placita sunt ei, facio semper.* Et adhuc anteriùs, *Descendi de cælo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus* (Patris) *qui misit me.* Et hæc quidem de Patre cælesti: sed quamvis in terris non habuerit patrem ullum à quo sit proximè satus, honorem tamen impendit sponso matris, necnon ipsi sanctissimæ Matri. Quamvis enim ambobus prætulerit Patrem cælestem, ut debuit: *Quid est*, inquiens, *quòd me quærebatis? Nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Nihilominùs subdit de ipso ibidem Euangelista, *Descendit cum eis, & venit in Nazareth: & erat subditus illis:* [K] Non dixit, Erat „ subditus matri, aut, Erat subditus ei: sed, „ *Erat*, inquit, *subditus illis.* Quibus subditus „ erat? Nonne parentibus? Ambo parentes „ erant, quibus ille subditus erat, eâ digna„ tione, quâ *Filius hominis* erat. Iamdudùm „ præcepta fœminæ accipiebant, nunc pueri „ accipiant, ut obsequantur parentibus, eis„ que sint subditi. Christo Mundus subditus, Christus parentibus subditus". Ecce exemplum exhibitum prolibus, ut sciant qualiter se gerere debeant erga parentes! Sequitur & aliud exemplum plane imitandum, quod idem optimus Magister præbuit in cruce, commendando matrem superstitem discipulo amantissimo cominùs adstanti. Quâ de re lubet audire Ambrosium: [L] Si religiosum est, „ ait ille, quòd latroni donatur venia, multò „ uberioris pietatis est, quòd à filio mater „ tanto affectu honoratur: *Ecce*, inquit, *filius* „ *tuus: Ecce mater tua.* Testabatur de cruce „ Christus, & inter matrem atque discipulum „ dividebat pietatis officia. Condebat Do„ minus non solùm publicum, sed etiam do„ mesticum testamentum: & hoc ejus testa„ mentum signabat Joannes, dignus tanto testatore testis". Pulchrè admodùm & appositè Augustinus Ambrosij discipulus: [M] Mo„ ralis, inquit, insinuatur locus: facit Christus „ quod faciendum admonet; & exemplo suo „ suos ministros instruit Præceptor bonus, ut „ à filijs pijs impendatur cura parentibus: „ tanquam lignum illud in quo fixa erant „ membra morientis, etiam cathedra fuerit „ magistri docentis. Ex hâc sanâ doctrinâ „ didicerat Paulus Apostolus quod docebat, „ quando dicebat: *Si quis suis & maximè domesti„ cis non providet, fidem negavit, & est infideli de„ terior.* Quid autem tam cuique domesticum „ quàm parentes filijs, aut parentibus filij? „ Hujus itaque saluberrimi præcepti ipse Ma„ gister Sanctorum de seipso constituebat „ exemplum, quando non ut famulæ Deus „ quam creaverat & regebat, sed ut matri ho„ mo de quâ creatus fuerat, & quam relin„ quebat, alterum pro se quodammodò fi„ lium providebat. Nam cur hoc fecerit, quod „ sequitur indicat; ait enim Euangelista, *Et* „ *ex illâ horâ accepit eam discipulus in sua*, de se ipso dicens". Quid porrò sit, discipulum accepisse illam in sua, exponit idem Augustinus mox infrà subjungens: " Sic debemus „ accipere quod dictum est, *Ex illâ horâ susce„ pit eam discipulus in sua*: ut ad ejus curam, quic„ quid ei esset necessarium, pertineret. *Suscepit* „ ergo *illam in sua*, non prædia, quæ nulla pro„ pria possidebat; sed officia, quæ propriâ dispensatione exequenda curabat". Refert Suares quosdam censuisse, ac Scriptis prodidisse, verba illa Christi ad matrem & discipulum, *Ecce filius tuus, Ecce mater tua*, tantæ fuisse energiæ, ut & physicam maternitatem in illâ, & physicam filietatem in isto causaverint. Sed rectiùs ipse censet impressisse utrinque singularem duntaxat affectum, illic quidem maternum, istic verò filialem: sicut in simili docet Prosper c. 25. contra Collatorem.

Ioan. 8. 49.
Ibid. v. 29.
Io. 6. 38.
Luc. 2. 49.
Ibid. v. 51.
K. August. Serm. 61. de Diversis c. 33. & 12. Vide Gerso- nem Ser. de Nativit. B. Mariæ Con- sid. 4. 10. 3.
Mat. 8. 20.
L. Ambros. Epist. 82. alias 25. ad Vercellens. Vide Hieró. Epist. 47. c. 3. & Cypr. Ser. de Pas- sione Domi- ni.
Io. 19. 27.
M. August. Tract. 119. in Ioan. Vide Chry- sost. Homil. 84. in Ioan. & Cyrillum Alex. lib. 12. in Ioan. & Theophilac. in cap. 19. Ioannis, & Euthymium ibid. & Epi- phan. Hæresi 78. & An- selmum lib. de Excellen- tia Mariæ cap. 5.
1. Tim. 5. 8.
Io. 19. 27.
Vide Suarez tomo 2. in 3. p. Disp. 17. Sect. 4.
Prosper.

CAPUT

CAPUT CXI.

Eodem Decalogi præcepto reductitiè tenemur observare parentes morales, quò directè jubemur honorare naturales: quiasicut hi nobis sunt principia generationis, ita illi gubernationis, aut eruditionis. Cur Principes, etiam dyscoli, ambiant intitulari PATRES PATRIÆ*? Cur Ecclesiastici Præsules appellentur* PAPÆ, PATRIARCHÆ, ABBATES &c? *Romanus Hierarcha ab Augustino dictus* PATER CHRISTIANÆ PLEBIS. *Expenditur Apostoli oraculum*, Qui benè Præsunt Presbyteri duplici honore digni habeantur. *A parentibus physicis habent filij ut sint, à didascalicis ut benè sint. Alexander Magnus suspexit Aristotelem Præceptorem, non secùs ac Philippum genitorem. Parentum sive physicorum sive ethicorum erga suos respectivè filios, & horum erga illos, reciproca obligatio. Probabilitatum patroni plurifariè laxant obligationem filiorum ergà parentes physicos. Tamburini principijs consectaneum est, præceptum honorandi parentes nullo unquam tempore per se obligare filios. Idem reputat probabile ac tutum, licere filijs conjugia inire, etiam cum indignis, non modò absque consensu, sed & cum dissensu parentum. Contrarium evincitur authoritate ac ratione. Censet prætereà licere filijs optare mortem parentum, intuitu adeundæ hæreditatis vacaturæ. Expenditur paræmia*, Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit: *& illa item altera*, Qui festinat ditari non erit innocens. *Augustini censura de filiorum erga paternas mortes dissonis affectibus. Novi Moralistæ potestatem monarchicam hinc ampliant, inde angustant. Eorum Maximæ regnantibus periculosæ, regnicolis dispendiosæ, Iudicibus ac clientibus quadantenùs exitiosæ, quadantenùs lucrosæ. Episcopales ac Doctorales quædam Censuræ super easdem Maximas. Laxitatum novelli Commentores quò suam discipulis solertiam speciosiùs inculcent, vetustioribus Ecclesiæ Magistris insultant. Sicut dignus est deseri à filijs desertor parentum, ita & à discipulis desertor magistrorum. Cælestini Papæ parænesis*, Desinat incessere novitas vetustatem. *Eunomij hæresiarchæ gloriatio de invento à se novo tramite, priscis incomperto, perveniendi ad metam. Basilius Magnus eo se esse ingenio profitetur, ut non facilè neoterica admittat.*

CDVII. AD quartum istud Decalogi præceptum, quo jubemur honorare parentes, reductitiè spectant quædam alia præcepta, in Decalogo quidem subticita, sed tamen obsequia filialibus similia injungentia: N. Sicut carnalis pater, inquit Angelicus „ Doctor, particulariter participat rationem „ principij, quæ universaliter invenitur in „ Deo: ita etiam persona quæ quantùm ad „ aliquid gerit circa nos providentiam, parti„ culariter participat proprietatem patris; „ quia pater est principium & generationis, „ & educationis & disciplinæ, & omnium „ quæ ad perfectionem humanæ vitæ perti„ nent. Persona autem in dignitate consti„ tuta, est sicut principium gubernationis re„ spectu aliquarum rerum, sicut Princeps ci„ vitatis in rebus civilibus, Dux exercitus „ in rebus bellicis, Magister autem in disci-

N D. Thom. 2.2. q. 102. a. 1 in corp. Vide Estium in 3 dist. 37 § 17. & Hesselium in Decalog. cap. 131. & seqq.

 plinis:

„ plinis: & simile est in alijs. Et inde est quòd „ omnes tales personæ *Patres* appellentur, „ propter similitudinem curę: sicut 4. Reg. 5.

4. Reg. 5. 13.

„ Servi Naaman dixerunt ad eum, *Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta*" &c. Quemadmodùm igitur nomen *Patris* per ampliationem quandam attribuitur ijs; qui tametsi nos secundùm carnem nequaquàm genuerint, præsunt tamen nobis; & ad nostram educationem sive corporalem, sive spiritalem concurrunt: ita quoque obsequia talibus juxta dictamen rectæ rationis impendenda, ad cultum pietatis parentibus exhibendum reducuntur, adeoque præcepto honorandi parentes indicta censentur. Unde D. Thomas ibidem subdit: " Sicut sub Religione, per „ quam cultus tribuitur Deo, quodammodò „ invenitur pietas, per quam coluntur pa„ rentes: ita sub pietate invenitur observan„ tia, per quam cultus & honor exhibetur personis in dignitate constitutis". Inquirit Seneca; O. *Quodnam sit Principis officium*? Et verbulò respondet, *Quod bonorum parentum*. Et mox iterùm subdit: *Hoc quod parenti; etiam Principi faciendum est: quem appellavimus PATREM PATRIÆ, non adulatione vanâ adducti. Cætera enim cognomina honori data sunt: MAGNOS, & FELICES, & AVGVSTOS diximus; & ambitiosæ Maiestati quicquid potuimus titulorum congessimus, illi hoc tribuentes: PATREM quidem PATRIÆ appellavimus, ut sciret datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaque post illos ponens.* Titulus ille *Patris Patriæ* primo omnium Ciceroni ex Decreto Curiæ datus est, post dissipatam Catilinæ conspirationem; Augusto item posteà concessus, &, ut quidam ait, P. *A successoribus sæpè ambitiosè magis, quàm verè usurpatus.* Causa tantæ ambitionis fuit partim quòd probè nossent Q. *Gratius esse nomen pietatis, quàm potestatis*; partim denique, quòd summoperè affectassent videri & vocari tales, quales esse deberent, quantumlibet procul inde moribus facinoribusque distarent. Deberent autem esse *Patres Patriæ*, quia deberent esse veri Principes, non tyranni: R. *Animadverti*, ait quidam Sapiens, *nihil inter Principem bonum, & Patrem bonum interesse.* Et alius pariter Sapiens: S. *Sunt Principes*, inquit, *publici parentes civitatum & gentium, quotquot boni sunt; nec cedunt pietati naturalium parentum. Contrà qui in subditorum detrimentum abutuntur potentiâ, nequaquam Principes, sed hostes appellandi sunt, cùm agant hostilia.* Hæc porrò quę de politicis Principibus ab his authoribus scripta potissimùm fuerunt, à fortiori militant in hierarchicis; quorum ex personâ quispiam, præbens cæteris exemplum, dicebat subditis, *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos: nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs.* Et alibi, *Ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* Et alibi rursùs ad alios, *Filioli mei, quos iterum parturio.* Sanè non sinè peculiari Numinis instinctu evenisse putandum est, quòd qui hierarchico regimini præsunt, ipsis suis vocabulis admoneantur quales esse debeant. Quid enim nisi paternitatem sonant nomina ista, *Papa, Patriarcha, Abbas*, & similia? Cùm ergo ipsi ratione præfecturæ suæ sint *Patres*; consequens sanè est ut subditi agnoscant se eorum filios; & consequenter agnoscant sibi viritim dictum in Decalogo, *Honora patrem tuum.* Quis Christianorum est, qui non Christianæ plebis membrum se reputet, aut certè reputari affectet? Et tamen Augustinus, supremum Ecclesiæ Hierarcham compellans, exclamat: T. *O filium Christianæ pacis, & PATREM Christianæ plebis!* Quod si *pater* fuit ille *Christianæ plebis*, profectò filij ejus fuere omnia membra ejusdem plebis. Si autem filij, proculdubiò ad eum honorandum obstricti: dicente Domino, *Honora patrem tuum.* Quamvis autem supremo hierarchici ordinis Vertici antonomasticè approprietur nomen *Papa*, juxta præsentem Ecclesiæ usum; nihilominùs etiam cæteris animarum Rectoribus appellatio *patris* congruit, & honor à subditis debetur, dicente Apostolo: *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Talibus quippè debetur honor & titulo presbyterij, & titulo magisterij; sive titulo præfecturæ quâ præsunt, & titulo instructuræ quâ docent. Sunt enim magistri tanquàm patres à discipulis colendi, quoniam ab eis hauriunt disciplinam benè vivendi. Novit hoc Alexander Magnus, & idcircò V. Aristotelem suspexit, & charum habuit, „ non secùs quàm *Parentem*, quòd hujus beneficio viveret, illius honestè viveret". Alexander item Hierosolymitanus Antistes, scribens ad Origenem de Pantæno & Clemente, Alexandrinæ Scholæ pridem Professoribus: W. *Patres*, inquit, agnoscimus beatos illos „ viros, qui nos præcesserunt, Pantænum dico & Clementem". Hic quoque ipse Clemens in libris Stromatum: X. *Patres*, inquit, „ eos dicimus, qui nos Catechesi instituerunt". Et post pauca rursùs ibidem: " Filius est quisquis eruditur". Et sanè usus jam loquendi obtinuit, ut discipulus quisque se *filium eruditionis* sui præceptoris agnoscat, adeoque illum pro patre suspiciat. Et quid plura? Nemo nescit veteres Ecclesiæ Doctores ab omnibus passim vocari *Patres*, non quòd nos corporaliter genuerint, sed quòd suis Scriptis erudierint. Planum igitur esse debet, impendendum his esse honorem à discipulis, idque ex pręscripto quarti hujus pręcepti Decalogi, *Honora patrem tuum.* Unde Celestinus Papa probè sciens quàm multos eruditionis filios Augustinus per orbem progenerasset, ait de ipso: Y. Benè

O. Seneca l. 1. de Clementia c. 14.

P. Pet. Greg. l. 6. de Republ. c. 14. n. 5.

Q. Tertul. in Apolog. cap. 34.

R. Chrysant. apud Xenoph. l. 8. Cyropædiæ.

S. Philo Iudæus lib. de creat. Principis.

2. Cor. 12. 14.

1. Cor. 10. 33.

Gal. 4. 19.

Ex. 20. 12.

T. August. Epist. 181.

1. Tim. 5. 17.

V. Plutarch. in vit. Alexandri M.

W. Alexan. Hierosol. apud Niceph. l. 5. c. 18.

X. Clem. Alex. lib. 1. Stromat. initio.

Y. Benè de eo omnes in commune senserunt, „ utpotè qui ubique cunctis & amori fuerit, & HONORI". Neque verò soli prædicti tres Ordines, principantium, pascentium, & erudientium, comprehenduntur sub appellatione *Patrum*; sed prætereà quisque herus in sua domo, respectu etiam eorum qui etsi non filij, domestici tamen sunt; ut uxor, famuli, ancillæ, & similes. Unde hi omnes honorem ei impendere tenentur ut patri, quamdiu ejus familiæ manent incorporati. Hoc insinuatur ipso vocabulo *Patrisfamilias*, quo herus quisque in sua domo nuncupatur, quasi totius familiæ pater. Potest proinde hic quemlibet in familiâ sibi subditâ refractarium increpare illis verbis, *Si ego pater sum, ubi est honor meus?* Postremò denique ad idem Decalogi præceptum per viam reciprocationis reduci debent obligationes singulis prædictis respectivè in alteris extremis correspondentes, ut obligatio parentum erga suas proles, correspondens obligationi prolium erga ipsos: item obligatio Principum civilium erga subditos suos, & Ecclesiasticorum similiter erga suos, correspondens obligationi horum respectivè erga ipsos: item obligatio Magistrorum erga discipulos, correspondens obligationi horum erga illos: item obligatio patrumfamilias erga familiares suos, non solùm sanguine junctos, sed quovis necessitudinis vinculo nexos; correspondens obligationi horum erga ipsos. De quibus singulatim ex professo tractat Hesselius in sua Decalogi Explicatione cap. 135. & tredecim sequentibus, quem summariè recapitulavit Estius in 3. Dist. 37. § 17.

Y. Celestin. Epist. 1. c. 2.

Mal. 1. 6.

Hesselius.

Estius.

CDVIII. Videamus nunc quemadmodùm novelli probabilitatum patroni quartum istud Decalogi præceptum in diversis suis membris luxare moliantur. Ac inprimis ex ipsorum Maximis cap. 94 relatis consectarium est non teneri unquam filium honorare parentem quamdiu ei suppetit probabilis aliqua ratio opinandi eum non esse suum parentem, licèt sciat oppositum esse probabilius ac tutius. Cùm enim asseverent sufficere quamcunque probabilitatem, *sive intrinsecam, sive extrinsecam, quantumvis tenuem, ad prudenter agendum*; coguntur profectò fateri eandem sufficere ad prudenter omittendum. Omittat ergo in perpetuum filius honorare parentem, quem probabilitate quantumvis tenui opinatur non esse suum parentem. Secundò sepositâ etiam omni probabili ratione dubitandi de parente, nunquam filius per se loquendo obligabitur, ex Tamburini principijs, honorare suum parentem. Patet id ex hac ejus positione §. 384. relatâ, *Nunquam præceptum aliquod obligat, nisi sit determinatum: cùm enim non possit ut indeterminatum exire in executionem, non censetur practicè esse completum.* Perspicuum quippe est præceptum honorandi parentes non minùs esse indeterminatum, quàm præcepta credendi, sperandi, diligendi, orandi, adorandi. Cùm ergo hæc, juxta hunc authorem, nunquam per se obligent, eo quòd sint indeterminata, adeoque practicè incompleta: idem prorsùs dicere cogitur de præcepto honorandi parentes. Tertiò quamvis ad reverentiam parentibus debitam spectare videatur, ut proles in rebus magni momenti consilium eorum consensumque exposcant, nec eorum indignationem in se provocent: Tamburinus tamen propositâ quæstione, Z *An cum indignis possint filij licitè contrahere* (matrimonia) *patre vel genitrice dissentientibus?* Respondet in hunc modum: *Licèt aliquibus videatur non posse, idque sub mortali, quod certè valdè probabile est: fateor tamen probabile etiam esse, ac tutum; quòd possint.* Ubi peculiariter notandum est, sermonem esse de matrimonijs quæ invitis parentibus ineuntur *cum indignis*: alioquin enim si cum dignis ineantur, author ibidem superiùs n. 2. pro certo & explorato habet licita esse. Quod tamen ipsum communi eruditorum consensui repugnat; qui tametsi contra hujus ævi quosdam Sectarios pro certo habeant valida esse matrimonia filiorum invitis parentibus inita, illicita tamen esse conclamant: prout cernere licet apud Henriquez in Summâ lib. 11. cap. 6. & apud Basilium Pontium lib. 2. de Matrimonio cap. 1. & apud Bellarminum lib. 1. de Matrimonio cap. 19. & 20. Neque verò solâ authoritate tam veterum quàm recentiorum ea sententia nititur, sed naturali rationi prorsùs consentanea est: ut proindè rectissimè ac verissimè scripserit in suis Institutionibus lib. 1. Tit. 10. Imperator Justinianus, *eam suadere & civili & naturali ratione.* Jampridem quoque ante Justinianum Beatus Ambrosius loquens de quodam patre cujus filius ipso inconsulto matrimonium inierat, & ob id indignationem patris incurrerat: A. *Justa*, inquit, *indignatio fuit.* Si justa fuit indignatio patris, proculdubiò iniqua offensio filij. Ut autem Ambrosius eidem patri ostenderet justam fuisse ejus indignationem, subdidit ibidem hanc rationem: *Quoniam venturam in locum filiæ tuæ debuisti eligere judicio cui fieres pater. Nam aut naturâ filios suscipimus, aut electione: in naturâ casus est, in electione judicium; magisque in adoptatis offendimus, quàm in genitalibus filijs: quia genitales filios esse degeneres, ad naturam refertur: adscitos vel adoptione vel copulâ dedecores esse, nostro errori adscribitur. Fuit ergo quòd succenseres filio.* Si justè succenseat filius patri, obtrudenti sibi uxorem invito; cur non & pater filio, obtrudenti sibi nurum invito? B. Nisi „ justa, inquit Estius, & rationabilis causa di- „ versum suadeat, tenentur liberi parentum „ suorum consilium audire, & consensum expe-

Tamburin.

Z Tamburin. l. 5 in Decalog. c. 2. §. 3. n. 8.

Henriquez.

Pontius.

Bellarm.

Justinianus.

A Ambros. Epist. 64. alias 43. ad Sisinnium.

B. Estius in 4. Dist. 28. § 2.

,, expectare in contrahendo matrimonio : id-
,,que multas ob causas. Primò propter *honorem*
,, parentibus super omnes alios propinquos
,, & amicos debitum : qui sanè postulat, ne
,, quid magnum, cujusmodi est inprimis con-
,, jugium, aggrediantur filij, sine illorum con-
,, silio & consensu. Secundò quia parentum
,, interest, quem generum vel quam nurum
,, sint habituri, cui & dotem annumerent, &
,, parentis officium tanquam filio vel filię im-
,, pendant. Cùm enim per matrimonium vir
,, & mulier unum corpus efficiantur, debent
,, generi & nurus quasi filiorum loco haberi
,, à soceris. Tertiò quia parentes plerunque
,, & possunt filijs rectè consulere, quia pru-
,, dentiâ per ætatem atque experientiam plus
,, valent; & volunt, quia eos impensè di-
,, ligunt. Postremò quia filij jam conjugati
,, in multis adhuc egent auxilio & consilio
,, suorum parentum : quâ in re promptiores
,, & propensiores eos erga se invenient, si non
,, absque eorum consilio & consensu in con-
,, jugium se dederint. Hinc igitur est, quòd
,, illi, quos nobis Scriptura commendat, ferè
,, non leguntur inconsultis parentibus uxores
accepisse". Easdem has rationes pro eadem
Hesselius. veritate astruendâ profert Hesselius libro 5.
Catechismi cap. 115. Quibus adductis, sub-
dit : " Sunt plures rationes, sed principalis
,, est quæ continetur illo præcepto, *Honora pa-*
Exo. 20. 12. ,, *trem & matrem.* Hinc in Scripturâ vitupera-
,, tur Esau, quòd acceperit uxores inconsultis
,, & inscijs parentibus; imò quas parentes no-
luerunt agnoscere pro nuribus". Nondum
fuerat Decalogus in tabulis lapideis descrip-
tus, quando Esau uxores sic duxit : sed quia
lex naturæ non fuit penitùs de tabulis huma-
ni cordis deleta, Esau ei contraveniendo pec-
cavit, & peccando justam parentum indigna-
tionem incurrit. Porrò prædictæ authoritates
& rationes militant directè contra irreveren-
tiam filiorum erga parentes in assumendis
uxoribus absque eorum consilio & consensu,
sive interim eæ fuerint dignæ, sive indignæ.
Quapropter cùm improbent assumptiones
uxorum etiam dignarum inconsultis vel in-
vitis parentibus factas, à fortiori improbant
assumptiones indignarum taliter factas. sed
ideò authores de assumptione indignarum
specificè non disseruerunt, quia nullum ejus
approbatorem unquam futurum timuerunt.
Verùm præter omnium spem, nec sine justâ
omnium parentum indignatione, inventus
Tamburin. tandem est Tamburinus, qui diceret ac scri-
beret, *Probabile esse, ac tutum, quòd possint filij*
licitè CUM INDIGNIS contrahere, patre, vel ge-
nitrice dissentientibus. Aliam præstereà senten-
tiam tradit idem author, quam nescio an piæ
B lib. 1 c. 1. ullæ aures absque tinnitu audire possint :
§. 3. n. 29. Quærit ille, B. *An possit filius mortem patris optare,*
vel de illa gaudere, non ut malum patris (hoc enim
esset odium execrandum) sed ut ipse filius paterna hæ-
reditate fruatur? An mater possit desiderare mortem
filiæ, ne illam alere, vel dotare cogatur? An possit
subditus mortem cupere sui Prælati, ut Prælatura ipse
succedat, vel ut ab eo Prælato sibi infenso liberetur? Se-
quitur ad hæc quæsita ibidem mox ista autho-
ris responsio: " Si solùm desideres, vel cum
,, gaudio excipias ejusmodi effectus, hæredi-
,, tatem, molestiæ carentiam, Prælaturam &c.
,, facilis est responsio : licitè enim hæc optas,
,, vel amplecteris; quia non gaudes de alte-
rius malo, sed de proprio bono". Rursùs
n. 30. continuans sermonem de eâdem ma-
teriâ : " Si desideres, inquit, sub conditione,
facilis item est responsio : licitè posse". Ne-
que hìc sistit, sed pergit à conditionato de-
siderio ad absolutum, subdens mox n. 31.
" Denique si ABSOLUTE DESIDERES in hunc
,, modum : *Cupio mortem patris, non ut malum*
,, *patris est, sed ut bonum meum, seu ut causa boni*
,, *mei, nimirum quia ex illius morte ego eius hæredi-*
,, *tatem adibo* : vel sic, *Utinam moriatur mea filia,*
,, *nam sic sexcentas sollicitudines excutiam* &c. Si,
,, inquam, sic desideres, major est resolvendi
,, difficultas; quia tunc eligis velle malum
,, illis, quamvis ut causam tui commodi, quod
,, non videtur culpâ vacare. Et ita quidem
putat Bonacina". Quid verò ipse? Bonaci-
næ opponit Castropalaum, contendentem
ejusmodi cupidinem licere. Addit præstereà
n. 33. quædam loca ipsius Bonacinæ, velut
sibi ipsi non satis constantis. Ac tum conclu-
dit in hunc modum : *Ex quibus vides, opinionem*
Castropalai esse satis probabilem. Meminerit autem
lector quid hic author scripserit in prælimi-
nari monitione ad lectorem, unde hæc verba
descripsimus superiùs cap. 94. §. 352. *Cum*
sententiam quampiam PROBABILEM, *seu,*
quod idem est, NON IMPROBABILEM, *in his in*
Decalogum libris, uti & alibi, appello; illud dico,
eam te, sine peccati scrupulo amplecti, atque in praxi
sequi tutò posse. Cùm ergò mox audierimus
eum dicentem, quòd memorata sententia
Castropalai sit *satìs probabilis*, ambigere non
debemus, quin juxta ipsum quisque *eam sine*
peccati scrupulo amplecti, atque in praxi sequi tutò
possit. Ego autem puto, neminem, filialis pie-
tatis utcunque participem, posse eam senten-
tiam, quâ paternæ mortis cupido approbatur
prætextu assequendæ hæreditatis, sine animi
horrore & aurium tinnitu audire. Quis pater
in suâ familiâ toleret filium, suæ morti in-
hiantem; nec aliud obtendentem, quàm quòd
eam non optet quatenùs patri malam, sed
quatenùs sibi proficuam? Cùm Proverbiastes
dixisset: *Qui maledicit patri suo, & matri, extin-* Prov.
guetur lucerna eius in medijs tenebris; statim sub-
junxit, *Hæreditas, ad quam festinatur in principio,* Ibid.
in novissimo benedictione carebit. Si prætextu
adipis-

adipiſcendæ hæreditatis liceat optare mortem patris, licebit & junioribus fratribus optare mortem ſeniorum fratrum, quo pertingant ipſi ad eorum primogenia: & quo amplior fuerit hæreditas, aut pinguiora primogenia, eò juſtior erit in filio vel fratre affectatio mortis paternæ vel fraternæ: & ſimiliter in Eccleſiaſticis, quo ſublimior & opulentior fuerit prælatura, eò excuſabilior erit ejus appetentia, cum ſubappetentia mortis Prælati. Obſecrat

1. Tim. 2. 1. & 2. Apoſtolus *Fieri orationes pro Regibus, & omnibus in ſublimitate conſtitutis*; & ex præſcripto Pſal-

Pſ. 19. 10. mographi orant fideles, *Domine ſalvum fac Regem*: pro Pontifice quoque in diebus Rogationum ex Eccleſiæ Sanctione concinitur, *Dominus conſervet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra.* Quâ fronte pro ſalute Regum orabunt, qui à Tamburino vel Caſtropalao edocti didicerint optare mortem Regis intentione aſſequendæ coronæ Regiæ: vel pro ſalute Pontificis, qui inhiant ejus morti, ſpe perve-

C. Auguſt. Epiſt. 107. niendi ad tiaram? C. Labia doloſa, inquit Au„guſtinus, ſi in hominum quibuſcunque ſer„monibus ſunt, ſaltem in orationibus non ſint". Abſit proinde ut ſalutem Principibus apprecemur oribus ac vocibus noſtris, mortem autem iiſdem imprecemur cordibus noſtris. Conformemus potiùs corda noſtra precibus noſtris legitimè præſcriptis; ut lex ſupplicandi legem ſtatuat non ſolùm credendi, ſed & cupiendi. Diſcamus ex Auguſtino qualis debeat

D Auguſt. Enchir. c. 101. eſſe filiorum pro patribus affectus: D. Aliquan„do, ait ille, BONA voluntate homo vult ali„quid, quod Deus non vult, etiam ipſe bonâ „multò ampliùs multoque certiùs voluntate; „nam illius mala eſſe voluntas nunquam po„teſt: tanquàm ſi BONUS filius patrem velit vi„vere, quem Deus bonâ voluntate vult mori.

Vide Magiſtrum lib. 1. ſent. Diſt. 48. & ibi Scholaſticos. „Et rursùs fieri poteſt ut hoc velit homo vo„luntate MALA, quod Deus vult bonâ: velut ſi „MALUS filius, velit mori patrem; velit hoc „etiam Deus. Nempe ille vult quod non vult „Deus, iſte verò id vult quod vult & Deus: & „tamen bonæ voluntati Dei PIETAS illius po„tiùs conſonat, quamvis aliud volentis, quàm „hujus idem volentis IMPIETAS. Tantum in„tereſt, quid velle homini, quid Deo congruat: „& ad quem finem quiſque ſuam referat vo„luntatem, ut aut approbetur, aut improbetur". Ecce bona & pia Auguſtinò eſt voluntas, quâ filius vult patrem vivere, etiam nolente Deo eundem vivere; mala verò & impia eidem eſt voluntas, quâ filius vult patrem mori, etiam volente Deo eundem mori. Neque verò hujus poſtremæ voluntatis malitiam aut impietatem abſtergere poteſt intentio conſequendæ hæreditatis: quippe quæ nihil aliud eſt,

1 Tim. 6. 10. Prov. 28. 20. Vide Aug. fragmento 2. cap. 10. quàm affectus illius cupiditatis, quam Apoſtolus *Omnium malorum radicem* appellat. Æquumne igitur fuerit ut filius mortem paternam referat in obſequium mammonæ? Piumné fuerit, pro aſſequendis feſtinè terrenis divitiis triſtari de ejus vita, à quo habuiſti ipſe vitam? Profectò fallor; niſi in hujuſmodi filium appoſitè quadret iſtud Paræmiaſtis oraculum, *Qui feſtinat ditari non erit innocens.*

CDIX. Poſt parentes naturales ſupereſt diſſerendum de moralibus, hoc eſt, de iis qui non quidem ſunt filiis principia generationis, ſed tamen ſunt eis principia vel gubernationis, vel eruditionis; quales ſunt Principes aliique Superiores tam politici quàm hierarchici; deinde Magiſtri reſpectu diſcipulorum quos erudierint. Superioribus à ſubditis debetur obedientia & obſervantia, Magiſtris à diſcipulis reverentia & honorificentia. Ad Superiores quod attinet, patroni probabilitatum in quibuſdam videntur nimiam eis libertatem arrogare, in aliis verò eandem libertatem plus æquo coarctare. Nimiam arrogare videntur, dum Principibus licere aſſerunt vendicare ſibi, etiam armis bellicis, quicquid probabili aliquo jure ad ſe pertinere putaverint: E. Dico, inquit Tambu- E. Tambur. lib. 1. in Decal. c. 3. §. 4. n. 10.
rinus, *in probabilitate orta ex jure quemlibet Regem licite bellum gerere contrà aliū poſſe. Ratio eſt, quia, ut eſt toties dictum, poteſt quis ſequi opinionem probabilem; omiſſâ probabiliore.* Obſervet porrò lector ex iis quæ ſuperiùs §. 352. & 353. adduximus; quàm facilè ſit Regibus in quavis penè occaſione vel opportunitate procurare ſibi eam probabilitatem, quæ Tamburino ſufficit ad licitè procedendum. Subinquirit porrò ibidem mox idem Tamburinus: *Quid ſi alter poſſideat?* Quam quæſtionē ita reſolvit, ut ſuam quidem mentem pro unâ contradictionis parte aperiat; ſed & alteram ſimul partem propter authoritatem aliorum fateatur probabilem, adeoq; juxta ipſius Maximas proximo §. repetitas, tutam ac ſecuram: *Reſpondeo*, inquit, *tunc ex mea ſententia non poſſe.* Sed mox n. 31 ſubdit: *Dixi EX MEA SENTENTIA; nam ex bonorum authorum opinione poſſe video: qui nihil obſtante prædicta unius Regis poſſeſſione; putant in dicto caſu ab alio Rege impeti bello Regem poſſidentem poſſe.* Hæc nimirum eſt praxis huic authori admodùm familiaris, ut per indirectum aſtruat, quod per directū deſtruere videtur. Cæterùm ſi quis aveat ſcire quinam ſint illi *boni authores*, quos pro adverſa ſibi opinione ſtare aſſerit: reperiet duos in margine citatos; *Caſtropalaum*, & *Ioannem Sancium*; quorum tamen prior in eodem tomo longè inferiùs corrigit ſententiam, quam loco per Tamburinum notato tradiderat: F. Adverto, inqui- F. Caſtrop. tomo 1. Tract. 6. Diſput. 5. P. 6. n. 8.
„ens, te non poſſe alium à poſſeſſione Regni „deturbare ex eo, quòd credas regnum ad te „pertinere, niſi ſimul valeas claris probationibus convincere". Non ergo ex mente Caſtropalai, ſe ipſum corrigentis, licitum eſt Regi deturbare bello alium Regem poſſeſſione munitum, niſi jus ſuum valeat non ſolâ probabili ratione aſſerere; ſed *claris probationibus convincere.* Remanet igitur Tamburino ex ſuis *bonis authoribus* ſolus Ioannes Sancius: ſed parum

refert, quandoquidem ad probabilitatem authenticam sufficiat, ei unicus author, prout §. 352. & 353. vidimus. Huic porrò positioni consectaria est alia, non minùs periculosa ac perniciosa subditis, quàm illa prior vicinis Dynastis: posse nimirùm Reges, probabili aliquâ ratione munitos, adigere subditos ad militandum, ad sumptus belli conferendos, ad reliqua belli incommoda subeunda. Cùm enim sine hujusmodi auxilijs & subsidijs peragi nequeat bellum, consequens planè est, ut si possint Reges, probabili duntaxat ratione freti, aggredi bello Dynastas extraneos, possint pariter & ad media bello gerendo necessaria compellere subditos. Est præterea aliud similiter consequens, eidem positioni consectaneum, posse nimirùm Reges, probabilitate qualicunque munitos, deturbare suis possessionibus subditos suos proprios. Si enim probabilitas sive intrinseca sive extrinseca sufficiat Regibus ad occupandum bello ditiones finitimorum Principum, quantò magis sufficere censenda est ad confiscanda bona subditorum? Neque enim hujusmodi confiscationes millesimâ ex parte pariunt tot ac tanta incommoda, quot ac quanta pariunt strepitus bellici. Accedit insuper, quòd non desint authores eruditione celebres, qui censeant omnia subditorum bona ad Reges jure dominij pertinere, solo usu penès subditos residente, eoque ipso pro libitu Regum transferendo vel auferendo, ubi ratio aliqua inciderit. Cui proposito accommodant quod à Samuële dictum fuit Hebræis Regem postulantibus, *Hoc erit jus Regis* &c. Ecce qualiter probabilitatum patroni nimiam Regibus ac Principibus libertatem in subditos, hoc est, parentibus moralibus in filios, arrogant! At certè hæc arrogatio quantumvis primâ fronte appareat speciosa ac Regibus compendiosa, penitiùs tamen introspecta nimis est periculosa, dispendiosa, perniciosa. Nam si liceat uni Regi propter rationes merè probabiles deturbare alios possessione munitos, pari jure licebit alijs deturbare ipsum possessione munitum: quo enim jure quis in alios utitur, idem ut ipse patiatur æquissimum est. Similiter si liceat Regibus propter rationes vel authoritates merè probabiles deturbare subditos possessione bonorum avitorum, pari jure licebit subditis propter rationes vel authoritates pariliter probabiles deturbare Reges possessionibus regnorum suorum. Proinde si hæc probabilitatum doctrina invalescat, Reges promiscuè omnes exponet præsentissimo periculo patiendi, quod nuper cum totius Christiani orbis stupore Rex Magnæ Britanniæ fuerat perpessus. Quid enim de illo Britannico facinore dicturi sunt isti probabilitatum patroni? Licitumne fuit subditis Regem suum vitâ regnoque privare? Si asserant, consequenter admittere debent, cæteros etiam Reges in paribus circumstantijs pariliter privari per subditos posse. Si negent, certè non apparet quomodò suis Maximis §. 352.& 353. relatis insistere possint: cùm constet illud facinus non unius alteriusve Doctoris, sed integri Parlamenti, ex totius Regni Deputatis maximo numero considentibus conflati, suffragijs comprobatum fuisse. Inquirit Caramuel,[F] *An miles dubitans de iustitia belli possit bellare?* Et relatis super ea re tribus Doctorum sententijs, subdit ipse n. 1408. *At ego nego casum esse possibilem: quia totius Respublicæ & Concilij supremi authoritas gravis est; quacum nec dubium, nec timor, nec scrupulus componi potest.* Et rursùs ibidem post pauca resumens sermonem de milite priùs dubitante de justitia belli: *Non potest*, inquit, *dubium non deponere: Ergo non potest illud habere. Probatur Minor: quia non potest ignorare illud bellum geri à Republica, nec potest ignorare resolutiones unius Reipublicæ esse gravis authoritatis: Ergo non potest esse in tali casu dubitatio.* Miltoni liber apologeticus, in defensionem istius Regicidij editus, exuri meruit nuper quidem Londini, & pridem antea Parisijs, utrobique authoritate supremi Senatûs. Quomodò igitur alterubi tolerantur libri Moralistarum, quibus principia *Miltoniana apologiæ* consentanea traduntur? Video sanè illa Moralistarum principia in Censura Archiepiscopi Senonensis reprobari, tanquam[G] *Regibus iniuriosa, pacis ac tranquillitatis publicæ perturbativa atque ad iniustitias & seditiones viam aperientia.* Sed transeamus nunc ad alterum extremũ, ostendamusq́; eosdem probabilitatum patronos per alias suas Maximas nimis arctare potestatem Regum ac Principum: [H]Subditus, inquit „ Tamburinus, qui omnibus expensis dubitat „ an gabella sit justè imposita, teneturne illam „ solvere? Teneri docent alij, quia possessio „ justitiæ præsumenda est pro Principe. Non „ teneri alij putant, quia possessio stat pro li- „ bertate subditorum, qui non sunt obligandi „ solvere, nisi certi sint de justitia. Caramuel „ asserit tributa, sive nova sive prisca, non poni „ leviter, sed magnâ consideratione; ergo du- „ bia non erit tributi justitia, sed vel certa, vel „ probabilis: si certa, omninò debebitur: si „ probabilis, non debebitur, quia probabilia „ neminem involuntarium cogunt; nisi in ea „ Republica esset lex acceptata, ut subditi te- „ neantur ad obedientiam etiam in materia probabili". Ecce trinas authorum sententias à Tamburino relatas! Sed quid ipse? *Omnes*, subdit, *hæ tres sententiæ sunt probabiles, quia bona fundamenta innituntur*. Si probabiles, proculdubiò juxta ipsius Maximam §. 352. descriptam & §. 408, repetitam, *sine peccati scrupulo amplexibiles, atque in praxi tuta*. Quicunque ergò voluerint secundæ sententiæ adhærere, quales haud dubiè futuri sunt plerique de populo, si non omnes, gabellas Regibus confidenter negabunt, & alios forsan solventes tanquàm simplicianos deride-

Vide Blacvodæum in Apolog. pro Regib. c. 7. 26. & 31. cum ijs quos citat.

1. Reg. 8. 11.

F. Caram. lib. 3 Theol. Moralis n. 1407.

G. Censura Senonensis ad Art. 3.

H. Tambur. lib. 1. cap. 3. § 7. littera C. n. 1.

deridebunt. Sed generaliorem adhuc regulam tradit Castropalaus:[l] *Audeo affirmare*, inquiens, *valdè probabile esse, te obligatum non esse superiori præcipienti obedire, quando opinionem habes probabilem illicitam esse rem imperatam, vel excedentem eius iurisdictionem. Moveor primò: licitum subdito est non parere superiori præcipienti, quando est opinio probabilis non esse obligatum parere: sed quando est opinio probabilis non esse licitum quod imperat, vel esse extra eius iurisdictionem, est opinio probabilis non esse obligatum parere: Ergo &c.* Observet præterea lector authorem hunc superiùs ibid. Puncto 1. n. 3. affirmasse, unius Doctoris suffragium sufficere quandoque posse ad probabilitatem. Ex quibus facilè quisque perspicit, quàm levi negotio possint subditi, hoc præsertim ævo probabilitatum feracissimo, eludere leges ac præcepta Regum aliorumque quorumlibet Superiorum suorum. Æquè item facilè unusquisque advertere potest, quantoperè ab hisce probabilitatum patronis coarctetur legislativa Principum potestas; subtrahendo ei omnia de quibus habeatur probabilitas in oppositum: ut omittam quòd Tamburinus §. 398. in fine relatus affirmet, *Leges civiles de facto, vel rarò; vel certè non frequenter obligare sub mortali: Ecclesiasticas item non multùm frequenter.* Advertat denique lector non requiri ab his laxonibus certitudinem probabilitatis, sed sufficere meram ejus probabilitatem, eamque sive intrinsecam, sive extrinsecam. Quâ de re videri possunt: quæ superiùs cap. 94. scripsimus, ubi hanc ejusdem Tamburini positionem discussimus: *Absolutè puto satis esse in omnibus casibus, constare probabiliter opinionem esse probabilem.* Sed quid si Princeps, vel Judex ab eo constitutus, punire velit eos, qui opinionem probabiliter probabilem sequentes detrectant obedire legibus aut præceptis? Hunc metum eis adimere satagit author Articuli septimi inter viginti sex, quos ad instantiam Episcopi Gandavensis censuravit Facultas Theologica Lovaniensis die 4. Maij 1657. qui sic sonat: *Clarum & certum est; Judicem non posse punire aliquem, qui secutus est opinionem probabilem.*

l. Castrop. to. 1. Tract. 1. Disput. 2. p. 6. n. 5.

Tamburin.

Vide Caramuelem in Theol. fundam. n. 771. aliàs 1077. & Ioannem Sanctum apud ipsum ibid.

CDX. Antequàm ad debitum discipulorum erga Magistros progrediar, lubet paucis ostendere qualiter probabilitatum patroni ex una quidem parte coarctent potestatem Judicum, & ex altera eandem superamplient. Coarctant nimirùm, quatenùs adimunt Judicibus potestatem puniendi quemquam probabilitatis munimine sese adversùs leges tuentem: ut jam proximè vidimus. Coarctant item quatenùs concedunt reis potestatem occidendi Judices, à quibus prævident se alioquin injustè damnandos ad vitæ, vel honoris, vel fortunarum jacturam: juxta istum Articulum ordine quintum inter viginti sex proximè memoratos: *Licitum est occidere calumniosum actorem, testes, & injustum Judicem; ad servandam vitam, honores, vel res familiares.* Atque ut noverimus pro quantilla *re familiari servanda* liceat absque culpa vel pœna homicidij occidere quemque talium; occurrit iste alter Articulus, ordine decimus septimus inter eos quos anno 1659. Episcopus Namurcensis synodaliter interdixit: *Neque ad culpam, neque ad pœnam homicidij condemnandus est occidens eum, qui injustè aggreditur usurpare rem, quæ est valoris unius aurei; vel minoris.* Meminerit autem lector ex dictis superiùs §. 386. prope finem; *Longè deterius esse injustam sententiam ferre, quàm injustè agere:* atque inde colligat quòd si homicida non sit, qui occidit iniquum abreptorem unius aurei, à fortiori nec illum fore homicidam, qui occiderit injustum abjudicatorem unius aurei. Rursùs cùm juxta doctrinam Articuli proximo §. in fine relati, sufficiat opinionis probabilitas; ut reus non possit absque injustitiâ damnari, consequens omninò erit, Judicem posse absque homicidij reatu occidi à reo; quoties hic probabiliter existimat causam se fovisse justam, atque adeò Judicis sibi contrariam sententiam fore injustam. Ex alterâ verò parte nonnulli probabilitatum patroni superampliant Judicum potestatem, sive judicandi libertatem. Ex his Caramuel in sua Theologia Morali, agens de litigantibus; quorum neuter rem controversam possidet:[k] *Si æqualis*, inquit, *probabilitas sit, potest Judex rem adjudicare cui mavult.* Sed quid Tamburinus? More sibi familiari sic unam partem directè astruxit, ut oppositam per indirectum comprobet. Cùm enim dixisset, rem eo casu neutri parti adjudicari posse, sed inter ambas dividendam esse, *Ut ego*, inquit, *certum puto*: mox adjecit:[L] Dixi, *ut ego certum puto*, nam propter extrinsecam bonorum Doctorum authoritatem, asserentium; in hoc casu posse Judicem pro suo amico, si maluerit, sententiam pronuntiare; potes id ut probabile, si velis, amplecti". Quid verò si jus unius partis sit probabilius? Tamburinus iterum more suo sic uni parti contradictionis subscribit, ut alteri simul suam probabilitatem, adeoque in praxi securitatem, annuat. Postquàm enim ibidem n. 9. dixisset Judicem debere ferre sententiam pro habente majorem probabilitatem in jure, subdidit:" Scio Doctores non infimæ notæ contrarium asserere; putant enim in hoc casu posse Judicem, cui voluerit, rem adjudicare: quia semper probabiliter; atque adeò prudenter adjudicabit. Sed profectò non probabiliter proximè; propter novam hìc superadditam rationem muneris Judicis: *Nolo tamen à probabilitate, saltem extrinsecâ, tantorum sententiam Doctorum excludere*". Meminerit hoc

Vide Franc. Amicum to. 5. Disp. 36. n. 71. & 112. edit. Duacensis anni 1640.

Vide Molinam de Just. & Jure to. 4. Tract. 3. Disp. 16. n. 7. & Tamb. lib. 6. c. 1. §. 2. n. 2.

K. Caram. in Theolog. Moral. l. 6. n. 1467.

L. Tamb. l. 1. in Decalog. cap. 3. §. 4. n. 7.

Vide Bassæ in floribus Theol. Practica verbo Conscientia n. 16.

rit hoc

rit hoc loco lector, hunc authorem superiùs §. 352. à nobis relatum dixisse, *Dum probabilitate, sive intrinsecâ, sive EXTRINSECA, quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus*: atque inde indidem pro certo concludat, eundem authorem sentire, Judicem, probabilitate vel extrinsecâ confisum, posse licitè rem controversam adjudicare cui maluerit; idque non solùm in casu paris, sed etiam disparis probabilitatis. Sed quid si controversia non sit civilis, sed criminalis? Sanè nec in hoc etiam casu Tamburinus morem sibi familiarem deserit: nam ibidem n. 10. asserit quidem Judicem debere sententiam proferre in favorem Rei probabilem pro se rationem habentis, licèt Actor adversùs eum promat rationes æquè vel magis probabiles: nihilominùs mox n. 11. subdit: *Non nego probabile esse Judicem non teneri ad se ita gerendum, licèt possit: id enim non ignobiles Doctores asserunt.* Ecce quantam libertatem concedunt Judicibus patroni probabilitatum, tam in civilibus, quàm etiam in criminalibus! Sed caveant interim sibi Judices hâc libertate utentes, ne ij contra quos in causa probabili sententiant, licentiam occidendi, per præmissas Coarctantium opiniones concessam, usurpent: atque ita Judices cùm lucrati fuerint benevolentiam unius partis; pereant per malevolentiam alterius partis; & decisio *casu pro amico*, pariat eis occasum sui. Verùm Patroni probabilitatum adinvenerunt aliquale solamen pro Judicibus hâc perplexitate turbatis; signanter Eccli. 10. 10. ijs, qui usqueadeò *amant pecuniam*, ut *animas suas venales habeant*. Adinvenerunt nimirùm istum Articulum, ordine undecimum in suprà memorata Censura Lovaniensi, & decimumtertium in Namurcensi: *In causa æquali potest Judex aliquid ab una partium accipere, ut sententiam in eius favorem ferat.* Hoc fortè solamine alleviati aliqui Judices exponent se periculo amittendi vitam, ut saltem hæredibus relinquant pecuniam. Sed an in causa etiam inæquali licebit similiter ab una parte aliquid accipere? Hoc quidem in isto Articulo non asseritur, sed tamen ex paulò antea dictis utcunque deducitur. Cùm enim non ob aliud in causa æquali liceat, quàm quòd Judici tunc licitum sit rem controversam pro suo libitu adjudicare cui maluerit; certè non apparet cur etiam non liceat in causa inæquali, siquidem in hac quoque liberum sit Judici similiter rem adjudicare cui maluerit. Quid verò si tanta sit causæ inæqualitas, ut una pars sit plusquàm probabilis, adeoque altera nequidem probabilis, licebitne Judici rem adjudicare cui maluerit? Neminem Moralistarum reperi, qui hoc auderet effutire: neque enim improbabilitatum, sed probabilitatum volunt videri patroni. Sed tamen non desunt inter eos, qui Judicem

Vide Escobar Tract. 3. Exam. 2 n. 211. & Fagundez apud ipsum ibidem.

liberent ab onere restituendi id, quod pro iniqua sententia à parte improbabilem causam sustinente acceperit: [M] Si aliunde, inquit Tamburinus, actio sit contra justitiam, at ipsa receptio ratione ipsius receptionis injusta non sit, non erit obligatio restituendi: verbi gratiâ, si custos nemoris, vel gabellæ, accipiat pretium, ut sinat arbores scindi, vel gabellam defraudari, licèt peccet contra justitiam, unde obligetur domino nemoris, & gabellæ, totum damnum resarcire: tamen quia receptio pretij, quod habet à scissoribus, vel defraudatoribus, non est ratione sui injusta, sed justa, cùm exhibeatur ob commoditatem ipsis à custode quamvis injustè datam, non obligabitur ad restitutionem dicti pretij. Simili modo, pretium, quod grassator accipit à Petro v. g. pro homicidio in gratiam ejusdem Petri commisso, non obligatur restituere: nam quamvis grassator contra justitiam peccaverit homicidium patrando, tamen positâ jam occisione remanet quidem ipse obligatus ad compensanda damna hæredibus occisi inde secuta; at justè nunc perit & accipit mercedem sui laboris, periculi &c. quia nunc nec datio nec receptio pretij est ratione sui illicita, imò laboris condigna. *Talis est etiam receptio pecuniæ quam habet Judex propter sententiam injustè prolatam: quamvis enim deliquerit contra justitiam, lædendo partem, cui debebit omne damnum reficere; tamen ob eandem rationem, non peccat nunc contra justitiam, recipiendo pretium pro opere, quamvis injusto, à se in clientis gratiam facto*". Ecce repertus è probabilitatum patronis, qui tametsi injustæ sententiæ prolationem improbet, pecuniæ tamen pro ea receptionem justificat, & recipientem cum hæredibus ab obligatione restituendi liberat! Sed ecce quoque repertus Archiepiscopus Senonensis, qui huic adinventioni vigilantiâ pastorali obviaret, & assertæ propositioni notam hanc censoriam authoritativè inureret; *Hæc propositio est falsa, absurda, perniciosa!* Addit porrò Tamburinus suprà continuò hanc advertentiam: " *Propter sententiam injustè prolatam* dico: nam propter justam, nihil accipere à cliente vel retinere Judex vel quis similis potest, idque propter eandem doctrinam quam explicamus; quia tunc ipsa receptio est injusta ratione sui: si enim sententia est justa, debetur ea clienti: si debetur, ergo ei vendi per pretium à Judice justè nequit". Hæc verò authoris probatio satis ostendit assertionem rectissimè à Senonensi fuisse censuratam non modò ut *falsam* & *absurdam*, quod quisque vel mediocriter sapiens ipso statim auditu vel lectu perspicit; sed insuper ut *perniciosam*. Si enim justa sententia idcircò vendi clienti nequit, quia debetur: concludent profectò inde Judices

[M] Tambur. lib. 7 in Decalog. §. 1 n. Vide Less. 2. de Just. & Jure 14. Dub. 8 n. 14. & seqq.

Censura Senonen. ad Artic. 12. V. Apol. Epist. 14. Tamburin.

Iudices pecunijs inhiantes, vendi posse sententias quæ non debentur: atque adeò eas omnes quibus decidendæ fuerint controversiæ utrinque probabiles, sive interim par fuerit, sive dispar partium probabilitas: juxta ea quæ mox suprà hìc ex eodem Tamburino retulimus. Hujusmodi enim sententiæ non debentur uni parti, nec alteri; adeoque vendi poterunt pro libitu Iudicis uni parti, vel alteri: imò verò partim uni, partim alteri. Nam cùm liberum sit Judici vel rem in solidum cui maluerit adjudicare, vel inter collitigantes dividere; si uni parti adjudicet, pretium ab eâ accipiet; si dividere inter ambas maluerit, pretium à singulis pro ratâ accipere poterit: & ita quidem ut si unus plus obtulerit quàm alter, plus quoque ei de re controversâ adjudicetur, quàm alteri. Nam cùm Judici fas sit totam rem adjudicare cui maluerit, fas quoque eidem erit majorem vel minorem rei partem adjudicare cui maluerit. In omni itaque casu Judex, absque onere saltem restituendi, poterit pro actu judiciali pecunias recipere, præterquàm in prolatione sententiæ plusquàm probabiliter justæ: imò etiam in hac, si non pro ipsâ prolatione, at saltem pro tempestivâ expeditione. Nam si judex habeat plures causas sub manibus, non tenebitur unam determinatè causam ante cæteras expedire, sed liberum ei erit ordinem sibi placitum servare: adeoque poterit ordinis præferentiam, pretio suscepto, plus offerenti divendere. Quod si alij, quorum lites differuntur, exacerbari inde timeantur; hic ipse timor exacerbationis augere poterit pretium anticipatæ expeditionis: sicut in simili docet Escobar de Judice adjudicante rem, sub æquali utrinque probabilitate controversam, ei qui munus præbuerit: N. Pro suo arbitratu, „ inquit, potest cuilibet parti dare victoriam: „ quare datur locus gratificationi, quæ est „ pretio æstimabilis, utpote quæ plerunque „ cum jacturâ amicitiæ alterius partis conjuncta est". Ex quibus omnibus obvium fuerit unicuique perspicere, quanta pernicies Reipublicæ procreetur hisce laxitatibus, adeoque quàm rectè Senonensis Præsul in suâ Censurâ prædictam assertionem reprobarit non solùm ut *falsam*, atque *absurdam*, verumetiam ut *perniciosam*. Quid enim perniciosius, quàm forum judicationis verti in forum nundinationis, emungi à judicibus crumenas divitum, arceri prætensiones pauperum? Cùm enim hi non habeant quod retribuant, in causâ probabili cadent in totum, in causâ indubitabili differentur in ævum, aut, quod pejus est, judicium subibunt injustum. Quid aliud ex prædictis laxitatibus expectari potest, quàm ut rempublicam in eum devolvant statum, quem habuit urbs Hierusalem, quando audire meruit à Domino: *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicij? Iustitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mistum est aqua: Principes tui infideles, socij furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones: pupillo non judicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos.*

N. Escobar Tract. 1. Exam. 2. n. 111.

Isa. 1. 21. & seqq.

CDXI. Largam benedictionem promisit Deus veteri illi Hierusalem, quando post increpationem proximè jam relatam subdidit ad eandem: *Convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum: & restituam Iudices tuos ut fuerunt prius, & Consiliarios tuos, sicut antiquitùs.* Ubi per *Consiliarios* rectè intellexeris directores morum, qui tametsi jurisdictione coërcitivâ careant, consilia tamen pro tempore & loco suggerunt: O. Regis, inquit B. Basilius, peculiare „ munus est, imperio urgere subjectos, Con- „ siliarij autem, persuadere cupientibus posse „ quæ conducant. Neque enim potest per se „ unusquisque assequi ac comprehendere quid „ ex officio sit, ac deceat: quapropter munificus Deus *Consiliarios* præstitit, non item „ qui pro potestate imperent, se esse daturum. „ Ne ergo unusquisque nostrûm seipsum „ existimet, quasi Princeps sit, sed quasi Con- „ siliarius à Domino sit datus in populi salu- „ tem. Consiliatij igitur fuêre Prophetæ omnes, qui consulebant quæ essent populo conducibilia". Cæterùm quamvis Deus pro magno beneficio promiserit se reformaturum Consiliarios novos ad normam antiquorum, neoterici tamen probabilitatum patroni contendunt se præferri debere veteribus Consiliarijs, filios scilicet patribus, recentiores discipulos antiquis Magistris. Quâ in re, prout ex dictis sub initium hujus capitis cernitur, non solùm ipsi præceptum *honorandi parentes* violant, sed & alios, non sine gravi scandalo, ad idem practicandum animant: P. In „ materia morum, inquit Caramuel, majoris „ faciendæ sunt Juniorum opiniones, quàm „ Veterum: majoris responsiones quas „ dant Theologi Conscientiæ-consulti, quàm „ quæ in libris ponuntur: majoris viventium „ hominum consultationes, quàm defunctorum". Et mox n. proximè sequenti subdit: " Duo occurrunt, propter quæ stare à Junio- „ ribus possem: Videntur corpus & animus „ conflictu perpetuo dissentire, quod probant „ naturalia, & moralia; & tunc animum fortiorem & liberiorem reddi, cùm corpus ma- „ ceratur & debilitatur. Cùm igitur non pos- „ simus negare, Veteres majores mole, & vi- „ ribus robustiores fuisse (reperimus enim & „ colimus hodie eximia Sanctorum multo- „ rum cadavera, habemus in thesauris hastas, „ enses, & alia Principum antiquorum arma, „ quæ nobis essent impedimenta) dicturi sumus

Isa. 1. 25. & 26.

O. Basil. In cap. 1 Isaiæ ad vers. 26.

Exo. 20. 12.

P. Caram. in Theolog. fundam. n. 197. edit. Francof.

„ sumus necessariò, Juniores subtilioribus ingenijs prædictos: & *Socratibus, Platonibus, Aristotelibus* fuisse acutiores & oculatiores *Thomas, Scotos, Molinas, Suarios, Vasquios*. Cur non & „ istis viventes aliquos anteponere posset sinceritas, nisi obligaretur reverentiâ & cautelâ, ne dicatur excellentissimorum hominum „ invidere cineribus, & solis coætaneis adulari? Semel concesso fuisse Veteres nostri „ seculi hominibus æquales aut majores ingenio, non ideò sequitur fuisse æquales aut „ majores doctrinâ: facilè enim est inventis „ addere, & ipsi perfregerunt glaciem, & summo labore paulatim scientias promoverunt: „ at nos hodie viris magnis succedimus, fumusque conceptuum selectissimorum hæredes; & dum omnes legimus & audimus, „ etsi essemus ingenio suppares, doctiores „ dici deberemus. Hæc satis in materiâ tam certâ". O quàm ridiculè, ubi de morum directione Christianorum est sermo, non Christiani aliqui Patres, sed prophani Philosophi, *Socrates, Plato, Aristoteles*, in scenam proferuntur; & pro magno ducitur, si à nostris Theologis, lumine fidei illustratis, superentur! Quanta gloria *Thomæ Angelico*; vel *Scoto subtili*, si ingenio transcendant *Socratem*, Q. Scurram „ Atticum, nihil se scire confessum, testimonio licèt fallacissimi dæmonis gloriosum"? Nonne ipse est qui humanæ vitæ hanc mortum labem intulit, ut uxores & liberos suadere fieri communes; testante id Aristotele, atque dicente: R. De paucis admodùm determinavit Socrates, ut de mulierum & natorum communitate"? Hunc Magistrum secutus Plato Discipulus: S. *Matrimonia*, inquit, *communia esse debebunt*: scilicet, prout glossat ibi Lactantius," Ut ad eandem mulierem „ multi viri, tanquàm canes confluant; & „ is utique obtineat, qui viribus vicerit: aut „ si sapientes sunt, ut Philosophi, expectent, & vicibus tanquàm lupanar obeant". Tertius in scenam producitur à Caramuele Aristoteles, qui, teste Theodoreto, T. Platonicæ Philosophiæ vim non pertimuit, sed licenter „ illi adversarium se præbuit; cùm haud sanè „ meliorum, sed multò pejorum dogmatum „ author extiterit. Nam cùm ille animam „ dixerit immortalem esse, hic mortalem „ dixit: & cùm ille Deum res omnes providentiâ complecti docuerit, hic, quantum „ ejus verba sonant, terram divinæ providentiæ exortem fecit: ad lunam enim usque „ Dei gubernationem pertingere ait, cætera fato esse subjecta". Fieri sanè non potestut is sanam regendis humanis conscientijs doctrinam tradiderit, qui de humanâ animâ, & divinâ providentiâ, tam pravè sensit. Quâ de re videri possunt quæ de libertinismi propagatione in præcedentibus dicta sunt, signanter §. 334. & 343. Neque verò minùs ridicula est argumentatio Caramuelis, ex *perpetuo conflictu corporis & animi* desumpta: alioquin eâ probaretur obtusissimos omnium fuisse gigantes; & ex adverso, acutissimos omnium pygmæos, V. *Quorum tota acies pede non est altior uno*. Video disputari quodlibeticè à Richardo quænam statura hominis capessendæ scientiæ plus conducat, procera, an pusilla, an media. Sed planè ineptum fuerit, ex re prorsùs ancipiti conclusionem velut certam elicere velle, regulamque generalem statuere. Exorbitat proinde Caramuel, dum ait finalibus verbis, *Hæc satis in materiâ tam certâ*. Alterum quoque Caramuelis argumentum nec ab ipso inventum fuit, nec præsenti ejus proposito servit. Non quidem primum, quia jampridem ante eum Theophilus Raynaudus scripserat, W. Scholastici posteriores *super senes intellexerunt*; & pleraque omnia reijcienda esse agnoverunt, quæ anteriores vel probarant, „ vel non improbabilia existimarant. Primordia sanè incultiora esse, tradit egregiè Tertullianus lib. de velandis Virginibus cap. 1". Et ibidem paulò ante: " Scitè Ægidius in 2. „ Dist. 37. q. 1. art. 3. postquàm retulisset „ quosdam antiquos Theologos sustulisse in„ fluxum Dei in actum positivum malitiæ „ substratum, subdit: *Verùm posteriores, existentes super humeros priorum, longiùs videns quàm priores. Nam si Nanus esset super humerum gigantis, longiùs videret quàm gigas*. Itaque posteriores Theologi, ut facile est anteriorum inventis addere, perspexerunt, quæ prioribus „ illis probabantur, esse verè improbabilia". Non denique secundum, quia ipsius scopus est non ea quæ à Veteribus tradita sunt firmare vel illustrare, sed nova quædam ab eis ignorata vel repudiata cudere. Patet id ex ijs quæ inferiùs in eodem libro scribit, cùm respondens objectioni adversùs suam sententiam de usurâ formatæ: X. Quòd si hæc opinio, inquit, nova sit, quid inde? Modò vera sit, „ olim erit antiqua. Nam si absit invidia & „ præjudicium, tota moralis Theologia nova „ est: quis enim negare audebit, esse hodie „ in *Dianâ* centenas opiniones probabiles, quæ „ Augustino & antiquis Patribus Ecclesiæ ignotæ"? Cùm igitur hinc planum sit, Caramueli propositum esse, novitates veteribus Ecclesiæ Patribus ignotas invehere, & sub obtentu probabilitatis propagare, quid eum juvat illa sua gloriatio, *Nos hodie viris magnis succedimus, sumusque conceptuum selectissimorum hæredes*? Illis congruit ejusmodi gloriatio, qui juxta monitum Vincentij Lirinensis, Z. Eadem quæ didicerant ita docent, ut cùm dicant novè, non dicant nova". Quod suum monitum ille ibidem inferiùs cap. 43. corroborat authoritate duorum summorum Ecclesiæ Præ-

Q. Minut. in Octavio, propè fin. Vide Lactant. lib. 3. cap. 19.

R. Arist. l. 2. Polit. c. 4.

S. Plato apud Lactant. lib. 3. cap. 20.

T. Theodoret. de curandis Græc. affect. ser. 5. Vide eund. l. 5. Hæret. fabul. c. 10. & Nazian. Orat. 31. & Ambros. l. 1. offic. c. 13. & Clement. Alex. lib. 5. Stromat. & Epiphan. in Compendiaria fidei doctrinâ.

V. Juvenalis Satyr. 15. Vide Richar. Quodlib. 2. q. 18.

W. Theoph. Raynaud. in Nova libert. Explic. p. 1. c. 4. §. 7. & f. 118. 104. Tertullian.

Ægid. Rom.

X. Caram. in Theol. fundam. n. 116. edit. Francof. Vide ibid. infra num. 1113.

Z. Vincent. Lirin. c. 27.

Celestin. I. Sixtus III. Vincent Lirin. in Commonit. 2. c. 3.

ſiæ Præſulum, Cæleſtini nimirùm, & Sixti: quorum prior Epiſt. 1. cap. 1. ait, *Deſinat inceſſere novitas vetuſtatem*; poſterior Epiſt. 2. ad Ioannem Antiochenum inquit, *Nihil ultrà liceat novitati, quia nihil adyci convenit vetuſtati.* Quibus præmiſſis ſubdit ibi Vincentius: " Quibus Apoſtolicis Catholiciſque Decre-,, tis quiſquis refragatur, inſultet primùm ,, omnium neceſſe eſt memoriæ ſancti Cæ-,, leſtini, qui ſtatuit ut *deſineret inceſſere novitas* ,, *vetuſtatem*: deinde irrideat definita Sancti ,, Sixti qui cenſuit, *ne ultrà quidquam liceat novi-* ,, *tati, quia nihil addi convenit vetuſtati* Sed & ,, Beati Cyrilli ſtatuta contemnat, qui vene-,, randi Capreoli zelum magnâ prædicatione ,, laudavit, quòd antiquæ fidei dogmata con-,, firmari cuperet, novitia verò adinventa ,, damnari. Epheſinam quoque Synodum, ,, id eſt, totius penè Orientis Sanctorum ,, Epiſcoporum judicata, proculcet: quibus ,, divinitùs placuit, nihil aliud poſteris cre-,, dendum decernere, niſi quod ſacrata ſibi-,, que in Chriſto conſentiens Sanctorum Patrum tenuiſſet antiquitas". Dixerat quoque idem author ſuperiùs in priori Commonitorio cap. 9." Id eſſe proprium Chri-,, ſtianæ modeſtiæ & gravitatis, non ſua poſte-,, ris tradere, ſed à Majoribus accepta ſervare". Verùm huic modeſtiæ in quibuſdam Chriſtianis obſtat philautia, ſive nimius amor ſui, quem extendunt etiam ad fœtus ſuos, hoc eſt, ad phantaſmata mentis ſuæ: A. Fabu-,, la dicit, ait quiſpiam, omnes beſtias fœtus ,, ſuos Jovi probandos præſentaſſe; inter quas ,, ſimia, deformem natum trahens, riſu om-,, nium caſtigari non potuit, quin ſuum cæ-,, teris anteferret: ingenitum ſiquidem eſt ,, omni animanti, amare quod genuerit. De ,, corde ſenſus naſcitur, & amant corda fœ-,, tus ſuos adeò, ut ſæpè animus perverſus, in ,, conſpectu ſummæ Veritatis, tortuoſum & ,, pravum, ac riſu omnium dignum ſenſum ſuum commendare non erubeſcat". Certè nimium præfati Caramuelis amorem in fœtus mentis ſuæ prodit illud ejus votum, in eodem ſuo libro n. 269. in fine expreſſum, *Oremus Deum, ut libros noſtros docti legant*: ſcilicet, ut ex eorum lectione diſcant reſumere antiquam nugigerulorum cantilenam, qui apud Beatum Proſperum garriebant, B. *Meliora quàm veterum ingenia noſtris ſæculis oriri, & aptiores divinis donis animas tempora extrema parere.* Verùm, ut olim Beatus Remigius Lugdunenſis Antiſtes, lib. de tenenda Scripturæ veritate & Patrum authoritate cap. 8. dicebat de talibus: " Eſt ,, nimis mirabile, imò horribile, quomodò, ,, ut ſuis adinventionibus & ineptijs credatur, ,, exigant; cùm ipſi Beatiſſimos Patres, & ,, illuſtriſſimos Eccleſiæ Doctores abjecerint". Nonne dignum eſt, ut qui Seniores de-

A Hugo Victor lib. Miſcell. c. 3.

Caramuel.

B Apud Proſperum lib. 2. de vocat. Gent. c. 3. alias 5.

Remig. Lugdun.

ferunt, à Junioribus deſerantur? Nonne æquiſſimâ talionis repenſione fieri decet, ut qui Magiſtris inſultant, à diſcipulis vapulent? Nonne juſtum eſt, ut in eis impleatur quod ſcriptum eſt, *In quâ menſurâ menſi fueritis, remetietur vobis?* C Juſtitiæ, ait Papa Gregorius, ac ,, rationis ordo ſuadet, ut qui ſua à ſucceſſori-,, bus deſiderat mandata ſervari, deceſſoris ,, ſui proculdubiò voluntatem & ſtatuta cuſtodiat". Benè monet Theodoretus, in Philoſophiam Gentilium innumeros inde errores irrepſiſſe, quòd ejus profeſſores D. Inani glo-,, riæ ambitionique ſervientes, novorum dog-,, matum inventores vocari concupierint: ex ,, quo factum eſt, ut in errores multos incide-,, rint, dum ij qui poſteriùs ſuccedebant, an-,, tiquorum opiniones everterent. Anaximan-,, der enim, Thalete jam mortuo contraria ,, illi dogmata profeſſus eſt; & Anaximenes ,, poſt Anaximandri mortem idipſum fecit; ,, idem ſimiliter Anaxagoras. Ariſtoteles au-,, tem Platoni adhuc viventi manifeſtè adver-,, ſatus eſt, bellumque contra Academiam ſuſ-,, cepit; neque doctrinæ illi honorem habuit ,, quam cupidiſſimè perceperat, nec celeberrimi viri gloriam eſt reveritus". Philoſophos hâc in re imitari ſtuduerunt plerique hæreſum conditores, juxta illud Vincentij Lirinenſis: E Hoc apud omnes ferè hæreſes quaſi ſo-,, lemne eſt ac legitimum, ut ſemper profanis ,, novitatibus gaudeant, antiquitatis ſcita ,, faſtidiant, & per oppoſitiones falſi nominis ,, ſcientiæ à fide naufragent. Contrà verò ,, Catholicorum hoc ferè proprium, depoſita ,, Sanctorum Patrum & commiſſa ſervare, ,, damnare profanas novitates: &, ſicut dixit ,, & iterùm dixit Apoſtolus, *Si quis annuncia-* ,, *verit, præterquàm quod acceptum eſt, anathema-* *re*". Vidimus ſuperiùs c. 95. §. 356. qualiter Caramuel reſumpſerit jactantiam hæreſiarchæ Eunomij, de quo ait Magnus Baſilius: *Inanibus nugis ſermonem implevit, ſuper omnes qui unquam Dei notitiam conſequi ſtuduerunt elatus; quaſi ipſe novam quandam viam, & inauditam, quæ ad Deum ducat, inveniſſet, & quam nemo è prioribus perſpexiſſet.* At non ſic ipſe magnus Pater Baſilius, quem profectò dignum eſt vel inde à poſteris ſuſpici, ac filialiter honorari, quòd antiquioribus Magiſtris tantum honorem impenderit, ut ab omnibus novitatibus adverſùs eorum ſenſa ebullientibus alienum ſe ſemper oſtenderit. Unde & dicebat, F. Nos men-,, tis noſtræ fœtus alijs non audemus obtru-,, dere, ne humana putentur pietatis verba: ,, ſed quæ à Sanctis Patribus edocti ſumus, ea nos interrogantibus annuntiamus". Ejuſdem quoque eſt iſta ſententia de ſeipſo in Epiſtola 82. quam utinam omnes tam ſtudioſè exequantur opere, quàm facilè eloquantur ſermone, *Ea ſum ingenio ut non facilè neotericâ admittam.*

Mat. 7. 2.
C Greg. lib. 9. Regiſtri Epiſt. 12.
D. Theodoret. de curand. Græc. affect. ſerm. 5.
Vide Lact. l. 3. c. 4.
E. Vincent. Lirin. c. 14.
Gal. 1. 9.
F. Baſil. Epiſt. 60.

admittam. Sed concludamus tandem caput istud, oppidò prolixum, verbis Laurentij Justiniani, Scriptoris eruditi pariter ac pij, quibus ait: G· Absurdissimum esse videtur, ut quis „ spreto totius antiquitatis magisterio, velit „ ex arbitrio suo ac sensu proprio novas con„ dere leges, ritus peregrinos inducere; ac si „ antiquorum Patrum sit ipse magister".

G. Laur. Iustinian. lib. de Regim. Praelat. cap. 15.

CAPUT CX.

Ad quintum Decalogi praeceptum homicidia vetans proceditur, cujus cum alijs secundae tabulae praeceptis coordinatio praestruitur. Non est mirum luxari illud ab ijs, qui per tritam Majorum viam gradi dedignantur, sed plus se dialecticae ratiocinationi quàm authoritati deferre profitentur, hodiernumque diem hesterno doctiorem comminiscuntur. Petri Abaylardi insulsa gloriatio: omnes quidem sic, sed non ego sic. *Quisnam Apostolo* homo spiritualis, *& quis* animalis? *Nequaquam in Dialecticâ complacuit Deo salvum facere populum suum. Philosophicae praestigiae Nazianzeno reputantur Ægyptiacae plagae. Philosophus Mundi Hieronymo quis? Tertulliani exclamatio*: Quid Athenis, & Hierosolymis? Quid Academiae, & Ecclesiae? Quid haereticis, & Christianis? *Ejusdem invectiva in Stoici, Platonici, & Dialectici Christianismi Prolatores. Orthodoxorum vox apud Hieronymum*: Ita & nobis Majores nostri, & illis sui tradidêre Majores. *Nugigeruli Victorino sunt, qui priores Patres simplicitatis arguunt, & secum natam morituramque sapientiam credunt. De tenebris ignorantiae ad lumen scientiae non ascenditur, nisi Veterum Scripta propensiori studio relegantur; sicut Hieremias de lacu non educitur, donec ei in funiculis attritae vestes submittantur. Praecepto*, Non occides, *non sola neciva operatio, sed & morosa necis exoptatio inhibetur. Novorum Ethicorum multiplices laxitates in materia homicidiorum referuntur ac refelluntur. Varij eorundem Articuli, humanae societati exitiales, censoriâ gravitate perstricti. Execrabilis ac fugienda doctrina, quae homines abigit à vitâ. Homicidij festinatio est prohibere nasci. Fœtum utero clausum carere animâ rationali quidam fingunt, ut infanticidij scelus extenuent. Omnium specierum homicidij deterrima est suicidium, quicquid reclamet Caramuel. Exotica ejusdem Caramuelis positio de mutilatione, signanter eunuchatione. Quid de Origene seipsum eunuchante Veteres censuerint?*

CDXII. TRanseamus nunc ad quintum Decalogi praeceptum, binis istis voculis, *Non occides*, in tabulâ secundâ, proximè post praeceptum *honorandi parentes*, expressum: H· In „ praeceptis, inquit Angelicus Doctor, ordi„ nantibus nos ad proximum, manifestum est „ quòd magis repugnat rationi, & gravius pec„ catum est, si homo non servet ordinem de„ bitum ad personas quibus est magis debi„ tor: & ideò inter praecepta ordinantia ad „ proximum primò ponitur praeceptum per„ tinens ad parentes. Inter alia verò praecepta „ etiam apparet ordo secundùm ordinem gra„ vitatis peccatorum: gravius est autem, & „ magis rationi repugnans, peccare opere „ quàm ore, & ore quàm corde: & inter pec„ cata operis gravius est homicidium, per „ quod tollitur vita hominis jam existentis; „ quàm adulterium, per quod impeditur cer„ titudo prolis nasciturae: & adulterium gra„ vius est quàm furtum, quod pertinet ad bona

Exod. 20. 13.
Ibid. v. 12.
H. D. Thom. 1. 2. q. 100. a. 6. in corp.

bona exteriora". In horum porrò præceptorum explicatione quid nisi exoticum expectari potest ab ijs, qui præcedentia quatuor præcepta tam enormiter luxant & laxant? Nonne eo ipso suspecti haberi debent, quòd in explanatione divinæ legis novellas suas adinventiones, veterum Magistrorum lucubrationibus præferre gestiant? Certè enim non novas semitas, sed antiquas commendat Dominus, cùm per Prophetam ait: *Interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea.* Ex adverso autem cum magna indignatione arguit *Impingentes in vijs suis, in semitis sæculi, ut ambularent per eas in itinere non trito.* Veteris quoque populi in terram promissam tendentis, vox est: *Per tritam gradiemur viam.* Typum gessit ille novi populi, ad cælestem patriam divinitùs promissam per viam mandatorum tendentis. Hanc viam triverunt tritamque nobis reliquerunt veteres Ecclesiæ Patres: [l] "Quibus, ut pridem dicebat Anselmus, nec nostris nec futuris temporibus ullum parem in veritatis contemplatione speramus". Non vidit quidem Anselmus Caramuelem, qui nunc in fine sæculorum novos morum directores veteribus Magistris, vivos mortuis præponendos censeret: sed vidit alios ei similes, & fortè ingenio exercitationeque potiores; quos tamen in secundo ejusdem libri capitulo *vespertilionibus & noctuis* comparare non dubitat, antiquos verò Patres *aquilis, irreverberato visu Solem intuentibus.* Paulò post Anselmi ævum surrexit Petrus Abaylardus, novus Caramuelis prodromus, de quo Bernardus contemporaneus ait: [K] "Nonne omnium meritò in se provocat manus, cujus manus contra omnes? *Omnes*, inquit, *sic: sed non ego sic*". Idem quoque Bernardus superiùs Epist. 77. loquens de alio quopiam, si tamen alio ac non eodem ipso Abaylardo, novitatum adinventore: "Videtur, inquit, plùs novitatis curiosus, quàm studiosus veritatis; gravique de omni te sentire cum alijs, & dicere quod aut solus non dixerit, aut primus: unde fit, ut in his quæ sentit & loquitur, modum omninò tenere aut ignoret, aut dissimulet". Et adhuc superiùs in eadem Epistola: "Miror admodùm, inquit, si novus iste novarum inventor assertionum, & assertor inventionum, invenire in hoc rationem potuerit, quæ Sanctos Patres latuerit, Ambrosium & Augustinum; sive authoritatem eorum authoritate potiorem". Et rursùs ibidem superiùs: "Non quærimus, inquit, pugnas verborum, novitates quoque vocum juxta Apostolicam doctrinam evitamus: Patrum tantùm opponimus sententias, ac verba proferimus, & non nostra: nec enim sapientiores sumus, quàm Patres nostri". Hoc postremum jam olim Gelasius Papa dixerat & scripserat: ut sanè mirum sit vel tempore Bernardi repertos fuisse, vel adhuc hodie reperiri, qui sub Catholicæ professionis velamine audeant se antiquis Ecclesiæ Magistris anteferre: [L] "Ubi est, ait Gelasius, quod scriptum est, *Terminos Patrum tuorum non transgrediaris*: &, *Interroga Patres tuos, & annuntiabunt tibi; Seniores tuos, & dicent tibi*? Quid ergo tendimus ultra definita Majorum? Aut cur nobis non sufficit; si quid ignorantes discere cupiamus, qualiter ab orthodoxis Patribus singula quæque vel vitanda præcepta sunt, vel aptata Catholicæ veritati, cur non his probantur esse decreta? Nunquid aut sapientiores illis sumus, aut poterimus firmâ stabilitate constare, si ea quæ ab illis constituta sunt subruamus"? Quibus Anselmi, Bernardi, & Papæ Gelasij dictis si Caramuel attendere voluisset, forsan ea quæ proximo §. ex ipso relata sunt omisisset; nec alibi item gloriatus fuisset, [M] *Se in omnibus, plus rationi & Dialecticæ, quàm authoritati detulisse: nec se quærere sententias, quæ hominibus placeant, sed quæ veritati consentiant.* Et superiùs ibid. n 3. *Nec curanda sunt authorum placita cùm lumine rationis duce veritas sola inquiritur; & à nobis præsertim, qui scimus hodiernum hesterno die doctiorem esse.* Cui meritò regeritur illud Basilij adversùs Eunomium, similiter sibi abblandientem, & veteribus Magistris insultantem: [N] "Quid tu narras? Non dabimus plus antiquitati? Non reverebimur Christianorum multitudinem tam eorum qui sunt, quàm eorum qui fuerunt ex quo Euangelium prædicatum est? Nullam rationem dignitatis eorum habebimus, qui omni spiritali gratiâ claruerunt"? Quòd si Caramuel contendat se spiritali gratiâ clarere, perinde ac veteres illos quorum canitiem Basilius veneratione dignam censet: respondebit ei Isidorus Pelusiota: [O] "*Spirituales*, vir sapiens, vocat Paulus eos, qui spirituali dono gratiæ ornati sunt; quique non tantùm supra naturam se elevarunt, sed etiam rationum & ratiocinationum consequentiam transcenderunt: quorum ex numero erat & ipse Paulus, & illi ad quos scribebat, *Non estis in carne, sed in spiritu, siquidem spiritus Dei habitat in vobis*. At verò *animales* appellat, de quibus scriptum est, *Animales, spiritum non habentes*, eos, qui ratiocinationibus, & Syllogismis, & disputationibus potiùs innituntur, & ex his se inventuros arbitrantur id quod justum sit, atque utile". Viderit hinc ille, quorum è numero censeri debeat, qui palàm profitetur *se in omnibus plus rationi & Dialecticæ, quàm authoritati deferre*. [P] "Sed non in Dialecticâ, inquit Ambrosius, complacuit Deo salvum facere populum suum. Regnum enim Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis". Unde vehementer deplorat Gregor. Nazianz.

Mmm Q Pra-

Marginal notes:
Hier. 6. 16.
Hier. 18. 15.
Num. 20. 19.
l Ansel. in Præfat. libri de Incarn. Verbi.
K. Bernard. Epist. 190.
L. Gelas. Epist. 5. ad Honorium Dalmatiæ Episcopum. Prov. 22. 28. Deut. 32. 7.
M. Caram. in Theolo. fundam. n. 1110. editi Lugdun.
N. Basil l. 1. contra Eunomium.
PRÆOCCUPATIO.
O Isidorus Pelus. lib. 4. Epist. 137. Gal. 6. 1.
Rom. 8. 9.
1. Cor. 2. 14.
Iude v. 19.
P. Ambros. lib. 1. de Fide ad Gratian. cap. 5.

Q. Gregor. Nazianz. Orat. 26.

Q. pravum Aristotelicarum artium artificium, ,, & Platonicæ facundiæ præstigias, velut ,, Ægyptiacas quasdam plagas in Ecclesiam nostram irrepsisse". In eo item quòd Caramuel novas semitas antiquis tritisque præponat, imitatorem se utique ostendit illius, quem idem Nazianzenus ibidem post pauca redarguit, subdens: " Tu viam minimè tritam, & ,, inaccessam ingrederis: ego tritam, atque cal- ,, catam, & quâ multi ad salutem pervenerunt". Cui consonans Theodoretus, sub persona orthodoxi ait Eranistæ:

R. Theod. in Polymorpho Dialogo 2.

R. Velim, ne hu- ,, manis ratiodnibus inquisitionem veritatis ,, subjicias: sed Apostolorum, & Prophetarum, ,, & Sanctornm qui hos secuti sunt, vestigia ,, inquiras. Hoc enim facere viatores solent, ut ,, cùm à via regia deflexerint, semitas conside- ,, rent, si quorum abeuntium aut venientium ,, vestigia habeant, vel hominum, vel equorum, ,, vel asinorum, vel mulorum; & postquàm ,, invenerint, canum more illa prosequuntur, ,, nec antè desistunt quàm in rectam viam redierint". Æquumne fuerit, ut Theologus Christianus, neglectâ vel spretâ semitâ per Ecclesiæ Magistros prætritâ; arripiat tramitem, à popularis auræ vernulis suggestum? Si quæras, quinam hi sint? Respondeo, Philosophos mundanos à Beato Hieronymo eâ inter alias notâ signari, cùm ait:

S. Hieron. Epist. 26. c. 4. Vide Epist. 34. cap 3.

S. Plus debet Chri- ,, sti discipulus præstare, quàm Mundi Phi- ,, losophus, gloriæ animal, & popularis auræ atque rumorum venale mancipium". Athenis maximè floruisse hujusmodi rumorum vernulas, notius est quàm ut probatione indigeat. Atque inde est, quòd Tertullianus adversùs quosdam Pseudochristianos, Philosophiæ mundanæ nimiopere addictos exclamet:

T. Tertull. lib. de Præscript. c. 7. Sap. 1. 1.

T. Quid Athenis, & Hierosolymis? Quid ,, Academiæ, & Ecclesiæ? Quid hæreticis, & ,, Christianis? Nostra institutio de porticu Sa- ,, lomonis est, qui & ipse tradiderat, *Dominum* ,, *in simplicitate cordis esse quærendum.* Viderint, ,, qui Stoicum, & Platonicum, & Dialecticum Christianismum protulerunt"! Viderit sanè Caramuel, an non Dialecticum Christianismum proferre gestiat; dum jactat *se plus rationi & Dialecticæ, quàm authoritati deferre.* Viderit, an non Platonicum aut Stoicum Christianismum parturiat; dum novitatibus tantoperè favet, ut *hodiernum, hesterno die doctiorem esse* asseveret. Scriptum quippe est quòd non solùm

Act. 17. 21.

Athenienses omnes, sed & *advenæ* eorum *hospites, ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi.* Atque hic est ille trames, quem à popularis auræ vernulis suggestum, præferri à quibusdam veteri semitæ à Majoribus tritæ miramur & indignamur, dicentes talibus cum Papa Hormisda,

V. Hormisda Epist. 22.

V. *Cur recentia cupitis, & prisca deseritis?* Ejusmodi novatores Gregorius Nazianzenus *Sextos & Pyrrhones* satis aptè nuncupat, & in Ecclesiam irrepsisse magnoperè deplorat:

W. Gregor. Naz. Orat. 21.

W. Postquàm, inquiens, *Sexti & Pyrrho-* ,, *nes*, & contradicendi libidine incitata lingua, ,, velut gravis quidam ac malignus morbus, in ,, Ecclesias nostras magno nostro malo irrepse- ,, runt, ac nugacitas opinionem doctrinæ at- ,, que eruditionis tulit, quodque Actorum li- ,, ber de Atheniensibus narrat, *ad nihil aliud va-* ,, *camus, quàm ut novi aliquid dicamus, vel audia-* ,, *mus*: ô quis Hieremias confusionem nostram ,, caliginemque deplorabit: qui solus lamentationes calamitatibus exæquare novit"! Hoc præceptore sacras se litteras didicisse gloriatur B. Hieronymus lib. de Scriptoribus Eccles. cap. 128. aliàs 117. qui & ipse de se alibi ait:

X. Hieron. Epist. ad Ctesiphontem.

X. Multi anni sunt, quòd ab adolescentia usque ,, ad hanc ætatem diversa scripsi Opuscula; ,, semperque habui studio audientibus loqui, ,, quod publicè in Ecclesia didiceram: nec ,, Philosophorum argumenta sectari. sed Apo- ,, stolorum simplicitati acquiescere, sciens illud ,, scriptum, *Perdam sapientiam sapientium, & pru-* ,, *dentiam prudentium reprobabo*: &, *Fatuum Dei* *sapientius est hominibus*".

1. Cor. 1. 19. Ibid. v. 21.

Ejusdem quoque est vox ista, quam nemo Novatorum veraciter efferre potest aut poterit:

Y. Idem in Dialogo contra Luciferianos. c. 8.

Y. *Ita & nobis Maiores nostri, & illis sui tradidêre Maiores.* Unde & alibi adversùs quendam per semitas non tritas gradientem indignabundus exclamat,

Z. Idem Epist. 65. cap. 3.

Z. *Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod antè nescivimus? Cur profers in medium quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Usque ad hunc diem sine ista doctrina Mundus Christianus fuit. Illam senex teneho fidem, in qua puer natus sum.* Graviter omninò & appositè Hugo Victorinus:

A. Hugo Victor. lib. 1. Miscel. c. 1.

A. Docere ,, Magistros, inquit, arguere Seniores, imperare ,, Majoribus, superbi spiritus est, & de semetipso præsumentis". Alibi quoque idem author radicem hujusce superbiæ præsumptionisque propalans:

B. Idem l. 3. Didascal. cap. 14.

B. Hoc tumoris vitium, inquit, hinc ,, quibusdam accidit, quòd suam scientiam ni- ,, mis diligenter inspiciunt; & cùm sibi aliquid ,, esse visi fuerint, alios, quos non noverunt, ,, tales nec esse, nec potuisse fieri putant. Hinc ,, etiam ebullit, quòd NUGIGERULI nunc qui- ,, dam, nescio unde gloriantes, PRIORES PA- ,, TRES SIMPLICITATIS ARGUUNT, & secum ,, natam secum morituram credunt sapientiã". Hugoni contemporaneus Richardus Victorinus:

C. Richar. Victor in Benjamin majori l. 2. cap. 2.

C. Etiam nostris temporibus, inquit, sur- ,, rexerunt quidam Pseudophilosophi, fabrica- ,, tores mendacij, qui volentes sibi nomen fa- ,, cere, studuerunt nova invenire: nec tam cu- ,, ra eis erat ut assererent vera, quàm ut puta- ,, rentur invenisse nova. Præsumentes itaque ,, de sensu suo, putaverunt se posse facere sibi ,, sapientiæ arcam: & *euntes in adinventionibus* ,, *suis* tradiderunt sententias novas, arbitrantes ,, secum ortam morituramque sapientiam. ,, Sed ecce computruerunt horum omnium

Psal. 80. 13.

arcæ,

Reud. 25. 10. „ arcæ, eò quòd non essent *de lignis Setim*, li-„ gnis videlicet imputribilibus, factæ: & ecce Isa. 30. 13. „ *stulti facti sunt omnes Principes Thaneos*, eò 1. Cor. 1. 20. „ quòd *stultam fecerit Deus sapientiam huius Mundi*". His addo Petrum Blesensem, ejusdem penè ævi Scriptorem, qui ait: O. Scriptum est, D. Pet. Blesensis Epist. 101. Iob 12. 22. Iter 30. 11. „ quia *in antiquis est scientia*: nec Hieremias de „ lacu educitur, donec *in funibus ei submittantur* „ *vestes veteres, & attrita*: nam de tenebris ig-„ norantiæ ad lumen scientiæ non ascenditur, „ nisi antiquorum Scripta propensiore studio relegantur".

CDXIII. Non aliunde sanè, quàm vel ex neglectu lectionis, vel ex contemptu authoritatis veterum Magistrorum evenisse putandum est, quòd neoterici probabilitatum patroni tam exoticas hallucinationum nebulas quinto Decalogi præcepto, homicidium vetanti, offuderint. Audivimus superiùs cap. 108. §. 408. quemadmodùm eorum aliqui contendant licere etiam filijs optare mortem parentum, intentione assequendi hæreditatem: inde vacaturam: licere item parentibus optare mortem prolium, ut ab onere aut molestijs eas intertinendi vel dotandi liberentur. Hujusmodi autem optatio seu desiderium non modò in quartum, sed etiam in quintum hoc Decalogi præceptum impingere videtur, velut quædam homicidij inchoatio. Unde Christus, non eum duntaxat qui occidit re-Mat. 5. 22. ipsâ fratrem, sed & eum *Qui fratri irascitur*, *reum fore iudicio* asseverat: sicut etiam non eum Ibid. v. 28. solùm qui reipsâ mœchatur, sed & eum *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, mœchatus in corde suo*, perhibet. Et in Decalogo non modò furari, sed & concupiscere rem alie-S. August. Fragm. 2. cap. 10. nam prohibemur: R. Concupiscere rem proxi-„ mi, inquit Augustinus, quod notat Deus „ in corde, etiamsi justam ibi successionem „ quæras, non licet. Denique qui volunt res „ alienas tanquam justè possidere, hæredes se „ quærunt fieri à morientibus. Quid enim tam „ justum videtur, quàm rem sibi derelictam „ possidere, habere jure communi? Quid „ apud te manet homo? Dimissum est mihi, „ hæreditatem consecutus sum, testamentum „ lego: Nihil videtur justius istâ voce avaritiæ. „ Tu laudas quasi jure possidentem, Deus „ damnat injustè concupiscentem. Vide qua-„ lis es: qui optas te ab aliquo hæredem fieri, „ non vis ut habeat hæredes: in hæredibus au-„ tem nihil charius primogenito. Proinde in „ primogenitis tuis punieris, qui concupis-„ cendo res alienas, id quod tibi jure non debebatur, quasi juris umbram perpulisti". Neque verò taliter concupiscentem excusare, quis poterit ex eo quòd hæreat in nuda delectatione, sine animo exequendi id super quo delectatur. Certum quippe est morosas dele-Rom. 7. 7. ctationes prohiberi præcepto, *Non concupisces*, tametsi quis ulteriorem concupiscentiæ progressum cohibeat, implens utique quod scriptum est, *Post concupiscentias tuas non eas*. Unde Eccli. 18. 30. Augustinus: F. Nec sanè, inquit, quùm solâ F. Aug. lib. 12. de Trinit. cap. 12. „ cognitione mens oblectatur illicitis, non Vide Divum Thom. 1. 2. q. 74. a. 6. & 8. & ibi Interpretes. „ quidem decernens esse facienda, tenens tamen & volvens libenter quæ statim ut attigerunt animum respui debuerunt, negandum est esse peccatum". Et mox infrà rursùs ibidem: "Totus homo damnabitur, nisi hæc quæ „ sine voluntate operandi, sed tamen cum vo-„ luntate animum talibus oblectandi, solius co-„ gitationis sentiuntur esse peccata, per Media-„ toris gratiam remittantur". Vidimus præterea §. 409. & 410. quemadmodùm ijdem probabilitatum patroni permittant subditis atque clientibus defendere se & sua, in causis probabilibus, adversùs Principes, & adversùs Judices ab eis constitutos, & quidem usque ad necis illationem: *Licitum est*, inquiunt, *occidere* Vide supra §. 410. *calumniosum actorem, testes, & iniustum Iudicem, ad servandam vitam, honores, vel res familiares*. Et rursùs ibidem mox: *Neque ad culpam, neque ad pœnam homicidij condemnandus est occidens eum, qui iniustè aggreditur usurpare rem, qua est valoris unius aurei, vel minoris*. Non quidem in postremo isto Articulo fit expressa mentio Judicis, aut Principis: sed tamen ex ibidem suprà deductis satis liquet eos comprehendi; & quidem à fortiori; quia *longè deterius est iniustam sententiam ferre, quàm iniustè agere*, prout ex Isidoro Pelusiota §. 386. memoravimus. Cui consonans Isidorus Hispalensis: G. Graviùs, inquit, lacerantur pauperes à prā-G. Isidorus lib. 3. Sent. cap. 18. „ vis Judicibus, quàm à cruentissimis hosti-„ bus. Nullus enim prædo tam cupidus in „ alienis, quàm Judex iniquus in suis. Latro-„ nes inaccessis faucibus ac latebrosis latentes, „ insidias ponunt: isti palàm rapacitatis ava-„ ritiâ sæviunt. Hostes in alienorum tantùm „ sanguinem intendunt; Judices, quasi crude-„ lissimi carnifices civium, opprefsione suâ subjectorum vitam extinguunt". Sed quid de Principibus? præmiserat ibidem in principio capitis idem author hanc sententiam: "Ad de-„ lictum pertinet Principum, qui pravos Judi-„ ces contra Dei voluntatem populis fidelibus „ præficiunt: nam sicut populi delictum est „ quando Principes mali sunt, sic Principis est „ peccatum quando Judices iniqui existunt". Hinc Joannes Sarisberiensis in Policratico: H. *Princeps*, inquit, *tenetur de omnibus, & omnium* H. Ioann. Saris. lib. 4. Policratici cap. 12. *author esse videtur*. Et Isocrates apud Stobæum sic Principem alloquitur: I. *Imperium gerens nullum mali operâ ad gubernandum utitor:* I. Isocrates apud Stob. Serm. 44. *illius enim peccatorum causa in te referentur*. Et rursùs apud eundem Serm. 46. *Tales homines ijs rebus præfice quas tumetipse non perages, seu ipse præstiturus culpam eorum quæ illi deliquerint*. Ex quibus obvium est cernere, quanto

quanto interemptionis periculo exponantur passim non modò actores, testes, ac judices, sed ipsi etiam supremi Principes, per præfatas Moralistarum Maximas; attento signanter altero eorundem Articulo §. 409. ad calcem relato, quo aiunt; *Clarum & certum est, Iudicem non posse punire aliquem, qui secutus est opinionem probabilem.* Hinc quippe consectarium est, injustè puniri eos omnes qui probabilem foventes causam condemnantur: atque adeò hos posse licitè occidere actores, testes, Iudices, Principes, cæterosque indiscriminatim omnes ad eandem condemnationis suæ sententiam concurrentes, quando signanter damnum inde subeundum æstimari potest ad valorem unius salrem aurei. Cujus doctrinæ exorbitantiam perpendens Schola Theologica Lovaniensis, Articulum istum ordine quintum inter viginti sex ab Episcopo Gandavensi propositos, *Licitum est occidere calumniosum actorem, testes, & injustum Iudicem, ad servandam vitam, honores, vel res familiares*, hocce censorio stigmate notavit

Censura Lovaniensis die 4. Maij 1657. *Abominanda execrandaque assertio, assassinatibus, sicariatibus & intoxicatibus temerè patrocinans; Iudicibus, Advocatis, aliisque publicis justitiæ ministris, quin & ipsis quoque Principibus, præsentissimum procreans periculum.* Doctrinam tamen istius Articuli quispiam ampliat ad res familiares etiam nondum actu possessas, sed jure duntaxat adipiscendas. Tractans quippe ille de rerum nostrarum defensione, & quidem occisoriâ, asserit, K. *Non solùm licitum esse defendere quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, quæque nos possessuros speramus. Quare licitum erit tam haredi, quàm legatario, contra injustè impedientem ne vel hareditas adeatur, vel legata solvantur, se defendere; sicut & jus habenti in cathedram, vel præbendam, contra earum possessionem injustè impedientes.* Refert quidem Caramuel in sua Theologia Fundam. nu. 1575. & 1577. editionis Lugdunensis anni 1657. Tomum istum Francisci Amici fuisse Romæ anno 1655. interdictum; sed aliam tamen interdictionis istius causam memorat quàm præsentis Articuli dogma, doctrinam nimirùm ab eodem authore superiùs n. 118. traditam, quâ asseruerat, *Licere Clerico vel Religioso calumniatorem gravia crimina de se vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius defendendi modus non suppetat.* Quam nihilominùs doctrinam idem ipse Caramuel in Francofordiensi ejusdem sui libri editione n. 1142. & aliquot sequentibus, tantâ animositate defenderat, ut scribere ausus fuerit: *Doctrinam Amici solam esse veram, & oppositam improbabilem, censemus omnes docti.* Non tamen ignorare potuit, tametsi dissimulet, istam Amici doctrinam ab universa Facultate Theologica Lovaniensi pridem fuisse reprobatam, eaque occasione per Senatum Regium expungi in editione Antuerpiensi jussam. Sic juxta hunc doctorum indoctorumque censorem, nullus est in Lovaniensi Facultate doctus, siquidem nullus ibi censuit *doctrinam Amici solam esse veram, & oppositam improbabilem.* Sed benè habet, quòd Lovaniensem Censuram Romana Censura confirmaverit: quæ & ipsum Caramuelem longè diversè imò adversè scribere jam impulit. Etenim in Lugdunensi suæ Theologiæ editione mox memoratâ, disserens de eadem Amici opinione, ait n. 1577. *Quia opiniones omnes suos casus & occasus habent, posset istam aliquis sub duobus temporibus considerare; & dicere, anno 1650. à tot Theologis fuisse defensam, ut dici debuerit probabilis: at eandem hoc anno 1655. cùm rejecta sit à Romanis Censoribus, & propter illam fuerit Amici liber, aliàs doctissimus & solidissimus, ab Ecclesia interdictus, esse omninò improbabilem. At ego eandem sub duobus illis temporibus considero. & affirmo etiam ante annum 1650. fuisse improbabilem & indefensabilem.* Sed ne in totum à pristina sua approbatione resilire videretur, addidit continuò per modum reservationis hanc laciniam; *Si sumatur in tanta verborum latitudine, quantâ ab aliquibus circumferebatur.* Quasi verò latiùs sumpta fuisset à Censoribus, quàm in Amici libro expressa sonet. Etenim cùm propter eam, ipso fatente, *Amici liber ab Ecclesia interdictus sit*, planum est eam Censurâ dignam reputari debere non merè prout *ab aliquibus circumferebatur*, sed prout in libro, *propter eam ab Ecclesia interdicto*, jacet ac sonat. Quòd verò Amici liber Caramueli, *aliàs doctissimus & solidissimus* sit, si per hoc suadere velit totam reliquam libri doctrinam, uno dempto illo Articulo solidam esse ac Censuræ immunem; fallitur prorsùs, aut fallere nititur. Nam, ut de reliqua libri doctrinâ sileam, certè Articulus hic suprà sub littera K. exhibitus perniciosam, ac planè sanguinariam continet doctrinam; atque idcircò Articulus ipse à Schola Theologica Lovaniensi die 26. Aprilis 1653. reprobatus est inter septemdecim, quos ad instantiam Archiepiscopi Mechliniensis censuit *non tolerandos in praxi, & authoritate Superiorum meritò prohibendos.* Quapropter cùm idem Archiepiscopus Censuram istam Scholæ Lovaniensis Romanis Censoribus anno proximo communicaverit, & Romana Censura demùm anno 1655. Tomum illum Amici interdixerit, minimè dubitandum est utrumque Articulum Romanis Censoribus displicuisse, & tam unius quàm alterius intuitu librum Amici ab iisdem interdictum fuisse. Enimverò rem penitiùs perpendenti facilè apparere potest, Articulum sub littera K. exhibitum non minùs proscribendum fuisse altero, quem Caramuel agnoscit proscriptum: imò magis. Est enim inprimis generalior quoad personas, cùm loquatur illimitatè de omnibus, alter

K. Francisc. Amicus tomo 5. Disp. 30 Sect. 5. n. 131. edit. Duacensis anni 1642.

autem

autem de *Clericis* duntaxat & *Religiosis*. Deindè concedit licentiam occidendi propter bona fortunæ, cùm alter eandem concedat propter famam tantùm aut honorem, quæ altioris sunt ordinis quàm bona fortunæ. Denique permittit occidere propter bona fortunæ nondùm possessa, sed jure duntaxat debita; cùm alter id non permittat nisi propter bona famæ vel honoris actu jam habita. Quibus perpensis obviè cernitur quàm rectè in eum quadret

Censura Lovanien.

Censura illa Lovaniensis anteà relata, *Abominanda execrandaque assertio, assasinatibus, sicariatibus, & intoxicatibus temerè patrocinans; Iudicibus, Advocatis, alijsque publicis iustitiæ ministris, quin & ipsis quoque Principibus, præsentissimum procreans periculum.* Addi prætereà potest, eandem assertionem derogare Iuri gentium, quo instituta sunt publica tribunalia, ne quisquam sibi ipsi usurpet ultionem privatam, reclamante lege atque dicente: L. Etiamsi sit aliquis sceleribus implicitus, idcircò tamen Judiciorum vigor, jurisque publici tutela videtur in medio constituta, ne quisquam sibi ipsi permittere valeat ultionem". Eòdem spectat & illud Quintiliani in Declamationibus: M. Ideò Magistratus legesque à Majoribus accepimus, ne sui quisque doloris vindex sit".

L. Libro 1. Cod. tit. 9. lege 14.

M. Quintil. Declamat. 13.

CDXIV. Quærit Caramuel in consequentiam doctrinæ Amicianæ mox relatæ, N. *An homo Religiosus, qui fragilitati cedens fœminam vilem cognovit, quæ honori ducens se prostituisse viro tanto, rem enarrat, & eundem infamat, possit illam occidere?* Respondet autem continuò, vel potiùs responsionem ambiguus suspendit, his duobus verbulis, *Quid scio?* Ambigit igitur an id liceat, adeoque per indirectum asserit licere: nam superiùs ibidem n. 275. definierat, *Omnem omninò actum humanum esse licitum, qui non impingit evidenter in aliquam legem obligatoriam evidenter.* Cùm igitur ipse illo suo responso, *Quid scio?* palàm profiteatur, occisionem fœminæ in prædicto casu nequaquàm evidenter impingere in legem evidenter obligatoriam, consequenter profectò profitetur eam esse licitam. Etenim si putaret eam impingere evidenter in legem evidenter obligatoriam, nequaquam diceret, *Quid scio?* sed absque hæsitatione responderet, *Non potest illam licitè occidere.* Cavit autem ita respondere, quia ita respondendo subiret onus sibi importabile, præstandi nimirùm illa tria de quibus ibidem n. 277. subdit: *Qui rem dicit esse illicitam, ad multa tenetur: primò enim debet ostendere, rationes, quæ malitiam probant, esse demonstrativas; nempe tales, quibus dari probabilis responsio non possit. Secundò debet etiam ostendere, rationes, quæ bonitatem probant, ne quidem probabiles esse: ostendet, si omnibus ad unam dederit solutionem, quæ evidenter sit vera. Tertiò etiam debebit evidenter ostendere partem illam, quæ bonitatem astruit, non habere sufficientes authores, ut dicatur probabilis. Hæc omnia tria simul ostendere ille debet; casurus causâ etsi duo ex illis ostendat, modò unum non ostendat.* Ecce quàm difficilem provinciam imponat asserenti, rem quampiam esse illicitam: & ex adverso quàm latam portam aperiat introducendis in qualibet materia probabilitatibus! Certè enim juxta hanc methodum Caramuel manutenere molitur omnes suas pristinas sententias, quantumvis in speciem nuper in Romanâ, vel Lugdunensi suæ Theologiæ editione revocatas. Nullam quippe omnium ita refutavit, ut evidenter ostenderit actiones priùs à se approbatas non licere; quia nusquam evidenter probavit rationes malitiam arguentes esse demonstrativas, ac ne probabiliter quidem solubiles: nusquàm item clarè monstravit rationes bonitatem suadentes nequidem esse probabiles, dando unicuique solutionem evidenter veram: nusquàm denique evicit deesse parti bonitatem astruenti authores sufficientes; præsertim cùm ipse ibidem n. 274. contendat sufficere unum authorem ad præstandum alicui sententiæ probabilitatem: *Ego*, inquiens, *hanc rationem efformo, quæ solutione hucusque caruit: Quicquid testantur quatuor authores est probabile: sed ad probabilitatem non requiri quatuor authores, sed VNVM OMNINO SVFFICERE, quatuor testantur authores, imò viginti, aut plures: Ergo opinio unius authoris est probabilis.* Hinc apparet Caramuelem non satis plenè aut candidè Positiones suas pristinas in Germaniâ evulgatas, in Italiâ correxisse; sed inter duas aquas ita natare voluisse, ut si contingeret eum denuò in Germaniam reverti, veterem cantilenam liberè resumere posset: si autem in Italiâ morari, correctus videri posset: O. Homines, ait Basilius, similes sunt nubeculis, pro ventorum immutatione ad aliam atque aliam aëris partem jactatis". Nec sanè est quòd Caramuel indignè ferat, sibi hanc Basilij sententiam applicari: quippe qui superiùs in eodem suo libro n. 194. præmiserat: " Author ille Romanus, qui Reges in temporalibus subesse Pontifici scripsit anno 1626. asserente Gramondo, à Sorbonâ, à Clero Gallicano, à sæculari statu; imò, licèt Iesuita, à Iesuitis in Galliâ habitantibus reprobatus est, & jussus comburi à publico justitiæ Ministro: & tamen idem liber etiam hodie Romæ commendatur. Concludendum est ergo: in materiâ politicâ tot esse sententias, quot Rerumpublicarum capita: nec damnandum P. Cotonem, qui adhæsit communi Gallorum sententiæ; & rogatus, *Quid si essetis Romæ?* respondit. *Mutaretur cum aurâ animus, sentiremus ut Romæ*". Qui ergo censet P. Cotonem nequaquam in isto suo responso esse culpandum,

N. Caram. in Theolog. Fundam. n. 1151 edit. Francof.

O. Basilius Epist. 12.

Caramuel.

dum, quid vetat quin eundem sibi proponat occasione datâ imitandum? Cur autem non Gregorium illum cognomento Theologum imitari delectat, qui veritati immobiliter inhærendum esse prædicat: [P] Nihil, ait ipse, de rei veritate propter hominum opinionem detrahi convenit. Quisquis autem alterius cujusquàm rei gratiâ virtuti studet, is profectò neutiquàm firmas in virtute radices agit: simul enim ac res ea effluxerit, recti quoque studium deponet; quemadmodùm qui quæstus causâ navigat, nisi lucrum præsto sit, navigare desistet. At qui bonum ipsum propter se colit & amplectitur, quoniam rem fixam & stabilem amat, certam quoque & constantem erga illud alacritatem animi habet; adeò ut divinum aliquid sentiens, his quoque Dei verbis uti possit, *Ego idem sum, & non mutor*. Quamobrem nec ab animo suo demigrabit, nec immutabitur, aut à seipso descisceet, nec cum temporibus ac rebus collabetur, aliàs alios mores induens, ac novos subinde colores assumens, non secùs ac Polypi, petratum, ad quas accesserint, colores referunt: sed idem semper suique similis permanebit". Unde Basilius postquàm dixisset oportere potiùs ignominiam, labores, ac pericula quæque subire, quàm ab ijs quæ recta esse novimus ullo modo desciscere, statim subdidit: [Q] An eum qui non est ita comparatus, ab Ægyptio illo circulatore differre putabimus, qui & planta fiebat, & bestia, & ignis, & aqua, & omnes res, prout ei libêret? Sic & animo varius ostenditur adulator, nunc quod justum est laudat apud eos qui justi rationem habent, vituperat apud eos qui iniquitati favent; more nimirùm Polypodis, qui colorem suscipit terræ quam attigerit". Et vide quid idem sanctissimus ac disertissimus Ecclesiæ Doctor hâc ipsâ de re scribat in Hexameron Homilia 7." Non silentio præterierim, inquiens, Polypi dolos ac furacitatem. Is cuicunque saxo adhæserit, colorem illius subit; adeò ut piscium complures ad ipsum de improviso nantes tanquam ad saxum appellant, ac versuto illi malitiosoque paratam sese offerant prædam. Talibus eos moribus præditos esse constat, qui perpetuò potentatus subeunt, & ad usus necessitudinesque singulas occurrentes sese accommodant, nec in eadem jugiter voluntate persistunt, sed alij diversique facilè fiunt: sobrietatem cum sobrijs laudant, intemperantes cum intemperantibus evadunt, atque ad id quod cuique placet suam omninò sententiam vertunt. Quos evitare nemo facilè potest, nec ab eorum insidijs nocumentisque cavere, propterea, quòd pietatis prætextu pravitas eorum fucata atque adornata profundè celatur, ac latet". Sed Caramuel noster Basilio & Nazianzeno præferre videtur Theognidem Poëtam, cujus apud Athenæum in Dipnosophistis extat parænecticum istud distichon: [R] *Mentem habeas vafri Polypi; qui protinus illa, Et quibus admovit, saxa colore refert*: vel certè illum, nescio quem alium Poëtam apud eundem ibidem dicentem: *Polypodis fraudes imitabere Amphiloche heros: Ut temet populo, quemcunque accesseris, apte*. Quando de legibus aut ritibus humanis divinæ Sanctioni nequaquàm adversis agitur, amplectenda est illa proverbialis sententia, *Pro quo loco nunc hunc fieri, nunc expedit illum*. Sed cùm ad divinam legem, quæ ubique locorum una eademque est, venitur, non debet sanè Theologus exhibere se chronicum aut topicum, id est, temporalem aut localem; sed semper & ubique sui similem: ut per quandam ipsius Dei imitationem ac participationem dicere possit, *Ego idem sum, & non mutor*. Quando de Pontificis potestate quoad temporalia in Reges agitur, non humana aliqua Sanctio, sed divina Constitutio obtenditur. Hæc porrò, si reverà subsit, ubique vigere debet: si non subsit, nullibi. Quàm parùm ergo Theologicum fuerit, uno eam loco astruere, alio destruere? Quapropter non tam Theologica, quàm pseudopolitica vel polypodica censeri debet illa P. Cotonis responsio, à Caramuele mox relata ac probata: *Mutaretur cum aurâ animus*. Quis enim vel hilum deferat eorum Theologorum consultis, qui, ut Beatus Athanasius ait, [S] *Tam varijs sunt ac versipelli animo, quàm Chamæleontes in mutandis coloribus*? Cæterùm credibile est Caramuelem P. Cotonis responsum approbasse non propter illum, sed propter seipsum: ut nimirùm ipse possit illius exemplo abs se approbato Vertumnum agere, atque uno ore calidum & frigidum pro re natâ efflare. Sic enim in Germaniâ existens, ad quæstionem de occisione pellicis Religiosum complicem infamantis, respondit: *Quid scio*? Quod est implicitè ac per indirectum asserere eam occisionem fore licitam; ut jam suprà vidimus. Qui tamen posteà in Italiâ constitutus *mutavit cum aura* etsi non *animum*, saltem loquelam, dicendo, [T] *Non posse illam puellam occidi*: quod est dicere, talem occisionem fore illicitam. Et tamen nondum præstitit illa tria, quæ juxta ipsius regulam mox relatam præstare debet omnis, *qui eam dicit esse illicitam*: prout patere potest cuilibet vel mediocriter sagaci, totum ejus textum attentè intuenti. Ipso proinde teste, *eccidis causâ*: quia non præstitit illa tria, quæ præstare debuisset, ut pellicis necem illicitam esse ostendisset. Atque hoc est quod innuere volui, cùm jam dixi eum cum aurâ mutasse loquelam, *etsi non animum*. Ut enim animum cum loquelâ mutaret, opus erat ut vel

[P] Gregor. Nazianz. Orat. 17.

Mal. 3. 6.

[Q] Basil. Homil. 24. de legen. Gentilium libris.

Vide Ambr. lib. 5. Hexam. cap. 8.

[R] Theognis apud Athenæum lib. 7. c. 32.

[S] Athan. Epist. pro Decretis Nicænis.

[T] Coton. in Theol. Fundam. n. 1591 editionis Lugdun.

vel tria illa per suam regulam requisita præstaret, vel certè ipsam suam regulam cum loquela revocaret. Cùm ergo neutrum impleverit, alteri illi suæ regulæ animotenùs adhæsit & adhæret, quâ definierat, *Omnem omninò actum humanum esse licitum, qui non impingit evidenter in legem obligatoriam evidenter.*

CDXV. Cùm superiùs cap. 56. de *Saulis* interemptione dissereremus, complura documenta ex veterum Tractatorum Scriptis reproduximus, quibus evertantur pleræque laxitates per modernos probabilitatum patronos adversùs *Non occidendi* præceptum adinventæ, & rudioribus obtrudi jam cœptæ: quorum istud unum est, præ oculis semper habendum, ac vigili memoriâ retinendum, ex Augustino ibi §. 204. relatum: *His exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi iubet, quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidij crimine innectitur.* Quæ Augustini sententia corpori Juris Canonici inserta habetur Causâ 23. q. 5. c. 9. Cùm igitur præceptum *Non occidendi* generale sit, ipsúmque humanæ naturæ coævum, ac per hoc antiquissimæ possessionis prærogativâ munitum; consequens profectò est, ut quisquis modernorum Ethicorum contendit cujusquam hominis occisionem prohibitioni ejus subtrahere, teneatur firmis probationibus evincere ejusmodi occisionem *vel lege justâ generaliter, vel ipso justitiæ fonte Deo specialiter iubente*, patrari. Si enim id non præstet, antiqua præcepti possessio manebit inconcussa, occisorem condemnans, quantumlibet humanâ persuasione justificatum. Et quoniam de præcepti moralis sive naturalis obligatione hic agitur,

Augustin. Vide eund. l. 22. contra Faust. c. 70. & Epist. 54. 61. & 154. & l. 3. delib. arbit. cap. 3.

V. Nullus temeritati locus est: in æternum „stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit". Deus, tanquam naturæ, & legis novæ ac veteris author, humanam cædem prohibuit, & ab hac suâ prohibitione duos duntaxat casus, ex Augustino mox commemoratos, excepit, quos idem ipse Augustinus exemplis ibidem illustrat, dicens. W. Nequaquam contra hoc præ„ceptum fecerunt, quo dictum est, *Non occi„des*; qui Deo authore bella gesserunt, aut „personam gerentes publicæ potestatis se„cundùm ejus leges, hoc est, justissimæ ratio„nis imperium, sceleratos morte punierunt. „Et Abraham non solùm non est culpatus „crudelitatis crimine, verùm etiam laudatus „est nomine pietatis, quòd voluit filium ne„quaquam sceleratè, sed obedienter occi„dere. Et meritò quæritur, utrùm pro jussu „Dei sit habendum, quòd Iephte filiam, quæ „patri occurrit, occidit, cùm se immolatu„rum Deo id vovisset, quod ei redeunti de „prælio primitùs occurrisset. Nec Sampson „aliter excusatur, quòd seipsum cum hosti„bus ruinâ domûs oppressit, nisi quia Spiritus „latenter hoc jusserat, qui per illum miracula „faciebat". Quisquis igitur cujusquam hominis occisionem justificare voluerit, necesse est ut eam alterutri duarum prædictarum exceptionum adaptet; alioquin vetusta præcepti possessio, universis ejus probationibus prævalebit; nisi fortè suam adinventionem divino aliquo miraculo persuaserit, juxta illud Paciani Barcinonensis quondam Antistitis: X Linguis locutus est? Prophetavit? Susci„tare mortuos potuit? Horum enim aliquid „habere debuerat, ut Euangelium novi juris „induceret". Probent igitur novi Ethici vel firmâ aliquâ ratione, vel miraculorum perpetratione, eos non impingere in præceptum, *Non occides*, qui *occiderint calumniosum actorem, testes, & injustum iudicem, ad servandam vitam, honores, vel res familiares*: nec item qui *occiderint aggressorem usurpantem sibi rem, quæ sit valoris unius aurei vel minoris*: nec item Religiosum aut Clericum, qui *occiderit calumniatorem aut calumniatricem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem*: imò nec eum qui pellicem à se reverâ cognitam occiderit, *iactantem se cum tanto viro concubuisse*: nec item eum qui *occiderit invasorem, etiam fugientem post alapam sibi impactam; aut calumniam illatam*: nec item eum *qui ad defendendum suum honorem acceptat duellum, & occidit provocantem*. Certè enim si neutro prædictorum modorum has positiones probaverint, nequaquàm suâ vetustissimâ obligandi possessione, à Majoribus hactenùs inconcussè agnitâ, præceptum *Non occidendi* deturbabunt; sed suam potiùs insolentiam, & innovandi libentiam propalabunt: imitantes eos, de quibus olim Cassiodorus cum indignatione dicebat, Y. Sunt nonnulli, qui putant esse laudabile, „si quid contra antiquos sapiant; & aliquid „novi, unde periti videantur, inveniant". Vel certè illius vestigijs insistentes, cui Heribertus Cœnomanensis Præsul irrisoriè aiebat: Z Forsitan revelatum est tibi desuper, Ec„clesiam Christi usque ad tua tempora desi„puisse; atque illud Apostoli in te comple„tum, *Si quid aliter sapitis, id quoque Deus vobis „revelavit*. Felix qui solus factus es Ecclesiæ cælestium interpres secretorum". Refert & approbat Caramuel quorundam Theologorum argumentum, adversùs sententiam Francisci Suarij, contendentis obligari hominem ad actum contritionis in articulo mortis, nec ei sufficere sacramentalem absolutionem cum attritione cognitâ. Quotum argumentum in eo versatur, A. *Quòd Suarius sit primus author istius sententia: Ergo non est vera. Patet: Incredibile est annis integris mille sexcentis rem tam necessariam, si esset vera fuisse in Ecclesiâ Romanâ ignoratam. Alias de Dei misericordiâ est præsumendum: non enim admittendum est, ab illo ita totam Ecclesiam deseri,*

V. Lactant. l. 1. c. 33.

W Aug. l. 1. de Civit. c. 21.

X Pacian. Epist. 2.

Vide suprà § 410. & 413.

Vide §. 413.

Vide Caramuelem. Theol. fund. n. 1151. aliàs 1602. Vide eund. ibid. n 1141. aliàs 1192.

Y. Cassiod. lib. divin. lect. c. 11.

Z Heribert. Cœnomen. Epist. 11.

Philip. 3. 15.

A. Apud Caramuelem in Theol. fundam. n. 307. aliàs 303.

ut in

ut in re tanti momenti semper fuerit decepta. Ecce argumentum: sequitur continuò Caramuelis approbatio, hisce verbis expressa: *Hac ratio tametsi moralis sit, & non metaphysica; fortis interim est, & sufficiens, ut Suarij opinio rejciatur.* Sed quis non videat pari jure plerasque vel certè omnes laxitates à Neotericis circa Decalogum recenter invectas reijci posse, ac debere? Nonne Caramuelis vox est in eodem ipso libro inferiùs n. 1268. aliàs 1785. *Si absit invidia & praiudicium,* TOTA MORALIS THEOLOGIA NOVA EST. *Quis enim negare audebit esse hodie in Diana centenas opiniones probabiles, qua Augustino & antiquis Ecclesia Patribus ignota?* Nunquid ergo hinc consequens est juxta superiorem Theologorum illorum discursum à Caramuele approbatum, novam istam Theologiam moralem, antiquis Ecclesiæ Patribus ignotam, ac demùm post mille sexcentos annos adinventam, nequaquàm esse veram, sed prorsùs rejiciendam? Neque enim dici potest veram ac genuinam Decalogi intelligentiam non fuisse Ecclesiæ quovis tempore necessariam, cùm Decalogus contineat regulam vitæ universos homines intimè obligantem. Si autem necessaria fuit, profectò Ecclesiæ per tot secula nequaquàm defuit: *Altiùs de Dei misericordiâ est præsumendum: non enim admittendum est, ab illo ita totam Ecclesiam deseri, ut in re tanti momenti fuerit decepta.* Reijciant igitur universas suas in Decalogum novitates ij, qui prædicto argumento Suarium impetunt, quales Caramueli ibidem sunt *Fagundez, Becanus, Layman, Coninck, Faber, & Diana*: quorum postremus, testante mox Caramuele, *Centenas habet opiniones, qua Augustino & antiquis Ecclesia Patribus ignota.* Reijciat pariter & ipse Caramuel novitates suas eundem Decalogum concernentes, qui prænominatorum Theologorum argumentum adversùs Suarium ita approbat, ut dicat: *Hac ratio tametsi moralis sit, & non metaphysica; fortis interim est, & sufficiens, ut Suarij opinio rejciatur.* Verùm quo minùs id faciat, sibi fortè ob oculos proponet exemplum illius, qui apud ipsum in eodem libro ait:[B] *Potuisset Ami-*

B Apud Caramuelé in Theol fund. nu. 1318. aliàs 1590.

„ *cus hanc resolutionem omisisse: at semel impres-* „ *sam debet illam tueri, & nos eandem defendere.* „ *Doctrina quidem est probabilis, sed quâ posset uti* „ *Religiosus, & pellicem occidere, ne se infamaret*". Sermo est de eâ doctrinâ, quâ Amicus docuerat, *licere Religioso vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se vel de suâ Religione spargere minantem occidere.* Fatetur porrò Amicus eo ipso loco quo doctrinam illam tradit, *se eam apud alios non legisse.* Quibus verbis novitatem ejusdem doctrinæ palàm agnoscit; tametsi aliquod ejus vestigium reperire potuerit in Ruffino, veteri illo Beati Hieronymi æmulo, in Romana Synodo sub Gelasio habitâ reprobato. Is enim eundem ipsum Hieronymum occidere minatus est, quòd errorum suorum propalatione famam errantis denigrasset. Cui respondens Hieronymus:[C] Expostulare tecum lubet,

Vide suprà §. 412.

C Hieron. lib. 3. con. Ruffin. c. 1.

„ inquit, venustissime Monachorum, bone „ presbyter, imitator Christi; fratrem tuum „ potes occidere, quem si tantùm oderis, homicida es"? Sed fortè quis suspicabitur Hieronymum aliter locuturum fuisse, si ipse calumnijs impetitus fuisset. At certè hanc suspicionem amputat contextus, ubi paulò pòst ait ipse eidem Ruffino, presbyter monacho & presbytero: " De sene senex tanta confin„ gis, quanta non diceret de latrone homicida, „ de scorto meretrix, scurra de mimo: qui par„ turis mihi montes criminum, & gladios, quos „ defigas in jugulum meum, tanto antè tempore exacuis". Videmus hìc impactam presbytero atrocissimam calumniam, nec prætermissam necis interminantiam. Sed quid ipse taliter impetitus? Præmiserat ibidem superiùs ad calumniatorem & interminatorem: " Absit ut imitator tui sim, & quod in te re„ prehendo, ipse faciam. Ille loquatur spurci„ tias, qui potest spurca committere: *Malus* „ *homo de malo cordis thesauro profert ea qua mala* „ *sunt: ex abundantia cordis os loquitur.* Habeo „ interim lucrum, quòd amicus quondam „ tuus, nunc accusatus, turpia tibi non vult „ obijcere. Et hoc dico, non quòd accusatio„ nis tuæ gladios pertimescam, sed quòd ma„ gis accusari velim, quàm accusare; & pati „ injuriam, quàm facere: sciens præceptum „ ab Apostolo, *Non vosmetipsos ulciscentes charissi-* „ *mi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindicta, & retribuam*".

Mat. 12.34. & 35.

Vide Tertul. in Apolog. cap. 37.

Rom. 12. 19.

CDXVI. De suicidio disseruimus superiùs cap. 56. occasione *Saulis* à seipso cæsi, ibique §. 204. hanc liquidissimam adversùs suicidas ex Augustino exhibuimus sententiam: *Si parricida eò sceleratior est quàm quilibet homicida, quia non tantùm hominem, verùm etiam propinquum necat; & in ipsis parricidis, quantò propinquiorem quisque peremerit, tantò judicatur immanior: sine dubio pejor est qui se occidit, quia nemo est homini seipso propinquior.* Unde nescio quid Caramueli in mentem venerit, qui merâ innovandi libidine, sine ullius Ecclesiastici Tractatoris suffragio, ausus est negare suicidium arctiùs inhiberi, quàm altericidium. Postquàm enim dixisset[D] *omne homicidium inhiberi divinitùs*, continuò subdidit novum istud paradoxum eatenùs in Ecclesiâ inauditum: *Nec strictiùs teneris te non occidere, quàm proximum; imo fortè minus strictè, aut saltem minùs clarè.* Sed huic paradoxo, præter unanimem Veterum sensum, ipse naturæ horror reclamat, & charitatis ordo contradicit. Unde non tanquam ambiguam, sed ut omnis dubietatis expertem habuit Augustinus eam resolutionem, quâ ait: *Sine dubio pejor est qui se occidit, quia nemo est homini seipso propin-*

Augustin.

D. Caram. in Theolog. fundam. n. 1317 alias 2108.

Augustin.

propinquior. Qui rursùs Tract. 51. in Joannem, Suicidas non-modò crudeles aut sceleratos, sed *crudeliores & sceleratiores homicidis* appellat; utique comparatione aliorum quorumlibet homicidarum. Sed nimirùm voluit Caramuel illo suo paradoxo parare sibi viam ad problematicè disputandum num possit Respublica cuiquam mandare, ut suæ necis agat carnificem: E. *Valdè moderatè precedemus*, ait ipse ibidem inferiùs, *si dicamus, eodem modo teneri hominem abstinere ab homicidio sui, quo ab homicidio alterius: At est in Republica authoritas, ut possit carnifici præcipere, ut occidat alterum hominem reum: Ergo & erit, ut eidem, si reus sit, præcipiat, ut occidat seipsum: vel detur evidens & clara disparitas. Consultè evidentiam, & claram disparitatem postulo: quoniam si merè probabilis datur, nulla datur: est enim opinio probabilis illa, contra quam nihil adducitur, quod sit plusquàm probabile.* Qui totus discursus in fumos dissolvitur, everso paradoxo prædicto, cui totus incumbit. Sed non hìc sistit Caramuelis curiositas: disputat quippe inferiùs ibidem utrùm excusabilis sit Religiosus qui lecto apud Jobum, *Elegit suspendium anima mea*, seipsum absque ulla publica authoritate suspendit. Verùm contra omnia hujusmodi exempla invictè militat regula illa dogmatica & Canonica ex Augustino jam superiori §. relata: *His exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidij crimine innectitur.* Cui addenda est & illa altera ejusdem mox repetita, *Sine dubio pejor est qui se occidit, quia nemo est homini seipso propinquior.* Nullo ergo modo subsistit Caramuelis consequentia à nece aliena ad propriam: imò nec consequens est, ut si Respublica possit præcipere carnifici interemptionem hominis extranei, possit similiter & parentis, aut filij. Multò ergo minùs consectaneum fuerit, ut si possit præcipere interemptionem extranei, possit & suiipsius; quippe sibi propinquioris, quàm sit pater, aut filius. Intantùm enim competit Reipublicæ potestas perimendi malefactores, inquantùm ea fuerit necessaria tranquillitati & incolumitati suæ: Atqui tranquillitati incolumitatique Reipublicæ nullo modo necessaria est potestas perimendi malefactores per semetipsos tanquam propriæ cujusque respectivè necis carnifices, cùm sufficiat perimi unumquemque per alium, vel alios: Ergo talis potestas nequaquàm Reipublicæ competit. Natura enim sicut non denegat necessaria ac congrua, ita nec erogat superflua atque incongrua. Cæterùm titulos omnes quibus in speciem justificari posse putentur, qui violentas sibi manus intulerint, præscidit Augustinus lib. 1. de Civit. c. 17. & multis sequentibus, signanter c. 26. unde integram periodum huc spectantem exhibuimus superiùs cap. 56. §. 204. quam hìc pro repetita haberi volumus:

E. Caram. ibid. n. 1265. aliàs 1629.

Vide Ibid. n. 1267. aliàs 1637. Job 7. 15.

uti & alteram periodum ex c. 21. ejusdem libri descriptam, & hìc §. 415. exhibitam; quâ Samson non aliter excusabilis perhibetur, *nisi quia Spiritus latenter jusserat, qui per eum miracula faciebat.* Quâ in re Augustinum citat & sequitur D. Thomas 2. 2. q. 64. a. 5. ad 4. Ut proinde utrique adversetur Tamburinus, qui authoritate Lessij potissimùm ductus sustinet, F. *Milites navales licitè ignem injicere in pulverem sulphureum, se conjiciendo in mare, ne navis in hostium potestatem integra deveniat; quando id faciunt ne acerbiorem mortem apud eosdem hostes patiantur.* Sed profectò si Samson non aliâ ratione excusari potest, quàm recursu ad instinctum Spiritûs Sancti intus moventis atque jubentis: nec hujusmodi milites excusandi ullatenùs fuerint, nisi eodem Spiritu Sancto instigante pulverem accenderint, & seipsos de vita extruserint. Unde D. Thomas Articulo proximè memorato, sic scribit in responsione ad 3. "Transitus de hac vita ad aliam feliciorem „non subjacet libero arbitrio hominis, sed „potestati divinæ, & ideò non licet homini „seipsum interficere ut ad feliciorem trans„eat vitam. Similiter etiam nec ut quaslibet „miserias præsentis vitæ evadat: quia ulti„mum malorum hujus vitæ, & maximè terri„bile, est mors, ut patet per Philosophum in „3. Ethicorum: & ideò inferre sibi mortem „ad alias hujus vitæ miserias evadendas, est „majus malum assumere ad minoris mali vi„tationem. Similiter etiam non licet seipsum „interficere propter aliquod peccatum com„missum: tùm quia in hoc sibi maximè nocet, „quòd sibi adimit necessarium pœnitentiæ „tempus: tum etiam, quia malefactorem occi„dere non licet, nisi per judicium publicæ po„testatis. Similiter etiam non licet mulieri se„ipsam occidere, ne ab alio corrumpatur: quia „non debet in se committere crimen maxi„mum, quod est suiipsius occisio, ut vitet mi„nus crimen alienum; non enim est crimen „mulieris per violentiam violatæ, si consensus „non adsit; quia non inquinatur corpus nisi de „consensu mentis, ut Lucia dixit: constat au„tem minus esse peccatum fornicationem vel „adulterium, quàm homicidium, & præcipuè „suiipsius, quod est gravissimum, quia sibi ipsi „nocet cui maximam dilectionem debet: est „etiam periculosissimum, quia non restat tem„pus ut per pœnitentiam expietur. Similiter „etiam nulli licet seipsum occidere ob timo„rem, ne consentiat in peccatum: quia non „sunt facienda mala, ut veniant bona, vel ut „vitentur mala, præsertim minora & minùs „certa: incertum autem est an aliquis in „futurum consentiat in peccatum, potens „est enim Deus hominem quâcunque tenta„tione superveniente liberare à peccato". Hæc ille, omninò consonè Augustino lib. 1. de Civitate cap. 26. qui alibi quoque ait:

Augustinus. D. Thomas. Vide Lactantium l. 3. c. 18. & l. 6. c. 20.

F. Tambur. l. 6. c. 2. §. 4. n. 9.

D. Thomas.

G Certè in eiſdem poſitum tentationibus occidat proximum mori volentem, qui ſibi expedire & licere putat oc. idere ſeipſum: quoniam Scriptura dicit, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Nullis autem jubentibus legibus vel legitimis poteſtatibus, non licere alterum occidere, etiam volentem & petentem & vivere jam non valentem, ſatis indicat Scriptura Regnorum, ubi Rex David Regis Saulis interfectorem juſſit occidi, cùm ille dixiſſet, ab eo jam ſaucio atque ſemivivo petitum ſe fuiſſe ut hoc faceret, & animam corporis nexibus obluctantem, ſolvique cupientem, uno ictu vulneris ab illis cru. iatibus liberaret. Proindè quia omnis, qui ſine ulla legitimæ poteſtatis authoritate hominem occidit, homicida eſt; quiſque ſeipſum occidit non ſit homicida, ſi non homo eſt". Quæ finalis illatio planè ſupponit nullam dari humanitùs legitimæ poteſtatis authoritatem, quâ injungatur cuiquam, ut ſeipſum occidat; ſed ſoli prorsùs Deo talem competere authoritatem. Si enim Auguſtinus id non ſuppoſuiſſet, non dixiſſet ſimpliciter, *Quiſquis ſeipſum occidit non ſit homicida, ſi non homo eſt*: ſed inſeruiſſet eandem illam clauſulam, quam ſuperiùs inſeruerat in antecedente, *ſine ulla legitima poteſtatis authoritate* Integer proinde Auguſtini diſcurſus hunc facit ſenſum: Omnis qui ſine ulla legitimæ poteſtatis authoritate hominem occidit, homicida eſt: Atqui omnis qui ſeipſum occidit, ſine ulla legitimæ poteſtatis authoritate hominem occidit: Ergo omnis qui ſeipſum occidit homicida eſt. Ubi tamen ſola venit intelligenda iſta ordinaria authoritas legitimæ poteſtatis, quæ hominibus publico munere fungentibus congruit: nam Auguſtinus ſemper reſervat Deo extraordinariam ſuam prærogativam, quâ poteſt unicuique injungere non ſolùm ut alium quemlibet quantumvis fortè innocentem, ſed etiam ſeipſum licitè interficiat, imò & impius ſit ſi non interficiat. Angelicus quoq; Doctor ſatis patenter indicat non competere Reipublicæ humanæ authoritatem injungendi cuiquam ut ſeipſum occidat: H. Nullus ita condemnatur, ait ille, quòd ipſe ſibi inferat mortem, ſed quòd ipſe mortem patiatur Et ideò non tenetur facere id unde mors ſequatur; quod eſt manere in loco, unde ducatur ad mortem: tenetur tamen non reſiſtere agenti, quin patiatur quod juſtum eſt eum pati. Sicut etiam ſi aliquis ſit condemnatus ut fame moriatur, non peccat ſi cibum ſibi occultè miniſtratum ſumat: quia non ſumere, eſſet ſeipſum occidere". Quæ poſtrema clauſula rationalis probat taliter condemnatum non modò poſſe, ſed & teneri cibum ſic oblatum ſumere: quia citra ſpecialem Dei impulſum nulli fas eſt ſeipſum occidere. Cùm ergo juxta D. Thomam, *Non ſumere, ſit ſeipſum occidere*; planum eſt talem teneri cibum oblatum ſumere, perinde ac tenetur ſeipſum non occidere. Atque ita cenſet Bannez cum alijs, quos in ejus loci Commentario citat: & addit, I. Ratio noſtra eſt, quia vix poteſt reſponderi ad verba D. Thomæ allata. Item quia ſecundùm omnium ſententiam, licitum eſt in illo caſu comedere; at verò difficultas eſt inter Doctores an ſit peccatum mortale non comedere: Ergo tutius eſt comedere: Ergo hoc debet facere". Quæ ratio poteſt fortè planiùs ſic efformari: Homo tenetur cõſervare ſuam vitam, quoties licitè poteſt: Atqui in prædicto caſu licitè poteſt: Ergo tenetur. Quòd ſi quis contendat negare Minorem, quaſi obſtet Judicis ſententia, quâ condemnatus fuerat reus ad fame moriendum. Reſpondet ibidem mox idem Bannez, negando Judicis ſententiam obſtare: " Quia, inquit, ſententia non præcipit ut ego non comedam (eſſet enim iniqua talis ſententia) ſed tantùm præcipit. ut nemo mihi cibos miniſtret" Hinc rejicienda eſt illa Tamburini poſitio, K *Iuſtè damnatus ut fame pereat, poteſt oblatum cibum reſpuere.* Aut enim damnationis in eum lata ſententia præcipit ut oblatum cibum reſpuat. aut non præcipit. Si primum, ea eſt injuſta; ac ſic evertitur caſus, cùm ipſe non ſit tunc *juſtè damnatus*, ſed injuſtè. Si ſecundum, perinde illa ſe habet ad ſumptionem cibi, ac ſi lata non fuiſſet: Atqui ſi illa lata non fuiſſet, teneretur ille conſervare ſuam vitam ſumendo cibum oblatum: Ergo etiam illâ latâ tenetur. Quo eodem dilemmate refellitur & altera iſta ejuſdem Tamburini poſitio ibid ſuperiùs §. 1. n. 5. quâ, loquens de damnato ad pereundum veneno, ait: *Licitè venenum, propinante Miniſtro, aperto ore ſumit, deglutitq́.* Notet deniq; Lector illam generalem Lactantij Cenſurã de doctrina ſuicidium juſtificante: L. *Execrabilis prorsùs ac fugienda doctrina, ſi abigit homines à vita.*

G. Auguſt. Epiſt. 61.
Mat. 22. 39.
H. D. Thom. 2. 2. q 69, a. 4. ad 2.
I. Bannez 2. 2. q. 69. art. 4.
PRÆOCCUPATIO.
Bannez.
K. Tambur. lib. 6 c. 2 §. 2. n. 6.
L. Lactant. l. 3. c. 18.

CDXVII. Suicidio affinia quodammodò ſunt membricidium & fœticidium, quorum illud conſiſtit in mutilatione humani corporis, iſtud in præfocatione humani fœtûs. Membrum quippe hominis quod mutilatione abſcinditur, ad integritatem ſpectat humani individui de quo abſcinditur: fœtus itẽ qui præfocatione opprimitur non ſolùm ſpectat ad multiplicationem humanæ ſpeciei in ſuis individuis, ſed eſt inſuper etſi non propriè pars, ſaltem quaſi pars matris eum utero geſtantis: M. Membrum interius matris, inquit D. Thomas, eſt aliquid ejus per continuationem & unionem naturalem partis ad totum: puer autem in utero matris exiſtens, eſt aliquid ejus per quandam colligationem corporum diſtinctorum". In jure civili uſque adeò exaggeratur iſta colligatio, ut fœtus ſimpliciter portio matris eum geſtantis dicatur, in verbis: N. *Partus antequam edatur, mulieris portio eſt, vel viſcerum.*

M. D. Thom. 3. p. q. 68. a. 11. ad 3.
N. Digeſtorum lib. 25. tit. 4. lege 1. § 1.

Dica-

Dicamus ergo primùm de abortu, deinde de mutilatione propriè dictâ. Inter septemdecim Articulos, à Schola Theologica Lovaniensi ad instantiam Archiepiscopi Mechliniensis anno 1653. reprobatos, iste est ordine nonus: *Quidam putant probabiliter, nondum animato fœtu licere abortum procurare, ad vitandum scandalum, aut mortem. Ex quo apparet, non condemnandam facile puellam abortum facientem cùm nondum est animatus fœtus, ne deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* Sed quantoperè hæc positio adversetur antiquæ Christianorum professioni ac disciplinæ, facilè perspicitur ex Tertulliano, qui ex communi eorum persona loquens: O. Nobis, inquit, homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet. Homicidij festinatio est prohibere nasci, nec refert, natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet: homo est & qui est futurus, & fructus omnis jam in semine est". Minutius Felix exprobrat ethnicis expositionem infantium jam natorum, & præventionem nascendorum, tanquam scelera parricidialia de falsorum Deorum pessimâ disciplinâ descendentia, atque à Christiana innocentia prorsùs aliena: P. Vos video, inquit eis, procreatos filios nunc feris & avibus exponere, nunc adstrangulatos misero mortis genere elidere. Sunt quæ in ipsis visceribus, medicaminibus epotis originem futuri hominis extinguant, & parricidium faciant antequam pariant. Et hæc utique de Deorum vestrorum disciplinâ descendunt". Et mox infrà ex communi Christianorum personâ subdit: " Nobis homicidium nec videre fas est, nec audire". Cui consonans Athenagoras ait ex communi eorundem Christianorum persona: Q. Mulieres medicamentis abortivis utentes, homines occidere, & rationem Deo reddituras dicimus". Ambrosius quoque abortiva ejusmodi medicamenta, R. *Parricidales succos* appellat: indicans utique fœminas eis utentes, parricidij crimine innecti. Cui subscribens Augustinus: S. Nulla mulier, inquit, potationes ad abortum accipiat, nec filios aut conceptos, aut jam natos occidat: quia quæcunque hoc fecerit, ante tribunal Christi sciat se eorum causam quos occiderit esse daturam. Sed nec alias diabolicas potationes debent mulieres accipere: mulier autem quæcunque fecerit hoc per quod jam non possit concipere, quantoscunque parere poterat, tantorum homicidiorum ream se esse cognoscat". Consonat item Hieronymus, dum ita scribit ad Eustochium: T. Piget dicere, quot quotidie virgines ruant, quantas de suo gremio mater perdat Ecclesia, super quæ sidera inimicus superbus ponat thronum suum, quot petras excavet, & habitet coluber in foraminibus earum. Videas plerasque viduas antequam nuptas, infelicem conscientiam mentitâ tantùm veste protegere. Quas nisi tumor uteri, & infantum prodiderit vagitus, sanctas & castas se esse gloriantur; & erectâ cervice, & ludentibus pedibus incedunt. Aliæ verò sterilitatem præbibunt, & necdum sati hominis homicidium faciunt. Nonnullæ, cùm se senserint concepisse de scelere, abortij venena meditantur; & frequenter etiam ipsæ commortuæ, trium criminum reæ ad inferos perducuntur, homicidæ sui, Christi adulteræ, necdum nati filij parricidæ". In Concilio Ancyrano Canon extat, de hujusmodi fœticidis ita disponens: V. De mulieribus, quæ fornicantur, & partus suos necant, sed & de his quæ agunt secum ut utero conceptos excutiant, antiqua quidem definitio est, usque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia removeri: humaniùs autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus pœnitentiæ tribuatur". Ex quo planè apparet quantoperè Ecclesia primitiva horrendum procurandę abortionis scelus detestata fuerit, cui tam gravem tamque diuturnam pœnitentiam inflixit. Nec usquam reperitur à quoquam ante modernos laxitatum introductores exceptus casus impendentis periculi occisionis, de qua in Articulo prædicto, aut infamiæ. Et profectò si infamiæ periculum ad tale facinus licitè perpetrandum sufficeret, vix ulla unquam abortionis procuratrix culpari posset, cùm vix unquam infamiæ periculum deesse possit. Et verò quis ambigat Agapetas illas, quas Hieronymus mox relatus redarguit, timore infamiæ patrasse parricidia ab ipso tantoperè culpata, ac gehennali incendio adjudicata? Notandum prætereà est, supradicta Patrum ac Conciliorum testimonia indifferenter loqui de omni abortu voluntariè procurato, sive fœtus fuerit interim animatus, sive adhuc inanimus: quemadmodùm quoque indifferenter loquitur Synodus Wormatiensis, cùm ait: W. Mulieres quæ ante temporis plenitudinem conceptos uteros infantes voluntate excutiunt, ut homicidæ proculdubiò judicandæ sunt". Quinimò vetus pœnitentiale Romanum ab Antonio Augustino editum, pro homicidis decernit habendos eos, qui sterilitatem procurant, ne fœmina concipiat utero fœtum, quem sive inanimem sive vivum excutiat: X. Si quis, inquit, causâ explendæ libidinis, vel odij meditatione, ut non ex eo soboles nascatur, homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare vel concipere, ut homicida teneatur". Quæ Sanctio omninò consentanea est doctrinæ Beati Augustini Serm. 244. de Tempore mox relatæ: eamque Sixtus Quintus peculiari Diplomate adver-

Articulus Lovanij reprobatus: idemque à Synodo Namurcensi interdictus anno 1659.

O. Tertull. Apolog. c. 9.

P. Minutius in Octavio.

Q. Athenag. in Legatione pro Christianis.

R. Ambros. lib. 5. Hexaem. cap. 18.

S. August. Serm. 244. de Tempore. Vide lib. 1. de Nuptiis & Concup. cap. 15.

T. Hieron. Epist. 22. cap. 5.

V. Synodus Ancyrana Can. 21. Vide Synodum Ilerdensem c. 2. & Capitulum Martini Bracarensis c. 77. & Synod. Trullanam Can. 91.

W. Synodus Wormatien. cap. 35. Vide cap. Si aliquis, de Homicidio.

X. Pœnitentiale Rom. tit. de Homicidio, cap. 32.

adversùs abortuum procuratores procuratricesque edito, comprobavit, quod inter ipsius Constitutiones Tomo 2. magni Bullarij est ordine 87. ubi omnes omninò, qui vel per se vel per alios procuraverint abortum, sive *eiectionem fœtûs immaturi; tam animati quàm inanimati, formati vel informati, statuit, eo ipso incurrere pœnas tam divino quàm humano Iure constitutas adversùs veros homicidas, qui homicidium voluntarium actu & reipsà patraverint.* Quamvis autem Gregorius XIV. per Bullam quæ incipit, *Sedes Apostolica*, ordine octavam inter suas ibidem inferiùs, nonnihil de rigore Sixtini hujus Diplomatis remiserit, & pœnas abortionis fœtus inanimi ad terminos juris communis reduxerit, ipsam tamen abortionem vocat *gravissimum scelus & nefarium flagitium*: adeò ut nihilo mitiùs de gravitate criminis sensisse videatur, quàm Sixtus, vel alij ante eum Patres & Synodi, qui ejus patratores homicidij insimularunt. Quamvis enim istiusmodi abortio in rigore physico non sit homicidium, eò quòd informis fœtus non sit completè homo: morali tamen æstimatione censetur homicidium, ejusque perpetratio prohibetur quinto illo Decalogi præcepto, *Non occides*: Y. Sicut enim is, qui non quidem aliena tollit, sed tamen alium impedit ne ditescat aut lucrum faciat, quamvis propriè non furetur, peccat tamen contra septimum præceptum Decalogi: ita qui futurum hominem impedit, etsi non propriè occidat, in eodem tamen genere peccat, eo nimirùm peccato quod ad homicidium reducatur; quemadmodùm rectè in hunc locum docent D. Thomas & Bonaventura in expositione textûs". Qui fœtum nondum in utero animatum excutit; impedit, ne homo sit: & qui jam animatum excutit, impedit ne homo extra damnationem sit. Augustinus autem anceps hæret, nec definire audet, utrùm parvulis sine Baptismo abreptis melius foret in levissima eis reposita damnatione esse, quàm omninò in rerum natura non esse: Z. Non audeo dicere, inquit, quòd eis ut nulli essent, quàm ut ibi essent, potiùs expediret". Ex quo apparet Augustinum ambigere num plus noceat qui excutiendo fœtum inanimem facit ut homo impediatur ne sit, quàm qui excutiendo animatum facit ut in damnatione levissima sit. Cæterùm novi laxitatum patroni supponentes tanquam probabile licere procurare excussionem fœtus inanimi, *ne mater deprehensa gravida occidatur, aut infametur*; ulteriùs progressi tentarunt persuadere nullum fœtum animari animâ humanâ sive rationali, quamdiu in utero materno gestatur. Quæ persuasio adjuncta priori illi assertioni jam discussæ, eò tendit ut licitum faciat omnem abortum, ad id procuratum, *ne mater deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* Inter Articulos à Schola Theologica Lovaniensi ad instantiam Episcopi Gandavensis anno 1657. reprobatos iste est ordine sextus: *Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere animâ rationali, & tunc primùm incipere eandem habere cùm paritur: ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.* Antecedens hujus deductionis suppeditavit eis Ioannes Marcus Pragensis Archiater, quem Caramuel profitetur se inter amicos speciales enumerare: qui in libro cui titulus, *Idearum operatricium Idea*, antecedens illud tradidit. Quâ de re Caramuel: A. *In ipso isto libro*, inquit, *Dominus Ioannes Marcus probat non geri in utero fœtum animatum animâ rationali, sed tunc tantùm animâ donari rationali, cùm emittitur; idq; tam gravibus fundamentis confirmat, ut non sit cuiuscunque Philosophi aut Theologi congruentem responsionem dare.* Ego sanè ea *fundamenta*, tantoperè à Caramuele deprædicata, non vidi; sed Augustinum vidi qui tametsi in censurandis opinionibus aliquâ probabilitatis specie tinctis non consuevit præceps esse, eam tamen sententiam non cunctatur dicere *nimiam impudentiam*: B. Negare, inquit, vixisse puerperia, quæ propterea membratim execantur, ut ejiciantur ex uteris prægnantium, ne matres quoque, si mortua ibi relinquantur, occidant, impudentia nimia videtur": Ubi ne quis suspicetur Augustinum velle duntaxat ejusmodi *puerperia vixisse* vitâ plantali aut brutali, non autem humanâ, quæ est anima rationalis; notandum est Augustinum ibi tractare de ea vita quæ restituenda est corpori in resurrectione novissima; quæ profectò non alia est quàm humana. Subdit quippe Augustinus ibidem continuò: " Ex quo autem incipit homo vivere, ex illo utique jam mori potest: mortuus verò, ubicunque illi mors potuit evenire, quomodò ad resurrectionem non pertineat mortuorum, reperire non possum". Explosâ itaque eâ sententiâ, quæ Augustino visa est *nimia impudentia*, sponte corruit illud consequens à novis Ethicis subillatum, *Dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.*

CDXVIII. Superest dicendum de mutilatione, quæ in membri humani amputatione consistit, salvâ interim vitâ totius. Quod postremum addo, propter quædam membra sine quibus vita totius stare nequit, ut sunt caput, cor, pulmo, jecur, stomachus, & similia, quorum amputatio sive excisio non tam est mutilatio, quàm peremptio. De mutilatione sic sumptâ tractant Scholastici post Divum Thomam 2. 2. q. 65. art. 1. & pro certo supponunt vitam humanam, non modò integram personæ, sed & partialem singulorum membrorum, non subesse dominio cujusquam hominis sive physici sive politici, sed solius Dei, *qui vitæ & mortis habet potestatem.* Porrò sicut Respu-

Sixtus V. Papa.

Vide Aug. qu. 80. in Exodum, & Hier. Epist. 151. q. 4.

Y. Estius in 4. Distinct. 31 §. 3. Vide in 3. Dist. 17. §. 10.

D. Thomas. Bonavent.

Z. Aug lib. 5 cont. Iul. cap. 13.

Articulus Lovanij reprobatus.

Ioan. Marcus.

A. Caram. in Theolog. fun. n. 1161. aliàs 1623.

B. August. Enchir. c. 16.

D. Thomas.

Sap 16. 13.

Respublica ex divinâ concessione potest interdum perimere homines sibi noxios, ita & mutilare, juxta illud Dei ad magistratum veteris suî populi, *Animam pro animâ, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* Unde D. Thomas loco mox citato: "Cùm membrum aliquod, inquit, sit pars totius humani corporis, est propter totum, sicut imperfectum propter perfectum. Unde disponendum est de membro humani corporis, secundùm quod expedit toti. Membrum autem humani corporis per se quidem utile est ad bonum totius corporis; per accidens tamen potest contingere quòd sit nocivum, puta cùm membrum putridum est totius corporis corruptivum. Si ergo membrum sanum fuerit, & in suâ naturali dispositione consistens, non potest præscindi absque totius corporis detrimento: sed quia ipse totus homo ordinatur ut ad finem, ad totam communitatem cujus est pars, potest contingere quòd abscissio membri etsi vergat in detrimentum totius corporis, ordinetur tamen ad bonum communitatis, inquantùm alicui infertur in pœnam, ad cohibitionem peccatorum. Et ideò sicut per publicam potestatem aliquis licitè privatur totaliter vitâ, propter aliquas majores culpas; ita etiam privatur membro, propter aliquas culpas minores. Hoc autem non est licitum alicui privatæ personæ, etiam volente illo cujus est membrum: quia per hoc fit injuria communitati, cujus est ipse homo & omnes partes ejus. Si verò membrum propter putredinem sit totius corporis corruptivum, tunc licitum est, de voluntate ejus cujus est membrum, putridum membrum præscindere propter salutem totius corporis; quia unicuique commissa est cura propriæ salutis. Et eadem ratio est si fiat voluntate ejus, ad quem pertinet curare de salute ejus qui habet membrum corruptivum. Aliter autem aliquem membro mutilare, est omninò illicitum". Hæc ibi Sanctus Doctor in corpore Articuli: qui & mox addit in solutione ad 3. ibidem duo documenta eidem doctrinæ consentanea ac consectanea, quorum primum est: "Membrum non est præscindendum propter corporalem salutem totius, nisi quando aliter toti subveniri non potest". Alterum est: "Saluti spirituali semper potest aliter subveniri, quàm per membri præcisionem; quia peccatum subjacet voluntati; & ideò in nullo casu licet membrum præscindere propter quodcunque peccatum vitandum". Utrumque documentum antiquare moliuntur neoterici laxitatum invectores: primum quidem Tamburinus, citans pro se Salonium, Pasqualigum, & Tannerum. Quærit quippe ille,

Deut. 19. 21.

D. Thom.

C. *An propter magnum lucrum amputare aliquod membrum liceat?* ponitque exemplum in ijs, *qui ut sonoram vocem retineant, solertis medici manu, absque morali periculo mortis, eunuchi fiunt.* Solutio authoris subditur ibidem hisce verbis: *De illis igitur aio, esse probabile quod liceat, esse probabile etiam sis quòd non liceat.* Licebit igitur, juxta hunc authorem, castrare seipsum, vel castrari permittere, propter lucrum temporale, unde quis commodiùs vivat, tametsi aliter transire vitam minùs commodè queat. Atque ita cessat primum istud documentum ex D. Thomâ mox relatum, *Membrum non est præscindendum propter corporalem salutem totius, nisi quando aliter toti subveniri non potest.* Tamburino quantum ad antiquationem hujus primi documenti consonare videtur etiam Caramuel; & tanquam non hoc contentus, antiquare pergit & secundum. Refert quippè propositas sibi fuisse à quodam Carmelitâ duas quæstiones: D. *Prima est*, inquit, *An consentientem filium pater castrare possit, ut voce & cantu Ecclesiæ serviat? Secunda, An se aliquis castrare possit, ut careat tentationibus carnis, si se imparem resistendo cognoscat?* Et post prolixam ventilationem, præstructis fundamentis quibus asserit hominem etsi non dominum, certè tamen Usufructuarium esse suæ vitæ, ac membrorum corporalium; duas format consequentias, singularum respectivè quæstionum solutorias: E *Consequentia prima*, inquiens: *Cùm igitur melior sit cantor qui eunuchus, colligitur, pueros posse ad conservandam vocis suavitatem castrari. Patet, nam Adversarij ipsi non negant magni debere fieri vocis excellentiam, vocis securitatem, stipendij opulentiam, & apud Reges & Principes authoritatem. Et hac consequentia satisfacit primæ quæstioni. Consequentia secunda: Cùm etiam non iam maximi, sed summi debeat fieri conscientiæ securitas & tranquillitas colligitur, hominem, qui aliter nescit carnis tentationes superare, posse seipsum castrare, ut vel sic reddat suam salutem securam.* Claret igitur, Caramuelem eniti antiquare utrumque documentum ex D. Thomâ superiùs relatum. Prima quippe ejus Consequentia approbat eunuchationem faciendam intuitu lautioris commoditatis personæ, cùm è contrario D. Thomas neget membrum esse præscindendum, *nisi quando aliter toti subveniri non potest.* Quis autem dubitet subveniri aliter posse ijs quis castrantur, quàm ipsâ castratione; etsi fortè non æquè commodè, nec cum tantâ lautitiâ? Natura paucis contenta est, adeòque sine lautitiâ subveniri ei potest. Secunda quoque ejusdem Consequentia, quatenùs astruit necessitatem castrationis ad superandas subinde carnis tentationes, adversatur secundo D. Thomæ documento, in verbis: *Peccatum subiacet voluntati, & ideo in nullo casu licet membrum præscindere propter quodcunque peccatum vitandum.* Quia nimirùm

C. Tambur. lib 6 in Decalog. c. 2. §. 1. n. 4.

D. Caram. in Theolog. fundam. n. 1136. edit. Francof.

E. Ibid. n. 1150.

mirũ in nullo casu necessaria est mẽbri abscissio ad vitandum peccatum, quandoquidem *saluti spirituali semper possit aliter subveniri, quàm per membri præcisionem* Ex quo apparet quàm ridicula sit illa alia quæstio, quam Caramuel ibidem subjungit, & indecisam relinquit, *An adolescens celebs, qui potest matrimonio legitimo incendium concupiscentiæ extinguere possit matrimonio relicto ad remedium castrationis recurrere?* Magis profectò decuisset Doctorem Theologum, professione Monachum, propter regnum cælorum mysticè castratum, proponere suis lectoribus exemplum ac remedium authoritate sacrâ firmatum, quàm exoticum & ab Ecclesiâ semper improbatum castrationis improperium. *Nunquid resina*, inquit Propheta, *non est in Galaad? aut Medicus non est ibi?* Est planè & resina, & Medicus: & hic quidem sapientior Caramuele, illa quoque efficacior castratione suggestâ per Caramuelem: *Vt scivi*, ait ille, *quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia, scire cujus esset hoc donum: adij Dominum, & deprecatus sum illum.* Non ait, Sumpsi ferrum, & castravi meipsum, sed, *Adij Dominum, & deprecatus sum illum.* Hanc resinam adhibeat adolescens ille celebs, cui Caramuel suggerit remedium castrationis; & integro corpore superabit tentationes. Hanc si debitè adhibeat, continentiam sine castratione corporali impetrabit; si non adhibeat, castratio corporalis adeò non proderit, ut plùs fortè nocitura sit: [F.] Neque enim eâ, ut testatur Chrysostomus, cupiditatis æstus mitigantur, sed graviores inflammatioresque redduntur. Alij namque sunt humani spermatis fontes, ac aliunde certè prorumpunt: quidam à cerebro, quidam à lumbis inquietissimum illum œstrum proficisci contendunt; egó verò non aliunde dixerim, quàm à lasciviâ mentis, & cogitationis neglectu". Et ante Chrysostomum Basilius Magnus ita in eandem rem scribit: [G] Qui non intellexerunt quod dictum est, *Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum*, seipsos nimis improbè mutilaverunt, ipso suo opere impudicitiæ se ac lasciviæ ex obliquo insimulantes: nam qui carnalis arma voluptatis, ne munus suum exequerentur, abjecit, per ipsam suam incontinentiam indicat se quidem ad concubitum, ardoremque libidinis esse proclivem. Abjectis autem armis illis jam non quia nolunt, sed quia non possunt impudici esse, virginitatem servant. Enimverò divina lex non actum modò, sed voluntatis sententiam quoque damnat: *Omnis* enim non qui opere admisit adulterium, sed *qui videt ad concupiscendum, iam mœchatus est.* Porrò membrorum genitalium abscissio majorem in oculis ita abscissi flammam concupiscentiæ inesse criminatur, quòd

Hier. 8. 22.

Sap. 8. 21.

F. Chrysost. Homil. 63. in Matthæũ. Vide eund. Homil. 31. In priorem ad Corinth.

G. Basil. lib. de verâ Virginitate. Mat. 19. 12.

Mat. 5. 28.

is diffidens à libidine se posse continere, id abscidit, cujus ministerio flagrantem cupidinem in opus producturus erat. Imò cùm sciret eo non amoto se impudicitiæ daturum manus, eâ quidem abscissione instrumentum libidinis abstulit, ne lascivire per corpus videretur; cæterùm impudicitiæ non abstulit flammam, sed animo desiderioque luxurians, incontinenter per omnem concupiscentiam, assiduèque mœchatur". Et rursùs ibidem post pauca subdit: "Qui ad virilitatis annos cum genitalibus jam per ætatem ad coitum idoneis pervecti, testiculos sibi posteà abscindunt, eos aiunt acriùs atque ardentiùs inflammari libidine, & ad concubitum impatientissimè ferri". Quod ipsum ibidem subjunctâ ratione cum aliquot exemplis confirmat, quæ apud ipsum videri possunt, quibus & illa ejusdem in eunuchos invectiva commodè subditur ex Epistolâ ipsius 87. ad Simpliciam: Si testibus opus fuerit, non sistentur servi: neque ignominiosum illud ac modis omnibus perniciosum *eunuchorum* genus: genus hoc, inquàm, neque fœmininum neque masculinum, INSANIENS IN MULIERES invidiosum, vilis pretij, animo feroci, effœminatum, ventri deditum, auri cupidum, sævum, inter cœnandum plorans, inconstans, illiberale, stabularium, insatiabile, furiosum, zelotypum, & quod ampliùs dicendum est cum ipsa statim generatione ferro damnatum. Quomodò ergo rectus esse poterit istorum animus, quorum & pedes distorti sunt? Isti frustrà casti manent per ferrum, insanientes sine fructu propter suam turpitudinem". Ambrosius autem uno quasi verbo obiter innuit quàm prava ac distorta esse soleat hujusmodi exectorum semivirorum indoles, cùm ait: [H] Speciali expressione Calligonus Præpositus cubiculi mandare mihi ausus est, *Me vivo tu contemnis Valentinianum? Caput tibi tollo.* Respondi: *Deus permittat tibi ut impleas quod minaris. Ego enim patiar, quod Episcopi, tu facies quod spadonis*". Ubi obiter notandum pro præsenti materiâ, hunc ipsum spadonem posteà capite mulctatum fuisse, & quidem in pœnam suæ salacitatis: ut vel hinc discamus abscissionem genitalium non esse idoneum vitandæ incontinentiæ remedium: [I] *Calligonum*, inquit Augustinus, Valentiniani junioris eunuchum, gladio novimus ultore punitum, meretricis confessione convictum. Neque enim in libro Ecclesiastico adhiberetur inde similitudo, atque diceretur, *Videns oculis & ingemiscens, quasi spado complectens virginem & suspirans*; nisi & ipsi (*spadones*) moverentur concupiscentiæ carnalis affectibus, licèt destituti carnis effectibus". Clara quoque in hanc rem est ista ejusdem Ecclesiastici attestatio,

H. Ambr. l. 2. Epist. 14. ad Marcellinam.

I. August. l. 6. contra Iul. cap. 14.

Eccli. 30. 21.

Eccli. 20. 2. K Ambr. lib. de Viduis.

tio, *Concupiscentia spadonis devirginavit iuvenculam.* Huc item facit illud Ambrosij: [K] "Quid prodest carnem abscindere, cùm etiam culpa sit in ipso aspectu. Nam & *Qui viderit mulierem ad concupiscendum, iam mœchatus est eam in corde suo*: & quæ similiter virum in concupiscentiâ viderit, adulteratur. Castos ergo, non infirmos esse nos convenit; pudicos oculos habere, non debiles. Nemo igitur, ut plerique arbitrantur, se debet abscindere, sed magis vincere: victores enim recipit Ecclesia, non victos". Sanè si ad veteris Synagogæ ritum divinitùs præscriptum attendamus, occurret nobis illa Sanctio: *Non intrabit eunuchus, attritis, vel amputatis testiculis, & absciso veretro, Ecclesiam Domini.* Rursùs si ad legis novæ Ecclesiam convertamus intuitum, occurret nobis in capite Canonum Synodi primæ œcumenicæ illa Sanctio: [L] *Si quis à Medicis propter languorem excisus, aut à barbaris exsectus est, is maneat in clero: si quis autem sanus seipsum absciderit, hunc & in clero constitutum abstinere convenit, & deinceps nullum talium promoveri.* Hujus Canonis vigore *Leontius* ille gradu presbyterij dejectus fuerat, qui posteà favore Arianorum Antiochenam cathedram occupavit. De quo videri potest Athanasius Epist. ad Solitariam vitam agentes, & ex ipso Theodoretus lib. 2. Hist. Eccles. c. 19. aliàs 24. & Socrates lib. 2. Hist. Eccles. c. 26. ubi ait: "Leontius Antiochenæ tunc Ecclesiæ Præsul erat, qui cùm presbyter esset, dignitate privatus fuerat, eò quòd mulieri *Eustoliæ* commoratus, & turpem suspicionem occulere conatus, genitalia membra ipso sibi excidisset". Nondùm quidem Nicenus ille canon conditus fuerat, quando *Origenes* seipsum castravit: & tamen ausum ejus nemo, nisi fortè prætextu ignorantiæ, excusare inter veteres tentavit: [M] "Voluptates, ait de ipso Hieronymus, intantùm fugit, ut zelo Dei, SED NON SECUNDUM SCIENTIAM, ferro truncaret genitalia". Eusebius quoque Cæsariensis, præcipuus alioqui Origenis fautor & encomiastes, zelum quidem hominis laudat, sed juvenili audaciæ imperitiæque facinus ipsum adscribit: [N] "Origenes inquiens, cùm Catechistæ munus Alexandriæ administraret, quandam perfecit rem, quæ SENSUS QUIDEM IMPERFECTI AC JUVENILIS AUDACIÆ, fidei tamen & castitatis maximum continet exemplum. Illud enim quod Dominus ait, *Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum*, simpliciter ac juveniliter intelligens, simul quidem Servatoris verba impleturum se putans, ac juxtà, quoniam ætate juvenis non modò viris sed & fœminis de rebus divinis loquebatur, ut omnem turpis delationis occasionem infidelibus amputaret, Servatoris vocem opere perficere aggressus est: hoc interim curans, ut rem hanc celaret amicos, quos circa se multos habebat". Simili planè modo de eodem illo Origenis facto loquitur Nicephorus lib. 5. Hist. Eccles. c. 8. Planum igitur est Origenis illud facinus in seipso fuisse illicitum, nec ullatenùs imitandum, sed potiùs cavendum. An autem à culpâ formali excusari possit propter ignorantiam, pendet ex dictis de ignorantiâ superiùs cap. 96. & aliquot sequentibus. Certè eum non excusat sed stultitiæ arguit Hesselius, cùm ait: [O] "Stultè fecit Origenes, sese castrando". Cui consonans Estius: [P] "Meritò, inquit, à Patribus reprehensus fuit Origenes, quòd incontinentiæ vitandæ causâ sei. sum castraverit". Et sanè ambigendum non videtur quin ad Origenem præcipuè reflexerit Basilius mox suprà hic citatus, cùm diceret: *Qui non intellexerunt quod dictum est, Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum, seipsos* NIMIS IMPROBE *mutilaverunt.* Ad eundem quoque, vel certè ad asseclas ejus, respexisse videtur Ambrosius, cùm diceret: [Q] "Sunt qui virtutis loco ponant, ferro culpam compescere: de quibus etsi nostram nolumus proferre sententiam, quamvis sint Statuta Majorum, considerent tamen ne quis id ad professionem infirmitatis trahat, non ad firmitatis gloriam". Ubi per *Statuta Majorum* intelligit vel Canonem Nicenum mox relatum, vel fortè etiam Canones Apostolorum, quorum unus ait: [R] *Si quis abscidit semetipsum, id est, si quis amputavit sibi virilia, non fiat clericus: quia suiipsius homicida est, & Dei opificij inimicus.* Alter item proximè sequens subdit: *Si quis, cùm clericus fuerit, absciderit semetipsum, omninò damnetur; quia suus est homicida.* In utroque canone notanda est clausula finalis, quâ redditur ratio pœnæ inflictæ: quia nimirùm castrator sui quodammodò homicida sui est. Ad hunc ergo modum homicida sibi fuit Origenes, quando seipsum spontè castravit; *Zelum quidem Dei habens, sed non secundùm scientiam*: quod etsi de Judæis dictum sit ab Apostolo, Origeni tamen accommodatur à Hieronymo mox relato. Quæ cùm ita sint, reijciendus omninò est iste Caramuelis Articulus, quo tacitè invitat homines infirmos ad se castrandum, exemplo Origenis, dicens: [S] *Certius est posse se castrare propter vitam æternam,* QUOD LEGIMUS FECISSE ORIGENEM, *& multos Sanctos attentasse, aut desiderasse; quàm propter suavitatem vocis.* Profectò enim nec propter unam, nec propter alteram causam fieri illud licitè potest: prout ex hactenùs deductis cerni potest. Perperàm proinde unum dicitur alterò *certius*, cùm nec unum nec alterum sit certum; imò nec probabile, sed paradoxum, exoticum, inopinabile.

Matt. 5. 28.

Deut. 23. 1.

L Synod. Nicena can. 1. Vide Canonem 1. Synodi 6. Carthag.

Athanasius. Theodoret. Socrates.

M Hieron. Epist. 65. cap. 3.

N Eusebi. 6 Hist. Eccles. cap. 8.

Matt. 19. 12.

Nicephorus

Vide Baron. ad an. 230.

O Hessel. in Explic. Decalogi cap. 163

P Estius in 4 Dist. 37. § 19. Vide Sotum lib. 5. de Justitia q. 1. a. 2. Basilius.

Q Ambros. l. de Viduis.

R Canon 22 Apost. Vide plura huc spectantia in Decreto Gratiani Dist. 55.

Rom. 10. 2.

S Caram. in Theol. fund. num. 1117. edit. Francof.

CAPUT

CAPUT. CXI.

Sextum Decalogi præceptum, juncto nono, ſiſtitur & elucidatur. Cur ea præcepta diſtinctim in ſecundâ tabulâ tradantur, cùm non niſi uni eidemque turpitudini adverſentur? An, & quâ ratione verum ſit, Lege comprimi manum, & non animum; Euangelio & manum, & animum? *Lex prohibendo concupiſcentiam, indixit ab illicitis cupiditatibus continentiam. Veteris & novi Teſtamenti diſcerniculum. Aliud eſt prohibere, aliud comprimere; ſicut aliud ſuadere, aliud perſuadere. Expenditur quòd ſcriptum eſt,* Aquæ furtivæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuavior. *Rabbinorum error ex Ioſepho proditus, excuſans à culpâ pravum affectum, non ſecuto effectu. Qui excuſat in filio deſiderium mortis paternæ, ut hæreditatem adipiſcatur; conſequens eſt ut excuſet in cælibe vel conjugato deſiderium mortis extranei mariti, vel inſuper uxoris propriæ, ut extraneæ uxoris nuptiali amplexu fruatur. Mœchus Auguſtino eſt, qui non it ad uxorem alienam, tantummodò ſi non ſit contentus ſuâ. Iactat Caramuel,* Sibi clarum videri fornicationem ſecundùm ſe nullam involvere malitiam. *Ejuſdem in D. Thomam cum reliquis ſibi adverſis petulantia. Ejus innovandi motivum à D. Thomâ olim præoccupatum, & à Soto in Martino de Magiſtris cenſoriè exploſum & peremptoriè eliſum. Perperam aſſerit nuptias levri cum fratriâ derelictâ adverſari ſexto Decalogi præcepto. Quantoperè per hoc faveat Anglicani ſchiſmatis invectoribus? Moralia legis veteris præcepta perpetuò perſeverant inconcuſſa, judicialia & cæremonialia per Chriſti crucem ſunt evacuata, licèt diverſimodè.* Mœchia *ex vi vocabuli quid importet? Fornicatio ſimplex quatenùs vetita præcepto Decalogi ſexto, & ejus cupiditas nono? Quatenùs item carnalis conjugum inter ſe commixtio adverſari queat eidem ſexto præcepto, & ejus lubentia nono? Nonnulla Tamburini & aliorum laxitates ſuper commixtione conjugali memorantur, & Auguſtini potiſſimùm authoritate diſſipantur.*

CDXIX. HActenùs quinque priora Decalogi præcepta ſingulatim percurrimus, & laxitates unicuique eorum per novellos probabilitatum prægcones inſperſas, non quidem omnes, ſed magis duntaxat obvias exhibuimus: nunc ſextum & nonum junctim per modum unius unâ ſeriê expediemus; quorum prius iſtis verbis, *Non mœchaberis*; poſterius his, *Non concupiſces uxorem proximi tui*, exprimitur. (Exod. 20.14. Deut. 5.20.) Quemadmodùm enim præceptum ſeptimum prohibens rei alienæ uſurpationem, & decimum inhibens ejuſdem appetitionem, adeò ſibi connexa ſunt, ut Doctores laborent in aſſignandâ ratione ob quam diſtinctim expreſſa fuerint: ita ſimiliter iſta duo, quæ modò commemoravimus. T. Quæritur, inquit Augoſtinus, quo differat, *Non furtum facies*, ab eo quod paulò pòſt de *Non concupiſcendis proximi rebus* præcipitur? Non quidem omnis qui rem proximi ſui concupiſcit, furatur: ſed ſi omnis qui rem proximi furatur concupiſcat, poterat in illâ generalitate ubi de non concupiſcendâ re proximi præcipitur, etiam illud, quod ad furtum pertinet, contineri. Similiter etiam quæritur, quid differat quod dictum eſt, *Non mœchaberis*, ab eo quod paulò pòſt dicitur, *Non concupiſces uxorem proximi tui?* In eo quippe quod dictum eſt, *Non mœchaberis*, poterat & illud intelligi: niſi forſitan in illis duobus (T. Auguſt. q. 71. in Exodum. Ibid v. 18. & 21.)

„ duobus præceptis, *Non mœchandi*, & *Non furandi*, ipsa opera notata sint; in his verò extremis, ipsa concupiscentia. Quæ tantum differunt, ut aliquando mœchetur qui non concupiscit uxorem proximi sui, quùm aliâ aliquâ causâ illi miscetur: aliquandò autem concupiscat, nec ei misceatur, pœnam timens. Et hoc fortasse lex ostendere voluit, quòd utraque peccata sint". Inquirit porrò Magister Sententiarum, V. *Cùm hic prohibeatur concupiscentia alienæ uxoris, & alienæ rei: quare dicatur lex comprimere manum, & non animum; Euangelium verò & manum, & animum*; Respondet autem continuò ibidem his verbis: *Illud de lege intelligitur secundùm cæremonialia, non secundùm moralia. Vel quia in lege non est generalis prohibitio omnis mortiferæ concupiscentiæ, ut in Euangelio*. Hanc postremam responsionem videtur hausisse Magister ex Hugone Victorino, qui eandem quæstionem à se sibi propositam solvit dicendo: W. Sciendum est quòd vetus lex „ quamvis concupiscentiam hominis à re alienâ cohibuit, in propriâ tamen minimè temperavit: quia qui dixit, *Non concupisces uxorem*, & *rem proximi tui*, mulierem & rem omninò concupiscendam non vetuit, sed ab alienâ tantùm appetitum cohibendum demonstravit: Nova autem lex etiam in proprijs temperatum esse debere edocuit, ut omnem illicitam concupiscentiam excluderet. Potest autem & alio intellectu convenienter dici, veterem legem per *concupiscentiam uxoris*, sive *rei alienæ*, non illam significasse quæ solâ voluntate agitur; sed ambitionem & machinationem, quæ studio quodam & adnisu ad implendum desiderium, & ad obtinendum id quod in desiderio est, exteriùs opere exercetur: nova autem lex non solùm damnat illicitam concupiscentiam foris in studio operis, sed intùs quoque damnabilem esse ostendit in desiderio voluntatis". Cæterùm his solutionibus, quatenùs negant veterem Decalogi legem vetuisse omnem prorsùs illicitam concupiscentiam, obstare videtur illud Augustini, X. Cùm lex dicit, *Non concupisces*, quid aliud videtur imperare, nisi ab illicitis cupiditatibus continentiam? Animus quippe velut pondere, amore fertur quocunque fertur. Jubemur itaque detrahere de pondere cupiditatis, quod accedat ad pondus charitatis, donec illud consumatur, hoc perficiatur". Quamvis ergo in veteris legis tabulâ non prohibeatur expressè nisi concupiscentia uxoris alienæ, & rei alienæ, legislator tamen haud dubiè in illis duobus membris totum corpus illicitarum cupiditatum voluit censeri prohibitum. Unde idem ipse Augustinus alibi ait: Y. Utique non figuratè aliquid dicitur, quod accipiendum non sit secundùm litteræ sonum, cùm dicitur, *Non concupisces*: sed apertissimum saluberrimumque præceptum est; quod si quis impleverit, nullum habebit omninò peccatum. Nam hoc ideò elegit Apostolus generale quoddam, quo cuncta complexus est, tanquàm hæc esset vox legis ab omni peccato prohibentis; quod ait, *Non concupisces*; neque enim ullum peccatum nisi concupiscendo committitur. Proinde quæ hoc præcipit, bona & laudabilis lex est". Planum igitur est juxta Augustini mentem, non ideò dici *Legem veterem comprimere manum & non animum, Euangelium verò & manum & animum*, quòd illa non omnes illicitos concupiscentiæ interioris motus prohibeat, ista autem prohibeat: sed ideò potiùs, quòd illa tametsi omnes ejusmodi motus prohibuerit, internam tamen gratiam cordis conversivam ex seipsa non subministrarit; prout Euangelica lex, quæ juxta Divum Thomam, Z. *Principaliter est ipsa gratia Spiritus Sancti*, subministrat: unde & Apostolus illam vocat *litteram*, istam verò *Spiritum*: & illam dicit *occidere*, istam autem *vivificare*: A. quoniam legis littera, ut ait Augustinus, quæ docet non esse peccandum, si spiritus vivificans desit, occidit: sciri enim facit peccatum potiùs, quàm caveri; & ideò magis augeri, quàm minui". Qui rursùs lib. 2. contra Adversarium legis & Prophetarum cap. 3. "Quod per litteram jubetur, inquit, non litterâ, sed spiritu impletur. Unde illud quod scriptum est, *Non concupisces*, per Moysen lex est quâ jubetur, sed per JESVM CHRISTVM fit gratiâ quando quod jubetur impletur". Lex vetus in tabulis lapideis forinsecùs monentibus scripta fuit, nova verò in tabulis cordis intrinsecùs scribitur: quam cùm promitteret Deus per Prophetam dicebat, *Hoc erit pactum quod feriam cum domo Israël post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam*. Quâ de re fusè eruditèque disserit Augustinus lib. de Spiritu & Litterâ cap. 19. & aliquot sequentibus; ac tandem capite 25. concludit: "Igitur hæc apparet distantia veteris & novi Testamenti, quòd lex ibi in tabulis, hic in cordibus scribitur; ut quod ibi forinsecùs terret, hic delectet intrinsecùs; ibique fiat prævaricator per occidentem litteram, hic dilector per vivificantem spiritum". Ex hac itaque Augustini doctrinâ, Propheticis Apostolicisque oraculis subnixâ, profluxit ea loquendi formula, quâ *dicitur lex comprimere manum, & non animum; Euangelium verò & manum, & animum*. Lex itaque, perinde ac Euangelium, prohibet non solùm manum, sed & animum: at verò Euangelium habet hoc præ lege, quòd non solùm prohibeat, sed etiam *comprimat* cum manu animum. *Comprimere* autem plus est quàm *prohibere*

V. Magister lib. 3. Sent. Distinct. 40. §. 1.

W. Hugo Vict. lib. 1. de Sacram. p. 12. cap. 7.

X. August. Epist. 89. 2.

Vide Divum Thom. 1. 2. q. 100 a. 11. in fine Corp.

Y. Aug. lib. de Spir. & Litt. cap. 4.

Z D. Thom. 1. 2. q. 106. a. 1. in Corp.

A. 2. Cor. 3. 6. A. August. lib de Spir. & Lit. cap. 5.

Hier. 31. 33.

prohibere, ficut perſuadere quàm ſuadere: quod uſque adeò verum eſt, ut juxta conſtantem Auguſtini doctrinam ex Apoſtolo hauſtam: [B] Lex, quamvis bona, augeat prohibendo „ deſiderium malum; ſicut aquæ impetus, ſi „ in eam partem non ceſſet influere, vehemen„ tiôr fit obice oppoſito, cujus molem cùm „ evicerit majore cumulo præcipitâtus violen„ tiùs per prona provolvitur: neſcio quo enim „ modo hoc ipſum quod concupiſcitur, fit jucundius, dum vetatur". Cui conſonans Hieronymus: [C] Lex, inquit, dum prohibet con„ cupiſcentiam, quodammodò eam inflamma„ re cognoſcitur. Sæcularis apud Græcos ſen„ tentia eſt, *Quicquid licet, minus deſideratur*. Er„ go è contrario, quicquid non licet fomen„ tum accipit deſiderij. Unde & Tullius, de „ parricidarum ſupplicijs apud Athenienſes „ Solonem ſcripſiſſe negât, ne non tam prôhibere quàm commonere videretur". Notum eſt illud ab Ovidio olim decantatum, [D] *Nitimur in vetitum ſemper cupimuſque negata*. Et illud item ejuſdem ibidem: *Cui peccare licet, peccat minùs: ipſa poteſtas Semina nequitiæ languidiora facit*. Et rurſùs: *Quicquid ſervatur, cupimus magis; ipſaq; furem Cura vocat: pauci, quod ſinit alter, amant*. Inde eſt & illud mulieris clamoſæ, illecebris plenæ, apud Parœmiaſten, *Aquæ furtivæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuavior*.[E] Mu„ lier adultera, inquit Beda, in aquis furtivis „ & pane abſcondito prohibita & illicita connubia dulciora eſſe aſſeverat". Radicem hujus inordinatæ inclinationis deteximus ſuperiùs §. 319. ubi ex Hugone Victorino oſtendimus, ambitione libertatis fieri, ut in vetitum nitamur. Poſtquàm Apoſtolus dixiſſet, *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces*, continuò adjecit, *Occaſione autem acceptâ, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam*. Ubi nomine *peccati* metaphoricè denotatur fomes concupiſcentię, ex peccato proveniens, & in peccatum inclinans; quem Anſelmaſter *carnalitatem* vocat, dicens: [F] Ta„ lis eſt noſtra carnalitas, ut ardentiùs deſide„ ret prohibita; quibus non memoratis, jaceret quaſi ſopita". Et poſt pauca rurſùs ibidem: "Fluvius concupiſcentiæ, inquit, oppoſitis ſibi „ legis obicibus frænatus eſt, non ſiccatus; ac „ poſtmodùm ruptis eiſdem obicibus, vehementior exivit". Quæ ſanè vehementia adeò obtenebravit quorundam Rabbinorum animos, ut etiam poſt legem datam auſi fuerint dicere ac docere, interiores animi motus non reddere hominem ſupplicio dignum, quando non prorumperent in actum externum, & conſummativum. Patet id in Joſepho, quem Rabbinorum ſui ævi præcipuum extitiſſe conſtat: qui cùm enarraſſet qualiter Antiochus Epiphanes Syriæ Rex à Deo percuſſus fuiſſet ob ſacrilegam direptionem templi Hieroſolymitani, ſubjunxit: [G] Quamobrem demiror, Po„ lybium Megalopolitanum, virum alioqui „ probum, dicere, Antiochum hunc periſſe, „ quòd conatus fuiſſet Dianæ templi theſau„ ros ac donaria diripere. Voluiſſe enim tan„ tùm, ac non etiam perfeciſſe ſacrilegium, non videtur res digna ſupplicio". Summa ratiocinationis in hoc conſiſtit, quòd cùm Antiochus nequaquàm opere perfeciſſet, ſed animo duntaxat deſtinaſſet ſacrilegam direptionem templi Dianæ, non poſſit dici ob id fuiſſe divinitùs percuſſus: quia nimirùm pravus affectus, ſine ſecuto effectu, *Non videtur res digna ſupplicio*. Ex quo apparet quantoperè Judæorum Magiſtri ſuis interpretationibus Decalogicam *non concupiſcendi* Sanctionem laxaverint, depravaverint, perverterint, adulteraverint.

B. Auguſt. l. de Spir & Lit. cap 4.
C. Hieron. Epiſt. 151. q. 8.
D. Ovid l. 3. Amorum Elegiâ 4.
Prov. 9. 17.
E. Beda in cap. 9. Proverbior.
Rom. 7. 7.
Ibid. v. 8.
F. Anſelm. in cap. 7. ad Rom. v 8.
G. Ioſeph. l. 12 Antiq. cap. 13.

CDXX. Sed omiſſis Judæorum Rabbinis, videamus qualiter noſtri Chriſtiani probabilitatum patroni duobus prędictis Decalogi pręceptis, *Non mœchandi*, & *alienam uxorem non concupiſcendi*, illudant. Vidimus ſuperiùs c. 109. §. 408. quemadmodùm Tamburinus Caſtropalaum ſecutus excuſet à culpa filium qui abſoluto deſiderio cupit mortem patris, animo perveniendi ad hæreditatem inde vacaturam. Ex quo conſequens omninò apparet, excuſandum pariter fore eum, qui ſimili deſiderio cupit mortem cujuſpiam uxorati, animo aſſequendi ejus uxorem inde viduandam. Porrò ſicut prius illud deſiderium ſuppullulat ex affectu avaritiæ, prout ibidem & §. 413. vidimus: ita poſterius hoc deſiderium ſubnaſcitur plerunque ex affectu mœchiæ, ſignanter quando non propter divitias aut alias extrinſecas commoditates, ſed pro explenda carnali voluptate perſona cupitur, & exinde mors mariti deſideratur. Quapropter ſicut Auguſtinus §. 413. relatus aiebat, *Concupiſcere rem proximi, quod notat Deus in corde, etiamſi juſtam ibi ſucceſſionem quæras, non licet*: ita per conſimilem regulam dici hìc poteſt, *Concupiſcere uxorem proximi, quod notat Deus in corde, etiamſi juſtam ibi ſurrogationem quæras, non licet*. Rurſùs ſicut idem Auguſtinus alibi ait: [H] *Illo vivo quem vis mori, tè homicidam tenet Deus in corde*: ita conformiter dici poteſt, *Illâ incorruptâ vivus concubitum à morte mariti adhuc vivi concupiſcis, te mœchum tenet Deus in corde*. Et vide quouſq; ſe exporrigat prædicta Neotericorum doctrina! Si enim liceat filio deſiderare mortem patris intentione ſucceſſionis hæreditariæ, pari jure licebit viro cælibi deſiderare mortem mariti, intentione concumbendi cum ejus viduâ in uxorem ducendâ: pari item jure licebit viro uxorato deſiderare inſuper mortē uxoris ſuæ, ut ita mediantibus duabus mortibus, ſuę nimirū uxoris, & alieni mariti, pertingat ad nuptiales am-

Tamburin. Caſtropalaus.
Auguſtinus.
H. Auguſt. l. de Decem Chordis c 3.

les amplexus ejus quam depetit. Sed aliud planè nobis insonat Augustinus: [I] Mœchus „ est, inquiens, qui non it ad uxorem alie„ nam, tantùm quia non contentus est suâ". Planum quippe est eum non esse contentum uxore suâ, qui & ipsam & alienæ uxoris virum cupit mori, ut hujus concubitu quantumvis conjugali queat frui. Verùm quia res hæc pendet ex ijs quæ §. 408. & 413. discussa sunt, eò lectorem remittimus, & ad Caramuelem transimus, qui ait: [K] *Mihi tam clarum videtur fornicationem secundùm se nullam malitiam involvere, & solùm esse malam quia interdicta, ut contrarium omni rationi dissonum videatur.* Addit quoque inferiùs n. 1601. *Nullâ ratione naturali ostendi potest simplicem fornicationem esse malam.* Rursùs in Theologia fundamentali n. 1171. editionis Francofordianæ, ultrò agnoscit contrariam sententiam esse Divi Thomæ & totius Scholæ Thomisticæ; & nihilominùs ibidem mox subdit: *Cæterùm stando nudæ rationi non auderem hanc Divi Thomæ opinionem nominare probabilem: sunt enim obiectiones nonnullæ, quibus respondere non scio; & inter alias hæc quæ sequitur; Fornicatio mortiferum peccatum est, etiam quæ à solutis commissa. At si stavemus D. Thomæ principijs, deberet interdùm esse licita: Ergo* &c. In quibus positionibus elucet ridicula quædam authoris arrogantia, suique præfidentia, cum clarissimorum Doctorum despicientiâ. Dicendo enim, *Videri sibi clarum, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & contrarium omni rationi dissonum*, non solùm arrogat sibi perspicaciam singularem nulli ante se concessam, sed reliquos omnes, præsertim sibi adversos, arguit stupiditatis aut cæcitatis; quippe qui in tanta *claritate* cæcutierint, & dogma *omni rationi dissonum* asseruerint. Dixi, *præsertim sibi adversos*: quia etiam eos quos sibi favere contendit, nimirùm Scotum & Scotistas, tacitè carpit ut cæcutientes, licèt non æquè ac reliquos. Neque enim Scotus aut Scotistæ viderunt, aut usquàm dixerunt, rem esse adeò claram; sed ut summùm, opinabilem, adeoque obscuram. Cæcutierunt igitur, non videndo claritatem, quam Caramuel oculatior perspexit; quamvis ipsi aliquantò perspicaciores fuerint cæteris, qui non modò claritatem non viderunt, sed insuper oppositas tenebras pro ea arripuerunt. Prætereà Divo Thomæ & ejus asseclis immanem adscribit vecordiam, ut qui ijs principijs tenent probare fornicationem ex sua natura semper esse illicitam, quæ potiùs probent eandem subinde esse licitam. Probant quippe illud eo potissimùm principio, quòd fornicaria copula vergat in detrimentum prolis probiter serendæ & educandæ: Contingit autem subinde prolem fornicariè conceptam providè nasci & educari, imò meliùs quàm alias multas per copulam conjugalem conceptas: Ergo eò casu licita erit copula fornicaria. Sed antiquam cramben hìc recoquit Caramuel, resumendo objectionem quam D. Thomas sibi olim opposuerat, & eliserat: qui cùm dixisset, [L] Cum fornicatio sit „ concubitus vagus, utpote præter matrimo„ nium existens, est contra bonum prolis educandæ; & ideò est peccatum mortale": continuò præoccupans retortotiam objectionem quam formandam prævidebat, adjecit: " Nec „ obstat si aliquis fornicando aliquam cognos„ ceris, sufficienter provideat proli de educa„ tione: quia id quod cadit sub legis deter„ minatione, judicatur secundùm id, quod „ communiter accidit; & non secundùm id, quod in aliquo casu potest accidere". Quam D. Thomæ responsionem doctè corroborat Dominicus Sotus, adversùs Martinum de Magistris, qui jam pridem idipsum de fornicatione docere tentavit; quod modò à Caramuele resumptum cernimus; & quidem eodem ipso argumento permotus. Ac inprimis quantum ad ipsam sententiam attinet, Sotus eam hâc Censurâ ferit: [M] *Dicere fornicationem non esse contra ius naturæ, error est hæresi proximus. Nam consequens inde protinùs fieret, Gentibus antè legem scriptam non fuisse delictum, quin verò neque post scriptam: quia lege Móysaicâ non tenebantur.* Quantùm item ad rationem attinet quâ Martinus ille olim, & post eum hodie Caramuel, ad eandem sententiam amplectendam inductus fuit, de ea sic Sotus ibidem post pauca subjungit: " Neque verò ratio, quam contrà „ idem author (*Martinus*) obmolitur, digna est „ morali Philosopho. Ait quippe. *Hoc esse acci„ dentarium fornicationi, quòd malè educetur ala„ turq́; proles; nam potest fornicarius tum faculta„ tem habere maiorem quàm coniugatus, tum etiam „ propositum firmius alendi, quin verò ditandi suos „ liberos.* Non, inquam, hæc ratio digna est „ Philosopho: Quin verò id quod ipse dicit, ac„ cidentarium est, hoc verò quod nos dicimus, „ conditioni vagi concubitus nativum. Nam „ ex natura rei, qui non sunt matrimonio jun„ cti non possunt benè alere prolem. Et reverà „ si argutia Martini (*Caramuelis*) ullius esset „ momenti, tunc sequeretur matrimonialem „ conjunctionem non esse vinculum naturale: „ inde enim hoc habet, quòd natura ejus est ut „ sit benè educativa prolium. Et tamen usu „ nihilominùs accidit, ut sæpè conjuges neque „ facultatem habeant, neque verò voluntatem „ eas educandi. Est ergò actus existimandus „ ex natura, & non ex accidente. Cùm ergo „ dicimus bonam educationem matrimo„ nio esse naturalem, non autem fornicatio„ ni, non de actione loquimur, quæ utique „ impediri aliundè potest; sed de naturali potentia". Ovis lupum, & columba milvum naturaliter aversatur, etiam quando actu non

[I] August. Fragmen. 2. cap. 9.

[K] Caram. l. 4. Theol. Moralis nu. 1598.

[L] D. Thom. 2 2 q. 154. a. 2. in Corp.

[M] Sotus l. 5 de Just. & Jure q. 1 a 3. Vide in 4. Dist. 26. q. 1. a. 1. & Dist. 33. q. 1. a. 1.

invaditur: nec ulla fera per hoc mansuescit, quòd actu careat dentibus aut unguibus. Natura horret actum noxivum, etiamsi aliunde obex oppositus sit, ne actu nocere possit: non enim ea tam attendit quid reipsâ ex tali actu resultet, quàm quid resultare sit natum. Unde non minor est antipathia agni erga lupum invadere non audentem, quàm adversùs leonem imperterritè aggredientem: quia nimirùm non minùs ille à natura est infensus dum non nocet quia non audet, quàm ille qui nocet quia audet: N. Lupus enim, inquit „ Augustinus, tantùm vult nocere, quantùm „ leo: dissimiliter nocent, sed non dissimili- „ ter cupiunt. Leo enim non solùm contem- „ nit canem latrantem, sed etiam fugat, & „ venit ad ovile, & obmutescentibus cani- „ bus rapit quod potest: lupus non audet in- „ ter latratus canum. Nunquid propterea quia „ non potuit auferre territus à canibus, innocentior remeavit "? Ad hunc ergo modum non minùs inimica humanæ naturæ est fornicatio ex qua sequitur proles quæ per accidens benè educabitur, quàm ex qua sequitur proles malè educanda: quia natura non attendit ad id quod per accidens evenire potest, sed ad id quod per se subsequi natum est. Miror autem quid Caramueli venerit in mentem, quando plerasque omnes commixtiones carnales Levitici 18. vetitas, sexto Decalogi præcepto prohiberi affirmavit: cùm tamen Synodus Tridentina definierit: O. *Posse Ecclesiam in nonnullis illarum dispensare*. Audivimus eum superiùs §. 377. asserentem *posse Deum in toto Decalogo dispensare contradictoriè, in secunda tabula etiam contrariè*: quod quidem falsum esse, ibidem ostendimus. Nunc tandem eò devolutus est, ut vel œcumenico Concilio mox relato contradiceret, vel certè Ecclesiam in quibusdam Decalogi præceptis dispensare posse, cogatur admittere. Exempli gratiâ inter commixtiones sexto Decalogi præcepto vetitas numerat eam, quæ est *cum uxore fratris*, utique derelictâ, prout Augustinus q. 61. in Leviticum interpretatur. Et tamen Ecclesia crebrò dispensat, ut frater uxorem fratris superstitem ducat, eique sic ductæ commisceatur: Igitur juxta Caramuelem Ecclesia dispensat in sexto Decalogi præcepto. O quàm libenter Angli Sectarij hanc novitatem audituri sunt; non ut eam probent, sed ut Ecclesiæ per eam insultent; quippe quæ in Decalogo dispensare attentarit, quando Henrico Cambriæ tunc Principi postmodùm Angliæ Regi ejus nominis octavo indulsit, ut Arthuri fratris viduam duceret! Argumentabuntur quippe illi sic: Maxima Theologorum pars cum D. Thoma 1. 2. q. 100. art. 8. constanter asseverat præcepta omnia Decalogi prorsùs esse indispensabilia: & quamvis Caramuel mox relatus contendat Deum posse in eis dispensare, ultrò tamen cum reliquis Theologis fatetur à nullo homine dispensari posse: quinimò ait: P. *Catholicæ Religionis authoritati videtur expedire, quòd nemo habeat ius dispensandi in Decalogo*. Atqui, ut mox vidimus, idem ipse Caramuel asserit sexto Decalogi præcepto vetari copulam *cum uxore fratris*: Ergo juxta ipsum non potuit Pontifex dispensare cum præfato Principe Henrico ut copularetur cum uxore fratris. Quod si ita est, rectè profectò Henricus uxorem fratris posteà repudiavit, ne in ulteriore Decalogi transgressione persisteret; perperàm verò Pontifex eum compellere voluit ut persisteret, perperàm tot proceres mortem subierunt ne repudio Regio subscriberent. Viderit sanè Caramuel quemadmodùm huic Anglorum deductioni satisfaciat, si in suâ præcipitatâ sententiâ permaneat: nobis obvia est responsio, ut dicamus, præceptum vetans connubia cum relictis fratrum uxoribus, uti & aliquot alia Levit. 18. tradita, perperàm à Caramuele in Decalogum intrudi; cùm nequaquàm sit morale, sed duntaxat judiciale: Q. Judicialia autem, ut D. Thomas ait, non „ habent perpetuam obligationem, sed sunt „ evacuata per adventum Christi: aliter ta- „ men quàm cæremonialia. Nam cæremonia- „ lia adeò sunt evacuata, ut non solùm sint „ mortua, sed etiam mortifera observantibus „ post Christum, maximè post Evangelium „ divulgatum: præcepta autem judicialia sunt „ quidem mortua, quia non habent vim obli- „ gandi; non tamen sunt mortifera, quia si quis „ Princeps ordinaret in regno suo illa judicia- „ lia observari, non peccaret, nisi fortè hoc „ modo observarentur, vel observari manda- „ rentur, tanquàm habentia vim obligandi ex veteris legis institutione ". Hinc facilè perspicitur quâ ratione sit nunc illicitum imò & irritum connubium fratris cum relictâ uxore fratris: non enim est illicitum aut irritum ex vi præcepti judicialis, in Levitico traditi; sed ex vi præcepti Ecclesiastici, in quo Princeps Ecclesiæ potest dispensare.

CDXXI. Illud interim in Caramuele approbamus, quòd simplicem fornicationem, & contranaturalem venerem, sexto Decalogi præcepto prohiberi doceat. Quamvis enim verbum *mœchandi* ex sua institutione & communi Græcorum usurpatione appropríetur adulterio, prout notat Augustinus: tamen legislator, à parte totum intelligi volens, omnem illicitum membrorum genitalium usum sub *mœchiæ* nomine interdicendum censuit: R. Quæri solet, ait ille, utrùm *mœchia* no- „ mine etiam fornicatio teneatur: hoc enim „ Græcum verbum est, quo jam Scriptura „ utitur pro Latino. *Mœchos* tamen Græci „ non nisi adulteros dicunt: sed utique ista lex

N. August. Præfat. in Psalm. 93.

Vide Bellar. de Matrim. cap. 27. & Alphon. à Castro l. 2. de Lege pœnal. cap 12.

O. Synodus Trid. Sess. 24. Can. 3. de Matrim.

Caramuel.

Vide Caramuelem in Theologia Morali nu. 1599.

Levit. 18. 16.

Augustinus.

P. Caram. in Theolog. Morali nu. 1148.

Q. D. Thom. 1. 2. q. 104. a. 3. in Corp.

Vide Caram. in Theolog. Morali nu. 1599. & 1602.

R. August. q. 71. in Exodum.

Vide q. 37. in Deuteronomium.

„ lex non solis viris in populo, verùm etiam „ fœminis data est: neque enim quia dictum „ est *Non concupisces uxorem proximi tui*, nihil sibi „ hic præceptum debet putare fœmina, tan„ quam licitè posset concupiscere virum pro„ ximæ suæ. Si ergo hoc ex illo quod viro „ dictum est intelligitur, quamvis dictum sit „ quòd etiam ad fœminam pertineat; quantò „ magis ex eo quod dictum est, *Non mœchabe„ ris*, uterque sexus constringitur, cùm & „ ipsum preceptum possit referri ad utrumque; „ sicut, *Non occides*, *Non furaberis*; & alia quæ „ similiter non expresso uno sexu videntur „ sonare communiter? Tamen ubi unus ex„ primitur, honoratior utique exprimitur, id „ est, masculinus: ut ex hoc intelligat etiam „ fœmina, quid sibi præceptum sit. Ac per „ hoc si fœmina mœchata est habens virum, „ concumbendo cum eo qui vir ejus non est, „ etiamsi ille non habeat uxorem; etiam vir „ mœchatus est habens uxorem, concumben„ do cum eâ quæ uxor ejus non est, etiamsi „ illa non habeat virum. Sed utrùm si faciat „ qui uxorem non habet, cum fœminâ quæ „ virum non habet, ambo præcepti hujus „ transgressione teneantur, meritò quæritur. „ Si enim non tenentur, non est prohibita in „ Decalogo fornicatio, sed sola mœchia, id „ est, adulterium: quamvis omnis mœchia „ etiam fornicatio esse intelligitur, sicut lo„ quuntur Scripturæ: Dominus enim dicit in „ Euangelio, *Quicunque dimiserit uxorem suam*, „ *exceptâ causâ fornicationis, facit eam mœchari*. „ Hic utique *fornicationem* appellavit, si cum „ alio peccet quæ virum habet, quod est mœ„ chia, id est, adulterium. Omnis ergo mœ„ chia etiam fornicatio in Scripturis dicitur: sed „ utrùm etiam omnis fornicatio mœchia dici „ possit, in iisdem Scripturis non mihi inte„ rim occurrit locutionis exemplum. Sed si „ non omnis fornicatio possit dici mœchia, „ ubi sit in Decalogo prohibita illa fornicatio „ quam faciunt viri qui uxores non habent, „ cum fœminis quæ maritos non habent, utrùm „ inveniri possit, ignoro. Sed si *furti* nomine „ benè intelligitur omnis illicita usurpatio rei „ alienæ: non enim rapinam permisit qui fur„ tum prohibuit, sed utique à parte totum „ intelligi voluit, quicquid illicitè rerum „ proximi aufertur: profectò & nomine *mœ„ chia* omnis illicitus concubitus, atque illo„ rum membrorum non legitimus usus debet intelligi prohibitus". Huc etiam spectat illud ejusdem in libro de Decem Chordis cap. 3. " Dicitur tibi, *Non mœchaberis*, id est, non ibis „ ad aliquam aliam, præter uxorem tuam".

Deut. 5. 20.

Exod. 20. 14.

Ibid. v. 13.

Ibid. v. 15.

Mat. 5. 32.

Etenim qui simpliciter fornicationem committit, it ad eam quæ non est sua uxor: adeòque transgressor est præcepti, *Non mœchaberis*, juxta istam Augustini explanationem. Qui

Vide Ambr. l. 1. de Abraham cap. 4.

rursùs ibidem cap. 9. affirmat, quòd impletione præcepti, *Non mœchaberis*, corruat bestia libidinis. Quo satis indicat omnem prorsùs libidinosum coitum vetari eodem ipso præcepto: alioquin enim eo plenè observato posset adhuc stare ac vivere *bestia libidinis*: quæ utique non perimitur, nisi à contrario. Si ergo perimitur observatione præcepti, proculdubio ei contrariatur observatio præcepti, adeoque ipsa vetatur eodem præcepto. Unde Magister Sententiarum edisserens singulatim præcepta secundæ tabulæ, cùm pervenisset ad tertium, quo vetatur mœchia: [S] Tertium „ præceptum est, inquit, *Non mœchaberis*, id „ est, ne cuilibet miscearis, excepto fœdere „ matrimonij: à parte enim totum intelligi„ tur. Nomine ergo *mœchia* omnis concubi„ tus illicitus, illorumque membrorum non „ legitimus usus, prohibitus debet intelli„ gi". Similiter & Hugo Victorinus: [T] Ter„ tium, inquit, præceptum secundæ tabulæ „ est, *Non mœchaberis*, id est, non fornicaberis: „ Fornicatio autem est omnis illicitus concubitus". Atque hinc subnascitur nova difficultas, neutiquam hic prætereunda: An scilicet ipsa conjugum inter se commixtio adversari subinde queat isti *non mœchandi* præcepto? Planum utique videtur ex dictis quod sic: quia conjugum inter se commixtio potest esse illicitus concubitus, sive illegitimus membrorum genitalium usus: Ergo & præcepto *non mœchandi* vetitus. Consequentia ex mox allatis authoritatibus clara est: Antecedens non minus clarum: inprimis ex eo quòd conjugum commixtio multipliciter possit esse nefanda: ut si post emissum castitatis votum exerceatur: si non fit naturalis, sed sodomitica: si de industriâ interrumpatur ut fœcunditas impediatur, exemplo Onan qui se retraxit inter coeündum cum Thamar, *Et ideò percussit eum Dominus, quòd rem detestabilem faceret*: si ita immoderatè exerceatur, ut notabilis sanitati noxa inferatur, aut proli utero gestæ vel gerendæ noceatur: si ita importunè, ut in ea tempus orationi impendendum teratur: si ita ardenter, ut meretricius magis quàm conjugalis affectus geratur, sicut scriptum est, *Qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus quibus non est intellectus; habet potestatem dæmonum super eos*. Deindè crebrò accidit ut conjugum commixtio tametsi ad mortiferi flagitij immanitatem non pertingat, venialis tamen delicti inquinamento sordescat: [V] Conjuga„ lis enim concubitus, ut ait Augustinus, ge„ nerandi gratiâ, non habet culpam: concu„ piscentiæ verò satiandæ, sed tamen cum „ conjuge, propter fidem thori, venialem habet culpam". Et mox iterùm cap. 7. " Red„ dere debitum conjugale, inquit, nullius est criminis

S Magister l. 3. sentent. Dist. 37. § h.

T Hugo Victor. lib. 2. de Sacram. p. 11. c. 7.

Gen. 38. 10.

Tob. 6. 17.

V. Aug. lib. de Bono cōjugali cap. 6. Vide l. 1. de Nuptijs & concup. c 4. 8. 14. & 15. & l de Peccato Orig c. 38. & lib de Bono viduitatis c. 4.

& Tractat. de decem Chordis c. 11. & lib 9. de Gen. ad lit. c. 7. 8. & 10. & l. 1. Soliloq. c. 10 & l 2. cont. Iulian. c. 7. & l. 3. c. 16. & lib. 4. c. 14. & lib. 5. c. 16 & lib. 1. Operis imperf. c. 69. & Serm 94. & 69. de Diverſ. & Sermone 41. de Sanctis, & in Pſal. 90. & Enchir. c. 78.

1. Cor. 7. 6. Rom. 1. 26.

„ criminis: exigere autem ultra generandi neceſſitatem, culpæ venialis". Et rurſùs inferiùs cap. 10." Certè, inquit, jam dubitare „ fas non eſt, nuptias non eſſe peccatum. Non „ itaque nuptias *ſecundùm veniam* concedit „ Apoſtolus: nam quis ambigat abſurdiſſimè „ dici, non eos peccaſſe, quibus *venia* datur? „ Sed illum concubitum *ſecundùm veniam* con- „ cedit, qui fit per incontinentiam, non ſolâ „ causâ procreandi, ſed etiam aliquando nullâ „ causâ procreandi; quem nuptiæ non fieri „ cogunt, ſed ignoſci impetrant: ſi tamen „ non ita ſit nimius, ut impediat, quæ ſepo- „ ſita eſſe debent, tempora orandi; nec im- „ mutetur *in eum uſum qui eſt contra naturam*, „ de quo Apoſtolus tacere non potuit, cùm „ de corruptelis nimiis immundorum & im- „ piorum hominum loqueretur. Concubitus „ enim neceſſarius causâ generandi, inculpa- „ bilis & ſolus ipſe nuptialis eſt: ille autem „ qui ultra iſtam neceſſitatem progreditur, „ jam non rationi, ſed libidini obſequitur. „ Et nunc tamen non exigere, ſed reddere „ conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, „ ad perſonam pertinet conjugalem: ſi autem „ ambo tali concupiſcentiæ ſubiguntur, rem faciunt non planè nuptiarum". Et Serm. 63. de diverſis c. 13." Cæterùm, inquit, qui uxo- „ ris carnem ampliùs appetit, quàm præſcribit „ limes ille, *liberorum procreandorum causâ*, con- „ tra ipſas tabulas facit, quibus eam duxit uxo- „ rem. Recitantur tabulæ, & recitantur in con- „ ſpectu omnium atteſtantium; & recitatur, „ *liberorum procreandorum causâ*, & vocantur ta- „ bulæ matrimoniales. Niſi ad hoc dentur, ad „ hoc accipiantur uxores, quis ſanâ fronte det „ filiam ſuam libidini alienæ? Sed ut non eru- „ beſcant parentes, cùm dant, recitantur ta- „ bulæ, ut ſint ſoceri, non lenones. Quid „ ergo de tabulis recitatur? *Liberorum procreandorum causâ*". Et mox iterùm ibidem: " Nunquid hoc non eſt peccatum, ampliùs „ quàm liberorum procreandorum neceſſitas „ cogit, exigere à conjuge debitum? Eſt qui- „ dem peccatum, ſed veniale. Apoſtolus dicit, „ *Hoc autem dico ſecundùm veniam*, cùm inde lo- queretur". Ejuſdem ſententiæ fuiſſe Ambroſium teſtatur idem ipſe Auguſtinus, probatis eam in rem his ejus verbis ex libro de Philoſophiâ: [W] Mater vitiorum omnium in- „ continentia, quæ etiam licita vertat in vi- „ tium: ideoque Apoſtolus non ſolùm à for- „ nicatione nos retrahit, verùm etiam in ipſis „ conjugiis modum quendam docet, & tem- „ pora præſcribit orandi. Intemperans enim „ in conjugio, quid aliud niſi quidam adulter uxoris eſt". Eòdem ſpectat & illud Hieronymi, ſententiam Sixti Pythagorici approbantis: [X] Pulchrè in Sixti Pythagorici ſen- „ tentiolis dicitur: *Adulter eſt uxoris propria amatar ardentior*". Qui rurſùs lib. 1. adverſùs Jovinianum cap. 30. ait: " Sixtus in ſententiis, „ *Adulter eſt*, inquit, *in ſuam uxorem amator ar-* „ *dentior*. In alienâ quippe uxore omnis amor „ turpis eſt, in ſuâ nimius. Sapiens vir ju- „ dicio debet amare conjugem, non affectu: „ reget impetus voluptatis, nec præceps fe- „ retur in coitum. Nihil eſt fœdius, quàm uxo- „ rem amare quaſi adulteram. Certè qui di- „ cunt ſe causâ Reipublicæ & generis huma- „ ni uxoribus jungi, & liberos tollere, imiten- „ tur ſaltem pecudes, & poſtquàm uxorum „ venter intumuerit, non perdant filios; nec „ amatores uxoribus ſe adhibeant, ſed mari- tos". Ecce quomodò veros *maritos*, hoc eſt, conjugaliter pudicos, contraponat *ardentioribus amatoribus*, qui nequidem à gravidis ſe cohibent uxoribus: quod tamen inſtinctu quodam naturæ faciunt pecudes. Atque hinc eſt quòd Auguſtinus, loquens de conjugali pudicitia: [Y] Belligerat ipſa, inquit, contra „ carnalem concupiſcentiam, ne limites thori „ nuptialis excedat: belligerat, ne definitum „ ex conſenſu conjugum orandi tempus ir- „ rumpat. Et ſi tantas vires habeat iſta pudici- „ tia conjugalis, tantùmque Dei donum eſt, „ ut faciat quod præſcribunt tabulæ matri- „ moniales, in ipſo quoque thoro conjugali „ belligerat fortiori conflictu, ne ultrà quàm „ generandis filiis ſatis eſt, etiam ipſum con- „ jugis corpus attrectet. Talis pudicitia nec „ menſtruatis, nec gravidis utitur fœminis, „ nec ejus ætatis quâ certum eſt eas jam concipere non valere". Huic porrò doctrinæ plurimùm diſſonat Tamburinus, qui tam laxus eſt, ut copulam conjugalem ſolâ libidinis ſedandæ causâ exercitam excuſare ab omni culpa etiam veniali, non dubitet. Ait quippe: [Z] *Ut omne peccatum etiam veniale vitetur, finis in matrimonii uſu aliquis ex his quatuor eſſe debet: proles in Dei cultu procreanda*, CARNIS CONCUPISCENTIA SEDANDA, *ſanitas propria uxoriſve conſervanda, propria obligatio ſatisfacienda*. Primum ex his finibus, atque etiam ultimum, cum Auguſtino jam ſuprà relato approbandum cenſemus: duos verò intermedios, tanquam à Neotericis ſine ullius veteris Patris ſuffragio invectos, jure optimo repudiandos exiſtimamus. Sed non ibi ſiſtit Tamburinus: verùm cùm retuliſſet ſententiam Thomæ Sanchez, negantis licere conjugi exigere debitum conjugale ad ſedandam duntaxat concupiſcentiam, vel tuendam ſanitatem, niſi cùm ei deſunt alia media quibus ſibi ſubveniat; eam tanquam nimis oneroſam conjugi rejecit ibidem n. 8. *Cùm enim*, inquiens, *obvium habeat* (conjunx) *hoc remedium, nolo eum obligare ad alia conquirenda*. Cæterùm ne videretur nimius libidinis patronus, renuit ſubſcribere Joanni Sancio, qui Diſp. 23. n. 25. contendit,

1. Cor. 7. 6.

W. Ambroſ. apud Aug. lib. 2. cont. Iulian. c. 7.

X. Hieron. l. 6. in caput 18. Ezech.

Y. Aug. lib. 2. contra Iulianum.

Z. Tambur. lib. 7. cap. 2. §. 1. n. 1.

Joan. Sancius.

Finem solius delectationis in conjugatis, ne peccatum quidem esse veniale: sicut non est, pulchrum prospectare campum, fragrantem rosam odoratui ob voluptatem admovere, suavi melodiæ liberas aures dare. Rectè quidem ille renuit huic laxoni subscribere, sicut rectè olim renuit Augustinus Iuliano Pelagiano subscribere, [A] *Omnium sensuum voluptatem in auxilium convocanti; tanquam voluptas genitalium nec tanto patrono sibi sola sufficeret, nisi sociarum cuneus subveniret.*

A apud August. lib. 4. contra Iul. cap. 14.

CDXXII. At certè eodem intuitu quo vidit Tamburinus falsitatem sententiæ Sancianæ, videre debuisset & suæ. Nam profectò qui solâ sedandæ concupiscentiæ causâ debitum conjugale extorquet, is solius delectationis fine ad copulam se accingit. Assumere enim copulam in medium sedandæ concupiscentiæ, nihil aliud est, quàm satiare ipsam concupiscentiã, obsequendo ei, & annuendo quod flagitat: flagitat autem complexum carnalem propter insitam ei delectationem voluptuariam: Hoc ergo ei annuitur, quoties solâ ejus sedandæ sive satiandæ gratiâ conjunx à conjuge initur. Unde Augustinus proximo §. relatus ait: *Concubitus necessarius causâ generandi, inculpabilis & solus ipse nuptialis est: ille autem qui ultra istam necessitatem progreditur, jam non rationi, sed libidini obsequitur.* Quis non videat eum pessimæ dominæ obsequi, qui non rationi, sed libidini obsequitur? Obsequitur autem non modò qui solâ ejus satiandæ, satiandoque sedandæ causâ coit, sed etiam qui ejus delectationem pro partiali concausâ amplectitur; juxta illud Augustini ibidem præmissum: *Illum concubitum Apostolus secundùm veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non solâ causâ procreandi, sed etiam aliquando nullâ causâ procreandi.* Cùm ergo Apostolus concedendo veniam denotet culpam, planum est concubitum conjugalem non modò tunc esse exigenti culpabilem, quando fit ex solâ libidine, sine animo procreandi; sed insuper quando fit ex eâ, conspirante licèt animo procreandi. Huc quippe spectat illud ejusdem alibi: [B] "Hoc malo (*libidinis*) benè utuntur nuptiæ, cùm conjuges procreant filios per illam, nihilque faciunt propter illam". Et illud item ejusdem inferiùs ibidem lib. 5. c. 9. "De inhonesto honestas agitur procreandi, quando libidinem non amat, sed tolerat castitas concumbendi". Eòdem denique spectat, quod lib. 2. de Consensu Evangelistarum cap. 1. asserit, "Complexum carnalem propter *solos* gignendos filios esse adhibendum". Et Homil. ultimâ inter 50. cap. 3. "*Solâ* generandi causâ est inculpabilis sexus utriusque commixtio". Cui similis est ista Papæ Gregorij sententia: [C] "Tunc solùm conjuges in admixtione sine culpâ sunt, cùm non pro explenda libidine, sed pro suscipiendâ prole miscentur". Qui rursùs de

Augustinus supra.

Vide Estium in 4. Dist. 31. §. 7. & Sylvium in 6. p. q. 49. Supplementi art. 6.

B August. lib. 4. cont. Iulian. c. 14. Vide lib. 5. c. 16. ibid. & l. 4. c. 2. & ibid. in fine cap. 3. & l. 3. cap. 24.

C. Greg. lib. 32. Moral. cap. 17. aliàs 20. Vide Aug. epist. 188. cap. 16.

Curâ Pastorali p. 3. Admonit. 28. "Admonendi sunt conjuges, inquit, ut suscipiendæ prolis se meminerint causâ conjunctos: & cùm immoderatæ admixtioni servientes propagationis articulum in usum transferunt voluptatis, perpendant quòd licèt extrà non exeant, in ipso tamen conjugio conjugij jura transcendunt. Unde necesse est ut crebris exhortationibus moneantur, ut defleant, quòd pulchram copulæ speciem admixtis voluptatibus fœdant". Et lib. 10. Registri, in Responsione ad interrogationem 10. Augustini: "Oportet, inquit, ut legitima carnis copula causâ prolis sit, non voluptatis; & carnis commixtio creandorum liberorum sit gratiâ, non satisfactio vitiorum". Consonat Isidorus Hispalensis, cùm ait: [D] "Quosdam conjugale decus, non pro gignendis filijs delectat, sed hoc pro turbulentâ carnis & libidinosâ consuetudine appetunt: sicque bono malè utuntur". Et lib. 2. de Offic. Eccles. c. 19. "Illæ sunt certæ nuptiæ, inquit, quæ in conjugio non libidinem, sed prolem requirunt: neque enim sic institutæ sunt, ut carnis voluptatibus serviant, sed tantùm ut fructum propaginis quærant. Nam & ipsæ dotales tabulæ indicant, quòd *causâ procreandorum liberorum* ducitur uxor. Quando ergo quisque luxuriosè ampliùs vivit quàm necessitas procreandorum liberorum cogit, jam peccatum est". Et Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 4. §. *De corpore:* "Benè sperent ij, inquit, qui matrimonio juncti, legitimè nuptijs utuntur: qui connubia legitima, & non per nimiam licentiam incesta comparant: qui sciunt abstinentiæ tempora, ut orationi vacent: qui cum vestimentis pura corpora ad sacram communionem in Ecclesiâ offerunt: qui procreandorum liberorum causâ, non fruendæ voluptatis accesserunt ad nuptias". Chrysostomus quoque tractans de ijs qui in Genesi *Videntes filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores* &c. [E] "Vide, inquit, quomodò per verbum hoc omnem nobis eorum intemperantiam insinuat: non enim ob desiderium procreandorum filiorum conveniebant, sed ob voluptatem & intemperantiam". Et rursùs ibidem post paucula: "Magnam, inquit, illorum intemperantiam insinuat, quòd à pulchritudine victi sint, & frænum imponere inordinatæ concupiscentiæ suæ non valuerint; sed spectando capti submersique sint, & ob impium hoc opus indignos se fecerunt, quorum supernè Deus curam gereret: ut discamus quòd non legé nuptiarum, neque procreandorum filiorum gratiâ hoc fecerint". Et Isidorus Pelusiota: [F] "Multi, inquit, cum mulieribus nondùm purgatis congrediuntur; perinde ac si volupta-

D. Isidor. lib 2. Sent. cap. 40.

Cyrill. Hierosol.

Gen 6. 2.

E Chrysost. Homil 22. in Genesim.

F. Isidor. pelus. lib 2. Epist. 46.

voluptatis tantùm, & non procreandæ sobolis causâ effictam esse mulierem existiment". Alludit ad primam mulieris in paradiso formationem, ut *viro esset in adiutorium*: non utique sedandæ vel satiandæ libidinis, sed propagandæ sobolis. Unde Basilius Magnus: G. Tunc, inquit, legitimum constat esse connubium, & secundùm divina jura institutum, cùm non voluptatis affectus Scita legis præcesserit, sed *adjumenti* necessarij prolisque causâ fuerit hujusmodi facta conjunctio". Et Augustinus: H. Si quæritur, inquit, ad quam rem fieri oportuerit hoc *adjutorium*? Nihil aliud probabiliter occurrit, quàm propter filios procreandos: sicut adjutorium semini terra est, ut virgultum ex utroque nascatur. Hoc enim & in primâ rerum conditione dictum arat, *Masculum & fæminam fecit eos, & benedixit eis Deus, dicens: Crescite & multiplicamini, & implete terram, & dominamini eius*". Clemens quoque Alexandrinus crebrò hanc doctrinam inculcat, signanter in libris Pædagogi, ubi inter alia ait: I. Qui matrimonio juncti sunt, ijs scopus est & institutum, liberorum susceptio; finis autem, ut boni sint liberi: quemadmodùm agricolæ causa seminandi est, quòd nutrimenti habendi curam gerat; finis autem agriculturæ est fructuum perceptio. Multò autem melior est agricola, qui terram colit animatam". Et rursùs ibidem inferiùs: " Mihi quidem hâc de causâ videtur nominatum *pudendum*, quòd eâ corporis parte, quàm quâlibet aliâ, magis cum pudore sit utendum. Natura enim sicut alimentis, ita nuptijs etiam legitimis, quantum decet ac confert, nobis uti permisit. Permisit autem appetere liberorum procreationem: quicunque verò quod modum excedat prosequuntur, labuntur ab eo quod secundùm naturam est, lædentes semetipsos per congressus qui præter leges sint". Et adhuc inferiùs: " Ne semina, inquit, ubi non vis tibi nasci quod seminatum est: neque ullam omninò tange fæminam, præter tuam ipsius uxorem; ex quâ solâ tibi licet carnis voluptates percipere, propter legitimam successionem: hæc enim rationi sola sunt legitima". Et rursùs inferiùs: " Moyses congredi cum ipsis etiam uxoribus vetat, si fortè eas detineant purgationes menstruæ: non enim purgamento corporis polluere consentaneum est quod est maximè genitale seminis, & quod mox homo futurum est; nec sordido materiæ profluvio & expurgatorijs inquinamentis inundare illud atque obruere. Semen autem generationis degenerat & ineptum redditur, si matricis sulcis privetur: neque verò ullum unquam induxit veterum Hebræorum, coeuntem cum suâ uxore prægnante Sola enim voluptas, si quis eâ utatur etiam in conjugio, est præter leges, & injusta, & à ratione aliena". Et iterùm aliquantò pòst: " Aliquod tempus ad seminandum opportunum habent quoque rationis expertia animantia: coire autem non ad liberorum procreationem est facere injuriam naturæ; quam quidem oportet magistram asciscere, & diligenter observare quas illa introducit temporis considerationes, senectutem, inquàm, & puerilem ætatem: his enim nondum concessit, illos autem non vult ampliùs uxores ducere: nec vult homines semper dare operam connubio. Matrimonium enim est filiorum procreationis appetitio, non autem nullo aut incerto ordine seminis excretio, quæ & præter leges est, & à ratione aliena". Et rursùs inferiùs: " Non est ergo justum, inquit, vinci à rebus venereis, nec libidinibus stòlidè inhiare, nec appetitionibus à ratione alienis moveri, nec desiderare pollui. Soli autem ei qui uxorem duxit, ut qui tunc sit agricola, permissum est serere, quando tempus sementem admittit". Idem rursùs lib. 2. Stromatum paulò ante finem: " Si fieri posset, inquit, ut absque voluptatis affectione vel biberetur, vel alimentum sumeretur, vel liberi procrearentur, non posset ostendi alius ejus usus". Cui sententiæ, signanter quoad liberorum procreationem, consona est ista Augustini: K. Quis amator spiritualis boni, etiam solâ causâ sobolis conjugatus, non mallet sine ista (*libidine*) si possit, vel sine tam magnâ vi ejus, filios procreare"? Prædictis consonat Fulgentius, cùm ait: L. Justitia utendi conjugij hæc est, ut non explendæ libidinis, sed substituendæ prolis obtentu, sibi conjuges congruo tempore misceantur. In illis namque bonis quæ fecit Deus, invenitur casta copulatio uxoris & viri: in quibus Dei operibus libido non potest inveniri, nec aliquando justitiæ congruit quæ non hominibus ex dono conditionis, sed peccatoribus ex vitio primæ prævaricationis accessit. Sed quia sine illâ in corpore mortis hujus proles humana non seritur, non eam affectant conjugia casta, sed tolerant; eique imponit nuptialis honestas modum, sine quâ non potest in carne peccati, naturalis explere fœcunditatis officium". Et mox iterùm ibidem: " Conjugatus si fornicetur, damnabiliter peccat: si verò thori fidem non deserat, sed in uxore suâ, naturali duntaxat usu, aliquantulùm intemperatus excedat, non solam scilicet generationem quærens, sed aliquando libidini carnis obediens; hoc equidem sine culpâ non facit". His addi potest Lactantius, qui non cunctatur asserere, M. Damnari à Deo

Gen. 2. 15.

G. Basil. lib. de vera virginitate.

H. Aug. l. 9. de Gen. ad lit. c. 3. & 9. Vide Ambr. l. de Paradiso c. 10.

Gen. 1. 27. & 28.

I. Clemens Alex. lib. 2. Pædagogi c. 10.

K. Aug. l. 4. cont. Julian. cap. 14. Vide l. 1. cap. 12. & Serm. 63 de Diversis c. 14.

L. Fulgent. Epist. 1 c. 5. Vide lib. de Fide ad Pet. cap. 3.

M. Lactant. l. 5. cap. 6.

Vide lib. 6. c. 19. & 23.

„à Deo quidquid appetitur ultra generandi cupiditatem". Favet item Leo Papa, quatenùs ait: N Non est illic libertas turpitudinis, „ubi & pudor matrimonij servatur, & spes sobolis". Ubi à contrario sensu innuit turpitudinem inesse actui conjugali, quoties vel matrimonij pudor non servatur, vel spes sobolis non subest. Eòdem spectat & illud Cyrilli Alexandrini: O. Honorabiles sunt nup„tiæ, si liberorum procreationi subserviant; „nec culpandus Christianus, qui illis legitimè utitur". Cæterùm si non liberorum procreationi, sed incontinentiæ duntaxat devitationi subserviant, eas censet improbandas, adducens in id authoritatem Apostoli, dicentis se talem nuptiarum usum *non imperare, sed indulgere*. Quibus Apostoli verbis præmissis, subdit ille mox ibidem; " Vides eum dare „*veniam* conjugio junctis? Quomodò igitur „fieri potest ut id sit virtus, cui *venia* medetur". Omninò consonè Augustino, qui in Enchiridio ait: P. Quæ sint levia, & quæ gra„via peccata, non humano; sed divino sunt „pensanda judicio. Videmus enim quædam „ab ipsis quoque Apostolis ignoscendo fuisse „concessa, quale est illud, quod venerabilis „Paulus conjugibus ait: *Nolite fraudare invi„cem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; „& iterùm ad ipsum revertimini, ne vos tentet Sa„tanas; propter incontinentiam vestram*: putari „posset non esse peccatum, misceri scilicet „conjugi non filiorum procreandorum causâ, „quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam „voluptatis; ut fornicationis, sive adulterij, „sive cujusquam alterius immunditiæ mor„tiferum malum, quod turpe est etiam di„cere; quò potest tentante Satanâ libido „pertrahere, incontinentium devitet infirmi„tas. Posset ergo, ut dixi, hoc putari non „peccatum, nisi addidisset Apostolus, *Hoc autem „dico secundum veniam, non secundum imperium*: „Quis autem jam esse peccatum neget, cùm „dari *veniam* facientibus, Apostolica authoritas fateatur"? Ubi notandum incidit, Augustinum non dicere quòd quispiam Ecclesiasticorum Tractatorum reipsâ unquàm putaverit commixtionem conjugum, percipiendæ carnalis voluptatis, vel vitandæ fornicationis causâ exercitam, non esse peccatum: sed, *posset putari*, inquit, *nisi Apostolus addidisset*. Censet proinde, quòd ex quo Apostolus suo additamento veritatem propalavit, non modò nullus Catholicus id reipsâ putârit, sed nec putare potuerit. Unde non ait; quis jam esse peccatum negat? sed, *Quis jam esse peccatum neget*, hoc est, negare queat? quia nimirùm evidens in oppositum sit Apostoli authoritas, qui, ut ipse alibi ait, Q *Evidenter dum tribuit veniam, denotat culpam.* Quæ evidentia ipsi visa est tanta, ut in libro de bono conjugali cap. 10. scripserit illud proximo §. relatum: *Quis ambigat, ABSVRDISSIME dici, non eos peccasse, quibus venia datur*? Eidem quoque evidentiæ testimonium perhibet Papa Gregorius, cùm ait de Apostolo: R *Quod indulgeri dixit, culpam esse demonstravit*. Et lib. 32. Moral. cap. 17. aliàs 20. *Ut hoc quod concesserat, sine culpa, quamvis minima, non esse monstraret, illicò adjunxit: Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium, Non enim est sine vitio quod ignoscitur, & non præcipitur. Peccatum profectò vidit; quod posse indulgeri prævidit*. Hos Duces agminatim secuti sunt Scholasticorum priniores cum suis sequacibus: signanter Magister lib. 4. Sentent. Dist. 26. & 31. Divus Thomas, Bonaventura, Richardus, Scotus, Albertus Magnus, & cæteri promiscuè antiqui Scholastici: quorum sententiam Henriquez in Summa lib. 11. cap. 15. §. 4. vocat antonomasticè *Patrum sententiam*: cui nemo ante Joannem Majorem contradixit, teste Soto in 4. Dist. 31. q. 1. a. 3.

N Leo Epist. 92. cap. 7.

O Cyrillus Alex. lib. 13. in 45 (?) de Spiritu & Veritate.

1. Cor. 7. 6.

P Aug. Enchir. c. 78. Vide Bedam & Anselm. in c. 7. prioris ad Cor. & D. Thom. ibid. Lect. 1. & Hugonem Victor. Sent. 33. & in Sum. Tract. 7. cap. 5. & lib. 1. de Sacram. p. 8. c. 13. in fine, & 2. p. 11. c. p. 11. ibid. c. 5.

Q Aug. l. de Pecc. orig. c. 38.

R Gregor. l. 12. Regist. Epist. 31. ad 10. interrog. Vide eund. de Cura Pastorali p. 3. Admonit. 28.

Magister.

D. Thomas. Bonavent. Richardus. Scotus. Albertus.

CAPUT CXII.

Ejusdem materiæ prosecutio adversùs Caramuelis potissimùm laxitates, contendentis multa sexto Decalogi præcepto interdici, quæ secluso Dei arbitrario interdicto forent indifferentia, sæpè bona, subinde etiam sub mortali reatu obligatoria: signanter mollitiem, cui sodomiam & bestialitatem specie identificat infimâ. Eandem mollitiem cum esu pomi vetiti comparat. Genitalis seminis quidditatem ventilat, ut legem mollitiei prohibitoriam obscuret, obscurandoque enervet. Connubiale fœdus extra juris naturæ cancellos abigit. Vt pollutiones eodem jure licitas astruat, abortiones fœtuum etiam animatorum licere, pro tuendâ abortientis vitâ, asserit. Ejus consequentia ab abortione ad pollutionem ducta evertitur. Venereæ libidinis impetuositas expenditur, & quantopere humanam mentem de sua arce dejiciat aperitur. Coitus carnalis Democrito parva epilepsia. *Cur Apostolus signatè* fornicarium in corpus suum peccare *dixerit? Violatur hominis cum natura authore societas, quando eadem natura libidinis perversitate polluitur. Cur quædam impudicitiæ peculiariter dicantur* contra naturam, *&* passiones ignominiæ? *Non est idem arietis, & hominis bonum. In semine hominis divinum quidpiam residere censuit Aristoteles. Confertur innaturalis effusio seminis, cum prolatione mendacij, quantum ad pugnantiam cum lege naturæ. Quidam sunt Philosopho, ex naturæ dictamine, affectus & actus, ipso suo nomine cum pravitate connexi Inest animæ humanæ quædam vis discernendi virtutem à vitio contranaturali, ut à languore vigorem. Authoritate Evangelicâ, Apostolicâ, Pontificiâ, Synodicâ, Patriâ, firmatur censura Scholæ Theologicæ Lovaniensis in Articulum istum exerta,* Copula cùm conjugatâ, consentiente marito, non est adulterium: adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum. *Mariti consensus non tam ad hoc servit ut adulterantem extraneum relevet, quàm ut consentientem lenocinij crimine involvat. Matrimonij fidelium consummati vinculum solâ morte alterutrius conjugis dirimitur: hâc autem usqueadeò annullatur, ut redivivo nefas sit absque novo matrimonio superstiti misceri. Matrimonij & testamenti discerniculum Apostolico suffragio stabilitum.*

CDXXIII. CVm ex proximi Capitis decursu planum fit omnem illicitam venerem, sive illegitimum membrorum genitalium usum, etiam cum conjuge, vetari præcepto Decalogi sexto, ejusque cupidinem nono; facilè cernitur quàm ampla sit ista materia, & quàm variis ansi actibus impeti queat ab ijs, qui humanæ libertinitati habenas laxare studuerint. Inter hos Caramuel audet scribere:[s] *Multa sexto Decalogi præcepto interdicta reperio, quæ præcisa à præcepto non solùm dicerentur indifferentia, sed & bona.* Ubi nomine *præcepti*, positivam Dei legem, pro ipsius legislatoris libitu conditam, ac revocabilem, intelligit: prout ex dictis partim proximo capite, partim superiùs cap. 100. §. 277. perspicuum est. Porrò inter ea *multa*, quæ seposito præcepto forent indifferentia, vel etiam bona, non solùm computat commixtiones carnales Levitici 18. judicialiter vetitas, & perperàm ab ipso sub sexto Decalogi præcepto contrusas; sed etiam simplicem fornicationem, prout jam suprà patuit: imò verò etiam mollitiem, de qua ibidem n. 1603.

[s] Caram in Theol. Moral n. 1598.

Vide Ockamum in 3. Dist. 19. & Gersonem de Vita spirit. Lect. 1. Coroll. 1. & Almain Tract. 3 Moral. c. 15.

n. 1603. subdit: *Si Deus mollitiem non interdixisset, nunquam esset mala, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub peccato mortali.* Rursùs ne quis fortè suspicaretur eum aliter de cæteris flagitijs contranaturalibus, quàm de mollitie sentire, addit demùm ibidem n. 1607. *Mollities, sodomia, bestialitas, sunt peccata eiusdem speciei infimæ.* Quam sententiam mox ibidem reputat *tam claram, ut contraria videatur error in Philosophia.* Cùm igitur hæc omnia contranaturalia peccata sint ipsi ejusdem infimæ speciei, proculdubiò censet, id quod de mollitie signatè præmiserat, in cæteris secundùm specificam suam naturam spectatis habere pariter locum: atque adeò unumquodque eorum, seclusâ Dei interdictione, nunquam fore malum, sed sæpè bonum, & aliquando obligatorium sub peccato mortali. Speravit fortassis non defuturum aliquando quempiam, qui imitando serpentem antiquum dicturus foret de hisce flagitijs, quod ille de lignis paradisi: cur præcepit nobis Deus ne oblectaremus nos mollitie, sodomiâ, bestialitate? Cur nobis invidit recreationes tam volupes, naturâ suâ minimè malas, sæpè etiam bonas, imò & necessarias? Quem quidem expostulandi cum Deo modum propiùs adhuc suggerit Caramuel, cùm ibidem nu. 1605. comparat mollitiem cum esu pomi vetiti, dicens: *Esum pomi aliàs indifferentem primis hominibus interdixit Deus; quia voluit & potuit, utpote rerum universarum Creator & Dominus: seminis etiam effusionem inhibet, non quòd ipsa sit mala ante præceptum, sed quod ipse sit Dominus, nos servi; ipse creator, nos creatura; ipsi comperat præcipiendi authoritas, nobis obediendi gloria relicta sit.* Cùm igitur primi parentes edendo pomum peccaturi non fuissent, nisi Deus esum pomi non solùm prohibuisset, sed ipsam quoque prohibitionem eis manifestasset; consectarium profectò est, eos omnes non peccare nec peccasse effundendo semen per mollitiem, sodomiam, aut bestialitatem, quibus Deus legem suam ea flagitia vetantem non intimavit. Scriptum est autem de Deo, quòd *annuntiârit verbum suum Iacob, iustitias & iudicia sua Israël:* ac tum continuò subtextum est, *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestavit eis.* Igitur, juxta Caramuelis sententiam, tametsi Israëlitæ, post intimatam sibi legem Dei vetantem prædicta flagitia, peccassent ea perpetrando: cæteræ tamen nationes, *quibus iudicia sua Deus non manifestavit*, nequaquàm peccabant eadem perpetrando, nec adhuc hodie peccant quotquot per ignorantiam positivæ Dei legis eis assuescunt. Generalis enim apud Caramuelem regula est, *Omnem omninò actum humanum esse licitum, qui non impingit evidenter in aliquam legem obligatoriam evidenter.* Atque hinc est quòd cùm ei propositum sit viam cæli dilatare, imitando Dianam *tollentem peccata Mundi*; sedulò allaboret, evidentiam legum offusis nebulis obscurare, ut eâ ratione queat earum obligationem excutere; tanquam jam non evidentem, sed utcunque latentem. Sic enim in præsenti materia conatur obscurare legem prohibitoriam mollitiei, suscitando ambiguitatum nebulas super quidditate humani seminis: *Mollities*, inquit, *est seminis effusio voluntaria: & si mala secundum se, de ipsius malitia hominibus constare debet. Sed quid semen? Doctores certant, & adhuc sub iudice lis est. Aliqui sudorem, alij spumam, nonnulli lac, plerique sanguinem semen esse contendunt: & tamen esse contra ipsam naturam sudorem, spumam, sanguinem, lac, & similia corporis nutrimenta vel excrementa, ex rationabili causa, decidere, nullus Dialecticus probare poterit.* Suppressit consequens quod inferendum erat, sive quia puduit; sive quia cuivis obvium esse perspexit. Est autem tale: *Ergo esse contra naturam decidere semen ex rationabili causa, nullus Dialecticus probare poterit.* Sed vide quid hinc ulteriùs subillaturi sint, qui Caramuelicis principijs imbuti mollitiem exercere voluerint. Dicent enim: Si mollities mala esset ex Dei præcepto eam vetante, de ipsius malitia hominibus constare deberet: Atqui non constat: Ergo non est mala ne quidem ex præcepto Dei eam vetante. Minor probatur; quia cùm mollities consistat in voluntaria seminis effusione, non potest constare de præcepto eam vetante, nisi priùs constet quid sit semen, cujus voluntaria effusio interdicitur: Atqui nondum constat quid sit semen, sed *Doctores certant & adhuc sub iudice lis est*; alijs contendentibus esse *sudorem*, alijs *spumam*, alijs *lac*, alijs *sanguinem*, vel simile quodpiam *corporis nutrimentum vel excrementum*: Ergo nondum constat de præcepto mollitiem vetante; adeòque nec de ipsius mollitiei malitiâ indidem proveniente. Ecce quomodò Caramuel tacitè molitur mollitiem etiam Christianis ac cæteris divinas Scripturas scrutantibus facere licitam: imò verò etiam obligatoriam, subinde sub mortali! Pergent quippe illi Caramuelicis principijs imbuti argumentari in hunc modum: Non obstante quacunque Dei lege hominibus hactenùs notificatâ; non modò possumus, sed subinde etiam tenemur sub mortali, emittere *sudorem, spumam, lac, sanguinem*, aut similia alia *corporis nutrimenta vel excrementa*: Ergo & semen: quippe quod juxta probabilem Doctorum sententiam nihil est aliud quàm quidpiam istorum. Sed neque hìc illi subsistent, quin pergent ulteriùs, sic ratiocinantes: Esto constaret quid sit semen, constaret item

Psalm 147. 8. Ibid. v. 9.

Vide hîc supra §. 414.

T. Caram. in Theolog. Moral. nu. 1601.

Vide Crest. pin. à Borgia in Quæstionib. Moralib. Selectis advers. Caram. q. 41.

item ejus voluntariam effusionem divinitùs vetari; nondùm tamen liquidò constat an divina ejusmodi vetatio non cesset pro articulo extremæ necessitatis: ut si quis mori debeat, nisi se polluat. Positiva enim Dei præcepta cessare interdum in casu necessitatis, probè novit David, qui non obstante Dei lege, laicis vetante esum panum propositionis, in necessitate famis eos comedit, ejusque factum Christus Matth.12. excusat: ubi suos quoque discipulos à violatione sabbati divinitùs interdictâ, simili necessitate expurgat. Machabæi item sabbato pugnarunt 1.Mac.2.41. utique casum necessitatis à rigore legis exceptum censentes. Ad hunc ergo modum homines mollitiei addicti, & principijs Caramuelicis imbuti, persuadebunt sibi, mollitiem licere, non obstante positivo Dei præcepto, quando alioquin ingrueret vitæ periculum. Quòd si his objicias, prædicta flagitia catenùs adversari juri naturæ, quatenùs nata sunt impedire ne contrahantur matrimonia, quæ tamen sunt juris naturæ: Respondebunt ipsi ex Doctrina Caramuelis, neque illa impedire ne contrahantur matrimonia, neque matrimonia esse juris naturæ. Primum horum, inquit Caramuel ibid. n. 1604. *demonstrant Mahumetani, quibus non solùm mollities permissa, sed & sodomia tolerata: & tamen non fugiunt matrimonia, sed potiùs tot uxores ducunt, quot a ere possunt.* Secundum quoque præoccupat idem Caramuel, ibidem evestigio subdens: *Sed esto sit bona consequentia, Mollities permittitur, ergo matrimonia non erunt: quis ostendet esse malum natura, quòd nulla dentur matrimonia? Multa fuerunt Respublicæ, quæ benè gubernari credita, & tamen caruère matrimonijs. Græcam reformare contendebant excellentissimi Philosophi; & inter alias politicas hypotheses uxorum communionem posuerunt: asserentes, matrimonia non solùm non esse utilia, sed & politico statui perniciosa.* At profectò non potuisset Caramuel planiùs aut efficaciùs absurditatem suę sententię detegere, quàm conando eam exemplis tam spurcis, atque ab humanæ rationis dictamine alienis, stabilire. Quis non hìc usurpet vulgare adagium, *Dignum patellâ operculum*, dum cernit corruptelas Mahumetanorum, & Platonicæ Reipublicæ civium, in scenam proferri; ut suo suffragio subveniant Doctori Christiano asserenti, *mollitiem nunquam ex sua natura esse malam, sapè esse bonam, & aliquando obligatoriam sub peccato mortali?* Vidit sanè Caramuel quàm parùm promoverit causam suam prædictis exemplis, tam spurcis, tam horridis, tam barbaris: & ideò subsidium aliundè conquirens, subdit ibidem n. 1606. *Sed & dicta adhuc fortiùs urgebo: Proximiùs ad generationem & nativitatem accedit embrio & infans ipse nondum natus, quàm semen: Atqui potest gravida parens contra ANIMATVM FOETVM procedere, si aliter vitam conservare non possit: Ergò à fortiori posset contra semen, si solammodo considerentur rationes naturales.* O quàm abjecta, misera, desperata debet esse causa, cui fulciendæ necessarium est non modò Mahumetanorum, & Platonicæ Reipublicæ civium suffragium, sed & parricidarum, struthione crudeliorum, patrocinium! Crudeles vocat Deus matres, quæ struthionum more curam fovendarum prolium exuerint: *Filia populi mei*, inquit, *crudelis, quasi struthio in deserto.* Cujus comparationis ratio colligi potest ex libro Job, ubi de struthione legitur, quòd *derelinquat ova sua in terra*, & *obliviscatur quòd pes conculcet ea, aut bestia agri conterat*: & quòd *duretur ad filios suos, quasi non sint sui.* Struthione crudeliores facit Caramuel matres gravidas, quas non solùm adversùs *embrionem*, sed adversùs ipsum quoque *animatum fœtum* utero clausum armat, tanquam adversùs hostem violenter aggredientem: cùm nihil aliud ille agat, quàm quod in loco sibi à natura consignoto resideat. Verùm quæ supra §.417. dicta sunt de Inanimati fœtus abortione, pari vel fortiori jure adversùs hanc Caramuelis positionem militant.

Vide Sotum in 4. Distin. 26. q. 1. a. 1.

Thren.4.

Job 39.14. & seq.

CDXXIV. Sed nec consequentia valet, quam ille ad mollitiem ab abortione format: in mollitie enim immiscetur libidinosa delectatio, quæ in abortione nequaquam intervenit; ut proinde etiamsi abortio esset licita, consequens non sit mollitiem fore licitam. Tam vehemens enim & exorbitans est ea delectatio quę in effusione seminis genitalis sentitur, ut contra rationem sit eam unquam spontè admittere, citra usum legitimi conjugij: V. Neque enim, teste Magno Basilio, vehementior ulla violentiorve humanis corporibus insita reperiri potest libido, quàm maris cum fœmina, & fœminæ vicissim cum mari, conjunctionis appetitus. Neque id mirum omninò: nam cùm is mortalium generi ad propagandam sobolem divinitùs esset datus, consentaneum fuit, ut quod omnium in se functionum caput contineret, huic vehementior etiam, quasi impetus, vis quædam esset adjuncta". Hunc itaque violentissimum impetum spontè sibi Imprimere, vel in se admittere, citra usum conjugij, nunquam non est inordinatum. Nam ut Augustinus ait, W. Malè utitur homo membris bonis quando consentit eis, quæ in nobis habitant, cupiditatibus malis: in quibus libido præ cæteris turpis est, cui nisi resistatur, horrenda immunda committit. Quo malo benè non utitur, nisi sola pudicitia conjugalis". Imò verò nec ipsa conjugalis pudicitia unquam eo malo uti vellet, si absque ejus pruritu sobolem propagare posset. Unde & idem ipse Augustinus lib. 14. de Civit. cap. 16. ait: "Cùm sint multarum libidines rerum, tamen

V. Basil. in Præfat. ad Constitut. Monast. Vide Lactan. lib. 6. cap. 23.

W Aug. l. 4. contra Iul. cap. 5. Vide ibid. l. 5. c. 12.

cùm

Vide Divum Thom. 2. 2. q. 153. a. 1. ad 3. & q. 15. de Malo a. 4. in corp. „ cùm *libido* dicitur, nec cujus rei sit libido „ additur, non ferè assolet animo occurrere „ nisi illa, quâ obscœnæ partes corporis excitantur. Hæc enim sibi non solùm totum „ corpus; nec solùm extrinsecùs, verùmetiam „ intrinsecùs vendicat, totumque commovet „ hominem, animi simul affectu cum carnis „ appetitu conjuncto atque permixto, ut ea „ voluptas sequatur, quâ major in corporeis „ voluptatibus nulla est: ita ut momento „ ipso temporis, quo ad ejus pervenitur extremum, penè omnis acies & quasi vigilia „ cogitationis obruatur. Quis autem amicus „ sapientiæ sanctorumque gaudiorum, conjugalem agens vitam, sed, sicut Apostolus 1. Thess. 4. 4. & 5. „ monuit, *Sciens vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in morbo desiderij, sicut gentes quæ ignorant Deum*, non mallet, si posset, „ sine hac libidine filios procreare: ut etiam „ in hoc serendæ prolis officio, sic ejus menti „ ea quæ ad hoc opus creata sunt, quemadmodùm cætera suis quæque operibus membra servirent; nutu voluntatis acta, non „ æstu libidinis incitata"? Et Serm 63. de Diversis cap. 14." Qui liberorum procreandorum causâ habent uxores magni viri, „ quales fuisse Patres legimus & multis documentis invenimus, clamantibus omninò sine „ dubitatione paginis sanctis: si qui ergo viri „ propter procreationem tantummodò liberorum uxores habent, si eis posset præstari „ ut haberent filios, sine concubitu, nonne „ ineffabili gaudio tantum beneficium amplectentur? Nonne cum ingenti lætitia susciperent"? Idem rursùs lib. 4. contra Julianum cap. 14. ait eidem Juliano libidinis patrono: "Illa pro qua mecum tantis contentionibus litigas, etiam quando ad eam bonâ „ intentione, hoc est, causâ propagandæ prolis, acceditur; tamen in ipso opere, quem „ permittit aliquid non dico sapientiæ, sed Vide Aug. l. 5. contra Iul. c. 10. „ cujuslibet rei aliud cogitare? Nonne illi totus animus & corpus impenditur, & ipsius „ mentis quâdam submersione illud extremum ejus impletur? Cùm verò vincit etiam „ conjugatos, ut non propagationis sed carnalis delectationis cupiditate misceantur, 1. Cor. 7. 6. „ quod Apostolus *secundùm veniam non secundum imperium* se dixisse testatur; ita hinc emergitur, & quasi in auram cogitationis post illum „ gurgitem respiratur, ut fiat consequens „ quod verum ait quidam, *Et pœnitendi quæ est cum voluptate vicinitas!* Quis ergo amator spiritalis boni, etiam solâ causâ sobolis conjugatus, non mallet vel fine istâ, si posset, Vide Aug. l. 5. contra Iulian. c. 12. „ vel sine tam magnâ vi ejus, filios procreare". ? Confirmat Augustinus hanc doctrinam suam ibidem subsequenter authoritate Philosophorum etiam gentilium, qui ductu naturalis rationis agnoverunt & literis prodiderunt dissonantiam libidinis cum humanâ naturâ, & pugnantiam cum studio sapientiæ, quo nihil est eidem naturæ magis consentaneum. Inter quos Tullius, Platonem citans sic scribit in Hortensio: "An verò voluptates Cicero. Vide eund. lib de Senectute & Aug. lib. 14. de Civitate cap. 19 Vide Divum Thom. 2. 2. q. 153. a. 3. & q. 159 a. 4. & 5. & q. 15. de Malo a. 4. „ corporis expetendæ, quæ verè & graviter „ à Platone dictæ sunt *illecebræ esse atque escæ malorum*? Quæ enim confectio est valetudinis, quæ deformatio coloris & corporis; „ quod turpe damnum, quod dedecus, quod „ non evocetur atque eliciatur voluptate? „ Cujus motus ut quisque est maximus, ita est „ inimicissimus Philosophiæ. Congruere enim „ cum cogitatione magna voluptas corporis „ non potest. Quis enim cùm utatur voluptate eâ, quâ nulla possit major esse, attendere „ animo, inire rationem, cogitare omninò „ quidquam potest? Quis autem tantus est „ gurges; qui dies & noctes sine ullâ minimi „ temporis intermissione velit ita moveri „ suos sensus, ut moventur in summis voluptatibus? Quis autem, bonâ mente præditus, non mallet nullas omninò nobis à naturâ voluptates datas"? Democritus coitum Democritus vocabat *parvam epilepsiam*, prout de ipso refert Clemens Alexandrinus: [x] Ex coitu, ait ille, x. Clemens Alexan. l. 2. Pædog. c. 10. Vide Hierō. lib. 2. cont. Iovin. c. 7. & Aulum Gellium lib. 19. cap. 2. & Macrob. l. 2. Saturn. c. 8. „ videri possunt nervi tanquam stamina differri, & in vehementi congressûs intensione „ disrumpi. Iam verò offundit etiam caliginem sensibus, robur quoque interrumpit; „ Patet hoc & in animantibus rationis expertibus, & in ijs quæ in exercitatione versantur corporibus: quorum hi quidem qui „ abstinent, in certaminibus superant adversarios; illa verò à coitu abducuntur, atque „ adeò vix circumaguntur & trahuntur, omnibus viribus & omni animi impetu persectè exinanita, *Parvam epilepsiam* dicebat *coitum* Sophista Abderites". Ecce quemadmodùm coitus, sive generatim omnis venerea seminis genitalis effusio, non tantùm hebetat mentem, sed ipsum quoque corpus evigorat: unde non desunt qui eò referant Apostolicum illud oraculum, *Qui fornicatur, in corpus suum peccat*: cujus oraculi varias interpretationes cernere licet apud Isidorum Pelusiotam lib. 4. Epist. 129. Quibus pro præsenti omissis, lubet audire Augustinum, ex eodem ipso Apostoli oraculo sententiam suam de venereæ libidinis immoderantia confirmantem: 1. Cor. 6. 18. Isid. Pelus. [T.] Videtur Beatus Apostolus, inquit ipse, in quo loquebatur Christus, exaggerare voluisse fornicationis malum super T. Augustin. Fragmen 9. Vide Bedā, Raban. Haymonem, Anselmum, D. Thom. & Estium in cap. 6 prioris. ad Corinthios. & Ambrosiast. ibidem. „ cætera omnia peccata, quæ etsi per corpus „ committantur, non tamen ita animum humanum concupiscentiæ carnali efficiunt obstrictum & obnoxium, quemadmodùm in „ solo opere fornicationis corporalis commisceri facit animum vis ingens libidinis, „ cum ipso corpore, & unum cum ipso quodammodò

quammodò agglutinari, & devinctum esse: intantùm, ut nihil aliud ipso momento & experimento hujus tam magni flagitij cogitare homini liceat aut intendere, nisi quòd sibimet addicit mentem, quam captivam subdit ipsa submersio: ut quodammodò videatur dictum esse, *Qui autem fornicatur, in corpus proprium peccat*, quia tunc fit propriè & familiariter servum corporis cor hominis fornicantis, maximè in tempore ipsius nequissimæ operationis: intantùm, ut ipse Apostolus inculcatiùs volens commendare cavendum hominibus hoc malum, dixerit,

2. Cor. 7. 11.

Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? & execrans atque detestans responderit,

Ibid. v. 16.

Absit: An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus est? Erunt enim, inquit, *duo in carne unâ.* Nunquid hoc posset dici de alijs atque alijs quibuscunque facinoribus hominum? Liberum est enim animo humano in alijs quibuscunque sceleribus & unum aliquid eorum operari, & eo ipso tempore alibi cogitatione distendi: quod in fornicationis ipso opere, atque tempore, non licet animo ad aliud aliquid cogitandum liberum esse. Sic enim totus homo absorbetur ab ipso & in ipso corpore, ut jam dici non possit ipse animus suus esse, sed simul totus homo dici possit quòd *Caro sit, & spiritus vadens & non rediens*". Et rursùs ibidem aliquantò inferiùs: " *Fornicatione*, inquit, *in corpus proprium peccari* rectè intelligitur, quia nusquam sic totus homo corporis ipsius voluptati addicitur, & ineffabiliter vel inevitabiliter affigitur, ut in comparatione hujus tanti mali cætera peccata *extra corpus* esse videantur, etiamsi per corpus exerceantur: quemadmodùm solius fornicationis vis quædam imperiosæ libidinis conditioni suæ subdit, propriumque ipsius corporis mancipium pessimum facit, tempore maximè ipsius immundissimæ operationis; ut aliud quid, præter quod agit in ipso corpore, non sit liberum humanæ menti vel cogitare, vel intendere". Ex quibus omnibus liquidò apparet, non esse consequens, ut si excussio fœtus voluntario abortu procurata liceat, effusio seminis voluntariâ pollutione facta excusetur. Ardor quippe libidinis humanam mentem inebrians, & corpori mancipans, inficit mollitiem, & non abortionem: neque enim abortio fit cum libidinis pruritu, sed potiùs cum doloris cruciatu. De quo libidinis pruritu Augustinus alibi loquens: [Z] Nihil esse sentio, inquit, quod magis ab arce dejiciat animum virilem, quàm blandimenta fæminea, corporumque ille contactus, sine quo uxor haberi non potest". Unde in libro de peccato originali cap. 38. asseverat homines malè uti membris genitalibus, " Non solùm in omnibus illicitis corruptelis, verùm etiam in ipsis conjugibus, quando non propagandi voluntate operam creandis filijs impendunt, sed lasciviendi voluptate exaturandæ cupidini inserviunt".

Psal. 77. 38.

Z. August. l. 1. Soliloq. cap. 10. Vide Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 66 & Fulgent. Epist. 1. c. 4.

CDXXV. Cùm igitur Caramuel in suo argumento & falsum assumat, & perperàm concludat: quid superest, nisi ut ejus laxitate ab auribus mentis & corporis repulsâ, persuasum habeamus cum Augustino, [A] Flagitia quæ sunt contra naturam VBIQVE AC SEMPER DETESTANDA ATQVE PVNIENDA ESSE, qualia Sodomitarum fuerunt: quæ si omnes gentes facerent, eodem criminis reatu divinâ lege tenerentur; quæ non sic fecit homines, ut se illo uterentur modo: violatur quippe ipsa societas, quæ cum Deo nobis esse debet, quùm eadem natura cujus ille author est, libidinis perversitate polluitur"? Quem Augustini locum corpori Juris Canonici habemus insertum cap. *Flagitia* 32. q. 7. eodemque utitur D. Thomas ad probandum, quòd [B] *in peccatis contra naturam, in quibus ipse ordo naturæ violatur, fiat iniuria ipsi Deo, ordinatori naturæ*. Qui & ibidem in corpore Articuli præmiserat: " Sicut in speculativis error circa ea quorum cognitio est homini naturaliter indita, est gravissimus & turpissimus: ita in agendis, agere contra ea quæ sunt secundùm naturam determinata, est gravissimum & turpissimum. Quia ergo in vitijs quæ sunt contra naturam, transgreditur homo id quod est secundùm naturam determinatum circa usum venereum, inde est quòd in tali materia hoc peccatum est gravissimum". Mirum sanè est, ausum fuisse C[illegible]m asserere hæc peccata nequaquam ex natura sua, sed ex superveniente duntaxat Dei positivo decreto malitiam habere: cùm passim apud omnes, doctos pariter & indoctos, communi consensu, ne ipso quidem dissentiente, antonomasticè dicantur *peccata contra naturam*: ideò utique, quia adversantur humanæ naturæ non solùm secundùm specificum gradum humanitatis, sed etiam secundùm genericum gradum animalitatis. [C] Manifestum est, inquit idem alibi, " quòd secundùm naturæ intentionem commixtio sexuum in animalibus ordinatur ad actum generationis. Unde omnis commixtionis modus, ex quo generatio sequi non potest, est contra naturam hominis inquantùm est animal". Præmiserat quoque ibidem rationem, ob quam ejusmodi peccata ab Apostolo dicta sint *passiones ignominiæ*: " Peccata contra naturam, inquiens, dicuntur *passiones*, secundùm quod propriè *passio* dicitur ex eo, quòd aliquid trahitur extra ordinem suæ naturæ: puta quùm aqua calefit, aut cùm homo infirmatur. Unde quia per hujusmodi

A August. lib. 3. Confess. cap. 8.

B. D. Thom. 2. 2. q. 154. a. 12. ad 1.

C. Idem in caput 1. ad Romanos Lect. 8. Vide q. 15. de Malo a. 1. ad 7.

Rom. 1. 26.

peccata

Rom. 7. 5. Vide Innoc. 3 lib. 2. de contemptu mundi c. 24. & 25. Ephes. 5. 12.

peccata homo recedit ab ordine naturali, convenienter dicuntur *passiones* infrà cap. 7. *passiones peccatorum*. Dicuntur autem *passiones ignominiæ*, quia non sunt nomine digna, secundùm illud Ephes. 5. *Quæ ab eis aguntur in occulto, turpe est & dicere.* Si enim peccata carnis communiter exprobrabilia sunt, quia per ea homo deducitur ad id quod est bestiale in homine, multò magis peccatum contra naturam, per quod homo à natura etiam bestiali decidit ". Quis audeat dicere, illud posse ex natura rei esse *bonum* homini *& obligatorum sub peccato mortali*, quod deprimit humanam naturam non solùm infra gradum suum, sed etiam ultra gradum jumentorum? Laudat Augustinus Ciceronem asserentem, D. *Se non putare idem esse arietú, & publij Africani bonum.* Addit porrò Augustinus ibidem continuò ad Julianum, libidinis patronum, hanc apostrophen : ". Quâ magis sententiâ te oportuit admoneri, quid de humana libidine sentire deberes ". Alibi quoque idem ipse ait: E. Tantæ excellentiæ est in comparatione pecoris homo; ut vitium hominis natura sit pecoris ". Quod cùm ita sit, profectò fieri nequit quin vitium hominis sit, deprimi infra naturam pecoris: quod tamen fit, quoties homo se flagitijs contra naturam polluit; prout ex D. Thoma Apostolum interpretante mox audivimus. Qui & alibi de luxuria tractans: F. Peccatum luxuriæ, inquit, dupliciter habet inordinationem: uno quidem modo ex parte concupiscentiæ, & talis inordinatio non semper facit peccatum mortale: alio modo ex parte ipsius actûs, qui DE SE est inordinatus, & sic [illegible] est peccatum mortale: & ideò ex hac parte; ex qua est major gravitas peccati, sumuntur species luxuriæ. Est autem actus luxuriæ inordinatus aut ex hoc, quòd non potest sequi ex actu generatio prolis, & sic est vitium contra naturam: aut ex eo, quòd non potest sequi debita educatio, quia scilicet mulier non est determinata viro; ut sit sua secundùm legem matrimonij". Et superiùs ibidem art. 1. in Corpore: " Luxuria, inquit, quandoque importat solam inordinationem interioris concupiscentiæ, sicut patet in eo qui ex immoderata concupiscentia accedit ad uxorem suam: tunc enim ipse accessus non est inordinatus secundùm se, sed solum secundùm quod procedit ex inordinata concupiscentia. Quandoque verò cum inordinatione concupiscentiæ est etiam inordinatio ipsius actûs exterioris secundùm seipsum, sicut contingit in omni usu membrorum genitalium præter matrimonialem actum. Et quòd omnis talis actus sit inordinatus SECUNDUM SEIPSUM, apparet ex hoc quòd omnis actus humanus dicitur esse inordinatus; qui non est proportionatus debito fini; sicut comestio est inordinata si non proportionetur corporis salubritati, ad quam ordinatur sicut ad finem. Finis autem usûs genitalium membrorum est generatio & educatio prolis: & ideò omnis usus prædictorum membrorum, qui non est proportionatus generationi prolis, & debitæ ejus educationi; est SECUNDUM SE inordinatus. Quicunque autem actus prædictorum membrorum est præter commixtionem maris & fœminæ, manifestum est quòd non sit accommodus generationi prolis: omnis verò commixtio maris & fœminæ præter legem matrimonij; est improportionata debitæ prolis educationi. Est enim lex matrimonij instituta ad excludendum vagos concubitus, qui contrariantur certitudini prolis: si enim quilibet posset indifferenter ad quamlibet accedere, quæ non esset sibi determinata, tolleretur certitudo prolis, & per consequens sollicitudo patris circa educationem filiorum; & hoc est contra id, quod convenit naturæ humanæ.". Inferiùs item articulo 2. in corpore addit, quòd quando actus luxuriæ est peccatum propter ipsam inordinationem actûs, quia scilicet actus non est proportionatus generationi & educationi prolis; tunc semper est peccatum mortale. Videmus enim quòd peccatum mortale est non solùm homicidium, per quod vita hominis tollitur, sed etiam furtum, per quod subtrahuntur exteriora bona, quæ ad vitam hominis sustentandam ordinantur: unde dicitur Eccli. 34. *Panis egentium vita pauperis, qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Propinquiùs autem ad vitam hominis ordinatur semen humanum, in quo est homo in potentia, quàm quæcunque res exteriores: unde & Philosophus in sua Politicâ dicit, *In semine hominis esse quiddam divinum*, inquantùm scilicet est homo in potentia. Et ideò inordinatio circa emissionem seminis est circa vitam hominis in potentia propinqua: unde manifestum est quòd omnis talis actus luxuriæ sit peccatum mortale ex genere suo". Notanda quoque in hanc rem est ista ejusdem sententia 2. 2. q. 110. art. 3. in Corpore, licèt aliâ occasione prolata: " Quod est secundùm se malum ex genere, nullo modo potest esse bonum & licitum: quia ad hoc quòd aliquid sit bonum, requiritur quòd omnia rectè concurrant: *Bonum enim est ex integrâ causa. malum verò ex singulis defectibus*, ut Dionysius dicit 4. de Divinis nominibus. Mendacium autem est malum ex genere, est enim actus cadens super indebitam materiam. Cùm enim voces naturaliter sint signa intellectuum, innaturale est & indebitum quòd aliquis

D. Cicero apud Aug. lib. 4. cont. Jul. cap. 72. Vide Gelliú l. 19. cap. 2.

E Aug. l. De Pecc. Orig. cap. 40. [illegible] Petrú [illegible] serm. 44.

F D. Thom. q. 15 de Malo art. 2. in corp.

Eccli. 34, 25.

aliquis voce significet id, quod non habet in mente". Quæ doctrina, & probatio omninò consona est Augustino, qui in Enchiridio ait:

G. August. Enchir. cap. 22.

G. "Verba propterea sunt instituta, non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. Verbis igitur uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est". Ita illi, de mendacio quidem ex professo differentes, sed tamen eadem operâ insitam naturaliter luxuriæ malitiam astruentes. Sicut enim verba ex sua natura ordinantur ad manifestationem mentis, ita semen genitale ad propagationem stirpis: adeoque sicut uti verbis ad fallaciam est peccatum contra ordinem naturæ; ita uti semine ad sterilem lasciviam est peccatum contra ordinem naturæ. Quapropter tam est impossibile ut mollities aut sodomia congruant naturæ humanæ, quàm est impossibile ut mendacia congruant eidem naturæ humanæ.

PRÆOCCUPATIO.

Nec refert quod possit mollities aut sodomia alicui ad sanitatem corporis prodesse. Potest enim & mendacium alicui similiter ad sanitatem corporis, imò ad salvandam vitam, alioqui perdendam, prodesse. Si ergo id non sufficit ut mendacium dicatur aliquando licere, profectò non sufficiet ut mollities aut sodomia dicantur aliquando licere. Undè Augustinus ibidem continuò subdit: "Nec ideò ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo. Possumus enim & furando aliquando alicui prodesse, si pauper cui palàm datur sentit commodum, & dives cui palàm tollitur non sentit incommodum: nec ideò tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum. Possumus & adulterando prodesse, si aliqua, nisi ad hoc ei consentiatur, appareat amando moritura; & si vixerit, pœnitendo purganda: nec ideò peccatum negabitur esse tale adulterium". Quod si ita est de adulterio, quantò magis de flagitijs contra naturam, quæ immaniora sunt adulterio? Sed quoniam in adulterij mentionem incidimus, non est subticenda illa Evodij de eo ad Augustinum responsio:

H Apud Augustin. l. 1. de lib. arbit. cap. 3.

H. *Non sanè ideò malum est, quia vetatur lege; sed ideò vetatur lege, quia malum est.* Quis autem ambigat hanc responsionem potiori jure locum habere in ijs flagitijs, quæ antonomasticè nuncupantur *contra naturam*? Per hæc enim, ut ex Divo Thoma superius retulimus, *homo recedit ab ordine naturali.* Unde fieri nequit, quin legi æternæ adversentur, quæ, teste Augustino,

I. Aug. l. 22. cont. Faust. cap. 27.

I *Ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat.* Illi enim naturæ ordo sicut cibum destinat ad sustentationem corporis, ita & semen ad propagationem debitè educandæ sobolis, dicente alibi eodem Augustino: K. "Quod est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis: & utrumque non est sine delectatione carnali. Quæ tamen modificata, & temperantiâ refrænante in usum naturalem redacta, libido esse non potest. Quod est autem in sustentanda vita illicitus cibus, hoc est in quærenda prole fornicarius vel adulterinus concubitus: & quod est in luxuria ventris & gutturis illicitus cibus, hoc est in libidine nullam prolem gerente illicitus concubitus: & quod est in cibo licito, nonnullus immoderatior appetitus, hoc est in conjugibus venialis concubitus. Sicut ergo satius est mori fame, quam idolothytis vesci, ita satius est defungi sine liberis, quàm ex illicito coitu stirpem quærere".

K August. lib. de bono conjug. cap. 16. Vide Serm. 63. de Diversis c. 14.

Qui dicit *satius esse mori fame, quàm idolothytis vesci*, proculdubiò censet satius esse vel centies mori quovis morbo, quàm libidine contra naturam pollui quovis modo; sive nimirum per mollitiem, sive per sodomiam, aut bestialitatem; *quæ* juxta Apostolum *turpe est etiam dicere*: ideò utique quia natura adeò sensibiliter ea exhorret, ut absque rubore audire eorum, vel nuda nomina nequeat.

Ephes.

Hinc D. Thomas cum quasdam alias luxuriæ species commemorasset, adjecit: L. *Sed quia luxuria contra naturam est innominabilis, relinquatur.* Et quid mirum si hujusmodi luxuriam dixerit ille *innominabilem*, cùm etiam de fornicatione scripserit Apostolus, *Fornicatio nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos?*

L D. Thom. in 4. D. 41. ad

Ibid. v. 3.

M. "Sunt enim, teste Philosopho, nònnulli affectus qui continuò nomine suo sunt cum pravitate connexi, ut malevolentia, ut imprudentia, ut invidentia: & actus itidem, ut adulterium, furtum, homicidium. Hæc enim universa, & talia, ita dicuntur, quia ipsa sunt prava, & non solæ exuperationes eorum, atque defectus. Circa talia igitur nullum est tempus rectè agendi, sed semper delinquitur. Neque fit ut quisquam benè vel malè quidquam talium agat, qui cùm oportet, & quando, & ut oportet adulterium committendo; sed simpliciter quicquid istorum efficiatur, delinquitur".

M Aristot. lib. 2 Ethic. cap. 6.

Hæc Philosophus ille, unus de *nationibus, quibus judicia sua non manifestavit Deus,* nisi quatenùs legem naturæ unicuique menti rationali insculpsit; cujus magisterio, quid sibi connaturaliter congrueret disconcrueretve, dignoscat:

Ps. 14[illegible]

N. "Sunt enim apud nos, ut ait Basilius, ipsæ virtutes secundùm naturam, ad quas habendas affinitas animæ non ex humana doctrinâ, sed ex ipsa natura nobis inesse videtur. Etenim ut nulla oratio, nulla doctrinæ ullius formula nos edocet morbum odisse, sed ex nobis ipsis ea quæ dolorem efficiunt reprehendimus, aversamur, horremus; sic & in anima quædam inest naturalis, & citra doctrinam ullam,

N Basil. Homil. 9. H[illegible] em. Vide [illegible] fost. 66. in Genesim. & [illegible] 24. Matth.

evitatio

"evitatio mali; siquidem malitia est animæ ægritudo, & ex adverso virtus rationem obtinet sanitatis".

CDXXVI. Non est hoc loco prætereundus Articulus iste, quem Schola Lovaniensis anno 1653. ad instantiam Archiepiscopi Mechliniensis censuravit, ordine tertium inter septemdecim: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium: adeóque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.* Quem errorem jam olim Apostolus jugulavit dicendo, *Quæ sub viro est mulier; vivente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur ADULTERA si fuerit cum alio viro, si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera si fuerit cum alio viro.* Ubi clarè Apostolus nihil amplius exigit ad hoc ut mulier alteri mixta dicatur *adultera*, quàm ut *vivat vir ejus*. Vivit autem vir, qui consentit in copulam suæ uxoris cum alio: Ergo talis uxor ex Apostoli doctrinâ dici debet *adultera*, ejusque copula *adulterium*. Neque enim Apostolus ait, Vivente & non consentiente viro: sed simpliciter, *Vivente viro vocabitur adultera si fuerit cum alio viro.* Nec ait, Si vel mortuus fuerit, vel non consenserit vir ejus: sed simpliciter, *Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera si fuerit cum alio viro.* Sola igitur mors viri liberat uxorem à lege viri, *ut non sit adultera si fuerit cum alio viro.* Si autem sola mors, procuidubiò non mariti viventis assensus: [O] *Adulterium*, inquit D. Thomas, *sicut ipsum nomen sonat, est accessus ad alienum thorum.* Quid est autem ad alienum thorum accedere, nisi alienæ uxori misceri? Et quid est uxor aliena, nisi mulier alteri viro per conjugij legem alligata? [P] *Mulier*, inquit ex Apostolo Augustinus, *alligata est, quamdiu vir ejus vivit.* Ergò consequenter & vir alligatus est, quamdiu mulier ejus vivit. Hæc alligatio facit, ut alijs conjungi sine ADULTERINA copulatione non possint". Sicut ergo, velint nolint conjuges, manet ista alligatio semel introducta ac consummata, ita velint nolint ijdem; nequeunt sine adulterina copulatione alijs commisceri. Adulterina quippe copulatio, ut ex D. Thoma mox audivimus, nihil est aliud quàm *ad alienum thorum accessus.* [Q] "Omnia, inquit Tertullianus, indiscreta sunt apud nos (*Christianos*) præter uxores: in isto loco consortium solvimus, in quo loco cæteri homines consortium exercent; qui non amicorum solummodò matrimonia usurpant, sed & sua amicis patientissimè subministrant: ex illa, credo, Majorum & Sapientissimorum disciplinâ, Græci *Socratis*, & Romani *Catonis*, qui uxores suas amicis communicaverunt, quas in matrimonium duxerant liberorum causâ etiam alibi creandorum, nescio quidem an invitas. Quid enim de castitate curarent, quam mariti tam facilè donaverant? O sapientiæ Atticæ; & Romanę gravitatis exemplum! Leno est Philosophus; & Censor". De veteribus Gnosticis loquens Epiphanius: [R] "Larga, inquit, & opipara edulia, carnis esum & vini potum apponunt, etiamsi pauperes fuerint. Ex hoc autem ubi compotaverint, & venas satietate impleverint, ad œstrum se convertunt: & vir quidem concedens uxorem alteri, ait ad ipsam, *Surge, & fac dilectionem cum fratre*". An eòusque prolabemur, ut ista Gnosticorum flagitia excusemus à labe adulterij? [S] "In civitate Domini, inquit Augustinus, in monte sancto ejus, hoc est, in Ecclesia, nuptiarum non solùm vinculum, verùmetiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere: quod in Republica tunc Romana non solùm minimè culpabiliter, verùmetiam laudabiliter *Cato* fecisse perhibetur. Neque hinc diutiùs modo disputare opus est; cùm illi quibus respondeo non audeant affirmare nullum hoc esse peccatum, neque negent esse *adulterium*; ne ipsi Domino, sanctoque Euangelio, apertè convincantur obsistere". Præmiserat quoque superiùs ibidem c. 1. de ijsdem: "Negare non possunt esse *adulterium*, quod Veritas adulterium esse sine ambage confirmat". Ubi alludit ad illam Christi sententiam de uxore à marito dimissâ, *Qui dimissam duxerit, adulterat*: sive ut est apud Lucam, *Qui dimissam à viro ducit, mœchatur*: [T] "Quomodò mœchatur, inquit alibi idem Augustinus, nisi quia illa quam duxit, eo vivente à quo dimissa est, adhuc uxor aliena est? Si enim jam suæ, non alienæ miscetur uxori, utique non mœchatur: Mœchatur autem: Aliena est ergo cui miscetur". Nulla hìc habetur mentio consensus mariti, sed solùm attenditur an aliena sit uxor: & meritò, quia *Adulterium, sicut ipsum nomen sonat, est accessus ad alienum thorum.* Sola ergo alienitas thori attendenda est, quandò de adulterio quæstio vertitur. Consensus itaque mariti ad hoc servire potest, non ut uxorem aut ejus complicem ab adulterij flagitio expurget; sed ut ipsum etiam maritum eodem crimine involvat, juxta illud Apostoli: *Qui talia agunt, digni sunt morte: & non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Et hoc non solùm habet locum durante vinculo matrimonij consummati, sed vel rati. Unde Innocentius III. rescribens Præposito Magdeburgensi: [V] "Ex parte tua, inquit, fuit propositum, quòd quidam cum muliere quadam legitimè per verba de præsenti contraxit, quam postmodùm A SE INCOGNITAM, cuidam consanguineo suo tradidit, inquantùm potuit renitentem. Ille verò

Articulus Lovanij reprobatus. Vide Aug. l. 2. de Adulter. conjugijs c. 8. 4. & 5. Rom. 7. 2. & 3.

O D. Thom. 2. 2. q. 154. a. 8. in corp.

P Aug. l. 2. de Adulter. conjugijs c. 5.

Q. Tertull. in Apolog. c. 39.

Vide Plutarchum in vita Catonis Minoris. R. Alexandrum ab Alex. lib. 1. Genialium cap. 24.

R. Epiphan. Hæresi 26.

S. Aug. l. de Fide & Operib. cap. 7.

Mat. 5. 32.

T. Aug. l. 2. de Adulter. conjugijs cap. 12.

Vide Divum Thomam hic supra.

Rom. 1. 32.

V. Innocent. III. c. Discretionem, De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ. Vide Sixtum V. Constit. 46 adversus Lenones § 7.

„ cum ipsa, licèt invitâ, matrimonij solemnia „ celebravit : sed mulier, quàm citò fuit red- „ dita libertati, aufugit ab eo, & se priori „ viro restitui postulavit. Nos igitur inquisi- „ tioni tuæ taliter respondemus, quòd & viro „ pro tam turpi facinore gravis est pœniten- „ tia injungenda, & mulier propter publicam „ honestatem est monenda sollicitè, ut nec pri- „ mum repetat, cujus consanguineus eam li- „ cèt invitam cognovit; nec redeat ad secun- „ dum, cui non potest præter reatum ADVLTE- „ RII commisceri : sed in continentia maneat, „ donec prior fuerit viam vniversæ carnis in- „ gressus. Quòd si forsan ad id induci non po- „ tuerit, vir prior cogatur redire ad ipsam, & „ maritali eam affectione tractare: cùm ADVL- „ TERIVM ei non possit objicere, qui eam AD- „ VLTERANDAM tradidit, præsertim invitam". Hìc videmus copulam cum aliena uxore, à marito intactâ, & per eundem alteri traditâ, vocari à Pontifice *adulterium*, non semel, sed

PRÆOCCVPATIO.

secundò, imò & tertiò. An fortè prædictus Articulus eatenùs possit putari verus, quatenùs limitabilis est ad uxorem à marito retentam, sine extensione ad dimissam? Sed profectò si copula cum dimissâ sit adulterium, non potest copula cum retentâ non esse adulterium. Cùm enim copula cum dimissâ propterea sit adulterium, quia habetur cum personâ alteri matrimonialiter alligatâ; quis ambigat copulam cum retentâ esse adulterium, quippe quæ non minùs est cum personâ alteri matrimonialiter alligatâ? Nec potest peti disparitas ex parte consensûs mariti: tum quia, ut mox vidimus, hujusmodi consensus impertinenter se habet ad adulterij flagitium, nisi quòd consentientem involvat eodem flagitio, qui innoxius foret si non consentiret flagitio : tum etiam quia consensus ille prorsùs est invalidus & inanis, cum sit in rem non subjacentem potestati consentientis : nam potestas conjugum in mutua corpora non extenditur ultra usum proprium ipsorum inter se; adeoque dum alteruter tentat concedere alicui tertio usum sibi proprium, transcendit limites potestatis acceptæ : tum demùm quia conjugis dimissio videtur quædam virtualis dimittentis consensio, signanter si desit justa dimittendi

Matth. 5. 32.

ratio : *Omnis*, ait Veritas, *qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari* : Si autem *facit eam mœchari*, proculdubiò consentit saltem virtualiter in ejus mœchiam. Dicamus ergo cum Augustino

W. Aug. L. 2. de Adulterinis conjugijs c. 4.

Apostolum interpretante : W. Secundùm do- „ ctrinam sanam *mulier alligata est quamdiu vir* „ *ejus vivit*, id est, nondùm è corpore abscesserit : mulier enim sub viro, vivo marito, „ juncta est legi, hoc est, marito in corpore „ constituto. *Si autem mortuus fuerit*, hoc est, „ de corpore exierit, *evacuata est à lege viri*. „ *Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit* „ *cum alio viro : si autem mortuus fuerit vir ejus*, „ *liberata est à lege viri, ut non sit adultera si* „ *fuerit cum alio viro*. Hæc verba Apostoli to- „ ties repetita, toties inculcata, vera sunt, „ viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius „ viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi „ prioris esse desierit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus". Cùm igitur adulterium non sit aliud quidpiam quàm alieni thori violatio, nec conjunx possit ullo suo consensu efficere ut suus thorus non sit alienus comparatione cujusvis tertij; planum est non posse conjugem ullo suo consensu efficere quin accessus cujusvis tertij ad suam conjugem sit alieni thori violatio, atque adeò adulterium. Cæterùm cùm Augusti-

Vide Synod. Milevit. Canone 17. & Innoc. I. Epist. 3. c. 6.

nus hanc doctrinam tam operosè & asseverativè inculcet, atque Euangelicis Apostolicisque oraculis comprobet; nimis profectò in eum calumniosi sunt, qui contrariam ei eatenùs saltem affingunt, ut de ejus falsitate dubitasse eum contendant, occasione historiolæ quam de muliere quadam Antiochena memorat lib. I. de Serm. Domini in monte cap. 17. Neque enim de falsitate doctrinæ, sed historiæ dubitare se indicat, subdens ei hanc clausulam : *Nihil hìc in alteram partem disputo, liceat cuique æstimare quod velit : non enim de divinis authoritatibus deprompta historia est.* Præmisit quoque eidem historiæ hanc velut præfatiunculam, quâ non solùm suum, sed & publicum humani generis sensum super falsitate illius contrariæ doctrinæ expressit, dicens : " Utrùm quod ait Apostolus, *Mulier* „ *non habet potestatem sui corporis, sed vir : simi-* „ *liter & vir non habet potestatem sui corporis, sed* „ *mulier* : possit intantùm valere, ut permit- „ tente uxore, quæ maritalis corporis po- „ testatem habet, possit vir cum altera, quæ „ nec aliena uxor sit, nec à viro disjuncta, „ concumbere? SED NON ITA EST EXISTI- „ MANDVM; ne hoc etiam fœmina, viro „ permittente, facere posse videatur : QVOD „ OMNIVM SENSVS EXCLVDIT". Unicum adhuc dubiolum hìc superest, quod

X. Soto in 4. Dist. 27. q. 1. art. 4. Vide Divum Thom. in 4. Dist. 39. & in c. 7. ad Rom. Lect. 1. & in c. 11. ad Hebræos Lect. 7. & Henricum Quodlib. I. q. 17. & Quodlib. 3. q. 27. & Antonin. 3. p. tit. ... & Vigerium c. 7. ad Romanos. Hebr. 11. 35.

verbis Dominici de Soto proponere lubet, ac decidere : X. Arguitur, ait ille, quòd „ nec per mortem temporalem dissolvatur „ matrimonium. Nam si defunctus maritus „ restitueretur vitæ, ut *Lazarus*, apparet prio- „ ri uxori tunc esse restituendum, juxta ver- „ bum Pauli ad Hebræos 11. *Acceperunt mu-* „ *lieres de resurrectione mortuos suos*. Respon- „ detur, Absque dubio matrimonium per „ mortem dissolvi, ut Paulus ad Romanos 7. „ Author est : quia matrimonium contractus „ temporalis est; omnia autem temporalia vin- „ cula per mortem dissolvuntur. *Mulierum* „ autem nomen in authoritate inducta non

accipi-

„ accipitur pro uxoribus, accipientibus maritos; sed pro quibuscunque, recipientibus „ filios, aut alios sibi cognatos, & charos: ut „ de Sunamite & alijs lib. 3. & 4. Regum legitur, quibus *Elias & Helisæus* filios suscitarunt. Quare nulla est quorundam glossa, dicentium, *quòd dum mortuus post breve tempus „ suscitatur, non est illa propriè dicenda mors; & „ ideò non dissolvitur matrimonium*. Imò quæcunque separatio animæ à corpore sufficit ad illud dissolvendum". Habet se itaque matrimonium fidelium consummatum contrario modo ad testamentum: nam testamentum durante vitâ testatoris irritari potest; eo autem mortuo firmitatem acquirit; dicente Apostolo; *Ubi est testamentum, mors necesse est intercedat testatoris: testamentum enim in mortuis confirmatum est; alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est*. At verò matrimonium durante vitâ conjugum insolubile est; mortuo autem alterutro corruit: prout verba Apostoli Rom. 7. jam suprà hîc perpensa evincunt. Heb. 9. 16. & 17.

CAPUT. CXIII.

Voluptates sensuales novelli quidam laxitatum patroni propter seipsas expetibiles statuunt, præeuntibus Iuliano Pelagiano & Dinomacho Cyrenaico: sed refragrantibus Christianis Theologis, cum melioris notæ Philosophis; quorum suffragijs censura Namurcensis, ac Senonensis vindicatur. Duobus solis modis conjuges inculpatè coeunt, causâ nimirùm prolis procreandæ, & debiti conjugalis reddendi. Quinque corporis sensus sunt velut totidem humani cordis fenestræ, per quas mors ingreditur in penetralia nostra: & quinque porticus Piscinæ Probaticæ, in quibus multitudo jacet magna languentium: & totidem portæ mortis. Oculus prædo animæ. Omni custodiâ servandum cor. Cæteris vitijs obviandum est resistendo, lasciviæ autem non tam resistendo, quàm fugiendo. Inter omnia Christianorum certamina castitatis prælia sunt durißima, ubi quotidiana pugna, & rara victoria. Spadonis concupiscentia devirginat juvenculam. *Expenditur Euangelicum præceptum quo jubemur* oculum, *etiam* dextrum, scandalizantem eruere, atque à nobis projicere: *eoque refellitur Articulus iste laxorum Ethicorum Lovanij reprobatus*, Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali aut temporali nostro vel proximi: *nec non & iste eorundem, eidem consectaneus*, Nemo tenetur occasionem proximam peccandi vitare cum magno suo detrimento. Unde nec concubinarius tenebitur dimittere concubinam, quæ ipsi nimis utilis est ad lucrandum bona temporalia mediâ negotiatione; vel etiam ad oblectamentum concubinarij, vulgò REGALO; dum deficiente illâ nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno afficerent concubinarium, & alia famula ad id nimis difficilè inveniretur. *Referuntur ac refelluntur aliæ quædam neotericorum laxitates eòdem spectantes. Quid de fratre & sorore, occasione cohabitationis in domo paterna sese incestantibus, censeat Tamburinus? Quid item de famulis ob temporalem commoditatem obsequentibus in deferendis nuntijs, agendis excubijs, comitantibus heros libidini indulturos?*

CDXXVII. SUb initium superioris capitis indicavi, amplam admodùm esse materiam binorum istorum Decalogi præceptorum, quorum altero vetatur *mœchia*, altero *alienæ uxoris concupiscentia* Ibidem quoque non tacui, quàm varijs anfractibus impeti queat eorundem præceptorum vigor ac rigor ab ijs, qui humanæ libertinitati habenas laxare gestirunt

rint: quorum sanè in numero censendus fuerit ille, cujus assertionem Episcopus Namurcensis anno 1659. synodaliter proscripsit, ordine tertiam inter septemdecim, quas censuit *novas, perniculosas, & salutis animarum destructivas*: hanc nimirùm non minùs bruteam quàm brevem, *Voluptates sensuum licite appeti possunt propter se.* Ex quo principio promanasse videtur illa Joannis Sancij conclusio §. 421. relata: *Fines solius delectationis in conjugatu ne veniale quidem esse peccatum; sicut nec pulchrum prospectare campum, fragrantem tosam odoratu ob voluptatem admovere, suavi melodiæ aures liberas dare.* Ubi illa clausula *ob voluptatem*, in tertio membro expressa, subaudiri debet in secundo & quarto; intelligique cum additione particulæ exclusoriæ in primo membro expressæ, tanquam diceretur *ob solam voluptatem*: nisi enim sic intelligatur, frivola fuerit comparatio primi membri, cum tribus sequentibus. Sed non fuit Sancius istius sententiæ primus author, sed assertor; non inventor, sed renovator. Jampridem enim eam asseruerat Julianus Pelagianus, & ante hunc olim Dinomachus Cyrenaicus. Nolo dicere Epicurum, quia hic adeò voluptati favit, ut propter honestatem nihil, sed propter voluptatem omnia peragenda censuerit: quod non existimo censuisse Sancium: [T.] Obsecro ,, te, ait Juliano Augustinus, si Philosophos ,, nobis anteponere gestiebas, cur non potiùs ,, eos commemorasti, qui de moribus, quæ ,, pars Philosophiæ ab eis vocatur *Ethica*, quam ,, nos *Moralem* dicimus, solertissimè disputa-,, runt? Hoc enim tibi potissimùm congrue-,, bat, qui honestate quidem mentis inferius, ,, tamen bonum hominis esse censes corporis ,, voluptatem. Sed quis non quid prospexe-,, ris cernat? Ne scilicet in ipsa de voluptate ,, quæstione, unde tecum agimus, honestio-,, res Philosophi te obruerent; quos Cicero, ,, propter ipsam honestatem, *Consulares Philoso-,, phos* nuncupavit: & ipsi *Stoici* maximè, ini-,, micissimi voluptatis, quorum testimonium ,, ex persona *Balbi* apud Ciceronem disputan-,, tis, verum quidem, sed quod tibi nihil pro-,, desset, interponendum putasti: quòd autem ,, nullum hominis bonum censeant corporis ,, voluptatem cupiens abscondere, nulla de ,, quæstione morali nomina & dogmata Phi-,, losophorum, quod maximè ad rem pertine-,, bat si aliquid de Philosophis probandum ,, fuit, commemorare voluisti. Non enim te ,, adversùs istos defenderet, non dico *Epicurus*, ,, qui totum bonum hominis in volupttate ,, corporis posuit, quia non quod ille, tu sen-,, tis: sed *Dinomachus*, hujus quippe dogma ,, tibi placuit. Nam ipse conjungendam vo-,, luptatem arbitratus est honestati; ut quem-,, admodùm honestas, ita & VOLUPTAS, PER SE IPSA APPETENDA VIDERETUR". Agnoscat ergo Sancius, & quotquot cum eo sentiunt, sui dogmatis assertorem Julianum, authorem Dinomachum, expugnatorem Augustinum, refragatores non modò Patres §. 422. relatos, sed ipsos etiam ethnicos Philosophos, à Cicerone propter eminentiam dictos *consulares*. Quibus è nostris addo Lactantium: [Z.] Ergo ait ipse, qui veritati studet, qui non ,, vult se ipse decipere, abjiciat inimicas & ,, noxias voluptates, quæ animam sibi vin-,, ciant, ut corpus cibi dulces: præferantur ,, vera falsis, æterna brevibus, utilia jucundis. ,, Nihil aspectu gratum sit, nisi quod piè, quod ,, justè fieri videas: nihil auditu suave, nisi ,, quod alit animam, melioremque te reddit: ,, maximeque hic sensus non est ad vitium ,, detorquendus, qui nobis ideò datus est ut ,, doctrinam Dei percipere possemus. Itaque ,, si voluptas est audire cantus & carmina, ,, Dei laudes canere & audire jucundum sit. ,, Hæc est voluptas vera, quæ comes & socia ,, virtutis est. Hæc est non caduca & brevis, ,, ut illæ quas appetunt qui corpori ut pecu-,, des serviunt; sed perpetua, & sine ulla in-,, termissione delectans: cujus terminos, si quis ,, excesserit, nihilque aliud ex voluptate pe-,, tierit nisi ipsam voluptatem, hic mortem ,, meditatur; quia sicut vita perpetua in virtute est, ita mors in voluptate". Pergit porrò idem author mox capite proximè sequenti subjungens: " Ad voluptates autem sapo-,, ris, & odoris, qui duo sensus ad solum ,, corpus pertinent, nihil est quod à nobis ,, disputetur: nisi fortè quis exigat, ut dica-,, mus, turpe esse sapienti ac bono, si ventri ,, & gulæ serviat, si unguentis oblitus, ac ,, floribus coronatus incedat. Quod qui facit, ,, utique insipiens, ineptus, & nihili est; ut ,, quem ne odor quidem virtutis attigerit". Quid denique idem ipse de voluptate tactûs censuerit, colligat Lector ex his ejus verbis ibidem capite proximè sequenti: " Oportet ,, sibi quemque proponere, duorum sexuum ,, conjunctionem generandi causâ datam esse ,, viventibus; eamque legem his affectibus ,, positam, ut successionem parent. Sicut au-,, tem dedit nobis oculos Deus, non ut spe-,, ctemus, voluptatemque capiamus; sed ut ,, videamus, propter eos actus qui pertinent ,, ad vitæ necessitatem: ita genitalem corpo-,, ris partem, quod nomen ipsum docet, ,, nullâ aliâ causâ nisi efficiendæ sobolis acce-,, pimus: cui divinæ legi summâ devotione ,, parendum est. Sint omnes qui se discipulos ,, Dei profitebuntur, ita morati, & instituti, ,, ut imperare sibi possint: nam qui volupta-,, tibus indulgent, qui libidini obsequuntur, ,, ij animam suam corpori mancipant, mor-,, teque condemnant; quia se corpori addi-,, xerunt, in quo habet mors potestatem".

Vide Synod. Namur. Tit. 3. cap. 16. Vide Censuram Senonens. ad articulum 6.

Joan. Sancius.

T. Aug. l. 4. contra Jul. cap. 15.

Vide Aug. lib. 5. contra Julian. c. 21.

Z. Lactan. l. 6. c. 21.

Vide Senecam lib. de Consolat. ad Helviam c. 13. & Aulum Gellium lib. 19. c. 2.

Præmiserat quoque idem author superiùs ibidem cap. 19." Rerum imperiti, & rationis „ ignari, eos affectus, qui sunt homini ad usus „ bonos dati, exterminaverunt, ut latiùs quàm „ ratio postulat evagentur; inde injustè, quia „ impiè vivitur. Utuntur irâ contra pares: hinc „ dissidia, hinc expulsiones, hinc bella contra „ justitiam nata sunt. Utuntur cupiditate „ ad congregandas opes; hinc fraudes, hinc „ latrocinia, hinc omnia scelerum genera orta „ sunt. Utuntur libidine AD CAPIENDAS TANTUM VOLUPTATES: hinc stupra, hinc adulteria, hinc corruptelæ omnes extiterunt". Et rursùs in Epitome cap. 2." Libidinis affectus, „ inquit, ad procreandos filios insitus & in- „ natus est: sed qui limites ejus animo non te- „ nent, utuntur eo AD SOLAM VOLUPTATEM". Et mox iterùm capite proximè sequenti:

Vide Aug. Serm. 298. de tempore. " Nec hac solâ voluptate abstinendum sibi „ quis putet, quæ capitur ex fœminei corporis „ copulatione; sed & cæteris voluptatibus „ sensuum reliquorum: quia & ipsæ sunt vi- „ tiosæ, & ejusdem virtutis est eas contem- „ nere. Oculorum voluptas percipitur ex re- „ rum pulchritudine, aurium de vocibus cano- „ ris & suavibus, narium de odore jucundo, „ saporis de cibis dulcioribus. Quibus omni- „ bus virtus repugnare fortiter debet, ne his „ illecebris irretitus animus, à cælestibus ad „ terrena, ab æternis ad temporalia, à vitâ „ immortali ad perpetuam pœnam deprima- „ tur". Rectè monet Augustinus discernendam esse sentiendi libidinem sive voluptatem, à sentiendi vivacitate, utilitate, necessitate; & Julianum ea confundentem redarguit, dicens

A. Aug. l. 4. contra Iulian. cap. 14. ei: A. Ignoras, vel ignorare te fingis, per „ quemlibet corporis sensum aliud esse sen- „ tiendi vivacitatem, vel utilitatem, vel ne- „ cessitatem; aliud sentiendi libidinem. Vi- „ vacitas sentiendi est, quâ magis alius, alius „ minùs, in ipsis corporalibus rebus, pro ea- „ rum modo atque naturâ, quod verum est „ percipit, atque id à falso magis minusve „ discernit. Utilitas sentiendi est, per quam „ corpori vitæque quam gerimus, ad aliquid „ approbandum vel improbandum, sumen- „ dum vel rejiciendum, appetendum, vitan- „ dumve consulimus. Necessitas sentiendi est, „ quando sensibus nostris etiam quæ nolumus „ ingeruntur. Libido autem sentiendi est, de „ qua nunc agimus, quæ nos ad sentiendum, „ sive consentientes mente, sive repugnantes, „ appetitu carnalis voluptatis impellit. Hæc „ est contraria dilectioni sapientiæ, hæc vir- „ tutibus inimica. Hoc malo, quantùm ad „ eam partem quâ sibi sexus uterque misce- „ tur, benè utuntur nuptiæ, cùm conjuges „ procreant filios per illam, NIHILQUE FACIUNT PROPTER ILLAM". Quæ postrema verba prorsùs evertunt assertionem *Sancij* mox relatam. Si enim nihil faciendum est propter libidinem, profectò nequidem tanquam partialis concumbendi finis admitti illa debet, prout §. 422. ostensum est tantum abest ut *fine solius delectationis* coeuntes conjuges excusentur à culpâ etiam veniali, ut Sanciana assertio contendit. Unde & idem Augustinus lib. 5. contra Julian. cap. 12. asseverat," Quòd si „ aliter quàm per concubitum posset procrea- „ ri proles, & tamen concumberent con- „ juges, apertissimè libidini cederent, atque „ illo malo uterentur malè. Cùm verò prop- „ ter quod sexus ambo sunt instituti, nisi „ eorum commixtione non nascitur homo, „ propter hoc mixti conjuges illo malo utun- „ tur benè; si autem de libidine quærunt ETIAM VOLUPTATEM, venialiter malè". Superiùs item lib. 2. ejusdem operis cap. 10. dixerat," Conjuges contrahere unde quotidie „ dicant, *Dimitte nobis debita nostra*, quando „ modum generationi necessarium, *causâ solius voluptatis* excedunt". Et quamvis hic locus sufficiat evertendæ assertioni Sancianæ, Augustinus tamen non eâ eversione contentus, ampliùs requirit in priori loco ad purgandos conjuges ab omni reatu; ut nimirum cum intentione procreandi nequidem conjungant pro fine partiali carnalem delectationem: quam utique etsi possint licitè tolerare, nullo tamen modo possunt licitè intendere: atque adeò non possunt propter illam, tanquam finem etiam partialem, nedum totalem, seu unicum, concumbere: B. Ego dico, ait idem „ Augustinus alibi, uti libidine non semper „ esse peccatum; quia malo benè uti non est „ peccatum. Nec quæcunque res ideò bona „ est, quia eâ benè utitur bonus: nam & de „ duobus hominibus scriptum est, *Filius eruditus sapiens erit, imprudente autem ministro utetur.* „ Nunquid ideo bonum est esse impruden- „ tem, quia benè illo utitur sapiens? Unde & „ Apostolus Joannes non ait, Nolite uti „ Mundo; sed, *Nolite diligere Mundum*: ubi po- „ suit & *concupiscentiam carnis*. Qui enim non „ diligens utitur, quasi non utens utitur, quia „ non ejus rei causâ utitur, sed alterius quam „ diligens intuetur, ut etiam non diligens hâc „ utatur. Propter quod Paulus coapostolus „ ejus: *Et qui utuntur*, inquit, *hoc Mundo, quasi non utantur*. Quid est, *quasi non utantur*, nisi „ non diligant quo utuntur, quoniam tale est, „ ut benè aliter non utantur? Et hoc quidem „ etiam in his rebus observandum est, quæ „ in hoc Mundo sic bonæ sunt, ut tamen „ eas diligi non oporteat. Quis enim malam „ esse pecuniam dixerit? Et tamen nemo eâ „ benè utitur qui dilexerit, quantò magis „ libidine? Nam pecuniam malus quidem „ spiritus concupiscit, sed ipsa contra bonum „ spiritum non concupiscit, quod libido facit: atque

Matt. 6. 12.

B. Aug. l. 5. cont. Jul. cap. 16.

Prov. 10. 5. juxta 70.

1. Jo. 2. 15.

Ibid. v. 16.

1. Cor. 7. 31.

„ atque ideò & qui hoc esse malum negat, „ peccat; & qui hoc malo benè utitur, non peccat". Benè autem utitur malo libidinis, prout mox ex eodem ipso Augustino audivimus, qui etsi procreet filios ex conjuge per ipsam, *nihil tamen facit propter ipsam*: Malè verò utitur, [C] qui bestialiter utitur, ut sit ejus „ intentio in voluptate libidinis, non in vo„ luntate propaginis: quanquam in nonnullis „ animalibus rationis expertibus, sicut iu ple„ risque alitibus, conjugiorum quasi quædam „ confœderatio custoditur, & socialis nidifi„ candi solertia, vicissimque ovorum disper„ tita tempora fovendorum, & nutriendo„ rum opera alterna pullorum, magis eas vi„ deri faciunt agere cùm coeunt negotium „ substituendi generis, quàm explendæ libi„ dinis. Quorum duorum illud est in pecore „ simile hominis, hoc in homine simile pecoris". Ecce quomodò id quod *Sanctus* reputat licitum, Augustinus culpet ut bestiale, imò quadantenùs plusquàm bestiale. Neque enim omnes bestiæ in coeundo tam videntur agere negotium explendæ libidinis, quàm negotium propagandę duntaxat sobolis. Bestialiores ergo istis sunt homines, qui solius libidinis explendæ causâ commiscentur conjugibus: tametsi ipsa eorum commixtio, interveniente nuptiarum bono, venialem non transcendat culpam. Quapropter tenenda est illa D. Thomæ regula, Augustinianæ doctrinæ §. 421. relatæ prorsùs consentanea: [D] Duobus solis modis „ conjuges absque omni peccato conveniunt, „ scilicet causâ procreandæ prolis, & debiti „ reddendi: aliàs semper est ibi peccatum, ad minùs veniale".

C. Aug. l. 1. de Nuptijs & concup. cap. 4. Vide Divum Thom. 2. 2. q. 154. a. 2. in corp.

D. Divus Thomas in 4. Dist. 32. q. 2. art. 2.

CDXXVIII. Postquam Hieremias iubente Domino matronas monuisset ut filias suas docerent lamentum, & proximas suas planctum, causam subdidit dicens: *Quia ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras.* Quod juxta spiritalem intelligentiam, Hieronymo interprete, dictum est: [E] Eo quòd „ per omnes sensus ad animæ interitum mors introeat peccatorum". [F] Sunt enim, ut alius „ quidam ait, aures, oculi, & sensus cæteri, „ januæ, per quas, nisi diligentissimè obser„ ventur, ad animam spiritalis ingreditur „ mors: quod penè innumerabilium exemplis „ qui divina sunt transgressi præcepta, nec„ non multarum probari potest authoritatibus Scripturarum". Et Hugo victorinus: [G] Longum est, inquit, omnia assequi, per „ quæ constat miseram animam ex suis sensi„ bus infirmari. Isti sunt enim *quinque porticus* „ *piscinæ*, quæ in Euangelio commemorantur, „ *in quibus iacebat multitudo magna languentium.* „ Unusquisque etenim sensus tot servat lan„ guentes, quot appetituum patitur corruptio„ nes: sed quoties Spiritus Sanctus descendit „ in nos, & in nobis excitat gratiam com„ punctionis, toties sanatur noster sensus à „ quacunque detineatur infirmitate corrup„ tionis. Custodiamus sensus nostros, ne for„ tè, quod absit, *ingrediatur per fenestras nostras mors ad animas nostras*". Et Augustinus: [H] Ite„ rùm, inquit, atque iterùm rogo, ut dili„ gentiùs consideremus, & quantum possu„ mus timeamus, quod Dominus in Euange„ lio dicit: *Qui viderit mulierem ad concupiscen„ dum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Pro„ quâ re non solùm ab extraneis mulieribus, „ sed etiam ab ancillis proprijs refrænanda „ est & secreta familiaritas; & oculorum „ incauta fragilitas; ne impleatur in nobis „ illud quod propheta terribiliter clamat, „ *Intravit mors per fenestras vestras.* Per quas „ enim fenestras mors ad animas nostras in„ greditur, nisi per visum oculorum, & auditum aurium" &c. [I] Et Gregorius Papa: [I] Ha„ bemus portas, inquit, per quas mortui „ efferimur, corporis videlicet sensus, de „ quibus ait Propheta: *Qui exaltas me de portis „ mortis.* Hæ sunt enim portæ per quas mors „ ingreditur, & per quas mortuus effertur: „ nam quòd per illas mors ingrediatur, testa„ tur alius Propheta, qui ait: *Intravit mors per „ fenestras nostras.* Qui enim vidit mulierem „ ad concupiscendum eam, mortem per „ oculorum fenestras admisit: qui verò semi„ nat inter fratres discordias, & iniquitatem „ in excelso loquitur, per oris portam mortuus effertur". Qui rursùs lib. 21. Moral. cap. 2. ait: Cùm sit invisibilis anima, nequa„ quam corporearum rerum delectatione „ tangitur, nisi quòd inhærens corpori, quasi „ quædam egrediendi foramina ejusdem cor„ poris sensus habet. *Visus* quippe, *auditus*, „ *gustus*, *odoratus*, & *tactus*, quasi quædam „ viæ mentis sunt, quibus foras veniat, & „ ea, quæ extra ejus sunt substantiam, concu„ piscat. Per hos etenim corporis sensus quasi „ per fenestras quasdam, exteriora quæq; ani„ ma respicit, respiciens concupiscit. Hinc ete„ nim Hieremias ait, *Ascendit mors per fenestras „ nostras, ingressa est domos nostras.* Mors quippe „ per fenestras ascendit: & domum ingredi„ tur, cùm per sensus corporis concupiscen„ tia veniens, habitaculum intrat mentis. „ Quo contrà de justis per Isaiam dicitur, *Qui „ sunt hi, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad „ fenestras suas?* Justi namque *volare ut nubes* di„ cti sunt, quia à terrenis contagijs sublevan„ tur: & *quasi columbæ ad fenestras suas sunt*, quia „ per sensus corporis exteriora quæque in„ tentione non respiciunt rapacitatis, eosque „ foras non rapit concupiscentia carnalis. Quis„ quis verò per has corporis fenestras incautè „ exteriùs respicit, plerunque in delectatio„ nem peccati etiam nolens rapitur, atque obliga-

Hier. 9. 21.

E. Hierô in c. 9. Hieremiæ.

F. Laurent. Iustinian. lib. de Humilitate c. 6.

G. Hugo Victor. Serm. 33. Vide Ioann. Sarisber. l. 8. Policratici cap. 6. L. 3. a. & 1.

H. Aug. Serm. 250. de tempore cap. 4.

Mat. 5. 28.

I. Greg. in Psal. 3. pœnitent.

Ps. 9. 15.

Vide Hier. lib. 2. cont. Iovinian. cap. 7. & in c. 2. Ioel. & Gregor. Nyssen. lib. de Orat. Domin. c. 5. & Gregor. Nazianz. Orat. 6. & 40. & Origenem Homil. 3. in Cantica, & Aponium l. 4. in Cantic. & Chrysost. Homil. 52 Operis imperf. & Ambrosium posteriorem Apolog. pro David. cap. 3.

Isa. 60. 8.

„obligatus desiderijs incipit velle quod nolnit: „ præceps quippe anima dum antè non pro- „ videt ne incautè videat quod concupiscat, „ cæca pòst incipit desiderare, quod vidit. „Unde & Prophetæ mens, quæ sublevata sæpè „ mysterijs internis intererat, quia *alienam conjugem incautè vidit*, obtenebrata postmodùm „ sibimet illicitè conjunxit: sanctus autem „ vir, qui acceptis corporis sensibus velut „ subjectis ministris æquissimus quidam judex „ præest, culpas conspicit antequam veniant, „ & velut insidianti morti fenestras corporis „ claudit, dicens: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Ut enim cogi- „ tationes cordis castè servare potuisset, *fœdus cum oculis pepigit*; ne priùs incautè aspiceret, „ quod postmodùm invitus amaret. Valdè „ namque est grave, quòd caro deorsum tra- „ hit; & semel species formæ cordi per oculos „ illigata, vix magni luctaminis manu solvi- „ tur. Ne ergò quædam lubrica in cogitatio- „ ne versemus, providendum nobis est, quia „ intueri non decet quod non licet concupisci. „ Ut enim munda mens in cogitatione ser- „ vetur à lascivia voluptatis suæ, deprimendi „ sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam". Et rursùs ibidem, interpositis quibusdam eam in rem exemplis, concludit in hunc modum:" Unde nobis ad custodiendam cor- „ dis munditiam, exteriorum quoque sensuum disciplina servanda est: nam quantàlibet virtute mens polleat, quantàlibet gravi- „ tate vigeat, carnales tamen sensus puerile „ quiddam exteriùs perstrepunt; & nisi inte- „ rioris gravitatis pondere & quasi juvenili „ quodam vigore refrænentur, ad fluxa quæ- „ que & levia mentem enervem trahunt". Hæc ibi Gregorius, quæ pro magnâ parte descripsit ex Hieronymo in caput 3. Threnorum Hieremiæ, ad illa verba: *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Ubi quod de uno sensu signatè exprimitur, de reliquis quatuor intelligi proportionatè debet: [K] Voluptas „ enim, ut Magnus ait Basilius, cùm una ge- „ neraliter sit, veluti fons quidam à carne pro- „ fluit; atque in quinos sensus, veluti rivos „ totidem distributa, per hos ab intimis ad „ sensibilia fluit: quorum quilibet per pro- „ priam organi sui fenestram vehementer „ emittens fluentum suum, quicquid corrup- „ tum cominùs occurrerit, ad se pertrahit; „ carnalique limo implet, torrentis instar. „ Rursùs quoque è contrario ab exterioribus „ per easdem fenestras in carnis æstus celeriùs „ refluens, animam fluctibus perturbationum „ quatit, atque in profunda demergit". Et iterùm aliquantò inferiùs ibidem subdit: " Obstruendus est igitur primus ingressus per „ sensus satelliti carnis; sensusque ipsi, ut ja- „ nuæ ac fenestræ cordis, seris ac vectibus un- „ dique firmandi atque muniendi: ne per ali- „ quem illorum versutus ascendens, mortem „ contubernalem suam secum unà introdu- „ cat: *Mors enim*, inquit, *ascendit per fenestras.* „ Reverà enim sensus, fenestræ animæ sunt: „ quibus anima, sive ut pudica mulier exterio- „ rem sensuum lucem ad considerationem „ rei cujusque utilis, modicè castéque eas ape- „ riens, haurit: sive ut impudica meretrix, „ attonita ad exteriora quæque ac noxia cu- „ riosè spectanda, prospicit ad oblectamenta „ lasciviæ; cervicem malè contorquens, ac per hoc suavia & læta hauriens". His addo Isidorum Hispalensem: [L] Per sensus carnis, „ ait ille, morbus irrepit mentis: unde per „ Prophetam Dominus dicit, *Omnes cognationes terræ ab Aquilone venient, & ponent unusquisque solium suum in introitu portarum Hierusalem.* „ Regna Aquilonis vitia sunt, quæ sedes suas „ in portis ponunt; quando per sensus car- „ nis labem animæ ingerunt: ideòque in ipsis „ portis, id est, in ipsis sensibus regnant. Ne- „ que enim aliunde peccamus, nisi videndo, „ audiendo; odorando, gustando, & tan- „ gendo. Unde & aliàs dicitur, *Intravit mors per fenestras nostras*". Breviter Epiphanius, eum ipsum Prophetæ locum edisserens: [M] Fene- „ stræ, inquit, sunt nobis corporis sensus, vi- „ sus, auditus, & alij, per quos mors in nos ingreditur, si per ipsos peccaverimus".

2. Reg. 11. 2. — *Job. 31. 1.* — *Thren. 3. 51.* — *K Basil. lib. de Sancta Virginitate.* — *L. Isidor. lib. 2. Sent. cap. 28. Hier. 1. 15.* — *M. Epiphan. Hæresi 9. Vide Aug. Serm 248. de tempore.*

CDXXIX. Ex his facile perspicitur quantis peccandi periculis se exponant, qui sedulam suis sensibus custodiam adhibere negligunt: *Omni custodiâ*, inquit Proverbiastes, *serva cor tuum.* Est enim cor velut metropolis, ad quam patet aditus hostibus per organa quinque sensuum, quasi per totidem portas; quarum si vel unam custodire neglexeris, universa urbs periculo hostilis irruptionis ac deprædationis subjacebit: [N] Per quinque sen- „ sus, inquit Hieronymus, quasi per quas- „ dam fenestras, vitiorum ad animam introi- „ tus est. Non potest antè metropolis & arx „ mentis capi, nisi per portas ejus irruerit „ hostilis exercitus. Horum perturbationibus „ anima prægravatur, & capitur aspectu, au- „ ditu, odoratu, sapore, tactu. Si Circensibus „ quispiam delectetur, si athletarum certami- „ ne, si mobilitate histrionum, si formis mu- „ lierum, splendore gemmarum, vestium, „ metallorum, & cæteris hujusmodi: per ocu- „ lorum fenestras capta est animæ libertas, & „ impletur illud Propheticum: *Mors intravit per fenestras nostras.* Rursùm auditus vario or- „ ganorum cantu, & vocum inflexionibus „ delinitur, & carmine poëtarum, & comœ- „ dorum mimorumque urbanitatibus & „ strophis, & quicquid per aures introiens virilitatem

Prov. 4. 23. — *N. Hieron. lib. 2. cont. Iovinian. cap. 7.* — *Hier. 9. 21.*

„ virilitatem mentis effeminat. Odoris autem
„ suavitas, & diversa thymiamata, & amo-
„ mum, & cyphi, œnanthe, muscus, & pere-
„ grini muris pellicula, quòd dissolutis &
„ amatoribus conveniat, nemo nisi dissolutus
„ negat. Porrò ciborum aviditas, quòd avari-
„ tiæ mater sit, & animum quasi quibusdam
„ compedibus degravatum in terrâ teneat,
„ quis ignorat? Propter brevem gulæ volup-
„ tatem terræ lustrantur & maria: & ut mul-
„ sum, vinum, pretiosusque cibus fauces no-
„ stras transeat, totius vitæ operâ desudamus.
„ Tactus autem alienorum corporum, & fæ-
„ minarum ardentior appetitus, vicinus insa-
„ niæ est". Quid ergò agendum, nisi quod mo-
net Paulinus, Nolanus quondam Antistes,
Hieronymo synchronus, & ab eodem Epist.
13. multùm laudatus? O. Quinque sensibus,
O. Paulin. Epist. 26. „ ait ille, omnes præditi sumus, per quos aut
„ vitam recipimus, aut mortem. De ipsis enim
„ dolens Propheta dicit, *Mors introivit per fene-*
„ *stras nostras*. Quas obstruamus timore Dei,
„ ut ad omnes istius mundi formas & voces,
Eccli. 28. 28. „ surdi simus ac cæci: *Sepiamus aures nostras spi-*
„ *nis*, contra linguam nequam, & illecebrosa
„ modulamina: *Avertamus oculos nostros, ne vi-*
Psal. 118. 37. „ *deant vanitatem*: Obstruamus & nares no-
„ stras, ne de corruptione hujus sæculi odo-
„ rem mortis trahamus: Neque per gustum,
„ illicem gulæ, morbus irrepat, & concupis-
„ centiarum cibus continentiæ robur enervet:
„ Neque mollibus vestimentis corpori blan-
„ diamur, ne carneos tactus & amplexus illi-
„ citos delicatis malè palpata tegminibus
membra desquatiant". Hisce salutaribus do-
cumentis acquiescendo impletur Apostoli-
cum illud præceptum, sive potiùs naturale ab
1. Cor. 6. 18. Apostolo evulgatum & inculcatum, *Fugite for-*
P. D. Thomas in caput 6. prioris ad Corinthios lect. 3. *nicationem*: P. Notandum, inquit D. Thomas,
„ quòd cætera vitia vincuntur resistendo,
„ quia quanto magis homo particularia con-
„ siderat & tractat, tanto minùs in eis invenit
„ unde delectetur, sed unde magis anxietur:
„ sed vitium fornicationis non vincitur resi-
„ stendo, quia quanto magis ibi homo cogi-
„ tat particulare, tanto magis incenditur; sed
„ vincitur fugiendo, id est, totaliter vitando
„ cogitationes immundas, & quaslibet occa-
siones". Et Augustinus: Q. Quòd libidinem,
Q. August. serm. 250. de tempore cap. 7. Vide Ioan. Sarisb. l. 3. Policrat. c. 6. „ inquit, fugiendam esse suggerimus, Apo-
„ stolus Paulus evidenter ostendit: qui cùm
„ prædicaverit omnibus vitijs resistendum,
„ dum contra libidinem loqueretur non ait,
„ Resistite; sed, *Fugite fornicationem*. Ac si con-
„ tra reliqua vitia, Deo auxiliante, debemus
„ in præsenti resistere; libidinem verò fugien-
„ do superare. Sic & alibi in Scripturis divi-
Eccli. 9. 5. „ nis legimus, *Noli in faciem virginis intendere,*
„ *ne te scandalizet vultus ejus*: & Beatus Joseph

„ ut impudicam dominam posset evadere,
„ *Pallium quo apprehensus fuerat reliquit, & fugit*. Gen. 39. 12. Vide Ambros. l. de Ioseph c. 5. & Hieron. l. 1. contra Iovinian. cap. 4.
„ Ergò contra libidinis impetum apprehende
fugam, si vis obtinere victoriam". Et mox
iterùm cap. 2." Inter omnia, inquit, Chri-
„ stianorum certamina, sola duriora sunt præ-
„ lia castitatis; ubi quotidiana est pugna, &
„ rara victoria. Gravem castitas fortita est
„ inimicum, qui quotidiè vincitur, & timetur.
„ Et ideò nemo se falsâ securitate decipiat,
„ nemo de suis viribus periculosè præsumat:
„ sed audiat Apostolum dicentem, *Fugite for-*
nicationem". Audiendus quoque in hanc rem
fuerit Magnus Basilius, qui ait: R. Non in eo
R. Basil. in Constit. Monastici. cap. 3 aliàs 4. „ tantùm elaborandum nobis est, ut motus
„ animi in cogitando moderemur: sed, quoad
„ fieri potest ab earum etiam rerum congres-
„ su longissimè cumprimis fugiendum est,
„ quæcunque in conspectum nobis adductæ,
„ refricatâ libidinum memoriâ, consilium ra-
„ tionisque vim nobis perturbant atque con-
„ fundunt, bellaque & sollicitos in animo an-
„ gores cient. Etenim bellum, quod præter
„ voluptatem nostram incidat nobis, excipe-
„ re, forsan necessarium sit; ipsum verò quem-
„ quam sibi voluntarium creare, id verò sum-
„ mæ stultitiæ est: siquidem ignosci ei forsi-
„ tan possit qui in priore illo victus sit, quod
„ tamen omninò nolim Christi athletis eve-
„ nire: at qui in posteriore hoc superatus dis-
„ cedat, is, præterquàm quòd rem admodùm
„ ridiculam facit, non meretur etiam cur sibi
„ ignoscatur. Quocirca fugiendæ inprimis
„ sunt nobis congressiones cum mulieribus,
„ collocutionesque; neque ad eas unquam
„ accedendùm, nisi cùm gravissima nos aliqua
„ ad eas necessitas impellat, & aliter facere
„ non possimus. Atque ipsa etiam ubi nos
„ necessitas adegerit, ab ipsis non secùs atque
„ ab igne cavendum est: adeò ut quàm ocyssi-
„ mè, nullâ morâ, ab ipsis nos extricemus. Ani-
„ madverte enim quid de hac re Sapiens di-
„ cat: *Absondet quis ignem in sinu suo, & vesti-*
Prov. 6. 27. & 28. Vide Hieron. l. 1. contra Iovinian. c. 4. „ *menta sua non comburet? Aut ambulabit quispiam*
„ *super carbones ignis, & pedes non comburet*?
„ Quòd si quis dicat, ex assiduo se cum mu-
„ lieribus colloquio, congressuque, & con-
„ victu, non admodùm lædi: hic sine dubio
„ aut maris naturæ particeps non est, & por-
„ tentum est quoddam insolentissimum &
„ præter omnium opinionem admirabile, &
„ in utriusque sexus, ut sic dicam, confinijs
„ positum; cujusmodi esse illos ferunt qui
„ nati eunuchi sunt; siquidem hoc illis etiam
„ tribuere velimus quòd nullo modo fæmina-
„ rum libi line afficiantur aut moveantur: *Con-*
Eccli. 20. 2. „ *cupiscentia* enim *spadonis devirginat juvenculam,*
„ inquit Sapiens: Aut certè si expers non est,
„ cùm totus immersus libidinibus obruatur,
ebrijs

,, ebrijs aut phrenetide correptis similem se
,, esse non sentit, qui gravissimis affecti mor-
,, bis, morbum tamen omnem à se abesse
existimant".

CDXXX. Christus Dominus occasiones
peccatorum sollicitè cavendas, imò & am-
putandas præscribens, postquàm in sermone
coram discipulis in monte habito præmisisset,
Mat. 5. 28. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam,*
iam mœchatus est eam in corde suo: continuò
adjecit illustre illud documentum, unicui-
que sub interminatione gehennæ amplecten-
Ibid v. 29. dum: *Quòd si oculus tuus dexter scandalizat*
te, erue eum, & projice abs te. Idipsum & de
manu, & de pede scandalizante jubet agen-
dum, partim ibidem subsequenter, partim
inferiùs cap. 18. 8. Quâ de re Hilarius:
S. Hilarius Can. 4. in Matthæum. S. Carere, inquit, non solùm proprijs vitijs,
,, sed & extrinsecùs incidentibus, admo-
,, nemur. Non enim ex causis peccantium
,, membrorum, corporis damna præcepta
,, sunt: dextero enim oculo non minùs si-
,, nister erraret; certè etjam pes, sensu con-
,, cupiscentiæ carens, damno inutilis est, in
,, quem pœnæ causa non incidet. Sed quia *Di-*
1.Cor.12,20. ,, *versa invicem membra, corpus tamen unum su-*
,, *mus*, abjicere à nobis, vel potiùs *eruere* pro-
,, pinquitates charissimorum hominum admo-
,, nemur, si in illis aliquid tale cernamus; ne
,, in consortium criminis eorum de familiari-
,, tate veniamus: rectiùs utilibus & maximè
,, necessarijs, tanquam oculi & pedis membris,
,, carentes, quàm usque in societatem ge-
,, hennæ, vitiosæ propinquitatis teneamur af-
fectu". Et author Quæstionum ad Antio-
T. q. 70. ad Antioch. Vide Salvianum l. 2. de Guber. Dei Eph. 4. 25. chum inter Opera Athanasij: T. Non de mem-
,, bris corporis, inquit, hoc dixit Dominus,
,, absit: sed de amicis, & cognatis. *Membra*
,, namque *sumus invicem*: Si igitur, inquit, ha-
,, bes amicum; aut cognatum, cujus tanta
,, tibi sit necessitas, quanta vel dextri tui
Job 29. 15. ,, oculi vel manus, juxta dictum Job; *Oculus*
,, *eram cæcorum, & pes claudorum*: si videris ab
,, ipso damnum inferri animæ tuæ, abscinde
2.Cor.6.14. ,, eum: *Nulla* namque *luci societas cum tenebris*".
Et Augustinus eundem ipsum Euangelij lo-
V. Aug l. 1. de Sermone Domini in Monte c.13. cum edisserens: V. Quicquid est, inquit, quod
,, significat *oculus*, sine dubio tale est quod
,, vehementer diligitur: solet enim & ab eis,
,, qui vehementer volunt exprimere dilectio-
,, nem suam, ita dici: *Diligo eum ut oculos meos*,
,, aut etiam, *plusquam oculos meos*. Quod autem
,, additum est, *Dexter*: fortassè ad augendam
,, vim dilectionis valet. Quanquam enim ad
,, videndum isti oculi corporis communiter
,, intendantur, & si ambo intendantur, æqua-
,, liter possint; ampliùs tamen formidant ho-
,, mines, *dextrum* omittere. Ut iste sit sensus:
,, Quicquid illud est quod ita diligis, ut *pro*
,, *dextro oculo* habeas, *si scandalizat te*, id est, si
,, tibi impedimento est ad veram beatitudi-
nem, *erue illud, & projice abs te*". Et Hierony-
mus: W. Omnis, inquit, truncatur affectus, & W. Hieron in cap. 19. Matthæi. Vide Orig. Tract. 5. in cap. 18. Matthæi.
,, universa propinquitas amputatur; ne per
,, occasionem pietatis unusquisque creden-
,, tium scandalis pateat: Si, inquit, ita est quis
,, tibi conjunctus, ut *manus, pes, oculus*; & est
,, utilis, atque sollicitus, & acutus ad perspi-
,, ciendum; scandalum autem tibi facit, &
,, propter dissonantiam morum te pertrahit in
,, gehennam: melius est, ut & propinquitate
,, ejus, & emolumentis carnalibus careas; ne
,, dum vis lucrifacere cognatos & necessarios,
causam habeas ruinarum". Et Cyrillus Ale-
xandrinus: X. Licèt charissimi nobis sint, in- X. Cyrillus Alex. lib 12. in Joan.
,, quit; qui aliquid fortiter agere prohibeant,
,, infamiâ apud homines aut mundanâ quâ-
,, dam re propositâ, cavendum ne assentiamur.
,, Nec enim à Satana ullatenùs differunt, qui
,, creare scandala, & ab utili indagatione ver-
,, sutis ac blandis quandoque sermonibus ab-
,, strahere pium solent. Et quidem Christus
,, tale quid significare mihi videtur, cùm ait: *Si*
,, *oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, &*
,, *projice abs te*. Quod enim offendiculum præ-
,, stat, non jam nostrum esse debet, licèt di-
,, lectionis lege in unitatem constringatur, &
,, naturalis conjunctionis jure nobiscum co-
puletur". Cùm Novatiani abuterentur eo-
dem Christi præcepto; ad repellendos à pœ-
nitentia lapsos; Beatus Pacianus Barcino-
nensis Antistes Sympronianum unum quem-
piam eorum alloquens: Y. Vides, inquit, non Y. Pacian. Epist. 3. ad Sympron.
,, de pœnitentibus dictum, sed de his qui
,, non solùm ipsi in facinore perseverant, ve-
,, rùm etiam nos scandalizare non desinunt?
,, Hi, quàmlibet chari sint, relinquendi;
quàmlibet utiles, deserendi sunt". Et Chry-
sostomus: Z. Si de membris, inquit, ista Z Chrysost. Hom. 17. in Matthæum. Vide Theophil. in c. 5. & 18. Matth. & Bernard. Serm 65. in Cantica.
,, dixisset Dominus, nequaquàm de *uno*, vel
,, de *dextro oculo*, sed indifferenter de utroque
,, loqueretur: qui enim dextro scandaliza-
,, tur oculo; haud dubiè quin idipsum patie-
,, tur de sinistro. Quam igitur ob causam po-
,, suit *dextrum*, & adjecit *manum*? Ut scilicet
,, disceres, non de membris esse sermonem,
,, sed de his potiùs qui nobis familiaritate
,, junguntur. Etsi igitur, inquit, tantum ali-
,, quem diligas, ut eo *dextri oculi* vice utaris; aut
,, ita tibi quempiam putes esse utilem, ut eum
,, *dextræ manus* loco ducas, & hi tamen animæ
,, tuæ forsan incommodent: etiam istos, in-
,, quit, *à te abscinde*. Et diligentiùs vim ipsam
,, sermonis attende: non enim dixit, Discede
,, à societate talium: sed, maximam separatio-
,, nem indicans, *Erue*, inquit, *ac projice abs te*".
Hinc patet quàm meritò Schola Theologica
Lovaniensis anno 1657. reprobaverit hunc
Articulum laxorum Casuistarum, ordine
primum inter viginti sex sibi propositos

 ab Epi-

Articulus Lovanij reprobatus.

ab Episcopo Gandavensi: *Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali aut temporali nostro vel proximi*: & hunc item ordine secundum inter eosdem: *Nemo tenetur occasionem proximam peccati vitare cum magno suo detrimento. Unde nec concubinarius tenebitur dimittere concubinam, quæ ipsi nimis utilis est ad lucrandum bona temporalia, mediâ negotiatione; vel etiam ad oblectamentum concubinarij, vulgò* R E G A L O*; dum deficiente illâ, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno afficerent concubinarium, & alia famula ad id nimis difficilè inveniretur.* Quorum Articulorum priori hanc Schola Theologica præfata inussit censuram: *Falsa, temeraria, perniciosa, atque ab auribus fidelium procul arcenda assertio.* Posteriori item hanc: *Præcedenti assertioni consectaria, & similibus notis inurenda assertio; continens præterea corollarium tàm Epicureorum placitis consonum, quàm Christianorum regulis (quibus manum, pedem, & oculum quoque dextrum scandalizantem abscindere, atque à nobis abjicere præcipimur) adversum.* Porrò utrumque prædictum Articulum summariè complectitur unus ille, ordine secundus inter septemdecim, quos eadem Schola Lovaniensis anno 1653 ad instantiam Archiepiscopi Mechliniensis reprobavit: *Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere; quinimò directè & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* Cujus Articuli pars posterior consonat priori Articulo è duobus mox memoratis, prior autem posteriori. Cui etiam posteriori satis consentaneè scribit Tamburinus, dum tractans de causis excusantibus eos qui versantur in occasione patiendi pollutionem, ait: [A] *Quoad causas excusantes, ea illa sunt, quæ bonâ fide apparent necessaria, utiles, convenientes, imò & commoda corpori vel animæ.* Ubi non est putandus requirere omnium earum causarum collectivè concursum, sed duntaxat alicujusvis interventum. Nam ibidem continuò adductis suffragijs Joannis Sancij, & Dianæ, probat sufficere solam postremam, subdens: *Quòd satis sit meum metum commodum, ad omnem etiam venialem culpam tollendam, invenies clarè apud Ioannem Sancium, & Dianam, ibi: Et hoc etiam verum est, ubi nec necessitas, nec causa utilitas adest.* Pergit porrò idem Tamburinus ibidem mox enumerare varias actiones vel occupationes, in quibus prævidetur futura pollutio sive genitalis seminis effusio; ac tum subdit per modum corollarij, *Quando ergo in aliqua actione ex dictis prævidetur pollutio,* S I A D S I T A L I Q V A C A V S A S A L T E M E X T V A C O M M O D I T A T E P R O V E N I E N S, *ac pollutio non intendatur, nec sit periculum consensus; vel nulla erit culpa ijs actionibus vacare, vel in aliquibus solùm ad summum veniale, ut dictum est sæpè.* Quasi verò quævis causa, tibi quomodolibet commoda, sufficiat, ut pollutio non censeatur saltem implicitè intenta, nec tu censearis consentire in eam. An non est ingens commodum habere integrum corpus, oculis, manibus, pedibus instructum; ingensque incommodum habere illud mutilatum, truncatum, emembratum? Et tamen verax magister Christus eum perhibet consentire in scandalum, qui non eruit aut abscindit abs se oculum, manum, aut pedem scandalizantem; hoc est, qui non semovet ac secludit res omnes, ac personas, occupationesque, ansam ruinæ sibi præbentes. Idem ergo dicendum fuerit de pollutione. Quòd si dicant in pollutione ob commoditatem admissâ intervenire ruinam duntaxat materialem, nec pollutionem taliter intervenientem aut subsequentem censeri volitam, sed purè permissam: quis non videat idem dici posse de scandalo? Et tamen Christus amputavit ejusmodi prætextum in materia scandali: Ergo amputasse pariter eundem censendus est in materia pollutionis. Sed vide quousque se exporrigat laxitas Tamburini: [B] *Excusamus,* ait ille, *fratrem habitantem, juxta morem patriæ, in eadem domo parentum, cum sorore; licèt habitatio sit illis fortè causa peccandi: quia ejusmodi occasio, quamvis extrinseca, non est voluntariè assumpta.* Quamvis mollities sive pollutio ex specie sua gravior sit culpa, quàm incestus, etiam cum sorore: faciliùs tamen accidere inopinanti potest, quàm incestus cum sorore. Quapropter multò faciliùs excusari quis potest per inadvertentiam, à formali peccato mollitiei, quàm incestûs. Unde nec author in hac assertione ausus est ingerere mentionem *periculi consensûs*, quam alioqui ingesserat in assertione præcedenti. Censet proinde excusandum esse fratrem cohabitantem sorori in domo patriâ, juxta patriæ morem, quamvis inde utrique immineat periculum non modò incestandi, sed & in incestum consentiendi: quia nimirùm *nec occasio illa sit voluntariè assumpta*, nec possunt filijfamilias absque notâ aliquâ, sibi incommodâ, non se accommodare *mori patriæ.* Et verò quid juvat, quòd occasio illa non sit voluntariè assumpta, siquidem sit voluntariè jam continuata? Qui in somno cœpit de incestu delectari, eandemque delectationem vigilans pergit continuare; nunquid quia non peccavit inchoando, dicendus erit non peccare continuando? Inaniter autem obtenditur *mos patriæ*: quia profectò nulla patria, nisi fortè corruptissima, approbat aut tolerat cohabitationem fratrum cum sororibus, dum advertit subesse periculum incestûs. Unde sicut Respublica deberet separare fratres à sororibus,

quando

Censura Lovaniensis. Vide Censuram Namurcensem Art. 8. & 15. item Senonensem Art. 20.

[A] Tamburin. lib. 7. in Decalog. c. 1. §. 1. n. 12.

Vide Ioan. Sancium Disp. 21. n. 53. & Dianam p. 1. Tract. 15. Resp. 1. & Filliucium & Sanchez apud ipsum.

Vide Escobar. Tract. 1. Exam. 8. c. 8. nu. 77. & seqq.

PRÆOCCUPATIO.

[B] Tamburin. ibid. l. 1. c. 2. §. 8. n. 4.

quando adverteret subesse incestûs periculum: ita & ipsi tenentur sese separare, quando cernunt subesse idem periculum. Neque enim Respublica arctiùs obstringitur prospicere saluti civium suorum, quàm hi ipsi suæ. Inaniter item obtendunt hi periculum infamiæ, si paternæ habitationi sese subtrahant: quia inprimis obviari plerunque huic periculo poterit assumptione alterius statûs, novi officij, vel extraneæ occupationis, aut saltem peregrinationis. Deinde ut demus non posse obviari, nunquid subeundum potiùs fuerit infamiæ periculum, quàm permanendum in scandali periculo? Hoc sanè tam asseveranter astruit Cyrillus mox relatus, ut *Satanam* dicat, qui contrarium suadeat. Atque hinc apparet quid sentiendum sit de isto Articulo, quem Episcopus Namurcensis cum Synodo suâ Diœcesana, anno 1659. celebratâ, proscripsit: *Famuli comitantes Dominum noctu vel die ad domum concubinæ, qui sine eorum societate eò non iret, vel ferunt internuntia vel litteras, vel referunt hinc inde horam ad peccandum, vel faciunt excubias vel custodiam dum simul cum concubinâ vel alterâ committit peccatum, absolvi non possunt si consentiant in peccatum dominorum: secùs si id fieret propter temporalem commoditatem.* De priori parte Articuli adeò nemo unquàm dubitavit, ut ridiculum sit disputare num etiam quispiam extraneus taliter *consentiens* absolvi possit. Postremæ partis falsitas, clarè patet ex hactenùs toto hoc §. relatis ac deductis: Quibus liquet, nòn modò famulares, sed & filiales commoditates, postponendas esse spiritalium periculorum vacuitati.

Vide Castropalaum tomo 1. Tract. 6. Disp. 6. Puncto 11. n. 6. & 7. & Tamburin. l. 1 c. 1 §. 4. n. 18 & San verbo peccatum n 9. editionis Complut.

CAPUT CXIV.

Gulæ intemperantia nullo decalogi præcepto directè, compluribus reductitiè vetatur; signanter tertio, quinto, sexto, ac septimo. Ebrietatis & lascivia consimilia sunt symptomata. Bacchus & Venus *duo damonia inter se conjurata & conspirata. Sine Cerere & Libero friget Venus. Situi membrorum respondet ordo vitiorum. Muri Hierusalem à coquorum principe diruti. Romanorum quorundam Principum stupenda gulositas, signanter* Vitellij, Heliogabali, Caligulæ, Neronis. *Vbi præcedit gulositas, subsequitur rapacitas: sicut enim gulones bibunt ut vomant & vomunt ut bibant, ita rapiunt ut prodigant & prodigunt ut rapiant. Princeps egenus animal est periculosum. Regnorum pestes luxus & avaritia. Luxuria currus quadrigâ volvitur vitiorum, & quænam hæc? Academica & Synodica Censura Articuli istius*, Nonnisi veniale est, etiam absque utilitate, se cibo & potu usque ad vomitum ingurgitare, nisi ex hujusmodi vomitibus gravia valetudini incommoda oriantur. *Ejusdem Articuli basis evertitur, nimirum* posse appetitum naturalem suis actibus licitè frui. *Nescit cupiditas ubi finiatur necessitas.* Philoxeni *gulonis insanum votum*, ut sibi fieret guttur longius quàm gruis. *Non ideò vivendum est ut edatur & bibatur, sed ideò edendum ac bibendum ut vivatur. Voluptate sensuali nequaquàm fruendum, sed utendum. Scripturæ phrasi*, Væ, *interitum importat æternum. Heluonum quorundam bibacitas perstringitur. Novellius Torquatus cur dictus* Tricongius, *& Ciceronis filius* Bicongius? *Aureliani Cæsaris de Bonoso bibone dicterium*: Non ut vivat natus est, sed ut bibat. *Tantum mingebat, quantum bibebat. De patibulo pendens ansam præbuit dictitandi*, Amphoram pendere, non hominem. *Ridiculæ bibendi leges recensentur. Maximini Cæsaris bibacitas, & voracitas. Amphora Capitolina quot urnarum, congiorum, heminarum, cyathorum capax? Clodij Albini edacitas. Vitis uvæ tres ex Anacharside, prima voluptatis, secunda ebrietatis, tertia mœroris. Prima vini cratera pertinet ad sitim, secunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatem, quarta ad insaniam. Eubulus, dictante Baccho, decem indulget cyathos meribibulis, sed tres duntaxat priores prudentibus, reliquos fatuis. Gersonis sententia de gula pugnantiâ cum universis Decalogi præceptis.*

CDXXXI. GUlæ intemperantia nullo Decalogi præcepto expressè directève interdicitur, & idcircò diversi ad diversa præcepta eam reducunt. Nos superiùs §. 401. præceptum jejunij, quod huic intemperantiæ obviat, sub tertio Decalogi præcepto complexi sumus. authores ibidem citatos imitati: quibus favere videtur Angelicus Doctor, cùm ait: " Vitium gulæ habet quòd sit peccatum mortale, inquantùm avertit à fine ultimo: & secundùm hoc per quandam reductionem opponitur præcepto de Sanctificatione sabbati, in quo præcipitur quies in fine ultimo". Verùm quia ratio ista nimis generalis est, nec quidquam continet peculiare de gula, quod

C. D. Thomas 2. 2. q. 148. art. 2. ad 1. Vide q. 14. de Malo in fine.

quod non militet pariter in reliquis culpis
lethalibus; idcircò nonnulli malunt gulam
criminibus quinto præcepto vetitis accense-
re, propter ejus cum homicidio, ibidem di-
rectè vetito, connexionem. Quâ de re sic ait
Estius: D. Potest ad quintum præceptum re-
„ vocari vitium gulæ, idque duplici ratione;
„ tum quia gulosi & ebriosi per intemperan-
„ tiam plerunq; suam ipsi valetudinem lædunt,
„ vitam abbreviant, suique quodammodò
„ interfectores sunt, quemadmodùm latè
„ ostenditur Prov. 31. & Eccli. 19. 31. & 37.
„ Quo loco hæc est memorabilis sententia,
„ *Propter crapulam multi obierunt, qui autem ab-*
„ *stinens est adjiciet vitam*; quâ de re videre est
„ Ambrosium lib. de Eliâ & Jejunio, & S. Hie-
„ ronymum lib. 2. contra Jovinianum. Tum
„ quia ebrietas sæpè suscitat rixas, conten-
„ tiones, & pugnas; è quibus deindè vulnera
„ & cædes consequuntur, quemadmodùm
„ iisdem Scripturæ locis est indicatum, & satis
probat experientia". Utramque rationem
suo suffragio firmat Chrysologus, priorem
quidem cum ait: E. Ciborum cruditas vitalia
„ dejicit, infirmat stomachum, corrumpit
„ sanguinem, vitiat humores, succendit cho-
„ leram, extremum febris gignit incendium".
Et mox iterùm ibidem: " Sicut terrenæ nubes
„ caligant cælum, sic obscurant animas in-
„ temperata convivia: sicut ventorum turbi-
„ nes elementa confundunt, sic fercula con-
„ gesta stomachum conturbant: ut navem
„ fluctus, sic corpus ebrietas demergit, ho-
„ minem dat in profundum, lucra vitæ aufert,
mortis facit subire naufragium". Posteriorem
item superiùs Serm. 26. dicens: " Meritò in-
„ ter cætera quæ in dispensatore malo arguit
„ Euangelicus sermo, vini condemnat insa-
„ niam, dicendo: *Quòd si dicat servus ille, moram*
„ *facit dominus meus venire; & cœperit percutere*
„ *pueros & ancillas, & edere, & bibere, & inebria-*
„ *ri*, &c. Propriè dixit, *edere, bibere, inebriari,*
„ *& percutere.* Ebrietas cædis mater, parens li-
„ tium, furoris genitrix, petulantiæ deformi-
„ tes est magistra. Hanc qui habet, se non
„ habet: hanc qui habet, homo non est: hanc
„ qui habet, non peccatum facit; sed est ipse
„ peccatum. Ebrietas est dæmon blandus,
„ venenum dulce, rabies voluntaria, invitatus
„ hostis, illecebra honestatis, & pudoris in-
juria". Utramque item rationem firmat suo
calculo Ambrosius, priorem quidem cum ait:
F. Plurimos gula sua occidit, nullum fru-
„ galitas; innumeris vina nocuerunt, nulli
„ parcimonia. Plerique inter epulas fudêre
„ animas, & mensas proprio replevêre san-
guine". Posteriorem in libro de Elia & jejunio
cap. 12, ubi de gulosis convivantibus loquens:
" De ebrietate, inquit, ad arma consurgunt,

D. Estius in 3. Dist. 37. §. 24.

Eccli. 37. 34.

E. Chrysolog. ser. 41.

Vide Aug. serm. 231. & 232. de tempore, & Chrysost. Homil. 22. & 27. in Acta, & Homil. 12. in poster. ad Corinth. & Homil. 29 in Epist. ad Hebræos, & 53 ad populum Antioch. & Innoc. 3 lib. 2. de contemptu Mūdi c. 17. & seqq.

Luc. 12. 45.

F. Ambros. l. 3. de Abel & Cain c. 5. Vide Hieron. in caput 1. ad Titum, v. 7.

„ calicibus tela succedunt, pro vino sanguis ef-
„ funditur, & ipsum sanguinem vina fuderunt.
„ Quàm fortes sibi homines videntur in vino,
„ quàm sapientes, quàm diserti, quàm etiam
„ pulchri ac decori, cùm stare non possint?
„ Mens titubat, lingua balbutit, pallor exan-
„ guis ora suffundit, fœtor ebrietatis horrori
„ fit. Barbari in ferrum ruunt, vulgus in saxas.
„ Si quis eorum pugno fuerit percussus, vi-
„ deas ora sauciorum vini lachrymas fundere,
miserabiles epilogos decantare". Consonat
quoque Basilius quoad utramque rationem:
quoad priorem quidem dum ait, G. Ebrietas
„ rationis interitus, roboris pernicies, senectus
„ immatura, mors momentanea. Quid quæso
„ sunt ebrij, nisi Gentium idola? *Oculos ha-*
„ *bent, & non vident; aures habent, & non au-*
„ *diunt*; manus paralysi habent affectas, pedes
infirmos atque emortuos". Quoad posterio-
rem item superiùs ibidem, cùm ait: " Idem
„ vinum in differentibus corporum habitibus
„ differentes animæ perturbationes exercet:
„ eos enim quibus sanguinem ad superficiem
„ usque suffundit, lætos & hilares animo red-
„ dit: in iis verò qui gravi habitudine frigi-
„ doque circùm præcordia sanguine corri-
„ piuntur, contrarios producit effectus. Sed
„ quid opus est reliquam perturbationum ca-
„ tervam numerare, motum perversitatem,
„ promptitudinem illam ad iracundiam, ad
„ querelas, celerem ac repentinam animi ad
„ omnia mutationem, strepitum multum ac
„ tumultum, facilem ad dolos deductionem,
„ ad omnes iræ motus inconsiderantiam"?
Qui rursùs in Admonitione ad filium spiri-
tualem, utramque rationem perstringens:
" Vinum, inquit, nobis Dominus ad cordis
„ lætitiam, non ad ebrietatem creavit; non
„ quantum gula exigit, sed quantum naturæ
„ imbecillitas postulat. Et Apostolus Timo-
„ theo, *modico* præcipit *uti vino*; & hoc *propter*
„ *dolorem stomachi, & propter eius crebras infirmi-*
„ *tates.* Ne igitur nos quod ad medelam cor-
„ poris nostri tributum est, ad perniciem de-
„ putemus: plurimi namque per vinum maxi-
„ mam contraxerunt debilitatem, nec potue-
„ runt pristinam consequi dignitatem qui pri-
„ mum gulæ non temperaverunt ardorem.
„ Pleriquè per vinum perpetrarunt homici-
dium, nec ipsi mortem recusaverunt". His
accedit & Philo, Judæorum ille disertissimus,
qui priorem rationem firmat dicens: H. Vide-
„ mus certè eos qui quotidie descendunt in
„ certamen temulentiæ, & hoc agunt solùm
„ ut vini plurimum in ventrem ingerant,
„ symbola conferre tanquam in aliquid utile:
„ mulctari tamen rebus omnibus, pecuniis,
„ corpore, animâ. Nam hujusmodi collatio-
„ nibus & rem familiarem minuunt; & cor-

G. Basil. Homil. 14. in ebrietatem & luxum. Vide in caput 2. Isaiæ v. 18. Psalm 134. 16. & 17.

Vide Greg. Nyssenum Homil. 3. & 4. in Ecclesiasten.

1. Tim 5. 23.

H. Philo lib. de Temulentia. Vide Dionem Chrysost. Orat. 30.

poris vires per delicatum victum frangunt atque molliunt, & animas in morem hyberni torrentis delicijs inundatas demergunt in barathrum". Idem quoque lib. de vita contemplativa, posteriorem rationem firmat hisce verbis: " Vulgus ubi se mero explevit, ac si non vinum bibisset sed insaniæ poculum ad rationem penitùs profligandam ex animo, offensat; & ferocium canum more in rabiem vertitur: moxque coorti se invicem morsibus appetunt, abrodendo nasos, auriculas, digitos, cæterasque corporis partes; ut fabula de Cyclope & Ulyssis socijs fidem inveniat, quem Poëta solitum ait frusta humanarum carnium mandere. Quem tamen ipsi immanitate longè superant: nam ille inimicos ratus tractavit hostiliter; isti verò cum familiaribus & amicis, interdum etiam cognatis, communi sali mensæque adhibitis, contra jura hospitalitatis omnia, nihil reveriti sacra libamina quibus conciliari debuissent, sic confligantur, tanquam in arena vel pancratio". Quòd si cui lubeat etiam Ethnicorum hac de re judicium audire, præstò adest Seneca, cujus vox est: l. Voluptates in tormenta vertuntur, epulæ cruditatem afferunt, ebrietates nervorum torporem tremoremque: libidines pedum, manuum, articulorum omnium depravationes". Qui rursùs Epist. 83. ait:" Alexander Macedo Clitum charissimum sibi ac fidelissimum inter epulas transfodit; & intellecto facinore, mori voluit, certè debuit. Omne vitium ebrietas & incendit, & detegit; obstantem malis conatibus verecundiam removet: plures enim pudore peccandi, quàm bonâ voluntate abstinent prohibitis. Ubi possedit animum nimia vis vini, quicquid mali latebat emergit. Non facit ebrietas vitia, sed protrahit: tunc libidinosus ne cubiculum quidem expectat, sed cupiditatibus suis quantum petierint, sine dilatione permittit: tunc impudicus morbum profitetur ac publicat: tunc petulans non linguam, non manum continet: crescit insolentia superbo, crudelitas sævo, malignitas livido: omne vitium detegitur, & prodit. Adjice illam ignorationem sui, dubia & parùm explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia velut aliquo turbine circumagente totam domum, stomachi tormenta cùm effervescit merum ac viscera ipsa distendit. Tunc tamen utcunque tolerabile est, dum illi vis sua est: quid cùm vitiatur somno, & quæ ebrietas fuit, cruditas facta est? Cogita quas clades ediderit publica ebrietas: hæc acerrimas gentes bellicosasque hostibus tradidit, hæc multorum an-

l. Seneca Epist. 24. Vide Epist. 95.

norum pertinaci bello defensa mœnia patefecit, hæc contumacissimos & jugum recusantes in alienum egit arbitrium, hæc invictos acie domuit mero". Et mox subjuncto exemplo Marci Antonij, quem gula effœminavit & efferavit, subdit inferiùs ibidem author:" Ferè vinolentiam crudelitas sequitur; violatur enim exasperaturque sanitas mentis. Quemadmodùm difficiles faciunt oculos diutini morbi etiam ad minimam radij solis offensiorem, ita ebrietates continuæ efferant animos: nam cùm sæpè apud se non sint, consuetudine insaniæ durata vitia, vino concepta, etiam sine illo valent". Refert sanè Clemens Alexandrinus k. *Antiphanem* Delium medicum dixisse, *unam hanc esse morborum causam, ciborum varietatem*". Hieronymus quoque authoritate Hippocratis & Galeni comprobat nocere sanitati nimietatem saturitatis: l. Morbi, inquiens, ex saturitate nimiâ concitantur; multique impatientiam gulæ remediantur vomitu, & quod turpiter ingesserant turpiùs egerunt. *Hippocrates* in Aphorismis docet, *crassa & obesa corpora, quæ crescendi mensuram compleverint, nisi citò ablatione sanguinis imminuantur, in paralysim & pessima morborum genera erumpere: & idcircò esse necessariam demptionem, ut rursùm habeant in quæ possint crescere: non enim manere in uno statu naturam corporum, sed aut crescere semper aut decrescere; nec posse vivere animal nisi crescendi capax sit.* Unde & *Galenus*, vir doctissimus, Hippocratis interpres, *Athletas*, quorum vita & ars sagina est, dicit in exhortatione Medicinæ, *nec vivere posse diu, nec sanos esse, animasque eorum ita nimio sanguine & adipibus quasi luto involutas, nihil tenue, nihil cæleste, sed semper de carnibus, & ructu, & ventris ingluvie cogitare*". Addit præterea idem Hieronymus ibidem continuò authoritatem Diogenis Philosophi, ad probandum, quòd cædes & bella plerunque nascantur ex eodem gulositatis vitio, subdens: " Diogenes, tyrannos, & subversiones urbium, bellaque vel hostilia vel civilia, non pro simplici victu olerum, sed pro carnibus & epularum delicijs asserit excitari".

k. Clem. Alex. lib. 2. Pædag. c. 1.

l. Hieron. l. 2. contra Iovinian. cap. 8. Vide Epist. 30. Vide Hippocratem Aphor. 44. & Galenum in Oratione suasoria ad artes, cap. ultimo. Vide Joan. Saresber. l. 8. Policrat. c. 6. 7. & 8.

Diogenes.

CDXXXII. Quanquam per hæc sufficienter appareat intemperantiam gulæ posse censeri tertio quintoque Decalogi præcepto reductitiè vetitam; dubitari tamen non potest, quin pari, si non etiam potiori jure, reduci possit ad ea quæ sexto præcepto Decalogi prohibentur. Primò quidem quia eidem virtuti temperantiæ opponitur, cui & luxuria sive mœchia, quæ eodem præcepto directè vetatur: M. Luxuria, inquit D. Thomas, est quoddam vitium temperantiæ oppositum, prout moderatur concupiscentias delectabilium

M. D. Thomas q. 15 de Malo art. 1. in corp.

bilium tactus circa venerea: ſicut gula opponitur temperantiæ, inquantum eſt moderativa concupiſcentiarum circa delectabilia guſtus in cibis & potibus". Secundò quia, ut idem D. Thomas ibidem q. 14. art 4. ad 1. ſuffragante Ariſtotele lib. de ſenſu & ſenſibili, & lib. de partibus animalium cap. 17. & lib. 3. de Animâ cap. 12. ait, *Guſtus eſt quidam tactus*: ex quo conſectarium eſt inordinationem ipſius rectè reduci ad inordinationem tactus. Tertiò, quia utraque intemperantia conſimili ſymptomate authorem ſuum afficit, dicente Marone: N. *Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore: Uno namque modo vina Venuſque nocent. Ut Venus enervat vires, ſic copia vini Et tentat greſſus, debilitatque pedes. Multos cæcus amor cogit ſecreta fateri: Arcanum demens detegit ebrietas. Bellum ſæpe petit ferus exitiale Cupido: Sæpe manus itidem Bacchus ad arma vocat. Perdidit horrendo Troiam Venus improba bello: Et Lapithas bello perdis Iacche gravi. Denique cùm mentes hominum furiaris uterque: Et pudor, & probitas, & metus omnis abeſt. Compedibus Venerem, vinclis conſtringe Lyæum: Ne te muneribus lædat uterque ſuis. Vina ſitum ſedant, natis Venus alma creandis Servit, finem horum tranſiliiſſe nocet.* Quartò, quia gula fomes eſt luxuriæ, unde apud Prophetam *Saturitas & abundantia panis* dicitur fuiſſe *iniquitas Sodomæ*: & in Proverbijs ait Salomon, *Luxurioſa res vinum*: Et Epheſijs præcipit Apoſtolus, *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Quem Apoſtoſtoli locum intuens Tertullianus aſſerit, O. "Fundamenta mœchiæ ab Apoſtolo eſſe effoſſa, cùm ebrietates & commeſſationes compeſcuit". Qui rursùs lib. adversùs Pſychicos cap. 1." Monſtrum, inquit, haberetur libido ſine gulâ, cùm duo hæc tam unita atque concreta ſint, ut ſi disjungi omninò potuiſſent, ipſi priùs ventri pudenda non adhærerent. Specta corpus, & una regio eſt: denique pro diſpoſitione membrorum ordo vitiorum, prior venter, & ſtatim cætera ſaginæ ſubſtructa laſcivia eſt; per edacitatem ſalacitas tranſit". Et lib. de Spectaculis cap. 10." Veneri, inquit, & Libero convenit: Duo iſta dæmonia conſpirata & conjurata inter ſe ſunt, ebrietatis, & libidinis". Huc quoque ſpectat illud, quod Valerius Maximus ſcriptum reliquit hiſce verbis: P. "Vini uſus olim Romanis fœminis ignotus fuit, ne ſcilicet in aliquod dedecus prolaberentur: quia proximus à Libero Patre, intemperantiæ gradus ad inconceſſam Venerem eſſe conſuevit". Breviter & appoſitè Hieronymus: Q. "Eſus carnium, inquit, & potus vini, ventriſque ſaturitas, ſeminarium libidinis eſt. Unde & Comicus: *Sine Cerere*, inquit, *& Libero, friget Venus*". Et Epiſt. 10. ad Furiam:" Salvator ait, *Attendite vobis, ne fortè graventur corda veſtra in crapulâ & ebrietate, & curis huius vitæ*: & Apoſtolus, *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Nec mirum, hoc figulum ſenſiſſe de vaſculo, quod ipſe fabricatus eſt: cùm etiam Comicus, cujus finis eſt humanos mores noſſe atque deſcribere, dixerit: *Sine Cerere & Libero friget Venus*". Et Epiſt. 22. ad Euſtochium cap 4." Libido juncta luxuriæ eſt: priùs enim venter extenditur, & ſic cætera membra concitantur". Et in caput 1. Epiſtolæ ad Titum, loquens de vinolentis:" Videas, inquit, alios pocula in tela vertentes, ſcyphum in faciem jacere convivæ: alios ſciſſis veſtibus in vulnera aliena proruere, alios clamare, alios dormitare. Qui plus biberit, fortior computatur: accuſationis occaſio eſt, adjuratum per Regem frequentiùs non bibiſſe. Vomunt ut bibant, bibunt ut vomant: digeſtio ventris, & guttur, uno occupantur officio. Hoc nunc dixiſſe ſufficiat, quòd ſecundùm Apoſtolum, *in vino luxuria eſt*; & ubicunque ſaturitas atque ebrietas fuerint; ibi libido dominetur. Specta ventrem, & genitalia: pro qualitate vitiorum, ordo membrorum. Nunquam ego ebrium caſtum putabo; qui etſi vino conſopitus dormierit, tamen potuit peccare per vinum". Et Auguſtinus: R. "Semper, inquit, juncta eſt ſaturitati laſcivia: vicina ſibi ſunt venter & genitalia, & pro membrorum ordine ordo vitiorum intelligitur". Et Baſilius Magnus: S. "In guſtu præcipuè, inquit, ac in genitalibus membris tactus dominatur: iſtique ita connexi ſunt, ut in morem catenæ alter ab altero pendeat; atque ex eis alter adminiſtratur, alter miniſtrat". Et rursùs ibidem poſt pauca ſubdit:" Ventre diſtento epulis, neceſſe eſt ea quæ ſub ipſo ſunt membra, ex humoris in profundo ferventis redundantiâ, in propria ac naturalia officia moveri: quippe quibus ſuperior venter incentiva libidinis ſuppeditat". Conſonat Nazianzenus in ſuis Poëmatibus, ita canens: T. *Venter clauſtra ferens vitij contagia forſan Evitare queat: ſed ſi laxentur habenæ, Ianuaque hinc omnis pateat, metus imminet ingens, Ne furtim obrepat carnis laſcivia quædam.* Conſonat quoque Ambroſius, cùm ait: V. "Sicut ille qui alligat ignem in ſinu, veſtimenta comburit; ſic qui ambulat per ignem, pedes comburat neceſſe eſt: quoniam ſcriptum eſt: *Ambulabit quis ſuper carbones ignis, pedes autem non comburet?* Gravis ignis eſt, & ideò non demus illi alimenta luxuriæ: paſcitur libido convivijs, nutritur delicijs, vino accenditur, ebrietate inflammatur". Et lib. 1. de Abel & Cain cap. 5." Vini ebrietas, inquit, fomes eſt libidinis, quo per carnes vaporantur interna viſcera, animus igneſcit, anima exuritur". Et lib. de Elia & jejunio cap. 16.

Ebrietas

N. Virgil. Poëmate de Venere & Baccho.

Ezech. 16. 49.

Prov. 20. 1.

Eph. 5. 18.

O. Tertull. l. de Pudicitia cap. 17.

P. Valer. Max. lib. 2. Memorabilium cap 1. Vide Alex. ab Alex. lib. 3. Genial. cap. 11.

Q. Hieron. l. 2. contra Iovin. c. 5. Vide Terentium in Eunucho & Innoc. 3. lib. 2. de contéptu Mundi c. 17. & ſeqq. Luc. 21. 34.

R. Auguſt. ſerm 63 de tempore.

S Baſil lib. de vera virginitate.

T. Gregor. Naz. in Præceptis ad Virgines.

V. Ambroſ. lib. 1. de Pœnitentia, cap. 14.

Prov. 6. 27.

" Ebrietas fomentum libidinis, ebrietas incentivum insaniæ, ebrietas venenum sapientiæ: hæc sensus hominum mutat & formas, per hanc fiunt ex hominibus *equi adhinnientes*; siquidem naturali vapore corporis calidi, & præter naturam vini calore flammati, cohibere se non queunt, & in bestiales libidines excitantur". Consonat item Papa Gregorius, dum ait in Moralibus: W. Cunctis liquet quòd de ventris ingluvie luxuria nascitur, dum in ipsâ distributione membrorum ventri genitalia subnexa videntur: unde dum unum inordinatè reficitur, aliud proculdubiò in contumelias excitatur". Qui rursùs de Curâ Pastorali p. 3. Admonitione 20." Plerunque, inquit, edacitas usque ad luxuriam pertrahit: quia dum satietate venter extenditur, aculei libidinis excitantur. Unde & hosti callido, qui primi hominis sensum in concupiscentiam pomi aperuit, & in peccati laqueo strinxit, divinâ voce dicitur, *Pectore & ventre repes*: ac si ei apertè diceretur, cogitatione & ingluvie super humana corda dominaberis: quia gulæ deditos luxuria sequitur, Prophetâ testante, qui dum aperta narrat, occulta denuntiat, dicens: *Princeps coquorum destruxit muros Hierusalem*. Princeps namque coquorum venter est, cui magnâ curâ obsequium à coquis impenditur, ut ipse delectabiliter cibis impleatur. Muri autem Hierusalem virtutes sunt animæ ad desiderium supernæ pacis elevatæ. Coquorum ergò princeps muros Hierusalem deijcit, quia dum venter ingluvie distenditur, virtutes animæ per luxuriam destruuntur". Et Isidorus Hispalensis: X. Proxima, inquit, est ventri libido, sicut loco, ita vitio: ubi enim ventris cura, ibi & eorum quæ circa ventrem sunt proxima. In ordine namque membrorum genitalia ventri junguntur; dumque unum ex his immoderatè reficitur, aliud ad luxuriam excitatur". Et Isidorus Pelusiota: Y. Vinum, inquit, ad corporis necessarium usum modicè haustum, hominis pectus exhilarat: quod autem ultra mediocritatem adhibetur, petulans, contumeliosum, atque intemperans vocatur: *Intemperans* enim *res est vinum, contumeliosa res ebrietas*, inquit sacra Scriptura: ac rursùm, *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*. Atque ipsa natura per immoderantiam turbata & agitata, lasciviæ magistra efficitur". Et Beatus Prosper Aquitanicus, vel quisquis alius author librorum de vita contemplativa apud ipsum: Z. Sanctus Apostolus, inquit, certam fixit regulam, dicens: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*: quasi diceret, luxuriam facit & nutrit vini perceptio nimia, non natura: & propterea non uti vos vino, sed *inebriari* prohibeo". Et Sanctus Nilus: A. Ut ignis materia, inquit, lignum est, sic libidinis materia est ingluvies: atque ut illud excitat flammam, eodem modo hæc turpem cupiditatem". Et iterùm post pauca ibidem:" Continentia castitatem parit, gula ex aduerso mater est libidinis. Qui ventrem implens pudicitiæ cultum profitetur, similis est ei qui se ignis impetum stupâ compressurum, aut flammam oleo extincturum pollicetur". Et rursùs inferiùs: " Sicut copiosum stercus ingentem vermium numerum gignit, sic ciborum copia magnum libidinosarum cogitationum numerum procreat". Et Petrus Damiani: B. Genitalia, inquit, tantò ardentiùs ad coitum provocantur, quantò magis stomachus vel ciborum copiâ, vel potùs ingurgitatione repletur". Et rursùs ibidem infrà: " Cùm tantopere, inquit, homines non exigenti naturæ, sed impatienti gulæ deserviunt, velint nolint, libera libidini fræna laxantur. Venter enim, atque pudenda, contiguâ sibi sunt affinitate contermina: & cùm ille sine temperantiæ discretione reficitur, illa protinùs ad contumelias excitantur. Cibi scilicet illices sunt libidinum, & immoderatè percepti proprij humoris exuberantiam mox ad pudenda transmittunt. Qui videlicet humores dum congesti pruriunt & titillant, importuniùs expetunt ut per coitum profluant". Et Beatus Bernardus: C. Abstineo, inquit, à vino, quia *in vino luxuria est*: aut si infirmus sum, *modico utor*, juxta consilium Apostoli. Abstineo à carnibus, ne dum nimis nutriunt carnem, simul & carnis nutriant vitia. Panem ipsum cum mensurâ studeo sumere, ne onerato ventre stare ad orandum tædeat; & ne improperet etiam mihi Propheta, quòd *Panem meum comederim cum saturitate*. Sed nec simplici quidem aquâ ingurgitare me assuescam, ne distentio sanè ventris usque ad titillationem pertingat libidinis". Ejusdem Bernardi nomine circumfertur liber, *de Modo benè vivendi* inscriptus, ubi hæc leguntur cap. 25. " Ubicunque saturitas abundaverit, ibi luxuria dominabitur: ventrem cibis distentum, & vini potationibus irrigatum, voluptas luxuriæ sequitur". Et Hugo Victorinus: D Caro, inquit, inflammata per crapulam, continuò ad libidinem effervet". Et rursùs ibidem inferiùs cap. 14." Præcedens crapula, inquit, subsequentis libidinis fomes est". Et in Abdiam propè finem: " Postquam caro, inquit, per crapulam inflata est, ardorem libidinis supervenientem emollitus atque enerviter resolutus animus vincere non potest".

CDXXXIII. Quanquam igitur gulæ intemperantia

Hier. 5. 2.

W. Greg. l. 31. Moral. c. 17. aliàs 31.

Vide Lact. in Epitome cap. 3.

Gen. 3. 14.

Hier. 12. 34. juxta 70. Vide Ioan. Sarisber. l. 2. Policrat. c. 6. & Innoc. 3. lib. 2. de contemptu Mundi cap. 18.

X. Isidor. l. 2. sentent. c. 42.

Y. Isidor. Pelus. lib. 5. Epist. 495.

Prov. 20. 1.

Ephes. 5. 18.

Z. Prosp. l. 2. de vita contempl. cap. 22. Vide lib. 3. cap. 19.

A. Nilus l. de octo vitiosis cogitationibus, in Gula.

B. Petr. Damiani lib. 1. Epist. 11. Vide lib. 6. Epist. 29.

C. Bern. serm. 66. in Cantica. 1. Tim. 5.

Ezech. 16. 49.

D. Hugo Victor. lib. 2. Allegor. in Matth. cap. 3.

temperantia nullo Decalogi præcepto directè expresseque vetetur, reductitiè tamen non uni modò, sed tribus adversari comperitur; tertio scilicet, juxta Divum Thomam §. 431. relatum; quinto item & sexto, juxta reliquos ibidem & proximo ... commemoratos. Addo prætereà eundem videri etiam septimo præcepto adversari, quatenùs parit avaritiam, ex qua furta & rapinæ, cum similibus iniquis acquisitionibus promanant: ß. Ciborum aviditas, inquit Hieronymus, „quòd mater avaritiæ sit, & animum quasi „quibusdam compedibus degravatum in ter„ra teneat, quis ignorat? Propter brevem „gulæ voluptatem terræ lustrantur & maria: „& ut mulsum, vinum, pretiosusque cibus „fauces nostras transeat, totius vitæ operâ desudamus". Et rursùs ibidem cap. 8. " Diogenes, subdit, tyrannos, & subversiones „urbium, bellaque vel hostilia vel civilia, „non pro simplici victu olerum pomorum„que, sed pro carnibus & epularum delicijs asserit excitari". Et iterùm ibidem post pauca: " Deliciæ, inquit, & epularum va„rietates, fomenta sunt avaritiæ. Grandis „exultatio animæ est, cùm contentus par„vo fueris, Mundum habere sub pedibus, & „omnem ejus potentiam, epulas, libidines, „propter quæ divitiæ comparantur, vilibus „mutare cibis, & crassiore tunicâ compen„sare. Tolle epularum & libidinis luxuriam, „nemo quæret divitias: quarum usus aut in ventre, aut sub ventre est". Mirum sanè est quod de unius Vitellij Cæsaris luxu scribit Josephus: F. Octo menses, inquiens, ac „dies quinque potitus est Imperio: quem „si vivere diutiùs contigisset, ejus luxuriæ, „ut opinor, minimè sufficere potuisset Imperium". De eodem & Suetonius: G. Epu„las, inquit, trifariàm semper, interdum „quadrifariàm dispertiebat, in jentacula, „& prandia, & cœnas, commessationesque, „facilè omnibus sufficiens vomitandi con„suetudine. Indicebat autem aliud alij eâ„dem die, nec cuiquam minùs singuli appa„ratus quadringenis millibus nummûm con„stiterunt. Famosissima super cæteras fuit „cœna ei data adventitia à fratre, in qua „duo millia lectissimorum piscium, septem „avium, apposita traduntur. Hanc quo„que exuperavit ipse dedicatione patinæ, „quam ob immensam magnitudinem *clypeum* „*Minervæ* dictitabant. In hac scarorum jeci„nora, phasianorum & pavonum cerebel„la, linguas phœnicopterûm, murænarum „lactes, à Carpatio usque fretoque Hispa„niæ per navarchos ac triremes petitarum „commiscuit". Longè adhuc mirabiliora de Heliogabalo Cæsare memorat Lampridius in ejus vita. Caligulam quoque Cæsarem

ß Hieron. l. 2. contra Jovinian. c. 8.

Vide Franc. Patricium l. 1 de Regno, c. 8.

F Joseph. l. 5 de Bello Jud. cap. 33.

G Suet. in Vita Vitellij cap. 13. Vide Valer. Max. lib 9. Memorabil. c. 1. & Fulgosium l. 9. c. 1. ... Guidonem Bituric. in lib. Exemp. cap. ... 31. c. 12.

Lampridius

denotans Seneca: H. Cajus Cæsar, inquit, „quem mihi videtur rerum natura edidisse „ut ostenderet quid summa vitia in sum„ma fortuna possent", centies sestertio cœ„navit uno die: & in hoc omnium adjutus „ingenio, vix tamen invenit, quomodò „Provinciarum tributum una cœna fieret". De Nerone item Cæsare Fulgosus. I. Omni „in parte, inquit, animi corporisque sensi„bus corruptis, non minùs victus atque ami„ctus sui delicijs, quàm Venere ipsâ modum „omnem excessit. Nunquàm plusquàm semel „eandem induit vestem, aureo sericeoque „rete piscabatur; atque aleâ persæpè uno „puncto plus quadringentis perdebat sester„tijs, ingenti sumptu nimiisque delicijs ædi„ficavit; tricllnium grande construxit; in cu„jus fornice stellæ, Sol atque luna, gemmis „expressæ, colore ipsorum syderum proprie„taribus congruente, quæ omnia ex cælestis „cursûs ratione movebantur; in quo sedilia „aurea atque eburnea erant, & muri argen„teis floribus tecti; avesque quæ assiduè om„nium odorum fragrantiam spirabant". Vide jam quid hinc consecutum fuerit, & haud gravatè concedes luxum progenerare avaritiam, atque inde profluentes rapinas, cum reliquis injustitiis septimo Decalogi præcepto vetitis: " Itaque, subdit continuò author, „ita egit, ut consumptis Imperij thesau„ris, dùm aliundè opes non suppeterent, ad rapinas converteretur". Hoc fusiùs & accuratiùs enarrans Suetonius, ait de ipso: K. Ad impendiorum furorem super fidu„ciam Imperij, etiam spe quâdam repen„tinâ immensarum & reconditarum opum „impulsus est, ex indicio equitis Romani, „pro comperto pollicentis, thesauros an„tiquissimæ gazæ, quos Dido Regina fu„giens Tyro secum extulisset, esse in Afri„ca vastissimis specubus abditos, ac posse „erui parvulâ molientium operâ. Verùm ut „spes fefellit, destitutus, atque ita jam exhau„stus & egens, ut stipendia quoque militum „& commoda veteranorum protrahi ac dif„ferri necesse esset, calumnijs rapinisque in„tendit animum. Ante omnia igitur instituit, „ut è libertorum defunctorum bonis pro se„misse dodrans cogeretur ei, qui sine probabi„li causa eo nomine essent, quo fuissent illæ „familiæ, quas ipse contingeret: deinde ut „ingratorum in Principem testamenta ad Fis„cum pertinerent: ac ne impunè esset stu„diosis viris, qui scripsissent vel dictassent „ea. Tum ut læsæ Majestatis facta dictaque „omnia, quibus modò delator non deesset, te„nerentur. Revocavit & præmia coronarum, „quæ unquam sibi in certaminibus civita„tes detulissent. Et cùm interdixisset usum amethy-

H. Seneca lib. de Consol. ad Helviam cap. 9.

I. Baptistâ Fulgosius l. 9. Memorabilium c. 1.

Vidè Tertull. lib. de Pallio c. 5. & Macrob. lib. 3. Satur. c. 16.

K. Sueton. in Vita Neronis c. 31. & 32.

„ amethystini ac Tyrij coloris, submisissetque qui nundinarum die pauculas uncias venderet, præclusit cunctos negotiatores. Quin etiam inter canendum animadversam matronam è spectaculis, vetitâ purpurâ cultam, demonstrasse procuratoribus suis creditur: detractamque illicò non veste modò, sed & bonis exuit. Nulli delegavit officium, ut non adjiceret: *Scis quid mihi opus sit, & hoc agamus ne quis quidquam habeat*. Ultimò templis compluribus dona detraxit, simulachraque ex auro vel argento fabricata conflavit: & in his Penatium Deorum, quæ mox Galba restituit". Huic non absimilem nuper extitisse Henricum VIII. Anglorum Regem, colligere licet ex ijs quæ §. 242. de ipso memoravimus; traditque expresse Westonus lib. 2. de triplici hominis officio cap. 8. Cui præluserat Erasmus apud Opmeerum in Chronographia ad annum Christi 1535. hoc disticho: *Henrici laudes vis versu claudier uno? Eque Midâ facias, eque Nerone virum*. Patet igitur ex dictis quemadmodùm ex gula & luxu subnascatur prima illa avaritiæ species, quam Aristoteles libello de virtutibus *Quæstum turpem* appellat. Nec obstat quòd gulones & luxones plerunque sint prodigi: ut proinde videantur ab avaritia remoti. Quamvis enim prodigi sint in expendendo, avari tamen sunt in conquirendo. Nam quemadmodùm gulones bibunt ut vomant, & vomunt ut bibant: ita ijdem ipsi conquirunt ut profundant, & profundunt ut conquirant. Unde ait Seneca: "[L] Nec audacem timoris absolvimus, nec prodigum avaritiâ liberamus". Et Majolus ex eodem Seneca: [M] Conviviorum luxuria, inquit, & vestium, indicia sunt civitatis ægræ, imò morituræ. Nam hæc juventutem, ubi familiares opes defecerint, ad facinora incendunt. Res abit, fides perit: eadem tamen illa, quæ in abundantia erat, libido permanet. Itaque quid aliud quàm moveant composita, ut res novas sceleribus acquirant? Fiunt in Republica mutationes: cùm homines sua consumunt prodigè viventes". Quod quidem vel maximè in supremis Principibus fortunâ abutentibus locum habet, de qualibus Salzedo: [N] Aptissima, inquit, ærarij conservandi ratio est, sumptibus non necessarijs detrahere, & vanas largitiones cohibere. Teneat Rex mensuram, & Respiciat finem: ærarium enim largitionibus superfluis, alijsque varijs sumptibus exhaustum, posteà per scelerata media plerunque suppletur: & omnis Rex prodigus, necessariò erit exactor". Quapropter digna sanè Principe est illa Theodorici Gothorum quondam in Italia Regis vox apud Cassiodorum: [O] Fisci volumus legale custodiri compendium, quia nostra clementia rebus proprijs videtur esse contenta: & sicut nullum gravare cupimus, ita debita nobis perdere non debemus: indigentiam justè fugimus, quæ suadet excessus; dum perniciosa res est in imperante tenuitas. Modus ubique laudandus est: nam cur aut vituperabilis negligentia in proprijs defluat, aut cupiditas turpis aliena abradat"? Cui sententiæ admodùm consona est & illa ejusdem apud Ribadeneiram: [P] Magna ex causa paupertatem fugimus, quòd stimulus sit insani appetitûs, & in Principe perniciosa est admodùm, jureque dixit Sapiens quidam, *Regem pauperem animal esse periculosum*". Huc item spectat quòd Petrus Gregorius Tholosanus in suo de Republica Opere scribit: [Q] In excessu, inquiens, ex prodigalitate imperantium, seu in luxu & expensis inutilibus in convivia, voluptates, superfluum apparatum conviviorum & personarum, & in profusas largitiones, magnum detrimentum capit Respublica: tum quòd posteà pecuniæ in necessarios sumptus desiderentur, tum etiam quòd pro his onerandus sit multis tributis populus, quibus læsus accipit rebellandi occasiones". Hæc ille ibi de luxu imperantium, quibus & mox infrà n. 7. adjungit etiam subditos, dicens: "Duo maximè vitia succrescunt non solùm in regnis & Regibus, sed etiam in populis & in omni specie Rerumpublicarum, avaritia & luxuria: quæ ut pestes crudelissimæ omnem statum Reipublicæ subvertunt & depopulantur, ut dicebat M. Porcius Cato". Catonis verba ad Senatum Romanum hâc de re recitat Livius ista: [R] Sæpè me quærentem de fœminarum, sæpè de virorum, nec de privatorum modò, sed etiam de Magistratuum sumptibus, audistis: diversisque duobus vitijs, avaritiâ & luxuriâ, civitatem laborare: quæ pestes omnia magna Imperia everterunt". Ubi *luxuria* vocabulo non tam lascivia denotatur; quàm luxus: prout patet ex contextu. Differit quippe illic Cato pro manutenenda lege *Oppia*, quæ luxui, signanter muliebri, modum ac limitem præfigebat. Hujusmodi porrò luxuria etsi non sit formaliter ipsa lascivia, adeò tamen ei est connexa, ut ambæ eodem *luxuriæ* nomine gaudeant: ideò forsitan, quòd altera alterius genitrix sit ac nutrix, imò verò etiam vectrix, dicente Bernardo: [S] Luxuriæ currus quadrigâ volvitur vitiorum: ingluvie videlicet ventris, libidine coïtus, mollitie vestium, otij torporisque resolutione. Trahitur equis duobus, prosperitate vitæ, & rerum abundantiâ: & his præsi-

Westonus.

Erasmus.

Aristoteles.

PRAOCCVPATIO.

L. Seneca l. 4. de Benefic. c. 27.

M. Majolus tom. 2 Canicularium Colloq. 3 Vide Senecam Epist. 114.

N Hieron. Salzedo in lib. 2 de Regum Principum c. 7. n. 65. Vide Richterum Axiomate œconomico 78. 83. & 192.

O Apud Cassiod. l. 1. Epist. 19.

P. Apud Ribaden. l. 2 de Principe Christiano cap. 10.

Q. Petrus Gregor. lib. 3 de Rep. c. 4. n. 3 Vide ibidē c. 12. n. 5 & Lessium in Epitome cap. 3.

R. Apud Livium decade 4. [illegible] Vide Princ. Pars etiam l. 4. de Regno cap. [illegible] Vide Valer. Max. l. [illegible] Memorab. cap. [illegible]

S. Bern. Serm. [illegible] Cantica

„ præsident duo, ignaviæ torpor, & invida „ securitas; quia & copia in ignaviam solvit, „ & secundùm Scripturam, *Prosperitas stultorum perdet illos*".

Prov. 1.32.

CDXXXIV. Ex hactenùs toto isto capite ac præcedenti deductis obviè cernitur quàm rectè à Schola Theologica Lovaniensi reprobatus fuerit Articulus iste, ordine vigesimus primus inter viginti sex sibi per Episcopum Gandavensem anno 1657. propositos: *Non nisi veniale est, etiam absque utilitate, se cibo & potu usque ad vomitum ingurgitare; nisi ex hujusmodi vomitibus gravia valetudini incommoda oriantur.* Quem Articulum denuò Episcopus Namurcensis anno 1659. synodaliter proscripsit, ordine penultimum inter septemdecim, quos tanquam *novos, periculosos, & salutis animarum destructivos*, à sua diœcesi eliminandos censuit. Lovaniensis porrò Censura ejusdem Articuli sic sonat: *Scandalosa assertio, & falsa in sua generalitate, ac laxans habenas potatoribus ad se liberaliter ingurgitandum & inebriandum.* Unde verò desumptus fuerit Articulus, & an solo verbo disseminatus, an etiam scripto evulgatus, neutra censura prodidit. Videtur tamen transcriptus ex Theologia Morali P. Antonij de Escobar, ubi præmissâ quæstione, *Quodnam peccatum gula est?* Subditur continuò pro responso, T *Ex genere suo veniale, etiamsi absque utilitate se quis cibo & potu usque ad vomitum ingurgitet; nisi ex hujusmodi vomitione gravia saluti incommoda oriantur.* Cæterùm quisnam eundem Articulum huic authori præformaverit aut tradiderit, nec ipse in particulari expressit, nec ego hactenùs reperire potui. Notanter dixi, *in particulari*: quia in communi profitetur ipse in *Idea* Operi præfixâ, se omnia sumpsisse ex suæ Societatis Doctoribus: *Hoc ingenuè profiteor*, inquiens, *me nihil toto in libello scripsisse, quod Societatis IESV non acceperim ex Doctore: quas enim proprias passim resolutiones innuo, ex Schola Societatis apertè deductas existimarim.* Idem rursùs in exordio Tractatus secundi, unde prædictam resolutionem descripsimus, commemorans authores quibus toto illo Tractatu nititur: *Sequor*, inquit, *doctrinam Suarij, Vasquez, Toleti, Laymanni, Filliucij, Ferdinandi de Castropalao, Saa, Casparis Hurtado, Baldelli, Gordonij, Maratij, Lugo, Tanneri, & Præpositi.* Neminem tamen horum nominat eo loco unde Articulum citavimus, uti nec inferiùs in fine ejusdem capitis, ubi eundem Articulum denuò astruit, quasi semel dixisse non sufficeret, dicens: *Quamvis quis usque ad vomitum vescatur aut bibat, mortale non est, ut diximus; nisi grave malum corporis, vel scandalum sequatur: quia ex se vomitio grave incommodum non est.* Interest tamen nonnulli inter Articulum priùs positum, & hîc repetitum: quia in priori utitur author verbo, *ingurgitandi*, quod fœdiùs sonat, quàm verba *vescendi* & *bibendi*, quibus utitur in posteriori. Item pro eo quod in priori dixerat, *gravia saluti incommoda*, in posteriori substituit, *grave malum corporis*. Denique in posteriori addit, *vel scandalum*; quod tamen in priori prorsùs subticuerat. Ex adversò autem interserat priori illam clausulam, *absque utilitate*; quam in posteriori prætermisit. Porrò per hoc quòd utrobique inferat clausulam, *usque ad vomitum*, planum est eum loqui de notabili excessu non modò supra necessitatem, sed supra ipsam quoque satietatem: Neque enim natura, signanter sana, prorumpit in vomitum, nisi cùm notabiliter ultra satietatem gravatur. Ubi obiter notandum, quòd idem iste author inferiùs ibidem cap. 8. §. 6. nu. 102. excuset ab omni peccato eum, qui absque necessitate, ob solam voluptatem, comedit & bibit usque ad satietatem. Inquirit quippe ibi, *An comedere & bibere usque ad satietatem absque necessitate ob solam voluptatem, sit peccatum?* Subdit autem continuò pro resolutione: *Cùm Sanctio negative respondeo, modò non obsit valetudini: quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Verùm hujus resolutionis falsitas satis patet ex dictis superiùs §. 427. quibus nunc addo documentum istud, quod Augustinus nobis reliquit, traditum sibi à Deo, cui ait in suis Confessionibus: V. Hoc me docuisti, ut quemadmodùm medicamenta, „ sic alimenta sumpturus accedam. Sed dum „ ad quietem satietatis ex indigentiæ mole„ stia transeo, in ipso transitu mihi insidia„ tur laqueus concupiscentiæ: ipsa enim „ transitus voluptas est, & non est alius quà „ transeatur, quàm quò transire cogit ne„ cessitas. Et cùm salus sit causa edendi & „ bibendi, adjungit se tanquam pedissequa „ periculosa jucunditas; & plerunque præire „ conatur, ut ejus causâ fiat, quod salutis „ causâ me facere vel dico, vel volo. Nec „ idem modus utriusque est, nam quod saluti „ satis est, delectationi parùm est: & sæpè „ incertum fit, utrùm adhuc necessaria cor„ poris cura subsidium petat, an voluptua„ ria cupiditatis fallacia ministerium suppe„ tat. Ad hoc incertum hilarescit infe„ lix anima, & in eo præparat excusatio„ nis patrocinium, gaudens non appare„ re quid satis sit moderationi valetudinis, „ ut obtentu salutis obumbret negotium vo„ luptatis. His tentationibus quotidie co„ nor resistere, & invoco dexteram tuam ad „ salutem meam, & ad te refero æstus meos, „ quia consilium mihi de hac re nondum „ stat. Audio vocem jubentis Dei mei, *Non graventur corda vestra in crapula & ebrietate.* Ebrie-

Articulus Lovanii reprobatus.

Censura Namurcensis.

T [illegible] Ex [illegible] 5. [illegible] n. 56.

V. August. lib. 10. Confess. c. 31. Vide Ambr. precatione 2. ante Missam, & Leonem Ser. 12. de Quadrage. cap. 2.

Luc. 21.34.

„ Ebrietas longè est à me, misereberis ne ap-„ propinquet mihi: crapula autem nonnun-„ quam surrepit servo tuo, misereberis ut lon-„ gè fiat à me: *Nemo enim potest esse continens, nisi tu des*". Huc item spectat illud ejusdem lib. 4. contra Iulianum cap. 14. " Cùm ad „ usum ventum fuerit necessariæ voluptatis, „ per quam reficimus corpus, quis verbis ex-„ plicet quemadmodùm nos modum necessi-„ tatis sentire (*libido gustandi*) non sinat, & „ ipsum limitem procurandæ salutis, si qua „ adsunt delectabilia, rapiendo abscondat & „ transeat, putantibus nobis satis non esse „ quod satis est, dum libenter ejus provoca-„ tionibus ducimur, existimantes nos adhuc „ agere negotium valetudinis, cùm agamus „ potiùs cruditatis? Quid enim mali tecri-„ mus, crapula pœnitendo testatur; quod „ metuentes, plerùnque minùs quàm exi-„ mendæ fami sufficiat vescimur: ita nescit cupiditas, ubi finiatur necessitas". Ex quibus manifestum est, regulam temperantiæ Augustino non esse satietatem, nedum voluptatem aut delectabilitatem, sed necessitatem, & idcircò, juxta ipsum, animas, alioqui pias, transgredi interdum eam regulam, quia fallente libidine, *nescit cupiditas ubi finiatur necessitas*. Quam temperantiæ regulam it. de Moribus Ecclesiæ cap. 21. rursùs astruit: " Habet igitur vir temperans, inquit, in re-„ mortalibus & fluentibus, vitæ regulam „ utroque Testamento firmatam: ut eorum „ nihil diligat, nihil per se appetendum pu-„ tet; sed ad vitæ hujus atque officiorum „ necessitatem, quantùm satis est, usurpet, „ utentis modestia, non amantis affectu". Quâ Augustini doctrinâ nixus Angelicus Doctor: [W.] Omnia delectabilia, inquit, quæ „ in usum hominis veniunt, ordinantur ad „ aliquam hujus vitæ necessitatem sicut ad „ finem: & ideò temperantia accipit necessi-„ tatem hujus vitæ sicut regulam delectabi-„ lium quibus utitur; ut scilicet tantùm eis „ utatur, quantùm necessitas hujus vitæ requirit". Fallor nisi & hoc ipsum magisterio naturæ edoctus tradiderit Seneca, cùm scripsit: [X.] Temperantia voluptatibus imperat: „ alias odit atque abigit, alias dispensat & ad „ sanum modum redigit, nec unquam ad illas „ propter ipsas venit. Scit optimum esse mo-„ dum cupitorum, non quantum velis, sed quantum debeas, sumere". Qui rursùs Epist. 116. ait: " Curam nobis nostri natura man-„ davit: sed huic ubi nimium indulseris, vi-„ tium est. Voluptatem natura necessarijs re-„ bus admiscuit, non ut illam peteremus, sed „ ut ea sine quibus vivere non possumus gra-„ tiora nobis illius faceret accessio: si suo veniat jure, luxuria est". Et lib. de Consolatione ad Helviam cap. 9." Corporis exigua

Seq. v. 21.

Vide Aug. l. 10 Confess. cap. 34.

W. D. Thomas 2. 2. q. 141. a. 6. in Corp.

X. Seneca Epist 88 Vide eundē lib. de Vita beata c. 10. in fine.

„ desideria sunt, frigus submovere vult, ali-„ mentis famem ac sitim extinguere: quic-„ quid extra concupiscitur, vitijs, non usibus laboratur". Et Epist. 4 sic Lucilium alloquitur:" Magnæ divitiæ sunt, lege naturæ com-„ posita paupertas. Lex autem illa naturæ, „ scis quos nobis terminos statuit? Non esurire, non sitire, non algere". Verùm, ut idem lib. de Vita beata cap. 13. rectè animadvertit," Parùm est luxuriæ, quòd naturæ satis est". Quòd si huic Philosopho alium quoque Philosophum ætate vetustiorem adjungi velis, habes Aristotelem, qui conformiter ad ea quæ ex Divo Thoma mox retulimus ait in suis ad Nicomachum Ethicis: [Y.] Sicut puerum sub pædagogi præceptis „ vivere oportet, sic & cupiendi vis cupere „ debet perinde ac ratio jubet: idcircò tempe-„ rantis cupiditatem concordare cum ratione „ oportet, nam utriusque propositum est ho-„ nestas. Atque vir temperans ea cupit, quæ „ cupere oportet, & ut oportet, & quando „ oportet: hoc enim modo & ipsa ratio dictat". Præmiserat quoque idem authot ibidem superiùs cap. 10." Circa tales voluptates tem-„ perantia intemperantiaque versatur, quæ ani-„ malibus etiam cæteris sunt communes: ea-„ propter serviles & ferinæ videntur. Hæ au-„ tem sunt, quæ tactu gustuque percipiuntur. „ At enim & gustu parùm vel minimè uti vi-„ dentur intemperantes: gustûs quippe offi-„ cium saporum judicium est, quod quidem ij „ faciunt qui vina probant, & epulas condiunt. „ Non nimiùm autem his gaudent intempe-„ rantes, sed voluptate quæ per tactum fit, „ ut in esculentis ac poculentis, & his quæ „ venerea nuncupantur. Unde quidam vo-„ luptatibus epularum deditus, *Philoxenus Eryxius*, precatus est, ut sibi fieret guttur „ longius quàm gruis, propterea quòd tactu „ delectaretur. Sensuum igitur maximè com-„ munis est is, circa quem intemperantia con-„ sistit: quæ idcircò vituperanda est, quod „ hominibus non ea ratione quâ homines sunt „ accidat, sed quâ animalia. Talibus igitur „ gaudere, maximeque talia consectari, ferinum est". Ecce quod Gentili Philosopho ferinum est, Christianis Theologis, *Sancio* & *Escobario*, humanum, honestum, licitumque reputatur, & ut tale prædicatur. Quapropter licet hìc unicuique istorum regerere illud Augustini ad Julianum, voluptati sensuali similiter olim patrocinantem: [Z.] Obsecro te, non „ sit honestior Philosophia Gentium, quàm „ nostra Christiana, quæ una est vera Philo-„ sophia, quandoquidem studium vel amor sapientiæ significatur hoc nomine. Libet præterea eisdem refricare memorabilem illam Auli Gellij, Scriptoris alioquin ethnici, sententiam: [A.] Quis, ait ille, ha-

Y. Aristot. lib. 3. cap. [illegible] V. de [illegible] Eudemum, & Nicomach. La Moral. c. 1.

Z. [illegible] 19

Leus

,, bens aliquid humani pudoris, voluptatibus
,, illis duabus, coëundi atque comedendi, quæ
,, sunt homini cum sue atque asino commu-
,, nes, gaudeat? Socrates quidem dicebat,
,, *Multos homines propterea velle vivere, ut ederent*
,, *& biberent: sese bibere atque esse, ut viveret.*
,, Hippocrates autem, divinâ vir scientiâ, de
,, coitu venereo ita existimabat: *partem quan-*
,, *dam esse morbi teterrimi, quem nostri comitialem*
dixere". Hoc ipsum iisdem verbis recitat &
approbat Macrobius lib. 2. Saturnalium cap. 8.
Prætextatus quoque apud eundem inferiùs
ibidem lib. 7. cap. 4. refert, "Socratem so-
,, litum fuisse suadere, *Illos cibos potusve vitan-*
,, *dos, qui ultra sitim famemve sedandam producant*
appetentiam". Facessat proindè illa Sancij &
Escobarij laxitas, negantium *peccatum esse co-*
medere & bibere usque ad satietatem, absque neces-
sitate, ob solam voluptatem. Facessat pariter illa
probatio ab Escobario subjuncta, nimirum
quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.
Non ait, uti: sed, *frui*, hoc est, ipsis propter
ipsos delectatione inhærere: [A] *Frui*, inquit
,, Augustinus, est amore alicui rei inhærere,
,, propter seipsam. *Uti* autem, quod in usum
,, venerit, ad id quod amas obtinendum re-
,, ferre, si tamen amandum est: nam usus il-
,, licitus, abusus potiùs vel abusio nominan-
dus est". Et alibi: [B] *Frui* dicimur eâ re, de
,, quâ capimus voluptatem: *Utimur* eâ, quam
,, referimus ad id unde voluptas capienda est.
,, Omnis itaque humana perversio est, quod
,, etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, at-
,, que utendis frui: & rursùs omnis ordina-
,, tio, quæ virtus etiam nominatur, fruendis
frui, & utendis uti". Novit sanè Seneca frui-
tionem ab usu discernere, cùm quendam Epi-
curi de grege porcum redarguens diceret ei:
[C] Tu voluptatem complecteris, ego com-
pesco: tu voluptate frueris, ego utor".

Socrates. Hippocrates. Macrobius. Prætextatus. Socrates. Vide Musonium apud Stobæum serm. 16. [A] August. de ... c. 4. 10. ... [B] ... lib. 10. [C] Seneca l. de vita beata cap. 10.

CDXXXV. His de incidente illo Articulo
præmissis, planiùs perspicitur quàm rectè Lo-
vanij primùm, ac deindè Namurci reproba-
tus sit alter iste Articulus, sub initium præce-
dentis §. relatus: *Non nisi venale est, etiam abs-*
que utilitate, se cibo & potu usque ad vomitum in-
gurgitare; nisi ex hujusmodi vomitibus gravia valetu-
dini incommoda oriantur. Neque enim tam cor-
poris sospitati, quàm animæ incolumitati
14. prospectum voluit Christus, cùm *attendere*
nos jussit, ne graventur corda nostra in crapula, &
ebrietate. Apostolus quoque Paulus, tanquam
Christi interpres, gravitatem utriusque flagi-
tij edisserit, dum *ebrietates, & comessationes* re-
censet inter crimina, à regno Dei excludentia.
In lege quoque veteri jubetur lapidari filius
protervus, *Comessationibus vacans, & luxuria at-*
que conviviis. In Proverbijs item scriptum est,
Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessatio-
nibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt: quia
vacantes potibus, & dantes symbola consumentur.
Atque ut noverimus grave id esse delictum,
subditur ibidem post paucula: *Cui væ? Cujus*
patri væ? Cui rixæ? Cui foveæ? Cui sine causa
vulnera? Cui suffusio oculorum. Nonne his qui
commorantur in vino, & student calicibus epotandis?
In cujus loci commentario venerabilis Beda
ait: [D] *Væ*, æternum interitum nominat, de
,, quo Dominus: *Væ*, inquit, *homini per quem*
scandalum venit". Et Hieronymus in caput 5.
Amos: *Væ*, inquit, *pœnarum ultimum est.*
Juxta hanc ergò regulam, quoties alicui com-
minatorium illud *Væ* intentari cernimus, gra-
ve crimen subesse rationabiliter concludimus:
ut cùm audimus, *Væ qui consurgitis manè ad*
ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vespe-
ram, ut vino æstuetis: & illud ibidem post pau-
ca, *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri*
fortes ad miscendam ebrietatem: & illud item
Euangelicum, *Væ vobis qui saturati estis, quia esu-*
rietis. Longè profectò enormius est *usque ad*
vomitum ingurgitari, quàm simpliciter *saturari*:
qui ergò horribile illud *Væ* intentat *saturatis*,
quid putamus eum reservasse *usque ad vomitum*
ingurgitatis? Augustinus sanè non dubitat
ebrijs eos æquiparare, ejusdemque criminis
reatu involvere, qui [E] usque ad vomitum
,, ingurgitare se non erubescunt, & ad men-
,, suras sine mensurâ bibere. Majora enim po-
,, cula providentur, certâ bibendi lege con-
,, tenditur: qui poterit vincere, laudem mere-
tur ex crimine". Non solent certè ad vomi-
tum usque pervenire, qui *potentes sunt ad biben-*
dum vinum: & tamen etiam ipsis *Væ* dicitur, ut
jam visum est. In quorum numero famosus
censetur *Novellius torquatus*, cui inditum fuit
cognomen *Tricongij*, eò quòd tres vini congios
unico haustu, spectante Tiberio Cæsare, eva-
cuasset: [F] Gloriam hac virtute, inquit Pli-
,, nius, Parthi quærunt, famam apud Græ-
,, cos Alcibiades meruit: apud nos cognomen
,, etiam Novellius Torquatus Mediolanensis,
,, ad Proconsulatum usque è præturâ hono-
,, ribus gestis, tribus congijs (unde & cogno-
,, men illi fuit) uno impetu epotis, spectante
miraculi gratiâ Tiberio Principe". Et mox
iterùm ibidem: "Torquati rara gloria (quan-
,, do & hæc ars suis legibus constat) non la-
,, basse sermone, NEC LEVATUM VOMITIONE,
,, non alterâ corporis parte: dum biberet ma-
,, tutinas obijsse vigilias, plurimum hausisse
,, uno potu, plurimum præter eâ alijs mino-
,, ribus addidisse, optimâ fide non respirasse
,, in hauriendo, neque exspuisse, nihilque in
,, pavimentis ad elidendum sonum reliquisse,
,, diligenti legum scito contra bibendi falla-
cias". Huic etsi non par, saltem suppar fuit
Ciceronis filius: qui, teste ibidem Plinio, *binos*

Ibid. v. 29. & 30. [D] D. Beda in caput 23. Proverbiorum. Hieronymus. Isa. 5. 11. Vide Basil. Homil. 14. in ebrietatem & luxum. Ibid. v. 22. Luc. 6. 25. [E] August. serm. 231. de tempore. [F] Plin. l. 14. cap. 22. Vide Athenæum l. 10. cap. 12. & seqq.

congios simul haurire solitus erat: ut proindè *Bicongij* cognomen acceperit. Quibus duobus pro ternionis complemento adjiciendus venit *Bonosus* ille, Imperij aliquando usurpator: qui, teste Vopisco, G. Bibit quantum hominum „ nemo. De quo Aurelianus sæpe dicebat, *Non ut vivat natus est, sed ut bibat*". Unde cùm postea à Probo Cæsare victus & suspendio necatus fuisset, ansam dedit dicendi jocaliter, *Amphoram pendere, non hominem*. Is tamen tam largiter epotando ac nepotando nequaquam ad vomitum usque perveniebat, nec rationis usum exuebat, sed prudentior evadebat, dicente ibidem Vopisco de ipso: "Eum diu „ in honore habuit Aurelianus, militiæ causâ: „ nam siquando Barbarorum Legati undecunque gentium venissent, ipsis propinabat „ ut eos inebriaret, atque ab ijs per vinum „ cuncta cognosceret: ipse, quantumlibet bibisset, semper securus & sobrius; &, ut „ Onesimus dicit Scriptor vitæ Probi, adhuc „ in vino prudentior. Habuit præterea rem „ mirabilem, ut quantum bibisset, tantum „ mingeret; neque unquam aut ejus pectus, aut venter, aut vesica gravaretur". De Maximino item Cæsare loquens Julius Capitolinus: H. Bibisse illum sæpe, inquit in die, vini Capitolinam amphoram constat". *Capitolinam* porrò *amphoram* omnium fuisse maximam, testatur Marcellus Donatus in ejus loci Scholio. Ubi & ex volusio Metiano refert, amphoram continere urnas duas, modios tres, semodios sex, congios octo, sextarios quadraginta octo, heminas nonaginta sex, quartarios centum nonaginta duos, cyathos quingentos septuaginta sex. Hos ergò atque alios consimilis genij heluones Scriptura taxat, eisque terribile illud *Væ* intonat, cùm ait: *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum*, &c. Mirum quoque est quod de ejusdem Maximini voracitate idem Capitolinus ibidem memorat ex Cordo, vitæ ejus antiquiori Scriptore: *Eum* scilicet *comedisse in die sexaginta libras carnis*. Sed nec minùs stupendum, quod de Clodij Albini edacitate refert in ipsius vita idem Capitolinus, ex eodem Cordo: *Eum* nimirùm *quingentas ficus passarias, quas Græci callistruthias vocant, ieiunum comedisse, & centum Persica campana, & melones Hostienses decem, & uvarum lavicanarum pondo viginti, & ficedulas centum, & ostrea quadringenta*. Ecce quemadmodùm fuerint nonnulli ad stuporem usque potentes ad bibendum; alij ad edendum, alij ad utrumque. Sed qui *Væ* dixit primis & novissimis, sub ijs profectò comprehendisse censendus est medios: præsertim cùm Apostolus, tuba Christi, *Comessationes* unà cum *ebrietatibus* inter *opera tenebrarum* recensuerit. Ministris altaris vetitum olim erat I. *Ultra tertiam vicem attingere poculum*. Anacharsis Scytha, quem plerique numero septem Sapientum includunt, dixisse memoratur, K. Vitem uvas tres ferre, primam volupta„tis, secundam ebrietatis, tertiam mœroris". Paulò aliter sive idem ipse, sive alius, apud Apuleium in Floridis dicentem: L. Sapientis „ viri super mensam celebre dictum est: *Prima* „ *cratera ad sitim pertinet, secunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatem, quarta ad insaniam*". Liberalior Eubulus, aut potiùs per ipsum Bacchus, apud Athenæum, multiplicat cyathos usque ad decadem: ita tamen ut solos tres primos prudentibus, reliquos septem imprudentibus indulgeat: Primum omnium nominat craterem bonæ valetudinis, secundum amoris & voluptatis, tertium soporis, quartum proterviæ, quintum clamoris & convicij, sextum turbulentiæ, petulantiæ, ac lasciviæ; septimum plagarum, sugillationum, ac vibicum; octavum apparitorum rixantes in jus vocantium, nonum iracundiæ, decimum furoris qui madidos prosternit, & pavimenta vomitibus maculat. Usque ad hunc effectum Bacchici crateris, qui est vomitus, permittit Escobarius pervenire Libones; eatenùs saltem ut gravem culpam neutiquam incurrant, dummodò tamen grave incommodum valetudini suæ non inferant. Ubi mirari lubet, Theologum Christianum silentio præterijsse pericula animæ, ubi tantam gerit curam valetudinis corporis. Nonne anima pluris facienda est quàm corpus, adeoque pericula animæ sollicitiùs cavenda quàm incommoda corporis? An fortè ex ventris infartione, & *usque ad vomitum ingurgitatione*, non ingruit animæ grave periculum? Ingruit prorsùs: & idcircò eodem jure obstringimur eam sive præcavere sive amputare, quo & alias peccandi occasiones, de quibus contra novellorum Ethicorum laxitates § 430. disseruimus. Et sanè cùm ex dictis §. 431. 432. & 433. pateat, gulæ intemperantiam reductitiè prohiberi tertio, quinto, sexto, & septimo Decalogi præceptis; patere consequenter debet, eandem præbere occasionem violandi eadem Decalogi præcepta: adeoque exponere sectatores suos periculo impingendi in eadem præcepta. Imò verò juxta Gersonem gula præbet ansam transgrediendi universa Decalogi præcepta, & non illa sola quatuor à nobis peculiariter prætacta: M. Gu„ la, ait ille, facit ex persona, quæ esse deberet „ civitas & habitatio Dei, habitationem quan„ dam inimicorum, & tanquam speluncam „ latronum, aut haram porcorum. Per gulam „ homines transgrediuntur præcepta Legis: „ & ideò non habet præceptum speciale quod „ eam prohibeat, quia omnia sunt ei contraria, & ipsa omnibus".

CAPUT

G. Flavius Vopiscus in vita Bonosi.

H. Jul. Capitolinus in vita Maximinorum duorum.

Vide Alexandrum ab Alex. lib 3. Genialium cap 20. & Athenæum lib 11. c. 11. & Epiphan. l. de Mensuris & ponderibus. & Isidor. l. 16. Originum cap. 25. Isa. 5. 22.

Rom. 13. 12. & 13.

I Cap. ... de Dist. ...

K Anachar. apud ... tium lib ... vita P... soph.

L Apuleius l. 4. Floridorum.

Vide Athenæum lib 2. c. 3 & Alex. ab Alex. lib. 5 Genial c. 21. cum Notis Tiraquelli ibid. & Balthas. Bonifaciam lib. 3. Historiæ Ludicræ c. 12.

M. Ge... Serm. ... tra g... Domi... 1. A... ...

CAPVT CXV.

Transitus ad septimum Decalogi praeceptum, vetans furtum; *cum adjunctione Decimi, vetantis alienarum rerum* concupiscentiam. *Praeceptorum secundae tabulae ordo.* Avaritiae *etymon, & varia usurpatio.* Pecunia *unde dicta, & quàm amplè sumpta? Avaritia an, & qualiter à cupiditate differat? Expenditur Euangelicum praeceptum,* Cavete ab omni avaritiâ. Mammon *apud Syros pro Deo habitus, an idem cum* Pluto, *cum* Æsculano, *cum* Argentino? Pecunia *à Romanis in Dearum numerum relata, sed sine templo vel altari relicta. Avaritia cur ab Apostolo dicta* idololatria? *Quis apud Apostolum* Deus hujus saeculi, *juxta Epiphanium*? Mammona *quid, & cur* iniquitatis *dicta? Dives aut iniquus est, aut iniqui haeres. Avarus peculatori comparatur. Superflua divitum, necessaria sunt pauperum: atque adeò cùm ea possidentur, aliena detinentur. Avaritia quatenus justitiae, & quatenus liberalitati adversetur? Est vitium capitale, cujus filiae singulatim recensentur, & earum processiones elucidantur. Qui avaritiam* omnium malorum radicem *in agro sui pectoris plantat, venenatam ejus propaginem vitare nequibit. Nulla putredo vulneris in Dei naribus foetet intolerabilius, quàm avaritiae stercus. Quâ ratione avaritia caeteris vitijs praeponderet? Expenditur quod scriptum est,* Avaro nihil est scelestius: *item,* Nihil est iniquius quàm amare pecuniam. *Avaritia quasi biceps coluber, utroque consuevit ore mordere; hinc avidè rapiendo alienum, inde anxiè retinendo proprium. Avari Babylonicis draconibus deteriores: uti & gryphis Scythicis, & formicis Indicis; de quibus mira memorantur ex Pomponio Mela, Solino, & Plinio. Thesaurorum custodia draconibus assignatur, ex Macrobio. Inhiantes auro discerpuntur crebrò à gryphis & formicis, velut ad plectendam avaritiam geniti.*

§. CCCCXXXVI. SEquitur nunc septimum Decalogi praeceptum, vetans *furtum*: cui adjungemus & decimum, vetans rei alienae *concupiscentiam*: N. Ad proximos, inquit D. Thomas, aliquis „ benè se habet & specialiter, & generaliter: „ specialiter quidem quantùm ad illos quo„ rum est debitor, ut eis debitum reddat: & „ quantùm ad hoc accipitur praeceptum de „ *honorandis parentibus*. Generaliter autem „ quantùm ad omnes, ut nulli nocumentum „ inferatur neque opere, neque ore, neque „ corde. Opere quidem infertur nocumen„ tum proximo quandoque in propriam per„ sonam quantùm ad existentiam personae; & „ hoc prohibetur per hoc quod dicitur, *Non* „ *occides*. Quandoque autem in personam „ conjunctam, quantùm ad propagationem „ prolis; & hoc prohibetur cum dicitur, *Non* „ *moechaberis*. Quandoque autem in rem pos„ sessam, quae ordinatur ad utrumque; & „ quantùm ad hoc dicitur, *Non furtum facies*. „ Nocumentum autem oris prohibetur cùm „ dicitur: *Non loqueris contra proximum tuum* „ *falsum testimonium*. Nocumentum denique „ cordis prohibetur cùm dicitur, *Non concupisces*". Idem rursùs Articulo proximè sequenti ibidem subdit in corpore: " In praeceptis or„ dinantibus ad proximum manifestum est „ quòd magis repugnat rationi, & gravius „ peccatum est, si homo non servet ordinem „ debitum ad personas quibus est magis debi„ tor; & ideò inter praecepta ordinantia ad „ proximum primò ponitur praeceptum pertinens

N. D. Thomas 2.2.q. [illegible] art. 5. corp.

Exod. 20. 12.

[illegible] 13.

Ibid. v. 14.

Ibid. v. 15.

Ibid. v. 16.

Ibid. v. 17.

„ tinens ad parentes. Inter alia verò præcep„ta etiam apparet ordo secundùm ordinem „ gravitatis peccatorum: gravius est autem, & „ magis rationi repugnans, peccare opere, „ quàm ore; & ore, quàm corde: & inter „ peccata operis gravius est homicidium, per „ quod tollitur vita hominis jam existentis; „ quàm adulterium, per quod impeditur cer„ titudo prolis nasciturae: & adulterium gra„ vius est quàm furtum, quod pertinet ad bona exteriora". Exteriora ista bona dicuntur *bona fortunæ, divitiæ, possessiones, pecunia, æs.* Unde idem 2. 2. q. 118. art. 2. in corpore:" Di„ vitiæ, inquit, secundùm se habent ra„ tionem boni utilis: eâ enim ratione ap„ petuntur, inquantùm in usum homi„ num cedunt. Et ideò speciale quoddam „ peccatum est avaritia, secundùm quod est „ immoderatus amor habendi possessiones, „ quæ nomine *pecuniæ* designantur, ex quâ sumitur *avaritiæ* nomen". Quibus finalibus verbis alludit ad vocis originem, de qua Isidorus: O. *Avarus*, inquit, *ex eo dictus est, quòd sit avidus auri.* Paulò aliter Aulus Gellius, vel potiùs Nigidius apud ipsum: P. *Avarus*, inquit, *appellatur, qui avidus æris est; sed in copulâ, E, littera detrita est.* Græci eam vocant *philargyriam*, quasi dicas amorem sive aviditatem argenti: Q. Avaritia, inquit Augusti„ nus, quæ Græcè *philargyria* dicitur, non in „ solo argento vel nummis, unde magis no„ men duxisse resonat (argento enim num„ mi, vel mixto argento frequentiùs apud „ veteres fiebant) sed in omnibus rebus quæ „ immoderatè cupiuntur intelligenda est, ubi„ cunque omninò plus vult quisque quàm sat est". Sed hoc loco Augustinus *avaritiæ* nomen ampliat, prout notat D. Thomas, cùm ait: R. Nomen *avaritiæ* ampliatum est ad omnem „ immoderatum appetitum habendi quam„ cunque rem, sicut Gregorius dicit in quâ„ dam Homilia, quòd *avaritia est non solùm pe„ cuniæ, sed etiam scientiæ, & altitudinis, cum su„ pra debitum modum sublimitas ambitur.* Et se„ cundùm hoc avaritia non est speciale pecca„ tum: & hoc etiam modo loquitur Augusti·nus de avaritia in authoritate inductâ". Ubi expressè alluditur ad locum Augustini proximè relatum. Cui addi potest & alius iste locus ejusdem, quo ait: S. Meritò *initium omnis pec„ cati superbiam* Scriptura definivit. Cui testi„ monio non inconvenienter aptatur etiam „ illud quod Apostolus ait: *Radix omnium ma„ lorum est avaritia*, si avaritiam generalem in„ telligamus, quâ quisque appetit aliquid am„ pliùs quàm oportet, propter excellentiam „ suam, & quendam propriæ rei amorem". Addit verò idem mox de avaritiâ specialiter sumptâ prout vetatur decimo Decalogi præcepto, & ejus executio septimo præcepto: " Specialis est autem *avaritia*, quæ usitatiùs appellatur *amor pecuniæ*". Ubi tamen notandum ex eodem ipso Augustino lib. de Disciplina Christiana cap. 6. nomine *pecuniæ* comprehendi generaliter quascunque opes terrenas: "Totum enim, inquit ipse ibi, quicquid ho„ mines possident in terra, omnia quorum „ domini sunt, *pecunia* vocatur: servus sit, vas, „ ager, arbor, pecus, quicquid horum est, „ *pecunia* dicitur. Et unde est primùm vocata „ *pecunia*? Inde *pecunia*, quia antiqui totum „ quod habebant, in pecoribus habebant; à „ pecore *pecunia* vocatur. Legimus antiquos Patres fuisse divites pastores". Cui consonans Isidorus Hispalensis: T. *Pecunia*, inquit, „ priùs de pecudibus & proprietatem habe„ bat, & nomen: de corio enim pecudum „ nummi incidebantur, & signabantur: po„ steà à Saturno æreus nummus inventus est, „ ipse enim signari nummos & scribi consti„ tuit: proptereà & ærarium Saturno à Gen„ tilibus consecratum est. Alij *pecuniam* à pe„ culibus appellaverunt, sicut à juvando *ju„ menta* dicta sunt. Omne enim patrimonium „ apud antiquos *peculium* dicebatur, à pecudi„ bus, in quibus eorum constabat universa „ substantia: unde & *pecuarius* dicebatur qui „ erat dives, modò verò *pecuniosus*. Antiquis„ simi nondum auro argentoque invento, ære „ utebantur: nam priùs ærea pecunia in usu „ hominum fuit, posteà argentea, deinde au„ rea subsecuta. Sed ab eâ quæ cœpit, nomen „ retinuit: unde & *ærarium* dictum, quia priùs „ æs tantum in usu fuit, & ipsum solum re„ condebatur, auro argentoque nondùm sig„ nato; ex quorum metallis quamvis posteà „ facta fuisset pecunia, nomen tamen *ærarij* „ permansit, ab eo metallo, unde initium sumpsit". Ex quibus planum est non admodùm referre utrùm quis cum Augustino avaritiam definiat V. *Libidinem habendi pecuniam*: an cùm D. Thoma W. *Superfluum amorem habendi divitias*. Quamvis enim Augustinus lib. 7. de Civit. cap. 12. discernat divitias à pecuniis, non tamen D. Thomæ adversatur; quia *divitias* ibi generaliùs sumit, prout comprehendunt opes etiam spirituales, quibus *pecuniæ* nomen nequaquam congruit. Divus Thomas autem *divitias* usurpat pro solis opibus temporalibus. Unde & superiùs ibidem art. 2. in corpore definierat avaritiam, *Immoderatum amorem habendi possessiones, quæ nomine pecuniæ designantur.* Addit prætereà ibidem in responsione ad 2. *Omnes res exteriores quæ veniunt in usum humanæ vitæ, nomine pecuniæ intelliguntur, inquantùm habent rationem boni utilis.* Cui intelligentiæ favet Augustinus, cùm ait: X. *Uno pe„ cuniæ nomine continentur omnia, quorum* jure

O. Isid. l. 10. Orig. cap. 1.

P. Gellius l. 10. cap. 5.

Q. Aug. l. 3. de libero arbit. cap. 17.

R. D. Thomas 2. 2. q. 118. art. 2. in corp. Vide Greg. Homil. 16. in Euang.

S. Aug. l. 11. de Gen. ad lit. cap. 15. Vide Prosp. Epist. ad Demetriad. c. 9. & l. 3. de vita contempl. c. 4. & D. Thomam 1. 2. q. 84. a. 1. & 2. & Aug. Tract. 8. in Epist. 1. Joannis, & Serm. 32. in Psal. 118. Eccli. 10. 15. 1. Tim. 6. 10.

T. Isid. l. 16. Origin. cap. 17. Vide Rabanum lib. 14. de universo cap. 24. & Cassiod. l. 7. Variar. Ep. 32. & Plin. l. 38. c. 3. & l. 33. c. 1. & Ovid. lib. 5. Fastor. & Alexand. ab Alex. lib. 4. Genial. cap. 13. & Lactant. lib. 5.

V. Aug. l. 14. de Civitat. cap. 15.

W. D. Thomas 2. 2. q. 118. art. 1. in corp. Vide q. 13. de Malo art. 1.

X. Aug. l. 1. de libero arb. cap.

jure domini sumus, & quorum vendendorum atque donandorum habere potestatem videmur". Cur autem omnia hujusmodi bona comprehendantur uno *pecunia* nomine, innuit Philosophus, cùm ait: [Y] *Pecunias ea dicimus universa, quorum æstimatio mensuratur nummo.*

Y. Aristot. l. 4. Ethic. cap. 1.

Quia ergo terrenæ divitiæ universim consistunt vel in nummo, vel in rebus quarum æstimatio est nummo mensurabilis; idcircò *pecunia* vocabulo promiscuè exprimuntur: atque adeò *avaritia*, quæ immoderatam ejusmodi rerum cupiditatem Importat, rectè ab Augustino *libido habendi pecuniam* definita est.

PRÆOCCVPATIO.

Nec refert quòd in ea definitione non restringatur *libido* ad inordinatam vel immoderatam. Nam ex Augustini mente *libido* ipsa sonat quandam inordinantiam sive immoderantiam: [Z] "Libido ipsa, inquit, rectè definitur, appetitus animi quo æternis bonis quælibet temporalia præponuntur".

Z. August. l. de Mendacio c. 7.

Cùm igitur præponere temporalia æternis inordinatum sit atque immoderatum, consequenter claret, *libidinem* ex Augustini mente importare inordinantiam sive immoderantiam; perinde ac *avaritiam*, quæ per ipsam loco generis definitur. Eandem quoque avaritiam Joannes Apostolus reprobavit sub nomine *concupiscentiæ oculorum*, quam dixit *non esse ex patre, sed ex Mundo*: [A] "Decepit multos, inquit Cyprianus, patrimonij sui amor cæcus, nec ad recedendum parati aut expediti esse potuerunt, quos facultates suæ velut compedes ligaverunt. Illa fuerunt remanentibus vincula, illæ catenæ, quibus & virtus retardata est, & fides pressa, & mens vincta, & anima præclusa: ut *serpenti, terram*, secundùm Dei sententiam, *devoranti*, præda & eibus fierent, qui terrestribus cupiditatibus inhærent".

Vide Divũ Thom. 2. 2. q. 7 a. 5. in Corp. 1. Joan. 2. 16. A. Cyprian. l. de lapsis. Vide lib de Mortalitat. & Epist...

Gen. 3. 14.

Et Leo Papa: [B] "Videte, inquit, & prudentes inspicite, quæ germina, & quales fructus de avaritiæ stirpe nascantur, quam meritò Apostolus *radicem omnium malorum* esse definivit: quia nullum peccatum sine cupiditate committitur, & omnis illicitus appetitus istius aviditatis est morbus! Amori pecuniæ vilis est omnis affectio, & anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit: nullumque est in illo corde justitiæ vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculum".

B. Leo Serm. 9. de Jejunio decimi mensis cap 4. Vide eund. Serm. 9 de Ascens. Domini c. 4. 1. Tim. 6. 10.

Et Petrus Chrysologus: [C] "Avaritia, inquit, parentes negat, germanos dividit, separat socios, amicitiam solvit, excludit affectum. Hanc qui intra se habuerit, erit nullius, suus non erit. *Avaritia* sicut dicit Apostolus, *radix est omnium malorum*: quæ, cùm radicari cœperit in corde, sic morum dissipat ornamenta; sicut arbor noxia, feralibus radicibus nexa, solvit & dissipat monumenta majorum".

C. Chrysolog Serm. 1..2. Vide Aug. Serm. 25. de Verb. Domini.

CDXXXVII. Quamvis Isidorus subinde discerniculum statuat inter *avarum* & *cupidum*, adeòque inter *avaritiam*, & *cupiditatem*, dicens: [D] *Avarus est, qui sua non utitur: cupidus, qui aliena desiderat*: nihilominùs ex communi usu, apud ipsum etiam Isidorum recepto; *avaritia* non minùs importat aviditatem coacervandi; quàm aversitatem erogandi.

D. Isidor. lib. Differentiarum l. A.

Etenim Isidorus ipse proximo §. relatus contendit *Avarum ex eo dici, quod sit avidus auri*. Qui & loco ibidem designato præmittit: *Avidus ab avendo dictus est. Avere autem est cupere: hinc & avarus.* Rursùs l. 2. Sent. c 41: "Nunquam, inquit, satiari novit cupiditas: semper enim avarus eget: quantoque plus acquirit, tantò ampliùs quærit: nec solùm desiderio augendi excruciatur, sed etiam amittendi metu afficitur".

Vide Senecam l. c. de Benef. c. 27. & l 7. c 10. & Epist. 94. 108. & 115.

Favet item D. Thomas, cùm ait: [E] "Bona exteriora habent rationem utilium ad finem: unde necesse est, quòd bonum hominis circa ea consistat in quadam mensura, dum scilicèt homo secundùm aliquam mensuram quærit habere exteriores divitias prout sunt necessariæ ad vitam ejus secundùm suam conditionem. Et ideò In excessu hujus mensuræ consistit peccatum, dum scilicet aliquis supra debitum modum vult eas vel acquirere, vel retinere: quod pertinet ad rationem avaritiæ, quæ definitur esse immoderatus amor habendi".

E. D. Thom. 2. 2. q. 118. a. 1. in Corp.

Qui rursùs ibidem inferiùs art. 8. in Corpore, disertè asserit avaritiam in duobus excedere; quorum primum est, quòd *superabundet in retinendo*: alterum, quòd *superabundet in accipiendo*. Idipsum quoque ijsdem verbis tradit q. 13. de Malo art. 3. in Corpore. Cui consonans Hugo Victorinus: [F] "Quinta Babylonis platea, inquit, est avaritia: hanc ex una parte constituit cupiditas, ex altera tenacitas".

F Hugo Victor. Ser. 31.

Huic proposito Augustinus accommodat illud Christi præceptum, *Cavete ab omni avaritia*: [G] "Fortè, inquiens, tu avarum & cupidum diceres, si quæreret aliena. Ego autem dico, Cupidè & avarè non appetas nec tua, hoc est *ab omni cavere avaritia*. Magnum pondus: si fortè hoc pondus infirmis imponitur, rogetur ut qui imponit dignetur dare vires. Non enim leviter habendum est, quando Dominus noster, Redemptor noster, Salvator noster, qui mortuus est pro nobis, qui sanguinem suum pretium dedit ut redimeret nos, Aduocatus & judex noster: non est leve, quando dicit, *Cavete*. Novit ille quantum mali sit: nos non novimus, illi credamus. *Cavete*, inquit. Quid? Unde? *Ab omni avaritiâ*. Meum servo, inquis: alienum non tollo. *Cavete ab omni avaritiâ*. Non solùm avarus est qui rapit aliena, sed & ille avarus est qui cupidè servat sua: Sed si sic culpatur qui cupidè servat sua, quomodò damnatur qui rapit aliena? *Cavete*, inquit, *ab omni cupiditate*".

Luc. 12. 15.

G. Aug. Ser. 21. de Diversis c. 1.

PRÆOCCVPATIO.

Ubi notandum, tam Augustinum quàm eum contra quem ibi disputat, pro certo supponere, *alienorum raptorem* dici esseque *avarum*: sed hunc posteriorem in eo errasse,

Vide Petri Damiani l. 2 Epist 2. Infra p 438. Vide præterea Ioannem Saresb. l. 7. Policratici cap. 16.

Ttt quòd

quòd autumârit neminem dici debere avarum propiereà, quòd *servaret sua*. Quem refutat Augustinus verbis illis Christi, *Cavete ab omni avaritia*: quibus innuitur, non unam, sed plures species avaritiæ agnoscendas esse; quarum videlicet una consistat in cupiditate alienorum, altera in tenacitate propriorum. Undè & addit ad eundem Augustinus mox infrà cap. 7." Ecce amas tua: & jactas te, quia non quæris aliena! Vide quid mali facias, non audiendo Christum dicentem: *Cavete ab omni avaritia*". Utique tam ab ea quâ cupiuntur aliena, quàm ab ea quâ retinentur propria. Id enim jam olim inculcaverat Psalmographus, qui cùm præmisisset, *Rapinas nolite concupiscere* continuò subdidit propter tenaces: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere*. In quem locum Hilarius: [H] Non solùm itaque, inquit, non concupiscendæ divitiarum rapinæ sunt, verùm ab his voluntas nostra, etiamsi præbeantur & affluant, refrenanda est: ne desideratæ cupitæque dominentur". Certè enim si non quorundam voluntatibus divitiæ dominarentur, non dixisset Apostolus, *Avaritiam esse idolorum servitutem*: nec Christus negasset *servire eos posse Deo, qui serviunt mammona*. De cujus perversæ dominæ tyrannide in vernulas suos loquens Chrysologus: [I] "Quisquis est, inquit, ab hujus *mammona* captivitate liber, consistat in specula cælesti, & inde despectet *mammonam* Mundo & mundanis tyrannico furore dominantem. Imperat illa gentibus, jubet regnis, bella mandat, comparat bellatores, sanguinem vendit, agit mortes, prodit patrias, urbes destruit, subdit populos, arces urget, vexat cives, foro præsidet, jus delet, fas nefasque confundit, & ad mortes usque tendendo fidem tentat, violat veritatem, famam carpit, honestatem dissipat, solvit affectus, innocentiam tollit, pietatem sepelit, necessitudinem scindit, amicitiam subruit". Ecce quantam malorum Iliadem clientibus suis *mammona* impertiat! Origenes masculinè *Mammonem* appellat, & apud Syros pro Deo habitum perhibet, dicens: [K] An non totius Gentilitatis error hinc accepit exordium, dum ea quæ multùm diligunt homines, Deos esse volunt, & humanis quibusque vitijs ac cupiditatibus divinum nomen asscribunt? Pecuniæ namque cupidi, & avaritiæ amore flagrantes, *Mammonem* quidem apud Syros Deum cupiditatis illius dicunt: libidinis & voluptatis amatores *Venerem* Deam sibi vitij hujus, quo agitantur, asscribunt. Similiter & in cæteris vitijs, hunc ipsum, quo urgentur, affectum, Deum sibi fecerunt: unde & Apostolus ait, *Avaritia quod est idolorum servitus*. Vides ergo quia non solùm adorare simulachrum, sed & avaritiæ studere, idolorum cultus ac servitus reputatur". Hunc porrò *Mammonem* Lilius Gyraldus, Syntagmate 6. Historiæ Deorum, censet eundem esse cum *Pluto*, apud Poëtas decantato, ac divitijs præposito. Cæterùm Romani eundem fœminino vocabulo appellarunt *Pecuniam*, prout indicat Augustinus, dum eos irridet, quod [L] se commendarent Deæ *Pecuniæ*, ut pecuniosi essent: Deo *Æsculano* & filio ejus *Argentino*, ut haberent æneam, argenteamque pecuniam". Addit porrò ibidem Augustinus:" Ideò patrem *Argentini* posuerunt *Æsculanum*, quia priùs ænea pecunia in usu esse cœpit pòst argentea. Miror autem quòd *Argentinus* non genuit *Aurinum*, quia & aurea subsecuta est. Quem Deum isti si haberent, sicut *Saturno Iovem*, ita & patri *Argentino*, & avo *Æsculano*, *Aurinum* præponerent". Refert quoque idem Augustinus inferiùs ibidem lib. 7. cap. 12. eosdem Romanos finxisse Deam *Pecuniam* esse ipsum *Iovem*; eâ ratione permotos, *quòd eius sint omnia*. Atque hinc fortè accidit, quod nec templum ullum nec aram sub *Pecuniæ* titulo erexerint; quia nimirùm sub nomine *Iovis* satis visa est honorari, tametsi sub *Pecuniæ* nomine nec fanum nec aram habuerit, juxta illud Satyrici: [M] *Funesta Pecunia templo Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras*. Enimverò non solùm Romani veteres, sed omnes indiscriminatim avaritiæ sectatores, etsi non exteriùs in aperto, saltem interiùs in cordis arcano templa & aras Deastræ illi erigunt: [N] Multi hæretici, inquit Augustinus, cum paganis, alios & alios Deos sibi ipsi finxerunt, sibi ipsi fecerunt: & eos, etiamsi non in templis, tamen, quod pejus est, in suo corde posuerunt; & falsorum ridendorumque simulachrorum templa ipsi facti sunt". Disputat Chrysostomus adversùs eos, qui Apostolum hyperbolicè loqui contendunt, quando *avaritiam* vocat *idololatriam*: [O] Non est, inquiens, hoc verbum hyperboles, sed veritatis. Quomodò? A Deo discedit avarus, sicut & idololatra. Et ne existimes esse nudum verbum, sententia est Christi dicentis, *Non potestis Deo servire, & mammona*. Qui mammonæ serviunt, se ipsos expellunt à Dei servitute: & qui negant ejus dominium, auro inanimo servientes, perspicuum est eos esse cultores idolorum". Et Innocentius III. Papa: [P] Rectè, inquit, diffinit Apostolus, *Avaritia est servitus idolorum*. Sicut enim idololatra servit simulachro, sic & avarus thesauro: nam ille cultum idololatriæ diligenter amplificat, & iste cumulum pecuniæ libenter augmentat; ille cum omni diligentiâ colit simulachrum, & iste cum omni curâ custodit thesaurum; ille spem ponit in idololatriâ, & iste spem constituit in pecuniâ; ille timet mutilare simulachrum, & iste timet minuere thesaurum". Epiphanius censet

Psal. 61. 11.
H. Hilar. in Psalm. 61. v. 11.
Ephes. 5. 5.
Luc. 16. 13.
I. Chrysolog. Serm. 126.
K. Orig. Homil. 2. in Iudices. Vide suprà hic § 128.
Gyraldus.
L. August. l. 4. de Civit. cap. 21.
Vide suprà § 416.
M. Iuvenal. Satyr. 1.
N. August. in Psal. 10. v. 10.
Ephes. 5. 5.
O. Chrysost. Homil. 18. ad Ephesios. Vide Theophil. in c. 5. ad Ephes.
P. Innocen. III. l. 2. de Contemptu Mundi cap. 12. Vide Aug. lib. 3. cont. Parmenian. cap. 2.

censet mammonam ab Apostolo dictam fuisse *Deum hujus sæculi*, idque probat hâc ratione: Q. Dominus; in Euangelio ait, *Non potestis duobus dominis servire*: deinde, ut ostenderet qui sint duo isti domini, addit, *Non potestis Deo servire, & mammonæ*. Proinde Deus est Deus, & mammonas est Deus mundi". Et rursùs ibidem post pauca: "Quandoquidem, inquit, excæcavit illos avaritia, quæ est *hujus sæculi Deus*, etiam *non illuxit Euangelij illuminatio in cordibus ipsorum*, eò quòd excæcati sint circa avaritiam. Hæc enim & Judam excæcavit, hæc quoque Ananiam occidit, hæc multos perdidit. Hic est *Deus hujus sæculi*, quem homines sibi Deum elegerunt, & honorem ei exhibuerunt, Dominum contemnentes, sicut dicit ipse: *Vnum quidem amplectetur, alterum verò contemnet: non potestis Deo servire, & mammonæ*". Breviter Hieronymus: R. *Gulosi venter Deus est, avarus colit mammonam.* Idem rursùs in c. 6. Matthæi ad versum 24. explicans quid *mammona* vocabulo importetur: "*Mammona*, inquit, Sermone Syriaco divitiæ nuncupantur". Et Epist. 151. qu. 6. "*Mammona*, inquit, non Hebræorum, sed Syrorum linguâ, divitiæ nuncupantur, quòd de iniquitate collectæ sint". Quod postremum elucidans superiùs Epist. 150 qu. 1. "Omnes divitiæ, inquit, de iniquitate descendunt: & nisi alter perdiderit, alter non potest invenire. Unde & illa vulgata sententia mihi videtur esse verissima, *Dives aut iniquus est, aut iniqui hæres*". Tertullianus censet *mammonam iniquitatis* idcircò dici, quòd nummus sit author iniquitatis sive injustitiæ in Mundo; S. Injustitiæ authorem, inquit, & dominatorem totius sæculi nummum scimus omnes. Cui famulatam videns (*Christus*) Pharisæorum cupiditatem, amentavit hanc sententiam: *Non potestis Deo servire, & mammonæ*". Aliam præterea rationem Augustinus suggerit, ob quam divitiæ dicantur *iniquitatis mammona*, non solùm quando iniquè, sed etiam quando justè videntur comparatæ: quia nimirùm non nisi ab iniquis rerum æstimatoribus opes terrenæ reputantur divitiæ, cùm solæ spiritales opes veraciter censendæ sint divitiæ: T. *Mammona iniquitatis*, ait ipse, divitiæ sunt sæculi omnes, undecunque sint. Undecunque enim congregentur, *mammona iniquitatis* est, id est, divitiæ sunt iniquitatis. Quid est, Divitiæ sunt iniquitatis? Pecunia est quam nomine divitiarum appellat iniquitas: si enim veras divitias quæris, aliæ sunt. Talibus Job nudus abundabat, quando in Deum cor plenum habebat; & laudes Deo, perditis omnibus rebus, tanquam gemmas pretiosissimas proferebat. Ipsæ sunt veræ divitiæ: istæ autem ab iniquitate appellantur divitiæ". Quartam denique ejus appellationis rationem suggerit Basilius Magnus, quia nimirùm iniquum sit ut quis sibi uni appropriet quod in communem aliorum hominum sublevantiam accepit dispensandum: V. Si tantum, ait ipse, quisque usurparet; quantum ad propriæ necessitatis solatium faceret, superfluumque egenti tribueret, nemo profectò esset dives, nemo item pauper. Nonne nudus ex utero matris excidisti, nudusque rursùs reverteris ad humum? Hæc tibi bona præsentia undè? Si à casu dixeris, impius es, eum non agnoscens; qui te condidit, neque gratiam rependens ei qui dedit. Quod si ex Deo te illa habere fateris, dic mihi quam ob rem hæc sortitus es? Non enim injustus est Deus, qui ea quæ sunt ad victum nobis inæqualiter diviserit. Cur tu divès es; ille pauper? Profectò non ob aliud, nisi ut tu benignitatis ac fidelis administrationis mercedem accipias, ille verò maximis patientiæ præmijs honoretur. Tu verò insatiabilis avaritiæ lacertis omnia circumplexus; & tot homines illis privans, neminem te lædere putas? Quis, quæso, est avarus? Qui eo, quod satis est; non est contentus. Quis verò peculator? Qui ad se unum transfert quæ singulorum sunt. Tu ergo non avarus; tu non peculator, cùm ea quæ ad dispensandum distribuendumque receperas, tibi propria facis? Num qui vestem diripuerit, spoliator nominatur? Qui ergo nudum non texerit cùm possit, cujusnam alterius nominis appellatione dignus erit? Esurientis est panis, quem tu retines: nudi est vestis, quam in arca custodis: discalceati calceus est, qui apud te marcescit: egentis argentum est, quod tu terræ infossum possides. Quarè, tot injurius es hominibus, in quot poteras opem conferre"? Ob hanc itaque causam Christus cùm *mammonam* nominasset, addidit, *iniquitatis*. Unde Theophylactus sententiam Christi edisserens: W. Si prudentes essemus, inquit, intelligeremus vel tardè quid facto opus, & *faceremus nobis amicos de divitijs injustitiæ*. Dicuntur autem *divitiæ injustitiæ*, quas nobis Dominus in usus fratrum & conservorum insumendas dedit, nos autem nobis depositas tenemus". Cui consonans Anselmaster: X. Possunt, inquit, omnes divitiæ sæculi, *divitiæ iniquitatis* appellari: quia cùm à Deo pro omnibus sint creatæ, eas sibi nonnulli, quamvis justo labore, iniquâ tamen cupiditate congregant; & quas nulli tribuunt, has indigentibus quodammodò tollunt, dum eas in usum eorum venire non sinunt. Licèt ergo justis laboribus acquisitæ, vel in patrimonio à religiosis parentibus acceptæ; tamen *divitiæ iniquitatis* sunt: quia iniquum est, id est, ab æquitatis regulâ discordans, ut alius divitijs super-

2. Cor. 4. 4.
Q. Epiphan. Hæres. 66. Lucæ 16. 13.
2. Cor. 4. 4.
R. Hieron. in cap. 14. Oseæ v. 4.
Lucæ 16. 9.
S. Tertull. l. 4. contra Marcion. c. 33.
T. Aug. Ser. 35. de Verb. Domini c. 4. Vide Ambr. Serm. 61 de Temp. & August. lib. 21. de Civit. c. 27 & Ser. 31 de Diversis.
V. Basil. Homil 6. Vide Ambr. Serm. 81. & D Thomam 2. 2. q. 117. a. 1 ad 1. & q. 175. a. 7.
Vide Nazianz. Orat. 16. & Greg. de Cura Pastor. p. 3. Admonit. 21. & 22.
Vide Divum Thom. 2. 2. q. 118. a. 4. ad 2 & Aug. Homil. 19 inter 50.
W. Theoph. in cap. 16. Lucæ.
X. Anselmus in cap. 16. Lucæ.

super-

superabundet, alius autem egeat. De quibuscunque igitur divitijs sæculi fiant eleemosynæ, de divitijs iniquitatis fiunt". Pulchrè admodùm & appositè Augustinus: [Y] Quære, inquit, quantum tibi dederit Deus, & ex eo tolle quod sufficit: cætera quæ superflua jacent, aliorum sunt necessaria: & superflua divitum, necessaria sunt pauperum: res alienæ possidentur, cùm superflua possidentur".

Y. Aug. in Psalm. 147. Vide Serm. 219 de Tempore & àpl. 50. & 34. & Bernard in Declamat. super illud, Ecce nos reliquimus omnia &c.

CDXXXVIII. Commodè hic disquirendum occurrit, cuinam virtuti adversetur avaritia? Tractat hanc quæstionem D. Thomas partim in Quæstionibus disputatis, partim etiam in Summa Theologica; & hoc posteriori loco respondet his verbis: [Z] *Avaritia* importat immoderantiam quandam circa divitias dupliciter: uno modo, immediatè circa ipsam acceptionem & conservationem divitiarum, inquantùm scilicet aliquis acquirit pecuniam ultra debitum, aliena surripiendo, vel retinendo; & sic opponitur justitiæ: & hoc modo accipitur avaritia Ezech. 22. Ubi dicitur, *Principes ejus in medio ejus quasi lupi rapientes prædam, ad effundendum sanguinem, & avara lucra sectanda.* Alio modo importat immoderantiam circa interiores affectiones divitiarum: puta, cùm quis nimis amat, vel desiderat divitias, aut nimis delectatur in eis, etiamsi nolit rapere aliena; & hoc modo avaritia opponitur liberalitati, quæ moderatur hujusmodi affectiones: & sic accipitur avaritia 2. ad Corinth. 9. *Præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse, sic quasi benedictionem, non quasi avaritiam.* Glossa: *scilicet ut doleant pro dato, & parùm sit quod dent*". Et superiùs ibidem art. 1. ad 1. "*Avaritia*, inquit, potest importare immoderantiam circa res exteriores dupliciter: uno modo immediatè, quantùm ad acceptionem, vel conservationem ipsarum; ut scilicet homo plus debito eas acquirat, vel conservet: & secundùm hoc est directè peccatum in proximum, quia in exterioribus divitijs non potest unus homo superabundare, nisi alteri deficiat: quia bona temporalia non possunt simul possideri à multis. Alio modo potest importare immoderantiam circa interiores affectiones, quas quis ad divitias habet: puta quòd immoderatè aliquis divitias amet, aut desideret, aut delectetur in eis: & sic avaritia est peccatum hominis in seipsum, quia per hoc deordinatur ejus affectus, licet non deordinetur corpus, sicut per vitia carnalia. Ex consequenti autem est peccatum in Deum, sicut & omnia peccata mortalia, inquantùm homo propter bonum temporale contemnit æternum". In Quæstionibus denique disputatis ita in eandem rem scribit, [A] Quia peccatum

Z. D. Thom. 2. 2. q. 118. a. 3 in Corp. Vide ibid. a. 4. in Corp.

Ezech. 22. 27.

2. Cor. 9. 5.

virtuti opponitur, oportet considerare quod circa possessiones vel pecunias consistit & justitia, & liberalitas: aliter tamen, & aliter. Ad justitiam enim pertinet medium æqualitatis constituere in ipsis rebus possessis: ut scilicet unusquisque habeat, quod sibi debetur. Liberalitas verò constituit medium in ipsis affectionibus animæ: ut scilicet unusquisque non sit nimiùm amator vel cupidus pecuniæ; & quòd sit emissivus earum cum delectatione, vel sine tristitia, quando oportet, & ubi oportet. Quidam verò loquuntur de avaritia, sicut de opposito liberalitatis: & secundùm hoc avaritia importat quendam defectum circa emissiones pecuniarum, & quandam superfluitatem circa acquisitionem & retentionem earum in superfluo amore pecuniæ. Philosophus verò in 5. Ethic. loquitur de avaritia, sicut de opposito justitiæ: & secundùm hoc avarus dicitur, qui recipit vel retinet aliena contra debitum justitiæ: liberalitati enim opponit non avaritiam, sed illiberalitatem; ut patet ex 4. Ethicorum".

A. Idem q. 13 de Malo art. 1. in Corp.

Cæterùm ut noverimus quàm fœcunda malorum sit avaritia, adeoque quanto studio vitanda sit eis qui curam salutis suæ gerunt, notanda omninò ac jugiter ruminanda est illa Papæ Gregorij sententia: [B] De avaritia proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentiæ, & contra misericordiam obdurationes cordis, oriuntur". Atque hinc est quòd septem ista vitia vulgò passim dicantur *filia avaritia*, & ipsa mater inter capitalia vitia locum sibi vendicet. Quâ de re Angelicus Doctor: [C] *Filia avaritia*, inquit, dicuntur vitia, quæ ex ipsa oriuntur, & præcipuè secundùm appetitum finis. Quia verò avaritia est superfluus amor habendi divitias, in duobus excedit: primò enim superabundat in retinendo: & ex hac parte oritur ex avaritia *obduratio contra misericordiam*; quia scilicet cor avari misericordiâ non emollitur, ut de divitijs suis subveniat miseris. Secundò ad avaritiam pertinet superabundare in accipiendo: & secundùm hoc avaritia potest considerari dupliciter; uno modo secundùm quod est in affectu, & sic ex avaritia oritur *inquietudo*, inquantùm ingerit homini sollicitudinem, & curas superfluas: *Avarus* enim *non implebitur pecuniâ*, ut dicitur Eccle. 5. Alio modo potest considerari in effectu: & sic acquirendo aliena utitur quandoque quidem vi, quod pertinet ad *violentias*; quandoque autem dolo: quod quidem si fiat in verbo, erit *fallacia*, quantùm ad simplex verbum; *perjurium* autem, si addatur confirmatio juramenti: si autem dolus committatur in opere, sic quantùm ad res erit *fraus*, quantùm autem ad personas

B. Greg. lib. 31. Moral. cap. 17. aliàs 31.

C. D. Thom. 2. 2. q. 118. a. 8 in Corp. Vide q. 13. de Malo a. 3. in Corp.

Eccle. 5. 9.

„ nas erit proditio : ut patet de Iudâ, qui ex avaritiâ prodidit Christum". His omnibus vitijs hospitium intra se præparat, quisquis avaritiæ aditum in cor suum non præcludit: nec enim aut mater à filiabus separari se patitur, aut filiæ à matris domicilio excludi se sinunt. Unde & Petrus Damiani consimili discursu concludit, avarum fieri omnium quodammodò vitiorum receptaculum, dum in agro cordis sui plantat avaritiam, malorum omnium radicem : D. Quid mirum, inquiens, „ *Avaro nihil esse scelestius*, cùm dicatur, *omnium* „ *malorum radix esse cupiditas*? In quo enim ra„ dix est omnium malorum, ille consequen„ ter omnium malorum reus esse convinci„ tur: quia quorum habet in sui pectoris agro „ radicem, non potest venenatam vitare propaginem". Hinc mirum videri non debet eundem authorem ibidem præmisisse sententiam istam planè emphaticam : " Nulla pu„ tredo vulneris in Dei naribus intolerabiliùs „ fœtet, quàm stercus avaritiæ: & cupidus „ quisque dum sordentis pecuniæ quæstus ac„ cumulat, vertens exedram in latrinam, „ quasi molem stercoris coacervat. Hinc est „ quòd per Ezechielem dicitur : *Argentum eo*„ *rum foras projicietur, & aurum eorum in sterquilinium erit*". Disputat D. Thomas de comparatione avaritiæ cum alijs vitijs, penes enormitatem: & quamvis admittat superari eam ab alijs quibusdam vitijs quantùm ad aversionem à bono quod deseritur sive spernitur, asserit tamen eandem excedere quantùm ad conversionem ad bona vilissima : E. Turpius est „ enim, inquit, subesse inferiori bono, quàm „ superiori. Bonum autem exteriorum rerum „ est infimum inter humana bona : est enim „ minus quàm bonum corporis, quod etiam „ minus est quàm bonum animæ, quod ex„ ceditur à bono divino. Et secundùm hoc, „ peccatum avaritiæ, quo appetitus humanus „ subjicitur etiam exterioribus rebus, habet quodammodò deformitatem majorem". Et juxta hanc considerationem interpretatur ille ibidem illud Ecclesiastici oraculum mox relatum, *Avaro nihil est scelestius*: uti & illud alterum mox ibidem subjunctum, *Nihil est iniquius quàm amare pecuniam*. De quibus & Petrus Damiani loco mox citatò sic differit : " Dura „ certè, & nimis formidolosa sententia: Si „ enim *nihil est avaro scelestius, nihil iniquius quàm* „ *amare pecuniam*, non ergo melior est parrici„ dis, non præfertur incestis, æquatur hære„ ticis, assimilatur idololatris: unde & Apo„ stolus dicit, *Avaritia quæ est idolorum servitus*. „ Sit ergò quilibet castus, sit sobrius, sit indi„ gentibus alendis intentus, sit hospitalitati de„ ditus; jejunet, vigilet, diem nocti psallen„ do continuet : si tamen avarus est, totum „ perdit, ita ut inter omnium criminum reos „ nequiorem se invenire non possit : *Nihil est* „ enim *avaro scelestius, nihil iniquius quàm amare* „ *pecuniam*. Quid ergò proderit non occidere, „ non mœchari, non rapere, non perjurare, „ immunemque te prorsus à cunctis crimini„ bus custodire, dummodò si à te avaritia non „ expellitur, nihil te nequius, nihil scelestius „ reperitur? Est ergò avarus, parietes Eccle„ siæ construat, studio prædicationis insistat, „ dissidentes in pace confœderet, titubantes „ in Catholicæ fidei veritate confirmet, offe„ rendis quotidie sacrificijs sit intentus, à ne„ gotijs sæcularibus remotus: donec tamen „ in eo ardor avaritiæ non extinguitur, om„ nis flos virtutum ejus exuritur, & nullus eo „ criminosior invenitur. Enimverò post„ quàm Scriptura posuit, *Avaro nihil est scele*„ *stius*; ne quis in hoc verbo, quod est, *Avarus*, du„ bietatis scrupulus posset emergere; vigilanter „ addidit; *Nihil est iniquius quàm amare pecuniam*. „ Igitur avarum esse, nihil est aliud, quàm „ amare pecuniam. Amatur autem pecunia „ acquisita, amatur nihilo minùs acquirenda: „ avaritia quippe quasi biceps est coluber, „ utroque consuevit ore mordere, utroque „ pestiferum virus influere; dum aut aliena „ res quæritur, aut habita delectabiliter possi„ detur. De illo sanè, qui utroque hujus ser„ pentis ore deglutitur, scriptum est: *Viro* „ *cupido, & tenaci, sine ratione est substantia; &* „ *homini livido ad quid aurum? Iniustè alijs con*„ *gregat, & in bonis illius alius luxuriabitur*. Sunt „ prætereà, qui totis ad appetenda aliena desi„ derijs inardescunt, sed hoc postquàm adepti „ sunt præcipitanter effundunt : Sunt item „ qui ad aliena quidem acquirenda non in„ hiant, sed quæ sua sunt tenaci custodiâ tan„ quam Cereris sacra conservant. Teterri„ mum autem genus est eorum, qui & aliena „ turpiter ambiunt, & quæ jam sui juris sunt „ sordidâ tenacitate custodiunt : peiores scili„ cet draconibus Babyloniæ, qui licèt infini„ tam auri argentique dicantur servare con„ geriem, nulli tamen propriam diripiunt fa„ cultatem; & contenti quasi proprijs rebus, non inhiant alienis". Ubi quod de draconibus aurum seruantibus memorat, ex Macrobio sumpsisse videtur, dicente, F. *Thesaurorum custodiam draconibus assignari*. Possent quoque ijdem avari assimilari gryphis Scythicis, & formicis Indicis, de quibus Pomponius Mela: G. Alit India, inquit, formicas non mi„ nores maximis canibus, quas gryphorum „ more aurum penitùs egestum cum summâ „ attingentium pernicie custodire commemorant". Et superiùs lib. 2. cap. 1. loquens de Scythia Europæa : " Regio est, inquit, „ ditis admodùm soli, inhabitabilis tamen:

D. Petr. Damiani lib. 2. Epist. 2. Vide Leonem serm. 2. de Ascensione c. 4. Eccli. 10. 9. 1. Tim. 6. 10.

Ezech. 7. 19.

E. D. Thomas 2. 2. q. 118. art. 5. in corp. Vide Bernard. § seq. & Ioan. Sarisb. l. 7. Polícrat. c. 16. & lib. 8. c. 4.

Eccli. 10. 10.

Pet. Damiani.

Col. 3. 5. Vide Aug. lib. 3. cont. Faustum. cap. 2.

Vide supra § 435. & Greg. Nyssenú Orat. 5. de Beatit. in verbis, Mulsicepsjera &c.

Eccli. 14. 3. & 4.

F. Macrob. l. 1. Saturn. cap. 20.

G. Mela de situ orbis l. 3. cap. 7.

 quia

„ quia gryphi, ſævum & pernix ferarum genus, aurum terrâ penitus egeſtum mirè amant, mirèque cuſtodiunt, & ſunt infeſti attingentibus". Cui conſonans Solinus:[H] In „ Scythiâ, inquit, terræ ſunt locupletes, inhabitabiles tamen: nam cùm affluant auro gemmiſque, gryphes tenent universa, alites ferociſſimæ, & ultra omnem rabiem ſævientes; quarum immanitate obſiſtente, advenis acceſſus difficilis eſt, ac rarus: quippe vivos diſcerpunt, velut geniti ad plectendam avaritiam". Simile quidpiam de formicis Indicis memorat etiam Plinius:[I] Aurum, inquiens, ex cavernis egerunt „ terræ in regionibus ſeptemtrionalium Indorum, qui Dardæ vocantur. Ipſis (*formicis*) color felium, magnitudo Ægypti luporum. Erutum hoc ab eis tempore hyberno, Indi furantur æſtivo fervore, conditis propter vaporem in cuniculos formicis: quæ tamen odore ſollicitatæ provolant, crebròque lacerant, quamvis prævelocibus camelis fugientes. Tanta pernicitas feritaſque eſt cum amore auri". Hæc ille ibi de formicis Indicis: ſuperiùs autem lib. 7. cap. 2. ſcripſerat de gryphis, pro auro pugnantibus adversùs Ariſmaſpos, ejuſdem auri rapaciter cupidos: " Ariſmaſpis, „ inquiens, aſſiduè bellum eſſe circa metalla „ cum gryphis, ferarum volucri genere, „ quale vulgò traditur, eruente ex cuniculis „ aurum, mirâ cupiditate & feris cuſtodientibus, & Ariſmaſpis rapientibus, multi, ſed „ maximè illuſtres Herodotus & Ariſteas Proconneſius, ſcribunt".

H. Solinus cap. 9. Vide eund. cap. 48.

I. Plin. lib. 11 cap. 31. Vide Ælian. l. 4. de Animal. c. 27. & Aldrovãdum de Serpent. l. 2. c. 1. § 3. & Herodotum lib. 4. & Cteſiam apud Photium in Biblioth. Cod. 72.

CAPUT

CAPUT CXVI.

Furtum, septimo Decalogi præcepo vetitum, quid? Tot modis præceptum Non furandi *temeratur, quot proximo res sua illicitè adimitur, aut debita denegatur. Iustitiæ munus est constituere medium æqualitatis in rebus possessis, ut quisque tantum possideat, quantum possidere jure debet. Æqualitas arithmetica possessionis, cum possidendi jure, parit geometricam; quæ exigit, ut taliter se habeat possessio ad possessionem, qualiter jus ad jus. Avarus venalem habet animam suam. Promptiùs paret philargyrus avaritiæ suggerenti, quàm dæmonicola dæmoni jubenti. Avaritia filios in patres exacerbat, terram latronibus, mare piratis, urbes tumultibus, tribunalia iniquis Iudicibus, subdolis Advocatis, falsis testibus replet. Philargyria quàm amplè per humanum genus diffusa? Mirum est eam reperisse Advocatos patrocinari sibi promptos. Qua ratione hi dicantur* comedere peccata populi? *Qui virtutum vocabula vitijs, & vitiorum virtutibus affingunt, exilium virtutibus indicunt. Non abstergit honestas nominis malitiam criminis, nec vox valet abolere reatum. Latæ adulantium linguæ assimilantur canum linguis ulcera Lazari lingentibus, sed neutiquam sanantibus. Vitandi adulatorum pellaces sermones, ut corvorum rapaces mores. Expenditur Psalmographi versiculus*, Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent; *& conciliatur cum Apostolo dicente*, se per omnia omnibus placere. *Qualiter à modernis laxonibus excusari queat avaritia* Achab, *occupantis vineam* Naboth? *Quotidie* Achab *nascitur*, *&* Naboth *sternitur. Samuëlis dictum*, Hoc erit jus Regis, *&c. an intelligatur de jure lègitimo, an de usurpatione tyrannicâ? Tostati censura in Lyrani glossema. Quantopere moderni probabilitatum præcones laxent habenas avaritiæ Principum, Iudicum, causidicorum, testium? Recensentur multiplices eorum laxitates, quibus favent avaritiæ furantium, restitutionem differentium, foro cedentium, facinoribus cooperantium, usuras exigentium: quibus censorium obicem præstruxit Schola Theologica Lovaniensis à Prælatis quibusdam Belgicis implorata, ne latiùs per Ecclesiam Belgicam serpant.*

CDXXXIX. Quemadmodùm sexto Decalogi præcepto, *mœchiam* vetante, censetur prohiberi omnis illicitus membrorum genitalium usus, prout ex dictis §. 421. liquet: ita ex ibidem quoque dictis claret, septimo ejusdem Decalogi præcepto, *furtum* vetante, interdici omnem illicitam alienæ pecuniæ contrectationem; *pecunia* vocabulo amplè sumpto, pro quibuslibet externis bonis, sive in nummo consistentibus, sive nummo æstimabilibus; juxta dicta capite præcedenti §. 436. Plana enim in hanc rem est illa Augustini sententia §. 421. relata: *Furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ: non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit; sed utique à parte totum intelligi voluit, quicquid illicitè rerum proximi aufertur.* Tot proinde modis præceptum *non furandi* violatur, quot modis res proximi illicitè ipsi adimitur, aut debita denegatur. Ut enim ex D. Thoma §. proximo memoravimus, *Ad iustitiam pertinet medium æqualitatis constituere in rebus*

Augustinus suprà.

D. Thomas suprà.

rebus possessis : ut scilicet unusquisque habeat, quod sibi debetur. Hinc injustus censeri debet quisquis efficit, aut quomodolibet procurat, ut alius minus habeat, quàm deberet. Qui enim hoc præstat, tollit ęqualitatem à justitiâ exactam, & invehit inæqualitatem eidem justitiæ adversam. Æqualitas quippe illa in hoc sita est, ut quisque habeat tantum possessionis, quantum habet iuris ad possidendum : siquidem extrema hujusce æqualitatis sunt hinc quidem jus possidendi, inde autem ipsa possessio. Quapropter injurius est habenti jus ad centum, qui in causa est ut minus possideat quàm centum : & hæc injuria, cæteris paribus, tantò major est aut minor, quantò magis aut minùs ab æqualitate possessionis, cum possidendi jure, receditur. Magis enim injurius est habenti jus ad centum, qui in causa est ut is possideat duntaxat quinquaginta, quàm qui in causa est ut possideat solùm octoginta: quia prior in causa est cur possessio duplo minor sit jure possidendi, posterior autem cur quintâ duntaxat parte. Ex hac porrò æqualitate velut arithmeticâ, subnascitur alia quædam æqualitas quam vocant geometricam, quæ in hoc consistit, quòd consimili modo habeat se possessio unius ad possessionem alterius, quo habet se jus unius ad jus alterius: ut nimirum possessiones sint æquales ubi jura fuerint æqualia, & proportionatè inæquales ubi jura inæqualia. Injuriam proindè committit, qui in causa fuerit ut vel possessiones sint inæquales ubi jura extiterint æqualia, vel æquales ubi jura inæqualia, vel item inæquales ubi jura inverso gradu inæqualia; ut nimirum is minus possideat qui plus habet juris, aut is plus possideat qui minus habet juris. Iustitiæ igitur munus est prædictas duas ęqualitates conservare illæsas ubi subfuerint, & resarcire læsas ubi defuerint : adeoque injustitiæ molimen est easdem sive lædere ubi subfuerint, sive læsas dimittere ubi defuerint. Ad hoc propensos reddit clientes suos imperiosa avaritia, quæ adeò impotenter avaros subigit, ut *animas suas habeant venales*. Quâ de re Chrysostomus : [K] Gravis morbus, inquit, est avaritia : gravis, inquam, qui & oculos cæcat, & aures obstruit, & ferâ sæviores reddit : non conscientiam, non amicitiam, non consuetudinem, non denique propriæ animæ salutem considerare finit; sed semel ab omnibus dirimens, in servitutem sibi quos cepit, more sævissimi tyranni subjugat". Hujus vitij tyrannidem si non exaggerasse, saltem aggravasse quibusdam visus est Apostolus, quando illud appellavit *Idololatriam*, sive *Idolorum servitutem*. Verùm Chrysostomus §. 437. relatus exaggerantiam Apostolicæ sententiæ pernegat, & rursùs loco proximè jam hic

[Eccli. 10. 10.]

[K. Chrysost. Homil. 64. In Ioan. Vide eund. Homil. de Avaritia tomo 5.]

[Eph. 5. 5.]

citato etiam aggravantiam removet, subdens : " Amorem pecuniæ Paulus appellavit *Idololatriam*, non tamen tam formidabilis est idololatria. Sed cur ita appellavit? Habent nonnulli pecunias, & his uti non audent, sed nepotibus reservant, & intactas ad alios transmittunt : tunc eas, tanquam dona Deo dicata, tangere minimè audent. Quòd si quando coguntur, tanquam ad nefas aliquod timidè accedunt. Præterea quasi idolum lapideum claustris ac vectibus aurum cohibent, pro templo arcam ei præparantes, & argenteis vasis ipsum recondentes. Nonne tu aurum ita adoras, ut ille idolum? Ille oculos & animam potiùs traderet, quàm idolum : non aliter erga aurum afficiuntur auri amatores. Sed, *Non adoro aurum*, inquis. Sed neque idolum se adorare dicet ille, verùm idolo inhabitantem dæmonem: sicut tu, licèt non aurum, ejus tamen aspectu ac cupiditate insidentem animæ dæmonem adoras. Dæmone equidem gravior est pecuniarum cupiditas, cui multi magis obediunt, quàm idololatræ idolis : illi enim in multis non parent, hi verò in omnibus huic obtemperant, & quodcunque suggesserit obsequuntur. Quid dicit avaritia? Esto omnibus inimicus, obliviscere naturam, contemne Deum, sacrificium mihi te ipsum offer. Dicto citiùs parent : & idolis quidem boves sacrificantur, at verò avaritia animas sibi sacrificari suadet, & persuadet. Ecce quas habeat aras, quæ libamina accipiat" ! Huic non absimilis est ista Bernardi sententia : [L] Super omne peccatum avaritia inquinat animam, unde & *idolorum servitus* dicitur : incurvat enim ad infima & egena elementa animam, quæ soli creatori subjecta, cæteris rebus præesse deberet". Quæ sententia satis consentanea est ei quam præcedenti §. ex D. Thoma citavimus, quâ ille asserit avaritiam excedere cætera vitia, quantùm ad conversionem ad bona infimi ordinis, quibus humanus appetitus prævaricando subjicitur. Unde & Asterius, Amaseensis quondam Antistes, aiebat [M] Quòd si peccatorum proprium est ut *à Deo homines separent*, haud certè ullum avaritiâ sceleratius est peccatum; quam veraciter ille veritatis præco Paulus *idololatriam* appellat, *omniumque malorum radicem ac matrem*. Quid enim eos qui Christo quondam nomen dederant, ac Sacramentorum participes fuerant, ad cultum dæmonum traxit? Nonne cupiditas plura possidendi, & alienas fortunas occupandi? Nimirùm spe Magistratuum, ac præfecturarum, regiæque munificentię ac largitionis ab impijs factâ, Dei cultum religionemque, quasi vestem, repentinò mutarunt". Qui rursùs ibidem paulò pòst enumerans pessimos aliquot fructus

[Vide Amiphontem apud Stobæum Serm. 8.]

[Vide Nazianz. Orat. 15.]

[L. Bernard. serm. in illud Sapientiæ, Sapientia vincit malitiam. Vide Ioan. Sarisb. 7. Policrat. c. 16. & l. 8. cap. 4.]

[M. Asterius Homil. contra avaritiam. Isa. 59. 2. Eph. 5. 5. 1. Tim. 6. 10.]

fructus de avaritiæ radice prodeuntes:" Hinc, inquit, parricidam video capiti genitoris imminentem, nullàque venerandæ canitiei vel paternæ authoritatis reverentiâ, ob longiorem senis vitam, indignantem. Omnem enim copiam domi largiter suppetere videns, nec eorum quæ visa afficiunt penes se dominium habens, cupiensque eorum ac deliciarum fieri dominus, paternâ coangustatur dominatione ac potestate. Et initiò quidem silentium colit, altèque reconditum morbum retinet: dein verò auctâ per tempus cupiditate, ac animo jam tumente, repentè malum prorumpit, non secùs ac è fistulis & canalibus aquæ vis. Tum ille misero seni intolerabilis fit; ac penè valentem firmèque adhuc gradientem, cogit ad sepulchrum, effertque. Si equum agiliter conscendit, mirum in modum miratur ac stupet: si ut benè sanus cibos largiùs sumit; ægrè tolerat, secumque murmurat: si famulos ad opera ac ministeria manè excitat, vigilantiam bonamque valetudinem senis dolet ac gemit. Quòd si pignorum aliquid donaverit, aut servum manumiserit; tunc sanè homo delirus ac mentis emotæ audit; quique vitæ excesserit terminos, atque alieni prodigus ac profusus: probrisque omnibus ac maledictis proscinditur; hoc malè reus; quòd non celeriùs vitâ functus sit. Tui isti fructus sunt, ô scelerata avaritia! Tuis stimulis provocatus filius, parenti efficitur hostis. Terram reples latronibus ac sicarijs, mare piratis, urbes turbis atque tumultibus, forum ac tribunalia falsis testibus, calumniatoribus, proditoribus, Advocatis ac Iudicibus eò propendentibus quò tu pertraxeris. Avaritia mater est inæqualitatis, immisericors, inhumana, summè crudelis. Per hanc mortalium vita dispar omninò & inæqualis est: ac alij quidem superfluarum satietate opum velut nauseant, ac si cibum nimis sumptum evomant; alij fame penuriâque pressi, in extremo penè discrimine versamur".

Vide Cyprià. Epist. 2.

CDXL. Cùm igitur avaritia & legi naturæ adversetur, & utriusque Testamenti paginis reprobetur, & Sanctorum Tractatorum calculis tam impensè culpetur: mirum omninò apparet quomodò per omnes hominum status ac conditiones ita latè fusèque proserpat, ut eam nonnemo N. *Commune malum* dicere non dubitaverit. Cui consonans alius classicus Tractator: O. "Flamma ista, inquit, orbem terrarum vastat; & qui eam extinguat nullus est, multi verò qui accendant, & magis magisque inflamment: omnes enim favent huic malo; non solùm qui ab eo capti sunt, sed & qui nondùm illuc videntur ingressi: & quemlibet hominem videas, seu vir sit ille seu fœmina, servus aut liber, dives pauperve, pro viribus suis incendio huic materiam atque onera comportare, ac die nocteque in ejus ministerijs vigilare. Onera autem dico, non ligni aut fœni: non enim talis est flamma, quæ ista consumat: sed animæ suæ & corporis iniqua & injusta opera ei deferunt; his enim accenditur ignis iste, & his pascitur. Nam & ipsi divites, etiamsi totum orbem possibile sit possideri à singulis, adhuc tamen desiderio inardescerent: pauperes verò dum cupiunt divitibus exæquari, insatiabilem rabiem patiuntur, insaniunt, furunt, & idem morbus diversos singulis ingenerat languores. Intantùm amor pecuniæ omnem animam fatigat, ut neque amicitiarum, neque propinquitatis, interdùm etiam nec conjugis aut filiorum amori det locum, quibus affectibus inter homines nihil præfertur: amor tamen pecuniæ omnia hæc humi prosternit, & pedibus conculcat. Ita velut fera quædam & crudelis domina omnium corda possidet, & tyrannicâ dominatione devincit: sævit ut barbarus, fervet crudeliter ut tyrannus, debacchatur impudenter ut meretrix; nusquam miseretur, nusquam pudet, adest ubique dura, ubique terribilis, dira, inclemens, impia, truculenta: & cùm lupis, & ursis, & leonibus sæviùs ferociat; suavis tamen hominibus videtur & amabilis: Et quid dico, suavis? Melle ipso ac favis dulcior. Cùmque his, qui eam desiderant & exoptant, gladios acuat, foveas & præcipitia quotidiè paret, scopulisque eos mille milleque naufragijs illidat; expetitur tamen ab eis, desideratur, & quæritur, perque innumeras mortes suas lætantur se aliquando ad ejus saltem januam pervenisse: volutari namque in ejus cœno tanquam sues delectantur, & ut canthari evolvere stercus ejus. Tales quodammodò omnes, qui avaritiæ huic manus dederint, infeliciores & turpiores illis etiam immundissimis animalibus fiunt. Et hæc est major adhuc rei hujus infelicitas, quòd quantò magis in his sordibus volutantur, tantò majorem in his capiunt voluptatem: idque non rei naturâ, sed voluntatis vitio patiuntur". Etsi autem mirum sit, avaritiam, tantoperè reprobatam, tam latè fusèque inter homines cujusvis status ac conditionis dominari: magis tamen mirum videtur reperiri potuisse Doctores, qui ei auderent patrocinari. Quibus profectò verendum est, ne suis capitibus immineat terribile illud *Va*, quod per Prophetam comminatur Deus *dicentibus malum bonum*. Nimis exacerbatur Dominus, dum *Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniqua gerens benedicitur*. In quem locum Augustinus: P. "Adulantium linguæ, inquit, alligant animas in peccatis: delectat enim ea facere, in quibus non solùm non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur". Hujusmodi palpones apud Oseam dicuntur *comedere peccata populi*, juxta interpretationem Hieronymi, qui ait:

N. Laurent. [illegible]

O. [illegible]

Isa. 5. 20.

Psal. 9. 24.

P. Augustin. Psalm. 9. Vide Prosp. Sent. 197. & Epigram. 96

Ose. 4. 8.

Q. Hieron. in c. 4. Osee v. 8. Vide supra hic §. 347. 333. 386. & 419. Isa. 3. 12.

ait: Q. Idcircò peccata populi devorant consentientes sceleribus delinquentium, quia cùm eos peccare perspexerint, non solùm non arguunt, sed laudant, atque sustollunt, & beatos prædicant. De quibus & Isaias loquitur, *Popule meus, qui beatos vos dicunt, seducunt vos, & semitas pedum vestrorum supplantant.*

Psal. 9. 24.

De his & per Psalmistam clamat, *Quoniam laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur*". Neminem quidem esse arbitror inter omnes laxitatum patronos adeò

1. Tim. 6. 10.

inverecundum, ut avaritiam, *omnium malorum radicem*, sub proprio suo vocabulo expressam, excusare à culpa præsumat: id enim nimis foret temerarium, & non solùm sacræ authoritati, sed humanæ etiam rationis dictamini palàm adversum. Verùm non satis est detestari vocabulum; sed multò magis necessarium est detestari rem latentem sub vocabulo. Neque enim malum definit esse malum, etiamsi à nonnullis dicatur bonum; quibus ait sermo

Isa. 5. 20. Vide Hierô. Epist. 100.

divinus, *Væ qui dicitis malum bonum*: sicut nec Æthiopes desinunt esse nigri, quantumvis vulgò vocentur *argentei*: nec simonia suam exuit naturam, cùm *pensionis* vocabulo palliatur; aut usura, cùm appellatur *interesse*. Honestas enim nominis non abstergit malitiam criminis; nec

R. Lactant. lib. 3. cap 1. Vide Innoc. 3. cap. sequentium, de Simonia.

vox valet abolere reatum: R. Nec obstat, ut rectè monet Lactantius; appellationum diversitas, quùm ipsâ significatione ad unum omnia revolvantur". Et hæc quidem vera sunt per se loquendo, & habito respectu ad auditores vel lectores rerum gnaros; sed tamen diffitendum non est, decipi plerunque imperitos fallacijs verborum. Unde ait quidam

S. Isidor. Pelus. lib 3. Epist. 264.

pius eruditusque Tractator: S. Qui vitijs virtutum, & virtutibus vitiorum nomina imponunt, omniaque permiscent, ut virtus ægrè internosci queat; virtutem ipsam, meo quidem judicio, in exilium mittunt". De hujusmodi ludionibus disserens Basilius Magnus:

T. Basil. in Psalm. 61. v. 5. Vide Facundum Hermian. lib. 12. c. 4. in fine.

T. Multi sunt, inquit, qui pro bonis pravas comprobant actiones, & vitia virtutibus vicinis honestare contendunt: nam scurrilia loquentem, urbanum ac lepidum; turpiloquum verò politicum; amarulentum ac iracundum, neutiquam contemnendum prædicant: parcum verò ac minimè liberalem, ut sobrium dispensatorem commendant; prodigum quoque, ut liberalem; libidinosum ac lascivum, ut rebus suis utentem atque animi solutioris virum. Utque semel omnia expediam, vitium omne palliant adumbratâ nomenclaturâ è vicino subjectæ virtuti". Cui sententiæ haud multùm dissimilis est illa Se-

V. Seneca Epist. 45.

necæ: V. Vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt: temeritas sub titulo fortitudinis latet, moderatio vocatur ignavia, pro cauto timidus accipitur. In his magno periculo erratur". Eòdem quoque pertinet quod Augustinus in quadam homilia elucidans versiculum istum Psalmi mox relatum, *Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur*:

W. Aug. Homil. [illegible] 10. Vide Chrys. [illegible] Luc. 6. 37.

W. Diffluit quis, inquit, lætus vocatur: avarus est, & dicitur de eo quòd servet rem suam: vindicat se de inimico, cùm dictum sit, *Dimitte ut dimittatur tibi*; & comis vocatur. Sic considera cætera; quemadmodùm assentatores, id est adulatores habeant verba fallacia, habeant nomina laudis: ipsa est *unctio peccatoris*. Nos autem audiamus Prophetam dicen-

Psa. 140. 5. Isa. 3. 12.

tem, *Populus meus, qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, & conturbant semitas pedum vestrorum*". Hnc item spectat illud Philonis Iu-

X. Philo lib. de Fortitudine, sub initium.

dæi: X. Facilè serpit vitiorum contagio; cùm ignavi cautos se reputant, timidi consultos, segnes providos; prætexendo vitia turpissima honestis vocabulis". Porrò qui hujusmodi artificio vel sibi vel alijs abblandiuntur, canibus *ulcera Lazari lingentibus*, sed non sanantibus

Luc. 16. [illegible] Y. Greg. Homil. 40. in Evangelia.

assimilantur, dicente Gregorio: Y. Potest per *linctionem canum* lata adulantium lingua signari: adulantibus etenim vulnera nostra lingere; est, quòd plerunque soleant etiam ipsa mala quæ nos in nobis reprehendimus, improbò favore laudare". De his scriptū est, quòd

Ezech. 13. 18 & 10. Z. H[illegible] Milce[illegible] 93.

consuant pulvillos sub omni cubito manus. Item quòd *liniant parietem luto absque paleis*: Z. Quisquis enim malè agentibus adulatur, sub capite & manu alterius consuit pulvillos. Hinc rursùs scriptum est; *Ipse ædificabat parietem, & alij liniebant*. Paries est peccati duritia: hunc ædificat, qui contra se peccati obstaculum construit: hunc linit, qui peccata perpetranti adu-

Ag[illegible]

latur". Agapetus Diaconus in Parænetîcis capitulis ad Justinianum Augustum, quantoperè hujusmodi hominum blandiloquentię vitandę sint, indicat c. 12. ita Principem admonens: "Aversare adulatorum pellaces sermones, ut corvorum rapaces mores: illi namque corporis effodiunt oculos, isti autem animæ hebetant cogitatus, cùm non permittant perspicere rerum veritatem. Vel enim commendant nonnunquam quæ reprehensione sunt digna, vel reprehendunt quæ omni laude sunt majora: ut de duobus alterum ab eis committatur, vel pravorum laus, vel contumeliosus bonorum contemptus". Student hi placere hominibus, nec nisi surdis auribus audiunt Psalmographum terribiliter insonan-

Psal. [illegible] A. A[illegible] Homil. [illegible] Vide A[illegible] Epist. [illegible]

tem, *Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent*: A. Cum timore, ait Antiochus Abbas, eum exaudiamus qui dicit, *Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent*: Apostolicam potiùs æmulati sententiam sincero pectore

Gal. 1. [illegible] 1. T[illegible]

promamus, *Modo hominibus suadeo, an Deo? An quæro hominibus placere? Si enim adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*. Et rursùs: *Sic loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim in sermone adulationis fuimus apud vos, sicut & scitis: neque in occasione avaritiæ,*

Deus

PRÆOCCUPATIO.

„ *Deus testis est: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis*". Nec quemquam movere debet, quòd idem ipse Apostolus alibi dixerit, *se per omnia omnibus placere.* Nam, ut Augustinus monet, B. „Non ideò rectè faciebat, ut placeret hominibus; sed ut „Deo, ad cujus amorem corda hominum volebat convertere eo ipso, quo placebat hominibus. Itaque & *non se placere hominibus* rectè dicebat; quia in eo ipso, ut Deo placeret intuebatur: & *placendum esse hominibus* „rectè dicebat, non ut hoc appeteretur tanquàm merces rectè factorum; sed quia Deo „placere non posset, qui non se eis quos salvos fieri vellet præberet imitandum: imitari autem illum, qui sibi non placuerit, nullo pacto quisquam potest". Breviter, placebat Apostolus omnibus quibus placebant quæ Deo erant placentia: sed displicebat eis, qui post veteres Judæos dicebant prædicatoribus suis: *Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores.*

1. Cor. 10. 33. B. Aug. l. 1. de Sermone Domini in monte c. 1. Vide lib. de Corrept. & gr. cap. 14. & ... cap. 1. ad Galatas, & ... Thom. ... 1. Thess. Lect. 1. — Is. 30. 10.

CDXLI. Videamus nunc qualiter novelli probabilitatum patroni avaritiæ patrocinentur, & laxitatum invectione avaris hominibus placentia loquantur. Intonat per Prophetam Dominus, *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, usque ad terminum loci.* Quibus verbis avaritiam sub gravissima interminatione culpari Interpretes promiscuè omnes advertunt. Sed si *væ* conjungentibus domum domui, & agrum agro; quantò magis adjicientibus regnum regno, & provinciam provinciæ? Et tamen hoc postremum privilegio probabilitatum licere contendunt, qui, suprà hîc §. 409. relati, asserunt posse Reges ac Principes exturbare alios pacificâ possessione ditionum suarum, dummodò jure utcunque probabili polleant. Notanter dixi, *utcunque probabili*: quia sufficit his authoribus quæcunque probabilitas, quantumvis exilis, sive intrinseca sive extrinseca, etiam unius boni authoris suffragio nixa, quamvis opposita opinio sit probabilior: imò etiamsi de probabilitate ipsâ non certò constet, sed duntaxat probabiliter: prout ex dictis partim ibidem, partim c. 94. liquet. Quantopere autem hæc laxitas abblandiatur avaritiæ Principum, indidem quoque cernere licet. Et certè si toleretur in Ecclesia, valdè timendum est, ne complures Principes imitentur *Achabum*; & subditi, vel etiam vicini dynastæ, idipsum patiantur quod *Naboth*. Imò verò etiam pejus: nam *Achabus* obtulit condignam compensationem, hi verò pro compensatione obtendent probabilitatem; quam facilè invenient, si ad manum habeant unum aut plures laxiores Casuistas, qui è sua penu probabilitatum fœcundâ ratiunculam quampiam *alicujus momenti* depromant, vel certè suo suffragio authenticam probabilitatem procudant. Ita fiet, ut nostro sæculo adaptari potiori jure possit, quod de suo olim aiebat Ambrosius: C. *Nabuthi* historia, inquiens, tempore vetus est, usu quoti„diana. Quis enim divitum non quotidie „concupiscit aliena? Quis opulentissimorum „non exturbare contendit agello suo pauperem, atque inopem aviti juris eliminare fini„bus? Quis contentus est suo? Cujus non in„flammat divitis animum vicini possessio? „Non igitur unus *Achab* natus est, sed, quod „pejus est, quotidie *Achab* nascitur, & nun„quam huic sæculo moritur. Si unus occidat, „assurgunt plurimi; plures qui rapiant, quàm „qui amittant. Non unus *Nabuthe* pauper oc„cisus est, quotidie *Nabuthe* sternitur, quotidie pauper occiditur". Hanc tragœdiam innovandi ansam Principibus præbebit, & latam grassandi portam aperiet modernorum Casuistarum laxitas, quibus ad inculpatè quosvis aggrediendum sufficit undecunque hausta probabilitas. O quàm fœlicem se impius ille *Achab* reputasset, si hanc laxorum Ethicen calluisset, quando *vineam Naboth* occupavit, & divinam vindictam in se & suos provocavit! Erat quippè ipse Rex, erat & Naboth ejus subditus. Igitur juxta novam Ethicen potuisset licitè occupare concupitam vineam, dummodò probabile esset eam esse suam. Esset autem id probabile, juxta novæ Ethices principia; siquidem non desunt authores celebres, qui omnia subditorum bona spectare censeant ad Reges. Nota est illa Senecæ sententiola, D *Iure civili omnia Regis sunt.* Si recentiorem authorem quæris, audi Blacuodæum Senatorem Regium in Curia Pictavensi, qui in Apologiâ pro Regibus conscriptâ adversùs Buchananum, ita eidem adversario suo ait: E. Non ita rerum ignarus es, ut „nescias, non modò personas omnium Regi„bus obnoxias, ac veluti mancipio nexu„que teneri; verumetiam res omnium po„pularium, atque fortunas, ita Regum esse „proprias, ut usu duntaxat ac fructu singulorum esse videantur". Rursùs ne fortè autumares hanc sententiam huic authori esse peculiarem, audi quid inferiùs cap. 31. adjiciat: " Non injuriâ, inquiens, post Vege„tium, Baldus, doctissimus Romani Juris „Interpres, Regem in suo regno *corporalem Deum* appellavit, quòd ejus nutu mo„veantur omnia, ejus nutu quiescant: quòd „ejus omnia sint mancipio, singulorum „usu: quod ejus sit omnium proprietas, singulorum fructus. Ecce *Vegetium* & *Baldum*, nobile Sceptrorum par, cum *Seneca* & *Blacuodæo* quaternionem suffragantium complentes! quem numerum abundè ad probabilitatem sufficere censent passim novi Casuistæ, ut toties in præcedentibus visum

C. Ambros. lib. de Nabuthe c. 1.

D. Seneca l. 7. de Benef. c. 4.

E. Blacuod. Apolog. c. 7.

Vegetius Baldus.

Vide suprà § 178.

visum est. Addi præterea possunt, qui verba Samuëlis, *Hoc erit ius Regis* &c. non de tyrannico, sed de legitimo *iure* interpretantur, quos tacitis nominibus memorat Hieronymus Salzedo: F. Sunt, inquiens, qui affirment in illis
,, verbis prædici à Samuële populo Israëlitico
,, jus Regis legitimum, secundùm quod licitè
,, rectèque populum illum poterat regere; &
,, esse quandam quasi à Deo latam institutionem Regalis Monarchiæ". Horum accessio novum probabilitatis gradum præfatæ opinioni accumulat: quâ semel admissâ, aperietur consequenter latissima porta Regibus ac Principibus grassandi in bona subditorum suorum tanquam res proprias. Quanta verò perturbatio publicæ quietis hinc consequatur, colligere à fortiori licebit ex ijs quæ adversùs Lyrani sententiam, multò mitiorem, scribit Abulensis. Censuit namque Lyranus bona subditorum subjacere dispositioni Regum, non quidem in quovis casu, sed exigente saltem publicâ utilitate, vel urgente necessitate. Verùm Abulensis, G. Hæc opinio, inquit, est
,, multùm falsa, & satis periculosa animabus:
,, quia præstat Principibus incentivum rapinæ,
,, & tyrannidis; ideò Confessores & Prædi-
,, catores Euangelici fugiant ab ea tanquam
,, à peste: nam ambitio, & vorago cupiditatis
,, Principum hodie tanta est, ut omnes fin-
,, gant necessitatem, nec avaritiam suam to-
,, tius orbis terrarum dominio satiare possint.
,, Et ob hoc bella inter se gerunt, proprijs
,, terminis non contenti; & mille necessitati-
,, bus justo Dei judicio undique circundantur". Quæ censura tametsi nimis acerba videatur pro casu publicæ necessitatis, de quo agit Lyranus, suffragante utcunque D. Thomâ 1. 2. q. 105. art. 1. ad 5. nihilominùs valdè quadrat in sententiam mox à nobis memoratam, si modò ei associetur opinio novellorum Ethicorum §. 352. & 409. discussa. Neque verò satis fuerat eisdem novis Ethicis, laxare habenas avaritiæ Regum ac Principum, nisi easdem laxarent & avaritiæ Judicum: quibus utique indulgent licentiam recipiendi munera à litigantibus, pro favorabili sententiâ, in causis probabilibus; arrogantque immunitatem ab onere restituendi recepta ob sententiam scienter i[illegible]stam. Quâ de re inspi[illegible] possunt quæ desuper di[illegible]mus § 410. & hic pro repetitis l[illegible]ter [illegible]ol[illegible]mus. Sed quid de Advocati[illegible]? indulget his Caramuel, ut causis semel inceptis quantumlibet jam desperatis patrocinari pergant; imò etiam subinde incipiant H. Si Advocatus, inquiens,
,, videt rem non posse convinci, posse tamen
,, probari semiplenè, potest A[illegible]oris patroci-
,, ni[illegible]m sumere: uti[illegible]er enim in Republica
,, expediuntur causæ semiplenè probatæ. Se-
,, cundò, si videat non adesse materiam ne
,, quidem semiplenæ probationis sufficientem,
,, & vigeat in illa Republica talionis pœna, in-
,, justè actionem consulet, INCEPTÆ TAMEN
,, POTERIT PATROCINARI. Tertiò, si Actor,
,, velit nolit Advocatus, accusare vult, vel
,, etiam defacto accusavit, TAMETSI NULLUM
,, IUS VIDEATUR HABERE, POTEST illi AD-
,, VOCATUS PATROCINARI, nimirùm, quan-
,, tùm per leges liceat examinando benè testes,
,, eorum responsa conferendo; & notando.
,, Sepè enim contingit causas benè fundatas
,, malè cadere, & sæpè malè fundatas benè
,, succedere. Ingenia hominum varia, dies
,, crastina doctior hodiernâ; & modò nihil
,, contra jura fiat aut in terminorum prolon-
,, gatione, aut in testium examine, aut in
,, expensarum consignatione, non apparet qua-
,, re debeat Advocatus prudens Accusatorem temerarium deserere". Sed quis Christianus, salutis suæ utcunque studiosus, non malit hic audire D. Thomæ Ethicen antiquam, communi hactenùs consensu approbatam; quàm novellam istam Caramuelis laxitatem, nullâ ratione, nullius vetustioris authoris suffragio suffultam? I. Dicendum, ait ille, quòd
,, illicitum est alicui cooperari ad malum fa-
,, ciendum, sive consulendo, sive adjuvan-
,, do, sive qualitercunque consentiendo: quia
,, consilians & coadjuvans quodammodò est
,, faciens: & Apostolus dicit ad Roman. 1.
,, quòd *Digni sunt morte non solùm qui faciunt*
,, *peccatum, sed etiam qui consentiunt facien-*
,, *tibus*: undè & suprà dictum est, quòd om-
,, nes tales ad restitutionem teneantur. Ma-
,, nifestum est autem, quòd Advocatus & au-
,, xilium & consilium præstet ei, cujus cau-
,, sæ patrocinatur. Unde si scienter injustam
,, causam defendit, absque dubio graviter
,, peccat, & ad restitutionem tenetur ejus
,, damni, quod contra justitiam per ejus auxilium altera pars incurrit". Et rursùs ibidem in solutione ad 2. "Advocatus, inquit, si in
,, principio credidit causam justam esse, &
,, posteà in processu appareat eam esse inju-
,, stam, non debet eam prodere, ut scilicet
,, aliam partem juvet, vel secreta suæ causæ
,, parti revelet: potest tamen & debet CAU-
,, SAM DESERERE, vel eum cujus causam agit
,, AD CEDENDUM INDUCERE, sive ad componendum sine adversarij damno". Sed quamvis hinc habeamus Advocatos graviter delinquere contra adversam partem, & teneri resarcire damna ei per iniquum patrocinium illata; non tamen adhuc constat num teneantur clienti suo restituere salarium, quod pro iniquo patrocinio ei impenso acceperant. Novi laxitatum patroni, qui, ut § 410. vidimus, liberant ab onere restituendi Judicem, pro iniqua sententia pretium accipientem, consequenter à fortiori liberabunt

Advoca-

1. Reg. 8. 11. & seqq.

F. Salzedo in lib. 2. de Regimine Principum Dissert. 25. n. 73.

G Abulens. in c. 8. lib. 1. Reg. q. 19. in margine.

Lyranus. D. Thomas.

Vide supra § 410.

H Caram. lib. 3 Theol. Moral. nu. 1470.

I. D. Thom. 2. 2. q. [illegible] a. [illegible]

Rom. 1. 32.

Vide q. [illegible] art. 7.

Advocatum ab onere reſtituendi ſalarium pro iniquo patrocinio receptum: nam Advocati patrocinium longè magis cenſetur pretiabile, quàm ſententia Judicis, dicente Auguſtino:

S. Auguſt. Epiſt. 14. S. Non ideò debet Judex vendere juſtum „ judicium, aut teſtis verum teſtimonium; „quia vendit Advocatus juſtum patrocinium; „ & Juriſperitus verum conſilium. Illi enim „ inter utramque partem ad examina adhi- „ bentur, iſti ex unâ parte conſiſtunt. Cùm „ autem judicia & teſtimonia, quæ nec juſta „ nec vera vendenda ſunt, iniqua & falſa ven- „ duntur, multò ſceleratiùs utique pecunia „ ſumitur, quia ſceleratè etiam, quamvis à „ volentibus, datur. Ille tamen ſolet; tan- „ quàm malè ſibi ablatam, pecuniam repe- „ tere, qui juſtum judicium emit, quoniam „ venale eſſe non debuit: qui verò pro iniquo „ judicio dedit, vellet quidem repetere, niſi timeret vel puderet emiſſe". Non ergo idcircò hic non repetit, quòd Judex non teneatur reſtituere; ſed quod eum pudeat revelare turpitudinem ſuam, vel certè quòd vereatur puniri propter eandem turpitudinem ſuam. Cæterùm quid de Advocato in caſu ſuperiùs propoſito cenſeat idem Auguſtinus, planum fit ex hiſce ejus verbis ibidem poſt pauca ſubjunctis:" Si juſtitia ſinceriùs conſulatur, „ juſtiùs dicitur Advocato, Redde quod ac- „ cepiſti quando contra veritatem ſtetiſti, „ iniquitati adfuiſti, Judicem fefelliſti, juſtam „ cauſam oppreſſiſti, de falſitate viciſti; quod „ vides multos honeſtiſſimos & diſertiſſimos „ viros non ſolùm impunè, verùm etiam glo- „ rioſè videri ſibi committere: quàm cui- „ quam in quolibet officio militanti, Redde „ quod accepiſti quando jubente Judice cui- „ cunque cauſæ neceſſarium hominem te- „ nuiſti, ne reſiſteret vinxiſti, ne fugeret in- „ cluſiſti, poſtremò aut permanente lite exhi- „ buiſti, aut finitâ dimiſiſti. Sed illud cur „ Advocato non dicatur, in promptu eſt: quia „ ſcilicet ita non vult homo repetere, quod „ patrono, ut malè vinceret, dedit; ſicut non „ vult reddere, quod ab adverſario, cùm „ malè viciſſet, accepit. Quis tandem Advo- „ catus, aut ex Advocato ita vir optimus „ facilè reperitur, qui Suſcepto ſuo dicat: Re- „ cipe quod mihi cùm tibi malè adeſſem de- „ diſti, & redde adverſario tuo quod me „ agente iniquè abſtuliſti? Et tamen, quem „ prioris non rectæ vitæ rectiſſimè pœnitet, „ ETIAM HOC FACERE DEBET: ut ſi „ ille qui iniquè litigavit non vult admonitus „ corrigere iniquitatem, ejus tamen iniqui- „ tatis nolit iſte habere mercedem: niſi fortè „ reſtituendum eſt alienum, quod per furtum „ clanculò aufertur; & reſtituendum non eſt „ [illegible], quod in ipſo foro, ubi peccata pu- „ [illegible] decepto Judice, & circumventis legibus obtinetur"? Quod Auguſtinus hic aſſeverat de obligatione Advocati ad reſtituendum ſalarium iniqui patrocinii; à fortiori militat in teſte quoad pretium falſi teſtimonii: ſiquidem judiciale teſtimonium, quantùm ad inpretiabilitatem, imitatur ipſum judicium; prout ex Auguſtino mox audivimus. Quapropter novi laxitatum patroni, qui liberant Judicem ab obligatione reſtituendi pretium pro ferendâ iniquâ ſententiâ acceptum, conſequenter coguntur liberare teſtem ab obligatione reſtituendi pretium pro falſo teſtimonio acceptum. Argumenta quippe illa quæ pro liberando Judice coacervant, pari jure pro teſte militant: prout ex eorum ſerie §. 410. exhibitâ, planum eſt.

CDXLII. Recolendum hoc loco eſt ex dictis ſuperiùs §. 386. 410. & 413. multò deterius eſſe iniquam ſententiam ferre, quàm furto vel rapinâ alienam rem tollere. Proindè cùm iniquus Judex, dyſcolus Advocatus, & falſus teſtis, concurrant ad injuſtam ſententiam; ſanè qui horum avaritiæ laxare habenas audent; proclive eſt ut etiam furibus ac raptoribus, necnon eorum complicibus, plus æquo indulgeant. Huc vergit ille eorum Articulus; ordine decimusſextus inter ſeptemdecim, quos Schola Theologica Lovanienſis anno 1653. ad inſtantiam Archiepiſcopi Mechlinienſis reprobavit: *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per parva furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.* Quaſi verò non æquè repugnet juſtitiæ §. 439. deſcriptæ, retinere rem notabilem alteri debitam, ac eandem uno actu auferre. Si ergo hoc poſtremum, ipſis etiam laxoribus fatentibus, ſit peccatum mortale; quo veriſimilitudinis colore negari poteſt, primum illud eſſe peccatum mortale? Neque enim detentio minùs eſt domino damnoſa, quàm ablatio. Nec refert quòd fortè minutæ ablationes ſingulatim fuerint peccata duntaxat venialia. Quia reſtituendi obligatio non ex ſolo acceptionis titulo, ſed etiam ex titulo rei acceptæ naſcitur: ut proinde ea ſit gravis & ſub mortali, quoties res aliena notabiliter pretioſa detinetur, quomodolibet ea ad detinentem pervenerit. Unde non ſolùm qui per minuta peccata, ſed etiam qui abſque ullo peccato ad poſſeſſionem rei alienæ notabiliter pretioſæ pervenerat, ſub gravi reatu eam reſtituere, cognitâ jam alienitate, obſtringitur. Sive igitur auferendo, ſive detinendo rem alienam notabilis valoris contingat te habere plus notabiliter quàm debeas, & alterum ex adverſo minus notabiliter quàm debeat: grave proculdubio vulnus infligis juſtitiæ: quæ utique exigit, ut unuſquiſque poſſeſſio ita admetietur jure poſſidendi quo pollet, ut nemo plus aut minus poſſeſſionis habeat

Articulus Lovanii reprobatus. Vide Steph. Bauny in Summa peccatorum pag. 220. edit. 6.

PRÆOCCVPATIO.

Vide Navar. in Manuali c. 17. n. 119. & Innoc. 3. cap. Sæpè de Reſtitut. Spoliatorum.

habeat quàm juris: & item ut consimili planè modo habeat se possessio uniuscujusque ad possessionem cujuslibet alterius, quo se habet ipsius jus ad jus alterius. Similis quoque farinæ est iste Articulus, ordine decimus inter viginti sex, quos eadem Schola Lovaniensis anno 1657. ad instantiam Episcopi Gandavensis reprobavit: *Qui cessit foro potest sibi retinere bona, quibus indiget ad sustentationem familiæ, ne indecore vivat; licet debita, pro quibus cedit, sint ex injustitiâ & notorio delicto contracta.* Quem Articulum denuò etiam proscripsit Episcopus Namurcensis, cum sua Synodo, anno 1659. celebratâ. Cùm autem ex proximè dictis planum sit, detentionem rei alienæ eandem habere malitiam injustitiamque, cum ablatione ejusdem; proculdubiò ex doctrinâ hujus Articuli consectarium est, præfatum foro-cedentem posse aliena bona surripere, si aliunde in manibus non habeat unde se & familiam sine dedecore foveat. Cui quidem consectario satis apertè favet Articulus alter ibidem reprobatus, ordine octavus, qui sic sonat: *Permissum est furari non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Facilè enim benigni isti laxones admittent, necessitatem prædicti cessionarij esse gravem; ne alioquin cogantur fateri communem necessitatem sufficere ad fraudandum creditores debitis, etiam *ex injustitia & notorio delicto contractis.* Censura porrò postremo Articulo inusta sic sonat: *Furari nullo casu permissum est, quia intrinsecè malum: surripere autem alienum, permissum quidem est in extrema necessitate, quando aliter haberi non potest: sed illud extendere indefinitè ad necessitatem gravem, est dare ansam pauperibus ad passim furandum.* Nec est quod primæ parti censuræ opponatur authoritas D. Thomæ alicubi scribentis, [L] *In articulo extremæ necessitatis licitum esse* FURARI: Ex quo apparet falsum esse quod in censura dicitur, *Furari nullo casu permissum est, quia intrinsecè malum.* Sumit enim D. Thomas ibi *furandi* verbum impropriè, prout ipsemet satis manifestat inferiùs q. 66. art. 7. ad 2. dicens: " Uti re alienâ occultè acceptâ in casu „ necessitatis extremæ, non habet rationem „ furti PROPRIE LOQUENDO: quia per „ talem necessitatem efficitur suum id, quod „ aliquis accipit ad sustentandam propriam vitam ". Ubi notandum, eum nulli necessitati citra extremam tribuere vim efficiendi, ut res, alioqui aliena, fiat accipientis. Unde & idem ipse superiùs q. 32. art. 7. ad 3. dixerat: " In casu extremæ necessitatis omnia „ sunt communia. Unde licet ei, qui talem „ necessitatem patitur, accipere de alieno ad „ sui sustentationem, si non inveniat qui sibi dare velit ". Utrobique ait, *talem necessitatem*: utique amputans quamcunque inferioris gradus necessitatem, de quali extat canon ille

Vide Escobar Tract. 3. Exam. 2. c. 6. n. 105.

Vide Tambur. lib. 8. Tract. 4. c. 1. §. 9. n. 8. in fine.

Vide Escobar Tract. 3. Exam. 9. c. 4 n. 19 Censura Lovaniens.

PRÆOCCUPATIO.

L. D. Thom. 2. 2. q. 32 a. 7. ad 3.

Vide Richar. in 4. Dist. 57. a. 3. q. 4. & Cajet. in 2. 2. q. 66. a. 7. & Covar. ad Regulam Peccatum p. 2. §. 1. n. 1.

Ecclesiasticus: [M] Si quis propter necessita„ tem famis, aut nuditatis, furatus fuerit ci„ baria, vestem, vel pecus, pœniteat hebdomadas tres". Non consuevit Ecclesia infligere pœnitentiam, nisi propter prævìam culpam: quæ utique non hîc ulla præcessisset, si necessitas citra extremam ulla excusare posset. Unde cùm Richardus eum canonem sibi objecisset, respondit dicendo: [N] Illa Decre„ talis non loquitur de extrema necessitate, de qua quæstio intelligenda est". Quæstio autem proposita in titulo fuerat, *Utrùm in casu necessitatis furari, sit contra quartum præceptum secundæ tabulæ?* In idem quoque recidit quod D. Thomas objectioni ex ejusdem Decretalis authoritate formatæ respondet, dicens: [O] *Decretalis illa loquitur in casu, in quo non est urgens necessitas.* Ubi nomine *urgentis necessitatis* eandem ipsam intelligit, quam ibidem mox in solutione ad 2. vocat *extremam necessitatem*: quâ utique rerum proprietas eliditur, & communio subinvehitur. De quâ in corpore ejusdem Articuli ipse præmiserat: "Si adeò sit evi„ dens & urgens necessitas, ut manifestum sit „ instanti necessitati de rebus occurrentibus „ esse subveniendum, puta cùm imminet per„ sonæ periculum & aliter subveniri non po„ test: tunc licitè potest aliquis ex rebus alie„ nis suæ necessitati subvenire, sive manifestè „ sive occultè sublatis; nec hoc propriè habet rationem furti vel rapinæ". Ubi signanter notandum, non dici, quando statui personæ imminet periculum; sed, *cùm imminet personæ periculum*: quæ imminentia planè coincidit cum necessitate extremâ. Hinc Bannez volens totius Articuli sensum paucis complecti, tres statuit conclusiones, dicens: [P] *Prima conclusio*, „ Bona quæ superfluunt divitibus, naturali jure „ debentur pauperum sustentationi. *Secunda* „ *conclusio*, Nemo citra extremam necessitatem „ potest hujusmodi bona sibi accipere palàm „ vel occultè. *Tertia Conclusio*, In extrema necessi„ tate licitum est cuilibet occultè vel palàm „ hujusmodi bona accipere ad usum sibi necessarium". Consonat quoque Suarez, cùm ait: [Q] *Extra casum necessitatis extremæ non possum ego accipere alienum.* Et mox iterum ibidem: *Ius non datur alteri, nisi quando res ipsa ratione necessitatis extremæ communes factæ sunt.* Eidem quoque sententiæ patrocinatur apertè Durandus, quatenùs negat posse licitè dari vel recipi eleëmosynam ex rebus furto vel rapinâ acquisitis, [R] *Extra casum extremæ necessitatis.* Est præterea observandus loquendi modus, quo Tamburinus oppositam sententiam, quæ gravem necessitatem sufficere contendit, venditat. Probans quippe ille, posse eum, qui foro cessit, retinere & occultare bona, quibus juxta statum suum parcè vivat; pro ratione allegat quòd [S] *Ad propria alimenta ius habeat: cum is, qui ijs caret,*

M. Cap. ... de Furtis. Vide cap. ... S. August. Serm. ... de verb. Apost.

N Richard. in 4. ... 17. a. ... q. ... ad 2. Vide ...

O D. Th. 2. 2. q. 66. a. 7 ad ... Vide ... in 4. ... & Q. ... 8. q. 12.

P B... sub ... Vide ... in ...

Q. Su... Di... Char... Sect. ...

R. ... 11. q. ...

S. Ta... lib. 8 ... c. ...

qui caret, sit in GRAVI NECESSITATE constitutus; in qua, etiam aliena posse surripi, nedum propria occultari, communis IAM NUNC est sententia. Quorsùm attinet illud, *tam nunc*; nisi quia olim non fuerat communis sententia? Imo veró nec ante hæc novissima tempora fuerat simpliciter sententia, præsertim si Navarro credimus, qui superiori sæculo labente decessit, cujus verba sunt: Y. Inter omnes convenit, peccare eos, qui extra necessitatem extremam occultè res alterius, etiam illi superfluas, ad sibi aut alteri subveniendum accipiunt". Si *inter omnes*: igitur nemo omnium tunc dissentiebat; atque adeò Tamburini assertio non modò non fuit tunc *communis sententia*, sed nec sententia. Porrò cùm in Navarri mentionem hac occasione incidérim, non possum omittere quin lectori exhibeam ejus judicium super sententiarum communitate, ut inde appareat quanti faciendæ sint complures opiniones, quas novelli laxones pro probabilibus ac practicè securis venditant. Verba ejus ibidem inferiùs cap. 17. n. 289. sunt ista: "Non videtur una opinio appellanda *communis*, ad effectum præjudicandi alteri, eo solo, quòd plures eam sequantur, tanquam oves alias oves, vel ut aves quæ unam volantem aliæ omnes sequuntur, secundùm Decium. Communiorem enim ad hoc existimarem illam, quam sex vel septem authores classici rem ex professo tractantes assererent, quàm probatam à quinquaginta solâ ferè priorum authoritate ductis. Opinio enim communis non ex numero opinantium, sed ex pondere authoritatis fit, ut dicit Alexander relatus à Ludovico Gomez". Hinc patet quàm circumspectè audiendi sint plerique probabilitatum patroni, qui sententias quasdam venditant pro communibus, attentâ solummodò numerositate suffragantium, sine accuratâ perpensione ponderis rationum, vel gravitatis authoritatum pro adversâ parte militantium: V. Nihil magis præstandum est, inquit Seneca, quàm ne pecorum ritu sequamur antecedentem gregem, pergentes non quà eundum est, sed quà itur. Atqui nulla res nos majoribus malis implicat, quàm quòd ad rumorem componimur; optima rati ea, quæ magno assensu recepta sunt, quorumque exempla nobis multa sunt: nec ad rationem, sed ad similitudinem vivimus. Inde ista tanta coacervatio aliorum supra alios ruentium: quod in strage hominum magna evenit, cùm ipse se populus premit, nemo ita cadit, ut non alium in se attrahat: primi exitio sequentibus sunt; hoc in omni vitâ accidere videas licet: nemo sibi tantùm errat, sed alij erroris causa & auctor est".

Y Navar. in Manuali c. 17. [illegible] 13. Vide Greg. de Valentia [illegible] 3. [illegible] q. [illegible] & Tamburin. [illegible] Disp. [illegible] Dub. [illegible] 1. & [illegible] q. 6 Dub. 14. n. 40.

V. [illegible]

Nimis ad terrena proclivis est natura mortalium, nec quidquam jucundiùs audit ac discit, quàm sibi licere, quod lubet. Quid enim gratiùs auscultent ac hauriant hiabundi opulentorum famuli & ancillæ, quàm quod asseritur Articulo illo, nono inter viginti sex Lovanij ad instantiam Episcopi Gandavensis anno 1657 reprobatos: *Famuli & famulæ domesticæ possunt occultè heris surripere, ad compensandam suam operam, quam majorem iudicant salario quod recipiunt*? Sed audi jam censuram eidem à Lovaniensibus justissimè inustam: *Hæc assertio falsa est, naturam hominis de se pronam ad malum præcipitans in furta, ac pacem domesticam perturbans: eò vel potissimùm, quòd ista compensatio ipsorummet famulorum & famularum iudicio relinquatur.* W. Omnes homines, inquit Hieronymus, "vitijs nostris faveamus: & quod propria facimus voluntate, ad naturæ referimus necessitatem". Et Isidorus Pelusiota: X. Amor "sui, inquit, rectum labefactat corrumpitque judicium; atque ijsdem oculis nostra alienaque considerare non sinit". Et lib. 4. Epist. 15: "Commune hoc sanè, inquit, malum esse videtur; ut homines non solùm in rebus proprijs cæcutiant, proximorum autem delicta acutè cernant, sed etiam sibi ipsis excusationes defensionesque quamlibèt invitas arcessant". Neminem inter laxarum opinionum assertores aut sectatores reperiri arbitror, qui famulo abs se conducto dicturus sit: Si salarium super quo convenimus videatur tibi minus justo, supple illud ex bonis meis usque ad æqualitatem, proprio tuo judicio taxandam. Cùm igitur eorum nullus hoc dicat famulo suo, cur tam prodigi sunt in alieno? Cur non inspiciunt regulam istam, Y. quam omnes habent in corde fixam, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*? Si dicant se non facere quod fieri sibi nolint, sed tantùm edisserere quid licitè fieri possit: recolat lector quid huic evasioni responsum sit superiùs §. 386. Noverit præterea præsumi ab Augustino quòd peccatorum excusatores sint consimilium peccatorum patratores: Z. Quis "audeat affirmare, ait ipse, furta, mendacia, perjuria non esse peccata, nisi qui talia vult impunè committere"? Non ait, committi; sed, *committere*: ut proindè non de alienâ, sed de propriâ perpetratione sit sermo. Sanè cùm iniqui Judicis, & vitilitigiorum patroni, reatum incurrant, & restitutionis obligationi subjaceant, ut proximo §. visum est: non apparet quomodò isti laxitatum patroni consimilem reatum obligationemque effugere queant. Sed ecce tibi adhuc alium horum Articulum, nihilo minùs præcedentibus laxum, ordine duodecimum inter eosdem viginti sex Lovanij reprobatos: *Qui alium movet aut inducit ad in-*

Articulus Lovanij reprobatus. Vide Bauny in summa peccat. pag. 218. edit. 6.

Vide Censuram Namurcensem art. 5. & Senonensem art. 10.

W. Hieron. Epist. 147.

X. Isidor. Pelus. lib. 3. Epist. 214.

Y. August. Tract. 49. in Joan. Vide supra §. 376. & 377.

Z. Aug. l. 10. de Genesi ad litt. cap. 21.

Vide Bauny ibidem pag. 107. & 108.

ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati. Cujus Articuli censura, ibidem subjuncta, sic sonat ad verbum: *Aperte falsa assertio, & receptationis injustæ regulis contraria.* Cujus censuræ veritas & æquitas patet, partim ex dictis §. proximo, partim ex his Divi Thomæ alibi dictis: [A] Quicun- „ que est causa injustæ acceptionis, tenetur „ ad restitutionem. Quod quidem contingit „ dupliciter, directè scilicet, & indirectè. Di- „ rectè quidem, quando aliquis inducit alium „ ad accipiendum: & hoc quidem tripliciter; „ primo quidem modo movendo ad ipsam „ acceptionem, quod fit præcipiendo, consu- „ lendo, consentiendo expressè, & laudando „ aliquem quasi strenuum de hoc quòd aliena „ accepit. Alio modo ex parte ipsius accipien- „ tis, quia scilicet eum receptat, vel qualiter- „ cunque ei auxilium fert. Tertio modo ex „ parte rei acceptæ, quia sic particeps est furti „ vel rapinæ, quasi socius maleficij. Indirectè „ verò quando aliquis non impedit, cùm possit „ & debeat impedire: vel quia subtrahit præ- „ ceptum, sive consilium, impediens furtum „ vel rapinam: vel quia subtrahit suum auxi- „ lium, quo possit obsistere; vel quia occultat „ post factum. Quæ his versibus comprehen- „ duntur: *Jussio, consilium, consensus, palpo, re- „ cursus: Participans, mutus, non obstans, non manifestans*". Quinimò idem Sanctus Doctor ibidem in solutione ad secundum, apertè docet teneri ad restitutionem principaliùs jussorem, quàm ipsum facinoris executorem. Ubi quod ipse expressè perhibet de jussore, Interpretes plerique extendunt ad consultorem, & inductorem: [B] Loquendo, inquit Tannerus, „ de titulo restitutionis ex injustâ acceptione „ præcisè, juxta Sanctum Thomam primus „ est *jubens*, quò etiam pertinet *vi cogens*, aut „ *fraude consulens*, aut *quolibet modo inducens*, ut „ suo nomine damnum inferatur: imò etiam „ universim malum *consulens*, ut insinuat San- „ ctus Thomas, & apertè docet Cajetanus art. „ 6. & Bannez art. 7. consulentem executori anteponentes: & meritò". Et sanè cùm jussor, consultor, & generaliter inductor, potiores partes teneant in crimine iniquæ acceptionis, mirum est venisse cuiquam in mentem ut eorum quempiam eximeret ab onere restitutionis: [C] Si culpâ tuâ, inquit summus Ec- „ clesiæ Præsul, datum est damnum, vel inju- „ ria irrogata; seu alijs irrogantibus opem „ fortè tulisti, aut hæc imperitiâ tuâ sive ne- „ gligentiâ evenerunt: jure super his satisfa- „ cere te oportet: nec ignorantia te excusat, si „ scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam".

Censura Lovanien.

A D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 7 in corp.

B. Tanner. tomo. 3. Disp. 4. q. 6. Dub. 14. n. 591.

D. Thomas. Cajetanus. Bannez.

C. Gregor. 9. cap. Si culpa, de Injurijs & damno dato.

CDXLIII. Non est prætereunda hoc loco novorum Ethicorum laxitas in materiâ usurariâ sive fœnorariâ. Furtum etenim septimo Decalogi præcepto vetitum dividi communiter solet in occultum, violentum, & fraudulentum: primo membro appropriari consuevit ipsum genericum *furti* nomen, secundo adaptatur vocabulum *rapina*, sub tertio comprehenditur *usura*, quæ alio nomine dicitur *fœnus*: lucrum scilicet ex vi mutui proveniens mutuanti ultra sortem translatam. Cæterùm usurarij contractus injustitia inde oritur, quòd per eum violetur æqualitas quæ servari deberet inter datum & acceptum: mutuans enim dando centum, accipiet æquale si accipiat jus ad centum; inæquale autem si accipiat jus ad plus quàm centum. Quoniam igitur usurarius tantum juris accipere nititur, quantum obligationis mutuatario injicit: huic autem injicit obligationem reddendi sibi sortem cum auctario: idcircò plus juris acquirere contendit, quàm à se abdicaverat, vel in mutuatarium transtulerat: quod iniquum est. Unde benè advertit D. Thomas, [D] Philosophum „ naturali ratione ductum dixisse in 1. Politi- „ corum, quòd usuraria acquisitio pecuniarum est maximè præter naturam". Cùm enim pecunia ex sua natura sit sterilis, contra naturam est ut quis ex eâ fœtum expectet: adeoque usura sive fœnus contra naturam est, quippe rei naturâ suâ infœcundæ fœtus: [E] Fœnerator, inquit Gellius sicut M. Var- „ ro in libro 3. de Sermone Latino scripsit, à „ *fœnore* est nominatus; *fœnus* autem dictum à „ fœtu, & quasi fœturâ quadam pecuniæ parientis, atque increscentis". Sed audiamus Philosophum ab Angelico Doctore laudatum: [F] Rationabilissimè, ait ipse, habetur „ odio ipsa nummularia, quoniam à nummo „ ipso facit acquisitionem, & non ad quod „ inductus est. Commutationis enim causâ „ nummus inductus fuit, fœnus autem seip- „ sum majus facit; unde & nomen venit, quo- „ niam illa quæ pariuntur similia sunt gignen- „ tibus: in fœnore autem nummus nummum „ parit. Quarè maximè præter naturam est hic acquirendi modus." Cùm igitur pecunia ex suâ naturâ existat sterilis, monstrosum sanè est videre eam fœtificantem. Mulam aliquando peperisse memorat Plinius, sed à Romanis id prodigij loco habitum. Nunquid ergò plusquàm prodigium est, pecuniam, mulâ sterìliorem, cernere parientem? Est utique, sed crebritas abstulit admirationem; quæ tanta est, ut Magnus Basilius pecuniam vocet *bestiam fecundam*: non quidem quòd ipsa ex suapte naturâ vim gignendi habeat, sed quòd humana nequitia fœtum ex ea innaturalem extorqueat. Unde ait ipse hujusmodi extortori: [G] Quid te isti tam fœcundæ bestiæ ad- „ jungis? Lepores ajunt ejus esse naturæ, ut simul

D. D. Thomas 2. 2. q. 78. art. 1. ad 3.

E. Aulus Gel. lib. 16. cap. 12.

F. Aristot. 1. Pol. cap. 7.

Vide Plinium. lib. 8. cap. 44.

G. Basil. Psal. 14.

,, ſimul & pariant, & nutriant, & ſuperfœtent:
,, ſic & fœneratoribus, pecuniæ ſimul tempore
,, & dantur ad uſuram, & gignunt, & ſuperfœ-
,, tant. Nondum enim in manus accepiſti, &
,, præſentis menſis lucrum quæſtumve expoſtu-
,, laris: hæc rursùs pecunia data fœnori, alterum
,, malum eduxit, & illud rursùs aliud; ac deni-
,, que malum hoc in infinitum ſerpit. Quamob-
,, rem genus hoc avaritię hâc appellatione Τόκος,
,, id eſt, partus, ut exiſtimo, ob multiplex mali
,, germen, ſive fœcunditatem, nominatur: unde
,, enim aliundè? Aut fortè ob parturiginem, ac
,, mœrores anxios qui in eorum mentibus gig-
,, nuntur, qui gravati ſunt fœnore. Sicut enim
,, dolores parienti, ſic tempus ſtatutum debitori
,, exiſtit fœnus ſupra fœnus, malorum paren-
,, tum mala ſoboles. Hi ſanè fœtus uſurarum re-
,, ctè *genimina viperarum* dicantur: viperas enim
,, dicunt ventrem matris perrodendo naſci; ſic
,, item fœnora, debitorum domos abſumendo,
,, naſcuntur. Semina omnia ſuo tempore naſcun-
,, tur, animalia quoque tempore præſtituto ſuos
,, edunt fœtus: fœnus autem hodie natum, ho-
,, die parere incipit. Animalia item quæ citò
,, pariunt, citò etiam à partu deſiſtunt: pecuniæ
,, verò cùm ab aviditate plus æquo habendi
,, volucrem trahant originem, infinitam acceſ-
,, ſionem tantò progredientem ulteriùs reci-
,, piunt. Unumquodque creſcentium, ubi ad
,, juſtę ſibique convenientis ſtatutæ magnitudi-
,, nem pervenit, augeri deſinit: argentum verò
,, avari, omni tempore augeſcit. Animalia ubi
,, ſuæ soboli ceſſerunt pariendi vices, non jam
,, ampliùs imprægnantur: fœneratorum pecu-
,, niæ adventitias undecunque alias pariunt ac
,, ſuccedaneas, vetereſque novant. Noli expe-
,, riri quid virium habeat prodigioſa iſta beſtia".

Vide Chryſoſt. Homil. 1. in Matth. & Homil. 12. Oper. imper.

Luc. 3. 7.

Multa in hanc rem congerit Ambroſius tum alibi, tum ſignanter libro de Tobia, ubi inter alia ait: [H.] Nihil intereſt inter *funus* & *fœnus*;
,, nihil inter *mortem* diſtat, & *ſortem*: perſonat
funebrem ululatum fœnebris uſura". Addit quoque inferiùs c. 13. "*Uſuram* ab uſu arbitror
,, dictam, quòd ut veſtes uſu, ita uſuris patrimo-
nia ſcindantur". Et mox ſuprà c. 12. "Una pecu-
,, nia, inquit, à fœneratoribus datur, & quàm
,, multa à debitoribus exiguntur? Quanta ſibi
,, fecerunt vocabula? Nummus datur, & *fœnus*
,, appellatur; *ſors* dicitur, *caput* vocatur: *æs alie-*
,, *num* ſcribitur, multorum hoc capitum imma-
,, ne prodigium numeroſam exactionem efficit,
,, *ſyngrapham* nuncupat, *chirographum* nominat,
,, *hypothecas* flagitat, *pignus* uſurpat, *fiducias* vocat,
,, *obligationem* aſſerit, *uſuras* prædicat, *centeſimas*
,, laudat. Echidna quædam eſt fæneratoris pe-
,, cunia, quæ tanta mala parturit: echidna ta-
,, men fœcunda pœnis viſcera trahens, partu ſuo
,, rumpitur, & ſobolem parit non ſui degene-
,, rem, matrem enim illa morſibus ſuis ſcindit:
,, igitur ubi primùm incipiunt eſſe ſerpentes,
,, illam morſibus ſuis ſcindunt; illic ubi naſci-
,, tur venenum primùm probatur. Pecunia
,, autem fœneratoris omnia mala ſua concipit,
,, parit, nutrit, atque ipſa magis in ſobole ſua
,, creſcit, triſti prole numeroſior; non minùs
,, flexuoſa quàm ſerpens, atque in orbem ſe
totam colligens, ut caput ſervet".

H. Ambroſ. lib. de Tobiâ cap. 10.

Gregorius Nyſſenus, Baſilij Magni germanus frater, fœnebrem exactionem latrocinio & homicidio comparat, & quaſi æquiparat: [I.] Quid enim
,, refert, inquiens, an clanculùm perfoſſis mu-
,, ris aliena ſurripias more prædonis, aut præ-
,, tereuntis cæde res ejus tibi uſurpes; an fœ-
,, noris neceſſitate acquiras ea, quæ ad te non
,, pertinent? O malum vocabulum! *Fœnus* fit
,, nomen latrocinij. O acerbas nuptias! ô im-
,, probam conjunctionem; quam natura qui-
,, dem non novit, ſed avarorum morbus inter
,, inanima invexit! O graves & moleſtos con-
,, ceptus; ex quibus ejuſmodi fœtus, nempè
,, fœnus, enaſcitur! Sola animata diſcernuntur
,, diverſitate ſexus maſculini & fœminini, eiſ-
,, que Creator dixit, *Creſcite & multiplicamini*, ut
,, per mutuam inter ſe commixtionem augeren-
,, tur & multiplicarentur animantia quæ gig-
,, nuntur. At verò auri fœtus, nempe fœnus,
,, ex quonam exiſtit matrimonio? Ex quanam
,, perficitur conceptione? Cæterùm ex Pro-
,, pheta didici quænam ſit hujus fœtûs conce-
,, ptio: *Ecce*, inquit, *parturijt iniuſtitiam, concepit*
,, *laborem, & peperit iniquitatem*. Hic eſt ille par-
,, tus, quem parturijt quidem avaritia, parit
,, autem iniquitas, obſtetricante inhumanita-
te". Scripturæ Sacræ ſententias uſuram vetantes Baſilius loco proximè citato congerit, & poſt eum Ambroſius libro mox allegato c. 14.

I. Gregor. Nyſſ. Hom. 4. in Eccleſiaſten. Vide eund. apud Divum Thom. in Catena Luc. 6. 35.

Gen. 1. 22.

Pſal. 7. 15.

Teſtatur quoque Alexander III. in Concilio generali Lateranenſi cap. 25. *Uſuram utriuſque Teſtamenti paginis condemnari*. Clemens item V. in Concilio œcumenico Viennenſi perhibet *Eandem pravitatem divinis humaniſq; iuribus reprobari*: additque mox ibidem, *Sanè ſi quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præſumat, exercere uſuram non eſſe peccatum, decernimus velut hæreticum puniendum*. Neque verò novi noſtri Ethici hiſce deciſionibus apertè contradicere audent; ſed in eo exorbitant, quòd quaſdam acquiſitiones reipsâ uſurarias, negent eſſe tales: ſicut etiam olim errones quidam putaverunt eos nequaquam dicendos eſſe uſurarios, qui lucrum quidem ex mutuo capiebant, ſed non pecuniarium. Hos denotat Hieronymus, cùm ait: [K.] Putant quidam uſuram tantùm eſſe
,, in pecunia. Quod prævidens Scriptura divi-
,, na, omnis rei aufert *ſuperabundantiam*: ut plus
non recipias, quàm dediſti". Eidem errori obvians Auguſtinus in Expoſitione Pſalterij ſic ſcribit: [L.] Si fœneraveris homini, id eſt, mu-
,, tuam pecuniam tuam dederis; à quo aliquid
,, plus quàm dediſti expectes accipere, non pe-
,, cuniam ſolam, ſed aliquid plus quàm de-
,, diſti, ſive illud triticum ſit, ſive vinum, ſive

Alex. III. in Synodo Lateran.

Clem. V. in Synodo Viennenſi.

K. Hieron. in cap. 18. Ezech. v. 18. Ezech. 18, 21.

L. Aug. in Pſalm. 36. Conc. 3.

„ oleum, sive quodlibet aliud: si plusquam de„ disti expectas accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus, non laudandus". Quemadmodùm itaque perdicti Errones non quidem in terminis apertè negarunt illicitum esse mutuare sub usuram, sed tamen falsò putarunt solum lucrum pecuniarium dici usurarium: ita novi nostri laxones nequaquàm negare audent usuram esse illicitam; sed in eo exorbitant, & mutuatores palpant, quòd quasdam mutuandi praxes, reverà usurarias, negent esse tales: sicut in simili de simonia superiùs §. 403. ostendimus. Huc spectat iste eorum Articulus, ordine decimus tertius inter viginti sex quos anno 1657. ad instantiam Episcopi Gandavensis reprobavit Schola Theologica Lovaniensis: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquàm ex benevolentia vel gratitudine debitum; sed solùm si exigatur; tanquam ex iustitia debitum.* Sed nec minùs palliativus usurarum censendus est alter iste Articulus ibidem proximè subnexus, ac consimili notâ à Lovaniensibus inustus: *Contractus MOHATRA licitus est, etiam respectu eiusdem personæ, & cum contractu revenditionis prævie inito, cum intentione lucri.* Ubi pro vocabuli intelligentiâ notandum ex Escobar, hujusmodi contractum tunc iniri, [M] *Quando quis, egens pecuniâ, emit pecuniâ creditâ à mercatore merces pretio summo, & statim ei pecuniâ numeratâ pretio infimo revendit.* Quo casu mercator per ambages lucratur id, quo summum mercium pretium superat infimum: atque ita per easdem ambages eò devenitur, ut emptor cogatur pro pecunia credita subire onus luendi illum pretij excessum, ultra sortem credito acceptam. Aliam quoque viam suggerit Caramuel uti facillimam, ita palliandis usuris compendiosissimam. Propositâ quippè quæstione, [N] *An numerata pecunia sit pretiosior pecuniâ numerandâ?* Respondet mox n. 800. se putare eam quæstionem judicio communi esse decidendam. Ut autem noverimus quodnam eâ de re sit judicium commune, subdit: *Non scio me audivisse ab aliquo, se non facere maioris pecuniam præsentem, quàm futuram.* Poterit igitur mutuator, juxta hunc authorem, exigere semper à mutuatario aliquid ultra sortem eo titulo, quòd pecunia, quam ei præsentialiter numerat, plus valeat quàm sors sibi posteà demùm refundenda. Sed quid hìc dicturi sunt campsores, qui vident quotidianam suam praxin culpari, ut à culpa purgentur usurarij? Si enim *maioris facienda est pecunia præsens quàm futura,* eoque titulo excusatur usura: consequens profectò apparet culpandos esse campsores, qui pro majori summa sibi præsentialiter à campsario numeratâ, assignant eidem longè minorem alibi posteà numerandam. Si hoc consequens Caramueli displicet, audiat ex me illud Augustini ad Pollentium: [O] Hoc tu quidem non sentis, „ sed hoc sequitur illa quæ sentis. Muta ergo antecedentia, si vis cavere sequentia". Cæterùm quo faciliùs perspiciat mutanda esse antecedentia tam sua, quàm aliorum usurarijs nimioperè abblandientium, recolat cum ijsdem illud Ambrosij: [P] Quodcunque sorti accedit, „ usura est. Quod velis ei nomen imponas, usura „ est. Si licitum est, cur vocabulum refugis? Cur „ velamen obtexis? Si illicitum est, cur incrementum requiris"? Sed nec fallatur, aut alios fallat, putando vel persuadendo, non esse usuram, nisi cùm mutuator ultra sortem [Q] *aliquid titulo iustitiæ* acquirit: quin audiat Hieronymum, etiam receptionem munusculorum usuris deputantem: [R] Alij, ait ipse, pro pecunia „ fœnerata solent munuscula accipere diversi „ generis: & non intelligunt *usuram* appellari „ & *superabundantiam*, quicquid illud est, si ab eo, cui dederint, plus acceperint". Quod si nec Ambrosio acquiescat nec Hieronymo, audiat saltem Summum Ecclesiæ Præsulem, consulenti se cuidam respondentem: [S] Consuluit „ nos tua devotio, an ille in judicio animarum „ quasi usurarius debeat judicari, qui, non aliàs „ mutuò traditurus, eo proposito mutuam pe„ cuniam credit, ut, LICET OMNI CONVEN„ TIONE CESSANTE, plus tamen sorte recipiat? „ Et utrùm eodem reatu criminis involvatur, „ qui, ut vulgò dicitur, non aliter parabolam „ juramenti concedit, donec, quamvis sine ex„ actione, emolumentum aliquod inde perci„ piat? Et an negotiator pœnâ consimili de„ beat condemnari, qui merces suas longè ma„ jori pretio distrahit, si ad solutionem facien„ dam prolixioris temporis dilatio proroge„ tur, quàm si ei incontinenti pretium persol„ vatur? Verùm quia quid in his casibus tenen„ dum sit, ex Evangelio Lucæ manifestè co„ gnoscitur, in quo dicitur, *Date mutuum, nihil* „ *inde sperantes*; hujusmodi homines pro inten„ tione lucri quam habent, cùm omnis usura & „ superabundantia prohibeatur in lege, judi„ candi sunt malè agere, & ad ea quæ taliter „ sunt accepta restituenda in animarum judicio efficaciter inducendi". Hæc summi Antistitis decisio, prætactis laxitatibus palàm adversa, vera est, viva est, sana est, plana est: commentario non eget, nisi fortè apud eos qui ignorant quid per *parabola iuramenti concessionem* importetur. Importatur autem prorogatio novi termini ultra eum intra quem mutuatarius juraverat se refusurum sortem: [T] Quando „ debitor, inquit Panormitanus, jurat restitue„ re mutuum intra aliquem terminum, puta „ mensem; & adveniente termino non valens „ commodè solvere, rogat creditorem ut dif„ ferat terminum; at ille malitiosè non vult „ prorogare, ut priùs inde lucrum aliquod per„ cipiat, quo percepto prorogat terminum: iste „ tenetur ad restituendum, nam videtur per„ cipere lucrum pro termino prorogato, & sic „ vendere tempus in mutuo, quod non licet". Sic ergo intellectâ illâ clausulâ, videtur Pontifex unico

Vide suprà §. 402.

Articulus Lovanij reprobatus.

Vide Caramuel lib. 2. Theol. Moral. n. 816.

M. Escobar Tract. 3 Exam. 5. cap. 6. n. 56.
Vide Lessiũ l. 2. de Iustitia cap. 21. Dub. 16.

N. Caram. in Theologia Morali l. 2. n. 790.

O. August. lib. 2. de Adulter. coniugijs c. 4.

P. Ambros. lib. de Tobia c. 14.

Q. Caram. ibid. n. 724.

R. Hieron. in cap. 18. Ezech. v. 10. & 18.

S. Urbanus III. cap. Consuluit, X. de Usuris.

Luc. 6. 35.

T. Panorm. in cap. Consuluit, de Usuris.

sex unico illo capitulo præfocasse omnes illas laxitates novorum Ethicorum, quas modò memoravimus. Dicendo enim, *licet omni conventione cessante*, præfocavit primum Articulum, negantem reperiri usuram, nisi cùm exigitur lucrum *tanquam ex justitia debitum*. Rursùs condemnando negotiatorem cariùs vendentem credito quàm numerato pretio, præfocavit assertionem Caramuelis, contendentis *numeratam pecuniam pretiosiorem esse numeranda*. Denique declarando *hujusmodi homine pro intentione lucri quam habent, judicandos esse in judicio animarum male agere, atque ad acceptorum restitutionem efficaciter induci debere*, præfocavit assertionem quâ excusatur *mohatra, cum lucri intentione inita*: maximè quidem ubi ex eadem intentione injicitur emptori onus revendendi, prout in Articulo.

CAPUT CXVII.

Avaritiæ cum liberalitate pugnantia. Liberalitatis ac largitatis etymon, natura, materia tam propinqua quàm remota, cum functione principaliori. Non excludit rationem debiti, cùm sit virtus annexa justitiæ. Eleëmosyna à Scripturâ & Patribus expressa nomine justitiæ. *Cur Deus per Prophetam inculcarit*, Suum esse aurum & argentum? *Varij tituli recensentur, quibus opulenti inopibus subvenire tenentur. Novi probabilitatum patroni ergà pauperes quadantenùs superbenigni, quadantenùs prærigidi: quibus unâ manu panem, alterâ lapidem ostentant. Non audent inficiari succurrendum esse angustijs pauperum de superfluis divitum, sed inter laicos vix reperiri censent qui superflua suis respectivè statibus habeant. Quàm difficulter & infrequenter opulenti salventur? An absolvi queat dives, perseverans in proposito non erogandi stipem de superfluis status, in communibus pauperum necessitatibus. Expenditur quod scriptum est*, Qui habuerit substantiam hujus Mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo; quomodò charitas Dei manet in eo? *Extremè indigenti oporteatne donare, an sufficiat mutuare? Documentum Evangelicum*, Mutuum date, nihil inde sperantes, *expenditur; & collatione Salomonici oraculi*, Fœneratur Domino qui miseretur pauperis, *elucidatur. Eleëmosyna Augustino* fœnus trajectitium, *& cur? Multiplices causificationes divitum ad pauperum clamores obsurdescentium proferuntur, ac proteruntur. Crebrò accidit, ut quod immisericors dives negat Christo, cedat fisco. Avaritiæ suggestio*, Consule in posterum. *Nemo usque adeò senescit, quin se adhuc plus anno victurum suspicetur. In negotio salutis quàm periculosa sit procrastinatio? Misericordiæ suggestio suggestioni philargyriæ adversa*: Da tua dum tua sunt, post mortem tunc tua non sunt.

CDXLIV. DIctum est superiùs §.438. avaritiam adversari non solùm justitiæ, sed & liberalitati: atque idcircò cùm hactenùs de eâ egerimus sub priori potissimùm consideratione, superest ut aliquantulùm de eâdem disseramus sub posteriori, quatenùs scilicet adversatur liberalitati, [v] quæ alio „ nomine largitas nominatur; quia quod lar„ gum est, non est retentivum, sed est emis„ sivum: & ad hoc idem pertinere videtur „ nomen liberalitatis. Cùm enim aliquis à se emittit

v. D. Thom. 2. 2. q. 117. a. 2. in corp. Vide Senecam lib. de Vita beata cap. 24.

emittit, quodammodò illud à suâ custodiâ & dominio liberat, & animum suum ab ejus affectu liberum esse ostendit. Ea verò quæ emittenda sunt ab uno homine in alium, sunt bona possessa, quæ nomine *pecuniæ* significantur. Et ideò propria materia liberalitatis est pecunia". Nec obstat quòd §. 438. dictum sit, avaritiam, prout opponitur liberalitati, versari circa interiores animi affectiones: ex quo fit consequens, liberalitatem versari circa easdem; quandoquidem virtus versetur semper circa idem objectum, cum vitio sibi opposito. Nam, ut D. Thomas ibidem ad 1. addit:" Immediata materia liberalitatis sunt interiores passiones, sed pecunia exterior est objectum ipsarum passionum". Nihil igitur vetat liberalitatem versari & circa interiores passiones seu affectiones, & simul circa exteriores emissiones: quia objecta ista inter se subordinantur, & quæ virtus respicit unum immediatè, eadem respicit alterum mediatè. Quò spectat quod idem D. Thomas articulo proximè sequenti in solutione ad 3. subdit, dicens: Propinqua materia liberalitatis sunt interiores passiones, secundùm quas homo afficitur circa pecuniam: & ideò ad liberalitatem pertinet præcipuè, ut homo propter inordinatam affectionem ad pecuniam non prohibeatur à quocunque debito usu ejus. Est autem duplex usus pecuniæ; unus ad seipsum, qui videtur ad sumptus & expensas pertinere: alius autem quo quis utitur ad alios, qui pertinet ad dationes. Et ideò ad liberalitatem pertinet, ut neque propter immoderatum amorem pecuniæ aliquis impediatur à convenientibus expensis, neque à convenientibus dationibus. Unde circa dationes & sumptus liberalitas consistit, secundùm Philosophum in 4. Ethicorum".

PRAOCCVPATIO

Vide lib 4. Ethic. c. 1.

Cæterùm quamvis liberalitas & circa sumptus, & circa dationes seu erogationes versetur; non tamen æquè principaliter, sed principaliùs circa dationes. Unde idem Sanctus Doctor inferiùs ibidem art. 5. in corpore: " Liberalitas, inquit, non est species justitiæ, quia justitia exhibet alteri quod est ejus, sed liberalitas exhibet id quod suum est: habet tamen quandam convenientiam cum justitia in duobus, primò quidem quod PRINCIPALITER EST AD ALTERVM, sicut & justitia: secundò quia est circa res exteriores, sicut & justitia, licèt secundùm aliam rationem, ut dictum est. Et ideò liberalitas à quibusdam ponitur pars justitiæ, sicut virtus annexa ei ut principali". De hac Ambrosius: W. Perfecta est liberalitas inquit, ubi silentio quis tegit opus suum, & necessitatibus singulorum occultè subvenit: quem laudat os pauperis, & non labia sua. Deinde perfecta liberalitas fide, causâ, loco, tempore commendatur, ut primùm *Opereris circa domesticos fidei*. Grandis culpa, si sciente te fidelis egeat, si scias eum sine sumptu esse, fame laborare, ærumnam perpeti, qui præsertim egere erubescat: si in causâ ceciderit aut captivitatis suorum, aut calumniæ, & non adjuves: si sit in carcere, & pœnis ac supplicijs propter debitum aliquod justus excrucietur; nam etsi omnibus debeatur misericordia tamen justo ampliùs: si tempore afflictionis suæ nihil à te impetret: si tempore periculi quo rapitur ad mortem plus apud te pecunia tua valeat, quàm vita morituri; de quo pulchrè Iob dixit, *Benedictio perituri in me veniebat*. Personarum quidem Deus acceptor non est, quia novit omnia: nos autem omnibus quidem debemus misericordiam, sed quia plerique fraude eam quærunt, & affingunt ærumnam, ideò ubi causa manifestatur, persona cognoscitur, tempus urget, largiùs se debet profundere misericordia". Hinc facilè perspicitur liberalitatem non excludere qualecunque debitum, quandoquidem exerceatur perfectè in operibus misericordiæ, quorum sumus debitores usque adeò quidem, ut idem Ambrosius Serm. 8. in Psalmum 118. scripserit:" Misericordia quidem justitiæ portio est, ut si velis donare pauperibus, hæc misericordia justitiæ sit, secundùm illud: *Dispersit dedit pauperibus, justitia eius manet in æternum*: deinde quia conformis tuus, injustum est ut non adjuvetur à socio, cùm præsertim Dominus noster terram hanc possessionem omnium hominum voluerit esse communem, & fructus omnibus ministrare: sed avaritia possessionum jura distribuit. Iustum est igitur, ut si aliquid tibi privatim vendicas, quod generi humano, imò omnibus animantibus in commune collatum est, saltem aliquid inde pauperibus aspergas: ut quibus juris tui consortium debes, his alimenta non neges". Et rursùs lib. de Nabuthe cap. 12. in fine:" Non de tuo, inquit, largiris pauperi, sed de suo reddis: quod enim commune est in omnium usum datum, tu solus usurpas. Omnium est terra, non divitum; sed pauciores qui non utuntur suo, quàm qui utuntur. Debitum igitur reddis, non largiris indebitum: ideòque tibi dicit Scriptura, *Declina pauperi animam tuam, & redde debitum tuum, & responde pacifica in mansuetudine*". Pulchrè admodùm & appositè Gregorius Papa in hanc rem scribit, dicens: X. Cùm quælibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur: justitiæ debitum potiùs solvimus, quàm misericordiæ opus implemus.

Vide Senecam. l. 5. de Beneficijs c. 6.

W Ambros. lib 1. Offic. cap. 30.

Gal. 6. 10.

Iob. 29. 13.

Psal. 111. 9.

Vide Prov. Sent. 5. Eccli. 4. 8.

X Greg. Cura Pastorali p. monit.

mus. Unde & ipsa Veritas, cùm de misericordiâ cautè exhibendâ loqueretur, ait: *Attendite, ne IVSTITIAM vestram faciatis coram hominibus*. Cui quoque sententiæ etiam Psalmista concinens, dicit: *Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in æternum*. Cùm enim largitatem impensam pauperibus præmisisset, non hanc vocare misericordiam, sed *justitiam* maluit: quia quod à communi Domino tribuitur, justum profectò est, ut qui accipiunt, eo communiter utantur. Hinc etiam Salomon ait, *Qui justus est, tribuet, & non cessabit*". Ubi notandum, pro eo quod vulgata editio Evangelij Matthæi habet, *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*, in Syriacâ editione haberi, *Attendite in eleëmosynâ vestrâ, ne erogetis eam coram hominibus*: in Erasmianâ similiter translatione, *Attendite ne eleëmosynam vestram præstetis coram hominibus*: in versione denique Ariæ Montani, *Attendite, misericordiam vestram non facere ante homines*. Quibus translationibus favet Hieronymus, dum eundem locum ita effert: [Y] *Cavete ne justitiam, hoc est, eleëmosynam, vestram faciatis coram hominibus*. Benè proinde monet Theodoretus, [Z] Non in hunc scopum à summo illo rerum administratore concessas fuisse hominibus divitias, ut intemperantiâ eas dilapident, & malitiæ irritamentum faciant: sed ut ritè eas dispensando & ipsis rebus fruantur necessarijs, & ex earum abundantiâ egenis largientes reddant eas temperantiæ ac justitiæ materiam"; *temperantiæ* utique in ordine ad seipsos, *justitiæ* verò in ordine ad alios quorum indigentiæ subveniendum esse summus ille rerum administrator sancivit. Ille nimirum qui, ut Augustinus advertit, [A] Proptereà dixit apud Aggæum, *Meum est aurum & meum est argentum*: ut & ille qui non vult cum indigentibus communicare quod habet, cùm audit præcepta faciendæ misericordiæ, intelligat Deum non de re illius cui jubet, sed de re suâ jubere donari; & ille qui aliquid porrigit pauperi, non se arbitretur de suo facere, ne fortè non tam confirmetur misericordiæ nomine, quàm infletur superbiæ vanitate. *Meum est*, inquit, *aurum, & meum est argentum*: non vestrum, ô divites terræ! Quid ergò dubitatis dare pauperi de meo, aut quid extollimini cùm datis de meo"? Quem ista non movent, moveat saltem quòd Christus, omnium rerum dominus, sibi impensum reputet, quicquid membris suis in terrâ indigentibus porrigitur: *Quamdiu*, inquiens, *fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*. Nunquid iniquissimum & ingratissimum est, ut non ei indigenti largiaris superflua tua; à quo accepisti universa tua? Nunquid inhumanum est non ei redhibere superabundantem portionem, cujus est solida substantia? [B] Da, inquit idem alibi, de quo dederit tibi Deus. Ipse te divitem fecit, ideò redde illi quod suum est: Ipse se dicit accipere, quod pauperibus datur: sibi collatum conclamat, quod in corde pauperis fuerit seminatum". Qui rursùs Tract. 50. in Joannem; seriò quemque fidelem admonet, ut quantùm vires suppetunt imitetur Magdalenam; *ungendo pedes Christi pretioso unguento, eosdemque capillis extergendo*: "Unge pedes JESU, ait ipse ibi, benè vivendo, Dominica sectare vestigia. *Capillis terge*: si habes superflua, da pauperibus, & Domini pedes tersisti: capilli enim superflua corporis videntur. Habes quod agas de superfluis tuis: tibi superflua sunt, sed Domini pedibus necessaria sunt; fortè in terrâ Domini pedes indigent. De quibus enim nisi de membris suis in fine dicturus est, *Cùm uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*? Superflua vestra impendistis, sed pedibus meis obsecuti estis". [C] Quid potuit nobis, inquit Cyprianus, majus Christus edicere? Quomodò magis potuit justitiæ ac misericordiæ nostræ opera provocare, quàm quòd *præstari sibi dixit quicquid egenti præstatur & pauperi*? ut qui respectu fratris in Ecclesiâ non movetur; vel Christi contemplatione moveatur: & qui non cogitat in labore atque in egestate conservum, vel Dominum cogitet in illo ipso quem despicit constitutum".

Matth. 6. 1.

Prov. 21. 26.

Vide Ibid. Pelus. lib. 4. Epist. 227.

Y Hieron. contra Pelag. c. 4

Z Theod. 5. de Providentia.

A August. 15 de Verbis c. Ag. 2. 9.

Mat. 25. 40.

B August. Homil. 47. inter 50. Vide serm. 43 de Diversis c. 1. & Serm. 146. de temp.

Io. 12. 3.

Vide Greg. Homil. 33. in Evang.

C. Cyprian. Tract. de opere & eleëmosynis.

CDXLV. Quamvis novelli probabilitatum patroni studeant ex unâ quidem parte placere pauperibus indulgendo eis licentiam *furandi non tantùm in extremâ, sed etiam in gravi necessitate*, prout §. 442. visum est: ex alterâ tamen parte adeò student abblandiri divitibus, ut gravissimum vulnus infligant pauperibus. Sic ex eodem ore calidum frigidumque efflant; sic alterâ manu panem ostentant, alterâ lapidem ferunt. Superiùs eos audivimus calidum efflantes, & panem ostentantes: audiamus nunc frigidum efflantes, & lapidem ostentantes. Articulus eorum, ordine vigesimus inter viginti sex Lovanij anno 1657. ad instantiam Episcopi Gandavensis reprobatos, ita sonat: *Superfluum non est, quod homines servant pro status sui vel parentum qualitate, habitâ, vel adipiscendâ: ideoque vix poterunt inter seculares inveniri, qui superfluum habeant*. Non audent hi negare largiendam esse indigentibus eleëmosynam de superfluis; fortè ne videantur elidere præceptum Christi dicentis, *Quod superest, date eleëmosynam*. Qua de re Gregorius, Augustinum Anglorum Antistitem instruens: [D] Omne, inquit, quod superest necessitatibus, in causis pijs ac religiosis erogandum est: Domino ac Magistro omnibus dicente,

Vide supra §. 442.

Articulus Lovanij reprobatus.

Luc. 11. 41.

D. Greg. lib. 12. Regist. Epist. 31. ad Interrog. 2. Vide cap. 120. 9. 8.

„ *Quod superest, date eleëmosynam: & ecce omnia munda sunt vobis*". Cùm ergò non auderent obligationem subveniendi indigentibus de superfluis apertè inficiari, conati sunt aliâ quâdam methodo avaritiam divitum, signanter sæcularium, palliare; dicendo, superfluum non esse, quod pro conservando vel adipiscendo statu detinetur. Et quia sæculares plerique non modò de conservando, sed etiam de augendo suo statu sunt solliciti; idcircò juxta istos *vix possunt inter eos invenire, qui superfluum habeant.* Inquirit Escobar, [E] *An ea discenda sint superflua quæ ad meliorandum statum conservantur?* Et continuò respondet: *Minimè, quia nemo tenetur proprium statum, ne proximus amittat suum, deycere, vel ab altiori acquirendo desistere. Sic Granadus Sect. 1. n. 3.* Porrò de sæcularibus seu laicis signatè loquens Vasquez: [F] *Laici*, inquit, *possunt de bonis patrimonialibus servare ad statum suum, vel consanguineorum, mutandum: & tunc illud non dicitur superfluum: Vnde vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui.* Generaliùs quoque, quia sine restrictione ad laicos, locutus fuerat idem Vasquez superiùs ibidem cap. 1. n. 27. accito in consortium Cajetano, dicens: *Vix aliquis tenetur aut secundùm opinionem Caietani, aut secundùm nostram ad eleëmosynam, quando tantùm tenetur ex superfluo statûs*: ideò utique, quia juxta ipsum vix quisquam habet superfluum statui; cùm etsi fortè superfluat statui præsenti, non tamen futuro, quem licitè potest ambire. Sed quid si contingat aliquando, licèt vix, quempiam habere superfluum statui, tenebiturne is communibus pauperum necessitatibus, subvenire? Respondet Escobar ibidem superiùs cap. 4. n. 47. *Probabile est teneri, probabilius non teneri: aliàs enim pauci divites salutem consequerentur.* Præfert quidem ipse ibidem priorem sententiam, quam dixerat *probabilem*: sed tamen cùm asserat alteram esse *probabiliorem*, proculdubio censet licere eam in praxi amplecti: quippe qui superiùs in *Principijs Theologiæ Moralis* Exam. 3. cap. 6. n. 23. supponens licere amplecti sententiam probabiliorem omissâ oppositâ probabili, inquirit duntaxat, *An ad id quis teneatur?* Respondet autem, *Non: quia reprehendi non potest ut imprudens & temerarius, qui rationi authoritative ponderis hæret.* Unde cùm sententiæ probabiliori non desit hujusmodi pondus, & quidem gravius opposito: consequens est, ut juxta Escobarium reprehendi nequeat, qui ei hæret. Cæterùm quòd idem pro absurdo alleget, *paucos divites salutem consequi*: nescio an non magis adulatoriè, quàm verè, reputetur absurdum: præsertim cùm scriptum sit, *Quàm difficilè, qui pecunias habent in regnum Dei intrabunt? Facilius est enim camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in* regnum Dei. [G] Periculosa cura est, inquit in „ eum locum Hilarius, velle ditescere; & „ grave onus innocentia subit, incrementis „ opum occupata: rem enim sæculi, famula- „ tus Dei non sine sæculi istius vitijs asseque- „ tur. Hinc *difficile est divitem regnum cælorum* „ *adire*: atque etiam quia uti plures his quæ „ habent rectè possent, ea in sermone Domi- „ ni ratio servata est, ut non absolutè regnum „ cælorum nemo introire possit, sed intelligi „ posset FVTVRORVM RARITAS ex difficultate". Ubi sicut rectè astruit possibilitatem salutis divitum, ita & difficultatem, & ex difficultate raritatem, atque adeò salvandorum divitum paucitatem. Unico proinde isto contextu, non admodùm prolixo, obviat Hilarius non modò veterum Pelagianorum errori dicentium, [H] *Divitem manentem in divitijs suis regnum Dei non posse ingredi, nisi omnia sua vendiderit; nec prodesse ei, si fortè ex ipsis divitijs mandata fecerit*: sed etiam novæ censuræ Escobarij, quâ censet absurdum *Paucos divites salutem consequi.* Neque verò putandus est Hilarius divitibus ingessisse salutis desperationem, astruendo salvandorum *raritatem*: uti nec Christus denuntiando salutis adipiscendæ *difficultatem*; cùm ipse alibi dicat, *Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare & non poterunt*; nec item Ecclesiasticus torpore languidum, sed fervore potiùs sedulum reddere studuit eum, cui ait: *Purga te cum paucis.* Huic purgationi incumbet divitum quisque; non amplectendo prætactas laxitates novorum Ethicorum, sed veteres potiùs regulas divinorum Magistrorum: quorum unus diviti cuidam aiebat: *Peccata tua eleëmosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum*: alter item discipulo suo animarum pastori injungit, ut *præcipiat divitibus hujus sæculi non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo; benè agere, divites fieri in operibus bonis, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam.* Ubi notandum non injungi duntaxat pastori ut hæc divitibus suadeat, sed, quod amplius est, *præcipiat*. Iubentur ergò divites non modò tribuere, sed & *facilè tribuere, communicare*: nec indulgetur ijsdem ut neglecto pauperum clamore thesaurizent media conscendendi ad sublimiorem statum terrenum, sed jubentur *thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam.* Longè profectò aliter Paulus hìc instruit Timotheum, quàm alius quidam Paulus nuper instruxit divitum confessarium: [I] *Confessarius*, inquiens, *absolutionem à peccatis diviti non facilè negare debet, quòd communes pauperum miserias per eleëmosynam sublevare omittit recenset. Tum quia de obligatione hac, an, & qualis sit,* Doctores

E. Escobar Tract. 5. Exam. 5. c. 6. n. 105.

F. Vasquez Opu. de Eleemosyna cap. 4. n. 14.

Escobar. supra.

Luc. 18. 24. & 25.

G. Hilar. can. 19 in Matthæum.

H Pelagiani ap. [illegible] Hi[e]r. Epist. 89. inter Augustinianas.

Luc. 13. 24.

Eccli. 7. 11.

Dan. 4. 24.

1 Tim. 6 17. & seq. Vide Cyprian. lib. 3. ad Quirin. cap. 1. & Greg. Nazianz. [illegible] 16 & Greg. Nyssenum Orat. 1. & 2. de Pauperibus amandis.

I. Paul. Layman lib. [illegible] Tract. [illegible] n. 1.

Doctores non conveniant: tum quia semper dives aliquam causam in specie præferet, cur recuset. Quæ sanè posterior causatin si unquam, maximè hoc tempore erit obvia; semper enim dives quisque modernâ laxorum Ethicâ imbutus prætexere poterit, se idcircò nolle eleëmosynas elargiri, quòd altiorem statum meditetur adipisci; cujus utique adipiscendi propositum præstat, ut nihil sibi restet superfluum, juxta authores hactenùs relatos, de quibus Tamburinus: [K] *Aliqui*, inquit, *contendunt PROBABILITER, ea quæ sunt necessaria ad acquirendum meliorem statum, non esse superflua, quamvis aliqui id negent: ideò rarò quis, in hac sententiâ, dicetur habere superflua.* Parùm autem refert quòd hic author mox §. proximo dicat se probabiliorem reputare oppositam sententiam. Nam hoc ipso quo agnoscit hanc esse probabilem, consequenter ad suas regulas, §. 409. & 410. memoratas, agnoscit eandem in praxi esse tutò amplexibilem. Proponit Escobar quæstionem aliam, non de omissione eleëmosynæ, sed de proposito eam omittendi in casibus communis necessitatis pauperum, & superfluitatis divitum, inquirens: [L] *An actus hic divitis, Nolo erogare de superfluis status eleëmosynam in communibus necessitatibus, sit mortale piaculum?* Pro solutione autem profert tres diversas sententias, dimissâ lectori optione: primam Suarij, asserentis esse mortale; secundam Granadi, agnoscentis duntaxat veniale; tertiam Hurtadi, contendentis esse nullum. Sed cùm veridica Scriptura dicat, *Qui habuerit substantiam hujus Mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodò charitas Dei manet in eo?* profectò necesse est eum valde alienum esse à Dei charitate, qui non quomodolibet, sed destinato proposito, præcludit viscera sua, ne quidquam de superfluis status largiatur proximo communiter indigenti. Qui autem à charitate Dei alienus est, proculdubiò mortiferi piaculi reus est. Unde cùm Augustinus ostendisset charitatem esse Dei donum, subdidit: [M] Nullum est isto Dei „ dono excellentius: solum est quod dividit „ inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ". Quinimò non defuit pius quidam & eruditus scriptor, qui ejusmodi clausorem viscerum neget hominem dici debere, sed dæmonem: [N] Ille propriè, inquiens, maximè „ que misericors est, qui beneficentiam qui„ dem exercet, non tamen eorum calamitates „ ac miserias divulgat quibus benefacit. Si „ quis id facit honestatis ipsius causâ, is majo„ rem habebit mercedem eo qui mercedis in„ tuitu idem præstiterit. Si verò ob mercedem „ divinam, is in secundâ classe collocabitur. „ Si quis autem humanæ laudis consequendæ „ gratiâ id faciat, is hoc ipsum cujus gratiâ fe„ cerit habebit. At verò qui nec ipsius hone„ statis causâ, nec propter divinam mercedem, „ nec propter humanam laudem facit offi„ cium: is mihi ne homo quidem esse videtur, „ sed perniciosus quidam ac noxius dæmon". Ecce qualem censet esse eum, qui omnes fontes occludit, unde beneficentia in indigos manare deberet! Sed quid dicemus de ijs, qui ne extremè quidem indigentibus quidquam necessariò donandum, sed duntaxat mutuandum esse contendunt? An fortè novorum Ethicorum laxitas nequaquam huc usque sese exporrigit? Inquirit Escobar, [O] *An extremè indigentibus sufficiat per mutuum subvenire?* Et continuò respondet: *Sufficit, appositâ conditione, ut tempore lautioris fortunæ restituant; quia si egenus sublevatur quocunque modo præceptum impletur.* Si Christus tantummodò dixisset, *Mutuum date;* posset videri satis idonea ista responsio: sed cùm evestigiò adjunxerit, *Nihil inde sperantes;* profectò non plenè impletur præceptum, nisi egenus ita sublevetur, ut nullo refundendi onere gravetur. Neque enim nihil ex mutui datione sperat, qui egenum sublevatum restitutioni accepti obstrictum tenet. Quòd si objicias, Christum ibi loqui de mutuo, non de eleëmosynâ. Respondebit tibi Basilius, Christum loqui quidem de mutuo, sed eleëmosynario; sive, quod in idem recidit, de eleëmosynâ mutuariâ. Nam quod respectu pauperis reverâ est eleëmosyna, respectu Dei sortitur rationem mutui; juxta illud Proverbiastis, *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis:* [P] Intellige dicti efficaciam, ait Basilius, „ & legislatoris humanitatem admiraberis. „ Quando pauperi das in Domini gratiam, „ idem ipsum & donum est, & mutuum: do„ num quidem, quòd à paupere non speres te „ recepturum; mutuum verò sive fœnus, ob „ Domini munificam liberalitatem pro illo „ reddentis; qui parva quidem per pauperem „ cùm acceperit, maxima pro ipsis retribuet: *Qui enim pauperis miseretur, Deo fœnerat*". Basilio hac in re consonat Ambrosius, Dominicum illud præceptum hac paraphrasi elucidans: [Q] Date mutuum ijs, à quibus non „ speratis vos quod datum fuerit recepturos. „ Nullum hìc damnum est, sed compendium: „ minimum datis, multum recipietis: in terrâ „ datis, & id vobis solvetur in cælo: fœnus „ amittitis, mercedem magnam habebitis: fœ„ neratores esse definitis, filij eritis Altissimi: „ eritis misericordes, quò vos Patris æterni „ probetis hæredes. Sed fœneratorum vos „ delectat & usurarum vocabulum? Id quo„ que non invideo: docebo quomodò boni „ fœneratores esse possitis, quomodò bonas „ quæratis usuras. Dicit Salomon, *Fœnerat „ Domino qui miseretur pauperi, secundùm datum*

autem

K. Tambur. lib. 5. in Decalog. c. 1. §. 2. n. 14.

Vide suprà § 409. & 410.

L. Escobar. Tract. 5. Examine 5. c. 6. n. 104.

Suarius.

Granadus.

Hurtadus.

1. Joan. 3. 17.

Vide Aug. Homil. 47. inter 50 & serm 219. de tempore.

M. August. lib. 15. de Trin. c. 18.

N. Isidor. Pelus. l. 4. Epist. 91.

O Escobar. ibid. n. 95. Vide Vasquez Opusc. de Eleëmosyna cap. 3. Dub. 6. n. 94.

Luc. 6. 35.

PRÆOCCUPATIO.

Prov. 19. 17.

P Basil. in Psal. 14

Vide Chrysost. Homil. 15 in Matth. & Homil. 34 ad populum Antioch. & Homil. 33. ibid.

Q Ambros. lib. de Tobi cap. 16. Vide lib. de Nabuthe c. 7. & 15. & lib. 1. Offic. cap. 11. & Hieron. in caput 18. Ezech.

„ *autem eius retribuet ei.* Ecce bonum fœnus de malo factum est! Ecce irreprehensibilis fœnerator! Ecce usura laudabilis"! Huc item spectat illud Gregorij Papæ.[R] Quicquid tribuitur „ pauperibus, si subtili consideratione pensetur, non est donum, sed mutuum: quia quod datur, multiplicato sine dubio fructu recipitur". Et Leo Papa: [S] Qui pecunias „ amat, inquit, & multiplicare opes suas immodicis optat augmentis, hoc potiùs sanctum fœnus exerceat, & hac usurarum arte ditescat: ut non hominum laborantium captet necessitates, ne per dolosa officia in laqueos incidat insolubilium debitorum; sed illius sit creditor, illius fœnerator, qui dicit: *Date, & dabitur vobis*". Nec obstat rationi mutui, quòd non is ipse qui acceperat reddat, sed alius pro ipso. Nam ut Augustinus ait: [T] Mutuatur omnis qui accipit, etiamsi non „ ipse soluturus est: cùm enim misericordibus Deus plura restituit, omnis qui beneficium præstat, fœneratur". Pulchrè & appositè idem Augustinus Homiliâ 29. inter 50. hujusmodi fœnus vocat *traiectitium*: " Dicturus est Chri„ stus, inquit, *Quando uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Dat de cælo, accipit in terra: ipse dat, ipse accipit: Quasi *fœnus traiectitium* facis: hìc das, ibi recipis: hìc das res perituras, ibi recipis res sine fine mansuras". Memorabile hujusmodi receptionis exemplum refert Sophronius, de Evagrio: qui post obitum chirographo suo testatus est, sibi abundè satisfactum fuisse à Deo in cælo, pro pecunijs in pauperes erogatis super terram. Verax nimirum est ac fidelis, qui cùm præcipiendo dixisset, *Mutuum date, nihil inde sperantes*, utique ab egenis quibus largimini: continuò subjunxit repromittendo, *Et erit merces vestra multa.* Ex adverso autem in Proverbijs Salomonicis legitur: *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, ipse clamabit, & non exaudietur.*

[R. Gregor. lib. 3. Regist. Epist. 30.] [S. Leo Ser. 6. de Iejun. 10. Mensis cap. 2. Vide Ser. 2. de Iejun. 7. Mensis c. 4.] [Luc. 6. 38.] [T. Aug. l. 1. de Sermone Domini in monte c. 20. Vide in Psalm. 36. Conc. 3. & Serm. 43. de Diversis c. 10.] [Mat. 25. 40.] [Vide Sophr. cap. 101.] [Luc. 6. 35.] [Ibid.] [Prov. 21. 13.]

CDXLVI. Lubet hìc commemorare quosdam prætextus, quibus avaritiæ suæ fœditatem obvelare consuescunt, qui divitijs affluentes aurem ad clamorem pauperum obturant. Primò itaque obtendunt carentiam superfluorum, de quâ jam proximo §. dictum est. Rursùs quia superfluorum quædam dicuntur superflua naturæ, alia statui; posterius hoc membrum subdividunt ipsi in ea quæ superfluunt statui præsenti, & ea quæ futuro sive adipiscendo. Atqui ita emergit secundus prætextus, qui tamen referri posset ad præcedentem: quo obtendunt pietatem paternam in filios, quibus æquum sit parentes thesaurizare, ne minùs decorè vivant, quàm par sit. Cui prætextui obvians Augustinus: [V] Magna „ excusatio, inquit, *Filijs meis servo.* Videamus: „ servat tibi pater tuus, servas tu filijs tuis, filij tui filijs suis, & sic per omnes; & nullus facturus est præcepta Dei. Quare non illi potiùs impendis omnia, qui te fecit ex nihilo? Qui te fecit, ipse te pascit ex his quę fecit, ipse pascit & filios tuos: nec enim meliùs committis filijs tuis patrimonium tuum, quàm creatori tuo. Et mentiuntur quidem homines, *Mala est*, inquiunt, *avaritia.* Palliare se volunt nomine *pietatis*, & dealbare: ut quasi propter filios videantur servare, quod propter avaritiam servant. Nam ut noveritis quia sic plerunque contingit, dicitur de quodam: *quare non facit eleëmosynam?* Quia servat filijs suis. Contingit ut amittat unum: si propter filios servabat, mittat post illum partem suam: quare illam tenet in sacculo, illum relinquit ex animo? Redde illi quod suum est, redde quod illi servabas. *Mortuus est*, inquis. Sed præcessit ad Deum, pars ipsius debetur pauperibus: illi debetur ad quem perrexit, Christo debetur ad quem perrexit; & ipse dixit: *Qui uni ex minimis meis fecit, mihi fecit*; &, *Qui uni ex minimis istis non fecit, mihi non fecit.* Sed quid dicis? *Servo fratribus eius.* Si viveret ille, non erat cum suis fratribus divisurus? O fides mortua! Mortuus est filius tuus? Quicquid dicas, mortuo debes quod vivo servabas. *Mortuus est filius meus*, inquis, *sed tamen partem filij mei servo fratribus ipsius.* Sic credis quia mortuus est? Si pro illo Christus mortuus non est, mortuus est ipse: si autem in te fides est, vivit filius tuus: vivit prorsùs, non decessit, sed præcessit. Quâ fronte venturus es ad filium tuum qui præcessit, cui præcedenti non mittis partem suam in cælum? An non potest mitti in cælum? Potest prorsùs: audi ipsum Dominum dicentem, *Thesaurizate vobis thesauros in cælo*". Eundem quoque prætextum amputans Basilius, ait parenti eum obtendenti: [W] Dic mihi quæso, cùm Deum „ orasti pro fœcunditate, cùm precatus es ut fieres liberorum pater, addidistine illud: *Da liberos, ut causa sint ne præceptis tuis obediam? Da mihi liberos, ne veniam in regnum cælorum?* Præterea quis tibi spoponderit de ipsorum voluntate ac ingenio, quòd datis relictisque rectè sint usuri? Nonne multis opes fiunt causa luxuriæ? An non audisti Ecclesiasten dicentem: *Vidi stultitiam multam & gravem, divitias in malum custodientibus ipsas converti?* Et rursùs, *Relinquo ego hæredem post me, quem ignoro utrum sapiens an stultus futurus sit?* Considera igitur ne opes multis cum ærumnis cumulatas relinquendo, peccandi materiam alijs suppedites; duplici pœnâ postmodùm plectendus, & tuorum scilicet criminum causâ, & aliorum quibus delinquendi materiam præbueris". Cæterùm quia complures divites

[V. Aug. lib. de decem chordis cap. 12.] [Vide lib. de Disciplina Christ. c. 8. & Serm. 41. de Diversis c. 10. & 11.] [Vide Aug. Homil. 10. inter 50. Carthus. Paris.] [Matth. 25. 40. & 45.] [W. Basilius Homil. 7. in ditescentes.] [Eccle. 5. 12.] [Eccle. 2. 18.]

divites liberis carent, qui tamen pauperibus parum aut nihil erogant, sequitur prætextus tertius, quem suggerit avaritia, viritim eis dicens: *Consule tibi in posterum.* Quem prætextum amputans Augustinus ait; [x] Avaritia „ dicit, *Consule in posterum*, homini fortassis „ victuro nec in crastinum. Sed ecce vivat „ quantum putat avaritia; non quantum „ ostendit, non quantum docet, non quantum fidit, sed quantum putat vixerit, senuerit, finierit; adhuc senex, incurvus, baculo innixus, lucrum quærit, & audit avaritiam dicentem, *Consule in posterum.* In quod „ posterum? Jam expirans loquitur, *propter filios meos*, inquit. Utinam vel illos senes habeamus non avaros, qui non habent filios. „ Etiam ipsis, etiam talibus, etiam iniquitatem suam nullâ pietatis imagine excusantibus non cessat avaritia dicere, *Consule in posterum*". Aristotelis dictum est; [y] Illiberalitas „ ac avaritia incurabilis est: etenim & senectus & imbecillitas omnis, avaros efficit". Quinimò notatum est à viris eruditis, avaritiam tantò magis increscere, quantò magis homo senescit. Unde & quidam ait; [z] Cæteræ penè omnes vitiosæ affectiones & vigorem & senium habent, & satietatem agnoscunt, atque ad finem omni celeritate contendunt: at verò horrendus pecuniarum amor, cùm nequaquam à natura nobis insit sed externè sè nobis alienùs insinuet, senium nescit, satietatem ignorat, lætitiam respuit, finem capere minimè sustinet: imò verò in dies vigens, vel potiùs vigorem suum augens, fortior seipso & valentior acriorque esse contendit". Falluntur plerunque senes spe vitæ prolixioris, quâ instigantur ad servandum quod possident, ne fortè inopiâ pereant, si priùs opes quàm vitam finiant: [a] Nihil, inquit Hieronymus, ita decipit humanum genus, quàm quod dum ignorant spatia vitæ suæ, longiorem sibi sæculi hujus possessionem repromittant. Unde & illud egregiè dictum est: *Nullum tam senem esse & sic decrepita ætatis, ut non se adhuc uno plus anno vivere suspicetur*". Hac proinde inani fiduciâ freti differunt opes suas sive in seipsos insumere, sive in pauperum necessitates erogare; aurésque accommodant avaritiæ jugiter insusurranti, *Consulite vobis in posterum*: [b] Scio ego, inquit Augustinus, & mecum omnis homo qui paulò attentiùs consideraverit, neminem Deum timentem sub verbis ejus non se corrigere, nisi qui putat quia plus habet vivere. Ipsa est res quæ multos occidit, cùm dicunt, *cras, cras*: & subitò ostium clauditur". Est denique quartus avarorum prætextus cohibendi manus suas ab eleemosynarum largitione, destinatio scilicet opum suarum ad posthumam fundationem: Sed cur non peragunt viventes, quod jactant præstituros se decedentes, nisi quia suggerente avaritiâ renuunt deserere divitias, priusquàm deserantur à divitijs? Verendum sanè est ne plerique horum connumerentur eis, quos Regius Psaltes *Divitiarum viros* inceptatoriè agnominat; [c] Et benè, ut ait „ Ambrosius, *viros divitiarum* appellavit, non „ divitias virorum; ut ostenderet, eos non „ esse possessores divitiarum, sed à suis divitijs possideri: possessio enim possessoris debet „ esse, non possessor possessionis. Quicunque „ igitur patrimonio suo tanquam possessione „ non utitur, qui largiri pauperi & dispensare non novit, is suarum servulus est, non „ dominus facultatum: quia aliena custodit „ ut famulus, non tanquam dominus suis „ utitur. In hujusmodi ergo affectu dicimus, „ quòd vir divitiarum sit, non divitiæ viri". Extat adversùs quartum istum avarorum prætextum peculiaris dissertatio Antonij de Guevara Episcopi Mondiniensis, quam cernere licet parte 3. Epistolarum ac Dissertationum ipsius, hoc titulo prænotatam; *Præclara admonitio, & ratio, cur divitibus concessum non sit, præsentibus pauperibus adjutorium suum subtrahere, & nascituris providere.* Magnus quoque Basilius unum quempiam horum prætexentium inducit dicentem, *Ego quidem bonis frui volo dum vixero, post mortem verò in testamento hæredes facultatum mearum ac dominos ascribam pauperes.* Cui mox Basilius reponit: [d] Heu „ miser, tunc benignus ac liberalis hominibus „ eris, cùm ampliùs inter homines non ages? „ Cùm te cadaver aspiciam, tunc fratris „ amantem appellabo? Scilicet magnâ dignus eris liberalitatis laude, magnus tibi „ honor debebitur aut gratia, si in sepulchro „ jacens, & in terram conversus, magnificus ac pomposus appareris". Et rursus ibidem post pauca: "*Vivens*, ais, *bonis fruar; decedens, quæ animo constitui ordinavisse, faciam*. „ Erras homo: tunc Abraham dicet quoque „ tibi, *Recepisti bona in vita tua.* Si *arcta est via* „ *quæ ducit ad vitam*, non te divitijs oneratum, „ ac opum sarcinam ferentem excipiet. Egestans divitias tuas hinc egrederis; non enim „ illas abjecisti, ut jussus es. Cùm viveres, „ vitæ æternæ teipsum prætulisti, post mortem facies, quod hostes solent: etenim ne „ ille vel ille, quem nolis, accipiat facultatem tuam, *accipiat illam*, inquies, *Dominus*. „ Et istud quid vocabimus, vindictamne inimicorum, an proximi dilectionem? Lege „ testamentum tuum: *Vellem*, inquis, *vivere, ac* „ *frui bonis meis.* Morti ergo, non tibi gratia: „ si enim immortalis esses, nunquam mandatorum recordatus esses. Nolite errare: „ non decipitur, *non deridetur Deus*. Mortuum „ ad rem sacram non offertur: *Viventem offer*

x August. Serm. 49. de Diversis c. 6.

y Aristot. lib. 4. Ethic. ad Nicomachum c. 1.

z Isidorus Pelus. lib. 3. Epist. 167.

a Hieron. Epist. 139.

b August. Serm. 14. de Verb. Dom. cap. 11.

Psal. 75. 6.

c Ambros. lib. de Nabuthe c. 14. & 15.

Guevara: Vide Hessel. in Decalog. cap. 119.

d D. Basil. Homil. 7. in ditescentes.

Luc. 16. 25.

Mat. 7. 14.

Gal. 6. 7.

Rom. 12. 1.

„ *offer hostiam.* Qui ex eis offert quæ supersunt, „ ingratus est: tu verò post vitam omnem, ea „ quæ morti supersunt, Deo omnium largi- „ tori tribuis. Si nobilem hospitem domo ex- „ ciperes, eine reliquias mensæ apponeres? „ Quomodò ergo existimas Deum repotijs placari"? *Ante obitum*, inquit sapiens, *benefac amico tuo, & secundùm vires tuas exporrigens da pauperi.* Quàm periculosum verò sit viscera misericordiæ egentis poscentibus occludere, indicat idem superiùs, dicens: *Animam esurientem ne despexeris, & ne exasperes pauperem in inopia sua: cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datum angustianti: rogationem contribulati ne abjicias, & ne avertas faciem tuam ab egeno: ab inope ne avertas oculos tuos propter iram, & non relinquas quærentibus tibi retrò maledicere: maledicentis enim tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius; exaudiet autem eum, qui fecit illum.* Hinc facilè perspicitur, quanto periculo exponant opulentos laxi Casuistæ, qui studio eis placendi comminiscuntur varios prætextus quibus eos eximant à pauperum sublevamine. Quantumlibet enim persuadeant divitibus exemptionem, non cohibent pauperum maledictionem, sed nec Dei exauditionem: [E] Constituta Domini, ut ait Augustinus, sine ulla „ retractatione servanda sunt: habet enim „ hæc justitia quæ coram illo est, sive approbent sive improbent homines". Imprecatio pauperis à Domino exaudita plus obest diviti, quàm eidem prodest stips denegata pauperi; adeò quidem, ut subinde, Deo ita disponente, denegator ex opulentissimo fiat egentissimus; impleaturque in eo illud Augustini: [F] *Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus.* Imò verò non *hoc* solùm, sed crebrò etiam reliquum totum; nonnunquam quoque cum illo tollitur & ipse, si non à fisco, saltem à grassatore nocturno vel diurno. Quò spectat quod idem Augustinus Serm. 43. de Diversis cap. 7. & 8. ait; " *Serva tibi*, inquit avaritia: „ Pone te velle obtemperare: interroga, ubi „ serves? Illa tibi monstratura est munitum „ locum, muratum cubiculum, arcam fer- „ ream. Omnia muni: fortè domesticus fur „ etiam interiora perrumpet; & cùm pecuniæ „ tuæ consulis, vitæ tuæ timebis. Fortè dum „ multum servas, qui vult eripere cogitat oc- „ cidere. Postremò adversùs fures licèt quo- „ cunque munimine thesaurum tuum & ve- „ stem tuam communias, communi ea adver- „ sùs rubiginem & tineam. Quid facturus „ es? Non est foris hostis auferens, sed est „ intùs absumens. Non ergo bonum consi- „ lium dedit avaritia: ecce jussit ut serves, sed non invenit dare locum ubi serves". Videmus hinc quantis periculis & anxietatibus subjaceant *viri divitiarum*, qui maledictiones pauperum in se ipsos accersunt: etiamsi futuris pauperibus provisuros se prætexant, aut etiam reapse providere intendant. Non quòd malum sit futuris prospicere, sed quòd inhumanum sit præsentes despicere. Qui revera intendunt futuris pauperibus providere, bonum intendunt; sed *Non sunt facienda mala, ut veniant bona*: non sunt deserendi pauperes nobis occurrentes, ut subleventur pauperes posteris nostris occursuri: [G] Quando facit „ Deus pauperes, inquit idem Augustinus, „ probat divites: sic enim scriptum est, *Pau- „ per & dives occurrerunt sibi.* Ubi sibi occurre- „ runt? In hac vita. Natus est ille, natus est „ & ille: invenerunt se, *occurrerunt sibi.* Et „ quis fecit illos ambos? Dominus: divitem, „ unde pauperem adjuvaret; pauperem, unde „ divitem probaret. Pro viribus suis unus- „ quisque faciat: non sic faciat, ut ipse pa- „ tiatur angustias; non hoc dicimus. Superflua tua necessaria sunt alijs". Quòd si obtendas te tua superflua servare pro necessitatibus aliorum, sed futurorum: attende regulam beneficentiæ, quam idem Augustinus lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 28. non tam formavit, quàm divinitùs præformatam expressit, dicens: " Omnes homines æquè diligen- „ di sunt: sed cùm omnibus prodesse non „ possis, his potissimùm consulendum est, qui „ pro locorum, & T E M P O R U M, vel qua- „ rumlibet rerum opportunitatibus, constri- „ ctiùs tibi quasi quâdam sorte junguntur". Vide jam an non tibi *pro temporum opportunitate* constrictiùs jungantur pauperes contemporanei, quàm futuri: & cùm sic jungi conspexeris, eis potiùs consule quàm futuris, quando non potes utrisque. Quòd si verò utrisque prodesse valeas, etiam velis. Si intendis piam fundationem in sublevamen pauperum perpetuò duraturam erigere, contemporaneos pauperes noli oblivioni tradere, sed tua ista fundatio pro ipsis incipiat scaturire, pro posteris pergat fluere. Sic enim utrisque consules, nec avaritiæ suspicionem incurres; quia misericordiæ ac liberalitatis monito acquiesces, insonantis tibi: *Da tua dum tua sunt, post mortem tunc tua non sunt.*

Eccli. 14. 13.

Eccli 4. 2. & seqq.

E Aug. l. 1. de Adulter. conjugijs cap. 22.

F Idem Homil. 41. inter 50. c. 28.

Psalm. 75. 6.

Rom. 3. 8.

G. August. Homil. 11. inter 50. Vide Serm. 25. de Verb. Apost. c. 6. & 7.

Prov. 22. 2.

CAPUT

CAPUT CXVIII.

Octavo Decalogi præcepto quid directè, quid item reductitiè vetetur? Proximi *nomine non puros duntaxat homines, sed & Christum Deum hominem, & cælestes insuper Angelos comprehendi. Sicut contra proximum, ita & pro proximo falsum testari prohibemur. Falsi adversùs Deum testes censentur; qui sive criminando sive adulando de ipso mentiuntur. Eâdem regulâ jubemur non calumniari nosmetipsos, quâ nec proximos. Nemo persecutionis est extraneus, qui non sit pietatis alienus. Persecutionum sævitiam supplent dissimilitudines morum, contumaciæ inobedientium, & malignarum tela linguarum. Linguariosque persecutores denotat Psalmographus cùm ait*: Dentes eorum arma & sagittæ, & linguâ eorum gladius acutus. *Hoc persecutionis genere infestatus est Christus à Iudæis, Apostoli à Pseudoapostolis, primitivi Christiani ab Ethnicis, Ambrosius à Cæsareis aulicis, Hieronymus ab Origenianis & Pelagianis, Augustinus à Semipelagianis, Athanasius ab Arianis, Fulgentius ab Anonymo hæretico, alij Africani Ecclesiastes à Wandalis, Bernardus ab Abaylardianis, David à Michol, cæteri Prophetæ à suis respectivè æmulis, summi Pontifices à schismaticis, Martinus & Chrysostomus ab invidis, Paula Romana à susurronibus subdolis, Tobias à suâ etiam conjuge. Non minùs infestæ sunt pijs blanditiæ adulantium, quàm sævitia obloquentium. Expenditur ista Psalmographi imprecatio:* Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: Euge, euge. *Sedulò satagendum est pijs, ne vel obloquentium opprobrijs impellantur in sinistram, vel adulantium lenocinijs in dexteram. Detractores in terram insufflando, oculis suis pulverem inde excitum inspergunt: ut quo plus efflant detractionis, eò minùs cernant veritatis. Nec falsus honor juvat, nec mendax infamia terret, nisi mendosum & mendacem. Si nobis in cælo & in corde sit testis, sinamus stultos foris loqui quod volunt.*

CDXLVII. SUperest unicum Decalogi præceptum, in serie quidem octavum, sed nobis idcircò postremum, quòd nonum & decimum sexto respectivè & septimo appenderimus. Ut autem clareat quid octavo isto præcepto, seu directè seu reductitiè vetetur; proderit recolere illud Estij:[H] Octavo præcepto, *Non loquêris contra* „ *proximum tuum falsum testimonium*, expressè „ quidem falsum testimonium, neque id om„ne, sed solùm quod contra proximum pro„fertur, prohibetur; quo videlicet non tan„tùm rectum Judicium pervertitur, sed etiam „ proximo per falsitatem nocumentum infer„tur. Cæterùm generaliter huc & alia pec„cata quamplurima revocari possunt: primò „ omnia ea quibus publicum Judicium per„verti contingit, ut sunt injusta sententia, „ munerum acceptio, favor partis seu acce„ptio personæ, passio seu perturbatio ratio„nem obnubilans neglectâ Juris formâ, & si „ quæ alia sunt propria Judicum peccata. His „ adde quæcunque ad impediendam quoquo„modo Judicij veritatem ab alijs quibuscun„que personis tribunali assistentibus, ut ab „ actore, accusatore, reo, testibus, advocato, „ procuratore, notario, seu scripto seu quo„modolibet aliter committuntur. Secundò „ generaliùs huc revocatur omnis significatio „ falsi, etiam extra Judicium, & sive illud „ proximo noceat, sive non. Unde huc per„tinet inprimis omne mendaciorum genus, „ deinde & ea quæ peculiarem ex circum„stantiâ speciem falsitatis constituunt, ut „ calumnia, perfidia, seu quæcunque pro„missorum & pactorum violatio: imò &

[H] H. Estius in 3 Dist. 38. §. 1. Ex. 20. 16.

Vide Magistrum lib. 3. Sententiar. Dist 37 § 3.

„ perjurij crimen secundùm Magistrum hoc „ præcepto prohibetur, tametsi magis propriè „ secundo præcepto adversetur, ut infrà Di„ stinctione proximâ dicetur. Tertiò ac po„ stremò licebit huc revocare omnia peccata „ linguæ, sive veritati contraria sint, sive non: „ constat enim & veritatem dicendo, & ne„ que verum neque falsum enunciando, mul„ ta peccata per linguam committi. Hujus„ modi sunt detractio, adulatio, susurratio, „ convicium, derisio, maledictum, blasphemia, „ rixa, scurrilitas, turpiloquium, garrulitas, „ murmuratio, & si quid his simile: tametsi „ horum pleraque etiam ad alia præcepta com„ modè possint reduci, ut suis locis patuit". Hinc obviè perspicitur quàm ampla vastaque sit hujus præcepti materia: pro cujus pleniori comprehensione advertendum est, *proximi* nomine in præsenti præcepto, perindè ac in

Mat. 5. 41.

precepto *diligendi proximum*, intelligi non modò universos homines, sed & Angelos, necnon Christum Deum hominem, qui sub para-

Luc 10. 33. & 36.

bola *Samaritani* seipsum nobis dignatus est dicere *proximum*. Et de hominibus quidem perspicua est illa Augustini sententia differentis de

I. Aug. l. 1. de Doctrina Christ. c. 27.

præcepto diligendi proximum: [I] Omnis ho„ mo inquantùm homo est, diligendus est propter Deum: Deus verò propter seipsum". De Angelis denique, & item de Christo Angelorum hominumque Domino, subdit idem ibidem c. 30." Manifestum est hoc præcepto quo „ jubemur diligere proximum, etiam sanctos „ Angelos contineri; à quibus tanta nobis mi„ sericordiæ officia impenduntur, quanta „ multis divinarum Scripturarum locis ani„ madvertere facile est: ex quo & ipse Deus „ ac Dominus noster proximum se nostrum „ dici voluit. Nam & seipsum significat Do„ minus Jesus Christus opitulatum esse *semivivo* „ jacenti in via afflicto, & *relicto à latronibus*:

Psal. 34. 14.

„ & Propheta in oratione ait, *Sicut proximum & sicut fratrem nostrum, ita complacebam*". Ex quo ulterius fitur in octavum illud Decalogi præceptum *non loquendi falsum testimonium adversùs proximum*, impingant, quotquot non modò adversùs puros homines, sed vel adversùs Angelos, vel adversùs Christum, proferunt falsum testimonium. Innuit item Apostolus eos in hoc ipsum octavum Decalogi præceptum impingere, qui adversùs Deum, ut

1. Cor. 15. 15.

Deum, testantur aliquid falsum: *Invenimur*, inquiens, *falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversùs Deum, quòd suscitaverit Christum; quem non suscitavit, si mortui non resurgunt*. Ex qua Apostoli sententiâ Augustinus lib. de Mendacio cap. 12. hoc prætereà deducit, non modò cùm quis cuipiam crimen falsò affingit, sed etiam cùm ei adulatoriè contra veritatem applaudit, falsum testimonium *adversùs eum* proferri, quantumvis pro ipso videatur proferri. Quod maximè locum habere videtur in Deo: qui cùm sit ipsa Veritas, proculdubiò *adversùs eum* dicitur, quicquid falsò eidem affingitur, sive criminando, sive adulando. Sed nec illud hoc loco prætereundum est, octavum illud Decalogi preceptum violari non solùm ab eis qui alijs à se distinctis, sed qui vel sibimetipsis quidpiam falsò affingunt:

K. August. l. 1. de Civit. cap. 20.

[K] Neque enim frustrà, ait alibi idem, in „ sanctis canonicisque libris nunquam nobis „ divinitùs præceptum permissumve reperiri „ potest, ut vel ipsius adipiscendæ immorta„ litatis, vel ullius carendi cavendive mali „ causâ, nobismetipsis necem inferamus. Nam „ & prohibitos nos esse intelligendum est ubi

Exod. 20. 13.

„ lex ait, *Non occides*: præsertim quia non ad„ didit, proximum suum; sicut falsum testi-

Ibid. v. 16.

„ monium tùm vetaret, *Falsum*, inquit, *testi„ monium non dices adversùs proximum tuum*: „ nec ideò tamen si adversùs seipsum quis„ quam falsum testimonium dixerit, ab hoc „ crimine se putaverit alienum; quoniam re„ gulam diligendi proximum à seipso dilector

Mat. 22. 39.

„ accepit, quandoquidem scriptum est, *Diliges „ proximum tuum sicut teipsum*. Porrò si falsi „ testimonij non minùs reus est, qui de seipso „ falsum fatetur, quàm si adversùs proximum „ hoc faceret; cùm in eo præcepto, quo fal„ sum testimonium prohibetur, adversùs pro„ ximum prohibeatur, possitque non rectè in„ telligentibus videri non esse prohibitum ut „ adversùs seipsum quisquam falsus testis assi„ stat; quantò magis intelligendum est, non „ licere homini seipsum occidere; cùm in eo „ quod scriptum est, *Non occides*, nihilo dein„ de addito, nullus, nec ipse utique cui præcipitur, intelligatur exceptus"?

CDXLVIII. Virtuti semper obstrepit invidia, mater calumniæ: ut proinde verissi-

2. Tim. 3. 12.

mum sit illud Apostoli oraculum, *Omnes qui piè volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur*:

L. Leo Epist. 91. ad Rusticum Narbon.

[L] Quæ persecutio, ut Leo Papa per„ hibet, non in eo tantùm computanda est, „ quòd contra Christianam pietatem aut fer„ ro, aut ignibus, aut quibuscunque suppli„ cijs agitur; cùm persecutionum sævitiam „ suppleant & dissimilitudines morum, & „ contumaciæ inobedientium, & malignarum tela linguarum". Scripsit de varijs piorum persecutionibus integrum libellum Joannes Lensæus, Theologus Lovaniensis, annis ab hinc plusquàm octoginta: in quo peculiariter differit per integrum caput de postremo illo persecutionis genere, quod Pontifex Leo mox relatus *malignarum linguarum telum* appel-

M. Joannes Lensæus lib. de varijs piorum persecutionib. cap. 15.

lat: [M] Est hoc, ait ille ibi, sæpenumero viris „ bonis grave persecutionis genus, ut cùm „ innocentiam destruere atque expugnare „ non valeat inimicus, satis habeat excogita„ tione mendacij & falsorum, famæ maculas insper-

,,inspergere. Sic de *Cornelio* Pontifice à Nova-
,,tianis *quædam inhonesta & maligna jactabantur.*
,, Quod mirandum non esse Cyprianus mo-
Vide Cypr. Epist. 12.
,,net, *cùm hoc semper opus diaboli sit, ut servos Dei*
,, *mendacio laceret, & opinionibus falsis gloriosum*
,,*nomen infamet: ut qui conscientia sua luce claref-*
,, *cunt, alienis rumoribus sordidentur.* Divus quo-
,, que *Ambrosius*, cùm Imperator Arianus Ba-
,, silicam postularet, atque ille se constantissi-
Vide Ambr. Epist. 14. aliàs 33. ad Marcellinã sororem.
,, mè conatibus ejus opponeret, asserens *Ad*
,, *Imperatorem palatia pertinere, ad Sacerdotem Ec-*
,, *clesias*: tanquam rebellis & tyrannus ab im-
,, pijs & scelestis ministris passim traduceba-
,, tur. Speciem enim sibi rebellionis tenere
,, videbantur, quòd Imperatorem assererent
,, jure suo uti, cujus in potestate sint omnia:
,, usque adeò ut Calligonus quidam cubiculi
,, Præpositus mandare illi ausus sit, *Me vive tu*
,, *contemnis Valentinianum? Caput tibi tollo.* Sed
,, vir fortis, minimèque minis aut persuasione
,, purpuratorum perturbatus, respondit: *Deus*
,, *permittat tibi ut impleas quod minaris: Ego enim*
,, *patiar quod Episcopi, tu facies quod spadonis.* Nec
Vide Prosp. Epistola ad Augustin. & Epistola ad Rufinum, & Præfatione ad capitula Gallor. & lib. cont. Collat. c. 5. & 41. & seqq.
,, Divus *Augustinus*, cùm de Christi Ecclesiâ
,, egregiè meritus esset, cujus hostes Pela-
,,gianos solidissimæ doctrinæ instructus armis
,, debellaverat, illæsam de suis laboribus exi-
,, stimationem reportavit. Cui haud obscuri
,, quidam in Ecclesiâ homines, sed quorum
,, animis vestigia damnati in Pelagio erroris
,, inhæserant, confictis blasphemiarum pro-
,, digiosis mendacijs usqueadeò officere stu-
,, duerunt, ut suam se famam evertere no-
,, cendi cupiditate non viderent. Nam quia
,, Dei Christiquè Mediatoris gratiam hanc
,, esse statuebat, quâ Deus in nobis ut velimus
,, utque perficiamus potentissimè secretissi-
,, mèque operatur, tanquam hac prædicatio-
,, ne sublato libero arbitrio, impudentissimis
,, imperitissimisque vocibus *Manichæus* esse di-
Vide Hieronym. Epist. 65 & 66 & in libb. cont. Rufin & in procemio librorũ cont. Pelag.
,, cebatur. Quid Divus *Hieronymus*? Nonne
,, abs sectatoribus Origenis, tanquam ipse
,, quoque damnata Origenis placita sequere-
,, tur, fuit infamatus: & à Pelagij fautoribus,
,, tanquam adversùs eum scripsisset invidiæ
,, facibus inflammatus? Quid acerrimus Ca-
,, tholicæ fidei propugnator *Athanasius*? Ille né
,, potuit hæreticarum tela linguarum effuge-
Vide Ruffin. l. 1 Eccles. Hist. c. 33. 36. & 37.
,, re? Nonne is & violati per stuprum hos-
,, pitij accusatus; & hic confusis accusatori-
,, bus, posteà tanquam magicis artibus dedi-
,, tus, varijs est Arianorum insidijs appetitus?
Vide Prologum libror. Fulgentij ad Monimum.
,, Divi *Fulgentij* nomen non dubitavit quidam
,, hæreticus Photiniani erroris notâ lacessere.
,, Divi *Bernardi* libros, suavi planeque mellitâ
,, oratione fluentes, hæretica Berengarij cu-
Vide Epist. Apologeticam Berengarij pro Petro Abaylardo contra
,, jusdam lingua momordit, tanquam divi-
,, num Instrumentum inepto quodam com-
,, mentandi nugandique genere polluisset; fe-
,, cissetque ut imperiti graviter granditerque
,, dicta putarent, quæ sic ubertim & quasi
Bernard ordine 17. inter Epistolas Abaylardi.
,, eloquenter effudisset. Sed & si quis Dei mi-
,, nistrorum in aliquo sit crimine deprehensus;
,, quid aliud agere hæretici solent impuden-
,, tissimis linguis, quàm ut hoc idem credatur
Vide August. Epist. 137.
,, de omnibus? Cùm enim de aliquibus qui
,, Ecclesiæ præsunt, aut sanctum alioqui no-
,, men profitentur, quidpiam criminis vel
,, falsi sonuerit, vel veri patuerit; instant, sa-
,, tagunt, ambiunt, ut id de omnibus persua-
,, sum habeatur, inquit Augustinus. Author
,, est etiam Victor Uticensis, in Africâ per
,, Wandalos Arianos adeò calumnijs exagi-
,, tatos fuisse Catholicos Sacerdotes, ut si
,, fortè eorum aliquis cum Dei populum ad-
,, moneret, *Pharaonem, Nabuchodonosor, Holo-*
,, *fernem*, aut similem quempiam, ut fieri solet,
,, nominasset; mox illi objiceretur quòd in
Vide Victor. Uticen. l. 1. de persecut. Wandalicã.
,, personam Regis ea dixisset: *Hoc enim persecu-*
,, *tionis genus*, inquit, *agebatur hic apertè, alibi*
,, *occultè, ut piorum nomen interiret.* Attamen gra-
,, vior ea persecutio est; cùm ab hæreticis
,, pietas ipsa petulantibus cachinnis excipitur;
2. Reg. 6. 16.
,, hoc est; cùm pium *Davidem ante arcam subsi-*
,, *lientem videt irreligiosa Michol*; cùm sacra in eo
Ibid. v. 14.
,, vestis, *induebatur* enim *ephod lineo*; scurrilita-
,, tis de stultitiæ nomine contemnitur. Non
,, tamen ob hoc pius Dei cultor desinit, quin
,, potiùs in eo glorianter acquiescit, in quo
,, vilescit sacrilegis; nec dubitat cum pio Rege
Ibid. v. 22.
,, dicere: *Ludam, & vilior fiam plusquam factus*
,, *sum, & ero humilis in oculis meis.* Fuerat grave
Vide Ioan. Sarisb. l. 7. Policratici cap. 20.
,, nihilominùs in pietatis officio profanâ lin-
,, guâ derideri, ideoque prolem ex Davide
,, nunquam Michol, jure & ipsa contempta,
,, suscepit. Gravior etiam divinis hominibus
,, persecutio est; cùm cælestis doctrina profa-
,, nis linguis contemnitur; cùm adversùs di-
,, vina testimonia, quæ studiosè proferunt,
,, linguæ furiosæ armantur; cùm Dei verba
,, per eos ministrata, falsis commentis corrum-
,, puntur; & quæ ad stabiliendam pertinent
,, catholicam veritatem, ad ædificandum ra-
,, piuntur errorem. Quod cùm, cæterorum
,, more hæreticorum, Donatistæ facerent, à
Vide Aug. l. 2 contra Petilian. cap. 14.
,, Divo Augustino jure hoc audiunt: *Mitiùs*
,, *ageretis trajiciendo ferrum per viscera Propheta-*
,, *rum, quàm quod linguâ interficere conamini verba*
,, *Prophetarum; aut ij non sunt ista Prophetarum*
,, *persecutiones, quia non fiunt ferro, sed verbo; quæ*
,, *fuit causa ut divinitùs diceretur, Filij hominum,*
,, *dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum*
,, *gladius acutus?* Et rursùm: *Iudæi*, inquit, *perse-*
Vide ibid. cap. 17.
,, *cuti sunt carnem ambulantis in terra, vos Evange-*
,, *lium sedentis in cælo: quod Evangelium mitiùs per-*
,, *tulit sævientium Regum flammas, quàm vestras*
,, *patitur linguas: nam illis incendentibus unitas man-*
,, *sit, vobis loquentibus manere non potuit. Qui ver-*
,, *ba Domini excussa cupiebant aboleri, non credebant*
,, *posse lecta contemni: non ergò illi in Evangelio*

 exerce-

exercerent flammas suas, sicu contra Euangelium permitteretis linguas vestras. In illâ persecutione Euangelium Christi ab alijs savientibus quarebatur, ab alijs metuentibus prodebatur, ab alijs savientibus incēdebatur, ab alijs diligentibus abscondebatur, nullis contradicentibus oppugnabatur: sceleratiores vobis persecutionis partes, transactâ Gentium persecutione, servastis. Qui Christi nomen persequebantur, Christo crediderunt; qui propter Christi nomen honorātur, Christo contradicunt. Tametsi autem fuerint tolerabiliores hac in parte Gentiles, nec ipsis tamen linguæ defuit gladius ad persequendum: namque inter ipsos olim, *Christiani ferebantur sceleratissimi de Sacramento infanticidij, & pabulo inde, & post convivium incesto, quod eversores luminum canes, lenones scilicet, tenebrarum libidinum impiarum inverecundiâ procurarent. Sed dicimur semper,* inquit Tertullianus: *nec vos quod tamdiu dicitur, eruere curatis. Natura fama nota est omnibus, qua ne tunc quidem cùm aliquid veri affert, sine mendacij vitio est, detrahens, adijciens, demutans de veritate.* Quin & *Asinarij* dicti sunt Christiani, tanquam asinum vel asininum adorarent Deum. Hinc quidam Tertulliani tempore *picturam proposuerunt cum ejusmodi inscriptione,* DEVS CHRISTIANORVM ONONYCHITIS, *Is erat auribus asininis, altero pede ungulatus, librum gestans, & togatus.* Solem quoque adorari spargebant à Christianis, propterea, quòd soliti essent ad orientis regionem conversi adorare. Quid libros referam, quibus nomen Christianum & disciplinam quidam acerrimè sunt insectati? Hoc enim modo *Celsus, Porphyrius, Iulianus*, rabidi adversùs Christum canes, quantum eniti potuere, linguâ & dente nocuerunt: quorum priori Origenes octo libris, alteri Methodius, Eusebius, Apollinaris, fortissimè responderunt; uti & tertiò Nazianzenus, & Cyrillus Alexandrinus.

Vide Tertul. Apolog. cap. 7.

Vide Tertul. ibid. c. 16 & Minutium in Octavio.

CDXLIX. Jam & præter infidelitatem, sola sæpenumerò linguam vehementer acuit invidia, dum hæc in alijs magnæ virtutis nomen ferre non potest: semper enim virtutem invidia sequitur, *Feriuntq; summos fulmina montes.* Neque id, si de hominibus dico, mirandum est: cùm & Dominus noster Pharisæorum fuerit zelo crucifixus, & omnes Sancti æmulos habuerint: in paradiso quoque serpens fuerit, *Cuius invidiâ mors introierit in orbem terrarum.* Persecutionum igitur tempestates vel sola ciere potest invidia, multosque Sanctorum aut opere infesta læsit aut linguâ vel à tergo vel coràm vulneravit: *Osculabantur*, ait Hieronymus, *mihi manus quidam, & ore vipereo detrahebant, dolebant labijs, corde gaudebant: videbat Dominus, & subsannabat illos; & miserum me servum suum futuro cum eis iudicio reservabat: alius incessum meum calumniabatur, & risum ille vultui detrahebat, hic in simplicitate aliud suspicabatur.* Et alio loco: *Maleficum, ait, me quidam garriunt, titulum fidei servus agnosco: magum vocant, & Iudæi Dominum meum: seductor & Apostolus dictus est. Tentatio me non apprehendat, nisi humana: quotam partem angustiarum perpessus sum, qui cruci milito? Infamiam falsi criminis imputarunt, sed scio per bonam & malam famam perveniri ad regna cælorum.* Nec fieri potest, inquit alio loco, *ut absque morsu hominum, vita huius pericula quis pertranseat; malorumque solatium est bonos carpere, dum peccantium multitudine putant culpam minui peccatorum.* Ita & Divi *Chrysostomi* vitam, æmulorum lingua momordit: quodque virtutis fuit, ut solus cibum caperet, nec invitatus quòquam iret, nec alios ipse rogaret; id potiùs inhospitalitatis vitio tribuebant. Fuere & qui ejus in reprehendendis vitijs libertatem, maledicentiam esse dicerent: qui disciplinæ studium, odiosæ severitatis nomine traducerent: qui generosi & invicti animi constantiam, superbiæ crimine deformarent. Denique cùm ejus agnoscerent in laboribus patientiam, in vigilijs assiduitatem, & abhorrentem ab omni libidine continentiam; harum conscientia virtutum, immitem esse illum, insultatoremque fingebant. Quid etiam fuit Beato *Martino* perfectius in omni genere virtutis? Et tamen Episcopi non defuere, qui, invidiâ stimulante, indignum Episcopatu dicerent, suisque suffragijs electioni repugnarent. Verùm hæc atque hujusmodi, tametsi permolesta sæpè sint & gravia, facilè contempserit is, cui propositum non est placere hominibus. Neque enim frustrà scriptum est, *Deus confringet ossa eorum qui hominibus placent*: quid enim languidius, quid tam sine stabilitate ac fortitudine, quod *ossa* significant, quàm homo quem maleloquentium lingua debilitat; cùm sciat falsa esse quæ dicuntur? Cujus rei dolor nullo modo animæ viscera dilaniaret, si non amor laudis, ejus ossa confringeret. Cùm proinde *Paulam* sanctissimam mulierem viperea invidorum lingua morderet, non debilitata aut confracta fuit, sed hoc se Evangelij verbo solata est, *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: & secura sit conscientia*, inquit, *quòd non propter peccata nostra patiamur; afflictioque in sæculo, materia gaudiorum est.* Cumque aliàs susurro quispiam, quasi benevolus, nunciaret, videri eam nonnullis præ nimio virtutum fervore insanam, cerebrumque ejus esse confovendum, hoc etiam aspernata respondit: *Theatrum facti sumus Mundo, & Angelis, & hominibus; nos stulti propter Christum*: sed, *stultum Dei sapientius est hominibus. Vnde & Salvator loquitur ad Patrem: Tu scis insipientiam meam.*

Vide Horat. lib. 2. Carm. Ode 9.

Sap. 2. 24.

Vide Hieron. Epist. 99.

Vide Sulpit. Severum de vita Martini.

Ps. 52. 6. Vide Aug. Epist. 64.

Vide Hieron. Epist. 27. c. 8. & 9. Mat. 5. 10.

Ibid. infra. 1. Cor. 4. 9. & 10. 1. Cor. 1. 25. Ps. 68. 6.

Psal. 70. 7. Marc. 3. 21. Joan. 1. 48. Joan. 8. 15. 2. Cor. 1. 12.

„ *meam.* Et iterùm: *Tanquam prodigium factus sum multis, & tu adjutor fortis: quem & in Evangelio, quasi mentis impotem, ligare propinqui cupiebant; & adversarij sugillabant, dicentes: Dæmonium habes, & Samaritanus es: &, in Beelsebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Sed Nos *audiamus Apostolum cohortantem: Hæc est gloria nostra, testimonium conscientiæ nostræ, quoniam in sanctitate & sinceritate, & in gratia Dei, conversati sumus in hoc Mundo.* Propter istiusmodi tamen virulentas obtrectationes querebatur ille, cujus in Psalmo vox est: *Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.* Ac nisi permultùm hæc persecutio subinde pungeret, graviterque feriret, non diceret Ecclesiastes: *Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius.* Non enim vulgaris ea tentatio est; quia calumnia non solùm falsa componit, verùm etiam quæ piè sunt gesta decolorat, quemadmodùm Beato Joseph contigit. Proinde Propheta precatus est, *Libera me à calumnijs hominum, ut custodiam mandata tua:* qui enim opprimitur calumniâ, non facilè potest Dei mandata custodire; tristitiæ quippe necesse est plerunque cedat, aut affligatur vel metu calumniæ, vel dolore. Si non esset gravis linguæ persecutio; non illos malevolentissimos Judæos impium hoc adversùs Prophetam inijsse consilium legeremus: *Venite; & cogitemus contra Hieremiam cogitationes: non enim peribit lex à Sacerdote, neque consilium à sapiente, nec sermo à Propheta: Venite, & percutiamus eum linguâ, & non attendamus ad universos sermones ejus.* Sic Christum Dominum, sic ejus Apostolos impij Judæi linguâ percusserunt, cùm eos divinæ legis hostes esse, defectionemque à Moyse moliri criminantur. Denique Tobias, qui mortis metum fortiter superaverat, qui orbatus etiam Dei permissu luminibus gratias egerat: linguâ percussus uxoris, tanquam spem vanam officijs misericordiæ prosequeretur, tum demùm *Ingemuit, & cum lachrymis orare cæpit, dicens: Justus es Domine,*

Psal. 37. 21. Eccles. 7. 8. Vide Ambr. Serm. 17. in Psal. 118. Gen. 39. 14. Psalm. 118. 134. Hier. 18. 18. Tob. 3. 1. & 2.

„ CDL. Verùmtamen plus sæpè assentantium, quàm vituperantium lingua persequitur: neque explicari oratione brevi potest, quàm multos in perniciem blandum hoc persecutionis genus rapuerit. Quis enim facilè suum repudiet laudatorem? Namque immodico sui amore plerique tenentur, ideoque sermonem ad voluptatem suam fictum atque compositum, laudum suarum esse testimonium arbitrantur: nec facilè quisquam assentatoribus patefacit aures suas, nisi qui sibi ipse priùs assentetur, seque maximè delectet. Quamvis autem blanda ista vanitas apud eos præcipuè valeat, qui eam ipsi allectent atque invitent, animadvertere tamen etiam graviores constantioresque debent; ne callidâ assentatione capiantur. Hoc ut Gentilis Orator prudenter admonuit, ita quantum huic malo subesset periculi, pulchrè is noverat qui dixit, *Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: Euge, euge.* A quibus impendentem perniciem deprecabatur aliàs à se; cùm scriberet: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Non enim ignorabat quod scriptum est in Ecclesiaste, *Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi.* Istorum oleo pinguefacta esse hæreticorum capita, *Declarant ipsi,* inquit Augustinus, *cùm dicunt: Ego sum, ego sum; & respondetur illis: Tu Domine, Accipiunt Euge, euge: atque hoc cùm oblectati ac delenit sequuntur; cæci ipsi cæcorum duces fiunt. Apertissimis vocibus Donato dicuntur ista cantica: Euge, euge, Dux bone, Dux præclare. Et non dixit ille, Avertantur statim & erubescant, qui dicunt mihi, Euge, euge: nec eos corrigere voluit, ut Christo dicerent, Dux bone, Dux præclare. At verò Apostolus formidans euge hominum, ut verè laudaretur in Christo, noluit se laudari pro Christo: dicentibusque nonnullis, Ego sum Pauli: respondit in libertate Domini; Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Denique innumeros linguæ persecutio perdidit, dum sub imagine consulendi, nocendi pernicies delitescit. Sic sæpè necessarij operis aggressio; & in susceptis bonis profectus progressusque relinquitur: ideoque vir pius dum sensim ad justitiæ perfectionem & culmen enititur, ascensionesque ejusmodi in corde suo meditatur, non iniquas modò linguas apertè improbantes ac vituperantes, verùm etiam subdolè consulentes extimescit; quemadmodùm significatum est in cantico graduum, in quo ascensurus precatur: *Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à linguâ dolosâ.* Et quo persecutionis hujus significaretur pernicies, adjunctum est: *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* Cujus profectò adversùs laqueos satis esse munita non potest innocentia, nisi Dominus adjutor & protector extiterit. Eam ob rem illi confitetur Sapiens Ecclesiasticus, eumque collaudat: *Quia liberasti,* inquit, *corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ, & à labijs operantium mendacium.* Porrò quod attinet ad detrahentium persecutionem; sive etiam laudantium, utilem admonitionem Sixtus Papa III. cùm & ipse hoc genere persecutionis fuisset appetitus, reliquisse videtur, ad Episcopos Orientales scribens: *Nec mirum,* inquit *si me persequuntur æmuli mei, cùm caput nostrum, quod est Christus olim æmuli Sancta Dei Ecclesia, servorumque ejus, sint persecuti. Unde & ipsa pro se Veritas dicit: Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesti-*

Vide Ciceronem lib. de Amicitia. Psal. 69. 4. Psal. 140. 5. Vide Greg. Homil. 11. in Ezech & Hugonem Victor. lib. 1. Miscell. cap. 172. & Richard. Vict. in Psal. 90. Vide Aug. in Psal. 69. Eccle. 7. 6. 1. Cor. 1. 12. Ibid. v. 13. Ps. 119. 2. Ibid. v. 3. Eccli. 51. 3. Vide Sixtum III. Epist. 2. ad Orientales Episcopos. Matt. 10. 25.

Ioan. 15. 19. „ *domesticos eius? qui iterùm dicit: Si de hoc „ Mundo essetis, Mundus quod suum erat diligeret; „ sed quia de hoc Mundo non estis, sed ego elegi vos „ de Mundo, propterea odit vos Mundus. Hæc cùm „ & nos sciamus, & eadem ut alij norint prædice„ mus, vosque ea perfectè scire non dubitemus; pro„ pter insidiantium vituperationes aut accusationes, „ vel propter adulantium laudationes, nec ad dexte„ ram nec ad sinistram declinare debemus; sed inter „ verba laudantium, sive vituperantium, ad men„ tem semper recurrendum est: & si in ea non inve„ nitur bonum quod de nobis dicitur, magnam id tri„ stitiam generare debet: & rursùs, si in ea non in„ venitur malum quod de nobis hominum sermone „ iactatur, in magnam debemus lætitiam prosilire. „ Quid enim si omnes laudent, & conscientia nos „ accuset? Quid item si omnes quidem nos accu„ sent, at nos conscientia liberos demonstret? Ha„ bemus Paulum dicentem: Gloria nostra hæc est,* 2. Cor. 1. 12. „ *testimonium conscientiæ nostræ. Iob quoque dicit: „ Ecce in cælis testis meus. Si ergo nobis est testis in „ cælo, testis in corde, sinamus stultos foris loqui „ quod volunt. Quid enim aliud detrahentes quàm „ in terram insufflant, atque in oculos suos pulve„ rem excitant; ut quo plus efflant detractionis, eo „ minus quidquam videant veritatis?* Hæc pijssi„ mus ille Pontifex: cui non dissimilia Ho„ ratius ipse, sic carmine dicere potuit: *Mor-* Vide Horat. lib. 1. Epist. 16. „ *dear opprobrijs falsis, mutemq; colores? Falsus „ honor iuvat, & mendax infamia terret Quem, nisi mendosum & mendacem*"?

Vide Aug. Homil. 35. inter 50.

CAPVT CXIX.

Octavi Præcepti materia quanto magis vasta, tanto Moralistarum laxationibus magis obnoxia. Temeraria hominum de hominibus judicia quantoperè Tamburinus elevet? Negat Lessius quemquam temeritate judicij peccare, nisi qui indiciorum insufficientiam cernit, aut de ea dubitat. Idipsum in effectu censet Tamburinus, cujus inconsequentia notatur. Expenditur quod scriptum est, Nolite judicare, ut non judicemini; *& ex gravitate interminationis elicitur enormitas transgressionis. Pleraque mala generis humani non aliunde quàm ex falsis suspicionibus proveniunt. De factis medijs, quæ & bono & malo animo fieri possunt, temerarium est judicare, maximè condemnando. Satius est falli crebrò opinando benè de homine malo, quàm falli vel rarò opinando malè de bono: & cur? Regula Iuris, naturali dictamini consona:* Dubia in meliorem partem interpretari debent. *Ipsi humanitati debitum redditur, cùm homo de homine nihil mali temerè suspicatur. Periculosum est de alieno judicare servo, nec facilis venia dixisse prava de rectis. In suspicionem vocari viros eminentes, maximè calamitosum est. Hieronymus ab amicis sollicitè jubetur* Purgare suspiciones hominum. *Apostolus non solum à malo, sed ab omni quoque ejus specie abstinendum præcipit, ut omnem ansam sinistrè suspicandi de proximis amputet. Eâdem trutinâ pensandæ sunt suspiciones temerariæ sive nostræ sive aliorum de alijs, quâ & aliorum de nobis. Scriptura enormitatem temerarij judicij, etiam prout opinionem ac suspicionem deliberatam comprehendit, satis indicat dicendo:* Qui judicat fratrem, judicat legem. *Quid eâ de re Augustinus & Divus Thomas censuerint?*

CDLI. IN vastissimâ istâ octavi præcepti materiâ, difficile dictu est, quàm licenter se effundant probabilitatum patroni; quasi ipsâ materiæ vastitate illecti ad laxitates. Incipiendo igitur à temerarijs privatorum judicijs de suis proximis, excusat ea Tamburinus à noxâ læthali, quando non transcendunt gradum opinionis: N. *Remanet incertum,* inquiens, *an suspicio deliberata, in re gravi, & sine sufficientibus indicijs, atq; adeò temeraria, sit culpa mortalis? Sub nomine autem suspicionis includimus sive dubium, sive suspicionem propriè*

N. Tamb. l. 9. in Decalog. cap. 1. n. 25.

propriè dictam, sive opinionem. Nævialis dicitur esse mortalem, non esse alij contendunt. Porrò prævides mihi hanc benignitatem placituram. Fateor te rectè prævidisse. Ut ergo quis, juxta hunc authorem, temerè judicando de proximo incurrat culpam mortalem, necesse est ut judicium quod de proximo format sit certum, atque adeò sine formidine de opposito. Unde in probationem prædictæ suæ laxitatis subdit ibidem: *Quia ubi non est perfecta certitudo, non est perfecta temeritas; nec est læsio gravis, quando ille qui sic suspicatur habet actualiter vel saltem virtualiter formidinem oppositi, & quasi facilè est paratus ejusmodi suspicionem deponere.* Refert quoque inferiùs ibidem n. 16. aliorum complurium sententiam, asserentium peccare mortaliter eos qui temerè suspicantur de personis saltem valdè honestis ac probis aliquid enorme. Sed quid ad hanc sententiam ipse? *Verùm,* subdit, *ab hac sententia semper discessi, ac discessit Layman. Si enim est suspicio, semper erit ex genere suo levis.*. Ubi iterum *suspicionis* nomen sumit ut anteà, prout scilicet comprehendit etiam opinionem; quam superiùs n. 2. definierat, *adhæsionem intellectûs uni parti determinatè, cum aliqua formidine oppositi.* Atque ex hisce suis principiis colligendum monet n. 19. ibidem; *Rarò lethaliter peccari per temerarium judicium. Quis enim nisi ex gravi odio, vel ex magna stultitia, certò judicat ex indicijs non certis? Imò etiam hic stultus culpam mortalem sæpissimè vitat: quia regulariter potiùs errat errore intellectûs invincibili, putans illud indicium esse certum atque sufficiens, quàm ex prava voluntate.* Quinimò ex doctrina Lessij ne venialiter quidem peccatur in posteriori isto casu, fortè nec in priori, saltem peccato temeritatis judicij: Q. *Judicium temerarium,* ait ipse, *in animo tuo residens, non est peccatum priusquàm aliquo modo advertas, vel dubites, te ex signis insufficientibus judicare.* Rationem mox subdit: *Quia priusq. àm animadvertas, causas, ex quibus judicas, non esse sufficientes, vel saltem priusquàm de illis dubites, non est illud judicium ullo modo voluntarium, saltem quâ parte temerarium; sed censetur primus motus, libertatem voluntatis præveniens, etiamsi longo tempore durasset.* Quæ Lessij positio planè consona est Articulo isti laxorum Ethicorum §. 353. à nobis relato: *Ut actio quæpiam sit peccaminosa, oportet ut procedat ab homine qui noscit & percipit quid boni malive in ea sit: & antequàm id videat, aut animum reflectat, actio neque bona est, neque mala.* Consona pariter est isti Tamburini positioni, ibidem subsequenter adjunctæ: *Cùm tibi menti non occurrat illud esse peccatum, nec ullum dubium de indaganda veritate; tum laboras inculpabili conscientiâ, per oblivionem, seu inadvertentiam, à quibus excusari operantem, perinde ac ab ignorantia, monui suprà cap. 2. §. 10. num. 1.* Quomodò igitur vel venialiter peccat temeritate judicij, qui juxta eundem hunc ipsum authorem *errat errore intellectûs invincibili, putans indicium esse certum atque sufficiens,* quo movetur ad certò judicandum de vitio proximi? Imò verò quomodò fieri potest, ut quisquàm sive *gravi odio*, sive aliâ quâcunque affectione præoccupatus, atque inde ad *certò judicandum* instinctus, peccet vel venialiter temeritate judicij; quandoquidem eo ipso quòd *certò judicet*, persuasum habeat motiva judicandi certa esse ac sufficientia; atque adeò fieri nequeat, ut, stante eâ persuasione, advertat ad eorundem insufficientiam, aut de ea dubitet? Si enim ad motivorum insufficientiam advertat, aut de ea dubitet, proculdubiò advertentia ista sive dubitantia aliquam de opposito formidinem ingerit, quâ fit ut judicium motivis istis nixum nequeat esse certum, sed duntaxat opinativum. Certum enim judicium elidit omnem dubitantiam, adeoque omnem de opposito formidantiam; sive interim certitudo fuerit vera, sive merè apprehensa. Non satis ergo consequenter ad suas Maximas loquitur Tamburinus, dum uno loco asserit tanquam certum, P. *Judicium temerarium ex se esse peccatum mortale, quia sic gravis contra justitiam injuria fit proximo?* & alibi tamen contendit illud nunquam esse mortale, nisi cùm quis *certò judicat ex indicijs non certis:* ac denique alibi negat quemquam peccare, *cùm menti ejus non occurrit illud esse peccatum, nec ullum dubium de indaganda veritate.*

CDLII. Prohibet Christus judicia temeraria cùm ait, *Nolite judicare.* Nec ait, Nolite certitudinaliter judicare; sed simpliciter, *Nolite judicare.* Atque ut noverimus quàm exitiale sit ei præcepto contravenire, subdit continuò interminationem, *ut non judicemini*, hoc est, ut damnationem contravenientibus impendentem non incurratis. Voluit ergò Christus sub tam gravi interminatione absterrere suos asseclas à temerariè judicando, probè gnarus quot ac quanta mala genimina de viperea ista matre promanent; de qua Augustinus: Q. Ple-
„ raque, inquit, mala generis humani aliun-
„ de non oriuntur, nisi de suspicionibus
„ falsis. Credis de homine quòd oderit te, qui
„ fortè amat te: & per pravam suspicionem
„ fis inimicissimus amicissimo. Quid faciat,
„ cui non credis, & cor suum tibi demonstra-
„ re non valet? Loquitur tibi dicens, *Amo*
„ *te*: sed quia posset tibi & hoc dicere
„ mentiens, ea sunt enim verba mentientis
„ quæ vera dicentis, non credendo adhuc
„ odisti. Ideò securum te facere voluit ab eo
„ peccato, qui tibi dixit, *Diligite inimicos vestros*". Ubi signanter advertendum est, Augustinum disertè loqui de ipsis *suspicionibus*, non de opinio-

Vide Laym. l. 3. Sect. 5. Tract. 3. p. 3. c. 8. n. 6.

Q. Lessius l. 2. de Just. c. 29. Dub. 1. n. 9.

Vide suprà §. 353.

P. Tamburin. l. 9. cap. 1. n. 4.

Matth. 7.

Q. August. Serm. 116. de Diversis cap. 2.

opinionibus, nedùm de judicijs certis: non
quòd hæc non sint mala, imò graviora mala:
sed quòd etiam illæ malæ sint, & ad procreanda
mala genimina sufficiant. Unde & idem
Augustinus Serm. 202. de Tempore, omne
prorsùs judicium temerarium, tanquam rem
periculo plenam, amputat, dicens: " De istis
„ quæ sunt Deo nota, & nobis incognita, pe-
„ riculosè nostros proximos judicamus. De
Vide Hieronym. Epist. 61. cap 1.
„ ipsis enim Dominus dixit: *Nolite judicare, ut*
„ *non judicemini*. De illis verò quæ aperta sunt
„ & publica mala, judicare & redarguere,
„ cum charitate tamen & amore, possumus
„ & debemus; odio habentes non hominem,
„ sed peccatorem; non vitiosum, sed vitium;
„ detestantes morbum potiùs, quàm ægro-
„ tum. Nam publicus adulter, raptor, assiduè
„ ebriosus, proditor, superbus, si judicati vel
„ castigati non fuerint, implebitur in eis illud
„ quod Beatissimus Martyr Cyprianus de tali-
Vide Cypr. lib de Lapsis n. 56. & Prosper. Epigrã. 56.
„ bus dixit: *Qui peccantem verbis adulantibus*
palpat, peccati fomitem subministrat". Et rursùs
ibidem post pauca: " In his rebus periculosè
„ alios judicamus, quæ dubium est utrùm bo-
„ no an malo animo fiant: id est, jejunare,
„ vigilare, eleëmosynas facere, à vino & car-
„ nibus vel abstinere vel non abstinere, &
„ reliqua his similia; quæ & pro Deo, & pro
„ humana gloria fieri possunt: & quia igno-
„ ramus quo animo fiant, judicare penitùs
„ non debemus. Propter hæc dicit Domi-
Vide Isidor. Pelus. lib. 4. Epist. 94.
„ nus, *Nolite judicare, ut non judicemini*: pro-
„ pter apertam verò iniquitatem dictum est,
2. Tim. 4. 2.
„ *Argue, obsecra, increpa cum omni patientia &*
„ *doctrina*. & illud quod suprà memoravimus,
Ioan. 7. 24.
Iustum judicium judicate". Alibi denique locum
ipsum Euangelicum, *Nolite judicare, ne judicetur*
R. Aug l. 2. de Sermone Domini in monte c. 18.
de vobis, ex professo edisserens: R. Hoc loco,
„ inquit, nihil aliud nobis præcipi existimo,
Vide Bedam in cap. 14. ad Rom. & Basil. in Moralibus Regula 34. item Regula 164. inter breviores.
„ nisi ut ea facta, quæ dubium est quo animo
„ fiant, in meliorem partem interpretemur.
„ Quod enim scriptum est, *Ex fructibus eorum*
„ *cognoscetis eos*, de manifestis dictum est, quæ
„ non possunt bono animo fieri: sicut sunt
„ stupra, vel blasphemiæ, vel furta, vel
„ ebriositas, & siqua sunt talia, de quibus
Mat. 7. 16.
„ nobis judicare permittitur, dicente Apo-
1. Cor. 5. 12.
„ stolo: *Quid enim mihi de ijs qui foris sunt judi-*
„ *care? Nonne de ijs qui intùs sunt vos judicatis?*
„ De genere autem ciborum, quia possunt
„ bono animo & simplici corde sine vitio
„ concupiscentiæ quicunque humani cibi in-
„ differenter sumi, prohibet idem Aposto-
„ lus judicari eos, qui carnibus vesceban-
„ tur, & vinum bibebant, ab ijs qui se ab
Rom. 14. 3.
„ hujusmodi alimentis temperabant: *Qui man-*
„ *ducat*, inquit, *non manducantem non spernat*;
„ *& qui non manducat, manducantem non judi-*
Ibid. v. 4.
„ *cet*. Ibi quoque ait: *Tu quis es, qui judicas*
„ *alienum servum? Domino suo stat, aut cadit*.

„ De talibus enim rebus, quæ possunt bono
„ animo & simplici & magnanimo fieri,
„ quamvis etiam possint non bono, volebant
„ illi, cùm homines essent, in occulta cordis
„ ferre sententiam, de quibus solus Deus ju-
„ dicat. Ad hoc pertinet etiam illud quod alio
„ loco dicit, *Nolite ante tempus judicare, quous-* Vide Aug. Propos. 79. in Epist. ad Roman. & Prosp. Sent. 23. & Epigram. 21. & Zephyr. Papam Epist. 1. 1. Cor. 4. 5.
„ *que veniat Dominus, qui & illuminabit abscon-*
„ *dita tenebrarum, & manifestabit cogitationes*
„ *cordis: & tunc laus erit unicuique à Deo*. Sunt
„ ergo quædam facta media, quæ ignora-
„ mus quo animo fiant, quia & bono & ma-
„ lo fieri possunt; de quibus temerarium est
judicare, maximè ut condemnemus". Qui
temerè de proximo judicat sive in bonum,
sive in malum, ipsâ temeritate peccat; sed lon-
gè enormiùs qui in malum, quàm qui in bo-
num: quia ultra temeritatis pravitatem utri-
que communem, superaddit injuriam, quam
proximo irrogat: S. Melius est, inquit, D. Tho- S. D. Thom. 2. 2. q. 60. a. 4. ad 1.
„ mas, quòd aliquis frequenter fallatur habens
„ bonam opinionem de aliquo malo homine,
„ quàm quòd rariùs fallatur habens malam
„ opinionem de aliquo homine bono: quia ex
„ hoc fit injuria alicui, non autem ex primo".
Et ibidem superiùs in Corpore Articuli: " Ex
„ hoc ipso, inquit, quòd aliquis habet malam
„ opinionem de alio absque sufficienti causa,
„ injuriatur ei, & contemnit ipsum. Nullus
„ autem debet alium contemnere, vel nocu-
„ mentum quodcunque inferre, absque causa
„ cogente. Et ideò ubi non apparent manifesta
„ indicia de malitia alicujus, debemus eum ut
„ bonum habere, in meliorem partem inter-
pretando quod dubium est". Et superiùs ad-
huc Articulo proximè præcedenti in respon-
sione ad 2." Ex hoc ipso, inquit, quòd aliquis
„ malam opinionem habet de alio sine suffi-
„ cienti causa, indebitè contemnit ipsum, &
ideò injuriatur ei". Consonat huic doctrinæ
vulgata illa Juris regula: T. *Dubia in meliorem*
partem interpretari debent. Quod quidem adeò T. Cap. De his 11. de Reg. Iuris.
verum est, ut oppositum Augustinus humani-
tati ipsi repugnare censeat: V. Si est, inquiens, V. Aug lib. de unico Baptismo contra Petilian. c. 16.
„ ulla humanitas in rebus humanis, puto nos
„ justiùs posse reprehendi, si ignotos homines,
„ quos criminantur inimici nec eorum crimen
„ ullâ testificatione demonstrant, nocentes po-
„ tiùs quàm innocentes crediderimus: quia si
„ forte aliter Veritas habet, IPSI CERTE HU-
„ MANITATI DEBITUM REDDITUR, CUM
„ HOMO DE HOMINE NIHIL MALI TEMERE
„ SUSPICATUR, nec cuiquam criminanti fa-
„ cilè credit; quando sine teste ac sine ullo
„ documento crimen objiciens, maledicus
„ potiùs conviciator, quàm veridicus accu-
sator extiterit". Hinc quoque est illud ejus- Vide Aug. l. 2. de Orig. animæ c.
dem Serm. 202. de Tempore: " In his,
„ quæ utrùm bono an malo animo fiant,
„ scire non possumus, meliùs est ut ad par-
tem

„tem dexteram declinemus animum nostrum: „quia tolerabilius est nos in hoc præfiniri, „ut eos qui mali sunt bonos esse credamus, „quàm ex consuetudine judicandi etiam de bonis quod malum est suspicemur". Et illud item Hieronymi ad Asellam: W. Tu benè facis, quòd ex tua mente etiam malos bonos putes: periculosum quippe est *de servo alterius judicare*; & non facilis venia, prava dixisse de rectis". Porrò quàm grave sit ac molestum viris eminentibus, impeti sinistris hominum suspicionibus, indicat qui ait: X. In „suspicionem vocari illos, qui virtutis attingere culmen, maximè calamitosum est". Longè aliter sentit ac prædicat Tamburinus, qui cùm sententiam memorasset complurium, asserentium, Y. *Dignissima persona per ipsam suspicionem quamvis levem, fieri gravem injuriam:* respondit protinùs, ut §. proximo retulimus: *Verùm ab hac sententia semper discessi; ut discessit Layman. Si enim est suspicio, semper erit ex genere suo levis.* Ubi tamen, ut ibidem suprà notavimus, *suspicionis* nomine etiam opinionem includit. Sed proculdubiò siqua *persona dignissima* interrogetur an pro levi malo habeat subjacere sinistræ suspicioni hominum: negativè respondebit, & nimiam Tamburini indulgentiam culpabit. Quinimò vix induci possum ut credam, Tamburinum ipsum alterius fore opinionis in praxi, si deprehendat se temerarijs sive opinionibus, sive etiam suspicionibus impeti. Nec existimo defuturos è suis amicis, qui in eum eventum replicaturi ei forent illud Pammachij & Oceani ad Hieronymum: Z. *Purga suspiciones hominum.* Cur ergo non de alijs ex semetipso judicat, nisi fortè quia, ut quidam ait: A. Amor sui rectum labefactat corrumpitque judicium, nec iisdem oculis nostra alienaque considerare permittit"? Sed rectè Augustinus monet, B. Iniquum esse ut quis „judicare de alio velit, & judicari de se nolit". Etenim, ut idem Serm. 202. de tempore ait:" Quicquid nobis volumus ab alijs „fieri, justum est ut hoc in alijs studeamus implere". Cùm ergo hoc sit *injustum*, proculdubio illud prius reputari debet *iniquum*.

W. Hieron. Epist. 99. Vide Epist. 61. cap. 1. Rom. 14. 4.
X. Isidorus Pelus. lib. 5. Epist. 139.
Y. Apud Tambur. l. 9. c. 1. n. 16.
Z. Epist. 64. inter Hieronymianas.
A. Isidorus Pelus. lib. 5. Epist. 294.
B. August. Epist. 174.

CDLIII. Inaniter autem tentat Tamburinus D. Thomam & Augustinum in suæ laxitatis patrocinium detorquere. Uterque enim de subitaneis ac non plenè deliberatis suspicionibus intelligendus venit, quando eos à mortali labe excusat: prout rectè notant & probant inter alios Bannez & Sylvius in 2. 2. q. 60. art. 3. colliguntque id ex ipso textu D. Thomæ, citantis Glossam ex Augustini verbis desumptam, qui sic sonat: C. Est triplex „gradus suspicionis: primus quidem gradus „est, ut homo ex levibus indicijs de bonitate „alicujus dubitare incipiat. Et hoc est veniale „& leve peccatum: pertinet enim ad *tentationem humanam, sine quâ vita ista non ducitur*, ut habetur in Glossâ super illud 1. ad „Corinth. 4. *Nolite antè tempus judicare*: Secundus gradus est, cùm aliquis pro certo malitiam alterius æstimat ex levibus indicijs. „Et hoc, si sit de aliquo gravi, est peccatum mortale, inquantum non est sine contemptu proximi: unde Glossa ibidem subdit, „*Etsi ergo suspiciones vitare non possumus quia homines sumus, judicia tamen, id est, diffinitivas firmasque sententias, continere debemus.* Tertius „gradus est, cùm aliquis Judex ex suspicionibus procedit ad aliquem condemnandum: „Et hoc directè ad injustitiam pertinet: unde est peccatum mortale". In cujus loci enodatione Sylvius, conformiter ad Bannezium, Salonium, Medinam, Sayrum, Rodriquez & alios, observat, D. D. Thomam in primo suspicionis „gradu non complecti dubitationem aut opinionem plenè deliberatam, sed solùm illam „quæ est levis ac repentina, & velut primus motus. Primò, quia primum hunc gradum „dicit esse, *quando ex levibus indicijs de bonitate alicujus dubitare quis incipit.* Ubi consultò non „dixit, quando dubitat; sed *quando incipit dubitare*; ut significaret non pertinere ad hunc „gradum, neque esse venialem illam suspicionem aut dubitationem, quæ est omninò deliberata & perfecta; sed eam solùm quæ est „imperfecta, repentina, & indeliberata: in „hac enim, & non in altera verum est, quòd „homo *dubitare incipit.* Quis namque diceret „illum *incipere dubitare*, qui postquàm plenè „advertit temerariam in seipso exortam suspicionem de alio, adhuc vult eam habere, & „de fratris bonitate non quidem certò judicare, sed tamen spontè dubitare, vel etiam „malè opinari? Secundò, suspicionem primi „gradus B. Thomas, Augustinum secutus, dicit „*pertinere ad tentationem humanam, sine qua vita ista non ducitur.* Certum est autem solas leves „ac repentinas suspiciones, quæ sunt quasi „primi motus, pertinere ad talem tentationem humanam: cùm illæ, quæ sunt prorsùs „deliberatæ & voluntariæ, non tam sint ex „humana tentatione vel fragilitate, quàm ex „malitia, pertineantque ad tentationem diabolicam. Ergo in primo gradu tantùm loquitur de suspicione, dubitatione, opinione „repentinis & indeliberatis. Tertiò B. Thomas hic ad 2. & Articulo sequenti in corpore, „affirmat, *Ex hoc ipso quòd aliquis habet malam* „OPINIONEM *de alio absque sufficienti causa, quòd injuriatur ei, & contemnit ipsum.* Sed hoc „Articulo tradit esse peccatum mortale *contemnere proximum*. Ergo sub primo gradu „in quo dicit *esse peccatum veniale*, non complectitur eam malam opinionem, quæ sit deliberata, & absque sufficienti causa". Cùm

Vide Tambur. l. 9. c. 1. n. 11. & 18.
C. D. Thom. 2. 2. q. 60. 3. in Corp.
Glossa et Augustinus Tract. 90 in Joan. sumpta.
D. Sylvius in 2. 2. q. 60. a. 1 Quæsito 1. conclus. 4.

igitur ex hoc discursu planum sit, suspiciones, dubitationes, & opiniones plenè deliberatas, non comprehendi primo gradu ex mente Divi Thomæ, nec ullo modo verisimile sit eas ab eodem Divo Thoma prorsùs fuisse in trimembri suâ divisione omissas; superest, ut vel secundo vel tertio gradu comprehensæ intelligantur: secundo quidem quando hærent intùs in animo, tertiò autem quando erumpunt in actum exteriorem ita ut *Iudex ex eis procedat ad aliquem condemnandum.* Notandum etenim est, omnes tres gradus à Divo Thoma dici *gradus suspicionis*: ut proinde necesse sit suspicionem reperiri non modò in primo gradu, sed & in duobus reliquis: alioquin enim duo postrema divisionis membra excluderent suum divisum. Accedit quòd si Judex quispiam ex deliberata duntaxat suspicione vel opinione temerè procedat ad aliquem condemnandum, proculdubiò peccet tertio gradu temerariæ suspicionis. Ergo secundo gradu peccabit, qui ejusmodi suspicionem vel opinionem animo occlusam tenebit. Quapropter rectè observat Bannez in Commentario ejus Articuli, omnes species judicij temerarij comprehendi à Divo Thoma sub primo illo suspicionis gradu, quoties sine plena deliberatione irrepere incipiunt; easdem quoque omnes comprehendi similiter sub secundo gradu, quoties cum plena jam deliberatione intùs in animo continuantur; transituræ consequenter ad tertium gradum, siquando Judex eis permotus procedat ad aliquem sententialiter condemnandum. Cæterùm quò pleniùs ac planiùs Augustini mens, & cum Angelico Doctore consonantia perspiciatur, exhibebo hîc integrum ejus textum, unde sumptæ fuere Glossæ per eundem Angelicum Doctorem suprà adductæ, sed aliquantulùm ab ipso originali tenore diversæ: [E] Pertinet ad nos, ait ipse, „ne perniciosâ opinione fallamur: ut quia non possumus hominum indagare conscientiam, de ipsis rebus habeamus veram certamque sententiam, hoc est, ut si ille vel ille homo utrùm sit impudicus pudicusve nesciamus, oderimus tamen impudicitiam, & pudicitiam diligamus: & si illum vel illum injustum esse justumve nesciamus, amemus tamen justitiam, & injustitiam detestemur; non quas nobis ipsi errando confingimus, sed quas fideliter hanc appetendam, illamque vitandam, in Dei veritate conspicimus: ut cùm de ipsis rebus quod appetendum est appetimus, quod devitandum devitamus, ignoscatur nobis quòd de occultis hominum aliquando, imò assiduè, non vera sentimus. Hoc enim ad humanam tentationem pertinere arbitror, sine qua ista duci non potest vita; ita ut Apostolus diceret, *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana.* Quid enim tam humanum, quàm non posse inspicere cor humanum, & ideò non ejus latebras perscrutari, sed plerunque aliud, quàm id quod ibi agitur, suspicari? Quanquam & in his rerum tenebris humanarum, hoc est, cogitationum alienarum, etsi suspiciones INTELLIGERE non possumus, quia homines sumus; judicia tamen, id est, DEFINITAS firmasque sententias, continere debemus: *Nec ante tempus quemquam judicare, donec veniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordis; & tunc laus erit unicuique à Deo.* Quando ergo non erratur in rebus, ut recta sit improbatio vitiorum, virtutumque probatio; profectò si erratur in hominibus, venialis est humana tentatio". Ubi inprimis notandum statui ab Augustino discrimen inter judicia de rebus, & de personis; eumque velle illa esse constantia, sibique perpetuò similia: ut nimirùm semper approbemus virtutem, improbemusque vitium. Cùm verò de personis judicium ferimus, *humanam* dicit esse *tentationem* si nobis irrepat suspicari vel benè de malo, vel malè de bono; eò quòd nec interiora humani cordis penetrare valeamus, nec exteriora indicia plerunque sufficiant, nec denique ipsum humanum cor diu in eodem statu permaneat. Unde & alibi idem ait: [F] Duo sunt in quibus temerarium judicium cavere debemus: cùm incertum est quo animo factum fuerit quidque, vel cùm incertum sit qualis futurus sit qui nunc vel bonus vel malus apparet". Et rursùs ibidèm post pauca: "Non ergo, inquit, reprehendamus ea quæ nescimus quo animo fiant, neque ita reprehendamus quæ manifesta sunt, ut desperemus sanitatem: & vitabimus judicium de quo dicitur, *Nolite judicare, ne judicetur de vobis*". Notandum præterea, pro eo quod D. Thomas ex Glossatore legit & citavit, *Etsi suspiciones VITARE non possumus*; apud Augustinum haberi, *Etsi suspiciones INTELLIGERE non possumus.* Quæ postrema lectio multò patentiùs indicat Augustinum loqui de suspicionibus absque plena deliberatione irrepentibus. Quid enim aliud est *suspiciones non intelligere*, quàm ad eas animo non perfectè saltem reflectere? Sic enim idem ipse Augustinus in Expositione Psalmi 18. interpretatur quod ibi scriptum est, *Delicta quis intelligit?* Unde & mox sequitur, *Ab occultis meis munda me*: hoc est, [G] Rogo te, quoniam *delicta quis intelligit?* ne mihi ut homini quædam surrepant, & quibusdam ut homo præoccuper, *ab occultis meis munda me*". Ex quo insuper colligere licet quid idem ipse Augustinus per *humanam tentationem* intellexerit, quando ad eam spectare dixit *suspiciones* illas, quibus *assiduè de occultis hominum*

Vide Bannez in 2. 2. q. 60. art. 3. ad 2.

E. August. Tract. 90. in Joannem.

1. Cor. 10. 13.

1. Cor. 4. 5.

F August. l. 2. de Serm. Domini in monte c. 18.

Matth. 7. 1.

Psal. 18. 13.

G Aug. in Psalm. 18.

hominum non vera sentimus. Intellexit nimirùm eam, quâ quis ut homo ita præoccupatur, ut non plenè advertenti quædam noxia irrepant. Quòd si autem iisdem postea cum plenâ advertentiâ inhæreat, tentatio desinet esse humana, fietque diabolica: humanum quippe est peccare, sed diabolicum in peccato sese indurare & obfirmare. Ab hujusmodi porrò diabolicâ obfirmatione dehortatur ipse suspiciosos illis verbis, *Definitas firmasq; sententias continere debemus.* Ubi perperàm Glossator à Divo Thomâ relatus supposuit *diffinitivas*, pro *definitas*. Nec aliud Augustinus iis verbis intellexit, quàm sententias quibus quis deliberato animo adhæret, sive sint dubiæ, sive certæ, aut quasi certæ. Quapropter si quis incipiat temerè suspicari aut opinari de proximo sine plenâ deliberatione, ejusmodi suspicio vel opinio spectata sub illa indeliberatione pertinebit ad *tentationem humanam*: si verò eadem ipsa continuetur post accessum plenæ deliberationis, transibit in tentationem diabolicam, diceturque *definita firmaq; sententia*: non quòd in seipsâ firmitatem habeat, aut formidine de opposito careat; sed quòd suspicator aut opinator advertenter ei jam inhæreat, eamque deponere temerè detrectet. Nec obstant finalia ista Augustini verba, *Si erratur in hominibus, venialis est humana tentatio.* Neque enim ait, Si erratur in hominibus, venialis est tentatio; sed vigilanter inseruit *humana.* Vult ergo errorem esse *venialem*, quamdiu manet intra limites *tentationis humanæ*: sed non dubitat eundem fieri mortalem, dum inde egressus transit in limites tentationis diabolicæ. Unde & idem ipse Augustinus alibi cùm quædam documenta temerariis hujusmodi suspicionibus adversa percensuisset, adjecit: [H] Hæc si diligenter considerare, & cum grandi sollicitudine Deo donante observare volumus, NON DE PARVO PECCATO cum Dei adjutorio liberamur".

H. August. Serm. 202. de tempore.

CDLIV. Gravitatem hujus criminis satis patenter denotat Jacobus Apostolus dum illud non solùm æquiparat detractioni, sed ejus prætereà authorem facit divinæ legis condemnatorem: *Qui detrahit fratri*, inquiens, *aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem.* Ubi *iudicandi* verbum pro condemnatorio judicio sumitur, prout in eum locum notat præter alios Oecumenius: [I] Novit, inquiens, fastum ac superbiam oriri ex contemptu & detractione adversùs mansuetos, quæ impellit eos, qui ipsâ utuntur, ad plenum horum contemptum. Ab hoc igitur ipsos abducens, per ea quæ hìc subjiciuntur vult eos reddere modestos, dicens: *Detrahit legi, & iudicat legem*, hoc est, condemnat, despicit: nam qui condemnat, ex despectu id facit. Quam autem legem? Primùm quidem eam quæ præcipit, *Ne iudicetis, ut non iudicemini*: prætereà eam quæ in Psalmis est, *Detrahentem clàm proximo suo hunc persequebar.* Et quòd hoc ex contemptu fiat, subjungit: *Quòd si legem iudicas, sive condemnas, non es observator legis.* Quem enim quis contemnit, quomodò feret ut deinceps sub ejus vivat imperio"? Et sanè quod hic ait temeraria judicia oriri ex contemptu cum fastu ac superbiâ, consonum est Augustino alicubi dicenti: [K] Vult Dominus ut simplici corde, & in unum Deum intenti faciamus quæcunque facimus: & multa incertum est quo animo fiant, de quibus judicare temerarium est. Maximè autem hi temerè judicant de incertis, & facilè reprehendunt, qui magis amant vituperare & damnare, quàm emendare atque corrigere. Quod vitium vel superbiæ est, vel invidentiæ". Hinc porrò fit, ut cùm maxima pars humani generis hæreditario morbo à protoplastis tracto subjaceat vitio superbiæ, ac consequenter invidiæ, verissimum sit quod idem Augustinus Serm. 202. de tempore, verbis indidem proximè relatis subtexit, dicens: " Maxima pars generis humani indiscreto judicio ad reprehendendum prompta & parata esse probatur: cùm tamen non ita se velit ab aliis judicari, quomodò vult alios judicare". Neque verò hujusmodi abusus pro levi habendus est propterea, quòd maxima pars humani generis ei assuescat: sed potiùs recolenda est illa Augustini alibi sententia, non minùs vera, quàm terrifica: [L] Peccata quamvis magna & horrenda, cùm in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur: usque adeò ut non solùm non occultanda, verùm etiam jam prædicanda ac diffamanda videantur; quando, sicut scriptum est, *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit benedicitur.* Talis in divinis libris iniquitas *clamor* vocatur, sicut habes apud Isaiam Prophetam de vineâ malâ: *Expectavi*, inquit, *ut faceret iudicium, fecit autem iniquitatem; & non iustitiam, sed clamorem.* Unde est & illud in Genesi, *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est*: quia non solùm jam apud eos non puniebantur illa flagitia, verùm etiam publicè velut lege frequentabantur. Sic nostris temporibus ita multa mala, etsi non talia, in apertam consuetudinem jam venerunt, ut pro his non solùm excommunicare aliquem laicum non audeamus, sed nec clericum degradare. Unde cùm exponerem ante aliquot annos Epistolam ad Galatas, in eo ipso loco ubi ait Apostolus, *Timeo vos, ne forte sine causâ laboraverim in vobis*, exclamare compulsus sum: *Væ peccatis hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus; usitata verò, pro quibus abluendis Filii Dei sanguis effusus est, quamvis tam*

Iac. 4. 11.
I. Oecumenius in cap. 4. Iacobi.
Matth. 7. 1.
Psal. 100. 5.
K. August. l. 2. de Serm. Domini in monte cap. 18.
L. August. Enchir. cap. 80.
Ps. 9. 24.
Isa. 5. 7.
Gen. 18. 20.
Gal. 4. 11.

„ *magna sint ut omninò claudi contra sese faciant* „ *regnum Dei, sapè videndo omnia tolerare, sapè* „ *tolerando nonnulla etiam facere cogimur. Atque* „ *utinam, O Domine, non omnia quæ non potuerimus prohibere, faciamus*"! Huic eidem proposito satis appositè scribit Hilarius, cùm ait: M. Gra- „ vis & periculosus est error in plurimis; & „ multorum lapsus, etiamsi se intelligat, ta- „ men exurgendi pudore authoritatem sibi „ præsumit; ex numero habens hoc impuden- „ tiæ, ut quòd errat, prudentiam velit existi- „ mari; & quòd cum multis errat, intelli- „ gentiam esse asserat veritatis, dum minus erroris esse existimatur in multis". Sed quid eo in casu agendum homini, suæ salutis studioso? Si incidat in laxiores hujus ævi Casuistas, jubebunt eum securè incedere per orbitas probabilitatum. Verùm Augustinus aliò eum ablegat, cùm ait: N. Quicquid sceleris „ & iniquitatis inebriat multitudinem, amit- „ tit examinis veritatem. Sed ideò sunt, tan- „ quam sincerissimum speculum, proposita „ hominibus oracula cælestium paginarum; „ ut ibi quisque videat quodlibet peccatum „ quantum sit: quod fortè magnum est, etsi „ malè viventium cæco more contemnitur". Certè enim quantumlibet contemnantur temerariæ de proximis suspiciones malè viventium cæco more, vel etiam laxè docentium blandâ prædicatione; earum tamen gravitatem luculentè repræsentat adducta mox Iacobi pagina, quâ, *Iudicans fratrem* arguitur *iudicare legem*. Quemadmodùm enim grave scelus est, non tantùm certò existimare legem esse malam, sed etiam id deliberatè suspicari, vel opinari: ita grave scelus consequenter erit non tantùm certò condemnare fratrem tanquam improbum, sed etiam deliberatè suspicari vel opinari eum esse improbum, ubi indicia fuerint insufficientia. Pari enim passu procedit condemnatio fratris, cum condemnatione legis: ut proinde si deliberata legis condemnatio in quovis gradu sit gravis, consequens sit etiam deliberatam fratris condemnationem in quovis similiter gradu fore gravem. Si enim *qui iudicat fratrem iudicat legem*, profectò qui suspicanter aut opinanter judicat fratrem, eo ipso etiam suspicanter aut opinanter judicat legem. Habet quippe homo quilibet verum jus ut de ipso habeatur bona existimatio ab alijs, quamdiu non sufficienter apparet ejus malitia. Et hoc jus servare illæsum præcipit unicuique lex naturæ, quam Christus expressit ore proprio cùm dixit, *Nolite iudicare*. Ubi & mox subdidit gravem comminationem adversùs contravenientes, dicens: *Ut non iudicemini*, sive, ut Augustinus suprà expressit, *Ne iudicetur de vobis*: judicio utique condemnatorio, de quo apud Lucam habes; *Nolite condemnare, & non condemnabimini*.

M. Hilarius l. 6 de Trinit. sub initium.

N. Aug. l. 3. contra Parmenian. c. 2.

Iac. 4. 11.

Mat. 7, 1.

Luc. 6. 37.

Hanc itaque legem judicat, sive condemnat, adeòque reatum pœnæ per eam præscriptæ incurrit, quisquis præfatum cujusque hominis jus temerè violat. Violat autem illud temerè, quisquis absque sufficientibus indicijs probitatem proximi aut certò ei abjudicat, aut in dubium revocat. Et sanè nemo prudens non ægrè ferret, & gravem sibi injuriam fieri existimaret, si intelligeret probitatem suam à quoquam temerè cum plenâ deliberatione in dubium aut suspicionem revocari: nemo item prudens non mallet magnam pecuniæ summam amittere, quàm sinistris hominum suspicionibus subjacere. Quapropter Apostolus Paulus volens omnem ansam hujus tanti mali amputare, præcipit fidelibus ut *Ab omni specie mali se abstineant*. Quorsùm hoc, nisi ut sollicitè caveant ne proximi prosiliant in sinistras de eis suspiciones, aut opiniones? Quamvis enim eodem præcepto Apostolus cautum esse voluerit adversùs scandala, nihilo tamen minùs voluit amputare sinistrarum suspicionum ansas; præsertim cùm nemo scandalizetur ex specie mali per alterum præbitâ, nisi præviè suspicione mali de altero imbibitâ. Quæ quidem suspicio eo ipso mala est, quo temerè concepta; etiamsi nullum aliud scandalum subsequi contingat: nam ut Augustinus ait, O. *Et qui temerè iudicat, ipsa temeritas necesse est ut noceat*. Si necesse est temeritatem judicanti nocere, etiam solitariam; quanto magis, si habeat adjunctam proximi injuriam? Pulchrè admodùm & appositè Prosper: P. De „ occultis alieni cordis temerè judicare, pecca- „ tum est; & eum, cujus non videntur opera „ nisi bona, iniquum est ex suspicione repre- „ hendere; cùm eorum quæ homini sunt inco- „ gnita, solus Deus Iudex sit justus, qui & inspector est verus". Quam sententiam poëticè alibi exprimens, sic canit idem ipse: Q. *Culpare in quoquam quæ non sunt nota, malignum est: Præsertim, quæ non sunt cognita, si bona sunt. Non pateant faciles savis rumoribus aures: Quæ nescire iuvat, credere non libeat. Linquantur secreta Deo: qui, si quid opertum est, Inspicit, & nullis indiget indicijs.* Porrò ut huic privatorum judiciorum materiæ tandem colophonem addam, subijciam quæ de triplici judicio cuique faciendo suggerit in suis Miscellaneis Hugo Victorinus, super verbis Michææ, quibus jubemur *facere iudicium*: R. Ausculta, ait ille, quale sit *iudicium* „ quod facere juberis: Primùm est tibi judi- „ cium faciendum de teipso, deinde inter te „ & proximum tuum, postremò de proximo „ tuo. In eo judicio quo judicas temetipsum, „ debes esse districtus: in eo judicio quo ju- „ dicas inter te & proximum tuum, debes „ esse justus: in eo judicio quo judicas proxi- „ mum tuum, debes esse pius. Teipsum de- „ bes judicare hoc modo; considera diligenter quid

1. Thess. 5. 22.

O. Aug. l. 2. de Sermone Domini in monte cap. 18.

P. Prosper. Sentent. 1. ex Zephyrino Papa Epist. 1.

Q. Idem Epigram. 22.

Mich. 6. 8. R. Hugo Victor. lib. 2. Miscell. c. 99.

„ quid facis, & quid non facis; quid facere „ debes, & quid facere non debes: postea „ hæc ad invicem conferendo perpende, an „ idem sit quod facis, & quod debes: & an „ idem sit quod non facis, & quod non de„ bes. Quod si ita inveneris, gaude: si autem „ idem esse perspexeris quod facis, & quod „ non debes, time. Inter te & proximum „ tuum hoc modo judicare debes: Vide quid „ facias proximo tuo, & quid tibi faciat „ proximus tuus: si ille tibi bonum facit, & „ tu illi bonum reddis, malus non es: si ille „ tibi malum facit, & tu illi malum reddis, „ bonus non es: si ille tibi bonum facit, & „ tu illi malum reddis, malus es: si ille tibi „ malum facit, & tu illi bonum reddis, bo„ nus es. De proximo tuo debes hoc modo „ judicare: Vide quicquid facit an certum „ bonum, an dubium bonum, an certum ma„ lum, an dubium malum: si certum bonum „ est, parvum æstima magnum, & magnum „ majus: si dubium bonum est, verum „ puta: si certum malum est, magnum ju„ dica parvum, & parvum minus: si du„ bium denique malum est, bonum puta: „ Hoc est judicium verum, judicium bonum, judicium Deo placitum ".

CAPUT CXX.

Temeraria judicia octavo Decalogi præcepto quatenus vetita? Scripturæ phrasi tam interna meditatio, quàm externa sermocinatio, dicitur locutio. *Vbi locutio, ibi & os. Anima humana civitas Regis magni, triplici civium gradu interstincta, consulum, militum, opificum. In tribunali interno; perinde ac externo, reperiuntur iudices, accusatores, rei, causidici, testes, carnifices. Homines circa externa curiosi, & circa sua interiora incurij assimilantur gyrovagis histrionibus, quos nusquam rariùs quàm domi suæ reperias. Horum cuiq; ingerenda est illa Christi jussio,* Vade in domum tuam. *Triplici de causâ redduntur homines ad sinistrè de proximis suspicandum proniores. Propria sua vitia alijs attribui audit quisq; lubenter, & credit procliviter. Senes cur plerunque junioribus suspiciosiores? Sicut ira, odiumque fraternum, præludia sunt homicidiorum: ita temerariæ suspiciones internæ, falsorum testimoniorum. Expenditur quod Eliphas apud Iobum ait,* Conceptum sermonem tenere quis poterit? *Falsò Tamburinus contendit,* Posse quemlibet, ad vitanda tormenta damnaque gravia, sibi falsum crimen imponere, etiamsi mors sit sibi secutura. *Mulieris septies ictæ historia ex Hieronymo memoratur, & Tamburini laxitati obvertitur. Probabile Tamburino est, posse reum in sui defensionem imponere injusto testi falsum crimen, sine injustitiâ: dubium, an non etiam sine ullâ omninò culpâ. Qualiter Tamburinus gregales suos supergressus sit, qui pridem suis Thesibus publicè Lovanij defensis inseruerant,* Quidni non nisi veniale sit, detrahentis authoritatem magnam tibi noxiam falso crimine elidere? *Tamburinus Ciceronem imitatus dum in materiâ exoticâ loqui ex personâ propriâ erubescit, alienam pro se loquentem subornat. Quanta morum labes, & publicorum Iudiciorum strages, ex mentalium restrictionum invectione proserpat? Remotâ justitiâ quid sunt regna, nisi magna latrocinia? Caramuelis de mentali loquentium reservatione censura.*

CDLV. Mirum forsan cuipiam videbitur cur tam prolixè hoc loco contra temeraria judicia disseruerimus, quæ non videntur ad octavum Decalogi spectare præceptum: cùm nequaquàm ibi vetitum sit cogitare, sed *Loqui falsum testimonium adversùs proximum.* Verùm nisi cogitatio esset quædam locutio, non dixisset Psalmographus, *Qui loquitur veritatem in corde suo.* Quapropter sicut is qui ore corporis temerè loquitur de suo proximo, impingit in octavum Decalogi præceptum: ita & Ex. 20. 16. Ps. 14. 3.

ita & qui ore cordis temerarium profert judicium de eodem: S. Esse quidem os cordis, inquit Augustinus, ex hoc jam intelligi potest, quòd ubi locutio est, ibi os non absurdè intelligitur. nec rectè diceretur, *Qui loquitur veritatem in corde suo*, nisi & os in corde rectè intelligeretur". Fusiùs hoc ipsum prosequitur idem Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 10 " Etsi verba non sonent, inquiens, in corde suo dicit utique qui cogitat: unde illud est in libro Sapientiæ, *Dixerunt apud se cogitantes non rectè*. Exposuit enim quid sit, *Dixerunt apud se*, cùm addidit *cogitantes*. Huic simile est in Euangelio, quòd quidam Scribæ cùm audissent à Domino dictum paralytico, *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*: *Dixerunt intra se, Hic blasphemat*. Quid est enim, *dixerunt intra se*, nisi cogitando? Denique sequitur: *Et cùm vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Sic Matthæus. Lucas autem hoc idem narrat: *Cœperunt cogitare Scribæ & Pharisæi, dicentes: Quis est hic qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Vt cognovit autem cogitationes eorum Iesus, respondens dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus vestris?* Quale est in libro Sapientiæ, *Dixerunt cogitantes*; tale hîc est, *Cogitaverunt dicentes*. Et illic enim, & hîc, ostenditur *intra se atque in corde suo dicere*, id esse *cogitando dicere*. Dixerunt quippe intra se, & dictum est eis, *Quid cogitatis?* Et de illo divite, *Cuius uberes fructus ager attulit*, ait ipse Dominus: *Et cogitabat intra se, dicens*. Quędam ergo cogitationes locutiones sunt cordis, ubi & os esse Dominus ostendit, cùm ait: *Non quod intrat in os coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem*. Unâ sententiâ duo quædam hominis ora complexus est, unum corporis, alterum cordis. Nam utique unde illi hominem putaverant inquinari, in os intrat corporis; unde autem Dominus dixit inquinari hominem, de cordis ore procedit. Ita quippe exposuit ipse quod dixerat: nam paulò pòst de hac re discipulis suis, *Adhuc & vos*, inquit, *sine intellectu estis? Non intelligitis, quia omne quod in os intrat in ventrem vadit, & in secessum emittitur*. Hîc certè apertissimè demonstravit os corporis: at in eo quod sequitur, os cordis ostendens: *Quæ autem*, inquit, *procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem: De corde enim exeunt cogitationes malæ* &c. Quid hac expositione lucidius"? Cùm igitur interiùs in corde habeamus os & loquelam, facilè perspicitur quemadmodùm octavo isto Decalogi præcepto vetemur *loqui falsum testimonium adversus proximum* ore cordis, perinde ac corporis. Nisi enim darentur interna cordium testimonia, internæ accusationes, internæ excusationes

S. August. lib. de mendacio c. 16

Sap. 2. 1.

Mat. 9. 2 & 3.

Ibid. v. 4.

Luc. 12. 16. & 17.

Mat. 15. 11.

Ibid. v. 16. & seqq.

sive defensiones, non de quibusdam diceret Apostolus Paulus: *Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus*. Est ergo quoddam tribunal internum, in quo sedet quisque ad judicandum sive de se ipso, sive de suo proximo: comparentque ibi accusatores, testes, advocati, procuratores, & quicquid aliud in forensibus judicijs intervenire cernimus. Et quid mirum reperiri ibi tribunal, cùm ibi sit quædam civitas politica, sive Respublica, omnibus suis membris constans. Qua de re Hugo Victorinus: T. Nobilis creatura, inquit, est anima: Civitas est Dei, de quâ tam *gloriosa dicta sunt*, quòd *ad imaginem & similitudinem Dei facta est*. Hæc civitas meritò appellanda est *Hierosalem*, quia ad fruendum visione illius summæ pacis, *quæ fecit utraque unum* creata est. Mens ejus paradisus est, in qua dum cælestia meditatur, quasi in paradiso voluptatis delectatur. Domus etiam summi patrisfamilias est anima, propter unitatem morum: Sponsa Christi per dilectionem, Templum Spiritûs Sancti per sanctificationem, Civitas Regis æterni propter concordiam civium. Et quia nulla est civitas absque populo, disposuit in eâ Conditor noster populum triplicis gradûs, id est, sapientes ad consulendum, milites ad propugnandum, artifices ad ministrandum. Cives hujus civitatis sunt naturales & ingeniti animæ vigores, tanquam indigenæ: quorum distincti sunt gradus, quia alij superiores, alij inferiores, alij medij. Superiores quidem sunt intellectuales sensus, medij rationales, infimi animales: quorum hæc differentia est, animalis sive sensualis appetit visibilia, rationalis discernit & discretionis oculo aspernatur ea, intellectualis pertrahit ad divina. Intellectuales igitur sensus sunt tanquam animæ Consiliarij, dicentes ei: *Deum time, & mandata eius observa; propter hoc enim est omnis homo*. Rationales sunt tanquam milites, qui hostes concupiscentiales impugnant per arma justitiæ. Animales sive sensuales sunt tanquam rustici & artifices, qui corporalibus rudimentis insistunt, & corpori necessaria ministrant". Cùm igitur intùs in quolibet homine sit quædam civitas plena populo, dubitare non debemus quin ibidem sit & tribunal justitiæ, & judiciaria potestas, cum ceteris in processu judiciali intervenire consuetis, ut sunt accusatio, citatio, testificatio, defensio, examinatio, ac demùm sententiæ sive æquæ sive iniquæ prolatio: V. Judicium, inquit Fulgentius, dicitur conventus, ubi accusatio, & defensio cujuslibet hominis agitatur: unde necesse est ut adjudicatus exeat qui fuerit reus, & victor abscedat

Rom. 2. 15.

T. Hugo Victor. lib. 2. de Anima cap. 13. Vide lib. de Spiritu & anima c. 37. apud Aug. in Appendice tomi 1.

Ps. 86. 3.

Gen. 1. 26.

Ephes. 2. 14.

Eccle. 12. 13.

V. Fulgent. Ser. de Verbis Michææ. Indica tibi homo &c.

abscedat qui probatur innoxius. Revertere igitur ad te, ô homo: in te quære accusationem, in te quære defensionem, in te quære judicium: Imò tu esto & accusator, & defensor, & judex. Intra in secretarium cordis tui, ubi soli te vident oculi Domini Dei tui: ibi te accusa, ut valeas excusatione defendi; ibi te convince, ut victoriam possis adipisci; ibi te condemna, ut merearis absolvi; ibi te puni, si vis ab æternæ punitionis supplicio liberari. Fac in te, Christiane, verum rectumque judicium, sollicitè secreta tui cordis attende, facta tua mala tibi ante oculos tuos pone: quæcunque deleveras, in intimo libro tuæ recordationis recense frequenter ac relege, sine conniventia teipsum discute tu ipse, & cogitationum tormentis affige. Tu in te justam sententiam prome: quicquid mali feceras peccando, puni veraciter pœnitendo; & judex effectus peccatorum tuorum, quod facere solent judices capitalibus reis, hoc ipse fac iniquitatibus tuis. Noli accipere personam tuam, cùm judicas causam tuam: sed cum severitate discute mala tua, cum rigore in peccata tua sententiam condemnationis prome, & peccata quæ in te condemnas occide". Huic saluberrimo documento quisquis paret, haud temerè in alios sententiam præcipitat; quia circa seipsum occupatus, indagandis aliorum moribus non vacat. Maximè autem præcipites sunt in censurandis extraneis, qui segnes sunt in discutiendis semetipsis: de qualibus Gerson: [W] Sunt plurimi, inquit, qui à semetipsis longè peregrinantur; &, ut histrionum parasitorumque mos est, nullibi rariùs quàm in domo propria moram faciunt, nullibi molestiùs. Mirabile dictu, eos citiùs in alia quavis regione, quàm apud seipsos reperias. Modò per curias discursant cum adulatione, ambitione, detractione: nunc inter muliercularum greges volutantur cum libidine: frequentissimè verò inter auri argentive cumulos incedunt: ductrice cupiditate navigant maria, aëra pervolant, humi repunt, prout stimulantium curarum varietas transversos præcipitaverit. Qui si apud se quærantur, illud habebitur responsi, *Non est vir in domo sua.* Horum quilibet, ut in domum suam eat, nec se deserat, monendus est per vocem Christi salutiferam, *Vade in domum tuam*". Quæ sanè monitio tanto rectiùs temerarijs aliorum judicibus ingeri poterit, quanto crebriùs accidit, ut ipsi ijsdem scateant vitijs, quæ in alijs carpserint: [X] Pauci virtutibus, ait quidam, multi vitijs fidem accommodant: non modò quia ex ijs quæ in se agnoscunt, ad idem de alijs pronuntiandum adducuntur; verùm etiam quia insectandis & accusandis alijs id se assequi putant, ut peccata suaontegant". Hinc D. Thomas enumerans causas quibus homines redduntur proclives ad suspicandum, primo loco statuit hanc ipsam, quam mox assignavimus: [Y] Suspicio, inquiens, importat opinionem mali, quando ex levibus indicijs procedit. Et contingit ex tribus: uno quidem modo ex hoc, quòd aliquis ex seipso malus est, & ex hoc ipso quasi conscius suæ malitiæ faciliter de alijs malum opinatur, secundùm illud Eccles. 10. *In via stultus ambulans, cùm ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat.* Alio modo provenit ex hoc, quòd aliquis malè afficitur ad alterum: cùm enim aliquis contemnit vel odit aliquem, aut irascitur, vel invidet ei, ex levibus signis opinatur mala de ipso, quia unusquisque faciliter credit quod appetit. Tertio modo provenit ex longa experientia: unde Philosophus dicit in 2. Rhetoricor. *quòd senes sunt maximè suspiciosi quia multoties experti sunt aliorum defectus.* Primæ autem duæ suspicionis causæ manifestè pertinent ad perversitatem affectûs: tertia verò causa diminuit rationem suspicionis, inquantùm experientia ad certitudinem proficit, quæ est contra rationem suspicionis".

W Gerson Ser. de quatuor domibus, in tertia domo.

Prov. 7. 19.

Mat. 9. 6.

X Ibid. Pe... lib 3. ... 162. ... e ibidem ... 307. & ... Ep. ... & 336.

Y D. Thom. 2. 2. q. 60. a. 3 in corp.

Eccle. 10. 3.

Vide Arist. l. 2 Rhetor. ad Theodecten cap. 13.

CDLVI. Quemadmodùm quinto Decalogi Præcepto, homicidium vetante, prohibemur odisse proximum, juxtà illud Joannis oraculum, *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est*: ita octavo ejusdem Decalogi Præcepto, falsum testimonium adversùs proximum vetante, prohibemur temerè suspicari de proximo nostro. Sicut enim odium est velut initium quoddam homicidij; ita temeraria suspicio est velut initium falsi testimonij. Porrò quod Joannes ait de odio, idipsum & Christus æquipollenter ait de ira: *Audistis*, inquiens, *quia dictum est antiquis, NON OCCIDES; qui autem occiderit, reus erit judicio: Ego autem dico vobis, quia omnis qui IRASCITUR fratri suo, reus erit judicio.* Ubi unitate reatus unitatem præcepti interdicentis subinnuit: [Z] Quia enim Judæi, inquit Augustinus, non intelligebant homicidium, nisi peremptionem corporis humani, per quam vitâ privaretur; aperuit Dominus, omnem iniquum motum ad nocendum fratri, in homicidij genere deputari. Unde & Joannes dicit; *Qui odit fratrem suum, homicida est*". Non ait, constituit Dominus, vel sancivit Dominus; sed, *aperuit Dominus*: quia nimirùm non recens aliquod præceptum tulit, sed vetustissimum mandatum in Decalogo implicitum, licèt à perversis interpretibus obscuratum & ipsâ obscuratione elusum, patefecit. Unde & idem Augustinus ibidem superiùs cap 20. aiebat Fausto: " An dicturus es, quod præceps

1. Jo. 3. 15.

Matth. 5. 21. & 22.

Z August. lib. 19. contra Faust. cap. 21.

„ iracundia, & lingua improba, ex quo ve-
„ nit Christus, cœpit ad iniquitatem pertinere:
„ anteà verò non erat iniquum, vel corde,
„ vel ore ista committere: sicut in quibusdam
„ rebus, pro temporum proprietatibus in-
„ stitutis, invenimus nunc aliquid non lice-
„ re quod antè licuerit, vel nunc licere quod
„ antè non licuerit? Non usqueadeò desi-
pis, ut hoc dicas". Sicut ergò non novum
jus Christus invexit, sed priscum explana-
vit, quando *irascentem fratri suo* dixit *reum*
fore iudicio: ita non novum jus condidit, sed
priscum edisseruit, quando sub intermina-
tione condemnatorij judicij vetuit temera-
Mat. 7. 1. rium de proximo judicium, dicens: *Nolite iu-*
dicare, ut non iudicemini. Et ibi enim, & hìc,
securim admovit radici: ibi quidem radici
homicidij, hìc denique radici falsi testimo-
nij. Quapropter sicut proclive est, ut qui
laxè sentiunt de ira, laxè quoque sentiant
de homicidio: ita similiter proclive est, ut
qui laxè sentiunt de temerario judicio inter-
no, laxè quoque sentiant de falso testimo-
Iob. 4. 2. nio externo. *Conceptum sermonem*, ait Eli-
phas apud Jobum, *tenere quis poterit*? Ubi
A. Greg. l. 5. Moral. c. 11. aliàs 32. Gregorius: A· Tria sunt, inquit, hominum
„ genera, quæ gradatim ductis à se qualita-
„ tibus dissident: sunt namque alij, qui &
„ ad loquendum prava concipiunt, & à lo-
„ cutione suâ nullâ silentij gravitate refræ-
„ nantur: & sunt alij, qui cùm prava con-
„ cipiunt, magno se silentij vigore restrin-
„ gunt: & sunt nonnulli, qui virtutum usu
„ roborati, usque ad eam celsitudinem pro-
„ vehuntur, ut ad loquendum ne in corde
„ quidem perversa concipiant, quæ silendo
„ compescant. *Eliphas* itaque ex quo sit or-
„ dine ostenditur, qui *conceptum sermonem te-*
„ *nere se non posse* testatur. Quâ in re & illud
„ innotuit, quòd se loquendo offensurum
„ novit: neque enim retinere verba, quæ
„ non potest, vellet, nisi per hæc se vul-
„ nera inferre prænosceret. Boni enim viri
„ fræno consilij retinent præcipitationem
„ verbi; & cautè considerant, ne relaxantes
„ linguæ lasciviam, auditorum conscientiam
„ incautâ locutione transfigant. Unde benè
Prov. 17. 14. „ per Salomonem dicitur, *Qui dimittit aquam*
„ *caput est iurgiorum.* Aqua quippe dimitti-
„ tur, cùm linguæ fluxus effrænatur. Sed
„ dimissor aquæ caput jurgiorum efficitur,
„ quia per linguæ incontinentiam origo dis-
„ cordiæ propinatur. Igitur sicut pravi in
„ sensu leves sunt, ita in locutione præci-
„ pites, & reticere pertractando negligunt
„ quæ loquantur; sed quod levis conscien-
„ tia concipit, levior protinùs lingua pro-
dit". Sed ne conjecturis hac in re agere vi-
deamur, prodeat in medium laxitas eo-
rum circa testimonia externa, quos superiori
capite laxos ostendimus circa temeraria judi-
cia interna. Asserit Tamburinus, B: *Ad tor-* *B. Tamb. l. 9. in Decal. c. 1 §. 4. n. 6.*
menta, damnaq́ gravia vitanda, posse quemlibet
sibi falsum crimen imponere, etiamsi mors sit sibi
secutura. Sed quid si non solùm imponat sibi
falsum crimen, sed prætereà imposturam
suam juramento confirmet? Respondet ille
ibidem inferiùs: *Semper*, inquiens, *suppone-*
mus abesse periurium: cùm infamator sui providere
non difficulter poterit per æquivocationem. Itaque
sufficit huic authori æquivocatio, sive men-
talis restrictio; ut quis omnem prorsùs cul-
pam evadat; cùm ad vitanda tormenta, dam-
naque gravia, non modò fingit se perpetrasse
crimen morte suâ plectendum; sed ipsam
quoque fictionem suam adjectione juramen-
ti confirmat. Hæc porrò assertio, præter-
quàm quòd ipso primo inspectu vel auditu
horrorem humanæ menti incutiat, à nobis
quoad omnes suas partes displosa est in supe-
rioribus. Nam cap. 56. fusè ostendimus quàm *Vide supra c. 56 204. 205 210 & 213.*
immane scelus sit seipsum occidere absque
speciali Dei jussu. Ubi & illud ab Augusti-
no tam asseveranter inculcatum adduximus
§. 204. *Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis* *Aug supra §. 204.*
omnibus approbamus: neminem sibi spontaneam
mortem inferre debere, VELUT FUGIEN-
DO MOLESTIAS CORPORALES,
ne incidat in perpetuas. Ex Augustini igitur
mente, tam fidenter expressâ, certissimum est,
eos *incidere in molestias perpetuas*, adeòque pec-
care mortaliter, qui *velut fugiendo molestias*
corporales, quales proculdubiò sunt molestiæ
tormentales, necem sibi inferunt. Nec re- PRÆOC-
fert quòd ille addat, *spontaneam*. Neque enim CUPATIO.
aliud eo additamento importat, quàm ne-
cem esse voluntariam; prout inde planum
est, quod signatè ibi disserat de nece quam
quis sibi infert pressus *molestijs corporalibus*,
quas vitare desiderat: quæ pressura nihil pro-
fectò aliud est, quàm quædam tortura. Nec PRÆOC-
item refert quòd is de quo loquitur Tam- CUPATIO.
burinus, non se occidat ferro, vel se stran-
gulet laqueo, vel collidat præcipitio. Nihil
enim interest quo genere necis, quove instru-
mento nocivo quis se necet, dummodò se
necet. De Judæis interpretatur Augustinus,
quod ex persona Christi ab eis necandi ait
Psaltes, *Exacuerunt ut gladium linguas suas*: *Psal. 63. 4.*
nec cunctatur dicere, C· *Eos occidisse Chri-* *C. Aug. in Psal. 63. v. 4.*
stum gladio linguæ." Nisi enim lingua quadan-
tenùs esset gladius, non alibi diceret idem
Psaltes, *Filij hominum dentes eorum arma &*
sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Qui *Psal 56. 5.*
ergo hocce gladio seipsum transfodit, pro-
culdubiò seipsum occidit. Ac per hoc sic-
ut qui falso suo testimonio alium perimit,
seù perimi facit, homicida est: ita qui falso
testimonio seipsum perimit, seu perimi fa-
cit, suicida est, atque adeò pessimi gra-

dus ho-

dus homicida; qualem Augustinus adversùs quosdam ethnicos Philosophos cum Tamburino desipientes; *maximè plangendum, & fontibus lachrymarum rigandum* censet, dicens: D. Ignorantia Judicis plerunque est calamitas innocentis: &, quod est intolerabilius, magisque plangendum, rigandumque, si fieri posset, fontibus lachrymarum; cùm propterea Judex torqueat accusatum, ne occidat nesciens innocentem, fit per ignorantiæ miseriam, ut & tortum, & innocentem occidat, quem, ne innocentem occideret, torserat. Si enim SECVNDVM ISTORVM SAPIENTIAM delegerit ex hac vitâ fugere, quàm diutiùs illa sustinere tormenta; quod non commisit, commisisse se dicit". Non certè *istorum sapientiam*, à Tamburino nunc renovatam, sed Christianam sapientiam didicerat mulier illa Vercellensis, quæ, teste Hieronymo, septies à carnifice icta, supervixit; moriente ad primum ictum adolescente, qui *istorum sapientiâ* imbutus, adulterium falsò est fassus, ut tormentorum acerbitatem effugeret: E. *Vercella*, inquit Hieronymus; Ligurum civitas, haud procul à radicibus Alpium sita, olim potens, nunc raro est habitatore semiruta. Hanc cùm ex more Consularis inviseret, oblatam sibi quandam mulierculam unà cum adultero, nam hoc crimen maritus impegerat, pœnali carceris horrore circumdedit. Nec multò pòst, cùm lividas carnes ungula cruenta pulsaret, & sulcatis lateribus dolor quæreret veritatem, infelicissimus juvenis, VOLENS COMPENDIO MORTIS LONGOS CRVCIATVS VITARE, dùm in suum mentitur sanguinem, accusavit alienum; solusque omnium miser; meritò jussus est percuti, quia non reliquit innoxiæ, unde posset negare. At verò mulier, sexu fortior suo, cùm equuleus corpus extenderet, & sordidas fœtore carceris manus post tergum vincula cohiberent; oculis, quos tantùm tortor alligare non poterat, suspexit in cælum, & volutis per ora lachrymis: *Tu*, inquit, *testis es Domine Iesu, cui occultum nihil est, qui es scrutator renum & cordis; non ideò me negare velle, ne peream; sed ideò mentiri nolle, ne peccem*" Duos hìc videmus homines falsò accusatos, & acerbissimæ torturæ subjectos; quorum alter, Tamburinianis principijs imbutus, volens compendio mortis longos cruciatus vitare, in suum mentitus est sanguinem: altera, oppositis regulis instructa, mentiri noluit, ne peccaret. Uter rectiùs, eventus probavit Ad gladij supplicium ambo rapiuntur, alter noxam falsò confessus, altera in innocentiæ professione verè perseverans, quamvis præensi complicis confessione gravata. Quid fit?" Miserrimi juvenis, subdit ibidem infrà Hieronymus, ad primum statim ictum amputatur gladio caput, truncumque in suo sanguine volutatur cadaver. Postquàm verò ad fœminam ventum est, & flexis in terram poplitibus, super trementem cervicem micans elevatus est gladius, & exertam carnifex dexteram totis viribus concitavit: ad primum corporis tactum mucro lethalis stetit, & leviter perstringens cutem, rasuræ modicæ sanguinem aspersit. Imbellem manum percursor expavit; & victam dexteram gladio marcescente miratus, in secundos ictus impetus torquet. Languidus rursus in fœminam mucro delabitur, & quasi ferrum eam timeret attingere, circa cervicem torpet innoxium" &c.

D. August. l. 19. de Civit. cap. 6.

E. Hieron. Epist. 49. ad Innoc. de Muliere septies icta.

CDLVII. Avebit fortè quis scire, num Tamburinus permittat ut quis ad vitanda tormenta, vel gravia damna, imponat falsum crimen proximo suo, perinde ac sibi ipsi? Videtur quidem supponere quòd non, dum inquirit; F. *Cur ad tuendam vitam, imò & ad vitanda tormenta gravia, possum alterius crimen occultum aperire, non verò falsum imponere; cùm utrumque sit infamare?* Nihilominùs superiùs ibidem cap. 2. §. 2. n. 4 propositâ quæstione, *An si alio modo te ab iniusto teste tueri nequeas, licitè falsa crimina illi possis obijcere, quanta sufficiunt ad tuam iustam defensionem?* Priori illi suæ suppositioni contravenire videtur, saltem dubitanter; dum continuò subdit n. 5. *Duo assero, unum mihi satis probabile, alterum satis incertum. Probabile mihi est, te, si id facias, non peccare contra iustitiam, unde nec obligari ad restitutionem.* Quod postquàm ratiunculis quibusdam colorasset, subdidit mox n. 6. *Incertum mihi est an id possit fieri licitè, sine ulla culpa. Et quidem De lugo sic habet:* " Certum est, non licere, quia ad minùs erit mendacium, quod nunquam licet". *Et post quatuor interiecti lineas:* " Hoc falsum, crimen testis, erit probandum per testes alios; qui cùm debeant jurare, committent peccatum mortale, & per consequens ad hoc hortari erit mortale". *Hac ille, qui explicat authores quos in contrarium citat Diana, atque eos docere non esse mortale ex parte iustitiæ, non verò non esse mortale saltem ex parte periurij. Video doctrinam hanc: sed quoniam tota culpa refunditur in mendacium & periurium, sequitur quaestio, si solùm esset mendacium sine iuramento, non esse mortale, quia quamvis hoc mendacium sit absolutè de malo gravi contra proximum, tamen cùm à me hoc damnum iustè inferatur, non esset mihi imputandum ad grave. Atque hanc sequelam expressè concedunt Hurtadus & Bannez. Secundò etiam accedente iuramento posset adhiberi æquivocatio tum à me, tum ab ijs quibus est certa* mea

F. Tambur. l. 9 c. 3. §. 2. n. 25.

De lugo.

mea innocentia, & sic vitari perjurium, seu mendacium. Memini sanè, quòd occasione Theseos hic Lovanij in Scholis PP. Societatis an. 1645. defensæ, quæ erat, *Quidni non nisi veniale sit, detrahentis authoritatem magnam tibi noxiam, falso crimine elidere?* sagaces quidam conjecerint ac prædixerint fore, ut processu temporis exurgat quispiam, qui ne veniale quidem esse contendat *detrahentis authoritatem falso crimine impacto elidere.* Quam prædictionem jam video in Tamburino impletam, qui beneficio æquivocationis, seu mentalis reservationis, omnem prorsùs culpam recriminationi istiusmodi adimere enititur: tametsi ob perniciosam sequelam quam prospicit, non nisi hæsitanter ac disputatoriè loqui audeat, & alienam personam pro se respondentem inducat; sicut & Ciceronem in materiâ similiter odiosâ ac periculosâ aliquando egisse, Augustinus testatur, ubi de ipso ait: [G] Vidit quàm esset invi„diosum & molestum, ideoque Cottam facit „disputantem de hac re adversùm Stoicos in libris de Deorum natura". Ad hunc itaque modum Tamburinus prædictæ suæ doctrinæ subnectens objectiones, quibus illa videri posset non admittenda, respondet eis non ex sua, sed velut ex aliena persona: *Et quid enim,* inquiens, *si Sodomitam oporteret probari esse illum testem, si excommunicatum, si hæreticum? Sibi testis falsus id imputet, Respondebit aliquis.* Non ait, Respondeo: sed, *Respondebit aliquis.* Pergit porrò ipse, subdens: *Audio, sed adhuc hæreo. Quid enim, si sit necesse publicas scripturas emendari, possetne Notarius publicus ad hoc induci, si Notario constaret mea innocentia? Respondebis, Quidni? Id enim non est infidelem esse Reipublicæ, sed maximè fidelem, dum ejusdem Reipublicæ innocentes sic defenduntur.* Ubi iterùm non ait, Respondeo, quidni? sed *Respondebis, Quidni?* Pergit item ulteriùs, subdens: *Verùm si aperiatur hujusmodi ostium quomodò stabunt publica Iudicia? Inveniantur, Respondebis, testes veri, ut sancta requirunt tribunalia: dum enim falsi testes quacunque arte repelluntur, publica judicia firmantur potius, non infirmantur.* Ubi iterùm non ait, Respondeo, sed *Respondebis.* Vidit quidem ipse, quàm horrenda sint ea corollaria, quæ eliciantur ex superiori suâ doctrinâ; sed tamen maluit ea, sub alienâ saltem personâ, admittere, quàm vel sequelas negare, vel ab eâdem sua doctrinâ resolutivè desilire. Neque verò satis cavit Reipublicæ adversùs noxias illas sequelas, per hoc, quòd illam suam doctrinam non resolutè astruat, sed tanquàm dubiam incertamve vendicet. Nam profectò latissimam portam pervertendis Judicijs aperit, dum doctrinam tam execrandorum corollariorum feracem sub dubio relinquit. Etenim qui eam amplecti in praxi voluerint, Caramuelis Maximam in subsidium subsument, quâ asserit,

G. August. lib. 1. de Civit. cap. 6.

Tamburin. ibid.

Omnem omnino actum humanum esse licitum, qui non impingit evidenter in aliquam legem obligatoriam evidenter. Quapropter cùm ex Tamburino habeant prædictam doctrinam non esse in praxi certò falsam, sed dubiæ saltem veritatis; concludent ex Caramuelis regulâ, licitum esse cuilibet se ei in praxi conformare, eò quòd ea praxis *non impingat evidenter in aliquam legem obligatoriam evidenter.* Quòd si Caramuelem non habeant ad manum, recurrent ad ipsum Tamburinum, qui superiùs in eodem Opere hanc tradit regulam: [H] *Si adhibitâ diligentiâ DVBITES, An sit aliqua lex, excommunicationem, verbi gratiâ, vel præceptum imponens; vel AN DICTA LEX AD ALIQVEM CASVM SE EXTENDAT, vel an sit usu recepta, vel an fuerit promulgata; vel an aliqua lex sit consuetudine introducta, vel an sit introducta ex obligatione vel potius ex devotione: non teneris ad illam. Ratio est, quia tunc possidet libertas; quæ cùm sit certa, non potest ligari lege incerta, qualis est qualibet ex prædictis, si attentè considerentur.* Hinc ratiocinabuntur ij, qui criminantem falsâ recriminatione obruere voluerint: Adhibitâ diligentiâ dubitamus cum Tamburino, num lex vetans *loqui falsum testimonium adversùs proximum,* extendat se ad casum falsæ recriminationis injusti testis: Ergo non tenemur ad illam; quandoquidem possideamus libertatem, *quæ cùm sit certa, non potest ligari lege incertâ.* Quanta porrò perversio publicorum Iudiciorum, & falsatio authenticorum instrumentorum, hinc consequi nata sit, jam suprà ex ipso Tamburino summariè audivimus, inter alia dicente: *Si aperiatur hujusmodi ostium, quomodo stabunt publica judicia?* Utique non stabunt, sed penitùs corruent; atque ita regna vertentur in latrocinia, juxta illud Augustini: [I] *Remotâ justitiâ quid sunt regna, nisi magna latrocinia?* Nec sanè huic tam cruento vulneri sufficiens remedium providit is, quem suo loco Tamburinus subornavit respondentem, *Inveniantur testes veri, ut sancta requirunt tribunalia.* Ubinam enim tales invenientur, nisi Tamburini doctrina superiùs memorata extirpetur? Si enim æquivocationum seu mentalium restrictionum artificio pervertere fas sit publica judicia; ubinam reperiri poterunt homines, quos constet non usuros illo artificio? Quamvis enim se nequaquàm usuros non modò asseverent, sed & jurent; unde equidem constare quibit an non utantur, dum jurant? Sed quoniàm de hac mentalium reservationum materia superiùs cap. 104. & 105. fusè disseruimus, eò Lectorem remittimus: ubi inter alia occurret ei §. 394. illud Augustini dictum hìc opportunè replicandum: *Da alium, qui scit falsum esse, & dicit verum esse; & jurat tanquam verum sit quod scit falsum esse. Videtis, quàm ista detestanda sit bellua, & de rebus humanis exterminanda! Quis enim hoc* fieri

Vide Caramuel hic supra §. 414.

H Tambur. l. 1. in Decalog. c. 3 §. 7. lit. 1. sub titulo *Leges & præcepta* n. 1.

Tamburin.

I. Aug. l. 4. de Civitat. cap. 4.

Tamburin.

Vide Aug. supra §. 394.

fieri velit? Omnes homines talia detestantur. Ex quo Lector obviè conjiciet quid de assertione istâ censendum sit, quam pro regulâ statuit Sanchez: [K] *Possunt absque mendacio verba usurpari, etiamsi ex suâ significatione non sint ambigua, nec eum sensum verum admittant ex se, nec ex circumstantiis occurrentibus; sed tantùm verum sensum reddant ex aliquo addito mente proferentis retento, quodcunque illud sit: ut si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propriâ sponte, sive recreationis gratiâ, sive quocunque alio fine,* IURET *se non fecisse aliquid, quod reverà fecit; intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam diem ab ea in quâ fecit, vel quodvis aliud additum verum: reverà non mentitur, nec est perjurus; sed tantùm non diceret unam veritatem determinatam, quam audientes concipiunt, ac verba illa ex se significant, sed aliam veritatem disparatam.* De hâc doctrina lubet audire Censuram Caramuelis, authoris cæteroquin in laxitates propensi: [L] „Est mihi, ait ipse, innata aversio contra restrictiones mentales: Si enim continentur intra terminos pietatis & sinceritatis, necessariæ non sunt: nam omnia quæ ipsæ præstare possunt, præstabunt consignificantes circumstantiæ. Quod si tales dicantur, ut etiam ibi admittendæ sint, ubi desunt circumstantiæ significantes, ignoscant mihi earundem authores & propugnatores, tollunt humanam societatem, & tanquam pestiferæ damnandæ sunt: quoniàm semel admissæ aperiunt omni mendacio, omni perjurio viam; & tota differentia in eo erit, ut quod heri vocabatur *mendacium*, naturam & malitiam non mutet, sed nomen, ita ut hodie jubeatur *Restrictio mentalis* nominari. Quod est virus condire saccharo, & scelus specie virtutis colorare". Quam censuram idcircò referre lubuit, ut advertat Lector quantâ laxitatis exorbitantiâ laborare putanda sit ea positio, quæ à tanto alioqui laxone tam acriter meruit censurari,

K. Sanchez lib. 3. in Decalog. c. 6. n. 13.

L. Caram. in Theolog. fundament. n. 1182. usq. 1805.

CAPUT CXXI.

Mendacio patrocinantes quidam ethnici Poëtæ ac Philosophi recensentur, ut Sophocles, Menander, Pisander, Euripides, Diphilus, Democritus, *& ipse* Plato, *quem Labeo* Semideum, *Tullius* Philosophorum penè Deum *nuncupavit.* Origenes *in eundem errorem authoritate Platonis tractus, magnam Græcorum sequelam post se traxit. Augustini cum Hieronymo super eodem dogmate disceptatio, & disceptationis eventus.* Cassianus *eundem errorem ab Augustino profligatum revebere partim sub aliena, partim sub propriâ personâ tentavit; quem ob id Prosper incidenter sugillavit. Nihil judicandus est dicere qui asserit aliqua justa esse mendacia, nisi aliqua justa esse peccata.* Priscillianistarum *ad symmistas suos insulsa parænesis:* Jura, perjura, secretum prodere noli. *Catholicorum quorundam hallucinatio, autumantium licere sibi simulare Priscillianismum, ut possint prodere Priscillianistas. Horum stultæ persuasioni opposuit Augustinus librum, quem* contra mendacium *inscripsit. Non aboletur labes criminis mutatione nominis. Illustratur id memorabili exemplo per Innocentium III. relato, & Corpori Iuris Canonici inserto. Sensus, non sermo fit crimen. Qui vetustum mendacij virus novo* equivocationum *aut* mentalium restrictionum *vocabulo venditant, imitantur eos, qui mala gramina & noxios succos speciosis medicaminum notis præcolorant; ut nemo superscriptum legens antidotum, suspicetur sublatere venenum. Nec artificiose nec simplici mendacio fallendus est quisquam: quia quomodolibet quis mentiatur proximo,* Os quod mentitur occidit animam. *Nec pro alienâ nec pro propriâ vitâ servandâ fas est mentiri. Qui mortis metu mentitur, eodem & moritur. Omnis doctrina veritatis aufertur, cedens licentiosissimæ falsitati, si mendacio vel officioso alicundè penetrandi rima pandatur. Nullo modo putandum est, eos qui asserunt esse subinde mentiendum, id asserendo esse veraces. Mendacia jocosa & officiosa etsi non sint magna culpa, non sunt equidem absque culpâ.*

CDLVIII. NOn defuêre olim inter ethnicos viri celebres, qui mendacio subinde utendum assererent: ut inprimis Sophocles, qui ob orationis suavitatem vulgò dictus est *Apis*. Hujus quippe vox est: [M] *Haud quidem honestum est mendacia loqui; Cui tamen diram perniciem veritas affert, Huic venia danda, licet inhonesta loquenti.* Cui consonare videtur & Menander apud eundem Stobæum ibidem, dicens: *Satius est eligere mendacium, quàm verum malum.* Et huic concinit Pisander ibidem à Stobæo subnexus, dicens *Non reprehendendus est, qui mendacium pro vita sua dixerit.* Quibus ibidem quoque subjungitur Euripides, ita scribens: *Profectò res est intolerabilis mendacia loqui: Equidem aio, legem quoque non colendam in periculis, plusquàm necessitatem.* Sequitur item Diphilus, ibidem subscribens: *Mendacium positum in tempore, lucrum ceu fructum affert.* Breviter Democritus ibidem subsequenter adjunctus: *Vera*, inquit, *dicenda sunt, ubi id præstat*: tacitè utique innuens, falsa quoque dici posse, siquando id præstare contigerit. His quoque omnibus celebrior Plato, quem Labeo apud Augustinum non dubitavit dicere *Semideum*, & Cicero apud eundem alibi, *Philosophorum penè Deum*; eandem de mendacio sententiam docuit, atque in ipsam nonnullos Christianos, magnitudine authoritatis suæ, pellexit, signanter Origenem, cujus Sectatores dicebat Hieronymus *Orgys mendaciorum inter se fœderari*:

M. Sophocles apud Stobæum Serm 10.

Menander.

Pisander.

Euripides.

Diphilus.

Democritus.

Vide Aug. lib 2 de civ. c 14 l. 4. con Iulian. c 8

N. Indi-

S. Hieron. l. 1. contra Ruffin. c. 4. Vide Epist. 65. cap. 1. Origenes. Plato. Vide eund. la de Rep. in fine, & Onosandrū in Strategico cap. 23. & Maximum Tyrum Ser. 9. & Danā apud Herodotum l. 3.

N. Indignantur, ait ille, quare Origenistas scripserim, *inter se orgyis mendaciorum fœderari*. Nominavi librum, in quo hoc scriptum legerim, id est, sextum Stromaton Origenis: in quo Platonis sententię nostrum dogma componens, ita loquitur: *Plato in tertio de Republica libro: Veritas, inquit, sectanda magnopere est. Si enim, ut paulò antè rectißime dicebamus, Deo indecens & inutile mendacium est, hominibus quandoque utile, ut utantur eo tanquam condimento atque medicamine: nulli dubium est quin hujusmodi licentia medicis danda sit, & ab imprudentibus removenda. Vera, inquit asseris: Ergò Principes urbium, si quibus & alys hoc conceditur, oportet aliquando mentiri vel contra hostes, vel pro patria & civibus: ab alys verò, qui uti mendacio nesciunt, auferendum est omne mendacium. Et nos igitur illius præcepti memores, Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, non debemus dicere, quis est proximus meus? sed considerare quomodò Philosophus cautè dixerit, Deo indecens & inutile esse mendacium, hominibus interdum utile; & quod ne pro dispensatione quidem putandus sit Deus aliquando mentiri: sin autem commodum audientis exegerit, verbis loquitur ambiguis, & per ænigmata quæ vult profert; ut & veritatis apud eum dignitas conservetur, & quod noxium esse poterat si nudum proferretur in vulgus, quodam tectum velamine proferatur. Homo autem, cui incumbit neceßitas mentiendi; diligenter attendat, ut sic utatur interdum mendacio, quomodo condimento atque medicamine; ut servet mensuram ejus, ne excedat terminos, quibus usa est Judith contra Holofernem, & vicit eum prudenti simulatione verborum. Imitetur Hesther, quæ Arthaxerxis sententiam, diu tacitâ gentis veritate, correxit. Et inprimis Patriarcham Iacob, quem legimus benedictiones patris artifici impetrasse mendacio. Ex quo perspicuum est, quòd nisi ita mentiti fuerimus, ut magnum nobis ex hoc quæratur bonum, judicandi simus quasi inimici ejus qui ait: Ego sum veritas.* Hæc Origenes scripsit, negare non possumus, scripsit in ijs libris, quos ad perfectos, & ad discipulos loquebatur; docetque, Magistris mentiendum, discipulos autem non debere mentiri. Qui ergò benè mentitur, & absque ulla verecundia quicquid in buccam venerit confingit in fratres, magistrum se optimum probat". Videmus hinc quid de usu abusuque mendacij prior quidem senserit Plato, ac deindè eum secutus Origenes: quibus subscribere prætenditur à nonnullis Chrysostomus Homil. 32. 45. & 53. in Genesim, necnon lib. 1. de Sacerdotio, versùs finem: prout cernere licet apud Sixtum Senensem lib. 5. Bibliothecæ Annot. 89. & 107. & apud Vellosillum in suis Advertentijs super tomo s. Chrysostomi q. 6. Imò verò Beatum Hieronymum eidem sententiæ favisse indicat Augustinus, dum ei ait: O. Legi quædam scripta, quæ tua dicerentur, in Epistolas Apostoli Pauli: quarum unam ad Galatas cùm enodare velles, venit in manus locus ille, quo Apostolus Petrus à perniciosâ *simulatione* revocatur. Ibi patrocinium mendacij susceptum esse vel abs te tali viro, vel à quoquam, si alius illa scripsit, fateor non mediocriter doleo". Qui rescribens Hieronymus, agnoscit scripta illa esse sua, eademque confirmat suffragio non tantùm *Origenis* & *Chrysostomi*, sed etiam *Didymi*, *Alexandri*, *Eusebij Emiseni*, *Theodori Heracleotæ*, & cujusdam innominati quem appellat *Laodicenum*: ac tum subdit ad Augustinum: P. Si igitur me reprehendis errantem, patere me, quæso, errare cum talibus: & cùm me erroris mei multos socios habere perspexeris, tu veritatis tuæ saltem unum adstipulatorem proferre debebis". Quibus finalibus verbis innuit, Augustini sententiam suffragatoribus carere, adeoque singularem esse ac novitiam. Verùm Augustinus, hâc responsione nihil deterritus, repusuit: Q. Flagitas à me, ut aliquem saltem unum ostendam, cujus in hac re sententiam sim secutus; cùm tu tam plures nominatim commemoraveris, qui te in eo quòd astruis præcesserunt; petens ut in eo, si te reprehendo errantem, patiar te errare cum talibus. Quorum ego, fateor, neminem legi: sed cùm sint fermè sex vel septem, horum quatuor authoritatem tu quoque infringis. Nam *Laodicenum*, cujus nomen taces, de Ecclesiâ dicis nuper egressum; *Alexandrum* autem veterem hæreticum; *Origenem* verò ac *Didymum* reprehensos abs te lego etiam in recentioribus Opusculis tuis, & non mediocriter, nec de mediocribus quæstionibus; quamvis Origenem mirabiliter antè laudaveris. Cùm ijs ergò errare, puto quia nec te ipse patieris, quamvis hoc perinde dicatur ac si in hac sententiâ non erraverint: nam quis est, qui se velit cum quolibet errare? Tres igitur restant, *Eusebius Emisenus*, *Theodorus Heracleotes*, &, quem paulò pòst commemoras, *Ioannes*, qui dudum in Pontificali gradu Constantinopolitanam rexit Ecclesiam. Porrò si quæras, vel recolas, quid hinc senserit noster *Ambrosius*, quid noster itidem *Cyprianus*: invenies fortassè, nec nobis defuisse, quos in eo quod asserimus sequeremur, quanquam, sicut paulò antè dixi, tantummodò Scripturis canonicis hanc ingenuam debeam servitutem, quâ eas solas ita sequar, ut Conscriptores earum nihil in eis omninò errasse, nihil fallaciter posuisse non dubitem. Proindè, cùm quæro tertium, ut tres etiam ego tribus opponam, possem quidem, ut arbitror, facilè reperire, si multa legissem: verùmtamen ipse mibi

Eph. 4. 25. Origenes. Vide Celsum apud eund. lib. 4. contra Celsum.

Vide Dorotheum Doctrinas 9. & Synesium Epist. 105. & Heliodorū lib. 1. Histor. Æthiopicæ, & Eustratiū l. 2. Ethic. 6. & l. 3. cap. 1. & Balzeum & Scheggium l. 1. Ethic. c. 3. & Burlæū l. 4. Ethic. p. 9 Tract. 4. cap. 2. L. 24. 6.

Chrysostomus. Sixtus Senensis. Vellosillus.

O. Aug. Epist. 8. quæ inter Hieronymianas est 86.

Gal. 2. 13. & seqq.

P. Hieron. Epist. 76. quæ inter Augustinianas est 11.

Vide Aug. q. 68. in Leviticum.

Q. August. Epist. 19. quæ inter Hieronymianas est 97.

Vide Ambr. lib. 2. in cap. 1 Lucæ. & Cyprian. l. 3. ad Quirinū c. 104. & Basil. In Moralib. Reg. 24. & Regula 76. inter breviores.

mihi pro his omnibus, imò supra hos omnes, Apostolus Paulus occurrit: ad ipsum confugio, ad ipsum ab omnibus qui aliud sentiunt litterarum ejus Tractatoribus provoco: ipsum interrogans interpello, & requiro in eo, quod scripsit ad Galatas, *Vidisse se Petrum non rectè ingredientem ad veritatem Euangelij, eique in faciem propterea restitisse, quòd illa simulatione Gentes Iudaizare cogebat*: utrùm verum scripserit, an fortè, nescio quâ dispensativâ falsitate, mentitus sit? Et audio eum paulò superiùs in ejusdem narrationis exordio religiosâ voce mihi clamantem: *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior.* Dent veniam quilibet aliud opinantes: ego magis credo tanto Apostolo in suis & pro suis litteris juranti, quàm cuiquam doctissimo de alienis litteris disputanti". His atque alijs Augustini argumentis cessit tandem Hieronymus, & in Augustini sententiam transivit: prout idem ipse Augustinus memorat Epist. 260. ubi de eadem quæstione differens cum Oceano, demùm ait: "Sed quid hinc diutiùs, cùm de hac quæstione inter nos ego, & venerabilis frater Hieronymus, satis litteris egerimus: & in hoc opere recentissimo, quod sub nomine *Critobuli* adversùs Pelagium modò edidit, eandem de istâ re gestâ dictisque Apostolicis sententiam tenuit, quam Beatissimi Cypriani etiam nos secuti sumus"? Accedit prætereà quòd Hieronymus etiam ab initio non tam propriam sententiam de ea quæstione deprompserit, quàm Origenis & aliorum quorundam Græcorum sensa retulerit; prout ipsemet testatur in suâ ad Augustinum Epistolâ proximè citatâ, sic eum alloquens: [R] Si quid reprehensione dignum putaveras in explanatione nostrâ, eruditionis tuæ fuerat quærere, utrùm ea quæ scripsimus haberentur in Græcis: ut si illi non dixissent, tunc meam propriè sententiam condemnares; præsertìm cùm liberè in præfatione confessus sim, Origenis commentarios me esse secutum, & vel mea, vel aliena dictasse; & in fine ejusdem capituli, quod reprehendis, scripserim: *Si cui iste non placet sensus, quo nec Petrus peccasse, nec Paulus procaciter ostenditur arguisse maiorem, debet exponere, quâ consequentiâ Paulus in altero reprehendat, quod ipse commisit.* Ex quo ostendi, me non ex definito id defendere quod in Græcis legeram, sed ea expressisse quæ legeram: ut lectoris arbitrio derelinquerem, utrùm probanda essent, an improbanda". Unde & Origenis dogma posteà impugnavit, ut jam vidimus.

Gal. 2. 14.
Gal. 1. 20.
R Hieron. Epist. 89 quæ inter Augustinianas est 11.

CDLIX. Omnium copiosissimè & operosissimè pro mendacio decertat Abbas Joseph apud Cassianum Collat. 17. ubi inter alia ait: [S] *Taliter de mendacio sentiendum, atque ita eo utendum est, quasi natura ei insit hellebori: quod si imminente exitiali morbo sumptum fuerit, fit salubre; cæterùm absque summi discriminis necessitate perceptum, præsentis exitij est.* Quibus verbis asserit, mendacium citra necessitatem quidem illicitum esse ac nocivum mentienti, in necessitate autem licitum ac proficuum. Quæ assertio planè consentanea est sententiæ Origenis proximo §. relatæ, quâ mendacium assimilatur *medicamini*. Pergit porrò Joseph aperire planiùs mentem suam, subdens ibidem post pauca: *Quando igitur grave aliquod imminet de veritatis confessione discrimen, tunc mendaciorum sunt recipienda perfugia; ita tamen ut reatu humilis conscientiæ salubriter mordeamur: ubi autem nulla conditio summæ necessitatis incumbit, omni cautione mendacium velut mortiferum devitandum est; quemadmodùm de hellebori diximus potu.* Qui rursùs inferiùs c. 20. hanc statuit regulam dignoscendi quandonam & quousque mentiri liceat: *Tunc necessariò ac venialiter acquiescitur mendacij detrimento, quando maius imminet de veritatis confessione dispendium; & utilitas quæ nobis de veritate confertur, compensare illa quæ generanda sunt damna non prævalet.* Et hanc Abbatis istius doctrinam in plerisque saltem approbat Abbas Germanus, qui ibidem personam collocutoris gerit: eandem quoque vehementer extollit ipse Cassianus Collationis Scriptor, cùm in fine ait: [T] *Hâc Beatissimi Ioseph institutione atque doctrinâ, velut divino oraculo confirmati, in Ægypto residere maluimus.* Quapropter sicut B. Prosper arguit eundem Cassianum erroris Semipelagiani quem sub alienâ Abbatis *Charemonis* personâ in Collatione 13. digesserat: ita pari jure arguitur tanquam patronus mendacij ex Collatione 17. quam sub persona Abbatis *Ioseph* compilavit: [V] "Igitur, inquit Prosper, in libro cujus prænotatio est, *De protectione Dei*, vir quidam sacerdotalis ordinis, qui disputandi usu inter eos quibuscum degit excellit, Abbatem quendam introducit de gratiâ Dei & libero arbitrio differentem, cujus se ostendit per omnia probasse ac suscepisse sententiam, ut jam non cum illo nobis sit negotium, qui fortè tales opiniones suas aut negando refutaret, aut corrigendo dilueret; sed cum isto, qui ad instrumentum inimicorum gratiæ Dei, talem studuit proferre doctrinam". Quæ argutio, mutatis duntaxat terminis, replicari potest adversùs eundem Collatorem, quoad doctrinam mendacio patrocinantem, quam Collatione 17. sub persona Abbatis Joseph evulgavit. Unde & idem ipse Prosper inferiùs ibidem cap. 9. patrocinium mendacij latenter ei improperat, occasione arreptâ ex insulsâ quâdam ipsius censurâ, quâ errare dicebat eos qui gratiam semper ad benè incipiendum asserunt necessariam, perindè ac eos qui eandem contendebant

S Abbas Ioseph apud Cassianum Collat. 17. cap. 17.
Vide Mucium Mantuanum lib. 4. Exemplor. c. 4. & Joviniani Pontanum 4 de Obedientia c 22 & Albertic. Gentilem l. de Bello c. 5 & Alciatum l. de Singulari certamine in fine, & Bodin lib. 4. Demonomaniæ cap. 1. & Machiavell. apud Molanum l. 1. de Fide hæreticis servanda cap. 2.
Germanus.
T Cassianus Collat. 17. cap. 31.
Vide l. de Instit. Renunt. c. 17.
V Prosp. lib. contra Collat. cap.
Vide Alphonsum à Castro l. 10 adversus Hæreses, verbo *Mendacium*, & l. 14. verbo *Tyrannus*, & L. sium l. de Officio hom. Christiani c. 8. & seqq. & Cuykium Annot. 21 in Cassianum.

tendebant nunquam esse necessariam: " Si error est, inquit ibi Prosper, initia bonæ voluntatis non adjuto divinitùs homini adscribere, & error est confiteri quoniam *Præparatur voluntas à Domino*; quò dirigendi sumus, ut utrumque vitemus? *Si utrumque*, inquis, *sequamur, nos nulli errori acquiescemus*. Tu nos subdis duobus, & geminas, sicut intelligis, pravitates, dividendo damnas, miscendo justificas. Hâc lege ac regulâ poteris prædicare, quòd tam errent qui dicunt, *semper esse fallendum*, quàm qui definiunt *nunquam esse fallendum*; sed ut in neutro peccetur, utrumque sectandum: quia nec semper declinanda falsitas, nec semper negligenda sit veritas". Aliunde quoque constat Cassianum mendacio patrocinari, signanter lib. 5. de Institutis Renunciantium cap. 37. ubi Abbatem *Archebium* laudat, quòd fratres circumvenisset *charitatis mendacio*: indicans utique mendacium subinde esse actum charitatis, adeoque licitum; siquidem scriptum est de charitate, *Non agit perperam*: & mox iterùm, *Non cogitat malum, non gaudet super iniquitate*. Verùm cùm ibidem proximè sequatur, *Congaudet autem veritati*: colligendum potiùs fuerit, nihil agi per charitatem quod sit contra veritatem: nam si charitas congaudet veritati, consequens profectò est ut succenseat falsitati. Quapropter repellenda prorsùs ab auribus est illa Abbatis Joseph paradoxica assertio, ab eodem Cassiano relata ac laudata: [W] *Potuerunt quidam per mendacium justificari*. Exemplum exhibet in Rahab meretrice, quam inferiùs ibidem c. 20. asserit fuisse *In terra viventium plantatam pro mendacio*. Sed rectiùs omninò Augustinus: [X] Quod scriptum est, inquit, *Bene Deum fecisse cum Hebræis obstetricibus, & cùm Rahab Hierichontinâ meretrice*, non ideò factum est quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt. Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed benevolentia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Sicut enim mirum absurdumque non esset, si alio priùs tempore commissa ab eis aliqua opera mala Deus propter posteriora bona vellet ignoscere: ita mirandum non est, quòd uno tempore in una causa Deus utrumque conspiciens, id est, factum misericorditer, factumque fallaciter, bonum remuneravit, & propter hoc bonum illud malum ignovit". Et de Rahab specialitet ibidem inferiùs c. 17. " Proinde, inquit, *Rahab in Hiericho*, quia peregrinos homines Dei suscepit hospitio, quia in eorum susceptione periclitata est, quia in eorum Deum credidit, quia diligenter eos ubi potuit occultavit, quia per aliam viam remeandi consilium fidelissimum dedit, etiam supernæ Hierusalem civibus imitanda laudetur: quòd autem mentita sit, etiamsi aliquid ibi prophetieum intelligenter exponitur, non tamen imitandum sapienter proponitur". Valde notanda in hanc rem est ista ejusdem Augustini sententia, quâ caput 15. ejusdem libri inchoat: " Nihil judicandus est dicere, qui dicit aliqua justa esse mendacia, nisi aliqua justa esse peccata; ac per hoc aliqua justa esse, quæ injusta sunt. Quo quid absurdius dici potest? Undè est enim peccatum, nisi quia justitiæ contrarium est? Dicantur ergo alia magna, alia parva esse peccata: quia hoc verum est, nec auscultandum Stoicis qui omnia paria esse contendunt: dicere autem quædam injusta, quædam justa esse peccata, quid est aliud quàm dicere quasdam esse injustas, quasdam justas iniquitates, cùm dicat Apostolus Joannes: *Omnis qui facit peccatum, facit & iniquitatem; & peccatum iniquitas est*"? Hæc omnia ex eo libro sumpta sunt, quem Augustinus *contra mendacium* scripsit, & inscripsit: [Y] Cujus Operis, ut ipse author ait, ea causa extitit, quòd ad Priscillianistas hæreticos investigandos, qui hæresin suam non solùm negando atque mentiendo, verumetiam pejerando existimant occulendam, visum est quibusdam Catholicis Priscillianistas se debere simulare, ut eorum latebras penetrarent. Quod ego fieri prohibens, hunc librum condidi". Hic iterùm præter alios hactenùs recensitos, suggeruntur nobis duo novi cunei pro mendacio militantes, alter Catholicorum indiscreto zelo hæreticos detegendi serventium, alter hæreticorum pro occultanda sua hæresi mendaciter pejerantium. Augustinus priores instruens & corrigens, integro libro *contra mendacium* inscripto evincit, nullius boni adipiscendi, vel mali cavendi avertendive gratiâ mentiendum esse, sive dictis, sive factis: cùm *non sint facienda mala, ut veniant bona*. Proindè quamvis detectio hæreticorum sit grande bonum, & eorundem occultio grande malum: nihilominùs nec propter illud acquirendum, nec propter istud avertendum licebit cuiquam mentiri. Optimè præterea advertit idem Augustinus, zelosos istos mendacij patronos illo suo dogmate incautè favisse ipsis hæreticis, quorum odio in errorem prolapsi fuerant, ut mendacium aliquando licere autumarent: [Z] Nonne cernis, ait ipse Consentio se consulenti, quantùm adjuvet hæc disputatio eos ipsos, quos pro magna veneratione mendacijs nostris capere molimur? Priscillianistarum est enim, sicut ipse monstrasti, ista sententia: cui comprobandæ adhibent testimonia de Scripturis, exhortantes suos ad mentiendum, tanquam exemplis Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Angelorum; non dubitantes addere etiam ipsum Dominum Christum: nec arbitrantes se aliter veracem ostendere suam falsitatem, nisi mendacem dicant esse Veritatem.

Marginal notes: Prov. 8. 35. juxta 70. — 1 Cor. 13. 4. Ibid. v. 5. & 6. — W Apud Cassianum Collat. 17. cap. 17. — X August. lib. contra Mendacium cap. 15. Vide q. 68. in Levitic. Exod. 1. 20. Jos. 6. 25. — Jos. 2. 15. & seqq. — 1. Joan. 3. 4. — Y. August. lib. 2. Retract. c. 60. — Rom. 3. 8. — Z. August. lib. Contra Mendacium cap. 2.

„Redarguenda sunt ista, non imitanda: nec in eo „malo debemus Priscillianistarum esse partici„pes, in quo cæteris hæreticis convincuntur „esse pejores. Ipsi enim soli, vel certè maximè „ipsi, reperiuntur, ad occultandam suam quam „putant veritatem, dogmatizare mendacium, „atque hoc tam magnum malum ideò justum „existimare, quia dicunt, *In corde retinendum „esse quod verum est, ore autem ad alienos proferre falsum, nullum esse peccatum*". Imò verò non tantùm *proferre*, sed & jurare: prout idem ipse Augustinus Hæresi 70. ad Quodvultdeum testatur: "*Priscillianistæ*, inquiens, quos in Hispa„nia Priscillianus instituit, maximè Gnostico„rum & Manichæorum dogmata permixta se„ctantur: quamvis & ex alijs hæresibus in eas „sordes, tanquam in sentinam quandam, hor„ribili confusione confluxerint. Propter oc„cultandas autem contaminationes & turpi„tudines suas, habent in dogmatibus & hæc verba: *Iura, perjura, secretum prodere noli*".

Priscillianistæ.

Vide Leonem Epist. 91. ad Turribium.

CDLX. Ex his facilè animadvertere possunt mentalium restrictionum moderni patroni, quanto periculo delabendi in prædictum errorem exponantur, & ipsi & qui fidem adhibent ipsis. Neque enim à communione erroris expurgare valet inventio novi nominis, ut quod pridem dicebatur *mendacium*, modò dicatur *æquivocamentum*, vel *mentale reservamentum*. Refert Innocentius III. quosdam Episcopos pro sacro Chrismate solitos fuisse certam pecuniæ summam annuatim sub tempus Paschale recipere; sed posteà ad palliandum simoniæ vitium, nummorum nomen mutasse, & solutionis tempus anticipasse; recipientes in mediâ Quadragesimâ quod pridem recipere solerent post Pascha: [A] *Vt causam recipiendi*, ait ille, *dissimulent*, *nomen denariorum variant: denarios, quos priùs* Chrismales, *secundò* Paschales *dicebant*, consuetudinem mediæ Quadragesimæ *nuncupantes*". Sicut ergo istos à labe simoniæ purgare non potuit variatio nominis, durante vetustate criminis: ita nec modernos mentalium restrictionum artifices purgare potest à labe mendacij, quòd ipso mendacij nomine abolito rem ipsam plausibiliori vocabulo pallient. Etenim ut Beatus perhibet Hilarius, [B] *Sensus, non sermo fit crimen*. Pulchrè admodùm & appositè ait Cyprianus: [C] Malorum blandientium „virus occultum est, & arridentis nequitiæ „facies quidem læta, sed calamitatis abstru„sæ illecebrosa fallacia, instar quoddam ve„neni, ubi in læthales succos dulcedine asper„sâ, calliditate fallendi, sapore medicato, „poculum videtur esse quod sumitur; ubi epotaveris, pernicies hausta grassatur". Qui itaque antiquum mendacij venenum sub blandiori *æquivocationum* vel *mentalium restrictionum* vocabulo propinant, imitantur eos,

Vide suprà § 440. & 441.

A. Innoc. III Cap. In tantum de Simonia.

B Hilar. L. de Trinit. sub initium.

C. Cyprian. Epist. 2. Vide Tertul. lib. de Spectaculis cap. 27.

[D] Qui parvulis austera quædam temperaturi „pocula, priùs ora melle circumlinunt: ut in„cauta ætas cùm dulcedinem præsenserit, ama„ritudinem non reformidet. Quod etiam ijs „curæ est, qui mala gramina, & noxios succos, „medicaminum vocabulis præcolorant: ut „nemo ferè ubi superscriptum legerit remedium, suspicetur venenum". Mendacium certè malum esse gramen, noxiumque succum, haud obscurè testatur Scriptura divina cùm ait, *Os quod mentitur occidit animam*. Unde & alibi eadem Scriptura ait homini, *Noli velle mentiri omne mendacium*. Ubi rectè intellexeris distributionem fieri pro mendacio plano sive simplici, & pro mendacio obstruso sive artificioso: quorum duorum mentio fit in Canone isto brevi, quem Gratianus Augustino adscribit: [E] Nec artificioso mendacio, nec simplici „verbo oportet decipere quemquam: quia „quomodolibet mentitur quis, occidit animam". Occidit utique sive proximè ac per se, si fuerit perniciosum, aut juramento firmatum mendacium quod protulerit; sive remotè saltem ac dispositivè, si fuerit duntaxat jocosum aut officiosum, nec juramenti religione firmatum: [F] Omne genus mendacij, inquit Isido„rus, summoperè fuge: nec casu, nec studio „loquaris falsum. Nec per testes mentiri stu„deas, nec quâlibet fallaciâ vitium alicujus „defendas. Cave mendacium in omnibus; „mendacio enim fides tollitur, error induci„tur, veritas aboletur. Nullum justum menda„cium, omne mendacium peccatum est, om„ne quod à veritate discordat iniquitas est. „Leges sæculi falsarios damnant, puniunt „mendaces, fallaces perimunt. Si mendacium „apud homines lege damnatur, si fallacia „humano judicio plectitur, si falsitas capitali „pœnâ conscribitur; quantò magis ante „Deum, testem verborum & operum, ante „quem, & *De otioso verbo rationem unusquis„que reddet*, ante quem & pro otioso sermone „pœnas quisque luet? *Os enim quod mentitur „occidit animam*: &, *Perdes omnes qui loquuntur „mendacium*: &, *Testis falsus non erit impunitus*". Qui rursùs lib. 2. Sententiarum c. 30. "Sum„moperè, inquit, cavendum est omne men„dacium, quamvis nonnunquam sit aliquod „mendacij genus culpæ levioris, si quisquam „pro salute hominum mentiatur. Sed quia „scriptum est, *Os quod mentitur occidit animam*, „&, *Perdes eos qui loquuntur mendacium*, hoc „quoque mendacij genus perfecti viri sum„moperè fugiunt, ut nec vita cujuslibet per „eorum fallaciam defendatur: ne suæ animæ „noceant, dum præstare vitam alienæ carni ni„tuntur". Quæ sententia ex Gregorio verbatim descripta est lib. 18. Moral. c. 4. consonatque Alexander III. inquiens: [G] *Scriptura Sacra prohibet pro alterius vitâ mentiri*. Et ante hos

D. Vi[illegible] Ly[illegible]

Sap. 1. 11.

Eccli. 7. 14.

E. Cap. Ne artificioso, 22 q. 2. Vide lib. de Conflictu vitiorum & virt. cap. 19. apud Aug. & Isidor.

F. Isidor. L. Sinonymorum c. 10. Vide eund. lib. de Contemp. Mundi.

Matt. 12. 36

Sap. 1. 11.

Ps. 5. 7.

Prov. 19. 5.

G. Gregorius. G. Alex. Cap. Super his de Usuris, 12.

H Augu. Enchir. cap. 22. hos Augustinus : [H] Non ideò, inquit, men-
,, dacium poterit aliquando laudari, quia
,, nonnunquam pro salute quorundam men-
,, timur. Peccatum ergo est, sed veniale, quod
,, benevolentia excusat, & ideò fallacia dam-
,, nat. Plurimùm quidem ad bonum profe-
,, cisse homines, qui nonnisi pro salute homi-
,, nis mentiuntur, non est negandum : sed in
,, eorum tali profectu meritò laudatur vel
,, etiam temporaliter remuneratur benevo-
,, lentia, non fallacia ; quæ ut ignoscatur sa-
,, tis est, non etiam ut prædicetur ; maximè
,, in hæredibus Testamenti novi, quibus dici-
Mat. 5. 17. tur, *Sit sermo vester, est, est ; non, non*". Et lib.
contra mendacium cap. 19." Quisquis mihi,
,, inquit, pro persuadendo & defendendo
,, VLLO MENDACIO contradicit, quid dicit,
,, si verum non dicit ? Si autem propterea
,, est audiendus quoniam verum dicit, quomo-
,, dò me vult facere verum dicendo men-
,, dacem ? Quomodò mendacio patronam
,, sibi adhibet veritatem ? An adversario suo
,, vincit, ut à se ipso vincatur ? Quis hanc
,, absurditatem ferat ? Nullo ergo modo di-
,, xerimus, eos qui asserunt aliquando esse
,, mentiendum, id asserendo esse veraces :
,, ne, quod est absurdissimum & stultissimum
,, credere, Veritas nos doceat esse mendaces.
,, Quale est enim, ut esse adulterandum ne-
,, mo discat à castitate, Deum offendendum
,, nemo discat à pietate, cuiquam nocendum
,, nemo discat à benignitate : & esse mentien-
,, dum discamus à Veritate ? Porrò si hoc non
,, docet Veritas, non est verum : si non est
,, verum, non est discendum : si non est dis-
,, cendum, nunquam igitur est mentien-
dum". Et superiùs ibidem proximo capite :
" Hoc scio, inquit, quòd etiam qui docet
,, oportere mentiri, verum docere se vult vi-
,, deri : nam si falsum est quod docet, quis fal-
,, sæ velit studere doctrinæ, ubi & fallit do-
,, cens, & fallitur discens ? Si autem ut ali-
,, quem possit invenire discipulum, docere se
,, asserit verum, cùm doceat esse mentiendum,
,, quomodò erit ullum ex veritate menda-
2. 21. ,, cium, Joanne Apostolo reclamante, *Omne*
,, *mendacium non est ex veritate* ? Non est ergo
,, verum, aliquando esse mentiendum. Et quod
,, non est verum, nemini est omninò suaden-
dum". Et lib. de Mendacio cap. 8." Quomo-
,, dò credendum est ei, inquit, qui putat ali-
,, quando esse mentiendum, ne fortè & tunc
,, mentiatur cùm præcipit ut credamus ? Unde
,, enim sciri potest, utrùm & tunc habeat ali-
,, quam causam, sicut ipse putat, officiosi men-
,, dacij, existimans falsâ narratione hominem
,, territum posse à libidine cohiberi, atque
,, hoc modo etiam ad spiritalia se consulere
,, mentiendo arbitretur ? Quo genere admisso
,, atque approbato, omnis omninò fidei disci-
,, plina subvertitur : quâ subversâ nec ad in-
,, telligentiam pervenitur, cui capiendæ ista
,, parvulos nutrit. Atque ita omnis doctrina
,, veritatis aufertur, cedens licentiosissimæ
,, falsitati, si mendacio vel officioso alicundè
penetrandi aperitur locus". Huc denique
spectat quod idem Augustinus Enarratione in
Psalmum 5. ait : " Duo sunt omninò genera
,, mendaciorum, in quibus non magna culpa
,, est, sed tamen NON SVNT SINE CVLPA : cùm
,, aut jocamur, aut ut proximis prosimus, men-
timur". Quapropter cùm jubeamur *Diligere* Mat. 22. 39.
proximos sicut nos ipsos, si non liceat cuiquam
mentiri ut prosit proximis suis, nec licebit
quoque ut prosit sibi ipsi. Quod ipsum satis
indicat idem Augustinus Concione 1. in Psal-
mum 30. ubi ad illa verba, *Odisti observantes* Ps. 30. 7.
vanitatem supervacuè, inquirit : Quis observat
vanitatem ? Et continuò respondet : " Qui ti-
,, mendo mori moritur : timendo enim mori
,, mentitur, & moritur antequam moriatur,
,, qui ideò mentiebatur ut viveret. Mentiri
,, vis ne moriaris ; & mentiris, & morieris : &
,, cùm vitas unam mortem, quam differre po-
,, teris, auferre non poteris, incidis in duas, ut
,, priùs in anima, posteà in corpore moriaris.
Unde hoc, nisi *observando vanitatem* " ? Planum
itaque ex his omnibus evadit, mendacia
quantumvis officiosa, etiam pro conserva-
tione propriæ vel alienæ vitæ extorta, *mala*
esse gramina & noxios succos : quorum profectò
virosam affectionem nequaquam extergit spe-
ciosa superscripti *Restrictionis, Reservationis, Li-*
mitationis, Subauditionis, Subintellectionis Æquivo-
cationis &c. sicut nec apud veteres mendacij
patronos abstergere valuit superscriptio [I] *Reli-* I. Cassian. l. 5 de Instit. cenobi. cap. 17.
giosa circumventionis, [K] *Oeconomia*, [L] *Affectatitia* K. Idê Collat. 17. c. 16. & 19.
vel *Pia simulationis*, [M] *Salutaris dispensationis*, si- L Ibid cap. 17 & 19.
ve, ut est apud Hieronymum, [N] *Honesta dispen-* M Ibid cap. 19.
sationis. Ad quam superscriptionem alludens N Hieron. Epist 79.
Augustinus : [O] Aut hoc est, inquit. quod ego O August. Epist 19. cap. 2.
,, appello *officiosum mendacium*, ut hæc *dispensatio*
,, sit officium velut honestè mentiendi : aut
,, quid aliud sit omninò non video, nisi fortè
,, addito nomine *dispensationis* fiat ut menda-
,, cium non sit mendacium. Quod si absurdum
,, est, cur non apertè dicis officiosum menda-
,, cium defendendum, nisi fortè nomen te mo-
,, vet, quia non tam usitatum est in Ecclesiasti-
,, cis libris vocabulum *officij* ; quod Ambrosius
,, noster non timuit, qui suos quosdam li-
,, bros utilium præceptionum plenos, *De offi-*
,, *cijs* voluit appellare ? An si *officiosè* mentia-
,, tur quisquam, culpandus est ; si *dispensa-*
,, *tivè*, approbandus ? Rogo te, mentiatur
ubi legerit, qui hoc putat". Recolat Lector
quæ adversùs mentalium limitationum viru-
lentiam superiùs cap. 104. & 105. addixi-
mus : ubi signanter § 392. exhibuimus verba Vide Lessium suprà §. 392.
P. Lessij, quibus ultrò agnoscit plerosque

veterum *mendacij* patronorum, eo nomine *vocasse etiam orationem alio sensu dictam, vel habentem tacitam mentis limitationem: ita ut alter aliud intelligat, & decipiatur.* Quod ipsum fusè operoséque prosequitur is, qui sub *Emonerij* nomine edidit pro Lessio apologiam, titulo *Splendoris veritatis moralis* prænotatam: quem fuisse P. Theophilum Raynaudum, constat ex Bibliotheca Scriptorum Societatis, in ipso. Hic itaque in suo illo *Splendore veritatis*, loquens

Raynaudus. inprimis de *Origene* asserit cap. 12. n. 12. eum *nomine mendacij in verbis positi, intelligere locutionem mentaliter restrictam.* Rursùs ibidem n. 14. idipsum asserit de *Chrysostomo*. & n. 16. de *Cassiano* ejus discipulo, & superiùs n. 6. & 7. de *Synesio*, & n. 8. de *Dorotheo* & *Agathone*. Quod idcircò agit, ut veterum illorum patrocinio doctrinam mentalium restrictionum à Lessio traditam communiat. Sed profectò satis hinc apparet, quàm desperatæ causæ patrocinium susceperit, cui non potuit aliter succurri, quàm suffragijs authorum, qui indidem improbentur, unde ad suffragandum accersuntur. Ad suffragandum quippe accersuntur ex ijs ipsis locis, quibus asserunt mendacium subinde licere: quod tamen Raynaudus toto penè secundo capite sui libelli contendit nunquam licere, sed indispensabiliter illicitum esse; proferens inter alia ad id probandum n. 21. ex Vivaldo & Holkot istam sententiam:

Vide Vivaldum lib. de Vera contrit. cap. 22. & Holkot Lect. 11 in lib. Sapientiæ.

Mendacium est idioma quo utuntur qui sunt de regno diaboli: unusquisque enim loquitur linguam suam in qua natus est; atque ita quia mendaces de patre diabolo nati sunt juxta Ambrosium, genus sua idiomate loquuntur. Econtrà autem, veraces utuntur idiomate regni ad quod pertinent; & cum ex Deo nati sint, qui ipsissima Veritas est, genus ac gentem suam locutione veraci produnt. Si quæras ad quod regnum spectent mentales Restrictores? Respondebunt veteres illi à Raynaudo adducti, eos spectare ad illud regnum cujus idioma est mendacium: cùm enim juxta Raynaudum cum suo suscepto Lessio, veteres illi restrictiones mentales vocaverint mendacia, proculdubiò censuerunt eas esse idioma illius regni, cujus idioma sit mendacium. Hoc autem est regnum diaboli, prout cum Holkot & ex Holkot astruit Vivaldus. Quoniam igitur Raynaudus summoperè cavet admittere consequens istinc inferendum, cogitur veterum illorum loquelam improbare, dicendo, eos nonnisi impropriè & abusivè restrictiones mentales vocasse *mendacia*. Ecce quemadmodùm veteres Patroni ibidem improbantur, unde ad patrocinandum acciuntur! Admittit tamen Raynaudus, Platonem & Philosophos de mendacio propriè dicto fuisse locutos, cùm illud subindè licere asseruissent:

Raynaudus. *Platonem*, ait ipse cap. 2. n. 30. *& Xenophontem, quod de Philosophis universè jam innui, nisi alia via excusentur, admitto erroris magistros hac in parte fuisse; atque adeo nego audiendos.* Et tamen Origenes §. 458. relatus disertè profitetur se loqui Platonis de mendacio sententiam: Hieronymus quoque ibidem relatus, sex alios Origeni eâ in re suffragatores adjungit, atque inter eos Chrysostomum, cui tanquam magistro discipulus subscripsit Cassianus. Idem prætereà Hieronymus ibidem protestatur *se Origenis Commentarios fuisse secutum*: & Augustinus, ibidem contrariè adductus, testatur *se non mediocriter dolere, patrocinium mendacij ab Hieronymo, tanto viro, fuisse susceptum.* Denique Prosper §. 459. relatus, Cassianum tanquam mendacij patronum sugillat: quod sanè mirum est excidisse Raynaudo, quando cap. 12. n. 16. dixit se non meminisse, Cassianum à quoquam fuisse super hac re reprehensum, usque ad Dionysium Carthusianum; qui plus mille annis Prospero fuit recentior. In editione Lovaniensi Operum Prosperi, à centum ferè jam annis peractâ, extat Nota ista marginalis ad locum Capitis 9. adversùs Collatorem, mox memoratum: *Notatur decima septima Collatio Cassiani, in qua docet, quandoque esse licitum mentiri.* Nec dubium quin Cassianus de eodem mendacio intelligendus sit, de quo & Abbas Joseph apud ipsum Collatione illa 17. disserit. At verò Abbas Joseph de mendacio propriè dicto disserit, quod cap. 20. illius collationis appellat *hypocrisin*: & hanc ibidem approbat & laudat, vocans *utilem ac salubrem*. Unde rectè Abbas Germanus ibidem superiùs cap. 18. dixerat hujusmodi hypocrisin esse *mendacium pio colore contectum.* Quibus omnibus perpensis licebit in hunc modum ratiocinari adversùs Raynaudum: Origenes, & cæteri ei in mendaciorum patrocinio subscribentes, de propriè dicto mendacio sunt locuti, prout jam visum est: Atqui, juxta Raynaudum, mendacium de quo locuti sunt nihil est aliud quàm restrictio mentalis, sive oratio mentaliter restricta: Ergo restrictio mentalis, sive oratio mentaliter restricta, est propriè dictum mendacium. Quòd si ita est, proculdubio juxta Vivaldum & Holkot mox relatos, *est idioma quo utuntur qui sunt de regno diaboli.*

CAPUT

CAPUT CXXII.

Tamburiniana Decalogi Explicatio, verius elaxatio, magnoperè à suis præconizatur; signanter à Theophilo Raynaudo, acerrimo mentalium restrictionum à Lessio præassertatum vindice: quas tamen procerto agnoscit tollere sinceritatem, ideoque earum usum non modò cum Christianæ simplicitatis regulis, sed & cum naturali veracitatis virtute neutiquam cohærere, nisi interveniente causâ idoneâ. Theophrasti & Ciceronis in mentales reservatores invectiva. Homeri de ijsdem distichon, Haud minùs ille mihi exosus quàm janua Ditis, Mens aliud cui tecta premit quàm lingua loquatur. *Neoterici restrictionum patroni imitantur priscos mendaciorum patronos, nec mirum. Mala causa Advocatos suos vana loqui cogit, etiam quos eidem patrocinari nemo coëgit. Tamburino certum est,* Jurare absque jurandi animo non licere sine causâ, licere cum causâ. *Sine causâ idoneâ nec verbum quidem promere fas est, etiam nudè assertorium, quantò minùs juratorium? Otiosi verbi bina descriptio ex Gregorio. Communis Theologorum sententia est, externam sine internâ jurationem esse peccatum ex suo genere mortiferum, religioni secundo Decalogi præcepto indictæ adversum. Tam intrinsecè pravum est fictè jurare, quàm fictè blasphemare, vel fictè idolis sacrificare.* Judicium, *quod inter tres juramenti comites censetur, quid? Veterum Christianorum à mendacio aversio. Qui simulatoriè falsum jurat, dupliciter peccat: quia simulata æquitas est duplex iniquitas. Non solùm jubemur cohibere linguas nostras à malo, sed & labia à dolo. Nihil aliud Augustino est loqui dolum, quàm* Aliud labijs promere, cùm aliud claudatur in pectore. *Extremum potiùs supplicium subeundum, quàm doloso juramento utendum. Tamburinus sub juramento æquivoco comprehendit mentaliter restrictum. Bina usurpatio* locutionis amphibologicæ *ex Suarezio. Recensentur multiplices Tamburini laxitates in materiâ testimoniorum, etiam juratorum. Mentales restrictores, perinde ac aperti mendaciorum defensores, faciunt ut nec vera dicentibus credatur: reddit enim crebra fallacia authorem suum in veritate suspectum.* Qui sophisticè loquitur, odibilis est.

§. 461. INter approbatores Operis Tamburiniani, editionis Lugdunensis, decesse noluit præfatus Raynaudus, ut proindè omnes laxitates eo Opere comprehensas videatur quodammodò facere suas; prout in simili Papa Celestinus olim aiebat de Africanorum Conciliorum quicusdam sententijs: *Quas utique*, inquit, *suas fecerunt Apostolici Antistites, dum illas comprobarent.* Cœterùm quia ista Raynaudi approbatio, nisi malis dicere elogium, in nuperâ editione Insulensi non extat, lubet eam hîc Lectori spectandam exhibere, sic sonantem: *Opus R. P. Thomæ Tamburini in Decalogum, post accuratam Theologorum recognitionem annuentibus Maioribus in Italia cusum, dignum est iteratò cudi ob doctrinæ soliditatem, & in explicandis nodis conscientiæ perspicuitatem. Idem videtur de Opusculis quibusdam moralibus Explicationi Decalogi attextis. Neque verò author à sola doctrinæ soliditate, & rerum dubiarum exponendi dexteritate in his lucubrationibus commendandus est; sed etiam quia bonis moribus in eisdem expurgate consuluit. Lugduni in Collegio Sanctissimæ Trinitatis 5. Febr. 1658.* Sunt & alia variorum Theologorum de eodem Opere ibidem coacervata elogia; quæ eo fine videntur multiplicata,

Cœlestin. epist. cap. 1.

Tamburini approbatio per Raynaudum.

plicata, ut ſuâ multitudine authoritatem concilient Tamburini laxitatibus, etiam abſque ſuffragio extranei cujuſdam Doctoris. Sed ijs omiſſis unicum illud Raynaudi elogium exhibere placuit, propter patrocinium æquivocationum, ac mentalium reſtrictionum, ab utroque authore ſuſceptum; à Raynaudo quidem in *Splendore veritatis moralis* jam pridem, à Tamburino autem noviſſimè in ſua *Expedita Decalogi explicatione*, ab eodem Raynaudo tam magnificè dilaudatâ. Fatentur porrò ambo illicitas eſſe æquivocationes, mentaleſque reſtrictiones, deficiente juſtâ causâ uſurpatas; contendunt autem licitas omninò eſſe, eâdem interveniente: prorsùs ad eum modum, quo Philoſophi Gentiles, & quidam veteres Chriſtiani eos ſecuti, cenſuerunt de mendacio, prout proximo capite viſum eſt: Q *Æquivocationes*, ait Raynaudus, *& reſtrictiones mentaliter factæ, cùm abſque idonea cauſa uſurpantur, pugnant cum humana converſatione, ideòque diligenter cavendæ ſunt, ut probavi ſuprà cap. 5. Cùm autem ſubeſt juſta cauſa eas uſurpandi, non ſunt contra vitam ſocialem, nec impetunt modum debitum converſationis humanæ.* In capite illo 5. ad quod ſe hîc refert, ſic ait n. 6. *Itaque certum eſto, quandoquidem ambigua & mentaliter reſtricta locutiones ſinceritatem tollunt, uſum earum niſi juſta cauſa interveniat, non modo cum Chriſtiana ſimplicitatis regulis, ſed etiam cum naturalis veracitatis virtute non cohærere.* Addit prætereà ibidem inferiùs n. 11. *Sicut Hieronymus ad Julianum Diaconum*: " Antiquus ſermo „ eſt, Mendaces faciunt ut nec vera dicentibus credatur ". *Id quod etiam de Ariſtotele refert Laertius in ejus vita. Similiter ergo, qui abſque idonea cauſa & ex mera fingendi libidine, orationem ambiguam, vel aliud exteriùs quoad verborum corticem, aliud ex tacita reſtrictione ſonantem uſurpant; hoc emercantur, ut cùm ex juſta cauſa ita ſe gerunt, itemq́; cùm veritatem nudam & evolutam proferunt, fide careant; alijs meritò ſuſpectas habentibus duplicitatis latebras, & de abuſu ſemel deprehenſo ſemper ſollicitis. Idque ſerio & graviter inculcandum eſſet ijs, qui ex nulla, vel minùs idoneâ causâ, ambiguitatis & implexitate locutionis adamare comperiuntur: verè enim ſalutem humani convictûs exterminatam volunt, qui ita ſe gerunt. Nec tenuo, quin in iſtos quoque applicetur, quod, alio licèt ſenſu aliaque occaſione, à Theophraſto cap. 1. Ethicor. Charact. ſcriptum eſt in hunc modum*: " Cave ne imprudentiùs „ iſtiuſmodi vocibus & ſermonibus implicatis „ atque intricatis fidem habeas; quo nihil deterius „ reperire queas. Itaque ab iſtiuſmodi „ ingenijs neque ſimplicibus neque apertis, „ ſed ex occulto & ex inſidijs omnia agentibus, „ diligentiùs cavere debemus, quàm à viperis ". *Itemque illud Poëtarum maximi Iliad. 4.* " Haud minùs ille mihi exoſus quàm janua „ Ditis, Mens aliud cui tecta tegit quàm lingua loquatur ". *Denique conſideratum ab iſtis, & in rem ſuam tractum vel. m ſ. ud, a Tullio ſcite ſcriptum 2. de Finibus*: " Si vultum tibi, ſi inceſſum fingeres, quò gravior viderere; non eſſes tui „ ſimilis: Verba tu fingas, & ea dicas quæ non „ ſentias; aut etiam ut veſtem ſic ſententiam „ habeas, aliam domeſticam, aliam forenſem, „ ut in fronte oſtentatio ſit, intùs veritas occultetur: „ Vide, quæſo, rectumne ſit ".

Q Raynaudus in Splendore Verit. c. 14 n. 5.

Vide Hierô. Epiſt. 97 & Iſidor. lib. 2. Sentent c. 30. & Ariſtot. apud Laertium in ejus vita.

Theophraſtus.

Homerus.

Cicero.

Videmus hinc liquidò, quantoperè Raynaudus improbet æquivocationes, & mentales reſtrictiones, ſine idoneâ causâ uſurpatas: pro quarum tamen juſtificatione, quoties juſta intervenit cauſa, toto illo ſuo libro ex profeſſo decertat. Quâ in re imitatur veteres patronos mendacij, ſuperiori capite allegatos; quorum aliqui generaliter *medicamini*, alij peculiariter *helleboro* illud aſſimilarunt; tanquam in neceſſitate proficuum, citra verò eam nocivum. Nec ſanè mirum videri debet, quòd eos in hac re imitari voluerit, quos velut antiquos ſui dogmatis patronos agnoſcit; quaſi non aliud *mendacij* nomine, quàm orationes æquivocas, aut mente reſtrictas, intellexerint. Sed ſi has illi *mendacij* nomine intellexerunt, quis non videat alterutrum è duobus eſſe conſequens; nimirum vel Auguſtinum eas reprobaſſe ac refutaſſe in Hieronymo, vel certè eundem Auguſtinum clauſis Andabatarum more oculis conflixiſſe cum Hieronymo, & in ipſo cum reliquis quorum ſententiæ ſubſcripſerat Hieronymus? Si enim Hieronymus nomine *mendacij* non aliud intellexit quàm æquivocationes aut mentales reſtrictiones, quæro num Auguſtinus Hieronymi ſenſum perceperit, an non? Si primum, planè ſequitur Auguſtinum ex profeſſo improbaſſe ac refutaſſe aſſertionem æquivocationum ac mentalium reſtrictionum in Hieronymo, atque adeò in cæteris quorum ſententiæ ſubſcripſerat Hieronymus. Si ſecundum, planè pariter ſequitur Auguſtinum clauſis oculis Andabaticè conflixiſſe cum Hieronymo, ut qui neſcierit quid reverà ſenſerit Hieronymus. Idem dilemma formari poteſt de Proſpero & Caſſiano: Proſper enim, ut §. 459. viſum eſt, redarguit Caſſianum in eo, quòd docuerit ille licere aliquando mentiri. Si ergo Caſſianus per *mentiri*, nihil aliud intellexerit, quàm *æquivocare*, aut *mentaliter reſtringere*; certè Proſper mentem ejus percepit, aut non percepit. Si primum, profectò Proſper explodendo Caſſiani dogma exploſit æquivocationes mentaleſque reſtrictiones. Si verò ſecundum, conſequens prorsùs eſt ut Proſper nequaquam Aquitanicè, ſed Andabaticè cum Caſſiano dimicaverit. Sed quid de ipſo Hieronymo dicturi ſumus? Ipſe enim, ut §. 4[illegible]. vidimus, à ſententia Origenis & Chryſoſtomi

aliorum-

aliorumque Græcorum pridem defensâ, transilijt demùm ad oppositam, ab Augustino persuasam. Si ergo cum Græcis illis nihil aliud pridem astruxerat nisi æquivocationes aut mentales restrictiones, profectò postmodùm, ab Augustino persuasus ac correctus, reprobavit æquivocationes ac mentales restrictiones: nisi fortè eousque desipere lubeat, ut dicatur Hieronymus non intellexisse seipsum, sed Andabaticè pugnasse adversùs seipsum. Ecce in quas angustias devolutus est Raynaudus, cùm vellet suo dogmati providere ex veteribus patronos! Cui rectè regeritur illud Augustini ad Faustum: R. *Mala causa te vana loqui coëgit, malam verò habere causam nemo te coëgit.*

R Aug lib. 16. contra Faust. c. 26.

CDLXII. Videamus nunc quemadmodùm Tamburinus, à Raynaudo tam impensè laudatus, veteres mendacij patronos in præsenti æquivocationum mentaliumve restrictionum causâ imitetur, asserendo eas ex justâ causâ licere, citra eam verò non licere. Is igitur lib. 9. in Decalogum cap. 3. §. 5. n. 1. propositâ quæstione, *An testis possit æquivocare?* refert se ad ea quæ dixerat superiùs lib 3. ubi de juramentis latè differuerat. Censuit enim non malè, quòd si inter jurandum liceat æquivocare vel mentaliter restringere, à fortiori id licebit inter testandum citra juramentum. Dixerat autem ibi superiùs: S. *Certum est; jurare sine animo jurandi, sive res sit levis sive gravis; vel jurare verbis æquivocis, non esse licitum sine causâ: licitum esse cum causâ.* Ubi prior quidem pars citra controversiam vera est: nam nullo omninò juramento uti licitum est absque causâ, nequidem sincero, univoco, ac plano; quanto minùs ficto, æquivoco, aut implexo?

S Tambur. lib. 3 cap. 1. § 2 n. 1.

Unde Augustinus: T. Qui intelligit, inquit, „ non in bonis, sed in necessarijs jurationem „ habendam, refrænet se quantùm potest, ut non eâ utatur, nisi necessitate". Ut enim superiùs §. 389. visum est, illicita est omnis juratio cui vel *veritas* deest, vel *justitia*, vel *judicium*: quo postremo nomine discretio importatur, quâ cohiberi debemus, ne absque idoneâ causâ Divinam Majestatem invocemus in testem. Etenim cùm *Omne verbum otiosum* subjaceat pœnæ in foro Dei, adeoque etiam culpæ; quis ambigat juramentum otiosum à fortiori subjacere pœnæ, ac culpæ? Dicitur autem otiosum, ut ait Gregorius, V. *Quod aut ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret*: sive, ut idem Homil. 6. in Euangelia sub finem ait, *Quod aut utilitate rectitudinis, aut ratione justæ necessitatis caret.* Utrobique disjunctiva locutio est, non copulativa: quia nimirùm ex mente Pontificis sufficit alterutrius conditionis carentia ad otiositatem, atque adeò ad peccaminositatem. Si autem ad otiositatem & peccaminositatem simplicis verbi, quanto

T August. l. de serm. Domini in monte c. 19. Vide supra hic § 389. Mat. 5. 8.

Vide Divum ... 2. ... 13. à 5. ... Mat. 12. 36.

... de ... Mo... Ad. 25.

magis juramenti? Unde ipse Tamburinus de tribus prædictis juramenti comitibus disserens, cùm de *veritate* & de *justitia* tractasset, adjecit de *judicio*: W. Judicium consistit in eo, „ ut adsit causa sive necessaria, sive utilis, sive „ pia ad jurandum: irreverenter enim Deum „ implorares, si nulla causa rationabilis ad „ tantum testimonium interponendum accederet". Quid ergo magni est, quòd jam dicat, *Jurare sine animo jurandi, sive res sit levis sive gravis; vel jurare verbis æquivocis, non esse licitum sine causa*: cùm nullum omninò juramentum, quantumvis alioqui sincerum ac planum; imò nec ullum verbum injuratum; proferre liceat sine causa? Cæterùm quòd ille posteriorem suæ assertionis partem venditet tanquam *certam*, perindè ac priorem, nimiæ est præfidentiæ: præsertim cùm ne vel unus quidem ab authore allegetur, qui sic ante ipsum senserit. Quapropter audiendus potiùs fuerit Suarez, qui ex communi Theologorum sententia asseverat, non modò illicitum, sed & ex genere suo mortiferum esse, jurare sine animo jurandi. Ex quo planè consequens est, nullam intervenire posse causam ad sic jurandum idoneam; cùm non sint facienda mala, sive ut proveniant bona, sive ut vitentur mala: X Jurare exteriùs, ait ille, sine intentione jurandi, ex suo genere peccatum mortale est, „ contra religionem, & contra secundum præ„ceptum Decalogi, & aliquando potest esse „ contra justitiam, licèt non semper. Conclusio „ est COMMVNIS THEOLOGORVM in 3. Dist. „ 39. Bonaventuræ art. 3. q. 1. Richardi art. „ 2. q. 2. item Cajetani, Soti, & aliorum „ in 2. 2. q. 89. art. 7. Covarruviæ 1. p. § 5. „ n. 2. Probatur primò, quia illo modo assu„mitur nomen Dei in vanum, & modo gra„vi ac pernicioso: Ergo est peccatum mortale „ ex genere suo. Antecedens patet, quia no„men Dei fictè & exteriùs assumitur ad ju„randum: Ergo vanè, quia non sumitur ad „ confirmandam veritatem, sed ad decipien„dum: Ergo in vanum: quid enim magis „ vanum, quàm fallacia, & deceptio? Illatio „ autem primi argumenti probatur, tum quia „ magna irreverentia Dei est, quòd illius no„mine abutatur homo ad decipiendum alios; „ tum etiam quia talis modus jurandi est val„de contrarius principali fini juramenti, qui „ est firmare humana fœdera, & verba: nam, „ ut in principio hujus materiæ dixi, ex ne„cessitate hujus internæ intentionis jurandi „ multùm videtur enervari efficacia juramen„ti: unde nisi teneantur homines gravi obli„gatione ad habendam talem intentionem „ cùm jurant, prorsùs evertitur juramenti „ fructus, & securitas. Est ergo hæc gravis „ obligatio, nata ex intrinsecâ ratione jura„menti, & reverentiâ Deo debitâ: & ideò ejus

W Tambur. lib 3 c. 1. § 4. n. 4.

Videri ivam Thom 2 2. q. 110 a 3. in Corp

X Suarez l. 3. de Juramento c 15. n. 2.

,,ejus transgressio est ex suo genere grave peccatum". Subdit præterea idem author aliam ejusdem veritatis probationem mox n. 2. dicens, " Exteriùs dicere verba blasphemiæ
,, in Deum, etiamsi dicantur sine intentione
,, blasphemandi, sed ex metu, vel vanâ osten-
,, tatione, peccatum mortale est; quia de se
,, tendit in gravem injuriam & inhonora-
,, tionem Dei: Ergo adducere Deum exte-
,, riùs ad testificandum falsum, de se est gravis irreverentia Dei". Alio item argumento Cajetanus apud Sotum confirmat eandem sententiam: [1] Quemadmodùm, inquiens,

1 Cajetanus apud Sotum lib. 8 de Iustitia qu. 1. art. 7.

,, exterior cultus idolorum sine animo co-
,, lendi, quod Marcellinus fertur egisse, pec-
,, catum est mortale; quia applicatur cultus
,, cui non debetur: ita & illud testimonium,
,, *Deus est mihi testis*, quod est actus religionis,
,, applicare mendacio, est irreverentia mortalis". Ubi obiter notandum, Authores istos, uti & cæteros passim, in dubium duntaxat revocare num ejusmodi fictio in juramentis sit peccatum mortale; supponentes pro certo esse peccatum. Unde Sotus paulò ante verba Cajetani mox ex ipso relata præmiserat: " Emergit dubium utrùm jurare exteriùs

Sotus.

,, fictè, sine intentione jurandi, sit peccatum
,, mortale: quoniam de veniali NON EST DV-
,, BIVM, quandoquidem qui dicit se jurare & non jurat, mentitur". Ecce quemadmodùm extra omne dubium habuerint vetustiores illi Scholastici, juramenta sine jurandi animo illicitè proferri; cùm tamen Tamburinus *certum* velit esse oppositum, dummodò scilicet causa subsit. Quasi verò vel ulla causa possit licitum reddere mendacium; vel juramentum sine jurandi animo foris præstitum non foret mendacium. Meritò sanè Eusebius ex communi veterum Christianorum personâ irridet apostatam Porphyrium, asserentem Deos aliquando mentiri; ac tum subdit, [2] Mortalem hominem, cui aliqua cura virtu-

2. Eusebius lib. 6. Præcep. Euang. cap. 4.

,, tis sit, nullâ ratione cogi posse ut mentia-
,, tur, non dubitamus. Nam si etiam verbera
,, & cædem minaberis, non dubitabit excla-
,, mare: *Ensem acue, ignem adferas, corpus meum*
,, *incidas, totum cremato: stella in terram priùs de-*
,, *scendent & terra in cælum ascendet, quàm falsum à me quidquam audias*". Quòd si id locum habet in nudo simplicique mendacio, quanto magis in jurato? Nec refert quòd non verè, sed fictè ac simulatè juramentum adjiciatur. Isto enim artificio non evacuatur malitia, sed duplicatur: [A] Sicut medicina, inquit Di-

PRÆOCCVPATIO.

A. D. Thom. 2. 2. qu. 89. a. 5. ad 3.

,, vus Thomas. est utilis ad sanandum; & ta-
,, men quanto est virtuosior, tanto magis no-
,, cumentum inducit si non debitè sumatur:
,, ita & juramentum utile quidem est ad con-
,, firmationem; tamen quanto est magis vene-
,, randum, tantò est magis periculosum nisi
,, debitè inducatur: quia, ut dicitur Eccles.
,, 23. *Si frustraverit*, id est, deceperit fratrem,
,, *delictum ipsius supra ipsum erit: & si dissimulave-*
,, *rit*, quasi per simulationem jurando falsum, *de-*
,, *linquit dupliciter*; quia scilicet simulata æqui-
,, tas est duplex iniquitas: *Et si in vacuum jura-*
,, *verit*, id est, sine debitâ causâ & necessitate, *non justificabitur*". Homini vitam volenti & dies bonos videre cupienti dicitur, *Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum: diverte à malo, & fac bonum; inquire pacem, & persequere eam*: [a] Horum omnium, inquit Au-

Eccli 23. 13. & 14.

Ps 33. 14. & 15.

a. August. Homil. 1 inter 50. c. 3.

,, gustinus, cætera superiora sunt in præcepto,
,, ultimum in præmio. Nam ut cohibeamus
,, linguam nostram à malo, & labia nostra non
,, loquantur dolum, declinemus à malo, &
,, faciamus bonum, & quæramus pacem, præ-
,, cipitur nobis: ut autem sequamur pacem,
,, promittitur nobis. Quæ est ista pax, nisi
,, quam non habet Mundus? Quæ ista pax est,
,, nisi quam non habet ista vita; quæ in illius
,, vitæ comparatione nec vita est? Neque
,, enim de hac vitâ diceret, *Quis est homo qui*
,, *vult vitam*? & ad eam vel retinendam vel

Ibid. n. 13.

,, producendam præceptis consequentibus hor-
,, taretur; quamvis & istam quis non velit?
,, Nam & hæc saltem optatur prolixa, quia
,, non potest esse sempiterna: & per hanc po-
,, test perveniri ad illam, si quemadmodùm
,, vult eam longam; sic velit & bonam".
Et rursùs ibidem inferiùs cap. 3. " Si hanc vi-
,, tam, inquit, in quâ nunc sumus, intellexe-
,, rimus in eo quod dictum est, *Quis est homo*
,, *qui vult vitam*? & propter hanc habendam quæ
,, connectuntur præcepta faciamus: quid
,, acturi sumus, cùm aliquis in malitia potens
,, mortem nobis fuerit comminatus, NISI
,, FALSVM TESTIMONIVM DIXERIMVS? Pro-
,, fectò enim si fecerimus quod hìc jubetur,
,, *Cohibe linguam tuam à malo*; ut propter hoc
,, præceptum testimonij fallaciam recusemus;
,, quasi decepti videbimur: quia propter ha-
,, bendæ vitæ cupiditatem præceptum servare
,, suscepimus, & eam magis præceptum ser-
,, vando perdidimus. Porrò si vitam intel-
,, lexerimus in æternum beatam, quam post
,, istam Deus dabit obedientibus sibi, de quâ
,, Dominus dixit ad quendam, *Si vis ad vitam*
,, *ingredi, serva mandata*; tunc interrogati, *Quis*
,, *est homo qui vult vitam*? & respondebimus nos
,, velle vitam, & jam SVB IPSO PERCVSSO-
,, RIS ICTV veritatem servabimus in testimo-
,, nio, mortem contemnemus in Mundo, vitam consequemur in cælo". An fortè putandus est ille *servare veritatem in testimonio*, qui Tamburinianis principijs imbutus jurat exteriùs, sine jurandi animo interiùs? Quid ergo erit loqui dolum, si hoc non sit loqui dolum? Audi ergo quid Augustinus ibidem post pauca subtexat: " Si propter istos dies, inquiens,

Mat. 19. 17.

quasi

„ quasi propter dies bonos, suscperimus præ„ ceptum, *ut labia nostra non loquantur dolum*; „ plerunque tales dies cogunt amatores suos „ loqui dolum, & tales dies negantur eis qui „ non loquuntur dolum. Quid est enim aliud „ loqui dolum, nisi ALIUD LABIIS PROMERE, „ CUM ALIUD CLAUDATUR IN PECTORE"? Viderit jam Tamburinus, utrùm labia ejus non loquantur dolum, qui ipsius Maximis imbutus promit juramentum ore; cùm non jurandi animus claudatur in pectore. Quòd si contendat Augustini verba intelligenda esse duntaxàt extra casum magnæ necessitatis, præclusit ei hanc evasionem ipse Augustinus proximo mox capite ibidem subjungens: "Alij „ sunt igitur *dies boni*, de quibus admonemur, „ ut *si eos videre diligimus, cohibeamus à malo lin-* „ *guam, nec dolum loquamur*. Non sunt de isto „ sæculo dies illi, nec eos habet cælum quod „ transiet, sed quod permanebit: non eos novit „ terra morientium, sed terra viventium. Hos „ quisquis intellexerit & dilexerit, *linguam co-* „ *hibet à malo*, etsi jam terror mortis cogat ad „ malum; *labia ejus non loquuntur dolum*, etsi die„ bus fallaciter bonis invitetur ad dolum". Quibus verbis manifestat, dilectorem supernæ atque æternæ vitæ debere cohibere linguam suam à malo, & labia à dolo; quantumvis eum ad contraveniendum urgeat sive mortis sufferendæ timor, sive vitę prorogandę amor. Quarum affectionum alterutri si quis cedens effrænaverit linguam suam, aut labia laxaverit, ad loquendum dolum; subjacebit comminationi

Psal. 51. 7. Propheticæ quâ dictum est, quòd *Deus linguam dolosam destruet in finem*. In quem locum Augu-

C. August. in Expositione Psalmi 51. stinus: "Quid est, inquit, *lingua dolosa*? Mi„ nistra fallaciæ est lingua dolosa; aliud in corde gestantium, aliud ore promentium". Et

Joan. 1. 47. Tract. 7. in Joannem, loquens de *Vero Israëlita in quo dolus non fuit*: "*Dolum*, inquit, dicit Domi„ nus, & omnis qui verba latina intelligit scit „ quia dolus est cùm aliud agitur, & aliud fingitur". Et mox iterùm ibidem: "Dolus, in„ quit, fraus est, simulatio est. Quando aliquis „ aliquid in corde tegit, & aliud loquitur, do„ lus est: & tanquam duo habet corda, unum „ quasi sinum cordis habet ubi videt verita„ tem, & alterum sinum ubi concipit menda-

Psal. 11. 3. „ cium. Et ut noveritis hunc esse dolum, di„ ctum est in Psalmis: *Labia dolosa*. Quid est, „ *labia dolosa*? Sequitur, *in corde & corde locuti* „ *sunt mala*. Quid est, *in corde & corde*, nisi, duplici corde"? Et Serm. 8. inter undecim in Parisiaca Carthusia non ita pridem repertos: "Fallitur, inquit, qui cùm sit falsum, verum „ putat esse, quod dicit: mentitur autem, qui „ falsum aliquid esse putat, & pro vero dicit, „ sive illud verum sit, sive falsum. Intuemini „ quid addiderim: sive illud verum sit, sive fal„ sum, tamen qui falsum putat, & verum asserit, „ mentitur, fallere affectat. Quid enim ei pro„ dest quia verum est, interim ipse hoc falsum „ putat, & dicit tanquam verum sit? Verum „ est in se illud quod dicit, in se verum est, „ apud illum falsum est; non hoc habet con„ scientia ejus, quod loquitur; aliud in se co„ gitat verum esse, aliud foràs profert pro ve„ ritate. Duplex cor est, non simplex; non „ quod ibi habet, hoc profert. Duplex cor olim „ reprobatum: *Labia dolosa, in corde & corde lo-* „ *cuti sunt mala*. Sufficeret ut diceret, *In corde* „ *locuti sunt mala*: ubi est, *labia dolosa*? Quid est „ dolus? Cùm aliud agitur, aliud obtenditur. „ *Labia dolosa* non simplex cor: & quia non sim„ plex cor, ideò *in corde & corde*, ideò bis *corde*, quia duplex cor". Et Serm. 44 de Diversis c. 22. "Dolus, quid est? Quando aliud agitur, & „ aliud simulatur. Quando itaque aliud est in „ intentione, aliud in factis, dolus dicitur. Dolus ergo in proprietate est reprehensibilis".

CDLXIII. Cùm ergo dolus; juxta propriam suam notionem, tam crebrò jam ex Augustino relatam, separari nequeat ab illo juramenti usu quem Tamburinus suprà suggessit; dubitari utique non debet, quin idem ille usus nullo unquam casu censeri possit licitus, sed semper & ubique perversus, illegitimus, profanus, sacrilegus. Quod cùm ex hactenùs dictis ac deductis planum sit, superest discutienda altera illa Tamburinianæ assertionis pars, quâ simpliciter pro certo affirmat, *licitum esse iurare verbis aquivocis, cum causa*. Ubi inprimis observatu dignum est, Tamburinum in hac ipsa sua assertione æquivocare, quatenùs per *verba aquivoca* intelligit orationem amphibologicam, non eam duntaxàt cujus externo tenori præcisè spectato plures correspondent sensus, sed eam quoque cui tametsi sic spectatæ unicus sensus respondeat, eidem tamen mentaliter suppletæ novus alius sensus respondere deprehenditur; ut si quis petenti à se quidpiam respondeat, *Non habeo*; ea responsio Tamburino est æquivoca seu amphibologica, quatenùs spectato solo externo vocum tenore importat respondentem non habere omninò quod petitur; spectato autem simul supplemento mentaliter adjecto importat solummodò respondentem non habere quod petitur, ut petenti illud det. Qui duo sensus adeò discrepant, ut prior esse queat falsus, posteriore vero: prout unicuique vel mediocriter intuenti perspicuum est. Porrò Tamburinum comprehendisse etiam orationem posteriori illo sensu æquivocam seu amphibologicam, planum est ex eo, quòd cùm in titulo inquireret, "*An in iudicijs aquivocare cum iuramento alijs à Reo liceat*" in Textu subjuncto respondeat n. 2. *Testis interrogatus à Iudice de occulto crimine alicuius, vel de crimine de quo non tenetur testificari, ut quia v. g. notabile damnum sibi sequeretur; potest iurare se rem nescire*: intelligen-

Tamburin.

D. Tambur. lib. 3. c. 4. §. 2.

intelligendo, ITA VT TENEATVR ILLI IVDICIO SVBDERE, VEL QVID SIMILE. Jurare igitur exteriùs *se rem nescire*, subintelligendo interiùs finale illud supplementum, Tamburino est *æquivocare cum juramento*: atque adeò juramentum æquivocum eidem est etiam illud, quod tametsi juxta externum vocum tenorem non habeat nisi unicum sensum, per internam tamen mentis suppletionem trahitur ad alium sensum. Consimilem æquivocationem intelligit idem Tamburinus in alio exemplo ibidem n. 3. subjuncto, dicens: *Si quis licitè aliqua bona abscondit v. g. à Fisco, eò quòd illis indigeat ad vitam sustentandam, non solùm ipse, sed etiam alij sive rogati, sive ex se (si tamen indigentia ijs constet) possunt* ÆQVIVOCANDO *testificari illum nihil abscondisse*. Item in alio exemplo mox infrà ibidem subnexo, quo ait: *Non solùm ipse Reus, si v. g. sit clericus, sed etiam alij possunt* IVRARE CVM ÆQVIVOCATIONE *coram sæculari Iudice, Clericum non deliquisse: intelligendo*, ITA VT OBLIGENTVR ID CORAM SÆCVLARI DEPONERE: *quia hic illegitimus est, quoad Ecclesiasticos*. Pergit ille continuò n. 4. addens: *Imo obligabitur testis aliquando sic* ÆQVIVOCARE. *Solet afferri exemplum de eo, qui iudici peccatum omnino occultum Rei manifestavit: is enim tenetur testificari coram eodem, Reum non commisisse tale delictum; intelligendo*, ITA VT SVBSIT EXTERNO IVDICIO. In quibus exemplis, uti & in alijs compluribus proximo §. ibidem ab authore subjunctis, juramenta ac testimonia censentur æquivoca sive amphibologica, quæ præter sensum verbis externè prolatis respondentem, habent alium ex eisdem verbis mentaliter suppletis resultantem. Porrò novam istam *æquivocationis* seu *amphibologiæ* usurpationem non primus excogitavit Tamburinus, sed eam ipsi suggessit Raynaudus, vel alius quispiam mentalium restrictionum Patronus. Raynaudus enim in suo *Splendore veritatis* postquàm ex Capreolo & Paludano mentalem restrictionem descripsisset, E. *Vsurpationem verborum talem, ne sistendo in exteriore ipsorum prolatione & quasi cortice, falsitatem contrahant; juncta tamen aliquibus verbis mente conceptis ac subintellectis, veritatem reipsâ contineant, nec nisi apparenter & in speciem sint falsa: qui enim ita concipit, & ita loquitur, restringit, celatque in mente aliquid, quod si promeretur, alia in audiente conceptio ex auditione ingeneraretur*: continuò subtexuit ad præsens propositum: *Aliqui hanc dicunt esse amphibologiam mentalem; priorem autem, quæ est simpliciter dicta æquivocatio, vocant amphibologiam sensibilem*. Neminem quidem ille hujus exoticæ usurpationis designat in particulari authorem vel usorem, sed tamen verisimile est eum allusisse ad Suarezium, qui postquàm integro cap. disseruisset de priori æquivocationis seu amphibologiæ genere, mox initio sequentis capitis ait: F. "*Amphibologia*, de qua in capite præcedenti locuti sumus, *sensibilis* vocari potest: *mentalis* autem erit, quando exteriora verba præcisè sumpta non habent significationem propriam & completam, in qua verum sensum efficiant; distrahuntur autem à propria significatione per aliquam restrictionem interiùs conceptam". Hæc ille de usu, vel potiùs abusu vocabuli *amphibologiæ*; quem Tamburinus imitatus est, cùm *æquivocationem* pro mentali restrictione tam crebrò sumpsit. Cæterùm idem Suarez ibidem nu. 4. loquens de sententia astruente licitum hujusmodi amphibologiarum seu restrictionum mentalium usum: "Hæc sententia, inquit, practicè securissima, & in rigore vera est dummodò non ad libitum quis loquatur, & restrictionem concipiat proportionatam verbis & materiæ de qua tractatur; vel saltem quæ si voce exprimeretur, & cum alia parte orationis conjungeretur, congruum & verum sensum efficeret, ex quo apta & conveniens responsio resultaret". Sed quid si quispiam eâ ingenij dexteritate præditus non sit, quâ commodam restrictionem mente concipere possit? Etiam huic subvenire conatur Suarezius, suadendo, ut in genere intendat eam restrictionem quæ reapsè congrua sit, tametsi ipse eam in specie nesciat: ut nimirùm velit sua verba verificari omni meliori modo, quo possunt. Suarezij verba ibidem continuò subjuncta, sed profectò tanto viro indigna, sunt ista: "Quòd si fortè rudis sit, & nesciat in particulari amphibologiam concipere, consilium erit, ut intendat negare vel affirmare in sensu, qui veritatem reipsâ contineat. Ad hoc autem necesse est, ut saltem in genere sciat, & sibi persuadeat, in alio vero sensu posse se negare, quod revelare non tenetur; quamvis in particulari nesciat modum. Nam si hoc etiam generaliter ignoret, nullo modo poterit in vero sensu loqui; & ideò nisi planè & simpliciter loquatur, pejerabit". Itaque, juxta hunc authorem, restrictiones mentales servire poterunt duntaxat eruditis, non autem omninò rudioribus. Sed quàm parùm sibi in hac materia fisus sit Suarezius, conjicere poterit Lector ex hac ejus confessione, cap. sequenti n. 6. subjunctâ: "Quando solùm suppletur sensus per internam additionem merè voluntariam, probabile est non excusari proprium mendacium, & perjurium; licèt sit res dubia". Addit tamen pro consolatione mentaliter restringentium: "Nihilominùs tamen in rigore non est perjurium, licèt sit grave peccatum". Cæterùm si quis scire aveat quænam causa censenda sit idonea ac sufficiens, ut quispiam licitè prædicto modo æquivocet, etiam à Judice interrogatus: respondebit juxta sua principia Tamburinus, distinguendo inter casum quo certò constat Judicem legitimè

E. Raynaudus in Splendore veritatis cap. 1 n. 35.

F. Suarez l. 3 de Juramento c. 10. n. 1.

Vide Sanchez lib. 3. in Decalog. c. 6. n. 46.

legitimè interrogare, & casum quo id non certò constat: in posteriori hoc casu nullam aliam exigit causam, præter jurantis libertatem. Tractans quippe ille de Reo & teste: [G] *Dubitant hi*, inquit, *an legitimè interrogentur à Iudice, obligabunturne ad eius mentem respondere?* Ecce quæstionem: audi jam subjunctam post pauca decisionem: *Respondeo*, inquit, *non obligari, etiamsi Iudex sub pœna excommunicationis præcipiat. Ratio est, quia Reus & testis sunt in possessione sua libertatis valendi ÆQVIVOCARE ex causa: Ergo ab hac non possunt deturbari propter dubium legitimæ interrogationis. Causa autem hic semper intervenit, quia semper ij possunt velle custodire suum ius, quo possunt non aperire veritatem ei, cui ex certa & manifesta obligatione non debeant.* Licebit proinde Reo & testi, juxta Tamburinum, semper artificio æquivocationum, sive sensibilium sive mentalium, eludere interrogationes Judicum, quoties non certò ac manifestò eis constiterit & Judicem esse legitimum, & interrogationes ab ipso fieri legitimè. Addit prætereà Tauburinus ibidem mox n. 2.: *Scio quosdam nostram responsionem admittere, si timeatur à Reo vel teste magnum malum: non verò exiguum, quale esset modicam pecuniam amittere &c. Sed hos sequi non possum: quia prædicta possessio libertatis* (valendi scilicet æquivocare) *in Reo & teste æquè prævalet, sive grave, sive leve damnum timeatur.* Tantæ molis huic authori est *æquivocandi libertas*, ut ejus vel solius objectu eludi vel perverti queat omnis judiciaria praxis, quantumlibet probabilis & usitata, cui alicundè desit ea certitudinis evidentia, quæ omnem dubitantiam adimat Reis ac testibus, judicialiter interrogatis. Porrò alterum casum, priori loco memoratum, idem author, alibi sic proponit: [H] *Si legitimus est Iudex, legitimèque per semiplenam probationem interrogat, unde Reus ex nullo capite ex his excusari videatur à fatenda veritate; celebri quæstione quæritur, An ob periculum vitæ, quod sincerè respondenti subsit, possit excusari, atque adeò ipsi negare veritatem CVM ÆQVIVOCATIONE liceat?* Quid ad hoc ipse? Primò refert sententiam negantium, quos fatetur fuisse cum Sanchezio *Permultos præsertim antiquiores*. At mox n. 5. subdit: *Sed iam alij recentiores, post accuratam discussionem, advertentes onus esse supra naturæ vires difficile, Reum obligare ad inferendum testimonium capitale contra seipsum, docent probabilissimum esse, & tutum, Reum minimè obligari ad fatendum crimen suum, unde tantum malum sibi parari videat.* Citat in margine pro hac sententia neotericos duos nominatim, quibus addit alios viginti duos, sed innominatim. His adeò consentit ipse, ut priori sententiæ non nisi extrinsecam probabilitatem annuere videatur. Refellens quippe objectionem desumptam ex praxi Judicum, quâ solent Reos in tali casu cogere ad fatendum simpliciter crimen: *In re*, inquit, *tam ardua Iudex non est superior. Quod si eos soleat cogere, ideo est, quia sequitur contrariam opinionem, quæ, SALTEM OB AVTHORITATEM DOCTORVM, probabilis est.* Si ergo Judex sententiam Tamburini amplecti velit, nunquam reos ad confessionem criminis capitalis, quantumvis semiplenè probati, torturis adiget: quia iniquum est quemquam ad id cogere, quod præstare non tenetur. Sed contrarium astruit Augustinus lib. 19. de Civit. cap. 6. & ante ipsum Ambrosius lib. 2. de Abel & Cain cap. 9. & ante utrumque Eusebius Papa Epist. 1. ad Galliæ Episcopos, cujus est illa Sanctio Corpori Juris inserta: [I] „Veritatem diversis cruciatibus „è lateoris suis religiosus tortor exigere debet: ut dum pœnis corporum subjiciuntur, „quæ gesta sunt, fideliter & veraciter exquirantur“. Unde meritò Leonardus Coquæus in Commentario super cap. 6. lib. 19. Augustini de Civit. Dei; & Covarruvias ibid. Practic. qq. cap. 23. n. 5. reprobant errorem Joannis Ludovici Vives, astruentis oppositum, saltem quoad Christianos. Cùm igitur Judici competat jus indagandi veritatem semiplenè probatam, proculdubiò ei juri correspondet in Reo quædam servitus, sive obligatio fatendi eandem veritatem sibi perspectam: cui obligationi nullatenùs satisfacit eludendo Judicem responso mentaliter restricto. Cæterùm neoterici illi, quos Tamburinus pro se allegat, limitant assertionem ad eum casum, quo Reus sperat æquivocando evadere mortem; Tamburinus tamen hanc limitationem respuit, tanquam superfluam ad excusandum æquivocatorem à culpa saltem mortali: [K] *Ego verò censeo*, inquiens, *etiam nullâ elucente tali spe, saltem à mortali esse etiam eiusmodi Reum excusandum. Excipio casum hæresis.* Rursùs non contentus respuere prædictam aliorum limitationem, addit ibidem n. 9. novam ampliationem, dicens: *Quod dictum est de periculo vitæ, extenditur communiter ad quodcunque malum grave: puta exilium, bonorum amissionem, triremes, gravem infamiam, &c. Ad hæc enim tam gravia mala, perinde ac ad mortem avertendam, ius naturæ nos armat, imò nos urget.* Sed quid tandem de malo levi? Licebitne Reo ad illud præpediendum eludere æquivocando Judicem aut superiorem, legitimè interrogantem? *Respondeo*, ait ipse ibid. n. 10. *à mortali fortassè excusandus esset, quamvis contrarium sit de Lugo. Ratio esse potest, vel quia de iure naturæ videtur esse, ut ne levo quidem vulnus mihi ipsi infligam; vel quia si agitur de pœna levi infligenda, videtur & leve & non rigorosum superioris præceptum; vel quia ex negatione talis veritatis non oritur grave malum Reipublicæ, si solùm levis pœna sit imponenda.* Verùm in his omnibus audiendus

Marginal notes:

[G] Tambur. l. 1. c. 3. § 7. v. Reus & testis n. 2.

Vide Escobar Tract. 6. Exam 6. c. 3. & 4.

[H] Tambur. lib. 3 cap. 4. §. 3. n. 3.

Vide ibid. n. 6.

Augustinus.

Ambrosius.

Eusebius Papa.

[I] Cap. illa qu. 5. q. 1.

Coquæus.

Covarruvias.

Vives.

[K] Tambur. ibid. n. 7.

potiùs fuerit D. Thomas Aquinas communiter à Theologis & Jurisperitis receptus, quàm P. Thomas Tamburinus laxitatibus invehendis intentus: [L] Pertinet, ait ille, ad debitum ,, justitiæ, quòd aliquis obediat suo Superiori ,, in his, ad quæ jus Prælationis se extendit. ,, Judex autem, ut suprà dictum est, Superior ,, est respectu ejus qui judicatur. Et ideò ex ,, debito tenetur accusatus Judici veritatem ,, exponere, quam ab eo secundùm formam ,, juris exigit. Et ideò si confiteri noluerit ,, veritatem, quam dicere tenetur, vel si eam ,, mendaciter negaverit, MORTALITER peccat". Mirum porrò est, Tamburinum tantoperè nunc urgere illud suum fundamentum, *De iure naturæ videtur esse, ut ne leve quidem vulnus mihi ipsi infligam*; quandoquidem idem ipse superiùs §. 456. relatus scripserit, *Ad tormenta, damnaque gravia vitanda, posse quemlibet sibi falsum crimen imponere, etiamsi mors sit sibi secutura.* Si enim jus naturæ obstet quo minùs quis leve quidem vulnus sibi ipsi infligat, quomodò non obstat quo minùs quis calumniosæ linguæ gladio seipsum occidat? Imò verò in hoc casu ille sibi lethale contra jus naturæ vulnus infligit, qui falso testimonio necem accersit, prout ibidem superiùs visum: in altero autem casu nullum ipse sibi vulnus infligit, quia non tam ipse se prodit, quàm ab alio veraciter proditum agnoscit: [M] Quando aliquis, ait D. Thomas, secundùm ordinem juris à Judice in- ,, terrogatur, non ipse se prodit, sed ab alio pro- ,, ditur, dum ei necessitas respondendi imponitur per eum, cui obedire tenetur". Quibus ritè perpensis facilè cernitur quàm aptè in Tamburinum quadret illud Minutij: [N] *Cui non est veri stabile iudicium, prout infida suspicio spargitur, ita eius dubia opinio dissipatur.*

L. D. Thom. 2. 2. q. 69. a. 1. in Corpore.

Vide suprà §. 456.

M. D. Thomas ibid. ad 2.

N. Minutius in Octavio.

CDLXIV. Non est hoc loco prætereunda illa Tamburini exotica planè ac ipso auditu horrenda laxitas, quâ censet & prædicat, licere inducere testem ad deponendum juratoriè falsum, quod deponens quidem putat esse verum, sed inducens probè scit esse falsum. Quæstionem proponit ipse his terminis: [O] *Quid si quis inducat ad iurandum falsum, quod iurans putat verum, ipse vero inducens sciat esse falsum?* Prima quidem Tamburini responsio erat inducentem peccare, & quidem mortaliter; eò quòd faciat Deum in testem falsi sibi comperti adduci, tametsi jurans ab ipso inductus excusetur propter bonam fidem. Ita ille se refert aliquando respondisse cuidam se consulenti super specie facti; responsumque suum nonnullis stabilivisse exemplis: ut inprimis ejus qui ebrium induceret ad incessendum contumelijs parentem, vel infantem ad blasphemandum Deum, vel servum ad laborandum in die festo quem servus nescit esse festum. Quibus exemplis præmissis subdit ille pro contrario, cui demùm accedit, desertâ priori consultatione: [P] *Non me latet, Petrum Hurtadum, quem sequitur Diana, & Tamerede, docere, esse probabile non esse culpam inducere testem ad iurandum in prædicto casu. Sed nec me latet, Ioannem De Lugo putasse eiusmodi Hurtadi sententiam apparenter solum posse defendi. Verùm, ut ingenuè fatear, post aliquot à consilio dato menses subyt mentem meam disparitas inter casum nostrum, & exempla n. 5. allata, quibus nitebatur tota vis Consilij mei. Ille enim homo excitando ebrium ad iniuriandum patri, infantem ad blasphemandum, servum ad laborandum die festivo, cognoscit eas actiones esse materialiter pravas, & nullo modo inducere ullam bonitatem: quare, eas nec velle, nec intendere, nec consulere potest. At in casu nostro adverti, in eo, qui modo dicto sine proximi damno iurat, adesse bonitatem virtutis Religionis; iurare enim id quod sine culpa putatur esse verum, actus est Religionis. Hoc igitur bonum, si ex proportionata saltem causa intendat is, qui proximum ad illud iuramentum inducit, non peccabit. Quod bonum formale cùm non sit in alijs actionibus, non est mirum si ad illas proximum inducere nequaquam sine peccato potest. Subtilis alicui videbitur, sed certè vera distinctio; ut si penetretur, censenda sit in posterum probabilis Hurtadi, hoc modo explicata sententia.* At certè primus hujus authoris conceptus fuit optimus, atque adeò posterior censeri debet pessimus: quippe parùm consentaneus dilectioni Dei, aut proximi. Neque enim sincerus Dei dilector fuerit, qui nomen sanctum ejus in confirmationem falsi usurpari fecerit: neque proximum veraciter dilexerit, qui eum ignorantiæ morbo afflictum non modò non sublevaverit, sed in ruinam licèt materialem præcipitaverit. Certè enim sicut misericordiæ ac fraternæ charitatis dictamine jubemur pascere esurientem, ita & erudire ignorantem. Quomodò ergò misericordiæ aut fraternæ charitatis affectus manet in eo, qui ignorantem fratrem non tantùm non erudit, sed eundem in perjurij saltem materialis præcipitium impellit? [Q] Quando ig- ,, norantia facti, inquit Bannez, est alicujus ,, rei contrariæ juri divino aut naturali, & ,, probabiliter speratur quòd ablatâ ignoran- ,, tiâ non operabitur homo quæ cum ignoran- ,, tiâ facit, vel facere vult; tenetur quisque ,, illam ignorantiam pellere. Verbi gratiâ, ig- ,, norat Petrus Mariam non esse suam uxo- ,, rem, & vult ad illam accedere: teneor il- ,, lum admonere non esse suam uxorem. Simi- ,, liter si vult contrahere matrimonium cum ,, muliere, quam ego scio esse sororem illius, ,, teneor illum admonere, etiamsi juridicè ,, probari non possit. Ratio hujus est, quia ,, quamvis talis ignorantia sit invincibilis in ,, illo; tamen respectu mei, scientis factum & ,, legem, deformitas est in illo actu, quam si possum debeo repellere". Quam rationem alijs

O. Tambur. lib. 3. c. 1. §. 6. n. 3.

P Ibid. n. 6. & 7.

Q. Bannez in 2. 2. q. 33. a. 2. Dub. 3. Conclus. 4.

alijs verbis proposuerat jam superiùs sub initium ejusdem Dubitationis: " Magnum malum, inquiens, est ignorantia rerum quas homo tenetur scire, etiamsi sine peccato ignoret: Ergo si possum succurrere huic malo, tenebor docere proximum. Et confirmatur, quia etiamsi proximus ex ignorantia operetur contrarium legi, tamen hoc ipsum vergit in quandam legislatoris injuriam: Ergo saltem propter honorem legislatoris, & ex lege charitatis ad Deum, tenebor docere ignorantem ". Breviter & apposité Coninckus: R. Honor Dei, inquit, obligat me, ut, quantùm commodè possum, vitem etiam peccata materialia, tam in me, quàm in alijs ". Sed vide quantâ cum securitate id asseveret Valentia: S. CERTUM EST, inquiens, si sumamus aliquantò latiùs *correctionis* vocabulum, ut significet quamcunque commonitionem, quâ proximus simpliciter in re aliqua doceatur veritatem; corrigi debere etiam eum, qui ex ignorantia invincibili juris divini, aut naturalis, aut humani, committit, vel omittit aliquid, quod alioqui committere, vel omittere sit peccatum mortale ". Peccatum utique materiale; quia ex sententia ipsius non est formale peccatum, quod ex ignorantia invincibili fuerit commissum, vel omissum. Inquirit Castropalaus, T. *An excuseris à correctione, eò quòd proximus delictum non cognoscit?* Et adductis quibusdam Neotericis, distinctionem adhibentibus: " Ego verò, inquit, existimo, sive obligatus sis ex officio sive non, sive ignorantia sit juris positivi sive naturalis; si ex monitione speretur fructus; te teneri transgredientem legem monere: tum ob reverentiam ipsius legis; tùm quia illa ignorantia absolutè malum quoddam est, esto non imputetur culpæ: Ergo est materia doctrinæ vel correctionis, & objectum spiritualis eleëmosynæ ". De eadem ignorantia loquens Suarezius: V. Illa, inquit, est quædam proximi miseria, quæ per misericordiam sublevari potest, & debet ". Et Franciscus Sylvius: W. Eum, inquit, qui ex inculpatâ juris divini vel humani, ad rectè vivendum necessarij, ignorantiâ operatur, unusquisque tenetur admonere, quando speratur fructus; etiamsi is non peccet ita operando: quia talis ignorantia grande malum est in proximo, turpisque error; quem unusquisque vellet à se removeri ". Et mox iterùm Conclusione sequenti: " Si proximus operatur malum ex facti contra legem divinam ignorantiâ, etiam inculpatâ; est necessariò admonendus; modò adsint hæc duo, nimirùm quòd speretur emendatio, & non timeantur majora mala: ut si mulier propter aliorum testimonia credens maritum suum esse mortuum, bonâ fide inierit aliud matrimonium, & ego aliunde sciam ipsum in exteris regionibus vivere; debeo, positis illis duobus, eam admonere: quia fornicatio, etiam materialis, turpe quiddam est, ac contra Dei legem & honorem ". Si fornicatio; quantò magis falsa juratio? Ac per hoc, si obstringimur admonere proximum, materialiter alioqui ex ignorantia fornicaturum; quantò magis tenemur admonere proximum, materialiter aliàs ex ignorantia pejeraturum? Rursùs si tenemur admonere proximum, ne ex ignorantia materialiter pejeret; quantò magis tenemur cavere, ne eum inducamus ut materialiter ex ignorantia pejeret? Mira profectò est Tamburini hoc in puncto exorbitantia; qui, cùm ignorare non possit plerosque Theologos indubitanter perhibere, teneri unumquemque lege misericordiæ ac charitatis fraternæ ad instruendum proximum aliàs materialiter contra præcepta Decalogi peccaturum; audet tamen scribere, licitum esse non modò proximum ignorantem non instruere, sed insuper in materialem Decalogi transgressionem impellere. Et verò quàm frivola, quàm vana, quàm ridicula est illa ratiuncula, quâ se ille permotum refert, ut pristinam suam sententiam optimam, in novissimam istam pessimam mutaret: quia nimirùm *Iurare id quod sine culpa putatur esse verum, actus est Religionis*. Quasi verò non sit eodem modo actus Religionis ille, quo rudis quispiam adoret diabolum apparentem sibi sub specie Christi, quem inculpabili simplicitate putat esse Christum. Num ergo eousque ineptire lubet, ut dicatur licere cuiquam scienti esse diabolum, suadere isti simpliciano ut adoret illum Pseudochristum qui reipsâ est diabolus? Nunquid ista adoratio tam est actus Religionis idiotæ illius adorantis, perinde ac Tamburiniana illa juratio est actus Religionis respectu alterius jurantis? Nunquid item Religionis actus est, quo adoratur hostia quæ invincibiliter putatur consecrata, cùm reapsè non sit consecrata? Et tamen quis audeat dicere, licitum esse scienti eam non esse consecratam, inducere ignaros ad eam adorandam, tanquam consecratam? Et verò quid de fœmina illa superiùs memoratâ dicemus, quæ bonâ fide credens maritum suum obijsse, alteri nupsit? Licebitne scienti maritum vivere, non modò eam non admonere, sed etiam ad reddendum superinducto viro conjugale debitum inducere? Nonne sicut *iurare id quod sine culpa putatur esse verum, actus est Religionis*: ita reddere debitum ei qui sine culpa putatur esse maritus, actus est justitiæ? Verùm ut extraneis exemplis hic congerendis supersedeam, profero illud domesticum, ab ipso Tamburino suggestum, de domino inducente

R. Coninck. Disput. 28. de Charitat. Dub. 4. nu. 39.

S. Greg. de Valentia tomo 3. Disp. 3. q. 10. p. 2.

T. Castropalaus tom. 1. Tract. 6. Disp. 3. p. 4. n. 2. & 3.

V. Suarez. Tractat. de Charit. Disput. 8. Sect. 2. n. 6.

W. Sylvius in 2. 2. q. 33. a. 2. q. 1. Conclus. 1.

ſervum ad laborandum in die, quem dominus quidem ſcit eſſe feſtivum, ſed ſervus bonâ fide exiſtimat profanum. Etenim ſicut *jurare id quod ſine culpa putatur eſſe verum, actus eſt Religionis*: ita laborare juſſu domini in die qui bonâ fide putatur profanus, actus eſt obedientiæ, vel etiam juſtitiæ. Quâ ergo conſequentiâ negat Tamburinus licere inducere ſervum ad Feſtum materialiter violandum, intuitu obedientiæ, vel juſtitiæ; cùm aſſerat licere inducere ignarum ad materialiter pejerandum, intuitu Religionis? Nonne humi jacet illa ab eo finalibus verbis tantoperè deprædicata diſtinctio, dicente: *Subtilis aliquibus videbitur, ſed certè vera diſtinctio: ut ſi penetretur, cenſenda ſit in poſterum probabilis Hurtadi hoc modo explicata ſententia*? Benè interim habet, quòd ultrò agnoſcat illam Hurtadi ſententiam in illud uſque tempus caruiſſe probabilitate, cui *in poſterum* pollicetur acceſſuram probabilitatem.

Tamburin. ſuprà.

CDLXV. Eſt & alia quædam Hurtadi, neſcio an ejuſdem, ſententia, ab eodem Tamburino relata ac laudata; quam in gratiam ſtudioſorum ad gradus Academicos aſpirantium, atque alieno teſtimonio ad perſuadendum Magiſtris indigentium, procudiſſe videtur. Hanc ego in cautelam referam Magiſtrorum, ne decipiantur; ſicut ille eam in ſublevamen tradidit diſcipulorum, ne repellantur: [x] *Scholaſticus, ait ille, volens probare curſum, ad quod eget duobus teſtibus, adhibere poteſt duos amicos: qui illum non viderunt intereſſe lectionibus, at ſatis ſibi perſuadent illum interfuiſſe.* Addit tamen ille continuò: *At non poſſunt jurare ſe id vidiſſe.* Quod additamentum non videtur ſatis conſentaneum regulæ traditæ per Leſſium, quâ ait: [y] *Quotieſcunque licitum eſt uti oratione ambigua, vel tacitâ reſtrictione; licitum etiam eſt uti juramento, ſi neceſſitas vel notabilis cauſa poſtulet.* Aut enim duo illi amici inter teſtandum utuntur oratione mentaliter reſtrictâ, ſubintelligendo nimirum hanc vel ſimilem reſervationem, *prout putamus*: aut planis terminis abſque ullo mentali ſupplemento teſtimonium perhibent de Scholaſtici diligentiâ in frequentandis lectionibus. Si primum, licebit profectò juxta Leſſij regulam adjicere teſtificationi juramentum, dummodò *notabilis cauſa poſtulet*: qualis cauſa eſſe poterit Scholaſtici illius admiſſio ad gradum, qui fortè ei neceſſarius ſit ad obtinendum beneficium vel officium ſibi neceſſarium aut perutile, vel etiam ad retinendum beneficium aut officium jam anteà obtentum, vel denique ne ob repulſam à gradu incurrat infamiæ notam, aut parentum benefactorumve offenſam. Si verò ſecundum, longè potiori ratione licebit ex iiſdem cauſis juramentum adjicere: nam cùm cætera ponuntur paria, longè congruentiùs ac reverentiùs adhibetur juratio in confirmationem aſſertionis, quæ in plano ac pleno verborum ſenſu exiſtimatur vera, quàm quæ accito duntaxat arcano artificio putatur talis. Quapropter ſi amici illi poſſint abſque mendacio ſimpliciter teſtari ſe vidiſſe ſcholarem lectiones frequentantem; poterunt pariter ex Leſſij regulâ, interveniente notabili causâ, teſtificationem ſuam juramento firmare. An fortè Hurtadus; & eum approbans Tamburinus, dicturi ſunt; ſe non aſſerere quòd amici illi duo poſſint teſtari ſe *vidiſſe* ſcholarem lectiones frequentantem; ſed duntaxat *eum lectionibus interfuiſſe*? Si ita eſt; cur in poſteriori parte ſuæ adverſativæ non retinuerunt verbum *teſtandi*, dicendo; At non poſſunt *teſtari* ſe id vidiſſe; ſed ſubſtituerunt verbum *jurandi*, dicendo, *At non poſſunt jurare ſe id vidiſſe*? Nunquid hâc poſteriori parte apertè negant teſtes illos poſſe jurare id, quod priùs dixerant poſſe eos teſtari? Si hoc non negant, certè perperàm inſerunt adverſativam *at*; & mutilam tradunt doctrinam; nihil reſolventes ſuper eo, num prædicti duo amici licitè poſſint jurare ſcholarem illum frequentaſſe lectiones, quem non viderunt quidem frequentantem, ſed tamen bonâ fide putant frequentaſſe. Quòcunque interim ſe vertant; regula ex Leſſio relata, aſſertioni ipſorum applicata, extendet ad jurationem, quod aiunt ipſi de ſimplici teſtimonio. Imò verò etiam ipſi coguntur ex proprijs ſuis principijs, ſeclusâ Leſſij authoritate, eandem extenſionem admittere. Cùm enim aſſerant licere inducere teſtem ad jurandum falſum quod ipſe putat verum, inductore ſciente eſſe falſum, prout proximo §. vidimus: conſectarium erit, ut liceat præfato *Scholaſtico* inducere amicos illos ſuos ad jurandum ſe interfuiſſe lectionibus, quibus etſi ipſe probè ſciat ſe non interfuiſſe, amici tamen illi perſuaſum habent interfuiſſe. Ex hac quippe perſuaſione jurando, exercebunt actum Religionis, juxta illam Tamburini regulam proximo §. repetitam, *Jurare id quod ſine culpâ putatur eſſe verum, actus eſt Religionis*: quem actum exercendo evadent culpam, ſi Tamburino priſtinam ſuam ſententiam ſecundis curis corrigenti credendum. Quæ ſanè doctrina ſi invaleſcat, magnam ſcholaribus negligentiæ anſam præbebit, niſi Magiſtri novam examinandi normam adhibeant, vel certè Tamburinianas regulas communi conſpiratione eliminent. Ex eis enim eadem ſequentur incommoda, quæ ex ipſorum Magiſtrorum ſupinâ conniventiâ ſequi perhibet Petrus Gregorius: [z] Multùm, inquiens, nocuit Reipublicæ, „ quòd Profeſſores aliqui reperiantur parùm „ timoratæ conſcientiæ, & non conſiderent „ quale PECVS ARCADICVM intrudant Ec„ cleſijs & ſubſellijs; ad gratiam ſæpè gradus „ profanis concedentes. Nec conſiderant, ſe

reddi-

[x] Hurtadus apud Tambur lib. 3 c. 2. §. 2. n. 8.

[y] Leſſius lib. 2. de Juſtitia c. 42. Dub 9. nu. 48.

VERA OCCVPATIO.

[z] P[...] gor. [...] de Re[...] cap. [...]

„ reddituros rationem coram Deo & hominibus, de tantâ in probandis studijs negligentiâ". Extat inter Opera Gersonis Summarium causarum, quibus ipse inclinatum se fuisse testatur ad dimittendum Cancellariatum Academicum, quo fuit Parisijs aliquandiu perfunctus; quarum causarum una his verbis ab ipso ibi exprimitur: " Cogor ad deliberationem aliorum, vel pro consuetudine temporis, ignaros scientiâ, & perniciosos moribus promovere, & quandoque sufficientioribus præponere: cùm tamen dicat Sapiens: *Noli velle fieri Iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates*". Censuit nimirum indignorum ad gradus Academicos promotionem, gravem esse iniquitatem: ideò utique, quia immanem Reipublicæ tam Ecclesiasticæ quàm Politicæ infert perniciem. Unde & idem ipse in Tractatu de Examinatione Doctrinarum Parte 2. Consider. 5. loquens de dyscolis quibusdam Doctoribus: *Tolerabilius esset*, inquit, *nullos habere, quàm tales pati.* Paulus quoque Orosius ex communi gentis suæ personâ scripsit Augustino: [A] *Dilacerati graviùs sumus à pravis Doctoribus, quàm à cruentissimis hostibus.* Et Isidorus Hispalensis, Orosij conterraneus: [B] Deteriores sunt, inquit, qui sive doctrinâ, sive exemplis vitam moresque bonorum corrumpunt his, qui substantias aliorum prædiaque diripiunt. Hi enim ea quæ extra nos, sed tamen quæ nostra sunt, auferunt: corruptores verò morum propriè nos ipsos diripiunt, quoniam divitiæ hominum mores eorum sunt. Multùm ergo distant damna morum à damnis temporalium rerum; dum istæ extra nos sunt, mores verò in nobis". Academici gradus sunt publica quædam testimonia eruditionis illorum, qui eis solemni ritu insigniuntur: quibus condecorati reputentur idonei obeundis munijs, cujusque respectivè gradui congruentibus; Theologi animabus sospitandis, Iurisperiti fortunis ab Injuriâ tuendis, Medici languoribus corporum propellendis. Unde satis apparet quantoperè pendeat Reipublicæ salus à debito functionum istarum exercitio, adeoque ab ipsorum exercentium solidâ peritiâ. Cùm enim tria sint potissima civium bona: animarum sanctitas, corporum sospitas, & Judiciorum æquitas; Theologorum functio ritè obita providet primum, Medicorum secundum, Iurisconsultorum tertium. Unde rectè ait Petrus Gregorius in suo de Republicâ Opere: [C] Studia litterarum & artium sunt velut materia, circa quam versantur & Præceptores docentes, & discipuli discentes; & ex quâ salus, vel subversio, aut saltem corruptio major, oriri potest in Republica". Academiarum moderatores maturo judicio determinare solent tempora quibus quisque scholas frequentasse debeat, priusquàm scholasticam lauream assequatur, ne fortè indoneus ad gradum provectus, & ipso jam gradu sibi confisus, temerario ausu civibus incommodet quoad bona animæ, corporis, aut fortunæ: [D] Tam in divinis, inquit Cyprianus, quàm in Philosophorum doctrinis, nec tutum est nec honestum, ineruditos, & ignaros sensuum ad litteras illas pertinentium, prosilire ad discussionem eorum, quæ nesciunt; & de his sibi usurpare magisterium, quæ ignorant". Porrò si *nec tutum est nec honestum* sic prosilire; & sic magisterium usurparet profectò consectarium est; ut *nec tutum sit nec honestum* suggerere discipulis dolosam methodum Magistros decipiendi, eâque deceptione ad gradus irrependi, ut cùm Respublica putat se habere egregium Theologum, Jurisconsultum, aut Medicum; laureatum habeat *pecus Arcadicum*: Cui malo ut obviaret Facultas Theologica Lovaniensis; ab antiquo statuit & ordinavit, *Neminem ad aliquam in ipsa promotionem suscipi posse seu admitti; nisi legitimè doceat, omnia se ad illum gradum, quem consequi nititur, requisita, ABSQUE DOLO IMPLEVISSE.* Sed nulla cautela quantumvis abundans sufficit obviare suggestionibus laxonum, qui licitum esse perhibent adducere testes, solâ adducentis fide persuasos, vel, fortè veriùs, fraude pellectos: neque enim Tamburinus, aut ab ipso citatus Hurtadus, exprimit, num loquatur de *Scholastico*, qui reverâ lectionibus interfuit, num autem de eo qui se interfuisse fingit. Sed tamen ex subjecta materia apparet, hunc posteriorem ab ipso vel solum intelligi, vel certè comprehendi: nam si *Scholasticus* ille reverâ lectionibus interfuerat, proculdubiò vel solus interfuerat, vel cum socijs, ijsque vel paucis, vel multis. Si solus vel cum paucis; vix fieri poterit ut indigeat testibus, nisi Magistri obierint omnes, aut abierint: qui si adsint, testari ipsi poterunt; cùm in tanta discipulorum paucitate facilè singulos noverint. Si denique cum multis, quid opus fuerit recurrere ad testes extraneos, qui frequentantem non viderint; cùm suppetant ad manum condiscipuli, qui viderint? Ex subjecta proinde materia apparet Tamburinum cum suo Hurtado loqui de *Scholastico* qui reverâ lectionibus non interfuerat, sed interfuisse se fingit, fictionemque suam testimonio amicorum falsò persuasorum colorare prætendit: atque adeò hæc eorum laxitas est velut appendix alterius laxitatis proximo §. dispulsæ. Sicut enim ibi juramentum materialiter falsum licere contendunt prætextu Religionis, ita hìc similiter licere dicent testimonium materialiter falsum prætextu misericordiæ. Si enim *iurare id quod sine culpa putatur esse verum, actus est Religionis*; cur testari id quod sine culpa putatur

Gerson.

Sap. 7. 6.

A Orosius Epist. ad Augustinum tomo 6.

B Isidorus lib. 3. Sententiar. c. 38.

C Petr. Greg. lib. 19 de Republ. c. 3. n. 1.

D. Cyprian. in Prologo de Cardinalibus Christi operibus.

Facultas Theol. Lovaniensis.

putatur esse verum, non sit actus misericordiæ; quando fit in sublevamen indigentiæ illius *Scholastici, volentis probare causam, ad quod* EGET *duobus testibus*? Ubi enim supponitur *egestas*, ad eam sublevandam inclinat misericordia. Quod si opus fuerit adhibere mentalem restrictionem in casu illius juramenti, poterit quoque similis restrictio adhiberi in casu istius testimonij. Si enim ea adhibitio in casu juramenti censeri non debeat iniquitas, sed humanitas, civilitas, urbanitas; à fortiori in casu simplicis attestationis non debet censeri iniquitas, sed humanitas, civilitas, urbanitas. Sed quid ad hæc Gregorius olim reposuerit, audiamus: [E] Hujus Mundi sapientia est cor ,, machinationibus tegere, sensum verbis ve- ,, lare; quæ falsa sunt, vera ostendere; quæ ve- ,, ra sunt, fallacia demonstrare. Hæc nimi- ,, rum prudentia usu à juvenibus scitur, hæc à ,, pueris pretio discitur: hanc qui sciunt, cæ- ,, teros despiciendo superbiunt; hanc qui nes- ,, ciunt, subjecti & timidi in alijs mirantur: ,, quia ab eis hæc eadem duplicitatis iniquitas ,, nomine palliata diligitur, dum mentis perversitas VRBANITAS vocatur". Audiamus & antithesin ibidem post pauca subjunctam: " At contrà, sapientia justorum est, nihil per ,, ostensionem fingere, sensum verbis aperire, ,, vera ut sunt diligere, falsa devitare; bona ,, gratis exhibere, mala libentiùs tolerare ,, quàm facere, nullam injuriæ ultionem quæ- ,, rere, pro veritate contumeliam lucrum pu- ,, tare. Sed hęc *Justorum simplicitas deridetur*: quia ,, ab hujus Mundi sapientibus puritatis virtus, ,, fatuitas creditur. Omne enim quod inno- ,, center agitur, ab ijs proculdubiò stultum ,, putatur: & quicquid in opere veritas ap- ,, probat, carnali sapientiæ fatuum sonat".

E. Greg. lib. 10. Moral. cap. 16.

Job 12. 4.

Inter epitheta quibus Apostolus Jacobus sapientiam Sanctorum exornat, unum est, quòd sit *anypocritos*, hoc est, sine hypocrisi, sine fuco, sincera; sive, ut vulgatus Interpres transtulit, *sine simulatione*: & hanc sapientiam dicit *desursùm esse*, indicans utique eam è cælo ducere originem. Huic opponit sapientiam carnalem, à quâ nos deterrens præmiserat superiùs: *Nolite gloriari, & mendaces esse adversùs Veritatem: non est enim ista sapientia desursùm descendens, sed terrena, animalis, diabolica.* Primò dixit *terrenam*, sive quòd illa clientes suos terrenis inhiare faciat, sive quòd illam terrenarum rerum cupido inspiret aut exacuet. Secundò dixit *animalem*, eò quòd animali hominis voluntati subserviat, in caducis occiduisque corporis commodis potissimè procurandis occupata. Tertiò denique dixit *diabolicam*, eò quòd diabolo originem suam debeat ac progressum. Hunc quippe Basilius, [F] *Primum & maximum mundana sapientia sophistam* nominat: & Rupertus, [G] *Odibilium sophistarum maximum.* Ubi dicendo *odibilium* alludit ad illud Scripturæ divinæ oraculum: *Qui sophisticè loquitur, odibilis est.* Cur autem odibilis sit qui sophisticè loquitur, innuit Augustinus cùm ait: [H] Usque adeò rationalis ,, natura refugit falsitatem, & quantùm po- ,, test devitat errorem: ut falli nolint, etiam quicunque amant fallere". Quia igitur omnes horrent falli, consequenter horrent falsones suos; quales sunt qui sophismata concinnant, quibus alios artificiosè decipiant: [I] Sunt ,, multa, inquit alibi idem Augustinus, quæ ap- ,, pellantur *sophismata*, falsæ conclusiones ratio- ,, num, & plerunque ita veras imitantes; ut ,, non solùm tardos, sed ingeniosos etiam minùs diligenter attentos decipiant". Et mox infrà de ijsdem continuans sermonem: " Quod genus, inquit, captiosarum conclu- ,, sionum, Scriptura, quantùm existimo, dete- ,, statur illo loco ubi dictum est: *Qui sophisticè loquitur, odibilis est*". Ex verbis Augustini de Enchiridio mox excerptis satis claret, neminem istorum *sophisticè loquentium*, velle alios sibi sophisticè loqui. Ex quo fit, ut quisque eorum prævaricetur illud Juris naturæ præceptum, superiùs cap. 160. discussum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Paravit Aristoteles in suis Elenchorum libris antidotum adversùs fallaciarum præstigias: ubi signanter excussit fallaciam æquivocationis & amphibologiæ, sed sensibilis: nam contra mentalem nulla sufficere potest cautela, nisi ut ejus artificibus semel detectis nulla imposterùm, ne quidem vera dicentibus, adhibeatur fides; sed ut viperæ devitentur, Sophistis perniciosiores reputentur, & cum pessimo mendaciloquorum genere reprobentur: [K] Mendaces ,, faciunt, inquit Isidorus, ut nec vera dicenti- ,, bus credatur: reddit enim sæpè hominem ,, multa falsitas etiam in veritate suspectum". Quanquam igitur falsones momentaneum subinde lucrum ex sua sophistica loquela reportent, demùm tamen detecti omnem fidem amittunt: atque ita quod lucrati fuerint, etiam cum usuris deperdunt. Ut enim idem Isidorus inferiùs lib. 3. cap. 24. perhibet: " Omne ,, sincerum permanet, quæ autem simulata sunt diuturna esse non possunt". Et hoc quidem adeò exploratum reputat Cyprianus Epist. 55. ut contrarium habeat pro dementia: " Hæc est, inquiens, vera dementia, non co- ,, gitare, nec scire, quòd mendacia non diu ,, fallant; noctem tam diu esse, quàm diu illu- ,, cescat dies: clarificato autem die, & Sole ,, oborto, luci tenebras & caliginem cedere, ,, & quæ grassabantur per noctem latrocinia cessare". Hoc ipsum indicare voluit, qui apud Jobum ait: *Hoc scio, à principio ex quo positus est homo super terram, quòd laus impiorum brevis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti.*

Jac. 3. 17.

Ibid. v. 14. & 15.

F. Basil. Homil. 22.

G. Rupert. lib. 3. in Genesim c. 7.

Eccli. 37. 23.

H. August. Enchir. cap. 17.

I. Idem lib. 2. de Doct. Christ. c. 31.

Vide supra cap. 160.

K. Isid. l. 2. Sent. c. 30.

Vide supra §. 464.

Cyprianus.

Vide Greg. l. 15. Moral. c. 2. & l. 16. c. 23.

Job. 20. 4. & 5.

CAPUT

CAPUT CXXIII.

Epilogus dictorum adversùs laxitates, per novellos probabilitatum patronos subinductas. Moderni laxones experimento edocti quàm ægrè conformentur mores humani legi divinæ, tentarunt ex adverso conformare legem divinam moribus humanis: quasi lex Decalogi foret regula Lesbia, *ad suiregulati normam accommodabilis. Disseritur de* virga ferrea, *quâ Christus prophetatus est Gentes recturus. Expenditur item, quod eidem Christo acclamatum est*: virga directionis, virga regni tui. *Quisnam, juxta Augustinum, Ambrosium, & alios eorundem asseclas, sit* Adversarius *cui iubemur* consentire dum sumus cum illo in via? *Recapitulatio plerarumque laxitatum in præcedentibus discussarum, signanter adversùs sex postrema Decalogi præcepta invectarum. In singulis constituitur homo inter Dei sermonem ab una parte vetantem, & benignum Casuistam ab altera blandientem. Nihil omninò agunt, qui suâ adversùs Decalogum ausa per multitudinis exempla defendunt. Virgilianum Poëma de littera Pythagoræ, discrimine sectâ bicorni, & humanæ vitæ figuram præferente. Lactantij in eandem rem dissertatio. Legis naturalis ex Tullio descriptio. Aliud est jus civile, quod pro moribus ubique variatur: aliud vera justitia, quam uniformem ac simplicem Deus omnibus proponit; quam qui ignorat, ipsum quoque Deum ignoret necesse est. Obscuratio Decalogi Parasceve est atheismi. Confertur assertio Caramuelis astruens probabilitatem polytheismi* secundùm humanam prudentiam sibi relictam, *cum dogmate contendentium humanæ animæ immortalitatem negari vel in dubium revocari posse* saltem secundùm Philosophiam. *Exploditur laxitas asserentium*, Absolutionis capacem fore hominem, quantàvis ignorantiâ mysteriorum fidei laborantem. *Cur in hac laxitatum materiâ crebriùs reliquis allegati & exagitati sint* Caramuel & Tamburinus.

CDLXVI. HActenùs per viginti novem capita, anterioribus plerunque prolixiora, annisus sum ostendere, quantopere veteribus libertinis appropinquent, adeoque disciplinæ Christianæ incommodent, neoterici quidam Ethico-theologi; qui experimento edocti quàm ægrè conformentur mores humani legi divinæ, tentarunt ex adverso legem ipsam divinam moribus conformare humanis, regulam scilicet suo regulabili; quasi Decalogus foret *Regula Lesbia*, quæ propter flexibilitatem abijt in proverbium, de quo Erasmus in Adagijs: [L] *Lesbia Regula* dicitur, inquit, quoties „ præposterè non factum ad rationem, sed ra- „ tio ad factum accommodatur: & cùm lex „ moribus applicatur, non mores ad legem „ emendantur: aut quoties Princeps se populi „ moribus accommodat, cùm contrà conve- „ niat plebem ad Principis arbitrium instituere „ vitam". Apud Psalmographum prophetatur de Christo, quòd *Recturus sit Gentes à Patre sibi tradendas*, non in regula plumbea, qualem fuisse illam *Lesbiam* testatur Philosophus; sed, *in virga ferrea*, quam Augustinus [M] *inflexibilem justitiam* interpretatur. Eandem & alibi idem Psalmographus vocat *virgam directionis*; sive, ut apud Apostolum legitur, *virgam æquitatis*: [N] Omnis Dei sermo, inquit Hilarius, quo ex „ errore in veritatem Dei retrahimur, quo per „ comminationem terroremque judicij ad in- „ nocentis & sanctæ vitæ viam regimur, *virga* „ est nuncupatus: per quam intra disciplinam „ divini metûs cohibiti, moderati ac prudentis rectoris munitu coërcemur". Et rursùs ibidem post pauca: "Hanc verbi doctrinam, in- „ quit, *virgam* nuncupari ex veteri Testamen- „ to ita cognitum est, cùm dicitur: *Virga directionis virga regni tui*: quia hæc quidem est „ *virga directionis*, quâ per doctrinam in æquam

[L] Erasm. Chiliade 1. Cent. 6. cap. 94. de Arist. 5 Ethic. [illegible] & [illegible] 1 Rhe. [illegible] or ad [illegible] c. 1.

[M] Aug. in Psal. 2. v. 9. Psalm. 2. 9. Psalm 44. 7. Hebr. 1. 8.

[N] Hilar. in Psalm 2.

,, viam utilemque dirigimur. Et quia *virga*
,, *regni est*, necesse est ut ipsa illa doctrina sit
,, regni. Ipsum autem Dominum nostrum ob
,, doctrinæ suæ utilem ac moderatam prędica-
,, tionem *virgam* nuncupatum ita accepimus,
Isaia 11.1. ,, dicente Isaiâ: *Exiet virga de radice Iesse*. Ac
,, ne tyrannicam in eo severitatem per *virga*
,, nuncupationem auderet quisquam opinari,
Ibid. v. 1. & 2. ,,continuò Propheticus sermo subjecit: *Et flos*
,, *de radice eius ascendet, & requiescet super eum*
,, *spiritus Domini*; ut virgæ severitatem floris
,,suavitas temperaret,cùm unicuique nostrum
,, doctrinæ terror regimen perfectæ beatitu-
,, dinis admoveret. In hac ergo *virga reges da-*
,, *tas sibi Gentes*; non corruptibili,non caducâ,
,, non fragili; sed *ferreâ*, id est validissimâ, &,
pro naturæ suæ soliditate, firmissimâ". Ca-
Psalm. 2. 9. veant proinde ne *tanquam vasa figuli confringan-*
tur, qui non tam se & alios huic *virga ferrea*
conformare, quàm ex adverso eam sibi & alijs
conformare nituntur. Non est quòd suspicen-
tur eam dici *virgam directionis*, quasi debeat
aut queat ab hominibus dirigi; sed potiùs
quòd ab ipsa debeant homines dirigi, juxta
O. Aug. in Psalm. 44. illud Augustini,[O.] *Directionis virga est*, quæ di-
,, rigit homines. Curvi erant, distorti erant,
,, sibi regnare cupiebant, se amabant, facta sua
,, mala diligebant, non voluntatem suam
,, Deo subdebant, sed voluntatem Dei ad
,, suas concupiscentias flectere volebant. Iras-
,, citur enim peccator & iniquus plerunque
,, Deo, quia non pluit: & non vult sibi Deum
,, irasci, quia fluit. Et ad hoc propemodùm
,, sedent quotidie homines, ut disputent con-
,, tra Deum: Hoc facere debuit, hoc non
,, benè fecit. Tu videlicet vides quid facias,
,, ille nescit? Distortus tu es, ille rectus est:
,, distortum ad rectum quando conjungis,
,,collineari non potest; tanquam in pavimento
,, æquali ponas lignum curvum, non adjun-
,, gitur, non cohæret, non coaptatur pavimen-
,, to. Pavimentum ubique æquale, sed illud
,,curvum est, non coaptatur æquali. Ergò Dei
,, voluntas æqualis est tua curva est: propterea
,, tibi curva videtur illa, quia tu illi coaptari
,, non potes. Dirigere ad illam, tene illam:
,, nam si illam velis curvare ad te, quia non
,, potes, frustrà conaris: illa semper directa
,, est. Vis illi hærere? Corrigere: erit virga
,,illius qui te regit *virga directionis*: inde & *Rex*
,, à *regendo* dicitur, non autem regit qui non
,, corrigit. Ad hoc est Rex noster tectorum
,, Rex: quomodò & *Sacerdos* à *sanctificando* nos,
,, ita & *Rex* à *Regendo* nos. Sed quid ait alio
Psal 17. 26. & 27. ,, loco? *Cum sancto sanctus eris, & cum viro in-*
,, *nocente innocens eris: & cum electo electus eris, &*
,,*cum perverso perversus eris*. Non quia perversus
,, Deus, sed quia perversi perversum eum pu-
,, tant: placet tibi bonum,bonus est Deus: dis-
,, plicet tibi, quasi pravus est Deus. Curvus est
,,tibi Deus, tua curvatura facit hoc: nam illius
,, rectitudo semper manet. Audi in alio Psal-
mo: *Quàm bonus Deus Israël rectis corde*! Et mox Psal. 72. 1.
infrà rursùs ibidem: " Vide, inquit, virgam
,, directionis: *Dilexisti justitiam, & odisti iniqui-*
,, *tatem*. Accede ad istam virgam, sit tibi Rex
,, Christus: regat te virga ista, ne frangat te.
,, Virga enim ferrea est illa, inflexibilis. Et
,, quid dictum est: *Reges eos in virga ferrea, &*
,,*tanquàm vas figuli conteres eos*. Alios regit, alios
,,conterit: regit spiritales, conterit carnales".
Plura ejusdem Augustini documenta huc spe-
ctantia congessimus superiùs §. 349. quæ inde Vide supra §. 349.
repeti poterunt: quibus modò addimus illud
ex initio Concionis 1. in Psalm. 48: " Omnia
,, divina eloquia salubria sunt benè intelligen-
,, tibus: perniciosa verò his qui ea volunt ad
,, sui cordis perversitatem detorquere, potiùs
,, quàm suum cor ad eorum rectitudinem cor-
,, rigere. Hæc est enim in hominibus magna &
,, usitata perversitas, quâ, cùm debeant ipsi vi-
,, vere secundùm voluntatem Dei, Deum vo-
,, lunt vivere secundùm voluntatem suam: &
,, cùm ipsi nolint corrigi, illum volunt depra-
,, vari; rectum non arbitrantes quod ille vult,
sed quod ipsi volunt". An non tales sunt, qui
singula quæque Decalogi divinitùs sancita
præcepta, quibusdam humanarum probabili-
tatum præstigijs eludunt: ut quod Deus & na-
tura clamant esse peccatum, humanâ ipsorum
persuasione fiat licitum? Hujusmodi certè per-
suasionem Augustinus post pauca ibidem com-
parat blanditijs Serpentis antiqui, quibus ille
primos homines perversâ divini mandati in-
terpretatione seduxit, & ad pomi noxialis
esum induxit. Verba ejus sunt, sed indignan-
tis: " Repellit à se cor hominis verbi Dei se-
,, veritatem, & admittit ad se malè suadentis
serpentis blanditias". Certè enim nihil cre-
briùs obtendunt novelli probabilitatum pa-
troni pro astruendis suis in Decalogum laxi-
tatibus, quàm Decalogi præcepta fore nimis
severa, si absque benigniori suâ interpretatio-
ne stringere censeantur. Sed benè habet, quòd
Christus non dixerit homini, Esto consen-
tiens benigniori Decalogi interpreti: sed, *Esto* Mat. 5. 25.
consentiens adversario tuo: [P.] Quæramus, in- P. August. Serm. 1. de verbis Domini c. 3. Vide l. [illegible] de Serm. Domini in mõte c. 11 & Gregor. Homil. 39 in Evangelia.
,, quit Augustinus, istum *adversarium*, cui de-
,, beamus consentire, ne tradat nos Judici,
,, & Judex ministro. Quæramus illum, &
,, consentiamus illi. Si peccas, adversarius
,, tuus est *Sermo Dei*: verbi causâ, forsitan
,, delectat te inebriari, dicit tibi: *Noli*. De-
,, lectat te spectare, & nugari: ille dicit tibi,
,, *Noli*. Delectat te adulterari: dicit tibi sermo
,, Dei, *Noli*. In quibuscunque peccatis [illegible]-
,, ris facere voluntatem tuam, dicit tibi. *Noli*.
,, Adversarius est voluntatis tuæ donec fiat
,, author salutis tuæ. O quàm bonus adversa-
,, rius, quàm utilis adversarius! Non quærit
nostram

„ nostram voluntatem, sed utilitatem. Adver- „ sarius est nobis, quamdiu sumus & ipsi no- „ bis, quamdiu tu tibi inimicus es, inimicum „ habes sermonem Dei: esto tibi amicus, & „ concordas cum ipso. *Non homicidium facies*, „ audi, & concordasti. *Non furtum facies*, audi, „ & concordasti. *Non mœchaberis*, audi, & con- „ cordasti. *Non falsum testimonium dicas*, audi, „ & concordasti. *Non concupiscas uxorem proxi-* „ *mi tui*, audi, & concordasti. *Non concupiscas* „ *rem proximi tui*, audi & concordasti. In his „ omnibus cum tuo *adversario* concordasti, „ dic mihi quid perdidisti? Non solùm ni- „ hil perdidisti, sed & teipsum, qui perieras, invenisti".

Exod. 20. 13. & seqq.

CDLXVII. Quid facturus est homo fidelis, inter Dei sermonem, & palponis cujuspiam blanditias constitutus? Sanè si seriam salutis suæ curam gerat, sequetur ductum divini sermonis, repellet ab auribus blanditias palponis: *Ne fortè tradat eum adversarius Iudici, & Iudex Ministro, missuro in carcerem, unde non sit exiturus, nisi soluto novissimo quadrante*: Q Adversarius „ noster in via, inquit Beda, est sermo Dei, „ contrarius nostris carnalibus desiderijs in „ præsenti vita: à quo ipse liberatur, qui præ- „ ceptis ejus humiliter subditur. Alioquin ad- „ versarius Judici, & Judex tradet exactori: „ quia ex sermone Domini contempto reus „ peccator tenebitur in examine Judicis; quem „ Judex exactori tradet, quia hunc maligno „ spiritui ad ultionem trahere permittet, ut „ compulsam animam ipse ad pœnam de cor- „ pore exigat, quæ ei ad culpam sponte con- „ sensit. Exactor mittet in carcerem, quia per „ malignum spiritum in inferno retrudetur, „ quousque dies judicij veniat; ex quo jam in inferni ignibus simul & ipse crucietur". Et Ambrosius R Est adversarius noster, inquit, „ juxta Matthæum, omnis virtutis usus, & „ Apostolicus & Propheticus sermo, qui nos „ ad asperiora præcepta, & durioris vitæ docu- „ menta constringit. Cui convenit nos consen- „ tire, ut eum operibus æmulemur, ne aliquâ „ nostrâ contumaciâ ab eo descivisse proda- „ mur". Percurramus jam exempla proximo mox §. ex Augustino relata, & constituamus in singulis hominem ex una parte monitum Dei sermone abstinere ab eo quod delectat, & ex altera parte permissum à benigniore quopiam Moralista eligere quod mavult. Ecce quempiam delectat inebriari, monetur voce Dei, *Attendere ne graventur corde in crapula & ebrietate*. Accedit benignus quidam Moralista ex altera parte, suggerens non esse peccatum saltem grave, *Etiam absque utilitate se cibo & potu usque ad vomitum ingurgitare, nisi ex hujusmodi vomitibus gravia valetudinis incommoda oriantur.* Alium delectant spectacula: monetur Dei sermone *Concupiscentiam oculorum non esse ex Patre*,

Mat. 5. 25. & 26.

Q. Beda l. 4. in Lucam. c. 55. Vide Aug. Homil. 5 inter 50. & Hugon. Victor. lib. 4. Allegor. in Lucam cap. 25.

R. Ambros. lib 7 in cap. 12. Luca.

Luc. 21. 14.

Vide suprà §. 434. & 435.

1. Io. 2. 16.

sed ex Mundo; de quo ibidem præmittitur, *Nolite diligere Mundum, neque ea quæ in Mundo sunt* &c. Accedit ex altera parte benignus Casuista, insonans auribus ejus: *Voluptates sensuum licitè appeti possunt propter se*. Alium delectat adulterari: monetur voce Dei *Non coïre cum uxore proximi sui*. Accedit benignus Casuista, suggerens modum vitandi crimen adulterij, etiam in coitu cum uxore proximi: dicit namque ei, *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium*. Alium delectat exigere conjugale debitum ab uxore sua, solius voluptatis percipiendæ, aut incontinentiæ vitandæ causâ: monetur Dei sermone *Vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij*. Accedit ex altera parte benignus Casuista, insonans ei, *Opus solius delectationis in conjugatis, ut veniale quidem est peccatum: sicut non est, pulchrum prospectare campum, fragrantem rosam odoratui ob voluptatem admovere, suavi melodia liberas aures dare*. Alium delectat conversari vel cohabitare cum femina, unde sumit occasionem carnaliter peccandi; monetur Dei sermone *Eruere & projicere abs se etiam oculum dextrum scandalizantem se*. Accedit benignus Casuista, insonans ei: *Nemo tenetur occasionem proximam peccati vitare, cum magno suo detrimento. Vnde nec concubinarius tenetur dimittere concubinam, quæ ipsi nimis utilis est ad lucrandum bona temporalia, mediâ negotiatione; vel etiam ad oblectamentum concubinarij, vulgò* REGALO; *dum deficiente illâ, nimis agrè ageret vitam, & alia epulæ tædio magno afficerent concubinarium, & alia famula ad id nimis difficile inveniretur*. Quòd si subsit periculum etiam incestus in tali conversatione vel cohabitatione, respondebit alius benignus Casuista: *Excusamus fratrem habitantem, juxta morem patriæ, in eadem domo parentum, cum sorore, licèt habitatio sit illis fortè causa peccandi*. Rursùs si quis fortè defacto non sit in proxima peccandi occasione, libenter tamen se ei ingereret, si quo modo licitè posset; suggeritur huic alius ille articulus ibidem superiùs relatus: *Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali aut temporali nostro, vel proximi*. Item si quem fortè delectet coitus sodomiticus, aut bestialis; sed deterretur speciali ejus deformitate, quam habet super simplicem mollitiem: hunc terrorem ei tollere satagit benignus ille Casuista qui ait: *Mollities, Sodomia, bestialitas, sunt peccata ejusdem speciei infimæ*. Denique si quis ab hujusmodi peccatis horrorem habeat peculiarem, eò quòd ex seipsis turpia sint ac mala, secluso omni arbitrario legislatoris vetito: huic ejus horrori obviabit idem benignus Casuista, ibidem præmittens: *Si Deus mollitiem non interdixisset, nunquàm esset mala, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub peccato mortali*. Quod ipsum de sodomia

Ibid. v. 15.

Vide suprà §. 427.

Lev. 18. 20.

Vide suprà §. 426.

1. Thes. 4. 4.

Vide § 422. & 427.

Mat. 5. 29.

Vide suprà §. 410.

Ibidem.

Ibidem.

Vide suprà §. 421.

Ibidem.

& bestialitate specificè consideratis intelligendum relinquit, quandoquidem eas infimâ specie cum mollitie identificet. Alius fortè delectatur homicidio: Exo. 20. 13. monetur Dei voce, *Non occidere*. Accedit benignus Casuista, complures ei casus licitè occidendi suggerens, atque inter Vide § 410. & 413. alia dicens: *Licitum est occidere calumniosum actorem, testes, & injustum Iudicem, ad servandam vitam, honores, vel res familiares.* Rursùs ne dubius hæreat circa valorem rerum familiarium, pro quarum conservatione liceat occidere auferentem; suggeritur eidem ista alia regula: Ibidem. *Neque ad culpam, neque ad pœnam homicidij condemnandus est occidens eum, qui injuste aggreditur usurpare rem, quæ est valoris unius aurei, vel minoris.* Quod si fortè res nondum sit actu possessa, sed duntaxàt jure debita, suggeritur ibidem Vide § 412. hæc regula velut ampliativa: *Non solùm licitum est defendere* (defensione scilicet occisivâ) *quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, quæque nos possessuros speramus.* Suggeritur prætereà pro conservatione honoris pro- Vide §. 414. blema istud Ethicum, *An homo Religiosus, qui fragilitati cedens feminam vilem cognovit, quæ honori ducens se prostituisse viro tanto, rem narrat & eundem infamat, possit illam occidere?* Similiter Vide § 415. pro tuitione honoris suggeritur, *Licere duellum* Vide § 418. & 415. *acceptare, ac provocantem occidere*: item *licere alapa impactorem, aut calumniæ illatorem, etiam fugientem occidere*: item *Licere clerico, vel Religioso, calumniatorem gravia crimina de se vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius defendendi modus non suppetat.* Neque vero sistitur intra limites simplicis homicidij, sed suggeruntur & regulæ excusatoriæ parricidij, imò Vide § 417. suicidij: ut inprimis illa, *Licet abortum procurare, nondum animato fœtu, ad vitandum scandalum, aut mortem. Ex quo apparet, non condemnandam facile puellam, abortum facientem, cum nondum animatus est fœtus, ne deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* Ne autem puella talis hæreat perplexa super tempore animationis fœtus, additur altera regula, quasi subsidiaria, Ibidem. quæ sic sonat: *Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere animâ rationali; & tunc incipere eandem habere cum paritur: ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.* Additur item illa in excusationem suici- Vide § 410. dij: *Milites navales licitè possunt ignem injicere in pulverem sulphureum, se conjiciendo in mare, ne navis in hostium potestatem integra deveniat; quando id faciunt, ne acerbiorem mortem apud eosdem hostes* Ibidem. *patiantur*: item & illa, *Iuste damnatus ut fame pereat, potest oblatum cibum respuere*: nec non & Ibidem. illa, *Damnatus ad pereundum veneno, licitè illud propinante Ministro sumit, deglutitq́;*. Similiter & Vide § 416. illa, *Ad tormenta, damnaq́; gravia vitanda, potest quilibet sibi falsum crimen imponere, etiamsi mors sit sibi secutura.* Quibus consentanea cuditur illa Vide § 416. generalior, *Non strictius tenetur quis se non occidere, quàm proximum; imò fortè minùs strictè, aut saltem minus clarè*: quæ multorum profectò corollariorum in hac materia est ferax.

CDLXVIII. Alium delectat tollere vel retinere rem alienam, quod generali vocabulo *furtum* nuncupatur: monetur voce Dei, insonantis sibi, *Non furtum facias.* Accedit benignus Exod. 20. 15. Casuista, insonans ei qui gravi aliquâ necessitate, citra tamen extremam, premitur: *Permis-* Vide § 444. *sum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Quòd si fortè non alia subsit necessitas, quàm periculum indecorè alioqui vivendi, nisi alienum surripiat, vel surreptum retineat: in hoc casu suggeritur ei ista regula, *Qui* Ibidem. *cessit foro, potest sibi retinere bona, quibus indiget ad sustentationem familiæ, NE INDECORE VIVAT; licet debita, pro quibus cedit, sint ex injustitia, & notorio delicto contracta.* Sed quid si nec necessitas subsit, nec periculum indecorè vivendi impendeat? Adhuc tamen excogitatæ sunt à benignis Casuistis complures consolationes pro ijs qui tollunt, vel tenent alienum: ut inprimis illa, quà saltem extenuatur, etsi non in totum elidatur, obligatio restituendi: *Non tenetur quis* Ibidem. *sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per parva furta, quantumcunque sit magna summa totalis.* Deinde illa, quâ in totum eliditur ejusmodi obligatio: *Famuli & famulæ domesticæ* Ibidem. *possunt occultè hero surripere, ad compensandam suam operam, quam majorem judicant salario quod recipiunt.* Necnon & illa, similiter in totum excusans: *Qui alium movet aut inducit ad inferen-* Ibidem. *dum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.* Illa item, in consolationem iniquorum Judicum suggesta: *Non tenetur* Vide §. 440. & 441. *Iudex restituere pretium, pro iniqua sententia a litigante receptum.* Et illa pariter in favorem avarorum Judicum excogitata: *In causa æquali po-* Ibidem. *test Iudex aliquid ab una partium accipere, ut sententiam in eius favorem ferat.* Necnon & illa, in solatium avarorum Principum adinventa: *In* Vide § 409. *probabilitate orta ex iure, quilibet Rex licitè bellum gerere contra alium potest, & quidem nihil obstante alterius possessione.* Similiter & illa, in relevamen fœneratorum reperta: *Contractus MOHATRA li-* Vide § 443. *citus est, etiam respectu eiusdem personæ, & cum contractu revenditionis praviè inito, cum intentione lucri.* Et illa item, in eorundem solamen adinventa: *Maioris valoris est pecunia præsens, quàm* Ibidem. *credita.* Necnon & illa, ijsdem similiter placita: *Vsura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur,* Ibidem. *tanquàm ex benevolentia vel gratitudine debitum; sed solum si exigatur, tanquàm ex iustitia debitum.* Cui non absimilis est illa, in simoniacorum gratiam procusa: *Dare temporale pro spirituali* Vide § 401. *non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale; vel etiam quando per temporale fit solùm compensatio gratuita pro spirituali, aut è contra: & id quoque locum habet*

etiamsi

etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imo etiamsi sit finis ipsius ets spiritualis; sic ut illud pluris æstimetur quàm res spiritualis. Porrò ne avari hæredipetæ careant solamine, suggeritur eis à benigno Conscientiæ-Consulto illud relevamen, è probabilitatum penu depromp-
Vide §.448. tum: *Licitum est cupere absoluto desiderio mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirùm inde ei obventura est pinguis*
hæreditas. Rursùs pro tenacibus rerum suarum
Vide §.441. adversùs pauperum clamores, suggeritur istud solamen, signanter pro laicis: *Laici possunt de bonis patrimonialibus servare, ad statum suum vel consanguineorum mutandum; & tunc illud non dicitur superfluum. Vnde vix in sæcularibus invenias,*
Ibidem. *etiam in Regibus, superfluum statui.* Ex quo ulteriùs fit, *Vix aliquem teneri ad eleëmosynam, quando tantùm tenetur de superfluo statûs.* Et ne fortè talium quispiam timeat repelli ab absolutione sacramentali ob non impensam pau-
Ibidem. peribus stipem, cuditur novum documentum istud pro Confessarijs: *Confessarius absolutionem à peccatis diviti non facilè negare debet, quòd communes pauperum miserias per eleemosynam sublevare*
Ibidem. *monitus recuset.* Quinimò: *Hic actus, Nolo erogare de superfluo statûs eleëmosynam in communibus pauperum necessitatibus; vel leve, vel nullum est piaculum.*
Quòd si fortè pauperes non in communi duntaxat, aut gravi, sed in extremâ necessitate versentur; tunc equidem divitibus parùm liberalibus subvenitur isto benigno documen-
Ibidem. to: *Sufficit diviti subvenire extremè indigentibus per mutuum, appositâ conditione, ut tempore lautioris fortunæ restituant.* Ubi obiter advertendum, benignos istos conscientiarum Consultores ex unâ parte subveniendo divitibus fieri nimis inhumanos erga pauperes, & ex alterâ parte subveniendo pauperibus fieri vicissim nimis duros erga divites; quippe quos exponunt direptionibus pauperum, dando his licentiam
Hic suprà. *furandi non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Necdum tamen ex ipsis discere potui, num pauper qui gravi necessitate pressus furatur, teneatur restituere *tempore lautioris fortunæ*; sicut dicunt teneri eum qui extremâ necessitate pressus accepit eleëmosynam non in forma doni, sed mutui. Sed ad alia pergamus, & constituamus quempiam delectari falsis testimonijs: monetur is voce Dei, in-
Exo 20.16. sonantis sibi, *Non loquêris contra proximum tuum falsum testimonium.* Accedit ex alterâ parte benignus Casuista: & cùm duplicis quodammodò generis sit testimonium hominis de suo proximo, mentale scilicet sive internum, & vocale sive externum, subvenire nititur quoad utrumque; subinde quidem malitiam extenuando, subinde etiam totaliter abstergendo. Et quidam extenuando malitiam
§.451. testimonij interni suggerit illud; *Iudicium temerarium de proximo, quantumvis deliberatum, & in re gravi; quamdiu non pertingit ad gradum certitudinis excludentis formidinem de opposito, sed hæret intra limites dubitationis, vel suspicionis, vel opinionis, non est peccatum mortale.* Et ne fortè quis angatur; quando aliquod enorme crimen temerè suspicatus est de persona magna, eminente, sublimi; suggeritur huic illa generalis regula, quam nulla criminis enormitas, nulla personæ sublimitas enervat: *Si est suspicio; semper erit* Ibidem.
ex genere suo levis. Rursùs quia in formandis temerarijs judicijs plerunque hæretur infra gradum certitudinis, hinc suggeritur generalis illa consolatio præmissis consectaria: *Rarò lethaliter peccatur per temerarium iudicium.* Ibidem.
Cæterùm pro abstergenda penitùs malitiâ suggeritur illa regula magistralis: *Iudicium temerarium in animo tuo residens, NON EST PECCATVM, priusquam aliquo modo advertas, vel dubites, te ex signis insufficientibus iudicare.* Ibidem.
Quoad externa denique testimonia subvenire satagit benignus Casuista inprimis suggerendo illam regulam proximo §. in fine memoratam: *Ad tormenta, damnaq; gravia vitanda, potest quilibet sibi falsum crimen imponere, etiamsi mors sit sibi secutura.* Vide §.450.
Cùm autem scriptum sit, *Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit?* Eccli. 14.5.
facilè perspicitur quàm proclive sit, ut qui prædictæ regulæ assenserit, existimet sibi licere falsum crimen proximo suo imponere ad vitanda similia tormenta, vel damna. Unde & idem benignus Casuista ait: *Si alio modo te ab* Vide §.457.
iniusto teste eueri nequeas, probabile est te non peccare contra iustitiam obijciendo ei falsa crimina, quanta sufficiunt ad tuam iustam defensionem: incertum, an id licitè possis, sine ulla culpa. Huc item spectat illa percunctatio: *Quidni nonnisi veniale sit, detrahentis authoritatem magnam tibi noxiam, falso crimine elidere?* Ibidem.
Porrò ad evitandam omnem falsitatem sive in ferendis testimonijs, sive in miscendis colloquijs, expedita illa methodus suggeritur: *Possunt absque mendacio verba usurpari, etiamsi ex sua significatione non sint ambigua, nec eum sensum verum admittant ex se, nec ex circumstantijs occurrentibus; sed tantùm verum sensum reddant ex aliquo addito mente proferentis retento, quodcunque illud sit: ut si quis vel solus, vel coram alijs, sive interrogatus, sive propriâ sponte, sive recreationis gratiâ, sive quocunque alio fine, iuret se non fecisse aliquid quod reverà fecit; intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam diem ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum: reverà non mentitur, nec est periurus.* Ibidem & superiùs §. 198.
Huic consentanea est ista methodus vitandi omnem culpam in juramentis externis, ficto animo ex causa præstandis; & quidem tam asseveranter suggesta, ut omninò dicatur certa: *Certum est, iurare sine animo iurandi, sive res sit levis sive gravis; vel iurare verbis æquivocis, non esse licitũ sine causa: LICITVM ESSE CVM CAVSA.* Vide §.462.
Sed nec minùs consentanea est ista regula: *Testis interrogatus à Iudice de occulto crimine alicuius,* Vide §.161.

vel de

vel de crimine de quo non tenetur testificari, ut quia v. g. norabile damnum sibi sequeretur; potest iurare se rem nescire: intelligendo, ita ut teneatur illi Iudi-
Ibidem. *cio subdere, vel quid simile.* Necnon & ista: *Non solùm ipse Reus, si v. g. sit clericus, sed etiam alij possunt iurare cum aquivocatione coram saculari Iudice, Clericum non deliquisse: intelligendo, ita ut obligentur id coram saculari deponere.* Et illa item:
Ibidem. *Testis qui Iudici peccatum omninò occultum Rei manifestavit, tenetur testificari coram eodem, Reum non commisisse tale delictum: intelligendo, ita ut subsit externo iudicio.* Quòd si fortè quispiam adeò sit rudis, ut nesciat in particulari locutionem suam mentali supplemento pertinenter limitare ut reddatur ambigua, huic suggeritur
Ibidem. ista methodus: *Si fortè rudis sit, & nesciat in particulari amphibologiam concipere; consilium erit, ut intendat negare vel affirmare in sensu, qui veritatem reipsá contineat. Ad hoc autem necesse est, ut saltem in genere sciat, in aliquo vero sensu posse se negare, quod revelare non tenetur; quamvis in particulari nesciat modum.* Pro teste item & Reo judicialiter interrogatis assignatur hujusmodi
Ibidem. regula: *Quando testi vel Reo non constat Iudicem esse legitimum, & legitimè interrogare, sed de alterutro dubitant; licite possunt eius interrogationes aquivocando eludere, etiamsi alia causa non subsit quàm ipsa aquivocandi libertas quam possident.* Quinimò additur etiam illa in favorem Reo-
Ibidem. rum: *Licitum est Reo cum aquivocatione negare veritatem Iudici legitimo legitimè interroganti pro salvandá vitá, vel vitando damno non solùm gravi, sed etiam levi.* Deniq; in solatium eorum qui alieno indigent testimonio suggeritur à benigno
Vide §. 464. Casuista novum istud lenimentum: *Licitum est inducere testem ad iurandum falsum, quod iurans quidem putat esse verum, ipse verò inducens scit esse falsum.* Ac demùm ne studiosi ad promotionem aspirantes suo destituantur solamine, suggeritur
Vide § 461. eis istud pertingendi compendium: *Scholasticus volens probare cursum, ad quod eget duobus testibus, adhibere potest duos amicos: qui illum non viderunt interesse lectionibus, at satis sibi persuadent illum interfuisse.* Cæterùm quanquàm compendij istius suggestor neget amicos illos posse jurare se vidisse Scholasticum lectionibus interessentem, alius tamen similiter benignus ait gene-
Ibidem. raliter: *Quotiescunque licitum est uti oratione ambiguá, vel tacitá restrictione; licitum etiam est uti iuramento, si necessitas vel notabilis causa postulet.*

CDLXIX. Ex præceptis ab Augustino superiùs §. 466. memoratis duo duntaxàt postrema supersunt, *Concupiscentiam uxoris & rei aliena* vetantia. Sed nos illa hìc transiliemus, tanquàm præceptis *non mæchandi* & *non furandi* respectivè implexa, & cum ijsdem illustrata. Insuper cum idem Augustinus tria primæ & primum secundæ tabulæ præcepta ibi omiserit, nos ipsius insistentes vestigijs eadem hìc silentio præteribimus: monentes interim Lectorem, ut revolvendo capita quibus ea singulatim Vide suprà cap. 101 & octo seqq.
superiùs discussimus, conferat ubique Sermonis divini severitatem, cùm benignorum hujusmodi Casuistarum laxitatibus: & reputet sibi dictum, quod Augustinus cuipiam inter Dei legem & hominum interpretamenta constituto inculcat, dicens: [S.] „Tene te ad legem S. Aug. l. de Cathechiz. Rudib. c. 21.
„ Dei, & non sequaris prævaricatores ejus: „ non enim secundùm illorum sensum, sed „ secundùm illius veritatem judicaberis". Proponat quoque ob oculos terribile illud documentum, à Lactantio olim traditum: [T.] „Ne trahamur authoritate cujusquam, sed T. Lactant. lib. 3. c. 12.
„ veritati potiùs faveamus & accedamus. „ Nullus hic temeritati locus est: in æter- „ num stultitiæ pœna subeunda est, si aut per- „ sona inanis; aut opinio falsò deceperit". Recolat item illud Paulini Nolani dictum: [V.] „Cesset omnis excusatio errorum, auferan- V. Paulin. Epist. 50.
„ tur peccandi fœda solatia: nihil omninò „ agimus, qui nos per multitudinis exempla defendimus". Valde quoque notatu digna Vide suprà §. 116.
sunt quæ idem Paulinus ibidem præmiserat de duplici via humanæ conversationis, unâ scilicet planâ, laxâ, spatiosâ, ducente ad interitum; alterâ asperâ, restrictâ, angustâ, ducente ad beatitudinem. Et has respectivè vias Poëta Gentilis satis aptè descripsit, atque in littera *Y.* figuratas prædicavit, dicens: [W.] *Littera Pythagora discrimine secta bicornis,* W. Virgil. in carmine de littera Y. Vide Hieron. in c. 4. & 10. Eccles. & Epist. 7. cum Notis Mariani ibid. n. 22.
Humana vita speciem praferre videtur. Nam via virtutis dextrum petit ardua callem, Difficilemque aditum primum spectantibus offert: Sed requiem prabet fessis in vertice summo. Molle ostentat iter via lata; Sed ultima meta Pracipitat captos, volvitq. per ardua saxa. Quisquis enim duros casus virtutis amore Vicerit, ille sibi laudemq. decusq. parabit. At qui desidiam, luxumq. sequetur inertem, Dum fugit oppositos incautá mente labores, Turpis inopsque simul miserabile transiget avum. Huc, saltem pro parte, allusit Lactantius, cùm diceret: [X.] „Duæ sunt viæ, X. Lactant. l. 6. c. 3. Vide Clem. Alex. lib. 4. Stromat. & Basil. Homil. 24.
„ per quas humanam vitam progredi necesse „ est: una quæ in cœlum ferat, altera quæ ad „ inferos deprimat: quas & Poëtæ in carmi- „ nibus, & Philosophi in disputationibus suis „ induxerunt. Et quidem Philosophi alteram „ virtutum esse voluerunt, alteram vitiorum; „ eamque quæ assignata sit virtutibus, primo „ aditu esse & arduam, & confragosam; in „ quâ siquis difficultate superatâ in summum „ ejus evaserit, habere eum de cætero planum „ iter, lucidum, amœnumque campum, & „ omnium laborum suorum capere fructus „ uberes, atque jucundos. Quos autem primi „ [illegible] difficultas deterruerit: eos in eam „ vitiorum vi[illegible] labi atque deflectere, quæ „ primo ingressu sit quasi amœna, multoque „ tritior: deinde cùm in eam paulò ulteriùs „ processerint, amœnitatis ejus speciem re- „ pentè subduci, exoriri autem viam præcipitem

„ pitem, nunc saxis asperam, nunc obductam „ sentibus, nunc gurgitibus intercisam, vel „ torrentibus rapidam; ut laborare, hærere, „ labi, cadere sit necesse. Quæ omnia eò pro- „ feruntur, ut appareat, in virtutibus capien- „ dis labores esse maximos, in perceptis au- „ tem maximos fructus, & solidas atque in- „ corruptas voluptates: vitia verò quibusdam „ delinimentis naturalibus illicere animos „ hominum, & inanium jucunditatum specie „ captos ad acerbas amaritudines miseriasque „ perducere. Sapiens prorsùs disputatio, si „ virtutum ipsarum formas atque terminos scirent". Porrò virtutum formas atque terminos nullo certiori indicio, quàm legis divinæ magisterio sciri posse, monet idem Lactantius ibidem inferiùs cap. 8. ubi peculiariter de lege naturali disserit, cujus descriptionem ex Tullio relatam impensè laudat: " Suscipienda, inquiens, Dei lex est, quæ nos „ ad hoc iter (*virtutis*) dirigat, illa sancta, illa „ cœlestis, quam M. Tullius in libro 3. de „ Republicâ penè divinâ voce depinxit; cu- „ jus ego, ne plura dicerem, verba subjecii „ *Est quidem vera lex, recta ratio, natura congruens,* Cicero. „ *diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet* „ *ad officium, jubendo; vetando, à fraude deterreat:* „ *quæ tamen neque probos frustrà jubet aut vetat, nec* „ *improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi nec* „ *abrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid* „ *licet, neque tota abrogari potest: nec verò aut per* „ *Senatum, aut per populum solvi hac lege possumus;* „ *neque est quærendus explanator aut interpres ejus* „ *alius: nec erit alia lex Romæ, alia Athenis; alia* „ *nunc, alia posthàc; sed & omnes gentes, & omni* „ *tempore lex una, & sempiterna, & immutabilis* „ *continebit; unusque erit communis quasi ma-* „ *gister, Imperator omnium Deus, ille hujus legis* „ *inventor, disceptator, lator; cui qui non parebit,* „ *ipse se fugiet; ac naturam hominis aspernatus, hoc* „ *ipso luet maximas pœnas, etiamsi cætera quæ putan-* „ *tur supplicia effugerit.* Quis Sacramentum Dei „ sciens tam significanter enarrare legem Dei „ posset, quàm illam homo longè à veritatis „ notitia remotus expressit? Ego verò eos, „ qui vera imprudenter loquuntur, sic ha- „ bendos puto, tanquam divinent spiritu ali- „ quo instincti. Quòd si ut legis sanctæ vim „ rationemque ipse pervidit, ita illud quoque „ scisset aut explicasset, in quibus præceptis „ lex ipsa consisteret; non Philosophi functus esset officio, sed Prophetæ". Sermonem hìc esse de lege naturali, quam Deus omnium hominum mentibus insculpsit, quæ & Dei cultum & humanum convictum moderatur, nemo non videt: quam idem quoque author capite proximè sequenti *justitiam* generali vocabulo nuncupat, & ab humanis quibusque legibus penès universalitatem & immutabilitatem discernit, dicens: " Aliud est civile „ jus, quod pro moribus ubique variatur: „ aliud est vera justitia, quam uniformem „ ac simplicem proposuit omnibus Deus; „ quam qui ignorat, & ipsum Deum ignoret necesse est". Ex quò inprimis planum est, nullis humanarum opinionum præstigiis fieri posse, ut alium nunc Decalogum habere incipiamus; quàm Majores nostri ab initio in hæc usque tempora habuerant: nisi fortè eousque ineptire lubeat, ut dicantur homines hujus ævi aliam habere naturam ab hominibus prioris ævi. Quod enim Augustinus de unâ Judaicâ gente asserit, hoc de cujuslibet loci aut temporis hominibus æquè verum est: " *Lex naturalis in illis planè est, quoniam & ipsi homines sunt. Sine lege autem naturali essent, si sine naturâ humanæ generis esse possent.* Indidem quoque planum est, eos qui Decalogum offusis probabilitatum nebulis obfuscare moliuntur, eâdem operâ ignorationem Dei humanis mentibus offundere conniti. Decalogus enim est illa ipsa justitia, seu lex justitiæ, *quam qui ignorat*, ut ex Lactantio mox audivimus, *& ipsum Deum ignoret necesse est.* Proindè obfuscatio Decalogi parasceve est atheismi. Unde & nonnemo eorum qui Decalogo multas ac densas obscuritatum nebulas offundere satagit, eousque subinde progreditur, ut excellentissimorum authorum attestatione constare contendat, *Multas fuisse Respublicas, & quidem benè gubernatas, à quibus omnis Deorum cultus fuerit proscriptus.* Rursùs cùm polytheismus sit quidam gradus ad atheismum, idem hic benignus Decalogi laxator scribere ausus est, *Deorum pluralitatem, stando puris principiis naturalibus, defendi posse & propugnari*: Item, *Prudentiam humanam viribus naturæ derelictam, probabilissimè crediturum dari plures Deos.* Sed si Lateranensis Synodus sub Leone X. non solùm damnarit negantes aut in dubium revocantes immortalitatem animæ humanæ, sed insuper obstruxerit ora eorum qui contendebant eandem immortalitatem negari vel in dubium revocari posse *saltem secundum Philosophiam*: profectò eodem, si non etiam potiori, jure, obstruendum videtur os hujus authoris, contendentis unitatem Dei negari vel in dubium revocari posse *secundùm prudentiam humanam viribus naturæ derelictam*: necnon *aliquas Respublicas fuisse benè gubernatas, à quibus omnis religio fuerit proscripta.* Sed nec admodùm procul ab atheismo distat altera illa assertio in præcedentibus relata & excussa: *In rigore loquendo videtur quòd homo non teneatur unquam per totam vitam suam elicere actum amoris Dei.* Nam cùm Dei notitia ordinetur ad ipsius dilectionem, proclive est, ut qui se liberum reputat ab obligatione Deum diligendi, liberum pariter se reputet ab obligatione eundem noscendi. Huc referri quoque potest articulus ille ordine postremus inter septem-

Margin notes: T. August. l. ... hic §. 377. — Lactantius. — Vide suprà §. 179. — Ibidem. — Vide Synod. Lateranens. Sess. 8. — Vide suprà § 182.

intelligendo, ITA VT TENEATVR ILLI IVDICIO SVBDERE, VEL QVID SIMILE. Jurare igitur exteriùs *se rem nescire*, subintelligendo interiùs finale illud supplementum, Tamburino est *æquivocare cum iuramento*: atque adeò juramentum æquivocum eidem est etiam illud, quod tametsi juxta externum vocum tenorem non habeat nisi unicum sensum, per internam tamen mentis suppletionem trahitur ad alium sensum. Consimilem æquivocationem intelligit idem Tamburinus in alio exemplo ibidem n. 3. subjuncto, dicens: *Si quis licitè aliqua bona abscondit v. g. à Fisco, eò quòd illis indigeat ad vitam sustentandam, non solùm ipse, sed etiam alij sive rogati, sive ex se (si tamen indigentia ys constet) possunt ÆQVIVOCANDO testificari illum nihil abscondisse.* Item in alio exemplo mox infrà ibidem subnexo, quo ait: *Non solùm ipse Reus, si v. g. sit clericus, sed etiam alij possunt IVRARE CVM ÆQVIVOCATIONE coram sæculari Iudice, Clericum non deliquisse: intelligendo*, ITA VT OBLIGENTVR ID CORAM SÆCVLARI DEPONERE: *quia hic illegitimus est, quoad Ecclesiasticos.* Pergit ille continuò n. 4. addens: *Imò obligabitur testis aliquando sic ÆQVIVOCARE. Solet afferri exemplum de eo, qui iudici peccatum omninò occultum Rei manifestavit; is enim tenetur testificari coram eodem, Reum non commisisse tale delictum: intelligendo*, ITA VT SVBSIT EXTERNO IVDICIO. In quibus exemplis, uti & in alijs compluribus proximo §. ibidem ab authore subjunctis, iuramenta ac testimonia censentur æquivoca sive amphibologica, quæ præter sensum verbis externè prolatis respondentem, habent alium ex eisdem verbis mentaliter suppletis resultantem. Porrò novam istam *æquivocationis* seu *amphibologiæ* usurpationem non primus excogitavit Tamburinus, sed eam ipsi suggessit Raynaudus, vel alius quispiam mentalium restrictionum Patronus. Raynaudus enim in suo *Splendore veritatis* postquàm ex Capreolo & Paludano mentalem restrictionem descripsisset, [E] *Vsurpationem verborum talem, ut sistendo in exteriore ipsorum prolatione & quasi cortice, falsitatem contineant; iuncta tamen aliquibus verbis mente conceptis ac subintellectis, veritatem reipsâ contineant, nec nisi apparenter & in speciem sint falsa: qui enim ita concipit, & ita loquitur, restringit, celatque in mente aliquid, quod si promeretur, alia in audiente conceptio ex auditione ingeneraretur*: continuò subtexuit ad præsens propositum: *Aliqui hanc dicunt esse amphibologiam mentalem; priorem autem, quæ est simpliciter dicta æquivocatio, vocant amphibologiam sensibilem.* Neminem quidem ille hujus exoticæ usurpationis designat in particulari authorem vel usorem, sed tamen verisimile est eum allusisse ad Suarezium, qui postquàm integro cap. differuisset de priori æquivocationis seu amphibologiæ genere, mox initio sequentis capitis ait: [F] *Amphibo-* ,, *logia*, de qua in capite præcedenti locuti su-

E. Raynaudus in Splendore veritatis cap. 3 n. 35.

F. Suarez l. 3 de Juramento c. 10. n. 1.

,, mus, *sensibilis* vocari potest: *mentalis* autem ,, erit, quando exteriora verba præcisè sumpta ,, non habent significationem propriam & completam, in qua verum sensum efficiant; distrahuntur autem à propria significatione ,, per aliquam restrictionem interiùs conceptam". Hæc ille de usu, vel potiùs abusu vocabuli *amphibologiæ*; quem Tamburinus imitatus est, cùm *æquivocationem* pro mentali restrictione tam crebrò sumpsit. Cæterùm idem Suarez ibidem nu. 4. loquens de sententia astruente licitum hujusmodi amphibologiarum seu restrictionum mentalium usum: " Hæc sententia, inquit, practicè securissima, ,, & in rigore vera est: dummodò non ad libitum quis loquatur, & restrictionem concipiat proportionatam verbis & materiæ de ,, qua tractatur; vel saltem quæ si voce exprimeretur, & cum alia parte orationis conjungeretur, congruum & verum sensum efficeret, ex quo apta & conveniens responsio resultaret". Sed quid si quispiam eâ ingenij dexteritate præditus non sit, quâ commodam restrictionem mente concipere possit? Etiam huic subvenire conatur Suarezius, suadendo, ut in genere intendat eam restrictionem quæ reapsè congrua sit, tametsi ipse eam in specie nesciat: ut nimirùm velit sua verba verificari omni meliori modo, quo possunt. Suarezij verba ibidem continuò subjuncta, sed profectò tanto viro indigna, sunt ista: " Quòd si ,, fortè rudis sit, & nesciat in particulari amphibologiam concipere, consilium erit, ut ,, intendat negare vel affirmare in sensu, qui ,, veritatem reipsâ contineat. Ad hoc autem ,, necesse est, ut saltem in genere sciat, & sibi ,, persuadeat, in alio vero sensu posse se negare, quod revelare non tenetur; quamvis ,, in particulari nesciat modum. Nam si hoc ,, etiam generaliter ignoret, nullo modo poterit in vero sensu loqui; & ideò nisi planè & simpliciter loquatur, pejerabit". Itaque, juxta hunc authorem, restrictiones mentales servire poterunt duntaxat eruditis, non autem omninò rudioribus. Sed quàm parùm sibi in hac materia fisus sit Suarezius, conjicere poterit Lector ex hac ejus confessione, cap. sequenti n. 6. subjunctâ: "Quando solùm suppletur sensus per internam additionem merè voluntariam, probabile est non excusari proprium ,, mendacium, & perjurium; licèt sit res dubia". Addit tamen pro consolatione mentaliter restringentium: " Nihilominùs tamen in rigore ,, non est perjurium, licèt sit grave peccatum". Cæterùm si quis scire aveat quænam causa, censenda sit idonea ac sufficiens, ut quispiam licitè prædicto modo æquivocet, etiam à Judice interrogatus: respondebit juxta sua principia Tamburinus, distinguendo inter casum quo certò constat Judicem legitimè

Vide Sanchez lib. 3. in Decalog. c. 6. n. 46.

legitimè interrogare, & casum quo id non certò constat: in posteriori hoc casu nullam aliam exigit causam, præter jurantis libertatem. Tractans quippe ille de Reo & teste: G. *Dubitant hi*, inquit, *an legitimè interrogentur à Judice, obligabunturne ad ejus mentem respondere?* Ecce quæstionem: audi jam subjunctam post pauca decisionem: *Respondeo*, inquit, *non obligari, etiamsi Judex sub pœna excommunicationis præcipiat. Ratio est, quia Reus & testis sunt in possessione suæ libertatis valendi ÆQUIVOCARE ex causa: Ergo ab hac non possunt deturbari propter dubium legitimæ interrogationis. Causa autem hic semper intervenit, quia semper ii possunt velle custodire suum jus, quo possint non aperire veritatem ei, cui ex certa & manifesta obligatione non debeant.* Licebit proinde Reo & testi, juxta Tamburinum, semper artificio æquivocationum, sive sensibilium sive mentalium, eludere interrogationes Judicum, quoties non certò ac manifestò eis constiterit & Judicem esse legitimum, & interrogationes ab ipso fieri legitimè. Addit prætereà Tamburinus ibidem mox n. 2: *Scio quosdam nostram responsionem admittere, si timeatur à Reo vel teste magnum malum: non verò exiguum, quale esset modicam pecuniam amittere &c. Sed hos sequi non possum: quia prædicta possessio libertatis* (valendi scilicet æquivocare) *in Reo & teste æquè prævalet, sive grave, sive leve damnum timeatur.* Tantæ molis huic authori est *æquivocandi libertas*, ut ejus vel solius objectu eludi vel perverti queat omnis judiciaria praxis, quantumlibet probabilis & usitata, cui alicundè desit ea certitudinis evidentia, quæ omnem dubitantiam adimat Reis ac testibus, judicialiter interrogatis. Porrò alterum casum, priori loco memoratum, idem author, alibi sic proponit: H. *Si legitimus est Judex, legitimèque per semiplenam probationem interrogat, unde Reus ex nullo capite ex his excusari videatur à fatenda veritate; celebri quæstione quæritur, An ob periculum vitæ, quod sincere respondenti subsit, possit excusari, atque adeò ipsi negare veritatem CUM ÆQUIVOCATIONE liceat?* Quid ad hoc ipse? Primò refert sententiam negantium, quos fatetur fuisse cum Sanchezio *Permultos præsertim antiquiores.* At mox n. 5. subdit: *Sed tam alii recentiores, post accuratam discussionem, advertentes onus esse supra naturæ vires difficile, Reum obligare ad inferendum testimonium capitale contra seipsum, docent probabilissimum esse, & tutum, Reum minimè obligari ad fatendum crimen suum, unde tantum malum sibi parari videat.* Citat in margine pro hac sententia neotericos duos nominatim, quibus addit alios viginti duos, sed innominatim. His adeò consentit ipse, ut priori sententiæ non nisi extrinsecam probabilitatem annuere videatur. Refellens quippe objectionem desumptam ex praxi Judicum, quâ solent Reos in tali casu cogere

G. Tambur. l. 1. c. 3 § 7. v. Reus & testis. n. 1.

Vide Escobar Tract. 6. Exam. 6. c. 3. & 4.

H Tambur. lib. 3 cap 4. §. 3. n. 1.

ad fatendum simpliciter crimen: *In re*, inquit, *tam ardua Judex non est superior. Quod si is soleat cogere, ideo est, quia sequitur contrariam opinionem, quæ, SALTEM OB AUTHORITATEM DOCTORUM, probabilis est.* Si ergo Judex sententiam Tamburini amplectì velit, nunquam reos ad confessionem criminis capitalis, quantumvis semiplenè probati, torturis adiget: quia iniquum est quemquam ad id cogere, quod præstare non tenetur. Sed contrarium astruit Augustinus lib. 19. de Civit. cap. 6. & ante ipsum Ambrosius lib. 2. de Abel & Cain cap. 9. & ante utrumque Eusebius Papa Epist. 1. ad Galliæ Episcopos, cujus est illa Sanctio Corpori Juris inserta: I. „Veritatem diversis cruciatibus „è latebris suis religiosus tortor exigere de„bet: ut dum pœnis corporum subjiciuntur, „quæ gesta sunt, fideliter & veraciter exquirantur". Unde meritò Leonardus Coquæus in Commentario super cap. 6. lib. 19. Augustini de Civit. Dei; & Covarruvias ibid. Practic. qq. cap. 23. n. 5. reprobant errorem Joannis Ludovici Vives, astruentis oppositum, saltem quoad Christianos. Cùm igitur Judici competat jus indagandi veritatem semiplenè probatam, proculdubiò ei juri correspondet in Reo quædam servitus, sive obligatio fatendi eandem veritatem sibi perspectam: cui obligationi nullatenùs satisfacit eludendo Judicem responso mentaliter restricto. Cæterùm neoterici illi, quos Tamburinus pro se allegat, limitant assertionem ad eum casum, quo Reus sperat æquivocando evadere mortem; Tamburinus tamen hanc limitationem respuit, tanquam superfluam ad excusandum æquivocatorem à culpa saltem mortali: K. *Ego verò censeo*, inquiens, *etiam nullâ elucente tali spe, saltem à mortali esse etiam ejusmodi Reum excusandum. Excipio casum hæresis.* Rursùs non contentus respuere prædictam aliorum limitationem, addit ibidem n. 9. novam ampliationem, dicens: *Quod dictum est de periculo vitæ, extenditur communiter ad quodcunque malum grave: puta exilium, bonorum amissionem, triremes, gravem infamiam, &c. Ad hæc enim tam gravia mala, perinde ac ad mortem avertendam, jus naturæ nos armat, imò nos urget.* Sed quid tandem de malo levi? Licebitne Reo ad illud præpediendum eludere æquivocando Judicem aut superiorem, legitimè interrogantem? *Respondeo*, ait ipse ibid. n. 10. *à mortali fortassè excusandus esset, quamvis contrarium sit de Lugo. Ratio esse potest, vel quia de jure naturæ videtur esse, ut ne leve quidem malum mihi ipsi infligam; vel quia si agitur de pœna levi infligenda, videtur & leve & non rigorosum superioris præceptum; vel quia ex negatione talis veritatis non oritur grave malum Reipublicæ, si solùm levis pœna sit imponenda.* Verùm in his omnibus audiendus

Vide ibid. n. 6.

Augustinus.

Ambrosius.

Eusebius Papa.

I. Cap. Illi qui, 5. q. 5.

Coquæus.

Covarruvias.

Vives.

K. Tambur. ibid. n. 7.

potiùs fuerit D. Thomas Aquinas communiter à Theologis & Jurisperitis receptus, quàm P. Thomas Tamburinus laxitatibus invehendis intentus: [L] Pertinet, ait ille, ad debitum „ justitiæ, quòd aliquis obediat suo Superiori „ in his, ad quæ jus Prælationis se extendit. „ Judex autem, ut suprà dictum est, Superior „ est respectu ejus qui judicatur. Et ideò ex „ debito tenetur accusatus Judici veritatem „ exponere, quam ab eo secundùm formam „ juris exigit. Et ideò si confiteri noluerit „ veritatem, quam dicere tenetur, vel si eam „ mendaciter negaverit, MORTALITER peccat". Mirum porrò est, Tamburinum tantoperè nunc urgere illud suum fundamentum, *De jure naturæ videtur esse, ut ne leve quidem vulnus mihi ipsi infligam*: quandoquidem idem ipse superiùs §. 456. relatus scripserit, *Ad tormenta, damnaque gravia vitanda, posse quemlibet sibi falsum crimen imponere, etiamsi mors sit sibi secutura.* Si enim jus naturæ obstet quo minùs quis leve quidem vulnus sibi ipsi infligat, quomodò non obstat quo minùs quis calumniosæ linguæ gladio seipsum occidat? Imò verò in hoc casu ille sibi lethale contra jus naturæ vulnus infligit, qui falso testimonio necem accersit, prout ibidem superiùs visum: in altero autem casu nullum ipse sibi vulnus infligit, quia non tam ipse se prodit, quàm ab alio veraciter proditum agnoscit: [M] Quando aliquis, ait D. Thomas, secundùm ordinem juris à Judice in„terrogatur, non ipse se prodit, sed ab alio pro„ditur, dum ei necessitas respondendi imponitur per eum, cui obedire tenetur". Quibus ritè perpensis facilè cernitur quàm aptè in Tamburinum quadret illud Minutij: [N] *Cui non est veri stabile judicium, prout infida suspicio spargitur, ita ejus dubia opinio dissipatur.*

L. D. Thom. 2. 2. q. 69. a. 1. in Corpore.

Vide suprà §. 456.

M. D. Thomas ibid. ad 2.

N. Minutius in Octavio.

CDLXIV. Non est hoc loco prætereunda illa Tamburini exotica planè ac ipso auditu horrenda laxitas, quâ censet & prædicat, licere inducere testem ad deponendum juratoriè falsum, quod deponens quidem putat esse verum, sed inducens probè scit esse falsum. Quæstionem proponit ipse his terminis: [O] *Quid si quis inducat ad jurandum falsum, quod jurans putat verum, ipse verò inducens sciat esse falsum?* Prima quidem Tamburini responsio erat inducentem peccare, & quidem mortaliter; eò quòd faciat Deum in testem falsi sibi comperti adduci, tametsi jurans ab ipso inductus excusetur propter bonam fidem. Ita ille se refert aliquando respondisse cuidam se consulenti super specie facti; responsumque suum nonnullis stabilivisse exemplis: ut inprimis ejus qui ebrium induceret ad incessendum contumelijs parentem, vel infantem ad blasphemandum Deum, vel servum ad laborandum in die festo quem servus nescit esse festum. Quibus exemplis præmissis subdit ille pro contrario, cui demùm accedit, desertâ priori consultatione: [P] *Non me latet, Petrum Hurtadum, quem sequitur Diana, & Tancredo, docere, esse probabile non esse culpam inducere testem ad jurandum in prædicto casu. Sed nec me latet, Joannem De Lugo putasse ejusmodi Hurtadi sententiam apparenter solum posse defendi. Verùm, ut ingenuè fatear, post aliquot à consilio dato menses subijt mentem meam disparitas inter casum nostrum, & exempla n. 5. allata, quibus nitebatur tota vis Consilij mei. Ille enim homo excitando ebrium ad injuriandum patri, infantem ad blasphemandum, servum ad laborandum die festivo, cognoscit eas actiones esse materialiter pravas, & nullo modo inducere ullam bonitatem: quare, eas nec velle, nec intendere, nec consulere potest. At in casu nostro adverti, juro, quò modo dicto sine proximi damno jurat, adesse bonitatem virtutis Religionis; jurare enim id quod sine culpa putatur esse verum, actus est Religionis. Hoc igitur bonum, si ex proportionata saltem causa intendat is, qui proximum ad illud juramentum inducit, non peccabit. Quod bonum formale cùm non sit in alijs actionibus, non est mirum si ad illas proximum inducere nequaquam sine peccato potest. Subtilis alicui videbitur, sed certè vera distinctio; ut si penetretur, censenda sit in posterum probabilis Hurtadi, hoc modo explicata sententia.* At certè primus hujus authoris conceptus fuit optimus, atque adeò posterior censeri debet pessimus: quippe parùm consentaneus dilectioni Dei, aut proximi. Neque enim sincerus Dei dilector fuerit, qui nomen sanctum ejus in confirmationem falsi usurpari fecerit: neque proximum veraciter dilexerit, qui eum ignorantiæ morbo afflictum non modò non sublevaverit, sed in ruinam licèt materialem præcipitaverit. Certè enim sicut misericordiæ ac fraternæ charitatis dictamine jubemur pascere esurientem, ita & erudire ignorantem. Quomodò ergò misericordiæ aut fraternæ charitatis affectus manet in eo, qui ignorantem fratrem non tantùm non erudit, sed rudem in perjurij saltem materialis præcipitium impellit? [Q] Quando ig„norantia facti, inquit Bannez, est alicujus „ rei contrariæ juri divino aut naturali, & „ probabiliter speratur quòd ablatâ ignoran„tiâ non operabitur homo quæ cum ignoran„tiâ facit, vel facere vult; tenetur quisque „ illam ignorantiam pellere. Verbi gratiâ, ig„norat Petrus Mariam non esse suam uxo„rem, & vult ad illam accedere: teneor il„lum admonere non esse suam uxorem. Simi„liter si vult contrahere matrimonium cum „ muliere, quam ego scio esse sororem illius: „ teneor illum admonere, etiamsi juridicè „ probari non possit. Ratio hujus est, quia „ quamvis talis ignorantia sit invincibilis in „ illo; tamen respectu mei, scientis factum & „ legem, deformitas est in illo actu, quam si possum debeo repellere". Quam rationem alijs

O. Tambur. lib. 3. c. 2. §. 6. n. 3.

P Ibid. n. 6. & 7.

Q. Bannez in 2. 2. q. 10. a. 2 Dub. 2. Conclus. 4.

alijs verbis proposuerat jam superiùs sub initium ejusdem Dubitationis: " Magnum malum, inquiens, est ignorantia rerum quas homo tenetur scire, etiamsi sine peccato ignoret: Ergo si possum succurrere huic malo, tenebor docere proximum. Et confirmatur, quia etiamsi proximus ex ignorantia operetur contrarium legi, tamen hoc ipsum vergit in quandam legislatoris injuriam: Ergo saltem propter honorem legislatoris, & ex lege charitatis ad Deum, tenebor docere ignorantem ". Breviter & apposite Coninckus: R. Honor Dei, inquit, obligat me, ut, quantùm commodè possum, vitem etiam peccata materialia, tam in me, quàm in alijs". Sed vide quantâ cum securitate id asseveret Valentia: S. CERTUM EST, inquiens, si sumamus aliquantò latiùs *correctionis* vocabulum, ut significet quamcunque commonitionem, quâ proximus simpliciter in re aliqua doceatur veritatem; corrigi debere etiam eum, qui ex ignorantia invincibili juris divini, aut naturalis, aut humani, committit, vel omittit aliquid, quod alioqui committere, vel omittere sit peccatum mortale ". Peccatum utique materiale, quia ex sententia ipsius non est formale peccatum, quod ex ignorantia invincibili fuerit commissum, vel omissum. Inquirit Castropalaus, T. *An excuseris à correctione, eò quòd proximus delictum non cognoscit?* Et adductis quibusdam Neotericis distinctionem adhibentibus: " Ego verò, inquit, existimo, sive obligatus sis ex officio sive non, sive ignorantia sit juris positivi sive naturalis; si ex monitione speretur fructus; te teneri transgredientem legem monere: tum ob reverentiam ipsius legis; tùm quia illa ignorantia absolutè malum quoddam est, esto non imputetur culpæ: Ergo est materia doctrinæ vel correctionis, & objectum spiritualis eleemosynæ". De eadem ignorantia loquens Suarezius: V. Illa, inquit, est quædam proximi miseria, quæ per misericordiam sublevari potest, & debet ". Et Franciscus Sylvius: W. Eum, inquit, qui ex inculpatâ juris divini vel humani, ad rectè vivendum necessarij, ignorantiâ operatur, unusquisque tenetur admonere, quando speratur fructus; etiamsi is non peccet ita operando: quia talis ignorantia grande malum est in proximo, turpisque error; quem unusquisque vellet à se removeri ". Et mox iterùm Conclusione sequenti: " Si proximus operatur malum ex facti contra legem divinam ignorantiâ, etiam inculpatâ; est necessariò admonendus; modò adsint hæc duo, nimirùm quòd speretur emendatio, & non timeantur majora mala: ut si mulier propter aliorum testimonia credens maritum suum esse mortuum, bonâ fide inierit aliud matrimonium, & ego aliunde sciam ipsum in exteris regionibus vivere; debeo, positis illis duobus, eam admonere: quia fornicatio, etiam materialis, turpe quiddam est; ac contra Dei legem & honorem ". Si fornicatio; quantò magis falsa juratio? Ac per hoc, si obstringimur admonere proximum, materialiter alioqui ex ignorantia fornicaturum; quantò magis tenemur admonere proximum, materialiter aliàs ex ignorantia pejeraturum? Rursùs si tenemur admonere proximum, ne ex ignorantia materialiter pejeret; quantò magis tenemur cavere, ne eum inducamus ut materialiter ex ignorantia pejeret? Mira profectò est Tamburini hoc in puncto exorbitantia; qui, cùm ignorare non possit plerosque Theologos indubitanter perhibere, teneri unumquemque lege misericordiæ ac charitatis fraternæ ad instruendum proximum aliàs materialiter contra præcepta Decalogi peccaturum; audet tamen scribere, licitum esse non modò proximum ignorantem non instruere, sed insuper in materialem Decalogi transgressionem impellere. Et verò quàm frivola; quàm vana; quàm ridicula est illa ratiuncula, quâ se ille permotum refert, ut pristinam suam sententiam optimam, in novissimam istam pessimam mutaret: quia nimirùm *Iurare id quod sine culpâ putatur esse verum, actus est Religionis*. Quasi verò non sit eodem modo actus Religionis ille, quo rudis quispiam adoret diabolum apparentem sibi sub specie Christi, quem inculpabili simplicitate putat esse Christum. Num ergo eousque ineptire lubet, ut dicatur licere cuiquam scienti esse diabolum, suadere isti simpliciano ut adoret illum Pseudochristum qui reipsâ est diabolus? Nunquid ista adoratio tam est actus Religionis idiotæ illius adorantis, perinde ac Tamburiniana illa juratio est actus Religionis respectu alterius jurantis? Nunquid item Religionis actus est, quo adoratur hostia quæ invincibiliter putatur consecrata, cùm reapsè non sit consecrata? Et tamen quis audeat dicere, licitum esse scienti eam non esse consecratam, inducere ignaros ad talem adorandam, tanquam consecratam? Et verò quid de fœmina illa superiùs memoratâ dicemus, quæ bonâ fide credens maritum suum obiisse, alteri nupsit? Licebitne scienti maritum vivere, non modò eam non admonere, sed etiam ad reddendum superinducto viro conjugale debitum inducere? Nonne sicut *iurare id quod sine culpa putatur esse verum, actus est Religionis*: ita reddere debitum ei qui sine culpa putatur esse maritus, actus est justitiæ? Verùm ut extraneis exemplis hic congerendis supersedeam, profero illud domesticum, ab ipso Tamburino suggestum, de domino inducente servum

R. Coninck. Disput. 28. de Charitat. Dub. 4. nu. 39.

S. Greg. de Valentia tomo 3. Disp. 3. q. 10. p. 2.

T. Castropalaus tom. 1. Tract. 6. Disp. 5. p. 4. n. 2. & 3.

V. Suarez. Tractat. de Charit. Disput. 8. Sect. 3. n. 6.

W. Sylvius in 2. 2. q. 33. a. 2. qu. 1. Conclus. 3.

servum ad laborandum in die, quem dominus quidem scit esse festivum, sed servus bonâ fide existimat profanum. Etenim sicut *iurare id quod sine culpâ putatur esse verum, actus est Religionis*: ita laborare jussu domini in die qui bonâ fide putatur profanus, actus est obedientiæ, vel etiam justitiæ. Quâ ergo consequentiâ negat Tamburinus licere inducere servum ad Festum materialiter violandum, intuitu obedientiæ, vel justitiæ; cùm asserat licere inducere ignarum ad materialiter pejerandum, intuitu Religionis? Nonne humi jacet illa ab eo finalibus verbis tantoperè deprædicata distinctio, dicente: *Subtilis alicui videbitur, sed certè vera distinctio: ut si penetretur, censenda sit in posterum probabilis Hurtadi hoc modo explicata sententia*? Benè interim habet, quòd ultrò agnoscat illam Hurtadi sententiam in illud usque tempus caruisse probabilitate, cui *in posterum* pollicetur accessuram probabilitatem.

Tamburin. suprà.

CDLXV. Est & alia quædam Hurtadi, nescio an ejusdem, sententia, ab eodem Tamburino relata ac laudata: quam in gratiam studiosorum ad gradus Academicos aspirantium, atque alieno testimonio ad persuadendum Magistris indigentium, procudisse videtur. Hanc ego in cautelam referam Magistrorum, ne decipiantur; sicut ille eam in sublevamen tradidit discipulorum, ne repellantur: [x] *Scholasticus*, ait ille, *volens probare cursum, ad quod eget duobus testibus, adhibere potest duos amicos: qui illum non viderunt interesse lectionibus, at satis sibi persuadent illum interfuisse*. Addit tamen ille continuò: *At non possunt iurare se id vidisse*. Quod additamentum non videtur satis consentaneum regulæ traditæ per Lessium, quâ ait: [y] *Quotiescunque licitum est uti oratione ambigua, vel tacitâ restrictione; licitum etiam est uti iuramento, si necessitas vel notabilis causa postulet*. Aut enim duo illi amici inter testandum utuntur oratione mentaliter restrictâ, subintelligendo nimirum hanc vel similem reservationem, *prout putamus*: aut planis terminis absque ullo mentali supplemento testimonium perhibent de Scholastici diligentiâ in frequentandis lectionibus. Si primum, licebit profectò juxta Lessij regulam adjicere testificationi juramentum, dummodò *notabilis causa postulet*: qualis causa esse poterit Scholastici illius admissio ad gradum, qui fortè ei necessarius sit ad obtinendum beneficium vel officium sibi necessarium aut perutile, vel etiam ad retinendum beneficium aut officium jam anteà obtentum, vel denique ne ob repulsam à gradu incurrat infamiæ notam, aut parentum benefactorumve offensam. Si verò secundum, longè potiori ratione licebit ex iisdem causis juramentum adjicere: nam cùm cætera ponuntur paria, longè congruentiùs ac reverentiùs adhibetur juratio in confirmationem assertionis, quæ in plano ac pleno verborum sensu existimatur vera, quàm quæ accito duntaxat arcano artificio putatur talis. Quapropter si amici illi possint absque mendacio simpliciter testari se vidisse scholarem lectiones frequentantem; poterunt pariter ex Lessij regulâ, interveniente notabili causâ, testificationem suam juramento firmare. An fortè Hurtadus; & eum approbans Tamburinus, dicturi sunt; se non asserere quòd amici illi duo possint testari se *vidisse* scholarem lectiones frequentantem; sed duntaxat *eum lectionibus interfuisse*? Si ita est; cur in posteriori parte suæ adversativæ non retinuerunt verbum *testandi*, dicendo; At non possunt *testari* se id vidisse; sed substituerunt verbum *iurandi*, dicendo, *At non possunt iurare se id vidisse*? Nunquid hâc posteriori parte apertè negant testes illos posse jurare id; quod priùs dixerant posse eos testari? Si hoc non negant, certè perperàm inferunt adversativam *at*; & mutilam tradunt doctrinam, nihil resolventes super eo, num prædicti duo amici licitè possint jurare scholarem illum frequentasse lectiones, quem non viderunt quidem frequentantem, sed tamen bonâ fide putant frequentasse. Quòcunque interim se vertant; regula ex Lessio relata, assertioni ipsorum applicata, extendet ad jurationem, quod aiunt ipsi de simplici testimonio. Imò verò etiam ipsi coguntur ex proprijs suis principijs, seclusâ Lessij authoritate, eandem extensionem admittere. Cùm enim asserant licere inducere testem ad jurandum falsum quod ipse putat verum, inductore sciente esse falsum, prout proximo §. vidimus: consectarium erit, ut liceat præfato Scholastico inducere amicos illos suos ad jurandum se interfuisse lectionibus, quibus etsi ipse probè sciat se non interfuisse, amici tamen illi persuasum habent interfuisse. Ex hac quippe persuasione jurando, exercebunt actum Religionis, juxta illam Tamburini regulam proximo §. repetitam, *Iurare id quod sine culpâ putatur esse verum, actus est Religionis*: quem actum exercendo evadent culpam, si Tamburino pristinam suam sententiam secundis curis corrigenti credendum. Quæ sanè doctrina si invalescat, magnam scholaribus negligentiæ ansam præbebit, nisi Magistri novam examinandi normam adhibeant, vel certè Tamburinianas regulas communi conspiratione eliminent. Ex eis enim eadem sequentur incommoda, quæ ex ipsorum Magistrorum supinâ conniventiâ sequi perhibet Petrus Gregorius: [z] Multùm, inquiens, nocuit Reipublicæ, „ quòd Professores aliqui reperiantur parùm „ timoratæ conscientiæ, & non considerent „ quale PECVS ARCADICVM intrudant Ecclesijs & subsellijs; ad gratiam sæpè gradus „ profanis concedentes. Nec considerant, se reddi-

PRÆOCCVPATIO.

[x] Hurtadus apud Tambur. lib. 3. c. 2. §. 1. n. 8.

[y] Lessius lib. 2. de Iustitia c. 42. Dub. 9. nu. 48.

[z] Pet. Gregor. lib. 9. de Republ. cap. 3. n. 6.

„ reddituros rationem coram Deo & homi-„ nibus, de tantâ in probandis studijs negli-gentiâ". Extat inter Opera Gersonis Summarium causarum, quibus ipse inclinatum se fuisse testatur ad dimittendum Cancellariatum Academicum, quo fuit Parisijs aliquandiu perfunctus; quarum causarum una his verbis ab ipso ibi exprimitur: " Cogor ad deli-„ berationem aliorum, vel pro consuetudine „ temporis, ignaros scientiâ, & perniciosos „ moribus promovere, & quandoque suffi-„ cientioribus præponere: cùm tamen dicat „ Sapiens: *Noli velle fieri Iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates*". Censuit nimirum indignorum ad gradus Academicos promotionem, gravem esse iniquitatem: ideò utique, quia immanem Reipublicæ tam Ecclesiasticæ quàm Politicæ infert perniciem. Unde & idem ipse in Tractatu de Examinatione Doctrinarum Parte 2. Consider. 5. loquens de dyscolis quibusdam Doctoribus: *Tolerabilius esset*, inquit, *nulles habere, quàm tales pati*. Paulus quoque Orosius ex communi gentis suæ personâ scripsit Augustino: A· *Dilacerati graviùs sumus à pravis Doctoribus, quàm à cruentissimis hostibus*. Et Isidorus Hispalensis, Orosij conterraneus: B· Deteriores sunt, inquit, qui sive „ doctrinâ, sive exemplis vitam moresque bo-„ norum corrumpunt his, qui substantias alio-„ rum prædiaque diripiunt. Hi enim ea quæ „ extra nos, sed tamen quæ nostra sunt, aufe-„ runt: corruptores verò morum propriè nos-„ ipsos diripiunt, quoniam divitiæ hominum „ mores eorum sunt. Multùm ergo distant „ damna morum à damnis temporalium re-„ rum; dum istæ extra nos sunt, mores verò in nobis". Academici gradus sunt publica quædam testimonia eruditionis illorum, qui eis solemni ritu insigniuntur: quibus condecorati reputentur idonei obeundis munijs, cujusque respectivè gradui congruentibus; Theologi animabus sospitandis, Iurisperiti fortunis ab injuriâ tuendis, Medici languoribus corporum propellendis. Unde satis apparet quantoperè pendeat Reipublicæ salus à debito functionum istarum exercitio, adeoque ab ipsorum exercentium solidâ peritiâ. Cùm enim tria sint potissima civium bona: animarum sanctitas, corporum sospitas, & Judiciorum æquitas; Theologorum functio ritè obita providet primum, Medicorum secundum, Iurisconsultorum tertium. Unde rectè ait Petrus Gregorius in suo de Republicâ Opere: C· Studia litterarum & artium „ sunt velut materia, circa quam versantur & „ Præceptores docentes, & discipuli discentes; „ & ex quâ salus, vel subversio, aut saltem „ corruptio major, oriri potest in Republica". Academiarum moderatores maturo judicio determinare solent tempora quibus quisque

Gerson.

Eccli. 7. 6.

A Orosius Epist ad Augustinum tomo 6.

B Isidorus lib. 3. Sententiar. c. 58.

C Pet. Greg. lib. 19. de Republ. c. 2. n. 3.

scholas frequentasse debeat, priusquàm scholasticam lauream assequatur, ne fortè inidoneus ad gradum provectus, & ipso jam gradu sibi confisus, temerario ausu civibus incommodet quoad bona animæ, corporis, aut fortunæ: D· Tam in divinis, inquit Cyprianus, „ quàm in Philosophorum doctrinis, nec tu-„ tum est nec honestum, ineruditos, & igna-„ ros sensuum ad litteras illas pertinentium, „ prosilire ad discussionem eorum, quæ ne-„ sciunt; & de his sibi usurpare magisterium, quæ ignorant". Porrò si *nec tutum est nec honestum* sic prosilire; & sic magisterium usurparet profectò consectarium est, ut *nec tutum sit nec honestum* suggerere discipulis dolosam methodum Magistros decipiendi, eâque deceptione ad gradus irrependi, ut cùm Respublica putat se habere egregium Theologum, Jurisconsultum, aut Medicum, laureatum habeat *pecus Arcadicum*. Cui malo ut obviaret Facultas Theologica Lovaniensis, ab antiquo statuit & ordinavit, *Neminem ad aliquam in ipsa promotionem suscipi posse seu admitti, nisi legitimè doceat, omnia se ad illum gradum, quem consequi nititur, requisita, ABSQUE DOLO IMPLEVISSE*. Sed nulla cautela quantumvis abundans sufficit obviare suggestionibus laxonum, qui licitum esse perhibent adducere testes, solâ adducentis fide persuasos; vel, fortè veriùs, fraude pellectos: neque enim Tamburinus, aut ab ipso citatus Hurtadus, exprimit, num loquatur de *Scholastico*, qui reverà lectionibus interfuit, num autem de eo qui se interfuisse fingit. Sed tamen ex subjectâ materia apparet, hunc posteriorem ab ipso vel solum intelligi, vel certè comprehendi: nam si *Scholasticus* ille reverà lectionibus interfuerat, proculdubiò vel solus interfuerat, vel cum socijs, ijsque vel paucis, vel multis. Si solus vel cum paucis, vix fieri poterit ut indigeat testibus, nisi Magistri obierint omnes, aut abierint: qui si adsint, testari ipsi poterunt; cùm in tanta discipulorum paucitate facilè singulos noverint. Si denique cum multis, quid opus fuerit recurrere ad testes extraneos, qui frequentantem non viderint; cùm suppetant ad manum condiscipuli, qui viderint? Ex subjectâ proinde materia apparet Tamburinum cum suo Hurtado loqui de *Scholastico* qui reverà lectionibus non interfuerat, sed interfuisse se fingit, fictionemque suam testimonio amicorum falsò persuasorum colorare prætendit: atque adeò hæc eorum laxitas est velut appendix alterius laxitatis proximo §. dispulsæ. Sicut enim ibi juramentum materialiter falsum licere contendunt prætextu Religionis, ita hìc similiter licere dicent testimonium materialiter falsum prætextu misericordiæ. Si enim *iurare id quod sine culpa putatur esse verum, actus est Religionis*; cur testari id quod sine culpa putatur

D. Cyprianus in Prologo de Cardinalibus Christi operibus.

Facultas Theol. Lovaniensis.

putatur esse verum, non sit actus misericordiæ; quando fit in sublevamen indigentiæ illius *Scholastici, volentis probare cursum, ad quod* EGET *duobus testibus*? Ubi enim supponitur *egentia*, ad eam sublevandam inclinat misericordia. Quod si opus fuerit adhibere mentalem restrictionem in casu illius juramenti, poterit quoque similis restrictio adhiberi in casu istius testimonij. Si enim ea adhibitio in casu juramenti censeri non debeat iniquitas, sed humanitas, civilitas, urbanitas; à fortiori in casu simplicis attestationis non debet censeri iniquitas, sed humanitas, civilitas, urbanitas. Sed quid ad hæc Gregorius olim reposuerit, audiamus: [E] "Hujus Mundi sapientia est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare; quæ falsa sunt, vera ostendere; quæ vera sunt, fallacia demonstrare. Hæc nimirum prudentia usu à juvenibus scitur, hæc à pueris pretio discitur: hanc qui sciunt, cæteros despiciendo superbiunt; hanc qui nesciunt, subjecti & timidi in alijs mirantur: quia ab eis hæc eadem duplicitatis iniquitas nomine palliata diligitur, dum mentis perversitas VRBANITAS vocatur". Audiamus & antithesin ibidem post pauca subjunctam: " At contrà, sapientia justorum est, nihil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitare; bona gratis exhibere, mala libentiùs tolerare quàm facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc *Justorum simplicitas deridetur*: quia ab hujus Mundi sapientibus puritatis virtus, fatuitas creditur. Omne enim quod innocenter agitur, ab ijs proculdubiò stultum putatur: & quicquid in opere veritas approbat, carnali sapientiæ fatuum sonat". Inter epitheta quibus Apostolus Jacobus sapientiam Sanctorum exornat, unum est, quòd sit *anypocritos*, hoc est, sine hypocrisi, sine fuco, sincera; sive, ut vulgatus Interpres transtulit, *sine simulatione*: & hanc sapientiam dicit *desursùm esse*, indicans utique eam è cælo ducere originem. Huic opponit sapientiam carnalem, à quâ nos deterrens præmiserat superiùs: *Nolite gloriari, & mendaces esse adversùs Veritatem: non est enim ista sapientia desursùm descendens, sed terrena, animalis, diabolica.* Primò dixit *terrenam*, sive quòd illa clientes suos terrenis inhiare faciat, sive quòd illam terrenarum rerum cupido inspiret aut exacuet. Secundò dixit *animalem*, eò quòd animali hominis voluntati subserviat, in caducis occiduisque corporis commodis potissimè procurandis occupata. Tertiò denique dixit *diabolicam*, eò quòd diabolo originem suam debeat ac progressum. Hunc quippe Basilius, [F] *Primum & maximum mundana sapientia sophistam* nominat: & Rupertus, [G] *Odibilium sophistarum maximum.* Ubi dicendo *odibilium*, alludit ad illud Scripturæ divinæ oraculum: *Qui sophisticè loquitur, odibilis est.* Cur autem odibilis sit qui sophisticè loquitur, innuit Augustinus cùm ait: [H] "Usque adeò rationalis natura refugit falsitatem, & quantùm potest devitat errorem: ut falli nolint, etiam quicunque amant fallere". Quia igitur omnes horrent falli, consequenter horrent falsones suos; quales sunt qui sophismata concinnant, quibus alios artificiosè decipiant: [L] "Sunt multa, inquit alibi idem Augustinus, quæ appellantur *sophismata*, falsæ conclusiones rationum, & plerunque ita veras imitantes; ut non solùm tardos, sed ingeniosos etiam minùs diligenter attentos decipiant". Et mox infrà de ijsdem continuans sermonem: "Quod genus, inquit, captiosarum conclusionum, Scriptura, quantùm existimo, detestatur illo loco ubi dictum est: *Qui sophisticè loquitur, odibilis est*". Ex verbis Augustini de Enchiridio mox excerptis satis claret, neminem istorum *sophisticè loquentium*, velle alios sibi sophisticè loqui. Ex quo fit, ut quisque eorum prævaricetur illud Juris naturæ præceptum, superiùs cap. 100. discussum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Paravit Aristoteles in suis Elenchorum libris antidotum adversùs fallaciarum præstigias: ubi signanter excussit fallaciam æquivocationis & amphibologiæ, sed sensibilis: nam contra mentalem nulla sufficere potest cautela, nisi ut ejus artificibus semel detectis nulla imposterùm, ne quidem vera dicentibus, adhibeatur fides; sed ut viperæ devitentur, Sophistis perniciosiores reputentur, & cum pessimo mendaciloquorum genere reprobentur: [K] "Mendaces faciunt, inquit Isidorus, ut nec vera dicentibus credatur: reddit enim sæpè hominem multa falsitas etiam in veritate suspectum". Quanquam igitur falsones momentaneum subinde lucrum ex sua sophistica loquela reportent, demùm tamen detecti omnem fidem amittunt: atque ita quod lucrati fuerint, etiam cum usuris deperdunt. Ut enim idem Isidorus inferiùs lib. 3. cap. 24. perhibet: "Omne sincerum permanet, quæ autem simulata sunt diuturna esse non possunt". Et hoc quidem adeò exploratum reputat Cyprianus Epist. 55. ut contrarium habeat pro dementia: "Hæc est, inquiens, vera dementia, non cogitare, nec scire, quòd mendacia non diu fallant; noctem tam diu esse, quàm diu illucescat dies: clarificato autem die, & Sole oborto, luci tenebras & caliginem cedere, & quæ grassabantur per noctem latrocinia cessare". Hoc ipsum indicare voluit, qui apud Jobum ait: *Hoc scio, à principio ex quo positus est homo super terram, quòd laus impiorum brevis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti.*

E. Greg. lib. 30. Moral. cap. 16.
Job 12. 4.
Iac. 3. 17.
Ibid. v. 14. & 15.
F. Basil. Homil. 22.
G. Rupert. lib. 3. in Genesim c. 7.
Eccli. 37. 23.
H. August. Enchir. cap. 17.
L. Idem lib. 2. de Doct. Christ. c. 31.
Vide supra cap. 100.
K. Isid. l. 2. Sent. c. 30. Vide supra §. 463.
Cyprianus.
Vide Greg. l. 15. Moral. c. 2. & l. 16. c. 23.
Iob. 20. 4. & 5.

CAPUT

CAPUT CXXIII.

Epilogus dictorum adversùs laxitates, per novellos probabilitatum patronos subinductas. Moderni laxones experimento edocti quàm ægrè conformentur mores humani legi divinæ, tentarunt ex adverso conformare legem divinam moribus humanis: quasi lex Decalogi foret regula Lesbia, *ad sui regulati normam accommodabilis. Disseritur de* virga ferrea, *quâ Christus prophetatus est Gentes recturus. Expenditur item, quod eidem Christo acclamatum est*: virga directionis, virga regni tui. *Quisnam, juxta Augustinum, Ambrosium, & alios eorundem asseclas, sit* Adversarius *cui iubemur* consentire dum sumus cum illo in via? *Recapitulatio plerarumque laxitatum in præcedentibus discussarum, signanter adversùs sex postrema Decalogi præcepta invectarum. In singulis constituitur homo inter Dei sermonem ab una parte vetantem, & benignum Casuistam ab altera blandientem. Nihil omninò agunt, qui suâ adversùs Decalogum ausa per multitudinis exempla defendunt. Virgilianum Poëma de littera Pythagoræ, discrimine sectâ bicorni, & humanæ vitæ figuram præferente. Lactantij in eandem rem dissertatio. Legis naturalis ex Tullio descriptio. Aliud est jus civile, quod pro moribus ubique variatur: aliud vera justitia, quam uniformem ac simplicem Deus omnibus proponit; quam qui ignorat, ipsum quoque Deum ignoret necesse est. Obscuratio Decalogi Parasceve est atheismi. Confertur assertio Caramuelis astruens probabilitatem polytheismi* secundùm humanam prudentiam sibi relictam, *cum dogmate contendentium humanæ animæ immortalitatem negari vel in dubium revocari posse* saltem secundùm Philosophiam. *Exploditur laxitas asserentium*, Absolutionis capacem fore hominem, quantâvis ignorantiâ mysteriorum fidei laborantem. *Cur in hac laxitatum materiâ crebrius reliquis allegati & exagitati sint* Caramuel & Tamburinus.

CDLXVI. HActenùs per viginti novem capita, anterioribus plerunque prolixiora, annisus sum ostendere, quantoperè veteribus libertinis appropinquent, adeoque disciplinæ Christianæ incommodent, neoterici quidam Ethico-theologi; qui experimento edocti quàm ægrè conformentur mores humani legi divinæ, tentarunt ex adverso legem ipsam divinam moribus conformare humanis, regulam scilicet suo regulabili; quasi Decalogus foret *Regula Lesbia*, quæ propter flexibilitatem abijt in proverbium, de quo Erasmus in Adagijs: [L] *Lesbia Regula* dicitur, inqnit, quoties „ præposterè non factum ad rationem, sed ratio „ ad factum accommodatur: & cùm lex „ moribus applicatur, non mores ad legem „ emendantur: aut quoties Princeps se populi „ moribus accommodat, cùm contrà conveniat „ plebem ad Principis arbitrium instituere vitam". Apud Psalmographum prophetatur de Christo, quòd *Recturus sit Gentes à Patre sibi tradendas*, non in regula plumbea, qualem fuisse illam *Lesbiam* testatur Philosophus; sed, *in virga ferrea*, quam Augustinus [M] *inflexibilem iustitiam* interpretatur. Eandem & alibi idem Psalmographus vocat *virgam directionis*; sive, ut apud Apostolum legitur, *virgam æquitatis*: [N] Omnis Dei sermo, inquit Hilarius, quo ex „ errore in veritatem Dei retrahimur, quo per „ comminationem terroremque judicij ad in„ nocentis & sanctæ vitæ viam regimur, *virga* „ est nuncupatus: per quam intra disciplinam „ divini metûs cohibiti, moderati ac prudentis rectoris monitu coërcemur". Et rursùs ibidem post pauca: " Hanc verbi doctrinam, in„ quit, *virgam* nuncupari ex veteri Testamen„ to ita cognitum est, cùm dicitur: *Virga dire„ ctionis virga regni tui*: quia hæc quidem est „ *virga directionis*, quâ per doctrinam in æquam

L. Erasm. Chiliade 1. Cent. 8. cap. 96. Vide Arist. lib. 5. Ethic. cap. 10. & lib. 1. Rhetoricor. ad Theod. c. 1.

M. Aug. in Psal. 2. v. 9. *Psalm. 2. 9.* *Psalm. 44. 7.* *Hebr. 1. 8.*

N. Hilar. in Psalm. 2.

„ viam utilemque dirigimur. Et quia *virga*
„ *regni est*, necesse est ut ipsa illa doctrina sit
„ regni. Ipsum autem Dominum nostrum ob
„ doctrinæ suæ utilem ac moderatam prędica-
„ tionem *virgam* nuncupatum ita accepimus,
Isaia 11.1. „ dicente Isaiâ: *Exiet virga de radice Iesse.* Ac
„ ne tyrannicam in eo severitatem per *virga*
„ nuncupationem auderet quisquam opinari,
Ibid. v. 1. & 2. „ continuò Propheticus sermo subjecit: *Et flos*
„ *de radice eius ascendet, & requiescet super eum*
„ *spiritus Domini*; ut virgæ severitatem floris
„ suavitas temperaret, cùm unicuique nostrum
„ doctrinæ terror regimen perfectæ beatitu-
„ dinis admoveret. In hac ergo *virga reges da-*
„ *tas sibi Gentes*; non corruptibili, non caducâ,
„ non fragili; sed *ferreâ*, id est validissimâ, &,
pro naturæ suæ soliditate, firmissimâ". Ca-
Psalm. 2. 9. veant proinde ne *tanquam vasa figuli confringan-*
tur, qui non tam se & alios huic *virgæ ferreæ*
conformare, quàm ex adverso eam sibi & alijs
conformare nituntur. Non est quòd suspicen-
tur eam dici *virgam directionis*, quasi debeat
aut queat ab hominibus dirigi; sed potiùs
quòd ab ipsa debeant homines dirigi, juxta
O. *Aug. in Psalm.* 44. illud Augustini, "*Directionis virga est*, quæ di-
„ rigit homines. Curvi erant, distorti erant,
„ sibi regnare cupiebant, se amabant, facta sua
„ mala diligebant, non voluntatem suam
„ Deo subdebant, sed voluntatem Dei ad
„ suas concupiscentias flectere volebant. Iras-
„ citur enim peccator & iniquus plerunque
„ Deo, quia non pluit: & non vult sibi Deum
„ irasci, quia fluit. Et ad hoc propemodùm
„ sedent quotidie homines, ut disputent con-
„ tra Deum: Hoc facere debuit, hoc non
„ benè fecit. Tu videlicet vides quid facias,
„ ille nescit? Distortus tu es, ille rectus est:
„ distortum ad rectum quando conjungis,
„ collineari non potest; tanquam in pavimento
„ æquali ponas lignum curvum, non adjun-
„ gitur, non cohæret, non coaptatur pavimen-
„ to. Pavimentum ubique æquale, sed illud
„ curvum est, non coaptatur æquali. Ergò Dei
„ voluntas æqualis est tua curva est: propterea
„ tibi curva videtur illa, quia tu illi coaptari
„ non potes. Dirigere ad illam, tene illam:
„ nam si illam velis curvare ad te, quia non
„ potes, frustrà conaris: illa semper directa
„ est. Vis illi hærere? Corrigere: erit virga
„ illius qui te regit *virga directionis*: inde & *Rex*
„ à *regendo* dicitur, non autem regit qui non
„ corrigit. Ad hoc est Rex noster rectorum
„ Rex: quomodò & *Sacerdos* à *sanctificando* nos,
„ ita & *Rex* à *Regendo* nos. Sed quid ait alio
Psal. 17. 26. & 27. „ loco? *Cum sancto sanctus eris, & cum viro in-*
„ *nocente innocens eris: & cum electo electus eris, &*
„ *cum perverso perversus eris.* Non quia perversus
„ Deus, sed quia perversi perversum eum pu-
„ tant: placet tibi bonum, bonus est Deus: dis-
„ plicet tibi, quasi pravus est Deus. Curvus est
„ tibi Deus, tua curvatura facit hoc: nam illius
„ rectitudo semper manet, Audi in alio Psal-
mo: *Quàm bonus Deus Israel rectis corde*"! Et mox *Psal.* 72. 1.
infrà rursùs ibidem: "Vide, inquit, virgam
„ directionis: *Dilexisti justitiam, & odisti iniqui-*
„ *tatem.* Accede ad istam virgam, sit tibi Rex
„ Christus: regat te virga ista, ne frangat te.
„ Virga enim ferrea est illa, inflexibilis: Et
„ quid dictum est: *Reges eos in virga ferrea, &*
„ *tanquàm vas figuli conteres eos.* Alios regit, alios
„ conterit: regit spiritales, conterit carnales".
Plura ejusdem Augustini documenta huc spe-
ctantia congessimus superiùs §. 349. quæ inde *Vide suprà* §. 349.
repeti poterunt: quibus modò addimus illud
ex initio Concionis 1. in Psalm. 48: "Omnia
„ divina eloquia salubria sunt benè intelligen-
„ tibus: perniciosa verò his qui ea volunt ad
„ sui cordis perversitatem detorquere, potiùs
„ quàm suum cor ad eorum rectitudinem cor-
„ rigere. Hæc est enim in hominibus magna &
„ usitata perversitas, quâ, cùm debeant ipsi vi-
„ vere secundùm voluntatem Dei, Deum vo-
„ lunt vivere secundùm voluntatem suam: &
„ cùm ipsi nolint corrigi, illum volunt depra-
„ vari; rectum non arbitrantes quod ille vult,
sed quod ipsi volunt". An non tales sunt, qui
singula quæque Decalogi divinitùs sanciti
præcepta, quibusdam humanarum probabili-
tatum præstigijs eludunt: ut quod Deus & na-
tura clamant esse peccatum, humanâ ipsorum
persuasione fiat licitum? Hujusmodi certè per-
suasionem Augustinus post pauca ibidem com-
parat blanditijs Serpentis antiqui, quibus ille
primos homines perversâ divini mandati in-
terpretatione seduxit, & ad pomi noxialis
esum induxit. Verba ejus sunt, sed indignan-
tis: "Repellit à se cor hominis verbi Dei se-
„ veritatem, & admittit ad se malè suadentis
serpentis blanditias". Certè enim nihil cre-
briùs obtendunt novelli probabilitatum pa-
troni pro astruendis suis in Decalogum laxi-
tatibus, quàm Decalogi præcepta fore nimis
severa, si absque benigniori suâ interpretatio-
ne stringere censeantur. Sed benè habet, quòd
Christus non dixerit homini, Esto consen-
tiens benigniori Decalogi interpreti: sed, *Esto* *Mat.* 5. 25.
consentiens adversario tuo: P. Quæramus, in- P. *August.* Serm. 1. de
„ quit Augustinus, istum *adversarium*, cui de- verbis Domini c. 3.
„ beamus consentire, ne tradat nos Judici, Vide l. 1. de
„ & Judex ministro. Quæramus illum, & Serm. Domini in mon-
„ consentiamus illi. Si peccas, adversarius te c. 11. &
„ tuus est *Sermo Dei*: verbi causâ, forsitan Gregor. Hom. 39 in
„ delectat te inebriari, dicit tibi: *Noli*. De- Euangelia.
„ lectat te spectare, & nugari: ille dicit tibi,
„ *Noli*. Delectat te adulterari: dicit tibi sermo
„ Dei, *Noli*. In quibuscunque peccatis volue-
„ ris facere voluntatem tuam, dicit tibi, *Noli*.
„ Adversarius est voluntatis tuæ donec fiat
„ author salutis tuæ. O quàm bonus adversa-
„ rius, quàm utilis adversarius! Non quærit
nostram

„ nostram voluntatem, sed utilitatem. Adver-„ sarius est nobis, quamdiu sumus & ipsi no-„ bis, quamdiu tu tibi inimicus es, inimicum „ habes sermonem Dei: esto tibi amicus, &
Exod.20.13. & seqq. „ concordas cum ipso. *Non homicidium facies*, „ audi, & concordasti. *Non furtum facies*, audi, „ & concordasti. *Non maechaberis*, audi, & con-„ cordasti. *Non falsum testimonium dicas*, audi, „ & concordasti. *Non concupisces uxorem proxi-„ mi tui*, audi, & concordasti. *Non concupisces* „ *rem proximi tui*, audi & concordasti. In his „ omnibus cum tuo *adversario* concordasti, „ dic mihi quid perdidisti? Non solùm ni-„ hil perdidisti, sed & teipsum, qui perieras, „ invenisti".

CDLXVII. Quid facturus est homo fidelis, inter Dei sermonem, & palponis cujuspiam blanditias constitutus? Sanè si seriam salutis suae curam gerat, sequetur ductum divini sermonis, repellet ab auribus blanditias palponis:
Matt.5.25. & 26. *Ne fortè tradat eum adversarius Iudici, & Iudex Ministro, mittatur in carcerem, unde non sit exiturus, nisi soluto novissimo quadrante*: Q Adversarius
Q. Beda l.4. in Lucam. c.15. Vide Aug. Homil. 5 inter 50. & Hugon. Vict. lib. 4. Allegor. in Lucam cap. 21. „ noster in via, inquit Beda, est sermo Dei, „ contrarius nostris carnalibus desiderijs in „ praesenti vita: à quo ipse liberatur, qui prae-„ ceptis ejus humiliter subditur. Alioquin ad-„ versarius Judici, & Judex tradet exactori: „ quia ex sermone Domini contempto reus „ peccator tenebitur in examine Judicis; quem „ Judex exactori tradet, quia hunc maligno „ spiritui ad ultionem trahere permittet, ut „ compulsam animam ipse ad poenam de cor-„ pore exigat, quae ei ad culpam sponte con-„ sensit. Exactor mittet in carcerem, quia per „ malignum spiritum in inferno retrudetur, „ quousque dies judicij veniat, ex quo jam in „ inferni ignibus simul & ipse crucietur". Et
R. Ambros. lib 7 in cap. 12. Lucae. Ambrosius: R Est adversarius noster, inquit, „ juxta Matthaeum, omnis virtutis usus, & „ Apostolicus & Propheticus sermo, qui nos „ ad asperiora praecepta, & durioris vitae docu-„ menta constringit. Cui convenit nos consen-„ tire, ut eum operibus aemulemur, ne aliquâ „ nostrâ contumaciâ ab eo desciviffe prodamur". Percurramus jam exempla proximo mox §. ex Augustino relata, & constituamus in singulis hominem ex una parte monitum Dei sermone abstinere ab eo quod delectat, & ex altera parte permissum à benigniore quopiam Moralista eligere quod mavult. Ecce quempiam delectat inebriari, monetur voce
Luc 21.34. Dei, *Attendite ne graventur corde in crapula & ebrietate*. Accedit benignus quidam Moralista ex altera parte, suggerens non esse peccatum
Vide suprà §. 434. & 435. saltem grave, *Etiam absque utilitate se cibo & potu usque ad vomitum ingurgitare, nisi ex huiusmodi vomitibus gravia valetudini incommoda oriantur*. Alium delectant spectacula: monetur Dei ser-
1 Jo.2.16. mone *Concupiscentiam oculorum non esse ex Patre, sed ex Mundo*; de quo ibidem praemittitur, *No-* Ibid. v.15.
lite diligere Mundum, neque ea quae in Mundo sunt &c. Accedit ex altera parte benignus Casuista, insonans auribus ejus: *Voluptates sensuum licitè* Vide suprà §. 417.
appeti possunt propter se. Alium delectat adulte-rari: monetur voce Dei *Non coire cum uxore pro-* Lev.18.20.
ximi sui. Accedit benignus Casuista, suggerens modum vitandi crimen adulterij, etiam in coitu cum uxore proximi: dicit namque ei, *Copu-* Vide suprà §. 426.
la cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium. Alium delectat exigere conjugale debitum ab uxore sua, solius voluptatis percipiendae, aut incontinentiae vitandae causâ: monetur Dei sermone *Vas suum possidere in san-* 1 Thess.4.4.
ctificatione & honore, non in passione desiderij. Accedit ex altera parte benignus Casuista, insonans ei, *Opus solius delectationis in coniugatu, ne* Vide §. 421. & 427.
veniale quidem est peccatum: sicut non est, pulchrum prospectare campum, fragrantem rosam odoratui ob voluptatem admovere, suavi melodia liberas aures dare. Alium delectat conversari vel cohabitare cum femina, unde sumit occasionem carnaliter peccandi, monetur Dei sermone *Eruere* Matt.5.29.
& proijcere abs se etiam oculum dextrum scandalizantem se. Accedit benignus Casuista, insonans Vide suprà §. 430.
ei: *Nemo tenetur occasionem proximam peccati vitare, cum magno suo detrimento. Vnde nec concubinarius tenetur dimittere concubinam, quae ipsi nimis utilis est ad lucrandum bona temporalia, mediâ negotiatione; vel etiam ad oblectamentum concubinarij, vulgò REGALO; dum deficiente illâ, nimis agrè ageret vitam, & aliae epulae taedio magno afficerent concubinarium, & alia famula ad id nimis difficile inveniretur*. Quòd si subsit periculum etiam incestus in tali conversatione vel cohabitatione, respondebit alius benignus Casuista: *Excusamus fratrem habitantem, juxta* Ibidem.
morem patriae, in eadem domo parentum, cum sorore, licèt habitatio sit illi fortè causa peccandi. Rursùs si quis fortè defacto non sit in proxima peccandi occasione, libenter tamen se ei ingereret, si quo modo licitè posset; suggeritur huic alius ille articulus ibidem superiùs relatus: *Licitum est quaerere directè occasionem* Ibidem.
proximam peccandi, pro bono spirituali aut temporali nostro, vel proximi. Item si quem fortè delectet coitus sodomiticus, aut bestialis; sed deterretur speciali ejus deformitate, quam habet super simplicem mollitiem: hunc terrorem ei tollere satagit benignus ille Casuista qui ait: *Mollities, Sodomia, bestialitas, sunt* Vide suprà §. 421.
peccata eiusdem speciei infimae. Denique si quis ab hujusmodi peccatis horrorem habeat peculiarem, eò quòd ex seipsis turpia sint ac mala, secluso omni arbitrario legislatoris vetito: huic ejus horrori obviabit idem benignus Casuista, ibidem praemittens: *Si Deus* Ibidem.
mollitiem non interdixisset, nunquàm esset mala, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub peccato mortali. Quod ipsum de sodomia & bestia-

& bestialitate specificè consideratis intelligen-
dum relinquit, quandoquidem eas infimâ spe-
cie cum mollitie identificet. Alius fortè dele-
Exo. 20. 13. ctatur homicidio: monetur Dei voce, *Non oc-
cidere.* Accedit benignus Casuista, complures ei
casus licitè occidendi suggerens, atque inter
Vide § 410. & 413. alia dicens: *Licitum est occidere calumniosum acto-
rem, testes, & iniustum Iudicem, ad servandam vi-
tam, honores, vel res familiares.* Rursùs ne du-
bius hæreat circa valorem rerum familiarium,
pro quarum conservatione liceat occidere au-
ferentem; suggeritur eidem ista alia regula:
Ibidem. *Neque ad culpam, neque ad pœnam homicidy con-
demnandus est occidens eum, qui iniuste aggreditur
usurpare rem, quæ est valoris unius aurei, vel mino-
ris.* Quod si fortè res nondum sit actu possessa,
sed duntaxàt jure debita, suggeritur ibidem
Vide § 412. hæc regula velut ampliativa: *Non solum lici-
tum est defendere* (defensione scilicet occisivâ)
*quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ ius inchoatum
habemus, quæque nos possessuras speramus.* Sugge-
ritur prætereà pro conservatione honoris pro-
Vide §. 414. blema istud Ethicum, *An homo Religiosus, qui
fragilitati cedens feminam vilem cognovit, quæ ho-
noris ducens se prostituisse viro tanto, rem narrat &
eundem infamat, possit illam occidere?* Similiter
Vide § 415. pro tuitione honoris suggeritur, *Licere duellum
Vide § 413. & 415. acceptare, ac provocantem occidere:* item *licere ala-
pa impactorem, aut calumnia illatorem, etiam fu-
gientem occidere:* item *Licere clerico, vel Religioso,
calumniatorem gravia crimina de se vel de sua Re-
ligione spargere minantem, occidere, quando alius de-
fendendi modus non suppetat.* Neque vero sistitur
intra limites simplicis homicidij, sed sugge-
runtur & regulæ excusatoriæ parricidij, imò
Vide § 417. suicidij: ut inprimis illa, *Licet abortum procu-
rare, nondum animato fœtu, ad vitandum scan-
dalum, aut mortem. Ex quo apparet, non condem-
nandam facilè puellam, abortum facientem, cum
nondum animatus est fœtus, ne deprehensa gravida
occidatur, aut infametur.* Ne autem puella talis
hæreat perplexa super tempore animationis
fœtus, additur altera regula, quasi subsidiaria,
Ibidem. quæ sic sonat: *Videtur probabile omnem fœtum,
quamdiu in utero est, carere animâ rationali, & tunc
incipere eandem habere cum paritur: ac consequen-
ter dicendum erit, in nullo abortu homicidium com-
mitti.* Additur item illa in excusationem suici-
Vide § 416. dij: *Milites navales licite possunt ignem injicere in
pulverem sulphureum, se conjiciendo in mare, ut na-
vis in hostium potestatem integra deveniat; quando id
faciunt, ne acerbiorem mortem apud eosdem hostes
Ibidem. patiantur:* item & illa, *Iuste damnatus ut fame
pereat, potest oblatum cibum respuere:* nec non &
Ibidem. illa, *Damnatus ad pereundum veneno, licite illud
propinante Ministro sumit, deglutitq́;*: Similiter &
Vide § 456. illa, *Ad tormenta, damnaq́; gravia vitanda, potest
quilibet sibi falsum crimen imponere, etiamsi mors sit
sibi secutura.* Quibus consentanea cuditur illa
Vide § 416. generalior, *Non strictius tenetur quis se non occi-*

*dere, quàm proximum; imò fortè minùs strictè,
aut saltem minus clarè:* quæ multorum profe-
ctò corollariorum in hac materia est ferax.

CDLXVIII. Alium delectat tollere vel re-
tinere rem alienam, quod generali vocabulo
furtum nuncupatur: monetur voce Dei, inso-
nantis sibi, *Non furtum facias.* Accedit benignus Exod. 20. 14.
Casuista, insonans ei qui gravi aliquâ necessi-
tate, citra tamen extremam, premitur: *Permis-* Vide § 444.
*sum est furari non solum in extrema necessitate, sed
etiam in gravi.* Quòd si fortè non alia subsit ne-
cessitas, quàm periculum indecorè alioqui vi-
vendi, nisi alienum surripiat, vel surreptum re-
tineat: in hoc casu suggeritur ei ista regula, *Qui* Ibidem.
*cessit fore, potest sibi retinere bona, quibus indiget ad
sustentationem familiæ, NE INDECORE VIVAT;
licet debita, pro quibus cedit, sint ex iniustitia, &
notorio delicto contracta.* Sed quid si nec necessi-
tas subsit, nec periculum indecorè vivendi im-
pendeat? Adhuc tamen excogitatæ sunt à be-
nignis Casuistis complures consolationes pro
ijs qui tollunt, vel tenent alienum: ut inprimis
illa, quâ saltem extenuatur, etsi non in totum
eludatur, obligatio restituendi: *Non tenetur quis* Ibidem.
*sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum
est per parva furta, quantumcunque sit magna sum-
ma totalis.* Deinde illa, quâ in totum eluditur
ejusmodi obligatio: *Famuli & famulæ domesticæ* Ibidem.
*possunt occultè heris surripere, ad compensandam
suam operam, quam maiorem iudicant salario quod
recipiunt.* Necnon & illa, similiter in totum
excusans: *Qui alium movet aut inducit ad inferen-* Ibidem.
*dum grave damnum tertio, non tenetur ad restitu-
tionem illius damni illati.* Illa item, in consolatio-
nem iniquorum Judicum suggesta: *Non tenetur* Vide § 410. & 441.
*Iudex restituere pretium, pro iniqua sententia a liti-
gante receptum.* Et illa pariter in favorem ava-
rorum Judicum excogitata: *In causa æquali po-* Ibidem.
*test Iudex aliquid ab una partium accipere, ut sen-
tentiam in eius favorem ferat.* Necnon & illa, in
solatium avarorum Principum adinventa: *In* Vide § 409.
*probabilitate orta ex iure, quilibet Rex licita bellum
gerere contra alium potest, & quidem nihil obstante
alterius possessione.* Similiter & illa, in relevamen
fœneratorum reperta: *Contractus MOHATRA li-* Vide § 441.
*citus est, etiam respectu eiusdem personæ, & cum
contractu revenditionis praviè inito, cum intentione
lucri.* Et illa item, in eorundem solamen adin-
venta: *Maioris valoris est pecunia præsens, quàm* Ibidem.
credita. Necnon & illa, ijsdem similiter placita:
Vsura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, Ibidem.
*tanquàm ex benevolentia vel gratitudine debitum;
sed solum si exigatur, tanquàm ex iustitia debitum.*
Cui non absimilis est illa, in simoniacorum
gratiam procusa: *Dare temporale pro spirituali* Vide § 401.
*non est simonia, quando temporale non datur tan-
quam pretium, sed duntaxat tanquam motivum
conferendi vel efficiendi spirituale; vel etiam quando
per temporale fit solum compensatio gratuita pro
spirituali, aut è contra: & id quoque locum habet*
etiamsi

etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale ; imò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis ; ſic ut illud pluris æſtimetur quam res ſpiritualis. Porrò ne avari hæredipetæ careant ſolamine, ſuggeritur eis à benigno Conſcientiæ-Conſulto iſtud relevamen, è probabilitatum penu depromptum :

Vide §. 462.

Licitum eſt cupere abſoluto deſiderio mortem patris, non quidem ut malum patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirùm inde ei obventura eſt pinguis hæreditas. Rursùs pro tenacibus rerum ſuarum adversùs pauperum clamores, ſuggeritur iſtud ſolamen, ſignanter pro laicis :

Vide §. 441.

Laici poſſunt de bonis patrimonialibus ſervare, ad ſtatum ſuum vel conſanguineorum mutandum ; & tunc illud non dicitur ſuperfluum. Unde vix in ſæcularibus invenies, etiam in Regibus, ſuperfluum ſtatui.

Ibidem.

Ex quo ulteriùs fit, *Vix aliquem teneri ad eleëmoſynam, quando tantùm tenetur de ſuperfluo ſtatus.* Et ne fortè talium quiſpiam timeat repelli ab abſolutione ſacramentali ob non impenſam pauperibus ſtipem, cuditur novum documentum iſtud pro Confeſſarijs :

Ibidem.

Confeſſarius abſolutionem à peccatis diviti non facilè negare debet, quòd communes pauperum miſerias per eleemoſynam ſublevare monitus recuſet. Quinimò : *Hic actus, Nolo erogare de ſuperfluo ſtatûs eleëmoſynam in communibus pauperum neceſſitatibus ; vel leve, vel nullum eſt piaculum.*

Ibidem.

Quòd ſi fortè pauperes non in communi duntaxat, aut gravi ; ſed in extremâ neceſſitate verſentur ; tunc equidem divitibus parùm liberalibus ſubvenitur iſto benigno documento :

Ibidem.

Sufficit diviti ſubvenire extremè indigentibus per mutuum, appoſitâ conditione, ut tempore lautioris fortunæ reſtituant. Ubi obiter advertendum, benignos iſtos conſcientiarum Conſultores ex unâ parte ſubveniendo divitibus fieri nimis inhumanos erga pauperes, & ex alterâ parte ſubveniendo pauperibus fieri viciſſim nimis duros erga divites ; quippe quos exponunt direptionibus pauperum, dando his licentiam

Vide ſuprà.

furandi non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi. Necdum tamen ex ipſis diſcere potui, num pauper qui gravi neceſſitate preſſus furatur, teneatur reſtituere *tempore lautioris fortunæ* ; ſicut dicunt teneri eum qui extremâ neceſſitate preſſus accepit eleëmoſynam non in forma doni, ſed mutui. Sed ad alia pergamus, & conſtituamus quempiam delectari falſis teſtimonijs : monetur is voce Dei, inſonantis ſibi,

Ex. 20. 16.

Non loquêris contra proximum tuum falſum teſtimonium. Accedit ex alterâ parte benignus Caſuiſta : & cùm duplicis quodammodò generis ſit teſtimonium hominis de ſuo proximo, mentale ſcilicet ſive internum, & vocale ſive externum, ſubvenire nititur quoad utrumque ; ſubinde quidem malitiam extenuando, ſubinde etiam totaliter abſtergendo. Et quidam extenuando malitiam teſtimonij interni ſuggerit illud ;

Vide §. 413.

Iudicium temerarium de proximo, quantumvis deliberatum, & in re gravi ; quamdiu non pertingit ad gradum certitudinis excludentis formidinem de oppoſito, ſed hæret intra limites dubitationis, vel ſuſpicionis, vel opinionis, non eſt peccatum mortale. Et ne fortè quis angatur ; quando aliquod enorme crimen temerè ſuſpicatus eſt de perſona magna, eminente, ſublimi ; ſuggeritur huic illa generalis regula, quam nulla criminis enormitas, nulla perſonæ ſublimitas enervat :

Ibidem.

Si eſt ſuſpicio, ſemper erit ex genere ſuo levis. Rursùs quia in formandis temerarijs judicijs plerunque hæretur intra gradum certitudinis, hinc ſuggeritur generalis illa conſolatio præmiſſis conſectaria :

Ibidem.

Rarò lethaliter peccatur per temerarium iudicium. Cæterùm pro abſtergenda penitùs malitiâ ſuggeritur illa regula magiſtralis :

Ibidem.

Iudicium temerarium in animo tuo reſidens, NON EST PECCATVM, priuſquam aliquo modo advertas, vel dubites, te ex ſignis inſufficientibus iudicare. Quoad externa denique teſtimonia ſubvenire ſatagit benignus Caſuiſta inprimis ſuggerendo illam regulam proximo §. in fine memoratam :

Vide §. 458.

Ad tormenta, damnaq; gravia vitanda, poteſt quilibet ſibi falſum crimen imponere, etiamſi mors ſit ſibi ſecutura. Cùm autem ſcriptum ſit,

Eccli. 14. 5.

Qui ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit? facilè perſpicitur quàm proclive ſit, ut qui prædictæ regulæ aſſenſerit, exiſtimet ſibi licere falſum crimen proximo ſuo imponere ad vitanda ſimilia tormenta, vel damna. Unde & idem benignus Caſuiſta ait :

Vide §. 457.

Si alio modo te ab iniuſto teſte tueri nequeas, probabile eſt te non peccare contra iuſtitiam obijciendo ei falſa crimina, quanta ſufficiunt ad tuam iuſtam defenſionem : incertum, an id licitè poſſis, ſine ulla culpa. Huc item ſpectat illa percunctatio :

Ibidem.

Quidni nonniſi veniale ſit, detrahentis authoritatem magnam tibi noxiam, falſo crimine elidere? Porrò ad evitandam omnem falſitatem ſive in ferendis teſtimonijs, ſive in miſcendis colloquijs, expedita illa methodus ſuggeritur :

Ibidem & ſuperiùs §. 101.

Poſſunt abſque mendacio verba uſurpari, etiamſi ex ſua ſignificatione non ſint ambigua, nec eum ſenſum verum admittant ex ſe, nec ex circumſtantijs occurrentibus ; ſed tantùm verum ſenſum reddant ex aliquo addito mente proferentis retento, quodcunque illud ſit : ut ſi quis vel ſolus, vel coram alijs, ſive interrogatus, ſive propriâ ſponte, ſive recreationis gratiâ, ſive quocunque alio fine, iuret ſe non feciſſe aliquid quod revera fecit ; intelligendo intra ſe aliquid aliud quod non fecit, vel aliam diem ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum : revera non mentitur, nec eſt periurus. Huic conſentanea eſt iſta methodus vitandi omnem culpam in juramentis externis, ficto animo ex cauſa præſtandis ; & quidem tam aſſeveranter ſuggeſta, ut omninò dicatur certa :

Vide §. 462.

Certum eſt, iurare ſine animo iurandi, ſive res ſit levis ſive gravis ; vel iurare verbis æquivocis, non eſſe licitū ſine cauſa : LICITVM ESSE CVM CAVSA. Sed nec minùs conſentanea eſt iſta regula :

Vide §. 363.

Teſtis interrogatus à Iudice de occulto crimine alicuius,

vel de crimine de quo non tenetur testificari, ut quia v. g. notabile damnum sibi sequeretur; potest iurare se reum negare: intelligendo, ita ut teneatur illi Iudi-
Ibidem. *cio subdere, vel quid simile.* Necnon & ista: *Non solùm ipse Reus, si v. g. sit clericus, sed etiam alij possunt iurare cum æquivocatione coram sæculari Iudice, Clericum non deliquisse: intelligendo, ita ut obligentur id coram sæculari deponere.* Et illa item:
Ibidem. *Testis qui Iudici peccatum omninò occultum Rei manifestavit, tenetur testificari coram eodem, Reum non commisisse tale delictum: intelligendo, ita ut subsit externo iudicio.* Quòd si fortè quispiam adeò sit rudis, ut nesciat in particulari locutionem suam mentali supplemento pertinenter limitare ut reddatur ambigua, huic suggeritur
Ibidem. ista methodus: *Si fortè rudis sit, & nesciat in particulari amphibologiam concipere; consilium erit, ut intendat negare vel affirmare in sensu, qui veritatem reipsâ contineat. Ad hoc autem necesse est, ut saltem in genere sciat, in aliquo vero sensu posse se negare, quod revelare non tenetur; quamvis in particulari nesciat modum.* Pro teste item & Reo judicialiter interrogatis assignatur hujusmodi
Ibidem. regula: *Quando testi vel Reo non constat Iudicem esse legitimum, & legitimè interrogare, sed de alterutro dubitant; licitè possunt eius interrogationes æquivocando eludere, etiamsi alia causa non subsit quàm ipsa æquivocandi libertas quam possident.* Quinimò additur etiam illa in favorem Reo-
Ibidem. rum: *Licitum est Reo cum æquivocatione negare veritatem Iudici legitimo legitimè interroganti pro salvandâ vitâ, vel vitando damno non solùm gravi, sed etiam levi.* Deniq; in solatium eorum qui alieno indigent testimonio suggeritur à benigno
Vide §. 464. Casuista novum istud lenimentum: *Licitum est inducere testem ad iurandum falsum, quod iurans quidem putat esse verum, ipse verò inducens scit esse falsum.* Ac demùm ne studiosi ad promotionem aspirantes suo destituantur solaminè, suggeritur
Vide §. 461. eis istud pertingendi compendium: *Scholasticus volens probare cursum, ad quod eget duobus testibus, adhibere potest duos amicos: qui illum non viderunt interesse lectionibus, at satis sibi persuadent illum interfuisse.* Cæterùm quanquàm compendij istius suggestor neget amicos illos posse jurare se vidisse Scholasticum lectionibus interessentem, alius tamen similiter benignus ait gene-
Ibidem. raliter: *Quotiescunque licitum est uti oratione ambiguâ, vel tacitâ restrictione; licitum etiam est uti iuramento, si necessitas vel notabilis causa postulet.*

CDLXIX. Ex præceptis ab Augustino superiùs §. 466. memoratis duo duntaxàt postrema supersunt, *Concupiscentiam uxoris & rei alienæ* vetantia. Sed nos illa hìc transiliemus, tanquàm præceptis *non mœchandi & non furandi* respectivè implexa, & cum iisdem illustrata. Insuper cum idem Augustinus tria primæ & primum secundæ tabulæ præcepta ibi omiserit, nos ipsius insistentes vestigijs eadem hìc silentio præteribimus: monentes interim Lectorem,

ut revolvendo capita quibus ea singulatim Vide suprà cap. 101 & octo seqq.
superiùs discussimus, conferat ubique Sermonis divini severitatem, cùm benignorum hujusmodi Casuistarum laxitatibus: & reputet sibi dictum, quod Augustinus cuipiam inter Dei legem & hominum interpretamenta constituto inculcat, dicens: [s] Tene te ad legem S. Aug. Lib. Cathechiz. Rudib. c. 21.
„Dei, & non sequaris prævaricatores ejus: „non enim secundùm illorum sensum, sed „secundùm illius veritatem judicaberis". Proponat quoque ob oculos terribile illud documentum, à Lactantio olim traditum:
[T] Ne trahamur authoritate cujusquam, sed T. Lactant. lib. 3. c. 15.
„veritati potiùs faveamus & accedamus. „Nullus hìc temeritati locus est: in æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis; aut opinio falsa deceperit". Recolat item illud Paulini Nolani dictum:
[V] Cesset omnis excusatio errorum, auferan- V. Paulin. Epist. 40.
„tur peccandi fœda solatia: nihil omninò „agimus, qui nos per multitudinis exempla
defendimus". Valde quoque notatu digna Vide suprà §. 316.
sunt quæ idem Paulinus ibidem præmiserat de duplici via humanæ conversationis, unâ scilicet planâ, laxâ, spatiosâ, ducente ad interitum; alterâ asperâ, restrictâ, angustâ, ducente ad beatitudinem. Et has respectivè vias Poëta Gentilis satis aptè descripsit, atque in littera *Y.* figuratas prædicavit, di-
cens: [W] *Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni, Humana vitæ speciem præferre videtur. Nam via virtutis dextrum petit ardua callem, Difficilemque aditum primum spectantibus offert: Sed requiem præbet fessis in vertice summo. Molle ostentat iter via lata; Sed ultima meta Præcipitat captos, volvitq; per ardua saxa. Quisquis enim duros casus virtutis amore Vicerit, ille sibi laudemq; decusq; parabit. At qui desidiam, luxumq; sequetur inertem, Dum fugit oppositos incautâ mente labores, Turpis inopsque simul miserabile transiget ævum.* W. Virgilius carmine de littera Y. Vide Hieron. in c. 4. & 10. Eccles. & Epist. 7. cum Notis Mariani ibid. n. 82.
Huc, saltem pro parte, allusit
Lactantius, cùm diceret: [X] Duæ sunt viæ, X. Lactant. l. 6. c. 3. Vide Clem. Alex. lib. 4. Stromat. & Basil. Homil. 24.
„per quas humanam vitam progredi necesse „est: una quæ in cælum ferat, altera quæ ad „inferos deprimat: quas & Poëtæ in carminibus, & Philosophi in disputationibus suis „induxerunt. Et quidem Philosophi alteram „virtutum esse voluerunt, alteram vitiorum; „eamque quæ assignata sit virtutibus, primo „aditu esse & arduam, & confragosam; in „quâ siquis difficultate superatâ in summum „ejus evaserit, habere eum de cætero planum „iter, lucidum, amœnumque campum, & „omnium laborum suorum capere fructus „uberes, atque jucundos. Quos autem primi „initii difficultas deterruerit: eos in eam „vitiorum viam labi atque deflectere, quæ „primo ingressu sit quasi amœna, multoque „tritior: deinde cùm in eam paulò ulteriùs „processerint, amœnitatis ejus speciem repentè subduci, exoriri autem viam præci-

pitem

,, pitem, nunc saxis asperam, nunc obductam
,, sentibus, nunc gurgitibus intercisam, vel
,, torrentibus rapidam; ut laborare; hærere,
,, labi, cadere sit necesse. Quæ omnia eò pro-
,, feruntur, ut appareat, in virtutibus capien-
,, dis labores esse maximos, in perceptis au-
,, tem maximos fructus, & solidas atque in-
,, corruptas voluptates: vitia verò quibusdam
,, delinimentis naturalibus illicere animos
,, hominum, & inanium jucunditatum specie
,, captos ad acerbas amaritudines miseriasque
,, perducere. Sapiens prorsùs disputatio, si
,, virtutum ipsarum formas atque terminos
scirent". Porrò virtutum formas atque terminos nullo certiori indicio, quàm legis divinæ magisterio sciri posse, monet idem Lactantius ibidem inferiùs cap. 8. ubi peculiariter de lege naturali disserit, cujus descriptionem ex Tullio relatam impensè laudat:
" Suscipienda, inquiens, Dei lex est, quæ nos
,, ad hoc iter (*virtutis*) dirigat, illa sancta, illa
,, cælestis, quam M. Tullius in libro 3. de
,, Republicâ penè divinâ voce depinxit; cu-
,, jus ego, ne plura dicerem, verba subjeci:
,, *Est quidem vera lex, recta ratio, natura congruens,*
,, *diffusa in omnes, constans, sempiterna; quæ vocet* — Cicero.
,, *ad officium, jubendo; vetando, à fraude deterreat:*
,, *quæ tamen neque probos frustrà jubet aut vetat, nec*
,, *improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi nec*
,, *prærogari fas est, neque derogari ex hac aliquid*
,, *licet, neque tota abrogari potest: nec verò aut per*
,, *Senatum, aut per populum solvi hâc lege possumus;*
,, *neque est quærendus explanator aut interpres ejus*
,, *alius: nec erit alia lex Romæ, alia Athenis; alia*
,, *nunc, alia posthàc; sed & omnes gentes, & omni*
,, *tempore lex una, & sempiterna, & immutabilis*
,, *continebit; unusque erit communis quasi ma-*
,, *gister, Imperator omnium Deus, ille hujus legis*
,, *inventor, disceptator, lator; cui qui non parebit,*
,, *ipse se fugiet; ac naturam hominis aspernatus, hoc*
,, *ipso luet maximas pœnas, etiamsi cætera quæ putan-*
,, *tur supplicia effugerit.* Quis Sacramentum Dei
,, sciens tam significanter enarrare legem Dei
,, possit, quàm illam homo longè à veritatis
,, notitia remotus expressit? Ego verò eos,
,, qui vera imprudenter loquuntur, sic ha-
,, bendos puto, tanquam divinent spiritu ali-
,, quo instincti. Quòd si ut legis sanctæ vim
,, rationemque ipse pervidit, ita illud quoque
,, scisset aut explicasset, in quibus præceptis
,, lex ipsa consisteret; non Philosophi functus
esset officio, sed Prophetæ". Sermonem hic esse de lege naturali, quam Deus omnium hominum mentibus insculpsit, quæ & Dei cultum & humanum convictum moderatur, nemo non videt: quam idem quoque author capite proximè sequenti *justitiam* generali vocabulo nuncupat, & ab humanis quibusque legibus penès universalitatem & immutabilitatem discernit, dicens: " Aliud est civile
,, jus, quod pro moribus ubique variatur:
,, aliud est vera justitia, quam uniformem
,, ac simplicem proposuit omnibus Deus;
,, quam qui ignorat, & ipsum Deum ignoret
necesse est". Ex quo inprimis planum est, nullis humanarum opinionum præstigijs fieri posse, ut alium nunc Decalogum habere incipiamus; quàm Majores nostri ab initio in hæc usque tempora habuerant: nisi fortè eousque ineptire lubeat, ut dicantur homines hujus ævi aliam habere naturam ab hominibus prioris ævi. Quod enim Augustinus de unâ Judaicâ gente asserit, hoc de cujuslibet loci aut temporis hominibus æquè verum est:
†. *Lex naturalis in illis planè est, quoniam & ipsi homines sunt. Sine lege autem naturali essent, si sine naturâ humani generis esse possent.* Indidem quoque planum est, eos qui Decalogum offusis probabilitatum nebulis obfuscare moliuntur, eâdem operâ ignorationem Dei humanis mentibus offundere conniti. Decalogus enim est illa ipsa justitia, seu lex justitiæ, *quam qui ignorat*; ut ex Lactantio mox audivimus, *& ipsum Deum ignoret necesse est*. Proindè obfuscatio Decalogi parasceve est atheismi. Unde & nonnemo eorum qui Decalogo multas ac densas obscuritatum nebulas offundere satagit, eousque subinde progreditur; ut excellentissimorum authorum attestatione constare contendat, *Multas fuisse Respublicas, & quidem benè gubernatas, à quibus omnis Deorum cultus fuerit proscriptus*. Rursùs cùm polytheismus sit quidam gradus ad atheismum, idem hic benignus Decalogi laxator scribere ausus est, *Deorum pluralitatem, stando puris principijs naturalibus, defendi posse & propugnari*: Item, *Prudentiam humanam viribus naturæ derelictam, probabilissimè credituram dari plures Deos*. Sed si Lateranensis Synodus sub Leone X. non solùm damnarit negantes aut in dubium revocantes immortalitatem animæ humanæ, sed insuper obstruxerit ora eorum qui contendebant eandem immortalitatem negari vel in dubium revocari posse *saltem secundùm Philosophiam*: profectò eodem, si non etiam potiori, jure, obstruendum videtur os hujus authoris, contendentis unitatem Dei negari vel in dubium revocari posse *secundùm prudentiam humanam viribus naturæ derelictam*: necnon *aliquas Respublicas fuisse benè gubernatas, à quibus omnis religio fuerit proscripta*. Sed nec admodùm procul ab atheismo distat altera illa assertio in præcedentibus relata & excussa: *In rigore loquendo videtur quod homo non teneatur unquam per totam vitam suam elicere actum amoris Dei*. Nam cùm Dei notitia ordinetur ad ipsius dilectionem, proclive est, ut qui se liberum reputat ab obligatione Deum diligendi, liberum pariter se reputet ab obligatione eundem noscendi. Huc referri quoque potest articulus ille ordine postremus inter septem-

Marginal notes: †. August. 1. 7 hic §. 377. — Lactantius. — Vide suprà §. 179. — Ibidem. — Vide Synod. Lateranens. Sess. 8. — Vide suprà § 382.

ſeptemdecim, quos Schola Theologica Lovanienſis anno 1653. ad inſtantiam Archiepiſcopi Mechlinienſis reprobavit: *Abſolutionis capax eſt homo, quantâvis laboret ignorantiâ myſteriorum fidei: & etiamſi per negligentiam quoque culpabilem neſciat myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Quid eſt enim, *Quantâvis ignorantia myſteriorum fidei laboret*, niſi, etiamſi tantis ignorantiæ tenebris ſubjaceat, ut nec Deum quidem eſſe cognoſcat? Ecce quouſque prolapſi ſunt novelli probabilitatum patroni, ut etiam atheos fingant abſolutionis capaces: cùm Apoſtolus diſertiſſimè pronuntiet, *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia EST, & inquirentibus ſe remunerator ſit!*

Articulus Lovanii reprobatus.

Vide Trid. Seſſ. 6. cap. 6 & 8. Heb. 11. 6.

CDLXX. Pro complemento non ſolùm hujus capitis, ſed & totius materiæ probabilitatum, hactenùs per tot capita ventilatæ; ſatisfaciendum eſt curioſitati Lectoris, fortaſſis miraturi, cur inter tot hujus ævi laxones delegerim *Tamburinum* & *Caramuelem*, adversùs quos etſi non ſolos, ſaltem potiſſimos ſtylum diſtringerem. Inprimis itaque ut *Caramuelem* deligerem ea cauſa extitit, quòd cùm ipſe Doctoralem Lauream Lovanii ſuſceperit, proclive ſit à rerum ignaris putari eum in Scholâ Lovanienſi eas laxitates didiciſſe, quas poſt gradum ibi ſuſceptum editis libris evulgavit. Ut igitur huic falſæ exiſtimationi obviarem, & Scholam Lovanienſem à ſuſpicione laxitatum Caramuelicarum vindicarem, *Caramuelem* inter potiſſimos delegi, cujus in Decalogum quaſdam laxitates in Scholâ Lovanienſi nunquàm admiſſas, quinimò pro magnâ parte cenſoriè reprobatas, perſtringerem. Abſolverat ille Curſum Scholaſticum in Hiſpaniâ, priuſquàm Lovanium appelleret; ubi vigore teſtimoniorum, quæ ſecum detulerat, admiſſus eſt ad gradus Academicos, abſque ulteriori curſus reſumptione. Extat quædam ipſius Epiſtola, Theologiæ fundamentali inter alias præfixa, in quâ ſe Academiæ Complutenſis alumnum profitetur, dicens de ſeipſo [z]: *Præditus ſum ingenio claro & forti, & Complutenſis Univerſitatis teſtimonio inter condiſcipulos primo.* Ego tamen induci nullâ ratione poſſum, ut credam Caramuelem magiſterio ſapientiſſimæ illius ſcholæ didiciſſe laxitates, quas ſparſim in præcedentibus ex ipſo retuli. Ab aliquo fortè, vel aliquibus eorum, illas hauſit, quos magno numero per ordinem alphabeticum in titulo ejuſdem ſuæ Epiſtolæ nominat, quibus & in decurſu ait: *Gymnaſia veſtra ingredior; & qui ab annis plurimis Theologiam ſum profeſſus, ſumo calamum, & inter veſtros diſcipulos ab ore veſtro & dictamine pendeo: & ne aliquo illecti præjudicio in mea directione oberretis, me totum, quà corporeum quà ſpiritualem coram vobis effundo: aget enim ſe decipit, ſi Medicum velit decipere. Habeo, Amici optimi, aliqua ſingularia, quæ reddunt me mihi ſuſpectum: valetudinem, Dei ſingulari beneficio ſufficientem: libris ſacris profaniſque, horis quatuordecim impalleſco quotidie, & veſtris ex majori parte.* Quanti porrò hos fecerit, colligat Lector ex ejuſdem Epiſtolæ verbis initialibus, quibus eos ſuper omnium præteritorum hactenùs ſeculorum Theologos extollit, dicens eis: *Veſtra ego ſcripta, aut exarata manu, aut typis edita, quæque habere licuit, Sapientiſſimi Viri, quotidie diligenter evolvo: & noſtro ævo congratulor, quod non habeat cur aureæ antiquitati invideat. Interlego priſcæ ætatis hiſtorias, & admirabundus obſervo nullum ſæculum debere conferri cum noſtro. Nam ſi ingeniorum numerum conſiderem, tot habet Viros doctos hæc ætas, quot omnes præterita ſimul: ſi ingeniorum eminentiam perpendam, fuiſſe olim in orbe litterario Theologos vobis ſuppares vel majores crediturus non ſum.* Sic ille in editione Francofordienſi: ſed in Romana, præterquàm quòd quorundam nomina de titulo expunxit, quibus fortè tanta adulatio diſplicuit; compulſus eſt quoſdam veteres excipere, atque extra comparationis metas ſeponere: idque inſertione integræ periodi inter illa verba, *aureæ antiquitati invideat*, & illa ſequentia, *interlego priſcæ ætatis hiſtorias*. Periodus autem iſtic inſerta in editione Romana, ac deinde in Lugdunenſi, ſic ſonat: *Nolo vos componere cum Eccleſiæ Doctoribus; id enim nec vos vultis, nec devotio ipſa patitur. Illos videtur Deus exornaſſe prærogativis ſpecialibus, ut eſſent poſteris admirationi, & magiſterio: & quia fuerunt gigantes, non debent cum cæteris intermiſceri. Præſcindo ergo à Gregoriis, Ambroſiis, Auguſtinis, Hieronymis; etiam ab aliis Græcis Latiniſque, quos cælicolis virtus accenſuit, quibuſcum viventes non debent componi: verto ad cæteros oculos, nec reperio quid valeat veſtræ eruditioni & ſapientiæ præferri.* Optimo ſanè jure extra comparationis metas ſepoſiti ſunt veteres Eccleſiæ Doctores, ſed quomodò ea ſepoſitio conciliari queat cum iis quæ ſuperiùs §. 411. & 412. ex eodem ipſo Caramuele in contrarium relata ſunt, cernere non valeo. Cæterùm animadverto Caramuelem in poſteriori prædictæ ſuæ Epiſtolæ editione addidiſſe ſuo Theologorum alphabetico catalogo *Thomam Tamburinum*, in Francofordiana editione deſideratum: fortè quia Tamburinus intermedio tempore Caramuelem ſuis litteris honoravit, atque ita eundem obligavit, vigore ſcilicet promiſſionis ab ipſo factæ, atque ad marginem ſui catalogi his verbis evulgatæ: *Erunt fortaſſe plurimi viri docti & illuſtres, quorum mentionem non fecerim; quibus etiam aliquid dicturus ſum. Hanc, inquam, Epiſtolam direxi ad illos, quorum vel libros lego, vel litteris frequenter honoror: ſi alii me ſuis litteris dignabuntur, etiam ipſos meus ſtylus celebrabit.* Obiter quoque advertat Lector, nullum omninò Academiæ

z Caramuel Theol. Fundam. n. 6.

Ibid. ſuprà

Vide ſuprà § 411. & 412.

Lovanienſis Doctorem à Caramuele in ſuo iſto tam prolixo catalogo, cujuſvis hactenùs editionis, nominari: atque inde conjiciat, eundem Caramuelem nequaquàm inter eos quemquam reperiſſe, qui laxitates ſuas ſive libris aſtrueret, ſive litteris approbaret. Neque enim tam inurbanus eſt ille, ut congraduatos ſuos proprios prætereat, qui extraneis accumulandis tam impensè inſudat. Obſervatu prætereà dignum fuerit, ejuſdem Caramuelis *Theologiam moralem*, tametſi Lovanij primitùs impreſſam, nullius tamen Lovanienſis approbationem præferre, ſed extranei duntaxat Cenſoris ſuffragio prænotari. Transeo nunc ad *Tamburinum*, cujus in Decalogum libros creberrimè in ſuperioribus citavimus, & ſententias diſpulimus: aliâ tamen de causâ, quàm *Caramuelis*. Neque enim uti Caramuel, ita ipſe ullum unquam Academicum gradum Lovanij ſuſcepit, aut fortè Lovanium ipſum vidit: nec proindè periculum ſubeſſe potuit, ne ejus laxitates Lovanienſibus quiſquam attribueret. Non igitur petenda cauſa eſt ex conditione perſonæ, ſed ex editione operis: editionem dico non primam Italicam, nec ſecundam Gallicam, ſed noviſſimam Belgicam. Cùm enim Schola Theologica Lovanienſis, à diverſis Belgij Antiſtitibus poſtulata, Articulos complures laxioris doctrinę ſibi exhibitos cenſuiſſet improbandos, ac per eoſdem Antiſtites à ſuis reſpectivè diœceſibus eliminandos; huic eliminationi ſubſequenter obviari tentatum eſt editione Tamburini, velut obice quodam: quo nimirùm & Antiſtitum providentia pro magna ſaltem parte fruſtraretur, & Scholæ Theologicæ Cenſura inaniretur. Notanter dixi, *Pro magna ſaltem parte*: quia non omnes, ſed aliquos duntaxàt articulos à Tamburino aſtrui video, quos Schola Theologica eliminandos cenſuit, & Epiſcopalis vigilantia eliminare ſtuduit. Horum proinde articulorum occaſione Belgicam iſtam Tamburini editionem, Inſulis Flandriæ anno 1660. peractam, percurrere lubuit. Cæterùm inter percurrendum etiam aliæ complures laxitates occurrerunt, quarum ſaltem partem, cæteris interim diſſimulatis, prioribus aggerendam duxi. Hinc ergo evênit, ut crebriùs Tamburini, quàm alterius cujuſquam laxonis mentio in hoc probabilitatum tractatu occurrat. Porrò qui pleniùs de hujus Authoris laxitatibus informari cupit, pervolvat earum ſeriem à Curatis Pariſienſibus collectam, ac Vicarijs metropolitanis die 10. Octobris 1659. porrectam, unà cum libello ſupplici ita incipiente: *Supplient humblement les Curés de Paris, diſans que le Iugement ſolemnel rendu par vous ſur noſtre Requeſte contre l'Apologie des Caſuiſtes, & tout ce grand nombre de Cenſures Iuridiques de tant d'Illuſtres Archeveſques & Eveſques, & de*

Curati Pariſienſes contra Tamburini laxitates.

la Faculté de Theologie de Paris, & meſme le Decret de noſtre Sainct Pere le Pape, contre les pernicieuſes maximes de ce meſchant livre, ſeront entierement inutiles à l'Egliſe & au bien des ames dont Dieu nous à commis la conduitte, s'il eſt permis de publier & de produire ces meſmes maximes avec la meſme hardieſſe en changeant ſeulement le nom de l'Auteur. C'eſt neantmoins ce que les Ieſuiſtes ont pretendu faire, par l'Impreſſion toute recente qu'ils ont procurée à Lyon du Livre d'un de leurs Peres nommé THOMAS TAMBOVRIN, dont il eſt deſia venu à Paris plusieurs Exemplaires, ou l'on ne voit pas ſeulement les erreurs de l'Apologie ſouſtenues & authoriſées, mais ou l'on en rencontre un grand nombre d'autres encore plus eſtranges & plus criminelles; de ſorte, qu'il ſemble que cet Autheur à entrepris de faire voir juſques à quel excez l'eſprit humain eſtoit capable de ſe porter, lors qu'ayant quitté les lumieres de la Foy & de la Tradition, il s'abandonne à ſes vains raiſonnemens. Vous verrez, Meſſieurs, par l'Extraict attaché à cette Requeſte, qu'il n'attaque pas ſeulement quelque partie de la Religion, mais qu'il la ruine toute entiere dans l'interieur qui en eſt comme l'eſprit, & dans l'exterieur qui eſt comme le corps, dans tous les devoirs de Pieté envers Dieu, & dans tous les offices de Charité, de Iuſtice, & de Fidelité envers le prochain: Qu'il ne reconnoiſt aucun vray Precepte de croire en Dieu, d'eſperer en Dieu, de prier Dieu, ny d'adorer Dieu: qu'il reduit celuy de l'aimer, qui forme l'eſſence de la loy nouvelle & le culte ſpirituel, qui fait les Chreſtiens adorateurs de Dieu en eſprit & en verité, à un cas ſi extraordinaire que preſque tous les fidelles ſont par la diſpenſés durant toute leur vie de l'amour de Dieu, c'eſt à dire, du plus ſainct, du plus heureux, & du plus indiſpenſable de tous leurs devoirs. Vous verrez, Meſſieurs, que tout l'ordre de la Iuſtice civile, que tous les liens de la ſocieté humaine, que toute la paix, tout l'honneur, & toute la ſeureté des familles ſont abſolument renverſés, par les homicides, les calomnies, les infidelites, les vols, les uſures, les mariages deſreglés & ſcandaleux, que cet Autheur ſouſtient comme licites ſous divers pretextes & ſous divers noms: qu'il ſe joüe de toutes les Loix Eccleſiaſtiques, & particulierement de celle du Ieûne, par des chicaneries honteuſes & ridicules: & qu'enfin les Principes generaux qu'il eſtablit pour authoriſer les corruptions ſont ſi vaſtes & ſi eſtendus, qu'il n'y à point de deſordre & de deſreglemens ſi horribles, qu'on ne puiſſe introduire & deffendre en les ſuivant. Ainſi nous pourrons dire en demeurans dans les bornes d'une exacte verité, que cette eſtrange Moralle que l'on s'efforce de reſpandre en noſtre temps, n'eſt point Chreſtienne, puis qu'elle aneantit l'eſprit du Chriſtianiſme: qu'elle n'eſt pas ſeulement Iudaïque & Phariſaïque, puis qu'elle renverſe la lettre de la Loy & les preceptes exterieurs: qu'elle n'eſt pas meſme humaine & philoſophique, puis qu'elle ruine la juſtice, l'equité naturelle, la ſincerité, la bonne

la bonne foy, & le sens commun: qu'elle n'est point civille & politique, puis qu'elle destruit tellement tous les fondemens sur lesquelles la societé humaine est establyé, que si on en suivoit les maximes, les Estats & les Republiques ne seroient que des assemblées pleines de confusion, sans foy, sans loy, sans ordre, sans seureté, ou l'on ne feroit que se tromper, se piller, & se massacrer les uns les autres; mais que c'est proprement cette fausse sagesse dont l'Apostre Sainct Iacques dit: Non est ista sapientia de
Iac. 3. 15. *sursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica.* Omitto reliqua in eadem Supplica subsequentia, cui subscripserunt triginta urbis illius Regiæ Archiepiscopalisque Curiones, plerique in Sacra Facultate graduati. Quorum tam validam oppositionem cernentes Tamburinianarum laxitatum fautores, Belgicam earundem editionem procurarunt; probè scilicet gnari quàm crebrò contingat merces in uno foro depretiatas, alibi æstimari ac expeti. Ne autem emptoribus suspicio aliqua prioris illius oppositionis de retiationisve suboriretur, in Programmate Operis, etsi bis anteà editi, conspicitur impressa rubro charactere oculos feriente finalis ista clausula, *Nunc primum in lucem datur.* Putavit fortè Typographus sic esse, signanter si non excuso, sed manuscripto exemplari usus fuerit in imprimendo: cæterùm supposità illâ typographi persuasione, is qui eum ad id in suo Programmate testandum induxit, conformavit se forsitan Tamburini assertioni §. 464. & 465. relatæ, quâ contenditur, *Licitum esse inducere testem ad testandum falsum,* Vide § 464. & 465.
quod testans quidem putat esse verum, sed inducens scit esse falsum. Eâdem pariter regulâ usus fuisse videtur idem, quando typographum induxit ad scribendum in sua Epistola Operis dedicatoriâ, *Sacros Catholicæ fidei Inquisitores in Sicilia & Italia reddidisse istas Tamburini lucubrationes à cavillatorum maledicendi libidine securas.* Hæc nimirum & similia sub typographi nomine venditantur, ut detectâ fortè falsitate erroribus typographicis accenseantur. Ego sanè haud ægrè tulerim: quin potiùs optarim, omnes non modò Tamburini, sed & Caramuelis, ac reliquorum quorumvis laxonum exoticas sententias, Decalogicæ præsertim legis delusorias, adeoque Christianæ disciplinæ severitati sinceritatique dissentaneas, atque à nobis per complura hactenùs capita relatas ac refutatas, typographicis erratis accenseri posse.

CAPVT

CAPUT CXXIV.

Inchoatur discussio postremæ quæstionis inter senas §. VII. propositas, quâ petebatur, Quid portenderit dethronizatio Saulis, Samuelicam diploidem discindentis? *Ecclesiæ Christianæ divinitus promissi sunt* Reges nutricii, & Reginæ nutrices. *Maledicit Deus sceptris, & capitibus bellatorum, venientium instar turbinum ad dispergendum eandem.* Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Jacob. *Cur Ecclesia novæ legis dicta* Sion? *Maledictio Dei quàm energica?* Ululet pinus, quia cecidit cedrus. *Sublimium dejectio, & humilium evectio.* Ludit in humanis divina potentia rebus, Et certam præsens vix habet hora fidem. *Totus terrarum orbis divinæ manui est velut pila lusoria. Exemplis compluribus illustratur mundanæ prosperitatis instabilitas. Deus uti potenter sapiens, ita sapienter potens. Non propter potentiam, sed propter ejus abusum dejiciuntur potentes à Deo potente. Saul cùm parvulus esset in oculis suis, caput in tribubus Israël factus est; sed ubi in suis oculis crevit, in Dei oculis decrevit. Magnatibus summoperè vigilandum ne ipsâ suâ magnitudine tumeant, ac sic in diaboli judicium incidant: & quod istud? Reges à plebeis non natura, sed fortuna secernit. Salomonis in eam rem luculenta, ac Regibus omnibus ruminanda, sententia. Expenditur divina jussio Ezechiëlis ingesta*, Fili hominis, leva planctum super Regem Tyri. *Quantoperè serviat continendis in officio Regibus consideratio casûs Luciferi?*

CDLXXI. PErvenimus tandem, Deo duce, ad postremum punctum eorum sex, quæ cap. 3. §. 7. investiganda suscepimus: quo nimirùm quærebatur *quid figurarit abscissio regni de manu Saulis, sacram Samuëlis diploidem discindentis?* Cujus quidem quæstionis decisio, ex dictis super reliquis quinque punctis, ibidem propositis, & hucusque elucidatis, obviè deducitur. Cùm enim *Samuël* figuraverit Christum, & ejus *diplois* Ecclesiam Christi, & diploidis *scissio* schismaticas ejusdem Ecclesiæ rupturas, & *Saul scissor* schismaticos Reges Ecclesiam dirumpentes, & Saulis *regnum* politicos principatus in Ecclesia vigentes: planè conficitur, Saulis *excisionem* figurasse Regum ac Principum Schismaticorum dethronizationem. Eò spectat quod Henrico quondam Romanorum Regi, non quidem schisma invehenti, sed tamen invehentibus conniventi, perscribit B. Petrus Damiani.: A. [A. Pet. Damiani lib. 7. Epist. 8. Vide suprà § 39.] „Cavendum est, inquiens, O Rex, ne dum tu pateris dividi „Sacerdotium, tuum quoque, quod absit, „dividatur Imperium. Nam, sicut sacra testa„tur Historia, mox ut *Saul apprehendit summitatem pallii Samuëlis, & scidit*; [1. Reg 15. 27.] protinùs illi Sa„muel sic inquit: *Scidit Dominus regnum Israël à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* [Ibid v. 28.] „Porrò autem sicut pallium illud vestis erat „Samuëlis; sic & Sancta Ecclesia vestis est „utique Redemptoris, cui per Prophetam di„citur, *Confessionem & decorem induisti.* [Ps. 103. 2.] Con„fessionem quippe Dominus induit, cùm sibi „peccatores associat pœnitendo sanatos; de„corem verò, cùm sibimet clementer agglu„tinat innocentes nitore justitiæ speciosos. „Pallium igitur Samuëlis Saul abrupit, & „Regnum perdidit: Christi scinditur vesti„mentum; & licèt non scindentis, tamen scin„dere permittentis, stabit Imperium? *Inconsutilem vestem Iesu miles Gentilis metuit scindere*: [Jo. 19. 23. & 24.] & Christiani non verentur Ecclesiam „per errorem schismaticum separare? Cùm „ergò vestis Christi Sancta dicatur Ecclesia, „scissio vestis divisionem minatur Regiæ potestatis". Ecclesiæ novi Testamenti ex omnibus Gentibus congregandæ prædictum est prophetice ex persona Dei, *Erunt Reges nutritii tui; &* [Isa. 49. 23.]

tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent. Et statim subjungitur ultio divinitùs reposita infestantibus eandem: *Eos verò*, ait textus, *qui* (Ibid. v. 25. & 26.) *judicaverint te, ego judicabo; & filios tuos ego salvabo. Et cibabo hostes tuos carnibus suis, & quasi musto inebriabuntur sanguine suo: & sciet omnis caro, quia ego Dominus salvans te*: [B] Inauditum (B. Petr. Blesensis Epist. 124.) „ est, ait quidam, quòd Ecclesiæ persecutores „ ultricem illius manum evaserint, qui poten„ tes potenter punit, qui semper superborum „ & sublimium colla propriâ virtute calcavit. „ Nam etsi ad tempus supra dorsum justi fa„ bricari peccatores permittat, ei coronam „ gloriæ ex ipsa impiorum malleatione com„ ponit. De his autem qui Sacerdotibus Do„ mini sunt rebelles, scribit Amos Propheta,& „ dicit: (Amos. 7. 17.) *Uxor tua in civitate fornicabitur, & filii ac „ filiæ tuæ in gladio cadent, terra tua in funiculo me„ tietur: in terra polluta morieris, & populus tuus de terra sua captivitate migrabit*". Minus videtur non servire Ecclesiæ, quàm dilacerare vel quomodolibet infestare eandem: quia minus est obsequium non impendere, quàm probro afficere. Et tamen de non servientibus dictum (Is. 60. 12.) est eidem Ecclesiæ, *Gens & regnum, quod non servierit tibi, peribit*. Quid ergo erit de Gente vel regno non solùm non serviente, sed positivè infestante, persequente, devastante, dilacerante? Utique eveniet ei, quod perpessus est vetustus ille Synagogæ persecutor, de quo Habacuc Propheta ex persona ejusdem Synagogæ ait Deo: (Hab. 3. 14.) *Maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius, venientibus ut turbo ad dispergendum me*. Ubi ad litteram alluditur ad Pharaonem Ægypti Regem, qui veterem Dei populum persequendo, perijt: ut hinc discamus quàm certo pereundi periculo subjaceant, qui Ecclesiam novi Testamenti infestant, de qua scriptum est, (Ps. 86. 2.) *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob*. Unde & alibi idem Psalmographus ait de Deo: (Ps. 77. 67. & 68.) *Repulit tabernaculum Ioseph, & tribum Ephraim non elegit: sed elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit*. In quem locum Augustinus ait: (C August. Enarrat. in Psal. 77 ad v. 67. & 68.) [C] Non dixit, Repulit „ tabernaculum Ruben, qui fuit primogeni„ tus Jacob; nec eos qui sequuntur, & Judam „ nascendo præcedunt commemoravit, ut illis „ repulsis, & non electis, tribus Juda eligere„ tur. Poterat enim meritò dici, illos repul„ sos, quia & in benedictione Jacob, quâ „ filios suos benedixit, peccata eorum com„ memorans graviter detestatur; quamvis in „ eis tribus Levi Sacerdotalis tribus esse me„ ruerit, unde etiam Moyses fuit. Nec dixit, „ Repulit tabernaculum Benjamin, vel tri„ bum Benjamin non elegit, ex qua Rex esse „ jam cœperat, nam inde electus fuerat Saul: „ unde ex ipsa vicinitate temporis, quando „ ille repulsus est atque reprobatus, & David „ electus, convenienter posset hoc dici. Nec „ tamen dictum est, sed eos potissimùm no„ minavit, qui clarioribus meritis videban„ tur excellere: nam Joseph pavit in Ægypto „ patrem & fratres suos; & impiè venditus, „ merito pietatis, castitatis, sapientiæ, justis„ simè sublimatus est: & Ephraim majori fra„ tri, benedictione Jacob avi sui prælatus est. „ Et tamen Deus *Repulit tabernaculum Ioseph, & „ tribum Ephraim non elegit*. Ubi per hæc præ„ clari meriti nomina quid aliud, quàm univer„ sum populum illum, vetustâ cupiditate à „ Domino terrena præmia requirentem, re„ pulsum & reprobatum intelligimus; ele„ ctam autem tribum Juda, non pro meritis „ ipsius Judæ: Longè quippe majora sunt „ merita Joseph? Sed per *tribum Iuda*, quo„ niàm inde extitit Christus secundùm car„ nem, novum populum. Christi illi populo „ veteri prælatum Scriptura testatur, aperiente „ Domino in parabolis os suum. Jam in eo „ etiam quod loquitur, *Montem Sion quem di„ lexit*; Ecclesiam Christi meliùs intelligimus, „ non propter præsentis temporis beneficia „ carnalia Deum colentem, sed futura & æter„ na præmia oculis fidei longè speculantem: nam & *Sion* speculatio interpretatur". Quæ cùm ita sint, nullo pacto existimandi sunt infestatores Christianæ Ecclesiæ evasuri ultricem manum Domini, *Diligentis portas Sion super omnia tabernacula Iacob*; quandoquidem ille ipse Dominus tam severè *maledixerit sceptris eius, & capiti bellatorum eius*, qui turbinis instar aggressus est dispergere veterem synagogam. Cæterùm pro eo quòd vulgata nostra versio habet, *Maledixisti sceptris eius, & capiti bellatorum eius*; versio septuaginta Interpretum latinè reddita sonat, *Divisisti in stupore capita potentium*: sive, ut Nazianzenus Orat. 32. legit, *Procerum capita cum stupore dissecuisti*: [D] Qui exacerbant, (D. Gregor. Nazianz. Orat. 12.) „ ait ille, non exaltentur in semetipsis; nec „ umbram, aut somnium exurgentium, aut „ auram perflantem, aut navis vestigia aquis „ impressa tenentes, quidquàm se habere „ existiment. *Ululet pinus, quia cecidit cedrus*: (Zach. 11. 2. juxta 70.) „ ex aliorum malis documentum sibi ca„ piant; ac discant, pauperem nequaquàm in „ finem usque oblivioni fore, nec divinitatem „ sese diutiùs cohibituram, quin *Procerum „ capita*, ut Habacuc loquitur, *cum stupore dissecet*". Pagninus & Vatablus pro verbo *dissecandi*, quod est apud Nazianzenum, & pro verbo *maledicendi*, quod vulgata editio exhibet, utuntur verbo *perfodiendi*. Omnes interim translationes eòdem conspirant, importantque internecionem Regis cum exercitu Ægyptio, qui turbinis more irruere gestierunt in veterem Synagogam, quæ typum gesserat Ecclesiæ novi Testamenti. Ut enim advertit P. Cornelius à Lapide in eum Prophetæ

[E. Corn. à Lapide in cap. 3. Habacuc. v. 14. Mat. 21. 21.] phetæ locum, E. *Maledicere* Dei est malefacere, „ lædere, occidere, perdere : dicere enim Dei est efficax, idemque quod facere". Illustrat id Ribera ibidem exemplo *ficulneæ infructuosa, quæ statim ad Christi maledictionem aruit*. Hieronymus utramque Prophetici oraculi versionem exhibet, & explanat : vulgatam quidem sic: [F. Hieron. in cap. 3. Habacuc v. 14. Hab. 3. 13.] F. *Maledixisti sceptris*, id est, re„ gnis : *eius*, haud dubium quin *impii*, de quo „ suprà dixerat, *Percussisti caput de domo IMPII*, „ *denudasti fundamentum eius usque ad collum*. In„ telligimus autem *impium*, vel Nabuchodono„ sor, vel omnem adversarium populi Dei. „ Et non solùm *sceptris eius*, sed etiam *capiti* „ *bellatorum*, quos percusseras : *qui venerunt ut* „ *turbo ut dispergerent me*, id est, ut everterent Israël". Versionem denique 70. Interpre- [G. Hieron. ibid. infrà.] tum sic : G. *Divisisti in stupore capita potentium*: „ Possumus hoc versiculo uti, siquando Re„ ges, & eorum Duces, Christianum vide„ rimus Sanguinem fundere, & posteà ultio„ nem Domini consecutam. Quod dudum [Vide suprà §. 107.] „ in *Iuliano*, & ante eum in *Maximiano*, & su„ prà in *Valeriano*, *Decio*, *Domitiano*, *Nerone* „ perspeximus : & dicere ad Dominum cum „ exultatione & oratione in Cantico, *Divi*„ *sisti in stupore capita potentium*, hoc est, in stu„ pore credentium, vel in stupore cunctarum „ nationum, quæ eos non putabant tam citò posse concidere". Rupertus per *impium* intelligit diabolum, cujus *domus* sit Mundus : per *caput bellatorum eius*, serpentem, cujus ministerio usus fuit in subdendo sibi humano genere ab initio: per *bellatores* denique, universos tyrannos Ecclesiam infestantes, à Pharaone sig- [H. Rupertus in caput 3 Habacuc v. 13. & 14.] nanter usque ad Antichristum inclusivè: H. Non „ hâc vice primùm, ait ille, percussus est im„ pius, quando passus est Christus : sed jam „ dudum damnatus fuerat, & triplex est ju„ dicium damnationis ejus: primum est, quòd „ *maledixisti sceptris eius*: secundum, quòd *male*„ *dixisti capiti bellatorum eius*: tertium, quòd *ma*„ *ledixisti cunctis bellatoribus eius, venientibus ut* „ *turbo ad dispergendum me*. Tunc *maledixisti* „ *sceptris eius*, quando in cælo damnasti super„ biam ejus, volentis tenere sceptra cæli di„ vinumque imperium, & seipsum facere Al- [Isa. 14. 14.] „ tissimum : *Dicebat enim in corde suo, Similis* „ *ero Altissimo* : illius autem sceptris maledi„ xisti, id est, propter illam præsumptionem „ irrecuperabiliter illum damnasti. Tunc ve„ rò *maledixisti capiti bellatorum eius*, quando „ dixisti ad serpentem, per quem deceperat „ hominem, quod fuit initium belli ejus con„ tra humanum genus, unde & idem serpens „ rectè dicitur *caput bellatorum eius*: quando, [Gen. 3. 14.] „ inquam, dixisti ad serpentem, *Quia fecisti* „ *hæc, maledictus eris inter omnia animantia, &* „ *bestias terræ*. In serpente ipse maledicebatur, & ex eo vocabulum sumpsit, ut voce„ tur *Serpens antiquus*. Maledicis nunc quoque [Apoc. 12. 9.] „ cunctis *Bellatoribus eius, venientibus ut turbo* „ *ad dispergendum me*, & cunctos similes mei, „ timentes te. Illorum primus fuit *Pharao* „ Rex Ægyptius, novissimus erit *Antichri*„ *stus* : ille namque, videlicet *Pharao*, primus „ post verbum promissionis, velut quidam „ turbo, dispergere me voluit, id est, au„ ferre mihi effectum juramenti quod ad „ Abraham jurasti in repromissione beati Se„ minis, id est, Christi : quia ut nullum ve„ niret semen, masculos omnes necari præ„ cepit. Sed quid illi, & cæteris, provenerit, quis nesciat"?

CDLXXII. Grandem consolationem probis Regibus præbet illa sententia Eliu Buzitis apud Jobum relata, veritatique consentanea, *Deus potentes non abjicit, cùm & ipse sit potens* : [Iob 36. 5.] at non minorem terrorem improbis incutere debet quod ibidem continuò subtexitur, *Sed* [Ibid. v. 6.] *non salvat impios, & iudicium pauperibus tribuit* : I. Eos, inquit Gregorius, vocat *impios*, [I. Greg. lib. 26. Moral. c. 20. alias 24.] „ qui aut à fidei pietate disiuncti sunt, aut in „ hoc quod fideliter credunt pravis sibi mori„ bus contradicunt. Quia ergo omnipotens „ Deus malitiæ superbiam, non potentiæ cel„ situdinem damnat; postquam dictum est, „ *Deus potentes non abjicit, cùm & ipse sit potens*: „ rectè subjungitur, *Sed non salvat impios, & iu*„ *dicium pauperibus tribuit*: id est, elatos destruit, „ humiles verò per judicium liberos reddit: „ vel certè *iudicium pauperibus tribuit*; quia hi „ qui nunc nequiter opprimuntur, ipsi nunc super oppressores suos judices veniunt". Hoc ultimum olim veteribus Dei cultoribus promissum fuit divinitùs, de quibus scriptum est: *Erunt capientes eos qui se ceperant, & subjicient* [Isa. 14. 2.] *exactores suos*. Hanc rerum metamorphosin expressit Salomon, cùm ait: *Vidi servos in equis, &* [Eccle. 10. 7.] *Principes ambulantes super terram quasi servos*. Magis adhuc stupenda extitit metamorphosis Regis illius Babylonici, qui de monarchali fastigio repentè detrusus, non ad servilem, sed ad bestialem conditionem fuit redactus : de quo veridica Scriptura ait, *Universi populi, tribus,* [Dan 5. 19. & seqq.] *& linguæ tremebant & metuebant eum: quos volebat interficiebat, & quos volebat percutiebat, & quos volebat exaltabat, & quos volebat humiliabat. Quando autem elevatum est cor eius, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, & gloria eius ablata est: & à filiis hominum eiectus est, sed & cor eius cum bestiis positum est, & cum onagris erat habitatio eius : fœnum quoque ut bos comedebat, & rore cæli corpus eius infectum est*. Aliquot præterea satis miras fortunæ vicissitudines, vel potiùs supernæ providentiæ dispositiones, Gentilis Poëta congessit, dicens: K. *Omnia sunt hominum tenui pendentia filo, Et subito* [K. Ovid. l. 3. de Ponto Eleg. 3.] *casu quæ valuere ruunt : Divitis audita est cui non opulentia Crœsi? Nempè tamē vitam captus ab hoste tulit*.

tulit. Ille Syracusiâ modò formidatus in urbe, Vix humili duram reppulit arte famem. Quid fuerat Magno majus? Tamen ille rogavit Submissâ fugiens voce clientis opem: Cuique viro totus terrarum paruit orbis, Indigus effectus omnibus ipse magis. Ille Jugurthino clarus Cimbricq; triumpho, Quo victrix toties Consule Roma fuit; In cœno latuit Marius cannâq; palustri, Pertulit & tanto multa pudenda viro. Ludit in humanis divina potentia rebus, Et certam præsens vix habet hora fidem. Huic penultimo versiculo haud multùm absimile est divinæ Sapientiæ oraculum, quo se inducit *Ludentem in orbe terrarum*: totus quippe quantus est Mundus, instar pilę lusorię est manui Omnipotentis, de quo scriptum est, quòd *Mensus sit pugillo aquas, & cælos palmo ponderarit, appenderit tribus digitis molem terræ, & libraris in pondere montes, & colles in statera.* Quasi pilâ ergo *ludit in orbe terrarum* divina Sapientia, quando Monarchias, Imperia, Regna, sceptra, coronas, diademata, tiaras nunc in hanc, nunc in illam partem jacit: quando tyrannos potentissimos de thronis deturbat, & abjectissimos homunciones in eorum locum subvehit; *Faciens potentiam in brachio suo, dispergens superbos mente cordis sui: deponens potentes de sede, & exaltans humiles*: [L] An putas, ait Philo, mortalem rem

Prov. 8. 30.

Isa. 40. 12.

Luc. 1. 51. & 52.

L. Philo lib. Quòd Deus sit immutabilis, versus finem.

,, ullam verè esse ac subsistere, & non tanquam
,, in suggesto quodam ab inani incertâque opi-
,, nione sustineri, non aliter quàm somniorum
,, ludicra? Quòd si non libet singulorum
,, fortunas perquirere, vide regionum inte-
,, grarum & Gentium mutationes in melius,
,, ac deterius. Floruit quondam Græcia: sed
,, Macedones abstulerunt ei potentiam. Post-
,, eà Macedonia viguit opibus: sed divisa
,, in plures portiones debilitata est, donec
,, omninò interijt. Ante res Macedonum in-
,, clyta fuerat Persarum felicitas, sed una dies
,, tam ingenti regno finem attulit; & nunc
,, Persæ, penes quos paulò antè fuerat Impe-
,, rium, sunt Parthorum provincia. Fuit &
,, Ægypti olim perampla magnificaque po-
,, tentia: sed nubis in morem præterijt ejus
,, felicitas. Quid Æthiopes? Quid Carthago
,, in Africa? Quid Pontici Reges? Quid Eu-
,, ropa, Asiaque, &, ut compendio dicam, to-
,, tus orbis habitabilis? Nonne, more navis
,, susque deque marinis fluctibus jactatæ,
,, nunc secundis ventis, nunc adversis utitur?
,, Nam Verbum divinum choreas in orbem
,, ducit, quod vulgus hominum *fortunam* no-
,, minat: & cùm perpetuò feratur per civita-
,, tes, gentes, regionesque, res aliorum alijs
,, omnium omnibus tribuit, subinde varian-
,, tibus apud singulos temporibus: ut totus
,, terrarum orbis, tanquam una civitas, opti-
,, mo Reipublicæ genere administretur, po-
,, pulari regimine. Nihil igitur est in huma-
,, nis rebus ac negotijs, præter umbram,
,, auramque levissimam, sine mora præter-
,, volantem, & ultrò citròque commeantem,
,, tanquam æstuaria. Nam & marini æstus
,, nunc cum magno impetu sonituque acce-
,, dunt, & longè latèque per littora diffun-
,, duntur, undis stagnantibus; nunc re-
,, fluunt retrò, magnamque maris partem in
,, formam continentis redigunt. Simile quid-
,, dam accidit, quando fortuna postquam
,, populosam aliquam gentem inundavit ma-
,, gnis felicitatibus, fluxu averso ne guttam
,, quidem sinit reliquam, deletis etiam ve-
,, stigijs opulentiæ pristinæ. Verùm hæc re-
,, putatio non omnes tangit, sed solos rectæ
constantisque rationis asseclas". Qui rursùs lib. *de Joseph, sive de Vita viri civilis*, circa medium:" Quanta sit, inquit, in rebus exter-
,, nis obscuritas, quis nesciat? Ingentes opes
,, sæpè una dies abstulit: multi antea hono-
,, ratissimi, versis rerum vicibus in contem-
,, ptum venerunt cum ignominia. Imperia
,, Regum maxima brevi temporis momento
,, subversa sunt. Fidem meis verbis astruit
,, Dionysius, quondam Siciliæ tyrannus,
,, mox pulsus, & Corinthum profugus, Litte-
,, rator è tanto Principe factus. Attestatur
,, & Crœsus Rex Lydiæ, ditissimus Regum,
,, qui sperans se deleturum Persarum poten-
,, tiam, non modò proprium regnum amisit,
,, sed & ipse vivus in hostium potestatem re-
,, dactus, minimùm absuit quin exureretur.
,, Testantur de hujusmodi somnijs non sin-
,, guli tantùm, sed civitates, gentes, regio-
,, nes, Græcia, Barbaria, insularum conti-
,, nentisque incolæ, Europa, Asia, Oriens,
,, Occidens: nihil enim usquam permanet
,, sui simile. Ægyptus quondam in multas
,, gentes habuit imperium: nunc ipsa servit.
,, Macedones aliquamdiu tam potentes fue-
,, runt, ut jura toti Orbi redderent: nunc im-
,, peratas à dominis pecunias tributi nomine,
,, quotannis quæstoribus numerant. Ubi est
,, illa *Ptholemæorum* familia, cujus splendor per
,, singulos successores ad extremos terræ ma-
,, risque terminos emicuit? Ubi sunt gen-
,, tes civitatesque sui juris ac liberæ? Rursùm
,, ubi subditorum servitutes? Nonne Persæ
,, Parthis imperaverunt? Nunc eis subdun-
tur, versâ rerum humanarum aleâ". Hinc igitur luculenter apparet quàm verè dixerit divina Sapientia se *ludere in orbe terrarum*: & quàm consentaneè eidem oraculo cecinerit Poëta, alioqui Gentilis: *Ludit in humanis divina potentia rebus.* Quanquam enim hìc sermo sit de *potentiâ*, ibi autem de *sapientiâ*: tamen in idem res recidit, cùm Deus non nisi sapienter sit potens, nec nisi potenter sapiens: [M] *Neque enim temerariâ potentiâ, sed sapientiæ virtute omnipotens est.* M. August. l. 9. de Gen. ad litt. c. 17.

CDLXXIII. Rectè admonet Papa Gregorius,

rius, Principatum temporalem non quidem de
se esse malum, nihilominùs ratione intercur-
rentium occasionum reddi periculosum. Ex-
Iob 36. 5. plicans quippe ipse locum illum ex libro Job
proximo §. relatum, *Deus potentes non abjicit,*
S. Gregor. lib. 26 Moral. cap 19. alias 23. *cùm & ipse sit potens* : N. In usu vitæ mortalis,
„ inquit, quædam ex semetipsis sunt noxia,
„ quædam verò ex his quæ circa ipsa versan-
„ tur. Ex semetipsis quædam sunt noxia, sicut
„ peccata, atque flagitia: quædam verò non-
„ nunquam nobis ex his quæ circa ipsa sunt
„ nocent, sicut temporalis potentia, vel co-
„ pula conjugalis. Bonum namque est con-
„ jugium, sed mala sunt quæ circa illud ex
„ hujus Mundi curâ succrescunt: unde Pau-
1. Cor. 7. 33. „ lus ait, *Qui cum uxore est, cogitat quæ sunt*
„ *Mundi, quomodò placeat uxori.* Unde & qui-
„ busdam meliora persuadens, eos à conjugio
Ibid. v. 35. „ revocat, dicens: *Hoc autem dico, non ut la-*
„ *queum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est,*
„ *& quod facultatem præbeat sine impedimento Do-*
„ *minum obsecrandi.* Dum ergò tenetur quod
„ non nocet, ex rebus juxta positis commit-
„ titur plerunque quod nocet: sicut sæpè re-
„ ctum mundumque iter pergimus, & tamen
„ ortis juxta viam vepribus per vestimenta
„ retinemur: in via quidem munda non offen-
„ dimus, sed à latere nascitur quo pungamur.
„ Magna est etiam potentia temporalis, quæ
„ habet apud Deum meritum suum de bona
„ administratione regiminis; nonnunquàm ta-
„ men eo ipso quo præeminet cæteris, ela-
„ tione cogitationis intumescit; & dum ad
„ usum cuncta subjacent, dum ad votum ve-
„ lociter jussa complentur, dum omnes sub-
„ diti siqua benè gesta sunt laudibus efferunt,
„ malè gestis nullâ authoritate contradicunt,
„ dum plerunque laudant quod etiam objur-
„ gare debuerant; seductus ab his quæ infrà
„ subduntur, super se animus tollitur: &
„ dum foris immenso favore circumdatur,
„ intùs veritate vacuatur, atque oblitus sui
„ in voces se spargit alienas; talemque se cre-
„ dit, qualem foris audit, non qualem intùs
„ discernere debuit; subjectos despicit, eos-
„ que æquales sibi naturæ ordine non agnos-
„ cit; & quos sorte potestatis excesserit, tran-
„ scendisse se etiam vitæ meritis credit: cun-
„ ctis se æstimat ampliùs sapere, quibus se
„ videt ampliùs posse. In quodam quippè se
„ constituit culmine apud semetipsum, &
„ qui æquâ cæteris naturæ conditione con-
„ stringitur, ex æquo respicere cæteros de-
„ dignatur: sicque usque ad ejus similitudi-
Iob 41. 25. „ nem ducitur, de quo scriptum est: *Omne su-*
„ *blime videt, & ipse est Rex super universos filios*
Prov 30. 13. „ *superbiæ*: & de cujus corpore dicitur, *Gene-*
„ *ratio cujus excelsi sunt oculi, & palpebræ ejus in*
„ *alta surrecta.* Ad ejus similitudinem duci-
„ tur, qui singulare culmen appetens, & so-
„ cialem Angelorum vitam despiciens, ait:
„ *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero* Isa. 14. 14.
„ *Altissimo.* Miro ergo judicio intùs foveam
„ dejectionis invenit, dum foris se culmine
„ potestatis extollit: apostatæ quippe Angelo
„ similis efficitur, dum homo hominibus esse
„ similis dedignatur. Sic *Saul* ab humilitatis
„ merito, in superbiæ tumorem, culmine po-
„ testatis excrevit: per humilitatem quippe
„ prælatus est, per superbiam reprobatus, Do-
„ mino attestante, qui ait: *Nonne cùm parvu-* 1. Reg. 15. 17
„ *lus esses in oculis tuis, caput te constitui in tri-*
„ *bubus Israel?* Parvulum se ante Potestatem
„ viderat, sed fultus temporali potentiâ jam
„ se parvulum non videbat: cæterorum nam-
„ que comparatione se præferens, magnum
„ se apud se esse judicabat. Miro autem mo-
„ do, cùm apud se parvulus, apud Deum
„ magnus; cùm verò apud se magnus, apud
„ Deum parvulus fuit. Magnos nos Domi-
„ nus apud nos esse prohibet, per Prophetam
„ dicens: *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, &* Isa. 5. 21.
„ *coram vobismetipsis prudentes.* Ne magni apud
„ nos simus, Paulus admonens ait: *Nolite pru-* Rom. 12. 16.
„ *dentes esse apud vosmetipsos.* Plerunque ergo
„ dum ex subjectorum affluentiâ animus infla-
„ tur, in luxum superbiæ, ipso Potentiæ fa-
„ stigio lenocinante, corrumpitur. Sed aliud
„ est quælibet bona non esse, aliud bona benè
„ habere nescire: bona namque est ordine
„ suo Potentia, sed cautâ Regentis indiget
„ vitâ. Igitur benè hanc exercet, qui & re-
„ tinere illam noverit, & impugnare: benè
„ exercet, qui scit per illam super culpas eri-
„ gi, & scit cum illa cæteris æqualitate com-
„ poni. Humana enim mens plerunque ex-
„ tollitur, etiam cùm nullâ potestate fulcitur;
„ quanto magis in altum se erigit, cùm se
„ etiam ei Potestas adjungit? Et tamen cor-
„ rigendis aliorum vitiis aptâ executione
„ præparatur: unde & per Paulum dicitur, *Mi-* Rom. 13. 4.
„ *nister enim Dei est, vindex in iram ei, qui malum*
„ *agit.* Cùm ergò Potentiæ temporalis mini-
„ sterium suscipitur, summâ curâ vigilandum
„ est, ut sciat quisque & sumere ex ea quod
„ adjuvat, & expugnare quod tentat; & sic
„ æqualem se cum cæteris cernere, & tamen
se peccantibus zelo ultionis præferre". Multa
quidem alia intercurrunt, quibus terrena
sublimitas redditur periculosa, de quibus
postmodùm in decursu tractabitur: sed hoc
loco Gregorius potissimùm in ea considerat
superbiendi periculum; cui quisquis in subli-
mitate positus non sedulò obviat, *In superbiam* 1. Tim. 3. 6.
elatus, in judicium incidit diaboli. Meritò sanè
unusquisque talium reputet sibi, utpote ho-
mini ac hominis filio, divinitùs dictum, quod
Ezechiëli ait Dominus: *Fili hominis, leva plan-* Ezech. 28. 12
ctum super Regem Tyri. Ubi initialibus illis ver-
bis, *Fili hominis*, ingeritur ei consideratio
naturæ

naturæ suæ: ut nimirùm attendat, se naturâ parem esse eis, quibus adventitiâ conditione supereminet, recolatque mente illud Salomonicum, [Sap. 7. 1. & seqq.] *Sum quidem & ego mortalis homo, similis omnibus, & ex genere terreni illius qui prior factus est; & in ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis, & delectamento somni conveniente. Et ego natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans: in involumentis nutritus sum, & curis magnis: nemo enim ex Regibus aliud habuit nativitatis initium. Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus.* Hac ergo consideratione præmunitus quisque terrenus Princeps admonetur *levare planctum super Regem Tyri*, hoc est, refrænare fastum suum recordatione casûs ac ruinæ Regis Tyri, id est, Luciferi: qui cùm Angelicis spiritibus sublimitate præmineret, elatus in superbiam præcipitari meruit in barathrum, & fieri ex summo imus, ex primo novissimus: [o. Rupertus lib. 2 de Victoria Verbi Dei cap. 5.] o. Videndum est, inquit Ru-„ pertus, quis vel qualis ille planctus sit, „ de quo curare deceat Deum, dicentem: „ *Fili hominis, leva planctum.* Planctus ille hu-„ militas mentis & confractio cordis est, con-„ siderantis & videntis opera Domini, [Ps. 65. 5.] *quàm* „ *terribilis sit in consiliis*, non solùm *super filios* „ *hominum*, verùm etiam super ordines Ange-„ lorum. Ille reverà utiliter plangit, ille *plan-„ ctum* rationalem *levat super Regem Tyri*, qui „ contrito corde & humili spiritu scrutatur & „ perpendit, quid sibi faciendum sit pulveri „ & cineri, cùm ille summus Angelus, tam „ magnus, tam sapiens, tam speciosus; ita „ terribiliter projectus sit, pro eo, quòd Crea-„ tori suo subditus esse noluit; tamque vilis, „ tam fatuus, tam deformis sit effectus, ut „ juxta veritatem Propheticam, [Ezech. 28. 19.] *Omnes qui* „ *viderint eum obstupescant super eo, quia nihil factus* „ *est, & non erit in perpetuum.* Qui hæc perpen-„ dens humiliat animam suam sub potenti „ manu Dei, verâ humilitate, vero humili-„ tatis spiritu qui ubi cor tetigerit excitat „ utique inenarrabiles gemitus: ille reverà „ *planctum levat super Regem Tyri*, condolens „ sibimet, quòd vel de imitatione ejus aliquid „ iniquum admisit, vel quòd fieri potest ut „ admittat si nondùm admisit. Ad hoc perti-„ net quod Psalmista dicit, [Psalm. 2. 11.] *Servite Domino in* „ *timore, & exultate ei cum tremore*, & quicquid „ huic simile personat in Scripturis sanctis; per „ quod commonetur homo, ut vigilans & val-„ de sollicitus sit, *ne quando in superbiam elatus,* *in judicium incidat diaboli*". Quoniam igitur quisquis in superbiam extollitur, diabolum superbiæ authorem imitatur in culpa, justo Dei judicio evenit, ut eundem imitetur in pœna. Hanc quippe pœnam Apostolus nomine *judicii* expressit; eâque expressione æquitatem ejus indicavit, dicente Psalmographo: [PRÆOCCUPATIO] [Psal. 118. 75.] *Cognovi Domine quia æquitas judicia tua.* Nec obstat quòd Psalmographus loquatur de *judiciis Domini*, Apostolus autem de *judicio diaboli*. Idem namque ipsum *judicium* & Domini est, tanquam judicantis; & diaboli, tanquam judicati. Summoperè itaque verendum est eis, qui dignitate ac potestate inter homines eminent, ne ipsis in superbiam elatis Deus non parcat, qui Lucifero *principio viarum suarum* non pepercit: [P. Greg. lib. 32. Moral. cap. 18 aliàs 24] [Job. 40. 14.] P. *Behemoth*, inquit Gregorius, *Princi-„ pium viarum Dei* dicitur, quia nimirum cùm „ cuncta creans ageret, hunc primum condi-„ dit, quem reliquis Angelis eminentiorem „ fecit. [Ezech. 31. 8. & 9.] Hujus primatûs eminentiam conspicit „ Propheta, cùm dicit, *Cedri non fuerunt al-„ tiores illo in Paradiso Dei, abietes non adæquave-„ runt summitatem ejus, platani non fuerunt æqua* „ *frondibus illius, omne lignum paradisi Dei non est* „ *assimilatum illi & pulchritudini ejus; quoniam* „ *speciosum fecit eum in multis condensisque fron-„ dibus.* Qui namque accipi in *cedris, abietibus,* „ & *platanis* possunt, nisi illa virtutum cæle-„ stium proceræ celsitudinis agmina, in æter-„ næ lætitiæ viriditate plantata? Quæ quam-„ vis excelsa sint condita, huic tamen nec præ-„ lata sunt, nec æquata. Qui *speciosus factus in* „ *multis condensisque frondibus esse* dicitur: quia „ prælatum cæteris legionibus tanta illum „ species pulchriorem reddidit, quanta & „ supposita Angelorum multitudo decoravit. „ Ista arbor in paradiso Dei tot quasi conden-„ sas frondes habuit, quot sub se positas su-„ pernorum spirituum legiones attendit". Cùm ergo ille Angelorum Primas in pœnam superbiæ privatus principatu abierit quasi in nihilum, quid superest [Job. 4. 19.] *habitantibus domos luteas*, quantàvis terrenâ potestate splendeant, nisi ut ruinâ Luciferi perpensâ insonent invicem illud Propheticum: [Zach. 11. 2.] *Ulules Pinus, quia cecidit Cedrus?*

CAPUT

CAPUT CXXV.

Sapientia ac fortitudo Numinis in eo patenter elucet, quòd pace nullus fruatur, qui ei obluctatur: cujus rei specimen in Angelis, ac deinde in protoplastis exhibitum, perstringitur. Iustum est ut rebellis suo superiori, rebellionem patiatur à suo inferiori. Anima humana Deo dedignata servire, mulctatur pristino corporis servitio. Superbienti homini salubriter aufertur spiritus suus, ut deficiens revertatur in pulverem suum. Eidem adversùs Deum recalcitranti rebellant non tantùm passiones intraneæ, sed & pridem pariter subdita bestiæ extraneæ: ut proinde qui habuerat ad nutum obsequentes elephantes & leones, nunc patiatur infestantes etiam culices ac crabrones. Cur dominium hominis primævum magis imminutum sit erga bestias maximas & minimas, quàm erga medias? Expenditur increpatio illa Dei ad protoplastum inobedientiâ degradatum; Adam ubi es? *Non modica infelicitatis est portio, prægustatæ fælicitatis recordatio. Superbam Ægyptum debellavit Deus acie seiniphum; quorum tanta exilitas, ut vix cernas volitantes, quos sentis stimulantes. Arrogantium fastum deprimit subinde Deus uti per culices exilissimos, ita & per pediculos fœdissimos. Recensentur complures Proceres fastuosi, à pediculis cruciabiliter exesi: ut* Antiochus, *bini* Herodes, Herminianus, Galerius Maxentius, Julianus, Hunnericus, Nicasius, Cassander, Sylla, Acastus *&c. Pherecydes Pythagoræ Præceptor cur pediculari plagâ percussus? Platonis pediculi in proverbium relati ex Myroniano. Arnulphus Cæsar phthiriasi consumptus: & cur? Non semper immittitur phthiriasis ut delicta plectantur, sed subinde ut merita probentur. An inter Iobi plagas numeranda phthiriasis?*

CDLXXIV. INclytus ille Dei athleta Jobus, tam modestiæ in prosperis quàm patientiæ in adversis exemplar, in celebri disputatione cum tribus amicis, dignitate *Regibus*, consolationis prætextu afflictum invisentibus, habitâ, atque in ejus libro ad longum relatâ; multa quidem ac magnifica de Deo, deque ejus potentiâ, sapientiâ, providentiâ justitiàque commemorat: sed illud præ cæteris opportunè hìc se offert perpendendum, quod ait de ipso: *Sapiens corde est, & fortis robore: quis restitit ei, & pacem habuit?* In quem locum Gregorius: „Quid mirum, inquit, si Conditorem sapientium dixerit *sapientem*, quem ipsam esse sapientiam scimus? Et quid mirum, quòd *fortem* esse memoret, quem ipsam esse fortitudinem nullus ignorat? Sed Sanctus vir duobus verbis in laudem Authoris prolatis, aliquid nobis intimat, unde nos ad cognitionem nostram trepidos reducat. *Sapiens* quippe Deus dicitur, quia occulta nostra subtiliter agnoscit: & esse *fortis* adjungitur, quia valenter cognita percutit. Nec falli ergo à nobis, quia *sapiens*; nec vitari, quia fortis est, valet; nunc ut *sapiens* omnia invisibilia aspicit, tunc ut fortis sine ullo obstaculo quos reprobat punit. Qui hoc quoque hìc forti sapientiâ ordinat, ut humana mens cùm contra Authorem se elevat, ipsa se suâ elatione confundat. Unde subditur, *Quis restitit ei, & pacem habuit?* Qui enim cuncta mirabiliter creat, ipse ut creata sibimet conveniant ordinat. In quo igitur Conditori resistitur, pacis conventio dissipatur: quia ordinata esse nequeunt, quæ superni moderaminis dispositionem perdunt. Quæ enim subjecta Deo in tranquillitate persistere renuunt, ipsa se sibimet dimissa confundunt: quia in se pacem non inveniunt, cui venienti desuper in Authore contradicunt. Sic Summus ille Angelicus spiritus, qui subjectus Deo in culmine stare potuisset, semetipsum repulsum patitur: quia per naturæ suæ inquietudinem foris vagatur. Sic primus humani generis parens, quia Authoris præcepto

Iob 2. 5.

Iob. 9. 4.

S. Gregor. l. 9. Moral. cap. 2.

cepto restitit, carnis protinùs contumeliam sensit: & quia subesse Conditori per obedientiam noluit, sub semetipso prostratus pacem corporis protinùs amisit. Benè ergo dicitur, *Quis restitit ei, & pacem habuit?* Quia perversa mens unde se contra Authorem erigit, indè se in semetipsa confundit".

Quemadmodùm homo constat animâ & corpore, ita Respublica monarchica constat Principe & subditis; illo velut animâ, istis tanquàm corpore. Sicut ergò homo quamdiu secundùm animam mansit debitè subditus Deo superiori suo, nullam reluctantiam passus est à carne sua; statim verò ac ipse secundùm animam rebellavit Deo suo, sensit carnem rebellantem spiritui suo: ita in Republicâ, quæ est velut homo quidam mysticus sive politicus, quamdiu Princeps tanquam anima perseverat in obsequio Dei superioris sui, optimè confidere potest subditos perseveraturos in obsequio sui; si verò ipse obluctetur Deo Superiori suo, æquum sanè fuerit ut reluctantiam patiatur à populo inferiori suo: non quòd rectè agat populus obluctando, sed quòd rectè agat Deus obluctantiam permittendo, eamque in ultionem rebellionis sibi intentatæ ordinando. R. Mentis & carnis, inquit Augustinus, unus est artifex: ipse quando hominem creavit, utrumque fecit, utrumque conjunxit; carnem animæ subdidit, animam sibi. Si semper illa staret sub Domino suo, semper & ista obediret dominæ suæ: noli mirari si ea quæ deseruit superiorem, pœnas patitur per inferiorem". Et lib. 13. de Civit. cap. 13. loquens de ambobus primis parentibus, Deo in paradiso rebellibus: "Posteaquàm, inquit, præcepti facta transgressio est, confestim, gratiâ deserente divinâ, de corporum suorum nuditate confusi sunt: unde etiam *folijs ficulneis*, quæ fortè à perturbatis prima comperta sunt, *pudenda texerunt*; quæ priùs eadem membra erant, sed pudenda non erant. Senserunt ergo novum motum inobedientis carnis suæ, tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ suæ. Jam quippe anima libertate in perversum propriâ delectata, & Deo dedignata servire, pristino corporis servitio destituebatur: & quia superiorem Dominum suo arbitrio deseruerat, inferiorem famulum ad suum arbitrium non tenebat. Tunc ergo caro cœpit *concupiscere adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem*; cum qua controversia nati sumus". Hoc ipsum luculentè perhibet Papa Gregorius non tantùm loco mox citato ex ipso, sed & cùm alibi ait: S. Si piè spiritus sub Deo premitur, caro illicitè super spiritum non levatur: habet quippe spiritus commissum sibi dominium carnis, si tamen ipse sub Deo recognoscit jura legitimæ servitutis; nam si Authorem suum superbiendo contemnit, jure etiam à subjecta carne prælium suscipit. Unde & ille primus inobediens mox ut superbiendo peccavit, *pudenda contexit*: quia enim spiritus Deo contumeliam intulit, mox contumeliam carnis invenit; & quia Authori suo esse subditus noluit, jus carnis subditæ quam regebat amisit: ut in seipso videlicet inobedientiæ suæ confusio redundaret, & superatus disceret quid elatus amisisset".

R. August. Serm. 12. de verb. Apost. cap. 3. Vide lib. 2. de peccator. Merit. c. 22. & lib. 1. de Nupt. & Concup. c. 6. & lib. 1. ad Bonif. c. 13. & 16. & lib. 3. contra Iul. c. 7.

Gen. 3. 7.

Gal. 5. 17.

S. Gregor. lib. 26. Moral. cap. 13.

Videmus igitur etiam in illis primis generis nostri parentibus verificari illud Jobi oraculum mox suprà memoratum, *Quis restitit ei* (Deo) *& pacem habuit?* quasi dicat, Nullus prorsùs sive inter cælігenas, sive inter terrigenas. Quis Regum præsumat se chariorem esse Deo, quam fuerint duo illi primi Angelorum respectivè ac hominum Principes? Cùm ergò Deus ne his quidem pepercerit, sed utrique superbienti pacem abstulerit: meritò sanè Regum quisque sibi reputet dictum ab Apostolo, *Noli altum sapere, sed time: si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat*. T. Necesse est, inquit Alredus, ut super corda tenebris superbiæ obvoluta, quasi super urbes contrarias sibi, muro obstinationis clausas, turribus elationis munitas, visitet Dominus mala quæ faciunt, *Ulciscens in omnes adinventiones eorum, & visitans in virga iniquitates eorum & in verberibus peccata eorum*. Superbi quippe, & infideles dicuntur, & impij; non tam in hominem quàm in ipsum Deum sævientes. Videte quàm pestiferum malum, quod à divinitatis cœpit injuriâ, quod de Angelo diabolum fecit, quod hominem expulit de paradiso; dum ille divinæ potentiæ, iste scientiæ æqualitatem affectat? Itaque *Quicunque putat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit*: & *quicunque putat scire se aliquid, nondum intelligit quemadmodùm oporteat eum scire*. Utinam quicunque tales sunt, visitet eos Dominus in virga correptionis suæ, *Quiescere faciens superbiam infidelium & arrogantiam fortium humilians*. Expedit itaque superbis, ut ait quidam Sanctus, ut in aliquod manifestum peccatum incidant, ut humilientur; fiatque illud, *Auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur*. Spiritus namque hominis propriè spiritus superbiæ est; quo ablato, ad pulverem suum, id est, ad propriæ fragilitatis cognitionem revertitur, ut immittatur ei spiritus Dei, qui *Non requiescit nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones suos*: & ita recreetur, & renovetur, proficiatque in virum perfectum, & in hominem rationi per omnia consentientem".

Rom. 11. 20. & 21.

T. Alredus Serm. 22. in c. 13. Isaiæ.

Ps. 98. 8.

Ps. 88. 33.

Gal. 6. 3.

1. Cor. 8. 2.

Vide Aug. lib. 14. de Civit. c. 13.

Ps. 103. 29.

Vide Greg. lib. 14. Moral. cap. 2?. & in Psal. 7. Pœnit. v. 7.

Isa. 66. 2.

CDLXXV. Quemadmodùm Adam constitutus est à Deo *Pater orbis terrarum*, ita in

Sap. 10. 1.

ejusdem

ejusdem superbientis punitione exhibitum est à Deo exemplum non superbiendi cunctis Regibus ac Principibus terrenis, *Vt fugiant à facie arcûs.* Eum quippe elatione inflatum expulit paradiso, ubi tanquam in sede Regia deliciabatur: dominium quoque despoticum ei ademit, quo spiritus ipsius in carnem citra ullam reluctantiam fruebatur: ac denique inferiores creaturas quadantenùs emancipavit; quibus ille, Deo subditus, pleno quasi jure dominabatur. De duobus prioribus jam diximus, de tertio Chrysostomus: [V] "Ostendit, inquit, dictis illis, quòd ab initio homo plenum ac perfectum super bestias Principatum habuerit: *Dominetur enim*, inquit, *piscibus maris, & volatilibus cæli, & feris, ac reptilibus terræ.* Quòd autem nunc terrori nobis sint bestiæ, & timeamus, & dominio exciderimus; nec ipse contradico. Verùm hoc non arguit falsam fuisse Dei promissionem: nam ab initio res non ita se habebant, sed timebant ac tremebant bestiæ suspiciebantque dominum, ubi autem per inobedientiam amisimus libertatem dignitatemque nostram, etiam principatus noster mutilatus est. Subjecta enim homini fuisse animalia omnia, accipe ex Scriptura, quæ dicit: *Adduxit Deus bestias, & omnia bruta ad Adam, ut videret quid vocaret ea.* Qui cùm videret juxta se bestias, non resilijt; sed tanquàm dominus aliquis servis subditis nomina imposuit: *Et omne*, inquit, *quod vocavit Adam, hoc nomen est illi.* Quod utique dominij signum est: & Deus volens per hoc docere hominem potentiæ suæ dignitatem, nominum impositionem ei permisit. Atque hæc satis indicant, feras ab initio homini non fuisse terribiles: est tamen & aliud quoddam ejus rei argumentum non obscurius, sed manifestius; colloquium nimirùm serpentis cum muliere. Nam si terribiles fuissent hominibus bestiæ, mulier conspecto serpente nequaquàm mansisset, neque consultasset, neque cum tanta securitate ei locuta fuisset: sed statim ad aspectum illius obstupefacta profugisset. At verò collocuta est, nec metuit: necdum enim erat timor ille. Cæterùm ubi peccatum intravit, ablata est hæc potestas & dignitas: & quemadmodùm inter servos fieri solet, ut probatiores & honestiores sint terrori conservis; qui autem deliquerint timeant socios & servos: sic & de homine factum est. Nam salvâ manente ipsius in Deum fiduciâ, terribilis erat bestijs: ubi autem impegit, timere cœpit conservorum etiam extremos. Quòd si ea quæ diximus non fers, demonstra tu mihi, ubi terribiles homini ante peccatum fuerint bestiæ? Sed non potes. Porrò quòd posteà subierit timor, etiam hoc divinæ misericordiæ maximum est argumentum: nam si homini post prævaricationem integer mansisset suus honor pristinus, haud facilè à lapsu resurrexisset; quandoquidem cùm inobedientes pari fruuntur dignitate cum obedientibus, malitiæ magis assuesiunt, nec facilè ab ea desistunt. Cùm enim nunc sub tot terroribus, pœnis, & supplicijs non emendentur, quales fuissent si pro suis delictis nihil grave perpessi essent? Ita ergo principatus ille nobis à Deo ob magnam nostri curam ablatus est". Hunc Chrysostomi locum allegat & approbat Augustinus lib. 1. contra Julianum cap. 6. recolitque iterùm cap. 7. ostendens per eum adversùs Pelagianos, peccatum protoplastorum transire in posteros, quandoquidem bestiæ non parcant etiam parvulis, qui nullo personali peccato inquinati sunt: "Quis non videat, inquit, esse consequens, ut nulla bestiarum parvulos læderet, nisi & ipsos illius peccati (*originalis*) vinculo nativitas carnalis obstringeret"? Cùm enim homo ex prærogativa primæva immunis fuerit ab omni infestatione bestiarum, utpote suo dominio perfectè subditarum; non debuit eâ prærogativâ spoliari absque culpa. Si ergo parvuli eâ spoliati sunt, non utique absque culpa spoliati sunt. Ac per hoc cùm constet eâ spoliatos esse, necesse est spoliatos esse ob culpam parentalem, quippe nullam habentes personalem: [W] "Nec quæsitu dignum est, inquit Beda, quare non etiam nunc cunctis bestijs homo dominetur? Postquàm enim ipse suo Conditori subjectus esse noluit, perdidit dominium eorum quæ suo Conditor juri subjecerat. Denique in testimonium primæ creationis legimus, viris sanctis atque humiliter Deo servientibus & aves obsequium præstitisse, & rictus bestiarum cessisse, & venenum serpentium nocere non potuisse". Huic sententiæ subscribunt Scholastici post Divum Thomam, cujus verba sunt: [X] "Inobedientia ad hominem, eorum quæ ei debent esse subjecta, subsecuta est in pœnam ejus, eò quòd ipse fuit inobediens Deo. Et ideò in statu innocentiæ ante inobedientiam prædictam, nihil ei repugnabat quod naturaliter deberet ei esse subjectum. Omnia autem animalia sunt homini naturaliter subjecta". Cùm autem in statu innocentiæ universa pariter animalia dominio humano subessent, quæri potest cur post peccatum non omnia pariliter emancipata sint, sed quædam magis, quædam minùs subjecta remanserint? Respondet Hugo Victorinus hisce verbis: [Y] "Dominari debuit homo omnibus, sed per peccatum amisit dominium & in maximis,

Psalm. 59.6.

V. Chrysost. Homil. 9. in Genesim. Vide Basil. Seleuciens. Orat 2. Gen. 1. 28.

Gen. 2. 19.

Ibid.

Augustinus.

W. Beda in Hexameron. Citatur idẽ liber sub nomine Junilij.

X D. Thom. 1. p. q. 96. a. 1. in corp.

SCRVPVLVS.

EXCVTITVR

Y. Hugo Victor. Annotat. Elucid. in caput 3. Genesios.

maximis,

,, maximis, & in minimis; retinuit tamen
,, dominatum in medijs, ad consolationem.
,, In maximis, ut in leonibus, perdidit
,, dominium: ut cognosceret se amisisse di-
,, gnitatem propriam. In minimis amisit,
,, ut in pulicibus; & muscis: ad cognos-
,, cendam suam vilitatem. Unde Dominus
,, exercitum vesparum misit ad vindictam
,, contra Ægyptum, ut notaretur eorum vi-
litas ". Reliquit ergo Deus quædam animalia
sub dominio hominis post lapsum, licèt non
tam despoticè quàm ante lapsum; ut nimi-
rum supersint ei quædam velut reliquiæ pri-
stini Principatûs: quædam verò velut eman-
cipavit, ut homo consideratione rebellionis
eorum recogitet rebellionem suam adversùs
Dominum suum, qui omnia subdiderat im-
perio ejus: utque hâc recognitione excitus
animadvertat, de quanta dignitate in quan-
tam vilitatem devenerit: insonante auribus
Gen. 3. 9. ejus illâ Dei voce, *Adam ubi es*, hoc est, O
homo perpende tecum qualis fueris, & quo-
usque tuâ culpâ descenderis: Z. Quoniam nos,
Z. Basil in Psalm 114. v. 5. Vide Ambr. l. de Paradiso cap. 14. & Epist. 34 nunc 99. ad Marcell. sororem. & Aug. lib. 11. de Civit. c. 11 & 15. & Basil Seleu. Orat. 1 & 29 & Chrysost. Homil. 17 in Genesim.
,, inquit Basilius, quandoque in Paradisi sta-
,, tione nobilitati fuimus, & ob ruinam post-
,, eà inglorij & humiles facti sumus, Deus
,, noster miseretur nostri, animadvertens
,, quales ex qualibus evaserimus: idcircò &
,, Adam misericordiæ voce revocat, dicens:
,, *Adam ubi es*? Non enim qui cuncta noverat,
,, edoceri cupiebat; quin potiùs id volebat,
,, ut iste secum recogitaret, qualis ex quali
,, factus esset. *Ubi es*? Quasi dicat, in quam
,, incidisti ex tanta sublimitate ruinam"?
Proculdubiò enim non potest non plurimùm
affligere hominem recogitatio pristinæ digni-
tatis amissæ, & præsentis vilitatis incursæ:
neque enim exigua supervenientis infelicita-
tis pars est, felicem aliquando fuisse. Unde di-
A. Euripid. apud Stobæu Serm. 102.
cebat Euripides: A. *Viro, qui felix aliquando vo-
catus fuit, Molesta est mutatio: cui vero semper si-
nistra Fortuna fuerit, nihil dolet; cum ei familiaris
sit calamitas.* Fieri proinde nequit quin homi-
nem vehementer consternat recogitatio pri-
stini sui dominij in cuncta terræ, aquæ, aëris-
que animantia; cùm jam experimento cernat
se non posse suo imperio absterrere vel puli-
cem mordentem, vel culicem stimulantem:
B. Hieron. in c. 2. Isaiæ v. 25.
B. Solemus, inquit Hieronymus, Marcioni
,, & cæteris respondere hæreticis, qui vetus
,, laniant Testamentum, quòd & pulices, &
,, culices, & cimices, & hujusmodi animalia
,, idcircò fecerit Deus, ut fragilitatem & im-
,, becillitatem nostræ carnis ostenderet: quæ
,, intantùm nihil est, ut ab his quæ parva
sunt vulneretur". Totam Ægyptum vehe-
mentissimè afflixit Deus immisso in eam exer-
C. Philo lib. de vita Moysis paulo ante medium.
citu minutissimorum sciniphum. Quâ de re
Philo: C. Homines, inquit, quando bella
,, gerunt, auxilia sibi asciscunt potentissima,
,, quibus suam infirmitatem suppleant. Deus
,, verò omnipotens, & nullius operâ egens,
,, siquando vult tanquàm instrumentis qui-
,, busdam uti ad exigenda supplicia, non eli-
,, git valida, quorum utique robur minimè
,, curat; sed vilia parvaque invictis viribus
,, instruit, atque ita noxios plectit. Quod
,, nunc quoque accidit: quid enim sciniphe
,, vilius? Tamen tantum effecit, ut tota
,, Ægyptus deficiens exclamare cogeretur,
Hunc esse digitum Dei". Cæterùm quàm vilia & Exod. 8. 19.
exilia animalcula sint sciniphes, & quàm in-
victis equidem ad plectendos noxios viribus
à Deo instruantur, breviter indicat Origenes,
D. Orig. Homil. 4. in Exodum. Vide Isidor. Comment. in Exodum cap. 14.
& ex ipso Isidorus: D. Hoc animal, inquiens,
,, pennis quidem suspenditur, per aëra vo-
,, litans; sed ita subtile est & minutum, ut
,, oculi visum, nisi acutè cernentis, effugiat:
,, corpus tamen, cui insederit, acerrimo tere-
,, brat stimulo; ita ut quem videre quis ne-
,, queat volitantem, sentiat stimulantem".
Audi jam Rupertum, de his atque alijs vilibus
animalculis, à Deo in aciem adversùs super-
bissimum Ægypti Regem ac proceres edu-
ctis, disserentem: E. Ecce, ait ille, quales
E. Rupert. l. 1. in Exod. cap. 31.
,, instruxit acies quibus ex ordinibus sua
,, castra complevit Dominus pugnando pro
,, Israël: ranæ, sciniphes, muscæ, atque lo-
,, custæ, fuerunt castrorum ejus acies; & ex
,, ejusmodi cohortibus totas contra fortes
,, Ægyptios composuit legiones. Singuli mi-
,, lites secundùm se quidem breves & infirmi,
,, sed pro exercitibus Pharaonis satis valentes
,, fuere, Duce imperio Dei. Nempe quod
,, multus hominum exercitus facere non po-
,, tuisset, istæ phalanges strenuâ peregêre
militiâ".

CDLXXVI. Si cui fortè Regum, aut cæte-
rorum terrenâ dignitate potestateque pollen-
tium, hæc consideratio minùs videatur ido-
nea, ad se humiliandum sub potenti manu Dei:
accipiat aliam, quæ acriùs feriat, utpote ex vi-
liorum adhuc animalculorum infestatione de-
sumptam. Viliores enim reputantur pediculi,
quàm sciniphes; & tamen Deus ad reprimen-
dum superbientium Procerum fastum, hujus-
modi bestiolarum legiones eduxit, instruxit,
armavit; & per eas non solùm Principatu,
sed & vitâ potentissimos subinde Magnates
spoliavit: exemplo sit sævissimus ille veteris
Synagogæ afflictor ac Dei contemptor *Antio-
chus* cognomento *Epiphanes*, de quo in Macha-
bæorum sacrâ Historiâ legitur: *Is qui sibi vi-*
2. Mach. 9. 8. & 9.
*debatur etiam fluctibus maris imperare, supra hu-
manum modum superbiâ repletus, & montium al-
titudines in statera appendens; nunc humiliatus ad
terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei
virtutem in semetipso contestans: ita ut de impij
corpore VERMES SCATURIRENT.* Hos vermes
de corpore impij scaturientes, Interpretes
passim

passim perhibent fuisse pediculos, qui Dei ultoris imperio velut in a. iem educti, hostem divinæ Religionis, Luciferianæ æmulum elationis, ita prostraverunt, ut exclamare compulsus sit: *Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Verùm quia hâc coactitiâ confessione nequaquàm avertit divinam indignationem, prosecutæ sunt vermium legiones inchoatam victoriam, usque ad victi excidium. Sequitur enim ibidem inferiùs: *Igitur homicida & blasphemus pessimè percussus, &, ut ipse alios tractaverat, peregrè in montibus miserabili obitu vitâ functus est.* Adjungatur huic primus ille Ecclesiæ Christianæ in suo capite persecutor *Herodes* Iudææ Rex, de cujus finali morbo loquens Iosephus: [P.] Vexa- ,, batur, inquit, intestinorum exulceratio- ,, ne, & colicis passionibus: pedes tumebant ,, phlegmate humido & pellucido, similiter ,, & inguina: ipsa quoque verenda putrefacta ,, SCATEBANT VERMICULIS, accedente fœdâ ,, nec minùs molestâ tentigine, non sine fœ- ,, tore gravissimo: super hæc omnia nervo- ,, rum contractione laborabat, & difficultate ,, anhelitus. Quamobrèm constans erat inter ,, viros divinos & fatidicos opinio, Regem ,, læsæ tot modis pietatis pœnas Deo expendere". Jungatur & huic alter Herodes, avo nepos, Petri Apostolorum Principis vinctor, Jacobi itidem Apostoli interemptor, de quo Lucas scribit in Actis: *Percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo; & consumptus à VERMIBUS expiravit.* Aliud exemplum non quidem in Rege, sed tamen in Magnate exhibitum, suggerit Tertullianus, ita scribens Scapulæ Præsidi Africano: [G.] Vigel- ,, lius Saturninus, qui primus hìc gladium in ,, nos (*Christianos*) egit, lumina amisit. Clau- ,, dius Herminianus in Cappadociâ, cùm, in- ,, dignè ferens uxorem suam ad hanc Sectam ,, transisse, Christianos crudeliter tractasset, ,, solusque in Prætorio suo vastatus peste cùm ,, vivus VERMIBUS EBULISSET, aiebat: *Nemo sciat, ne spe gaudeant Christiani*". Huc quoque revocandum fuerit exemplum in *Iuliano*, apostatæ Imperatoris sibi cognominis avunculo, exhibitum, & à nobis superiùs §. 53. relatum. Cui nunc addo exemplum Romani illius Imperatoris, *Galerij Maxentij*, quem alij *Maximinum*, alij *Maximianum* nominant: de quo Eusebius: [H.] Corripuit eum, inquit, supplicium ,, divinitùs illatum, initio ex ipsa ejus carne ,, sumpto, & progressu ad animam usque ,, facto. Etenim subita illi accidit in medijs ,, corporis arcanis suppuratio, deinde in imis ,, illorum ulcus fistulosum, & ex his vis quæ- ,, dam mali interiora viscera depascens, & ,, indicibilis multitudo VERMIUM ebulliens, & letbiferum fœtorem exhalans". Huic Imperatori addo Regem Wandalorum *Hunnericum*,

Ibid. v. 12.

Ibid. v. 28.

P. Ioseph. l. 17. Antiq. c. 8 alias 9.

Act. 12. 23.

G. Tertull. lib. ad Scapulam c. 3.

Vide supra § 53.

H. Euseb. l. 8. Hist. Eccles. cap. 16

atrocissimum Catholicorum in Africa persecutorem, de quo Victor Uticensis ait: [I.] To- ,, nuit sceleratissimus Hunnericus domina- ,, tionem Regni annis septem, mensibus de- ,, cem, meritorum suorum mortem consum- ,, mans: nam putrefactum, & ebulliens VER- ,, MIBUS non corpus, sed partes corporis ejus videntur esse sepultæ". Simili quoque morbo correptum paulò pòst expirasse *Nicasium* quendam, cjusdem Hunnerici in formando Edicto persecutorio administrum, ex Donatista pridem transitu facto Arianum, refert ibidem continuò Victor, subdens: " Et ille ,, legis dator & transversor, ex Donatianorum ,, hæresi ad eos (*VVandalos*) veniens quondam ,, Nicasius, in brevi simili morte perijt". Consimili quoque plagâ percussum perijsse *Cassandrum* Macedoniæ Regem, divini humanique juris contemptorem, testatur Pausanias in Bœoticis. *Syllam* item Dictatorem Romanum, omnis Religionis irrisorem, & sacrorum thesaurorum direptorem, eodem morbo vitam finivisse perhibet Plutarchus: [K.] Morbum aluit, inquiens, ex levi ortum ,, occasione, & perdiu exulcerata viscera sua ,, ignoravit. Hinc putrefactum corpus, & in ,, pediculos totum versum: ut cùm multi in- ,, terdiu & noctu eos tollerent, nullâ tamen ,, parte potuerit quod rejiciebatur æquare ,, quod succedebat; verùm omnes vestes, bal- ,, neum, pollubrum, cibus, illo replerentur ,, fluxu ac tabe: adeò suppullulabat. Ideò ,, sæpiùs die ingrediebatur balneum, abluens ,, & abstergens corpus. Cæterùm nihil profi- ,, ciebat: vincebat enim celeritate conversio, ,, superabatque copia omnem purgationem". Addit quoque ibidem Plutarchus plures alios eodem morbi genere extinctos, ut *Acastum, Calisthenem, Alcmana Poetam, Mutium Iurisconsultum, Ennum, Pherecydem*: quorum postremum, qui Pythagoræ Præceptor fuisse traditur, ille vocat *Theologum*; sed rectiùs dixisset *Atheum*. Nam ut ex Deliensium traditione refert Rhodiginus: [L.] Idcircò ei tetra illa plaga incussa ,, est, quòd tumidiùs insolentiùsque cum dis- ,, cipulis in Delo sedens, multa quidem de sa- ,, pientia sua ostentasset, sed & id reticere ne- ,, quisset, *se nulli unquàm Deorum immolasse, nec* ,, *tamen minùs prosperè vitam eatenùs transegisse, quàm qui Hecatombas subinde obtulissent*". Non desunt qui *Platonem* eodem morbo extinctum velint, referente id Laertio, atque dicente: [M.] Myronianus in Similibus ait Philonem ,, meminisse proverbij de *Platonis pediculis*, quasi sic ille defecerit". His antiquioribus exemplis addendum est recentius, *Arnulphi* Cæsaris, anno Christi 899. defuncti, de quo Sigebertus: [N.] *Arnulphus* Imperator, inquit, longâ ,, ægritudine dissolutus, vel, ut quidam ferunt, ,, afflictus à minutis vermibus, quos pedicu- los vo-

I. Victor Uticensis l. 5. de Persecut. Wandalica in fine.

Pausanias.

K. Plutarch. in Vita Syllæ.

L. Rhodiginus lib. 19. cap. 30.

Pherecydes.

M. Laert. l. 3. vitæ Philosophorum in Platone.

N. Sigebert. in Chronico ad annum Christi 902.

„los vocant, adeò in corpore ejus scaturien-„tibus, ut à nullo Medicorum minui possent, moritur". Et ante Sigebertum Luitprandus Ticinensis, postquàm dixisset, [O] Credere se, „Arnulphum Regem justâ severi Judicis cen-„sura pestem hujusmodi incurrisse: secundæ „enim res dum Imperium ejus ubique mag-„nificarent, virtuti suæ cuncta tribuit, non „debitum omnipotenti Deo reddidit. Sa-„cerdotes Dei trahebantur vincti, sacræ „virgines vi opprimebantur, conjugatæ vio-„labantur, nec Ecclesia confugientibus po-„terat esse asylum". Postquàm, inquàm, hæc ille præmisisset, subdidit inferiùs de eodem Cæsare:" Turpissimâ valetudine expiravit; „minutis quippe vermibus, quos pediculos „ajunt, vehementer afflictus, spiritum red-„didit. Fertur autem quòd præfati vermes „adeò scaturirent, ut nullis Medicorum curis „minui possent. Utrùm verò pro tam immen-„so scelere, Hungarorum scilicet immissione, „secundùm Prophetam, *Duplici sit contritione* „*contritus*; an ut ex præsenti supplicio conse-„queretur veniam in futuro, solius Dei „scientiæ dimittamus". Laudanda planè & identidem imitanda est hujus authoris modestia in eo, quòd non præsumat arrogare sibi certitudinem occultorum Dei judiciorum. Quamvis enim immissio fœdissimi istius morbi, quem Græci *phtiriasim*, nos *pedicularem* dicimus, plerunque fiat in ultionem culpæ, signanter superbiæ; nihil tamen vetat quo minùs subinde fiat in exercitium virtutis, vel in probationem meriti. Unde Augustinus generaliùs loquens de malis quibus humanum genus affligitur, ait: [P] Cùm majores „ista patiuntur, solemus dicere: aut, sicut „in Job, merita examinari; aut, sicut in He-„rode, peccata puniri:" Cujus sententiæ occasione non incommodè hìc inquiri potest, utrùm Beatus Job inter alias afflictiones passus sit etiam phtiriasim, sive morbum pedicularem? Et sanè cùm diabolus acceperit potestatem in corpus ejus, dicente ei Domino, *Ecce in manu tua est, verùmtamen animam ejus serva*: apparet verisimilius, inflictum ei fuisse à malignissimo tortore istum etiam morbum inter cæteros fœdissimum. Atque hoc ipsum exprobrari ei videtur à suâ uxore, dicente inter alia, juxta versionem 70. Interpretum, *In putredine vermium sedes*: innuit quoque ipse inferiùs, ubi ait, *Putredini dixi, pater meus es: mater mea, & soror mea, vermibus* & iterùm, *Qui comedunt me, non dormiunt*. Accedit eidem sententiæ robur, ex suffragijs veterum, ut inprimis Tertulliani, qui ait: [Q] Dissecabatur „Malus, quum Job immundam ulceris sui „redundantiam magnâ æquanimitate distrin-„geret; quum erumpentes BESTIOLAS inde, „in eosdem specus & pastus foraminosæ carnis ludendo revocaret". Necnon Cypriani, qui ait: [R] Quanta adversùs eum diaboli ja-„cula emissa? Quanta meta tormenta? Ja-„ctura rei familiaris infligitur, numerosæ „sobolis orbitas irrogatur: dives in censu „dominus, & in liberis pater ditior; nec „dominus repentè, nec pater est. Accedit „vulnerum vastitas, & tabescentes ac fluen-„tes artus edax quoque VERMIUM pœna consumit". Et rursùs lib. de Mortalitate:" Job „post rerum damna, post pignorum funera, „vulneribus quoque & VERMIBUS graviter „afflictus, non victus est". Item & Augustini, qui cùm numerasset damna externa Jobo illata, subjecit: [S] Aggressus est inimicus & „corpus; nec ea quæ homini extrinsecùs „inerant, sed ipsum jam hominem quà po-„tuit parte percussit: à capite usque ad pedes „ardebant dolores, scatebant VERMES, sanies „defluebat; manebat in corpore putrido animus integer". Necnon & Prosperi, qui de eodem loquens: [T] Percussum, inquit, gravi „vulnere, putrefactâ totius corporis compa-„gine, omnibus artubus solutis, sanie pro-„fluente, ebullientibus VERMIBUS, dum in „corpore integer animus consisteret, sensit „diabolus intrinsecùs fortem, quem forin-„secùs debilem æstimabat". Aliorum suffragia adducere supersedeo; cùm hæc sufficere præsenti scopo videantur: quibus luculenter apparet, Luitprandum prudenter dimisisse divino judicio exitum Cæsaris *Arnulphi*, qui fortassis non ideò Phtiriasi percussus fuit, ut periret; sed ut resipisceret.

[O] Luitp. lib. 1. cap. 9. Vide Baron. ad annum Christi 899.

Hier. 17. 18.

[P] August. Epist. 28. Vide Chrys. Homil. 3. de Patientia Job.

Job. 2. 6.

Ibid. n. 9. juxta 70.

Job. 17. 14.

Job 30. 17.

[Q] Tertull. lib. de Patientia c. 14.

[R] Cyprian. lib. de Bono Patientiæ. Vide Orig. lib. 2. in Job. & Basil. Homil. 23. & Zenonem Veron. Homil. de Job. & Chrysost. Homil. 18. in 1. ad Corinth. & Asterium Homil. *An liceat demittere uxorem?*

[S] August. lib. de Pœnitentia c. 13. Vide Concione 4. in Psal. 38.

[T] Prosper lib. de Promiss. & Prædict. Dei p. 1 cap. 23. Vide Greg. lib. 20. Moral. c. 31. aliàs 25. & Suidam in Dictionar. verbo *Job*. & Aug. in Psalm. 130. v. 1. & Chrysost. Hom. 1. de Patient. Job.

CAPUT

CAPUT CXXVI.

Armat Deus cunctas creaturas in ultionem inimicorum suorum; ut proinde non sit numerus militum ejus. Non solùm pro Deo, sed & cum Deo pugnat orbis terrarum contra insensatos. Cur Deus erucam dixerit virtutem suam magnam? *Pauli Orosij relatio prælij Marcomannici sub Marco Antonino Cæsare: & Claudiani Poëma de prælio Alpino sub Theodosio Cæsare. Centurionis Euangelici præclara professio potentiæ Christi, & promptitudinis creaturarum ad obsequendum ipsi. Quamvis Deus absque creaturarum ministerio omnia possit, ordinem tamen subalternationis instituere ac fovere maluit: ut omnia corpora per spiritum vitæ, & spiritus vitæ irrationalis per rationalem, & rationalis improbus per probum, & hic per ipsum Deum regatur. Nihil fit visibiliter in Mundo, quod non de invisibili aulâ summi Imperatoris jubeatur, aut permittatur. An omnia hominum flagella irrogentur ministerio Cacodæmonum? Expenditur quod scriptum est*: Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per Angelos malos. *Spiritus infestator Saulis dicitur* spiritus Dei, *& tamen* malus. *An* Angelus Domini *percussor Herodis bonus fuerit, an reprobus? Augustinus conciliatur cum Isidoro & Bedâ. Angelos* Lothi *hospites constat bonos fuisse, sed ministerium cacodæmonum in subversione Pentapoleos non constat omninò defuisse. Expenditur Psalmographi oraculum*: Non salvatur Rex per multam virtutem, & gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ. *Seneca & Horatij paræneses ad Reges potentiâ temporali affluentes.* Jovis *nomine Deum verum quidam Gentiles subindicarunt. Rex Regum Deus, universæ terræ imperans servienti, excutit virgam iniquorum de sorte justorum. Artabani ad Xerxem nepotem parænesis. Grandiora ac sublimiora plerunque caduciora. Deus neminem alium quàm seipsum sinit de se altum sapere.*

CDLXXVII Sap. 5. 18. PAtet igitur ex jam dictis quàm variè ac multipliciter *Accipiat armaturam zelus Domini, & armet creaturam ad ultionem inimicorum.* Patet præterea quàm scitè ille Jobi amicus non utique asserendo, sed negando percontatus Iob. 25. 3. sit de eodem Domino, *Nunquid est numerus militum ejus?* Quem locum, etsi plerique ad Angelorum multitudinem referant, nihil tamen vetat ad cæteras etiam creaturas ampliari: nulla quippe est creatura tam exilis, aut tam nihilo propinqua, quæ non in suo gradu ac ordine obsequatur Creatori, & ad ejus nutum militet. Unde scriptum est, Sap. 5. 21. *Pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos:* quis autem non videat denotari militiam, ubi audit pugnam? Militat proinde Deo contra insensatos orbis terrarum, quandoquidem *pugnet cum eo orbis terrarum contra insensatos.* Ubi observatu dignum est non dici, pro eo; sed, *cum eo.* Crebrò quippe accidit ut milites pugnent pro suo Rege domi otiante, nec cum ipsis in acie conpugnante: quando autem creaturæ militant pro Deo adversùs insensatos, pugnant cum Deo principaliter pugnante adversùs eosdem: *De cælo*, inquit Debbora, *Pugnatum est contra eos* (Reges Chanaan): *stellæ manentes in ordine & cursu suo adversùs Sisaram pugnaverunt.* Iudic. 5. 20. Et alibi similiter legitur: *Intonuit de cælo Dominus, & in sonitu magno auditam fecit vocem suam; & contrivit Principes Tyriorum, & omnes Duces Philisthym.* Eccli. 46. 20. & 21. De Machabæis quoque loquens Chrysostomus: v. Cùm aciem dirigerent, v Chrysost. in Psal 41.
„ inquit, & suas animas prodigerent, fundebant

„ bant adversarios; non armis fidentes, sed „ omnis armaturæ loco causam pugnæ sufficere ducentes. Ad bellum autem euntes „ non tragœdias excitabant, non pœana ca„ nebant, sicut nonnulli faciunt; non afcisce„ bant tibicines, ut fit in alijs castris: sed „ Dei supernè auxilium implorabant, ut ad„ esset, opem ferret, & manum præberet; „ propter quem bella gerebant, pro cujus causâ decertabant". Pridem quoque Rex Ezechias, animans suos ad pugnandum adversùs copiosissimum Assyriorum exercitum sub Rege Sennacherib: *Viriliter agite*, inquit, *& confortamini: nolite timere, nec paveatis Regem Assyriorum, & universam multitudinem quæ est cum eo: multò enim plures nobiscum sunt, quàm cum illo. Cum illo enim est brachium carneum; nobiscum Dominus Deus noster, qui auxiliator est noster, pugnatq; pro nobis.* Quapropter sicut rectè dixit Jonathas, *Non est Domino difficile salvare vel in multis, vel in paucis*: ita rectè pariter dici potest, Non est Domino difficile debellare hostes suos sive per res minimas, sive per maximas. Neque enim ei operosius fuit debellare Assyrios ministerio Angeli, quàm Ægyptios ministerio sciniphis. Unde ipse per Prophetam vocat erucam *Fortitudinem suam magnam*. In quem locum Hieronymus: [W] Quærimus, inquit, „ cur eruca *fortitudo* vel *Virtus Domini* appel„ letur; & non solùm *virtus*, sed *virtus magna*? „ Quomodò potentia Dei in Ægyptijs pla„ gis ostensa est per parva animalia, & præ„ cipuè per sciniphes, qui tam parvi sunt cu„ lices ut vix cernantur oculis: sic nunc in „ parvo tardoque vermiculo, qui vix moveri „ potest, & levi tactu conteritur, Dei po„ testas & humana fragilitas demonstratur. „ Non quòd Deus ad nutum suum & poten„ tiæ majestatem nequeat terras subvertere, „ & operire cuncta diluvio, vel fulmine con„ cremare: sed per parva, &, ut ità dicam, „ puncta corporum, ostendit humanam fragilitatem". Neque verò solis animantibus, sed rebus etiam inanimatis, quæ quolibet vivente viliores sunt, utitur Dominus ad executionem indignationis suæ, & humiliationem vel peremptionem adversariorum suorum. Unde scriptum est, quòd *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, faciant verbum eius.* Alibi quoque ipse indicat, *Fulgura à se missa ire, & revertentia dicere: Adsumus.* Patuit id in prælio Romani exercitus sub Marco Antonino Cæsare adversùs Marcomannos: in quo, ut refert Orosius, [X] Ad invocationem nominis „ Christi, quam subitò magnâ fidei constantiâ „ quidam milites effusi in preces palàm fece„ runt, tanta vis pluviæ effusa est, ut Roma„ nos quidem largissimè ac sine injuriâ refe„ cerit; Barbaros autem crebris FULMINUM „ ictibus perterritos, præsertim cùm pluri-

2. Par. 32. 7. & 8.

1. Reg. 14. 6.

Joel. 2. 25.

W. Hieron. in caput 2. Joelis v. 25.

Psal. 148. 8.

Job. 38. 35.

X. Paulus Orosius l. 7. Hist. c. 15. Vide Justin. Apologia 2. Pro Christianis, & Tertull. in Apolog. c. 5.

„ mi eorum occiderentur, in fugam coëgerit; „ quorum terga Romani usque ad interne„ cionem cædentes, gloriosissimam victoriam, „ & omnibus penè antiquorum titulis præfe„ rendam, rudi parvoque militum numero, „ sed potentissimo Christi auxilio, reportarunt". Simile quoque quidpiam accidit in prælio Theodosij adversùs Eugenium tyrannum, cujus felicem successum Claudianus Poëta perperàm ex gentili errore ascribit *fatis* Honorij, filij ejusdem Theodosij, à prælio alioqui absentis. Versus ipsius huc spectantes, sunt isti: [Y] *Victoria felix Auspicijs effecta tuis: pugnastis uterque, Tu FATIS, genitorque manu: te propter & Alpes Invadi faciles: cauto nec profuit hosti Munitis hæsisse locis: spes irrita valli Concidit, & scopulis patuerunt claustra revulsis. Te propter gelidis Aquilo de monte procellis Obruit adversas acies, revolutaq; tela Vertit in authores, & turbine reppulit hastas. O nimiùm dilecte Deo, cui fundit ab antris Aeolus armatas hiemes; cui militat æther, Et conjurati veniunt ad classica venti. Alpina rubuère nives, & Frigidus amnis Mutatis fumavit aquis: turbáq; cadentum Staret, ni rapidus iuvisset flumina sanguis.* Legimus in Euangelio, Christum *imperando ventis & mari, fecisse tranquillitatem magnam.* Ubi Hieronymus: [Z] Ex hoc loco, „ inquit, intelligimus, quòd omnes creaturæ „ sentiant Creatorem. Quas enim *increpavit*, „ & quibus imperavit, sentiunt imperantem: „ non errore hæreticorum, qui omnia putant „ animalia; sed majestate Conditoris, quæ „ apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt". Quam Conditoris majestatem magnâ cum devotione recognovit Centurio ille Euangelicus, qui Dominum interpellavit ut *solo verbo sanaret puerum suum.* Et mox argumento ex seipso petito probavit id non fore interpellato difficile: *Nam & ego*, inquiens, *homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; & dico huic: Vade, & vadit; & alij, Veni, & venit; & servo meo, Fac hoc, & facit.* Posuit antecedens, relinquens auditori vel lectori subinferendum consequens. Integrum ejus discursum sic effert Augustinus: [A] Potestas sum ego „ quibusdam sub me, positus sub potestate „ quâdam super me. Si ergo ego, homo sub „ potestate, jubendi habeo potestatem: quid „ tu possis, cui omnes serviunt potestates"? Cui consonans Chrysologus, eundem Centurionis discursum ita exprimit [B] Si ego, qui „ sum sub potestate constitutus, imperio ver„ bi solo facio mihi parêre subjectos; quomodo „ tu, qui nulli subjaces, & cujus omnia subja„ cent potestati, verbo non possis jubente cu„ rare, sanitatem mittere, mandare virtutes? „ An verbo reficere non potes, quod verbo „ fecisti: *Dixit*, inquit, *& facta sunt; mandavit, & creata sunt*? Aut aliquid ex aliquo repa„ rare non sufficias, qui cuncta ex nihilo parasti?

& Eusebium l. 5. Hist. c. 5. & Niceph. lib. 4. c. 12.

Y. Claudian. Panegyrico in consulatum 3. Honorij. Vide Aug. l. 5. de Civit. cap. 26. & Oros. lib 6. Hist. c. 01. & Rufin. l. 2. c. 33. & Socrat. l. 5. c. 25 & Sozomen. l. 7 c. 24. & Niceph. l. 12. cap. 39. & Paul. Diacon. l. 11.

Mat. 8. 26.

Z Hieron. in cap 8. Matthæi v. 26.

Luc. 8. 24.

Mat. 8. 8.

Ibid. v. 9.

A August. Serm. 6. de verb. Domini cap. 2.

B Chrysolog. serm. 102. Vide Serm. 15.

Ps. 148. 5.

Matt. 8. „ parasti? *Dic ergo verbo, & sanabitur puer*
Ps. 106. 20. „ *meus*. Implevit illud, quod Propheta cecinit:
„ *Misit verbum suum; & sanavit eos; & eripuit eos de corruptela eorum*".

CDLXXVIII. Existimat Hieronymus Centurionem illo suo discursu tacitè allusisse ad Angelos, divino nutui instar militum obsequentes: ut quemadmodùm ipse per milites sibi subditos poterat etiam absens succurrere egentibus ad se recurrentibus, ita à fortiori possit Dominus ministerio Angelorum sibi militantium subvenire puero pro quo venerat supplicatum: [C] Voluit ostendere, in-
C. Hieron. in c. 8 Matth. v. 9. „ quit, Dominum quoque non per adventum „ tantùm corporis, sed per Angelorum ministeria posse implere quod vellet". Cui consona est & illa Bedæ de eodem Centurione ratiocinante interpretatio, dicentis: [D] Homi-
D. Beda in c. 8 Matth. v. 9. Vide eund. in caput 7. Luc. v. 8. „ nem se potestati subditum dicit, & tamen „ se minoribus posse imperare: ut subaudia- „ tur, Quanto magis Deus super omnia om- „ nipotens, per Angelicam militiam dicere „ potest infirmitati ut recedat, & recedet; & sanitati ut veniat, & veniet"? *Raphaëlem*, qui interpretatur Medicina Dei, scimus missum esse ad sanandum Tobiam seniorem à plaga cæcitatis, & uxorem junioris ab infestatione dæmonis: ait quippe ipse eidem seniori To-
Tob. 12. 14. biæ jam illuminato, *Misit me Dominus, ut curarem te, & Saram uxorem filii tui à dæmonio liberarem*. Posset quidem Deus per seipsum immediatè absque cujusquam creaturæ ministerio tam bona præstare, quàm pœnas infligere, quàm denique inflictas abolere: sed plerunque diversam gubernandi normam observat, juxta quam inferiores per superiores creaturas administrat, ipso interim semper & ubique primatum gerente. Unde
E D. Thom. 1. p. q. 110. a. 1. ad Corp. Vide ibid. q. 104. a. 6. in Corp. & ad 2. & 3. Angelicus Doctor: [E] Sicut inferiores An- „ geli, inquit, qui habent formas minùs „ universales, reguntur per superiores: ita „ omnia corporalia reguntur per Angelos. „ Et hoc non solùm à Sanctis Doctoribus „ ponitur, sed etiam ab omnibus Philoso- „ phis, qui incorporeas substantias posuerunt". Eodem spectat & illud ejusdem lib. 3. contra Gentes cap. 78." Quia ad provi- „ dentiam divinam pertinet, ut ordo serve- „ tur in rebus; congruus autem ordo est, ut „ à supremis ad infima descendatur propor- „ tionaliter: oportet quòd divina providen- „ tia secundùm quandam proportionem usque „ ad res ultimas perveniat. Hæc autem pro- „ portio est, ut sicut supremæ creaturæ sunt „ sub Deo, & gubernantur ab ipso; ita infe- „ riores creaturæ sint sub superioribus, & regantur ab ipsis". Eandem subordinationem luculenter astruit Augustinus variis lo-
F. August. lib. 3 de Trinit. c. 4. cis, signanter ubi ait: [F] Oportet nos in hac „ peregrinatione priùs moraliter exerceri, &

„ per vires mansuetudinis & patientiæ in fla- „ gellis erudiri; ut illam supernam atque cæ- „ lestem, unde peregrinamur, patriam cogite- „ mus. Illic enim Dei voluntas, *Qui facit An-* Psal. 103. 4.
„ *gelos suos spiritus & ministros suos ignem flagrantem*, in spiritibus summâ pace atque „ amicitiâ copulatis; & in unam voluntatem „ quodam spirituali charitatis igne conflatis, „ tanquàm in excelsa & sancta & secreta sede „ præsidens, velut in domo sua & in templo „ suo, inde se quibusdam ordinatissimis crea- „ turæ motibus, primò spiritalibus, deindè „ corporalibus, per cuncta diffundit; & utitur „ omnibus ad incommutabile arbitrium sen- „ tentiæ suæ, sive incorporeis sive corporeis „ rebus, sive rationalibus sive irrationalibus „ spiritibus, sive bonis per ejus gratiam, sive „ malis per propriam voluntatem. Sed quem- „ admodùm corpora crassiora in inferiora, per „ subtiliora & potentiora quodam ordine re- „ guntur: ita omnia corpora per spiritum vitæ, „ & spiritus vitæ irrationalis per spiritum „ vitæ rationalem, & spiritus vitæ rationa- „ lis desertor atque peccator per spiritum rationalem pium & justum, & ille per ipsum „ Deum; ac sic universa creatura per Crea- „ torem suum, *Ex quo, & per quem, & in* Col. 1. 16.
„ *quo etiam condita atque instituta est*; ac per hoc, „ voluntas Dei est prima & summa causa om- „ nium corporalium specierum atque motio- „ num: nihil enim fit visibiliter & sensibili- „ ter, quod non de interiore, invisibili, atque „ intelligibili aulâ summi Imperatoris aut ju- „ beatur, aut permittatur; secundùm ineffa- „ bilem justitiam præmiorum atque pœnarum, „ gratiarum & retributionum, in ista totius „ creaturæ amplissimâ quâdam immensâque Republicâ". Cùm igitur hæc ita sint, meritò SCRUPULUS.
hîc inquiritur, quorumnam Angelorum ministerio utatur Deus in flagellandis hominibus, bonorum scilicet, an malorum? Quæstionem EXCUTITUR.
decidere videtur Isidorus, generaliter sentiens: [G] Quoties Deus quocunque flagello G. Isidorus lib. 3. Sentent. c. 10.
„ huic Mundo irascitur, ad ministerium vin- „ dictæ apostatæ Angeli mittuntur: qui ta- „ men divinâ potestate coercentur, ne tantum noceant, quantum cupiunt". Quam sententiam iisdem verbis tradit Beda tomo 8. li- Beda.
bro Variarum Quæstionum q. 9. Videri prætereà potest idem Beda superiùs in eodem tomo q. 8. super libro 1. Regum, ubi rationem Vide Chrysost. Homil. 3 de Poenit. ... Iob.
assignat cur spiritus infestator Saulis dictus sit 1. Reg. 18. 10.
Spiritus Dei, cùm fuerit *malus*. Quâ de re videri quoque potest Gregorius lib. 18. Moralium Gregorius.
cap. 3. aliàs 2. Videri similiter potest Hieronymus in Commentario Psalmi 34. ad illa verba, *Angelus Domini persequens eos*. Ubi censet Psal. 34. 6.
diabolum intelligi per *Angelum Domini*. Cui intelligentiæ favere videtur quod in libro Job scriptum est de Deo, *In Angelis suis reperit* Iob 4. 18.
pravita-

pravitatem. Ex quo apparet *pravitatem* non obstare quo minùs Deus apostatas dæmones reputet *Angelos suos*. Herodem legimus *Percussum fuisse ab Angelo Domini*. In quem locum Lorinus: [H] Cùm aliàs, inquit, demonstrave-
,, rim nomen *Angeli Domini* dici etiam de ma-
,, lo, quod voluit quoque Hieronymus; & pes-
,, simum hominem igni jam destinatum, *Qui*
,, *diabolo paratus est & Angelis eius*, magis con-
,, veniat vexari ab Angelo malo: prochvior
,, sum ut existimem, Angelum malum fuisse,
qui Herodem percusserit". De Ægyptijs loquens Psalmographus, dicit Deum *misisse in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immißiones per Angelos malos*. In quem locum Genebrardus: [I] Attingit, inquit,
,, plagam *deber*, id est, pestis, quâ cuncta pe-
,, cora in agris reperta, fuerunt absumpta; se-
,, orsim equi, asini, cameli, boves, oves, capræ,
,, in quibus præcipuæ Ægyptiorum fortunæ &
,, opes consistebant. Fortassis etiam quia coa-
,, cervat tot tristia vocabula, *excandescentiam*
,, *naris, indignationem, iram, tribulationes, immis-*
,, *siones* denique *cacodæmonum*, complectitur
,, cunctas plagas quas transilierat, nempe ter-
,, tiam *pediculorum*, sextam *ulcerum & pustula-*
,, *rum*, nonam *tenebrationis & horrendæ caliginis*:
,, ut cuique vocabulo sua per ordinem tribua-
,, tur. Sic, verbi gratiâ, *Ira indignationis*, sive,
,, ut in fonte, *excandescentia naris*, propriè pe-
,, diculis respondebit: *Indignatio*, pesti animan-
,, tium: *Ira*, ulceribus & pustulis: *Tribulatio*
,, sive *angustia*, triduanis tenebris: *Immißiones*
,, autem *malorum Angelorum*, universè omnibus.
,, *Immißiones*, appositoriè, id est, calamitates ab
,, Angelis malis immissas: Deus enim istis pro
carnificibus utitur". Quod postremum ne cui fortè videatur indecens, aut divinæ Majestati benignitative parùm consentaneum, audiat Augustinum in ejusdem versiculi explanatione ita scribentem: [K] De Angelis malis in isto
,, Psalmo, cùm de ipsis plagis loqueretur, sic
,, interpositum est, quod non transitoriè præ-
,, tereundum est: *Misit in eos*, inquit, *iram indi-*
,, *gnationis suæ, indignationem, & iram, & tribu-*
,, *lationem, immißiones per Angelos malos*. Esse au-
,, tem diabolum & Angelos ejus tam malos
,, utique, ut eis ignis præparetur æternus, nul-
,, lus fidelis ignorat: sed immitti per eos im-
,, missionem super quoslibet à Domino Deo,
,, quos hâc pœnâ judicat dignos, durum vide-
,, tur eis, qui minùs idonei sunt cogitare, quem-
,, admodùm summa Dei justitia bene utatur
,, etiam malis: quos quidem, quantùm pertinet
,, ad eorum substantiam, quis alius quàm ipse
,, fecit? Sed malos ipse non fecit, utitur tamen
,, eis qui bonus est benè, id est, convenienter
,, & justè; sicut è contrà iniqui creaturis ejus
,, bonis utuntur malè. Utitur ergo Deus An-
,, gelis malis non solùm ad puniendos malos,
,, sicut in istis omnibus de quibus loquitur
,, Psalmus; sicut in Rege Achab, quem *Fallaciæ*
,, *spiritus ex Dei voluntate seduxit*, ut caderet in
,, bello: verùm etiam ad probandos & mani-
,, festandos bonos, sicut fecit in Job. Quod
,, autem pertinet ad istam materiam corpora-
,, lem visibilium elementorum, puto quòd eâ
,, uti possint Angeli & boni & mali; quantùm
,, cuique potestas est, quemadmodùm & homi-
,, nes boni malique utuntur talibus quantùm
,, possunt pro modulo infirmitatis humanæ:
,, nam & terrâ utimur, & aquâ, & aëre, &
,, igne, non solùm in necessarijs rebus susten-
,, tationis nostræ, verùmetiam in multis super-
,, fluis & ludicris, & mirabiliter artificiosis
operibus". Non asserit hìc Augustinus Deum semper plectere homines ministerio malorum Angelorum, quod tamen Isidorus & Beda superiùs innuere videntur: quinimò contrarium astruere videtur inferiùs ibidem exemplo Angelorum apud *Loth hospitio exceptorum*; qui cùm boni essent, Sodomitas cæcitate primùm percusserunt, ac deinde miserabiliter peremerunt. Unde & idem alibi occasione Pauli *per Angelum Satanæ colaphizati*, ait de eodem Paulo: [L] Ne extolleretur tanquàm juvenis, co-
,, laphizatur tanquàm puer, & à quo? Ab An-
,, gelo Satanæ. Quid est hoc? Dolore quodam
,, corporis traditur exagitatus vehementer.
,, Dolores autem corporum PLERUNQUE
,, immittuntur ab Angelis Satanæ, sed hoc non
,, possunt nisi permissi: nam & Job sanctus sic
,, probatus est, permissus est ad eum proban-
,, dum satanas: & percussit eum vulnere, ut ver-
mibus putresceret". Ubi noluit dicere dolores corporum semper immitti ab Angelis satanæ, sed *plerunque*. Nihilominùs qui vellet sententiæ ex Isidoro & Bedâ relatæ insistere, posset respondere, Augustinum asseruisse quidem quod certum ei fuerat, sed non negasse quod alij asseruerunt; cæterùm argumento ex hospitibus Lothi desumpto rectè probari bonos Angelos subinde mitti ad plectendos peccatores, sed tanquam honorarios Iustitiarios, quorum nutu ac directione dæmones tanquàm carnifices executionem perficiant: ut proindè pœnarum inflictio utriusque in suo ordine attribui possit, sicut malefactorum peremptio Prætori & Carnifici in Republica humana.

CDLXXIX. Cùm igitur nulla prorsùs sit creatura à supremis spiritibus non modò ad extremos usque vermiculos, sed usque ad ipsas etiam reculas inanimes, quam Deus ad ultionem inimicorum suorum in suo respectivè ordine non armet: planum est, rectè ab illo Jobi amico dictum fuisse sub forma quidem interrogationis, sed in sensu negationis, *Numquid est numerus militum eius?* Ex quo ulteriùs fit, verissimè dixisse Beatum ipsum Jobum, *Neminem posse de manu eius eruere*. Unde & Psalmo-

Marginal notes: Act. 12. 21. — H. Lorin. in caput 12. Actor. v. 23. Vide eund. in caput 5. Actor. v. 19. Vide Suarez lib. 8 de Angelis c. 10 — Matth. 25. 41. — Psal 77. 49. — I. Genebrardus in Psal. 77. — K. August. in Psalm. 77. v. 49. — 3 Reg. 22. — Gen. 19. 11 — 2. Cor. 12. 7. — L. Aug in Psal. 130. Vide Pinedam in cap. 2. Iob. v. 7. & 8. — Iob 25. 3. — Iob 10. 7.

Psalmographus, non sine speciali Regiæ potestatis expressione, ait: *Non salvatur REX per multam virtutem, & gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.* [Psal. 32. 16.] Atque hinc est quòd alibi clamet ipse ad eum de cujus manu nemo potest eruere, *Domine salvum fac Regem:* [Psal. 19. 10.] M Non exer„citus militaris quantavis munitio, inquit Ba„silius, non civitatum mœnia, non peditum „phalanx, non equestris turma, non navalis „muniminis præparatio Regi salutem parit: „Dominus enim Reges constituit, & destituit sive transfert". [M. Basil. in Psal. 32. v. 16.] Et Theodoretus: N. Ex rerum „eventu didicimus, inquit, non oportere nos „fidere corporis robori, non animi fortitu„dini, non equorum velocitati, non subdito„rum multitudini. Omnibus enim his Senna„cherib affluens, nihil adjumenti indè percepit, sed extremam perniciem passus est". [N Theodoret. in Psal. 32 v. 16. & & 17.] Pulchrè admodùm & appositè Seneca Tragœdus: O. *Ima permutat brevis hora summis: Ille qui donat diadema fronti, Quem genu nixæ tremuere gentes, Cujus ad nutum posuère bella Medus, & Phœbi propioris Indus, Et Daca Parthis equitem minati; Anxius sceptrum tenet, & moventes Cuncta divinat, metuitque casus Mobiles rerum, dubiumque tempus. Vos quibus rector maris atque terræ Jus dedit magnum necis atque vitæ, Ponite inflatos tumidosque vultus: Quicquid à vobis minor extimescit, Maior hoc vobis Dominus minatur: Omne sub regno graviore regnum est. Quem dies vidit veniens superbum, Hunc dies vidit fugiens iacentem. Nemo confidat nimium secundis, nemo desperet meliora lapsis: Miscet hæc illis, prohibetque Cloto Stare fortunam, rotatque fatum. Nemo tam divos habuit faventes, Crastinum ut posset sibi polliceri. Res Deus nostras celeri citatas Turbine versat.* [O. Seneca in Tyeste Act. 2. in fine.] Sublatis hinc pauculis Gentilitiæ superstitionis vocabulis, qualia sunt *Cloto, fortuna, fatum, divos*; pro quibus una veri Dei providentia cogitanda venit: residuum continet sublimem eruditionem, & salubrem pro Regibus admonitionem: uti & illud Horatij tetrastichon: P. *Regum timendorum in proprios greges, Reges in ipsos imperium est Iovis, Clari giganteo triumpho, Cuncta supercilio moventis.* [P Horatius lib. 3. Carm. Ode 1.] Ubi meritò occurrat illud Minutij: Q. Qui *Iovem* Prin„cipem volunt, falluntur in nomine, sed de una potestate consentiunt". [Q. Minutius in Octavio.] Et illud item Lactantij: R. Zenon rerum naturæ dispositorem „atque Opificem universitatis *Logon* prædicat; „quem & *fatum*, & *necessitatem rerum*, & *Deum*, „& *animum Iovis* nuncupat: eâ scilicet consue„tudine, quâ solent *Iovem* pro Deo accipere. „Sed nihil obstant verba, cùm sententia con„gruat veritati: est enim spiritus Dei, quem ille *animum Iovis* nominavit". [R. Lactant. l. 4 c. 9. Vide Tertul. l. ad Scapulam c. 4. & Aug. lib. 19. de Civit. c. 22. & l. 1. de consensu Evang. cap. 22. & 23.] Hâc ergò limâ adhibitâ, Horatianum illud metrum salutarem continet eruditionem Regum, quâ discant ac recogitent præesse sibi summum Regem, qui suo cuncta supercilio moveat, atque in ipsorum non tantùm facta & dicta, sed & cogitata quantumlibet abstrusa inquirat; cujus inspectionem nihil lateat, cujus fortitudini nihil prævaleat: de quo scriptum est, *Non salvat impios, & iudicium pauperibus tribuit.* [Iob. 36 6.] De quo item scriptum est, *Dominus non elongabit, sed iudicabit in illos, & faciet iudicium; & Fortissimus non habebit in illis patientiam, ut contribulet dorsum ipsorum: & gentibus reddet vindictam, donec tollat plenitudinem superborum, & sceptra iniquorum contribulet.* [Eccli. 35. 22. & 23.] Inde est & illud Ecclesiastis: *Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & subverti iustitiam in provincia, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij, & insuper universæ terræ Rex imperat servienti.* [Eccle. 5. 7. & 8.] Hoc est, interprete Olympiodoro: S. Quotiescunque videris ino„pes à potentioribus calumniâ & largitioni„bus premi, ne admireris, hoc est, ne ita ob „hoc indigneris, ut fluitare Mundum sine ulla „providentia suspiceris. Deus enim super om„nes excelsus, omnia speculans, & observans „quæ ab ipsis patrantur qui sibi videntur ex„celsi, locupletes, & gloriosi, reddet unicuique pro suorum operum dignitate". [S. Olymp. in caput 5. Ecclesiast.] Huc quoque spectat illa Proverbiastis admonitio: *Non facias violentiam pauperi, quia pauper est; neque conteras egenum in porta: quia iudicabit Dominus causam eius, & configet eos qui confixerunt animam eius:* [Prov. 22. 22. & 23.] & illa item Psalmographi consolatio, pariter & comminatio; consolatio quidem proprijs subditis, comminatio adversùs iniquos oppressores, *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum:* [Psal. 124. 3.] T. Quasi dicat, „inquit Genebrardus, Non permittet Deus „impios diu dominari in bonos, nullus tyran„nus diu justis imperabit, ne hi fiant impij, „exemplo & prosperitate istorum incitati, vel impatientiâ victi". [T. Genebr. in Psal. 124] Unde & Mathathias in exhortatione finali ad filios: *A verbis viri peccatoris*, inquit, *ne timueritis; quia gloria eius ut stercus & vermis est: hodie extollitur, & cras non invenietur.* [1. Mach. 2. 62. & 63.] Ubi de Rege *Antiocho Epiphane* signatè quidem loquitur, sed quod de uno illo dicit, ad cæteros impietate fastuque consimiles jure merito ampliatur. [Vide de hoc Antiocho supra §. 476.] Quamobrem Ecclesiasticus indefinitè ait: *Rex hodie est, & cras morietur.* Ubi proximo versiculo præmittitur, *Omnis potentatus brevis vita.* [Eccli. 10 12. Ibid. v. 11.] Notat autem scitè del Rio *potentatum* sumi pro potente tyranno: idque satis innuit subjunctus illicò contextus iste, *Languor prolixior gravat Medicum, brevem languorem præcidit Medicus.* [Ibidem] Sermo igitur præcedens intelligi debet de *potentatu*, qui instar *languoris* seu morbi exitialis affligit corpus Reipublicæ, quem Deus tanquàm peritus Medicus præcidit, ne fiat quod ibidem præmissum fuerat, *Rex insipiens perdet populum suum:* [Ibid. v. 3.] V. Sunt tyranni, ait del Rio, pe„stes & carcinomata generis humani, quod „illis non minùs gravatur, quàm corpus gan- [V. del Rio Adagio 586.]

,,græna: Deus itaque se gerit more prudentis ,, Medici, qui malum proserpens resecat, & ,, exurit; & omni conatu nititur efficere ne ,, per moram longiorem ægritudo invalescat: ,, ita Deus brevem hisce vitam esse statuit, ne ,, fiant deteriores, & in dies difficilior sanatio ,, reddatur. Hoc enim volunt ista, *Omnis po-* ,, *tentatus brevis vita. Languor prolixior gravat* ,, *Medicum; brevem languorem præcidit Medicus:* ,, *sic & Rex hodie est, & cras morietur. Potentatus* ,, pro potente tyranno ponitur: & ideò non ,, pugnant hæc cum eo, quòd David potentio-

Ps. 89. 10.

,, ribus longiorem vitam adscripsit, *Dies anno-* ,, *rum nostrorum in ipsis, septuaginta anni: si au-* ,, *tem in potentatibus, octoginta anni.* Nam hìc ,, de robustiore corporis constitutione, non de dominio & sceptris est sermo". Congruenter omninò huic proposito scribit Petrus Gregorius: [W] Vetus est dictum, inquiens, *Ty-* ,, *rannos Principes rarissimè senescere:* propter ,, varia scilicet pericula quibus involvuntur, ,, ut quàm ægerrimè communem livoris ,, & periculi sortem possint evadere: & pau- ,, cissimi fuerunt qui suo fato seu morte naturali perierunt". Huc quoque spectat illud Satyrici: [X] *Ad generum Cereris sine cæde & vulnere pauci Descendunt Reges, & siccâ morte tyranni.* Hoc igitur est quod Ecclesiasticus ait, *Omnis potentatus brevis vita:* & quod Regius item Psaltes clamat, *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos:* [Y] Quemadmodùm ,, enim is qui in puteum luto & cœno refer- ,, tum lapsus est, mortem effugere non potest: ,,sic qui à Deo punitur, aliundè salutem inve- ,, nire nequit: *Viri sanguinum & dolosi non di-* ,, *midiabunt dies suos:* Hîs enim qui cum cæde ,, & dolo vivere elegerint, celerem mortem ,, Deus afferet, non permittens ut legitimum tempus vivant". Quod maximè locum habet in tyrannis, quibus familiare est pellem induere modò leoninam, modò vulpinam; atque sub leonina sanguinem fundere, sub vulpina dolos nectere: omnem namque vultum induunt, prout opportunum superbæ suæ ambitioni exsaturandæ censent. Sed Deo obsistente aut non proficiunt, aut certè momentaneè tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant: *Deus enim superbis resistit.* Unde Artabanus Histaspis filius, tumidi Xerxis Persarum Regis patruus, eidem Xerxi bellum Græciæ minitanti aiebat: [Z] Vides ut prægrandia ani- ,, malia Deus fulmine feriat, nec sinat inso- ,, lescere; parva verò ne vellicet quidem? Vi- ,, des ut magna semper ædificia, magnasque ,, arbores, fulminum tela percutiant? Gaudet ,, enim Deus eminentissima quæque depri- ,, mere: undè & ingens exercitus ab exiguo ,, profligatur, quoties Deus ijs quibus invi- ,, det incutit metum immittitve tonitruum. ,, Propterea quidam, secùs ac dignitas sua ,, postulabat, in calamitatem inciderunt; quia ,, Deus neminem alium quàm seipsum sinit magnificè de se sentire". Breviter & appositè Tragicus, [A] *Sequitur superbos ultor à tergo Deus.*

W. Pet. Gregor. l. 6. de Rep. c. 19. n. 7.

X. Iuvenal. Satyr. 10.

Ps. 54. 24.

Y. Theodoret. in Psal. 54 v. 24.

Iac. 4. 6.

Z. Artabanus apud Herodotum lib. 7.

A. Seneca in Hercul. furente.

CAPUT

CAPVT CXXVII.

Salomon Regum sapientissimus, & per eum divinus Spiritus, invitat Reges ad audiendum ac perdiscendum politicum documentum, quo percepto norint quid agere debeant, ut perennent; quid cavere, ne excidant. Ejusdem in regendo dignitas, & in docendo authoritas. Cur dicatur Impletus quasi flumen sapientiâ*? Augustini velut novi Salomonis quædam peculiaria elogia, quibus sapientiæ cum aquâ subinnuitur analogia. Anima humana ad contemplandam condita Trinitatem, nihil ardentius sitit quàm veritatem. Corporalium à spiritalibus delicijs discerniculum, ex Gregorio. Salomon sine fictione sapientiam didicit, & sine invidiâ communicavit. Sapientia inaniter possidetur, si absconditur. Scire ut scias, curiositatis est: scire ut sciaris, vanitatis: scire ut lucreris, aviditatis: scire ut ædifices, charitatis: scire ut ædificeris, studiositatis. Quantus Procerum etiam longinquorum confluxus ad Salomonis auditorium? Titi Livij suo ævo celebritas, & confluentium auscultatorum crebritas. Primus ardor discendi, nobilitas est Magistri. Non est cur dedignentur Reges sapientiam discere à Rege. Qualem vitæ exitum sortitus sit Salomon? Ut ruerit Salomon, stat Salomonis opus. Non derogat hagiographis scriptis funestus exitus Scriptoris: & cur? Reprobi multiformiter inserviunt electis. Non obest aliquid, imò etiam prodest ad majorem notitiam famamq́ veritatis, quòd de illâ etiam hi quicquid norunt dicant, qui ei pravis moribus contradicunt. Quisquis bonus verusque Dei cultor est, Domini sui esse intelligat, ubicunque invenerit veritatem. Cælo tonante ranæ sileant. Vox Domini confringit cedros.*

CDLXXX. INvitat Regum sapientissimus, imò per ipsum Deus evector humilium ac depressor sublimium, Reges indiscriminatim universos, ut audiant, discant, & intelligant quid sibi agendum sit, ut perennent; quid item cavendum, ne
Sap. 6. 2. & seq. excidant: *Audite Reges*, inquiens, *& intelligite, discite judices finium terræ; præbete aures vos, qui continetis multitudinem, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cùm essetis ministri Regni illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam judicium durissimũ his qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus: fortioribus autem fortior instat cruciatio. Ad vos ergo, Reges, sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, & non excidatis. Qui enim custodierint justa justè, justificabuntur: & qui didicerint ista, invenient quid respondeant.* Jam suprà præmonui, invitari hìc Reges ad audientiam & intelligentiam à Rege, & quidem sapientissimo, quin & divinitùs afflato. Regem quippe se fuisse, & signanter in illo populo regnasse *Cui credita sunt eloquia* Rom. 3. 2.
Dei, testatur ipse cùm inferiùs in eodem libro
ait Deo: *Tu elegisti me Regem populo tuo, & Ju-* Sap. 9. 7. & 8.
dicem filiorum tuorum & filiarum: & dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, & in civitate habitationis tuæ altare. Quæ verba sine ullâ ambiguitate Salomonem denotant, qui alibi ait
Deo: *Tu me fecisti Regem super populum tuum:* & 2. Par 1. 8.
item alibi, *Dabis servo tuo cor docile, ut populum* 3 Reg. 3. 9.
tuũ judicare possit: De quo & David in fine die-
rum suorum ait, *Elegit Salomonem filium meum, ut* 1. Reg. 28. 5. & 6.
sederet in throno regni Domini super Israël, dixitq́ mihi: Salomon filius tuus ædificabit domum meam, & atria mea. Alibi quoque de altaris erectione signatè legitur, *Fecit Salomon omnia vasa in*
domo Domini: altare aureum; & mensam su- 3. Reg 7. 48.
per quam ponerentur panes propositionis, auream.

De loco

2. Par. 3. 1. De loco denique ædificationis scriptum est, *Cœpit Salomon ædificare domum Domini in Hierusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat David patri ejus.* Fuit autem *Moria* pars montis *Sion*, Ioel. 3. 17. qui crebrò in Scripturis *Mons sanctus* dicitur; Ps. 131. 13. quoniam *elegit eum Dominus in habitationem sibi.* Planum igitur est non alium quàm Salomonẽ denotari prædictis verbis, quibus author libri Sapientiæ dignitatem suam Regiam super populo Domini, & injunctam sibi ædificationem templi & altaris Domini, in monte sancto, & Civitate habitationis Domini, commemorat. Hoc ergo supposito ambigi nequit, quin idem ille Regum commonitor sapientiâ excelluerit, dicente Scripturâ: *Dedit* 3 Reg. 4. 29. & seqq. *Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quasi arenam quæ est in littore maris. Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium, & Aegyptiorum: & erat sapientior cunctis hominibus.* Ipse item de Eccle. 1. 16. seipso alibi ait, *Præcessi omnes sapientiâ qui fuerunt ante me in Hierusalem.* Eidem denique acclamit Eccli. 47. 16. Syracides: *Impletus es, quasi flumen sapientiâ, & terram retexit anima tua.* Video Augustinum à quodam insigni Poëta comparari non tam flumini, quàm fonti flumina diffundenti. B. Baptista Mantuanus l. 3. de vita Nicolai Tolentini. Ait quippe de ipso: [B] *Iste novum terris sydus fuit omnia regna, Ut tuba quæ magnis totum clangoribus orbem Impleat, exclamans Christi nova castra vocabat. Romano sermone potens, mysteria sacris Hausta libris, ut FONS latis amplissima ripis FLUMINA DIFFUNDENS, per mille volumina misit. Doctrinis, ut Sol radiis, fulgebat: & omne Quod Graii, quod Phœnices scivere, quod Indi, Niligenæque Sacerdotes, Babylonica templa, Doctus erat: cælum, manes, elementa, Deumque.* Sic ille, imitatus Prosperum Aquitanicum, & Paulinum Nolanum: quorum prior de Augustino loquens ait: C. Prosper l. de Ingrat. cap. 3. [C] *Ipsius ore Flumina librorum Mundum effluxere per omnem, Quæ mites humilesque bibunt, campisque animorum Certant vitalis doctrinæ immittere rivos.* Posterior denique ipsum Augustinum per Epistolam alloquens: D. Paulin. Epist. 41. quæ inter Augustinianas est 33. Jo. 4. 14. Ps. 62. 2. [D] Os tuum, inquit, fistulam „ aquæ vivæ & venam fontis æterni meritò „ dixerim: quia fons vitæ *aquæ salientis in vitam* „ *æternam* Christus effectus est; cujus desiderio „ *sitivit in te anima mea*, & ubertate tui FLUMINIS inebriari terra mea concupivit". Victor item Uticensis loquens de tempore obsidionis Hipponensis per Wandalos cœptæ: E. Victor Uticensis lib. 1. de persecut. Wandal. [E] Lâ „ tempestate, inquit, Hipponeregiorum ob„ sessa est civitas, quam omni laude dignus „ B. Augustinus, librorum multorum confe„ ctor, Pontifex gubernabat: tunc illud „ ELOQUENTIÆ, quod ubertim per omnes Ec„ clesiæ campos decurrebat, ipso metu sicca„ tum est FLUMEN, atque dulcedo suavitatis „ dulciùs propinata in amaritudinem absinthij „ versa est: ut Davidicum præconium con- Ps. 38. 2. & 3. „ veniret, *Dum consisteret peccator adversum me, obmutui, & humiliatus sum, & silui a bonis*". Quæ obiter dicta sint occasione Salomonis, *impleti, quasi flumen, sapientiâ.* Quâ phrasi notatur abundantia sapientiæ ejus, quæ non rivulo, sed flumini comparari meruit. Unde & Psalmographus volens ostendere quàm copiosam aquam eduxerit Deus de petrâ in Deserto, non contentus est dicere, *Eduxit aquam de petrâ;* sed continuò adjecit, *& deduxit tanquam flumina aquas*, Ps. 77. 16. id est, copiosè, largiter, abundanter: præmiserat enim proximo versiculo, *Interrupit petram in eremo, & adaquavit eos velut in abysso multâ.* Ibid. v. 15. Cùm ergò Salomon dicitur, *impletus, quasi flumen, sapientiâ*, ubertas ac profunditas sapientiæ ejus innuitur. Habet porrò sapientia analogiam quandam cum aquâ in eo signanter, quòd sicut aqua servit ad sedandam sitim corporalem, ita sapientia ad sedandam spiritalem: [F] Quid enim, inquit Au- F. August. Tract. 26. in Joan. „ gustinus, fortiùs desiderat anima, quàm ve„ ritatem? Quò avidas fauces habere debet, „ unde optare ut sanum sit intùs palatum vera „ judicandi, nisi ut manducet & bibat sa„ pientiam, justitiam, veritatem, æternitatem"? Cùm ergo anima nihil fortiùs desideret quàm veritatem, proculdubiò sitit veritatem: ac per hoc cùm non nisi per sapientiam assequatur veritatem quam sitit, sapientia præstat faucibus animæ, quod aqua præstat faucibus corporis. Unde in Ecclesiastico legitur quòd Justitia sectatorem suum *Cibabit pane vitæ & intellectûs, & aquâ sapientiæ salutaris potabit illum.* Eccli. 15. 3. Quid est autem aliud *aqua sapientiæ*, quàm ipsa sapientia, id præstans animæ sitienti, quod aqua corpori sitienti? Subest tamen nonnihil discriminis, quale statuit Gregorius generaliter inter delicias corporales, & spiritales, dicens: [G] Corporales G. Gregor. Homil. 36. in Euangelia. „ deliciæ cùm non habentur grave in se desi„ derium accendunt, cùm verò avidè eduntur „ comedentem protinùs in fastidium per sa„ tietatem vertunt: at verò spiritales deliciæ „ cùm non habentur in fastidio sunt, cùm „ verò habentur sunt in desiderio; tantoque „ à comedente ampliùs esuriuntur, quantò „ & ab esuriente ampliùs comeduntur. In „ illis appetitus placet, experientia displicet: „ in istis appetitus vilis est, & experientia „ magis placet. In illis appetitus saturitatem, „ saturitas fastidium generat: in istis autem „ appetitus saturitatem, saturitas appetitum „ parit. Augent enim spiritales deliciæ desi„ derium in mente, dum satiant: quia quanto „ magis earum sapor percipitur, eo ampliùs „ cognoscitur quod avidiùs ametur; & idcircò „ non habitæ amari non possunt, quia earum sapor ignoratur".

CDLXXXI. Spiritales divitias, quarum non modica pars est sapientia, adamavit ardenter Rex Salomon; non ut reconderet, sed ut effun-

Sap. 7. 10. & seqq. ut effunderet. Unde ait de ea: *Super salutem*
& speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere
illam; quoniam inextinguibile est lumen illius. Vene-
runt autem mihi omnia bona pariter cum illâ, &
innumerabilis honestas per manus illius, & lætatus
sum in omnibus: quoniam antecedebat me ista Sapien-
tia, & ignorabam quoniam horum omnium mater est.
Quam sine fictione didici, & sine invidiâ communico,
& honestatem illius non abscondo. Erudivit quip-
pè eum mater illa bonorum omnium Sapien-
tia, quam tantoperè dilexit, ut, non solùm
scienda simpliciter pernosceret, sed & ipsum
insuper sciendi modum calleret; qui, teste
H. Bernard. Serm. 36. in Cantica. Bernardo, in hoc situs est: [H] Ut scias quo
„ ordine, quo studio, quo fine quæque nosse
„ oporteat: quo ordine, ut id prius, quod
„ maturius ad salutem: quo studio, ut id ar-
„ dentiùs, quod vehementius ad amorem:
„ quo fine, ut non ad inanem gloriam, aut
„ curiositatem, aut aliquid simile; sed tan-
„ tùm ad ædificationem tuam, vel proximi.
„ Sunt namque, qui scire volunt eo tantùm
„ fine ut sciant, & turpis curiositas est: &
„ sunt qui scire volunt ut sciantur ipsi, & tur-
„ pis vanitas est. Qui profectò non evadent
„ subsannantem Satyricum, & ei qui ejusmodi
„ est decantantem: *scire tuum nihil est, nisi te scire*
„ *hoc sciat alter*. Et sunt item qui scire volunt
„ ut scientiam suam vendant, verbi gratiâ,
„ pro pecuniâ, pro honoribus; & turpis
„ quæstus est. Sed sunt quoque qui scire vo-
„ lunt ut ædificent, & charitas est: & item
„ qui scire volunt ut ædificentur, & pruden-
„ tia est. Horum omnium soli ultimi duo
„ non inveniuntur in abusione scientiæ, quip-
„ pe qui ad hoc volunt intelligere ut bene
faciant". Hunc ergo sciendi modum ab ipsâ
Sapientiâ, *bonorum omnium matre*, edoctus
Salomon, profitetur se eandem Sapientiam,
quam sine fictione didicerat, sine invidiâ communicare.
Testatur sanè Pineda erexisse Salomonem
Hierosolymis publicum Sapientiæ Gymna-
sium, in quo ipse, confluentibus undique au-
I Pineda l. 4 Prævij Salomonis c. 8. ditoribus, docuerit: [I] Rex sapientissimus, ait
„ ille, cogitat de ædificandâ Academiâ &
„ Gymnasio publico in ipsâ civitate regiâ,
„ id est, in arce Sion; &, ut creditur, juxta
„ domum ipsam regiam: de quo videtur id
„ accipiendum, quod ipse Salomon Sapientiæ
Prov. 9. 1. „ nomine dicit Proverb. 9. 1. *Sapientia ædifica-*
vit sibi domum &c." De eodem & Gresollius
K Ludovic. Cresollius lib. 2. Mystagogi c. 14. Vide Chrysost. in Psal. 47. & Middendorp. l. 2. de Academijs Orbis. 4. Reg. 22. 14 Eccli. 51. 31. in suo Mystagogo: [K] Illustrissimum fuit
„ Gymnasium, inquit, quod in monte Sion
„ opere pulcherrimo atque regio extructum
„ fuit; quodque lib. 4. Reg. appellatur *Domus*
„ *doctrinæ* ut Pagninus vertit, & in Ecclesiasti-
„ co *Domus disciplinæ*: Sanctus Joannes Chry-
„ sostomus vocat *Scholam orbis terrarum*, ab ea-
„ que *manare* dicit *fontes Philosophiæ*: Chaldæus
„ Paraphrastes in cap. 2. Cantic. *Gymnasium do-*
„ *ctrinæ Dei*. Nominatur etiam in divinis lit-
„ teris *Turris David*: ita in Canticis c. 4. & 7.
„ ubi habemus, *Sicut turris collum tuum, quæ* Cant. 4. 4
„ *ædificata cum propugnaculis*, in Hebræo est,
„ *sicut turris David constructa ad disciplinas*: vel
„ ut Santes Pagninus vertit, *Quæ ædificata est*
„ *ad docendum*. In eâ verò Rex Salomon ma-
„ gnificè docuit: non ille quidem Sacerdos,
„ sed sanè Propheta, Deo sacer, & Numine
„ afflatus pio; ad cujus audiendam sapien-
„ tiam, è remotissimis Arabiæ oris, ingenio
excellenti quidam & acuti veniebant". De
eodem Salomone legitur, quòd *Cum esset sa-* Eccle. 12. 9.
pientissimus, docuerit populum. Quod ne fortè quis
putaret de populo suæ duntaxat ditionis esse
intelligendum, alibi scriptum est: *Veniebant* 3. Reg. 4. 34.
de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomo-
nis; & ab universis Regibus, qui audiebant sapien-
tiam ejus. Quid, quòd non tantùm viros, sed
& fæminas, & quidem Reginas famâ sapien-
tiæ ejus excitas, venisse de longinquo ad
eum audiendum constet? Exemplo sit Regi-
na Saba, quam Christus Reginam austri no-
minat, quæ *Venit a finibus terræ audire sapientiam*
Salomonis. Sed quid miremur tantum homi- Mat. 12. 42
num confluxum ad audiendum Regem ma-
gnificentissimum ac sapientissimum, cùm de
uno privato Rhetore scribat Hieronymus:
[L] Ad *Titum Livium*, lacteo eloquentiæ fonte L Hieron. Epist. 103. ad Paulinũ cap. 1.
„ manantem, de ultimis Hispaniæ Gallia-
„ rumque finibus quosdam venisse nobiles
„ legimus: & quos ad contemplationem sui
„ Roma non traxerat, unius hominis fama
„ perduxit. Habuit illa ætas inauditum om-
„ nibus sæculis, celebrandumque miraculum:
„ ut urbem tantam ingressi, aliud extra ur-
bem quærerent". Sed quid Livius, Orator
& Historicus, ad Salomonem, Regem, ac cæli
discipulum? Planè quod culex ad elephan-
tem, quod musca ad aquilam, quod nanus ad
gigantem. Cùm ergo juxta veridicum Am-
brosij effatum, [M] *Primus discendi ardor, nobilitas* M Ambr. libro de Virginibus sub initium.
sit Magistri; mirari profectò non debemus
arsisse desiderio audiendi docentem Salomo-
nem Proceres, quantâvis dignitate splenden-
tes, quos perculit fama sapientiæ ejus regiæ.
Si Reges à privato quopiam didascalo invi-
tarentur ad audiendum sese docentem, rege-
rerent forsan ei, paratos se esse discere à Ma-
gistro paris secum conditionis, sed non infe-
rioris: sicut Alexander Magnus, referente
Plutarcho: [N] Cùm corporis levitate ac pe- N. Plut. in Apophtheg.
„ dum celeritate polleret, atque à Philippo
„ Patre moneretur ut in Olympijs cursu cum
„ athletis contenderet, respondit: *Facerem,* Alexander.
si Reges haberem concertatores". Sed hujusmodi
prætextum Regibus amputavit Salomon,
dum in libro Sapientiæ docturus Reges, ma-
nifestavit se quoque esse Regem; & quidem
ejus gentis, cui credita fuerant eloquia Dei:
prout

prout superiori §. visum est. Quantus verò Rex ille fuerit, & quantus ad eum suo tempore auscultandum concursus fieret, indicat divina alibi Scriptura, in verbis: *Magnificatus est Rex Salomon super omnes Reges terræ, divitijs, & sapientiâ: & universa terra desiderabat vultum Salomonis, ut audiret sapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius: & singuli deferebant ei munera.* Non me quidem latet illud Hieronymi ad Paulinum: [O] Habet nescio quid latentis energiæ viva vox & in aures discipuli de authoris ore transfusa fortiùs sonat. Unde & Æschines cùm Rhodi exularet, & legeretur illa Demosthenis Oratio quam adversùs eum habuerat, mirantibus cunctis atque laudantibus, suspirans ait: *Quid si ipsam audissetis bestiam, sua verba resonantem*"? Sed quibus ea non obtigit felicitas ut tantum Regem audirent loquentem, cernerentque suos gestus formantem; gaudeant saltem sibi relictam ejus sapientiam in Scriptis relucentem: & gratias referant Deo, qui sic rebus providit humanis, ut authore extincto stet Salomonis opus. Repræsentent sibi Salomonem ijsdem verbis ipsos alloquentem, quibus Ambrosius in quodam libro allocutus est quasdam virgines, quibus nequivit præsentialiter concionari, dicens: [P] Quoniam pleræque absentes, nostri desiderabant sermonis usum, volumen hoc condidi, quo profectæ ad se vocis meæ munus tenentes, deesse non crederent, quem tenerent". Reputetur hoc à Salomone dictum de suo libro Sapientiæ Regibus, quod Ambrosius de suo illo volumine ait virginibus. Multum sanè Salomoni debent Reges, quibus cùm ob temporis aut loci distantiam non poterat loqui cominùs verbo, saluberrima monita tradidit eminùs scripto. Hæc est enim utilitas litterarum, ut quod verba præstant præsentibus, id litteræ suppleant inter eos qui sive loco sive tempore fuerint absentes seu distantes: [Q] Jucundissimus, ait quidam, cùm in multis, tum in eo maximè est litterarum fructus, quòd omnium interstitiorum loci & temporis exclusâ molestiâ, amicorum sibi invicem præsentiam exhibeant: & res scitu dignas, situ aboleri non patiantur. Nam & artes perierant, evanuerant jura, fides & totius Religionis officia quæque corruerant, ipseque recti defecerat usus eloquij, nisi in remedium infirmitatis humanæ litterarum usum mortalibus divina miseratio procurasset. Exempla Majorum, quæ sunt incitamenta & fomenta virtutis, nullum omninò erigerent aut servarent, nisi pia sollicitudo Scriptorum, & triumphatrix inertiæ diligentia, eadem ad posteros transmisisset: siquidem vita brevis, sensus hebes, negligentiæ torpor, inutiles occupationes, paucula scire permittunt; & eadem jugiter excutit & avellit ab animo fraudatrix scientiæ, inimica & infida semper memoriæ noverca, oblivio. Quis enim Alexandros sciret aut Cæsares, quis Stoicos aut Peripateticos, nisi eos insignirent monumenta Scriptorum? Quis Apostolorum & Prophetarum amplexanda imitaretur vestigia, nisi eos posteritati divinæ litteræ consecrassent"?

3. Reg. 10. 23. & seqq.

O. Hieron. Epist. 103. cap. 2.

Æschines.

P. Ambros. lib. 2. de Virginibus sub initium.

Q. Joan. Sarisber. in Prologo Policratici.

CDLXXXII. Duo video obtendi posse à Regibus, ne documento ex libro Sapientiæ §. 480. exhibito tantum deferant, quantum deferendum esse præstruximus: Primum concernit ipsum librum, secundum sumitur ex funesto exitu Scriptoris. Dicturi quippe sunt inprimis argumentum petitum ex dignitate ac sapientiâ Salomonis non admodùm premere, cùm non omninò constet librum Sapientiæ, unde sumpta est parænesis, esse Salomonis: quippe quem Hieronymus *Pseudepigraphum*, quasi falsò prænotatum nomine Salomonis, appellat; & à nonnullis veterum Philoni Judæo attributum perhibet, unde & ab Ecclesia inter canonicas Scripturas receptum negat. Sed non est quod hoc prætextu moveantur Reges, præsertim cùm idem ipse Hieronymus, pleniùs informatus, eundem librum tanquam canonicam Scripturam, & quidem sub Salomonis nomine, alibi citet; ut cùm ait Paulino: [R] Noli annorum nos æstimare numero, nec sapientiam canos reputes, sed canos sapientiam, Salomone testante: *Cani hominis prudentia eius*". Hoc ipsum & alij Patres antè & post Hieronymum præstiterunt, ut Melithon Sardensis apud Eusebium lib. 4 Hist cap. 26. & Martyr Irenæus apud eundem lib. 5. Hist. cap. 8. item Clemens Alexdrinus in verbis: [S] Porrò Salomon dicit, *Arbor est immortalitatis ijs qui ipsam apprehendunt*". Et rursùs libro 6. ejusdem Operis: "Jam verò Salomon, inquit, eum vocans sapientem, qui est præditus cognitione, hæc dicit de ijs qui mirantur dignitatem ejus mansionis: *Videbunt mortem sapientis & non intelligent quid de eo decreverit Deus, & ad quid eum stabiliverit Dominus*". Et hujus discipulus Origenes: [T] Audi, inquit, quid in Sapientiâ Salomonis dicatur, *Quia non invenitur ab his qui tentant eum*". Similia rursùs habet idem Homilia. 12. in Levit. & tomo 20. in Joannem. Cui consonat & ipsius vindex Pamphilus Martyr in Apologiâ pro Origene. Similiter & Tertullianus, qui ait: [V] Porrò *Facies Dei expectat in simplicitate quærentes*, ut docet ipsa Sophia, non quidem Valentini, sed Salomonis". Qui rursùs lib. de Præscriptionibus cap 7" Nostra institutio, inquit, de porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat *Dominum in simplicitate cordis esse quærendum*". Consonat item Martyr Cyprianus: [W] Quæ-

Vide Hieron. Præfat. in libros Salomonis.

R Hieron. Epist. 19.

Sap. 4. 8.

Melithon.

Irenæus.

S. Clemens Alex. [illegible] Stromat.

Sap. 2. [illegible]

Sap. 4. 17.

T Orig. tomo 2. in Epistolam ad Roman.

Sap. 1. 2.

Pamp. [illegible]

V. Tertul. l. adv. Valentinianos cap. 2.

Sap. 1. 1

Ibid.

W. Cyprian. l. de Exhortat. Martyrii cap. 12. Vide ibid. cap 1 & lib. 3 ad Quirinum c. 59. Sap. 3. 4. & 5.

W. Quæ spes, inquiens, & quæ merces maneat Martyres post conflictationes hujus temporis & passiones, per Salomonem Spiritus Sanctus ostendit & prædicavit, dicens: *Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes eorum immortalitate plena est, & in paucis vexati, in multis bene disponentur*". Et rursùs lib. de Mortalitate: "Per Salomonem docet Spiritus Sanctus, eos qui Deo placent, maturiùs illinc eximi, & citiùs liberari; ne dum in isto Mundo diutiùs immorantur, Mundi contactibus polluantur: *Raptus est*, inquit, *ne malitia mutaret intellectum illius*". Consonat item Lactantius, ubi ait: X. Salomon in libro Sapientiæ his verbis usus est, *Circumveniamus iustum, quoniam insuavis est nobis, & exprobrat nobis peccata legis*". Necnon Hilarius ad illa Psalmographi verba, *Uxor tua sicut vitis abundans*: Y. Ut nunc cognoscamus, inquit, quid sub *uxoris* nuncupatione intelligi oporteat, contuendum est, quid & alibi sub hoc eodem *uxoris* nomine tractetur à Salomone ita: *Quia quæsivi Sapientiam sponsam accipere mihi ipsi*". Consonat & Basilius Magnus: Z. Spiritus est, inquiens, qui adimplevit cuncta, secundùm quod scriptum est: *Spiritus enim Domini adimplevit orbem*, inquit Salomon". Et Gregorius Nazianzenus: A. Quia Dei Filius, inquit, de Deo Patre natus est, ideò de unitate substantiæ & de majestate divinitatis unum sunt, sicut & Hieremias Propheta ait, *Quis stabit in substantia Domini?* Et iterum apud eundem, *Et si stetissent in substantia mea, avertissem eos à studiis eorum pessimis*. Et apud Salomonem, *Substantia mea dulcedo mea est*". Et ibidem superiùs: "Hinc ait Salomon, *Cùm sit una, omnia potest; & permanens in se, omnia innovat*". Et iterùm inferiùs: "Salomon dicit, *Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula*". Et Lucifer Calaritanus Constantium Cæsarem Arianum alloquens: B. Nunquid non legisti, inquit, dixisse in libro Sapientiæ Salomonem ad Deum, *Deus parentum meorum, & Domine misericordiarum, qui fecisti omnia verbo tuo*"? Et Julius Firmicus: C. Quid sint idola, inquit, & quam habeant substantiam, Prophetarum oraculis & divinâ voce monstratum est: quæ omnia specialiter dicenda sunt, ut hoc non nostrâ temeritate prolatum, sed divino magisterio nobis traditum & cælesti agnoscatur voce signatum. Quæ sit substantia eorum, Sapientiæ venerandâ voce monstratur: ait enim in libris Salomonis, *Omnia idola Nationum æstimaverunt Deos, quibus neque oculorum usus est ad videndum, neque aures ad audiendum, neque digiti manuum ad tractandum*". Et Epiphanius in Panario, refutans Hieracitas: D. Accerse mihi Salomonem, inquit, beatum illum ac sapientissimum, ad Hieracem hunc confutandum. Adsis Prophetarum beatissime, qui *Accepisti à Domino effusionem cordis ac sapientiæ, velut arenam iuxta littus maris*, quidnam de pueris sentis? Et inquit: *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero supputata: verùm canities est prudentia hominibus*". Et Ambrosius: E. De Sapientia scriptum est, inquit, quia habeat in se omnipotentem spiritum: dicit enim Salomon, *Quia omnium artifex docuit me Sapientia: est enim in ea spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis*" &c. Consonat quoque Phœbadius: F. Hic est, inquiens, Spiritus notitiæ & veritatis, per quem Salomon de Dominica nativitate: *Quid sit*, inquit, *Sapientia, & quemadmodùm facta sit, referam*". Et Gregorius Beticus, G. Salomon, inquit, inter cætera ait de Sapientia, quæ Christus est Dei Filius: *Splendor est lucis æternæ, & speculum sine macula*". Et Cyrillus Alexandrinus: H. Diabolicæ fraudis, inquit, & invidiæ opus fuisse prævaricationem Adæ, & quæ per eam mors irruit, tum ipsa rei natura docebit, tum etiam sapientissimi Salomonis effatum istiusmodi: *Deus mortem non fecit, invidiâ autem diaboli mors introivit in Mundum*". Et Augustinus loquens de Judæis necem Christo machinantibus: I. Excogitaverunt, inquit, consilium perdendi eum; tanquam ibi volentes probare utrùm verè homo sit, qui mori possit; an aliquid super hominem, & mori se non permittat. Verbum ipsorum agnoscimus in Sapientia Salomonis: *Morte turpissimâ*, inquiunt, *condemnemus eum, Interrogemus eum: erit enim respectus in sermonibus illius. Si enim verè Filius Dei est, liberet eum*". Et Fulgentius: K. Ubi autem, inquit, maximè Verbum potuit habitare, quàm in illa substantia, quam ad suam imaginem fecit, hoc est, in anima illius hominis quem suscepit? Quod Propheticè per Salomonem spiritali gratiâ cernimus intimatum, cùm dicitur: *Anima iusti sedes est Sapientiæ*". Et Eugenius Carthaginensis Antistes: L. Patris substantiam, inquit, Filium esse, Propheticis jam olim designatum est oraculis, dicente Salomone: *Substantiam enim & dulcedinem, quam in filios habebas, ostendebas*". Et Gregorius Papa consonè prorsùs scribit: M. Salomon ait, *Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum*". Et Cassiodorus Senator: N. Sicut est, inquit, in libro Sapientiæ Salomonis, *Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum*". Isidorus Hispalensis: O. Librum Sapientiæ, inquit, Salomon scripsisse probatur, illis quibus ibi legitur: *Tu me elegisti Regem in populo tuo, & dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, & in civitate habitationis tuæ*. Hoc opus Hebræi,

Marginal notes:

Sap. 4. 11.
X. Lactant. lib. 4. c. 16. Vide Optat. Milevit. l. 4. contra Parmen. Sap. 2. 12.
Psal 127. 3. Y Hilar. in Psalm. 127. v. 3.
Sap. 8. 2.
Z Basil. l. 5. contra Eunomium. Sap 1. 7.
A. Gregor. Nazianzen. Orat. 49. Vide Orat. 30. Vide Chrysost. Homil. 39 & 41. Operis imperfect. Hier 23. 18. Hier. 23. 22. Sap. 16 21. Sap. 7. 27.
Sap. 7. 26.
B Lucifer Calar. lib. 2. pro Athanas. ad Constantium. Sap. 9. 1.
C. Iul. Firmicus lib. de Errore profan. Rel. cap. 29.
Sap. 15. 15.
D. Epiphan. Hæresi 67.
3 Reg. 4. 29.
Sap. 4. 8.
E. Ambros. lib. de Incarnationis Dominicæ mysterio c. 10. Vide lib 3. de Spiritu Sancto c. 19. Sap 7. 21. & 22.
F. Phœbad. lib. contra Arianos. Sap 6 14.
G. Greg. Beticus lib. contra Arianos. Sap 7. 26.
H. Cyrill. Alex lib 6. in Ioan.
Sap. 1. 13. Sap. 2. 24.
I. August. in Psal. 63.
Sap. 2. 19. & 20.
K. Fulgent. l. 3 ad Trasimundum cap. 18.
Sap. 7. 27.
L. Eugen. Carthag. l. de Fide ad Hunnericum. Sap. 16. 21.
M. Greg. in Psal. 5. Pœnitential. Sap. 1. 5.
N. Cassiod. Prologo in Psalterium.
O. Isidorus lib. 1. de Officiis Ecclesi. cap. 12. Sap. 9. 7. & 8.

,, Hebræi, ut quidam Sapientium meminit, ,, inter canonicas Scripturas recipiebant: sed ,, postquam comprehendentes Christum interfecerunt, memorantes in eodem libro tam ,, evidentissima de Christo testimonia, quibus ,, dicitur: *Dixerunt inter se impij, Comprehendamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris; promittit scientiam Dei se habere, & Filium Dei se nominat.* Et infrà: *Si verus est Filius Dei, suscipiet illum, & liberabit de manu contrariorum.* Ac deinde: *Vt sciamus reverentiam eius, & probemus patientiam ipsius, morte turpissimâ condemnemus eum*: collatione ,, factâ, ne nostri eis pro tam aperto sacrilegio ,, derogarent, à Propheticis voluminibus reciderunt, legendumque suis prohibuerunt".

Sap. 2. 12. & seqq.

CDLXXXIII. Depulso in hunc modum priori isto obtendiculo, depellamus & alterum, in funesto Salomonis exitu fundatum. Cæterùm quamvis possem cum Pineda & Lorino, complures alios tam priscos quàm neotericos citantibus, negare Salomonem funestè exiisse, sed finaliter resipuisse, amissam Dei gratiam recuperasse, in eaque vitam terminasse, atque adeò damnationem evasisse, ac salutem suo tempore consecutum fuisse: nolo tamen hujus depulsionis summam è tam fragili paxillo suspendere; præsertim cùm & Scriptura exaggeratis crebrò ejus sceleribus de resipiscentia omninò sileat, & non pauci Tractatores fide perdigni nigro ipsum carbone notent: [P] De Salomone, inquit ,, Augustinus, quid dicam? Quem vehemen- ,, ter arguit Sancta Scriptura atque condem- ,, nat, nihilque de pœnitentiâ ejus vel indulgentiâ Dei omninò commemorat". Et rursùs ibidem post pauca: "Apparet, inquit, ,, in persona hujus Salomonis & mira excel- ,, lentia, & mira subversio: quod igitur in ,, illo diversis temporibus extitit, prius bo- ,, num, & posterius malum, hoc in Ecclesia ,, in isto adhuc sæculo simul uno tempore ,, ostenditur. Nam bono illius bonos Ecclesiæ, ,, malo autem illius malos Ecclesiæ significa- ,, tos puto: tanquam in unitate unius areæ, si- ,, cut in illo uno homine, bonos in granis, ma- ,, los in palea; ut in unitate unius segetis bonos in tritico, malos in zizanijs". Qui rursùs lib. 17. de Civit. cap. 20. eundem Salomonem contraponit Davidi, qui licèt etiam ipse deliquerit, delictum tamen suum subsequente pœnitentiâ purgavit: cùm tamen ex adverso Salomon *Bonis initijs malos exitus habuerit.* Huc allusisse videtur Bernardus, cùm scriberet: [Q] Sapiens David, sapiens Salo- ,, mon fuit, sed blandientibus nimis secun- ,, dis rebus, alter ex parte, alter ex toto desipuit". Consonat item Prosper, cùm ait: [R] Salomon patri David successit in regnum: ,, in cujus nomine multa divina promissa dum ,, resonant, ne quis ipsi personæ deputaret ,, quæ fuerant figurata, dum à præceptis Do- ,, mini declinaret, vitam in senectute & sapien- ,, tiam simul amisit: *Vt pacifico* Christo Do- ,, mino, quod *Salomon* interpretatur, omnia ,, illa, quæ figurata fuerant, servarentur". Et adhuc inferiùs ad calcem ejusdem capitis: "Itaque, subdit, quæ de Salomone dicta, ,, vel ab eo propheticè gesta sunt, rectè Chri- ,, sto Domino consignantur. Cæterùm ipse ,, elatus, & in senio fornicatus mente & cor- ,, pore, Domino ipsum deserente, malè obijt: ,, metuendum exemplum posteris relinquens, ,, ne felicitate hujus vitæ turbati Christum ,, deserant, qui est suorum æterna felicitas". Quæ penè verbatim iterat Ado Viennensis in Chronico Ætate 4. Quibus consonans Isidorus Hispalensis: [S] Salomon, inquit, Fi- ,, lius David, editur ex Bersabea in Hieru- ,, salem, antequam nasceretur vocatus, sapien- ,, tissimus omnium, & Dominici dedicator ,, templi, felix imperio, paternis meritis im- ,, par, dilectus Deo, sapiens in judicio, in ,, sententia justus, pacificus in regno: qui po- ,, poscit sapientiam, & impetravit; ut sciret ,, dispositionem orbis terrarum, & virtutes ,, elementorum, naturas animalium, & cogita- ,, tiones hominum. Hic quoque mores, rerum ,, naturas reperit, & Sacramenta Ecclesiæ re- ,, velavit: cujus principia bona fuerunt, novissima autem mala". Consonat item Beda cùm ait: [T] Palàm ostenditur, quod utinam non ,, ostenderetur, quòd Salomon de admisso ido- ,, lolatriæ scelere nunquam perfectè pœnituit". Quod ipsum iisdem verbis astruunt Rabanus & Angelomus in cap 23. lib. 4. Regum. Scripsit prætereà integrum Tractatum de Salomonis damnatione Philippus Abbas Bonæ-speensis, ubi plures alios Patres eandem secum damnationem astruentes adducit: atque inter alios Fulgentium, qui de Salomone loquens: *Vides*, inquit, *quia criminis filius crimen incurrit; & adulterinum germen non bono termino consummavit.* Addit & Paschasium Diaconum, à Gregorio Papa magnoperè deprædicatum, qui de eodem Salomone loquens: *Fœdatus*, inquit, *omni immunditiâ libidinis fuit, & propter idololatriam est condemnatus.* Jungit insuper ipsum Gregorium qui lib. 2. Moral. c. 2. ait: *Salomon, qui sapientiam non perseveraturus accepit, in somnis hanc & nocte accepisse describitur.* Quod ipsum astruit etiam Rupertus lib. 5. in libros Regum cap. 2. Theodoretus item in caput 11. Epistolæ ad Romanos, Salomonem cum Saule statuit inter eos, quibus aptari nequeat illud Apostoli, *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.* Ubi vocationem secundùm propositum, electis propriam, Interpretes communiter post Augustinum intelligunt: ut proinde qui vocationis istius sunt extranei,

reputandi

Vide Pinedam in Salomone præviо lib. 8. c. 1. & Lorinum Prolegom. in Ecclesiasten cap. 2.

P. August. lib 22. cont Faust c. 88 Vide Isidor. Comment in lib. 3 Reg. cap. 6.

Vide Aug. l. 3. de Doct. Christ. c. 21. & 23.

Q. Bernard. lib. 2. de Consideras. c. 12.

R. Prosper l. de Promiss. & Prædict. Dei p. 2. c. 27

Ado Vien.

S. Isid. l. de Vita & morte Sanctor. c. 39.

T. Beda lib. qq in libros Reg q. 20.

Rabanus. Angelomus.

Philip. Abbas.

Fulgentius.

Paschasius.

Gregorius.

Rupertus.

Theodoret.

Rom. 11. 29.

reputandi sint reprobi. Similiter & Cyprianus lib. de Unitate Ecclesiæ, exemplo Salomonis monet quemque Christi confessorem, ut *Teneat quod habet, ne alius accipiat coronam eius*: indicans utique Salomonem finaliter amisisse coronam gloriæ, justis in gratia perseverantibus repositam; quam ille percepturus fuisset, si probis initijs consimilis finis respondisset. Isidorus item Pelusiota inde probat pleraque eorum quæ Psalmo 71. de Salomone dici videntur, non in ipsum quadrare, sed potiùs in Christum: V. *Quia Salomon ne finem quidem vitæ labe carentem sortitus est.* Cùm igitur tantâ testium nube damnatio Salomonis astruatur, non est quòd astructione adversæ sententiæ alterum istud Regum obtendiculum depellere nitamur; præsertim cùm non desit alius depellendi modus uti facilior, ita & solidior. Admisso itaque funesto Salomonis exitu, nego consequens inde fore ut Regibus fas sit præallegatæ ejus parænesi minùs deferre, quàm si de ipsius salute constaret. Nam quocunque demùm exitu vitam hanc mortalem ille finierit, pro certo habendum est parænesim illam ei inspiratam dictatamque fuisse ab excelsiore quodam Rege, de quo verissimè dici queat, *Ecce plus quàm Salomon hic*: Si ergo Salomoni funestè defuncto aures præbere dedignantur, huic saltem Regi Salomone majori acquiescere dignentur. De quo enim nisi de Christo Dei Filio dictum est, *Ecce plus quàm Salomon hic*? Et tamen ex ejusdem persona scriptum est apud Isaiam, *Ego ipse qui loquebar, ecce adsum.* Tanquam diceret, Ego ipse qui per os Salomonis & reliquorum Scriptorum hagiographorum loquebar in toto veteri Testamento, nunc per os meum in carne assumptâ loquor in novo Testamento; inter alia dicens de meipso, *Ecce plus quàm Salomon hic.* In hujus rei signum ingressus sabbato Synagogam Nazarethanam *Surrexit legere, tradito sibi libro Isaiæ Prophetæ.* In quem locum Ambrosius: W Accepit librum, inquit, ut ostenderet seipsum esse qui locutus est in Prophetis; & removeret sacrilegia perfidorum, qui alium Deum dicunt veteris Testamenti, alium novi: vel qui initium Christi dicunt esse ex Virgine. Quomodò enim cœpit ex virgine, qui ante virginem loquebatur"? Et Augustinus expendens quod de eodem Dei Filio scribit Euangelista Matthæus, *Aperiens os suum docebat eos*: X. Ista circumlocutio, inquit, fortassis ipsâ morâ commendat aliquanto longiorem futurum esse sermonem: nisi fortè non vacet, quòd nunc eum dictum est *aperuisse os suum*, quòd ipse in lege veteri aperire soleret ora Prophetarum". Pulchrè admodùm & appositè Chrysostomus: Y. Si quispiam, inquit, ve,, niat à Rege, omnes attenditis. A Deo autem venit, & è cælis loquitur Propheta, & nemo est qui attendat. An non creditis quòd hæc quæ dicuntur sunt à Deo, & ipsæ Epistolæ à Deo missæ sunt"? Et Papa Gregorius cuidam viro præcellenti scribens: Z. Quid est ,, Scriptura Sacra, inquit, nisi quædam Epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam? Et certè sicubi esset Gloria vestra alibi constituta, & Scripta à terreno Imperatore acciperet; non cessaret, non quiesceret, somnum oculis non daret, nisi priùs quid sibi terrenus Imperator scripsisset agnosceret. Imperator cæli, Dominus hominum & Angelorum, pro vita tua tibi suas Epistolas transmisit: & tamen, Gloriose fili, easdem Epistolas ardenter legere negligis".

Apoc. 3. 11.
V. Isidorus Pelus. lib. 4. Epist. 203.
Mat. 12. 42.
Isa. 52. 6.
Luc. 4. 16. & 17.
W Ambros. l. 4. in cap. 4 Luc. v. 16. & 17.
Matt. 5. 2.
X. August. l. de Serm. Domini in monte c. 1.
Y Chrysost. Hom. 43 in poster. ... ad Thessal.
Z. Gregor. lib. 4. Registr. Epist. 40.

CDLXXXIV. Huic profectò redargutioni subjacet quisquis terrenâ dignitate sublimis attendere negligit præallegatæ parænesi, à Deo sibi per Salomonem directæ; quocunque interim eventu bajulus ipse vitam hanc posteà finierit. Nam si prosperè finierit, ut nonnulli volunt, cessat omnis tergiversandi prætextus: sin verò funestè, certè vitium bajuli non derogat litteris Dei. A. Salomon, inquit Augustinus, erat tempore suo filius David; magnus ille, per quem multa sancta præcepta, & salubria monita; & divina Sacramenta Spiritus Sanctus in divinis Litteris operatus est. Nam & ipse Salomon mulierum amator fuit, & REPROBATUS est à Deo; & usqueadeò laqueus illi fuit illa cupiditas, ut à mulieribus etiam idolis sacrificare cogeretur. Sed si illo cadente, quæ per illum dicta sunt delerentur, judicaretur quia ipse dixerat, non quia per illum dicta erant. Optimè igitur hoc egit misericordia Dei & Spiritus ejus, ut quicquid boni per Salomonem dictum est, Deo tribueretur; peccatum autem hominis, homini". Ecce quomodò personæ lapsus non solùm non deroget divinis Scriptis, sed & salubre documentum præbeat electis; quo nimirùm discant, Deo tribuere quicquid boni fecerint aut dixerint, sibi autem imputare quicquid mali egerint aut effutierint. Discant prætereà, Scripturæ sacræ oracula *Accipere non ut verba hominum, sed ut verba Dei*; de qualibus ait ipse Scripturæ Architectus, *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præter bunt.* Tertiò discant qui Deo chari sunt, non de sua perseverantia præfidere, sed, exemplo Salomonici lapsus sibi ob oculos proposito, *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereant de via justa*: B. Non ait, *Nequando irascatur Dominus*, & non eis ostendat viam justam, aut non eos introducat in viam justam sed iam illic ambulantes sic terrere voluit ut diceret, *Ne pereant de via*

A August. Enarrat. in Psalm. 126.
1. Thess. 2. 13.
Mat. 24. 35.
Ps. 2. 11. & 12.
B. Aug. lib. de Natura & grat. c. 12. Vide lib. de Corrept. & grat. c. 9.

 via

via justa". Unde & Cyprianus præsumptionem quorundam reprimens, qui usque ad gloriosam fidei coram tyranno confessionem provecti, putarunt se jam periculum omne evasisse: C. "Confessio, inquit, non facit im- „ munem ab insidijs diaboli; aut contra ten- „ tationes, & pericula, & incursus atque im- „ petus sæculares adhuc in sæculo positum per- „ petuâ securitate defendit: cæterùm nun- „ quam in Confessoribus fraudes, & stupra, & „ adulteria postmodùm videremus, quæ nunc „ in quibusdam videntes ingemiscimus & do- „ lemus. Quisquis ille Confessor est *Salomone* „ major, aut melior, aut Deo charior non „ est: qui tamen quamdiu in vijs Domini „ ambulavit, tamdiu gratiam, quam de Do- „ mino fuerat consecutus, obtinuit; postquam „ autem dereliquit viam Domini, perdidit „ & gratiam Domini, sicut scriptum est: *Ex-* „ *citavit Dominus satanam ipsi Salomoni*. Et ideò „ scriptum est, *Tene quod habes, ne alius acci-* „ *piat coronam tuam*. Quod utique Dominus „ non minaretur, auferri posse coronam justi- „ tiæ; nisi quia recedente justitiâ, recedat necesse est & corona". Vidit sanè Anglia non adeò pridem, & in Anglia Catholicus orbis, exemplum novum, Salomonico veteri non admodùm absimile, quo denuò admoniti sunt Reges ac principes, ut *apprehendant disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereant de via justa*: audiantque sollicitè illud Apostoli, *Qui existimat se stare, videat ne cadat*. In Ecclesia steterat, & pro Ecclesiasticis Sacramentis adversùs Lutheri rabiem vindicandis librum suo nomine evulgavit Henricus VIII. Anglorum Rex: cujus zelus & eruditio summo ejusdem Ecclesiæ Hierarchæ Leoni X. adeò placuit, ut eundem gloriosissimo FIDEI DEFENSORIS titulo decorârit, expedito eam in rem Diplomate v. Idus Octobris anni MDXXI. Verùm paulò pòst idem Rex, muliebri amore, instar Salomonis, seductus ac subversus, ejusdem fidei factus est desertor & impugnator, cujus fuerat anteà defensor: ut vel hinc discant cæteri Reges quàm providè Apostolus cuique ipsorum in fidei communione adhuc stanti insonet, *Tu fide stas, noli altum sapere, sed time*. Porrò quemadmodùm Salomone cadente nequaquam ceciderunt libri ejus, in Ecclesiæ ædificationem conscripti: ita cadente illo Anglorum nupero Rege non perijt liber ejus, in Ecclesiasticorum Sacramentorum defensionem editus: ut vel hinc intelligamus quàm verè scripserit Augustinus reprobos ad utilitatem electorum „ nasci: D. Non enim utcumquam eorum Deus „ temerè aut fortuitò creat, aut quid de illis „ boni operetur ignorat. cùm & hoc ipsum „ bonum operetur, quòd in eis humanam creat „ naturam, & ex eis ordinem sæculi præsentis exornat". Sive ergo ab electis sive à reprobis verum aliquid ac salubre dicatur aut scribatur, non debet respui propter personam, tametsi fortè tunc aut posteà improbam; sed potiùs suscipi tanquam ab eo promanans, qui est fons veritatis; & qui non bonorum duntaxat, sed & malorum ministerio subinde utitur ad eruditionem plebis suæ. Unde idem Augustinus lib. de Divinatione dæmonum cap. 6. "Non obest aliquid, inquit, imò & „ prodest ad majorem notitiam famamque ve- „ ritatis, cùm de illa etiam hi quicquid no- „ verunt dicunt, qui ei perversis moribus contradicunt". Et lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 18. "Quisquis, inquit, bonus ve- „ rusve Christianus est, Domini sui esse in- „ telligat, ubicunque invenerit veritatem". Et lib. contra Adimantum Manichæi discipulum c. 9. "Cùm veritas, inquit, etiam pecca- „ toribus dicitur, per quamcunque Creatu- „ ram dicatur, nonnisi ab illo dicitur, qui unus est verax". Et rursùs in Commentario capitis primi ad Galatas: "Veritas, inquit, „ propter seipsam diligenda est, non propter „ hominem, aut propter Angelum, per quem „ annunciatur. Qui enim propter annuncia- „ tores diligit eam, potest etiam mendacia „ diligere, siqua fortè ipsi sua protulerint". Quoniam igitur Ecclesia Dei, quæ juxta Apostolum *Columna est & firmamentum veritatis*, librum Sapientiæ Canonicis Scripturis accensuit, nulli Regum aut privatorum ambigere fas est, quin parænesis inde descripta, & sub initium hujus capitis exhibita, veram ac salubrem contineat doctrinam à supremo cæli terræque Monarchâ dictatam, qui neminem timet, neminem fallit, neminem palpat. Quapropter quisquis sive adulando sive quomodolibet blandiendo tentaverit Reges aliorsùm divertere, aut contrarijs documentis imbuere, repellendus est ab auribus mentis & corporis, & quidem cum isto Augustini jaculo: E. *Cælum tonat, ranæ taceant*. Ut autem pleniùs constet quàm appositè ejusmodi garriones appellentur *ranæ*, idem Augustinus Fragmento 2. cap. 2. ait: "Qui veritati con- „ tradicunt, & in sua vanitate decepti deci- „ piunt, RANÆ sunt, tœdium inferentes auribus, non cibum mentibus". Non sic vox Domini, sive per Salomonis, sive per alterius cujusvis hagiographi Scriptoris organum transfusa: sed, ut quidam pius Tractator ait, F. Favus est divina Scriptura, in qua man- „ data vitæ æternæ, dulcissima Sponsi cum „ sponsa colloquia, virtutesque omnes con- „ tinentur, & diligenter inquirenti us pa- „ tent. Ut enim in favo mel & cera latent, „ quorum altero pascimur, altero lumen ac- „ cendimus: sic in litteris sacris suavissimus „ cibus animi, & lumen mentis insunt, modò ritè

C. Cyprian. l. de Unitate Ecclesiæ. Vide Lensæum lib. de Officio hominis Christiani in persecutione constituti cap. 19.

3. Reg. 11. 14.

Apoc. 3. 11.

1. Cor. 10. 12.

Vide Sanderum l. 1. de Schism. Anglicano, & Bullarium tom. 1. Constitut. 45. Leonis X.

Rom. 11. 20.

D. August. l. 5. cont. Iul. cap. 4. Vide Prosp. ad cap. 23. Gallorum & in sententia super eodem capitulo.

1. Tim. 3. 15.

E. Aug. Serm. 3. de Tempore cap. 6.

F. Philo Carpat. in cap. 4 Cantic. 1. 1.

G Hieron. in Psal. 147. v. 3. alias 14.

ritè quærantur". Et Hieronymus: G. Pinguissimus, inquit, est sermo divinus, omnes
,, habet in se delicias, quicquid volueris ex
,, sermone divino nascitur: sicut tradunt Ju-
,, dæi, quoniam *manna* quando comedebant,
,, secundùm voluntatem uniuscujusque sapiebat in ore". Quod tamen ad spiritales limitat Gregorius lib. 6. Moral. cap 9. post Augustinum lib. 2. Retract. cap. 20. quos sequuntur Abulensis, Lyranus, Carthusianus, & alij apud Lorinum in caput 16. libri Sapientiæ v. 20. & 21. savetque ibi sacer textus, quatenùs *filiorum* nomen exprimit. Quæ limitatio satis congruenter aptari potest etiam verbo Dei, per eandem mannam figurato: quod piè fideliterque audientibus ac legentibus omnem saporis suavitatem præstat, impijs autem & incredulis nauseam parit, & amarescit. Impijs porrò accenseri meritò possunt ac debent superbi, quibus verbum Dei idcircò displicet, quia ipsorum arrogantiam incessanter & indissimulanter redarguit: H. Nulla enim, ut Augustinus advertit, ferè
,, pagina est sanctorum librorum, in quâ non
,, sonet, quòd *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*". Amarescit ergo superbis sermo Dei, quippe contrarius vitijs eorum, signanter superbiæ quam ubique insectatur; nec unquam desistit donec eos aut flectat humiliando, aut frangat perimendo: *Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti; & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritûs, compagum quoque ac medullarum.* Dictum est superiùs cap. 123. Sermonem Dei esse *adversarium*, cui homines, suis pravis cupiditatibus alioqui addicti, jubentur *Consentire dum sunt cum illo in viâ*: etenim quem sermo Dei in via non corrigit, eundem vel in viâ vel certè in termino cònfringit: I. Semper & ubique,
,, ait quidam, omnia quæcunque voluit Do-
,, minus fecit in cælo, & in terrâ, in mari, &
,, in omnibus abyssis: & non solùm ad vocis
,, suæ tonitruum, sed sæpè ad aspectum suum,
,, sæpè ad ingressum, contrivit montes ar-
,, rogantiæ, incurvavit colles superbiæ, &
,, quoties voluit deposuit potentes de sede:
,, Ad aspectum, inquam, quia *Aspexit, & dis-*
,, *solvit gentes, & contriti sunt montes sæculi*: Ad
,, introitum etiam, quoniam *Ad ingressum Dei*
,, *mei, Regis mei qui est in Sancto, incurvati sunt*
,, *colles Mundi ab itineribus æternitatis ejus*: Ad vo-
,, cem autem Domini sæpè confractæ sunt
,, elationum cedri, quia *Vox Domini confringentis*
,, *cedros, & confringet Dominus cedros Libani*".

Observat Magnus Basilius, *cedros* subinde in Scripturis denotare bonos ac pios homines, qui sublimitate virtutum proceri sint, & celsi: subindè verò superbos, supra modum erectos, ac flecti nescios, juxta illud Psalmographi: *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani.* Cæterùm cur postquam dictum fuisset, *Vox Domini confringentis cedros*; additum sit, *Confringet Dominus cedros Libani*: idem ipse Basilius ibidem edisserit, dicens: K. Qui se
,, rebus ingerunt alienis; & per eas sibi con-
,, ciliant asciscuntque superbiendi occasio-
,, nem, hi sunt *Libani cedri*. Sicut enim *cedri*
,, cùm per se sint altæ, per hoc quoque quòd
,, in sublimi quopiam monte prognatæ sint,
,, ob montanæ altitudinis accessionem splen-
,, didiores fiunt & eminùs spectandæ: sic qui
,, Mundi istius rebus, planè deciduis & cor-
,, ruptivis; nituntur, *cedri* quidem sunt per
,, mentis elationem ac fastum: quin & ijdem
,, appellari promerentur *cedri Libani*, quòd
,, alienâ subnixi altitudine intempestivo gau-
,, dio diffunduntur, & à terrâ terrenisque re-
,, bus, quasi à vertice Libani, subvecti in su-
,, blime, in superbiam eriguntur, & insolescunt". Sed quid magni est Deo *confringere cedros Libani*, cùm etiam præcipitet aquilas supervolantes cedris Libani? Ait quippe ipse cuidam Principi in scissuris petrarum nidificanti, & agilitati alarum suarum præfidenti: *Si exaltatus fueris ut aquila, & si inter sydera posueris nidum tuum: inde detraham te.* Nonne ei qui dixit in corde suo, *Super astra Dei exaltabo solium meum*, regestum est: *Detracta est ad inferos superbia tua*? Quod considerans Augustinus: L. Quid mirum, inquit, quia in populo Dei
,, cecidit Salomon? In paradiso non cecidit
,, Adam? Non cecidit Angelus de cælo, &
,, diabolus factus est? Ideò docemur, in nullo hominum spem esse ponendam". Sed nunc ad Salomonicam parænesim procedamus.

Marginal notes: Gregorius. Augustinus. Abulensis. Lyranus. Carthusian. — Sap. 16. 21. — H. August. l. 3 de Doctrin. Christ. cap. 23. Jac. 4. 6. — Heb. 4. 12. — Vide suprà § 480. & seqq. — Mat. 5. 25. — I Richard. Victorinus Annot. in Psalm. 28. — Hab. 3. 6. — Psal. 67. 25. Hab. 3. 6. — Ps. 28. 5. — Ps. 36. 35. — Ps. 28. 5. — K Basil. in Psal. 28. v. 5. — Abdiæ v. 4. — Isa. 14. 13. — Ibid. v. 11. — L August. Enarrat. in Psal. 126.

CAPUT CXXVIII.

Sapientiam præpollere fortitudini Salomon ostendit, adductâ parabolâ Urbecula violenter obsessa, sed sapienter liberata. Unius Archimedis *industria omnes Romanorum Syracusas obsidentium insultus triennio elusit. Quantâ sagacitate* Anaximenes *Lampsacum exterminio per Alexandrum Magnum decreto subduxerit? Abela per sapientem Abelitidem ab excidio servata, uti & Bethulia per Iuditham, Hierosolyma per Iaddum, Roma & Italia per Leonem Papam. Achillis ante Trojam occisi arma per Græcorum Proceres adjudicata sunt Ulyssi sagaci, posthabito Ajace pugnace. Imperator cautus audaci præferendus. Vis consili expers mole ruit suâ.* Rex insipiens perdet populum suum, & civitates inhabitabuntur per sensum Potentium. *Invitatorium Salomonis ad Reges exhibetur, dispungitur, & dispunctim elucidatur. Dum Sapientia suadetur quærenda sicut pecunia, non res rei, sed amor comparatur amori. Avari cujusdam insulsa effutitio,* Fortunæ guttam malo, quàm mentis dolium: *cui obvertitur sapientis effatum,* Mentis guttam pluris facio, quàm fortunæ dolium. *Quantùm ad hominis attinet naturam, nihil in eâ est mente rationeque præstantius. Rex illitteratus est quasi Asinus coronatus, vel navis sine remige, avis sine pennis. Philippi Macedonis gratulatio pro nato sibi Alexandro filio temporibus Aristotelis Philosophi. Plato gratias egit naturæ, quòd sapientissimi Socratis avo venerit in lucis usuram. Ex quo in Romanis Principibus eruditio litteraria defriguit, robur etiam militare elanguit. Respublicas tunc demùm beatas fore censuit Plato, cùm aut Philosophi regerent, aut Reges philosopharentur. Reges cur* Judices finium terræ *dicti? Expenditur paræmia,* In facie prudentis lucet sapientia, oculi stultorum in finibus terræ. *Quatenùs differant,* audire, intelligere, discere, aures præbere? *An quicquam intersit in Salomonico invitatorio inter* Reges, & Judices finium terræ, & continentes multitudinem, & placentes sibi in turbis nationum?

CDLXXXV Exhibuimus parænesim Salomonis ad Reges sub initium capitis præcedentis: noverit interim Lector præmitti eidem parænesi in vulgatâ Bibliorum editione latinâ hanc sententiam, in Græcis alioqui Codicibus desideratam: *Melior est sapientia quàm vires, & vir prudens quàm fortis.* (Sap. 6. 1.) Confirmat eam sententiam idem ipse Salomon alibi, exemplo quodam opportunè adducto: *Civitas parva,* inquiens, *& pauci in eâ viri: venit contra eam Rex magnus, & vallavit eam, extruxitque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio. Inventusque est in eâ vir pauper & sapiens, & liberavit urbem per sapientiam suam.* (Eccle. 9. 14. & 15.) Cujus sententiæ sive parabolæ occasione occurrit animo Archimedes Syracusius, qui patriam suam toto triennio à violentissimâ Romani exercitus oppugnatione penè solus est tutatus: "Syracusas, ait quidam, Marcellus Consul obsedit anno Urbis 540. Quam ab vehementi illius oppugnatione, unius hominis industria tutata est. Archimedes is fuit; qui cæli syderumque contemplator eâ ætate præstans, sed machinarum operumque bellicorum inventis multò clarior, Romanorum apparatus omnes perlevi negotio ludificatus est. Itaque vix anno demùm tertio, Urbis 542. capi Syracusæ potuerunt". (M. Dionys. Petavius in Rationario temporum p. 1. lib. 4. cap. 2. Vide ...) Feliciore adhuc successu, licet minori conamine, Anaximenes Philosophus, Lampsacum Urbem sibi natalem ab

lem ab imminente excidio præservavit. Historiam fusè refert Pausanias lib. 6. sed succinctiùs Valerius Maximus hisce verbis: N. Lampsacenæ urbis salus unius vaframenti beneficio constitit: nam cùm ad excidium ejus summo studio Alexander (*Magnus*) ferretur, progressumque extra mœnia Anaximenem Præceptorem suum, vidisset: quia manifestum erat, futurum, ut preces suas iræ ejus opponeret, *Non facturum se quod petisset*, juravit. Tunc Anaximenes: *Peto*, inquit, *ut Lampsacum diruas*. Hæc velocitas sagacitatis Oppidum vetustâ nobilitate inclytum, exitio, cui destinatum erat, subtraxit". Sacra quoque Regum Historia memorat quemadmodùm *Mulier sapiens* liberaverit Civitatem *Abelam* ab obsidione Joab: ut omittam quæ de *Iahel* & *Iudithâ* in libris Judicum & Judith respectivè narrantur. Quibus addi potest quod de *Iaddo* Judæorum Pontifice, Alexandrum Magnum Judæis exterminium minitantem placante, refert Josephus lib. 11. Antiq. cap. 8. item quæ de Leone I. Pontifice Romano habentur in Breviario hisce verbis: O. Eo tempore *Leo* præfuit Ecclesiæ, cùm Rex Hunnorum *Attila*, cognomento *Flagellum Dei*, in Italiam invadens, Aquileiam triennij obsidione captam diripuit, & incendit: unde cùm Romam ardenti furore raperetur, jamque copias, ubi Mincius in Padum influit, traijcere pararet, occurrit ei *Leo*, malorum Italiæ impendentium misericordiâ permotus. Cujus divinâ eloquentiâ persuasum est Attilæ, ut regrederetur". Et rursùs ibidem post pauca:" Leo autem Romæ singulari omnium lætitiâ exceptus, paulò pòst invadenti Urbem Genserico, eâdem eloquentiæ vi & sanctitatis opinione persuasit, ut ab incendio, ignominijs, ac cædibus abstineret". Quibus exemplis satis liquidò patet, Sapientiam prævalere fortitudini, opibus, copijs. Unde & Salomon per modum corollarij subinfert ex parabolâ jam suprà relatâ, *Meliorem esse sapientiam fortitudine*. Ex mox iterum alijs verbis idipsum repetit, subdens: *Melior est sapientia, quàm arma bellica*. Quibus corollarijs velut quibusdam commentarijs, elucidatur sententia illa libri Sapientiæ superiùs posita, *Melior est sapientia quàm vires, & vir prudens quàm fortis*. Ita quoque censuerunt Græcorum Proceres, quando in obsidione Trojanâ abjudicarunt Achillis interempti arma *Aiaci* forti, & adjudicarunt *Vlyssi* sapienti; permoti potissimùm illâ dissertationis ejus parte finali, quâ dicebat competitori: V. *Tibi dextera bello Vtilis: ingenium, quod eget moderamine nostro. Tu vires sine mente geris: mihi cura futuri. Tu pugnare potes: pugnandi tempora mecum Eligit Atrides. Tu tantùm corpore prodes; Nos animo: quantoque ratem qui temperat, anteit Remigis officium, quanto Dux milite major; Tanto ego te supero: necnon in corpore nostro Pectora sunt potiora manu; vigor omnis in illis*. Ita ille coram Proceribus peroravit, & eorundem suffragijs victoriam reportavit; atque adeò in ipso, sapientia de fortitudine triumphavit. Sequitur namque ibidem post paucula: *Mota manus Procerum est; & quid facundia posset, Re patuit, fortisque viri tulit arma disertus*. Porrò sententia Procerum litis decisoria non potuit aptioribus exprimi verbis, quàm istis Salomonicis: *Melior est sapientia quàm vires, & vir prudens quàm fortis*. Cui planè parallela est illa Sophoclis, Q. *Rationes manuum viribus præpollent*; uti & illa Euripidis ibidem subjuncta, *Exiguum est viri robur, prævalet autem animi industria*: & illa item ejusdem ibidem, *Robur cum imperitiâ sæpius damnosum est: Cautus Imperator præferendus est audaci*. Usque adeò enim robur absque industriâ non prodest, ut præstet potiùs utrisque carere, quàm illo sine istâ pollere. Etenim verissima est illa Horatij sententiola, R. *Vis consili expers mole ruit suâ*. Unde & Salomon alibi ait; *Dissipantur cogitationes ubi non est consilium*. Ex adverso autem subdit idem inferiùs, *Vir sapiens fortis est, & vir doctus robustus & validus: quia cum dispositione initur bellum, & erit salus ubi multa consilia sunt*. Nec moveat, quòd de *consilio* sermo hìc sit. Quia consilium est velut filia sapientiæ, eidem uti matri individuè subnexa ac subnixa. Unde & ipsa sapientia non solùm ait, *Ego Sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus*: sed & mox addit: *Meum est consilium*. Ubi ne fortè Reges aut Principes suspicarentur sermonem esse de *consilio* duntaxat privato ac personali, non etiam de publico ac regali; subdit evestigiò eadem Sapientia: *Per me Reges regnant, & Legum conditores iusta decernunt: per me Principes imperant, & Potentes decernunt iustitiam*. Unde & in Ecclesiastico scriptum est, *Rex insipiens perdet populum suum, & Civitates inhabitabuntur per sensum Potentium*. Quam sententiam pro utraque parte elucidat altera similis, quam ex Agathone recitat Stobæus; salvâ duntaxat ordinis inversione: S. *Viri prudentia*, ait ille, *facit ut benè habitentur Civitates*, *Itemque familiæ*, *& ad bella magnum eius momentum est; Consilium enim sapienter initum multas manus vincit: Imperitia verò cum multitudine deterius malum est*. Quod hìc abstractim dicitur *imperitia*, idipsum ab Ecclesiastico exprimitur concretim *Rex insipiens*: & quod hìc est *Viri prudentia*, hoc ibi est *sensus Potentium*. Non enim de sensu corporis, sed de peritiâ mentis est sermo, quæ reddit hominem sensatum. Præcedit quippe ibidem, *Principatus sensati stabilis erit*: hoc est, Princeps sapiens stabiliter principabitur.

CDLXXXVI. Salomon itaque invitaturus Reges ad audiendum ex se documentum sapien-

Pausanias.

N. Valerius Max. lib 7. Memorabilium cap. 3.

2. Reg. 20. 22.

Josephus.

O. Breviariū R. in die 11. Aprilis.

Eccle. 9. 16.

Ibid. v. 18.

Sap. 6.

V. Ulysses apud Ovid. l. 13. Metamorph.

Q. Sophocles apud Stobæum Serm. 12. Euripides.

R. Horat. l. 3. Carm. Ode. 4.

Prov. 11. 14.

Prov. 24. 5. & 6.

PRÆOCCUPATIO.

Prov. 8. 12.

Ibid. 14.

PRÆOCCUPATIO.

Ibid. v. 15. & 16.

Eccli 10. 3.

S. Agathon apud Stobæum Serm. 52.

Ibid. v. 24

sapientiale planèque Regale, providè opportunèque præmisit magnificum istud Sapientiæ
Sap. 6. 1. præconium: *Melior est sapientia quàm vires, & vir prudens quàm fortis.* Quo præmisso, subintulit
Ibid. v. 2. invitatorium illud suum: *Audite ergo Reges* &c. Quasi diceret: Vos Reges, qui tantoperè concupiscitis vires ac fortitudinem, scitote sapientiam his multò esse præstantiorem, vobisque utiliorem. Sicut ergo libenter audiretis Magistrum, tradentem methodum vires augendi, ac fortitudinem acquirendi: ita longè avidiùs audire me debetis, traditurum vobis documenta sapiendi, ac prudenter in munere vestro procedendi. Simili ferè modo
Prov. 2. 4. in Proverbijs admonet *Quærendam esse sapientiam sicut pecuniam.* Ubi tamen cavendum, ne putetur æquiparasse pecuniam sapientiæ; cùm
Sap. 7. 8. ipse alibi de sapientiâ differens dicat, *Præposui illam regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius.* Non ergo appetibile comparat appetibili, sed appetentiam appeten-
T. Aug. l. de Disciplinâ Christ. c. 10. tiæ: [T.] Indignum est, inquit Augustinus, „ injuriosum est, ut sapientia pecuniæ com„ paretur: sed amor amori comparatur. Vi„ deo enim vos sic amare pecuniam, ut ju„ bente pecuniæ amore labores suscipiatis „ jejunia toleretis, mare transeatis, ventis „ & fluctibus vos committatis. Habeo unde „ eligam quod ametis, sed non habeo quod addam amori quo amatis". Qui rursùs lib. 4. contra Julianum cap. 3. eandem comparationem obiter perstringens: " Scriptura, in„ quit, cùm ad amorem Sapientiæ homines „ hortaretur *quærendam* dixit esse *sicut pecuniam.* „ Nunquid propterea Sancta Scriptura dicen„ da est laudasse avaritiam? Sed quia notum „ est, amatores pecuniæ quantis patienter la„ boribus doloribusque sudantur, à quantis se „ contineant voluptatibus, sive cupiditate „ augendi pecuniam sive timore minuendi, „ quantâ lucrum sagacitate sectentur, & pru„ denter damna devitent, quàm timeant ple„ runque aliena diripere, & aliquando sua „ sibi ablata contemnant, ne repetendo & li„ tigando plus perdant: rectè admoniti sumus „ sic amare sapientiam, ut eam nobis thesau„ rizare avidissimè cupiamus, atque ut nobis „ magis magisque acquiratur, nec aliquâ ex „ parte minuatur; & perferamus molestias, „ & libidines refrænemus, & prospiciamus „ in posterum, & innocentiam beneficentiamque servemus ". Refert Gregorius Na-
V. Gregor. Nazianz. in Sententijs. zianzenus [V.] Avarum quempiam olim in hæc „ verba prorupisse, *Fortunæ guttam malo, quam „ mentis dolium:* sed sapientem quendam eo au„ dito præclarè respondisse, *Mentis guttam pluris facio, quam fortunæ dolium*". Pro cujus responsi pleniori intelligentiâ addendum inci-
W. Aug lib. 14. de Trinit. cap. 14. dit illud Augustini: [W.] Hominis mens, si ei „ manifestaretur quod utrumque habere non „ posset, & unum è duobus permitteretur „ eligere, alterum perditurus, aut thesauros „ quos congregavit, aut mentem: quis usque „ adeò non habet mentem, ut thesauros mal„ let habere, quàm mentem? Thesauri enim „ mentem possunt plerunque subvertere, at „ mens quæ non thesauris subvertitur, sine „ ullis thesauris faciliùs & expeditiùs potest „ vivere. Quis verò ullos thesauros, nisi per „ mentem poterit possidere? Si enim puer „ infans, quamvis ditissimus natus, *Cùm sit* Gal. 4. 1.
„ *dominus omnium* quæ jure sunt ejus, nihil possi„ det mente sopitâ; quonam tandem modo „ quisquam quicquam mente possidebit amis„ sâ? Sed de thesauris quid loquor, quòd eis „ quilibet hominum, si talis optio proponatur, mavult carere, quàm mente? Cùm „ eos nemo præponat, nemo comparet lumi„ nibus corporis, quibus non ut aurum rarus „ quisquam homo, sed omnis homo possidet „ cælum: per lumina enim corporis quisque „ possidet quicquid libenter videt. Quis ergo, „ si tenere utrumque non possit, & alterutrum „ cogatur amittere, non thesauros, quàm „ oculos malit? Et tamen si ab eo simili con„ ditione quæratur, utrùm oculos malit amit„ tere, an mentem? quis mente non videat „ eum oculos amittere malle, quàm mentem? „ Mens quippe sine oculis carnis humana est, „ oculi autem carnis sine mente belluini sunt. „ Quis porrò non hominem se malit esse carne cæcum, quàm belluam videntem"? Cùm
igitur, ut idem alibi admonet, [X.] *Quantum attinet ad hominis naturam, nihil sit in eo melius quàm mens & ratio:* planum est desipere eos vehementer, qui ornando corpori, accumulandis opibus, aut ampliandis ditionibus quasi unicè intenti, nullam gerunt sollicitudinem comparandæ sibi sapientiæ, quæ est præcipuum ornamentum mentis. Si autem cujuslibet mentis, quanto magis regiæ, quæ sibi & X. Augusti l. 1. Retract. cap. 1.
alijs prælucere debet? [Y.] In litteris, ait quidam, quas Regem Romanorum ad Fran„ corum Regem transmisisse recolo, quibus „ hortabatur ut liberos suos liberalibus disci„ plinis institui procuraret, hoc inter cætera „ eleganter adjecit: *Rex illiteratus est quasi asinus coronatus*". Paulò aliter, non tamen dissonanter, Petrus Blesensis: [Z.] *Rex sine litteris,* Y. Joan. Sarisb. lib 4. Policratici cap. 6.
inquit, *navis est sine remige, & volucris sine pennis.* Z Petr Bles. Epist. 47.
De Philippo Macedoniæ Rege, Alexandri Magni patre, scribit Aulus Gellius, [A.] Quòd „ cùm omni ferè tempore negotijs belli vi„ ctorijsque affectus exercitusque esset, à li„ berali tamen Musâ & studijs humanitatis „ nunquam abfuit, quin lepidè comiterque „ pleraque & faceret & diceret. Feruntur „ adeò libri Epistolarum ejus, mundi„ tiæ, & venustatis, & prudentiæ plenarum: „ velut sunt illæ litteræ, quibus Aristoteli Philoso- A. Aulus Gellius lib. 9. Noct. Attic. cap. 3.

,, Philoſopho natum ſibi eſſe Alexandrum
,, nuntiavit. Ea Epiſtola, quoniam curæ dili-
,, gentiæque in liberorum diſciplinas horta-
,, mentum eſt, exſcribenda viſa eſt, ad com-
Phil. Macedo. ,, movendos parentum animos. Exponenda
,, igitur eſt ad hanc fermè ſententiam: *Philippus*
,, *Ariſtoteli ſalutem dicit. Filium mihi genitum*
,, *ſcito: pro quo equidem Dijs habeo gratiam, non*
,, *proindè quia natus eſt, quàm pro eo quod eum*
,, *naſci contigit temporibus vitæ tuæ. Spero enim*
,, *fore, ut educatus eruditusq́; abs te, dignus exiſtat*
& nobis, & rerum iſtarum ſucceſſione". Credibile
eſt Regem didiciſſe illam Superis gratandi
formulam ex diſciplina Platonis, qui, teſte
Lactantius. Plato. Lactantio l. 3. c. 18. *Gratias agebat naturæ quòd*
temporibus Socratis natus fuiſſet. Conſimiles quo-
que gratias naturæ, vel potiùs ejus Authori
ac Rectori agere potuit ac debuit *Alcibiades*,
quòd in ejuſdem Socratis tempora incidiſſet:
B. Franciſ. Patricius l. 2. de Regno cap. 8. [B] Cujus diſciplina, ut quidam ait, ſummâ
,, benevolentiâ confirmata, tantum potuit,
,, ut ad claritatem & gloriam conſequendam,
,, non mediocrem Alcibiadi occaſionem præ-
,, buerit: quippè quæ eum ex nebulone im-
,, puro præclarum reddiderit virum, & Du-
cem Imperatoremq́ue illuſtriſſimum". De hoc
ipſo Socrate locuturus Joannes Sariſberienſis
præmiſerat de Romanis Imperatoribus illud:
C. Ioan. Sariſb. lib. 4. Polìcratici cap. 6. [C] Romanos Imperatores aut Duces, dum
,, eorum Reſpublica viguit, illiteratos exti-
,, tiſſe non memini. Et neſcio quo modo
,, contigit, quòd ex quò in Principibus virtus
,, languit literarum, armatæ quoque militiæ
,, infirmata ſit manus, & ipſius Principatus
,, quaſi præciſa radix. Nec mirum, cùm ſine
,, ſapientia nullus ſtare, aut eſſe valeat Princi-
patus". Quo præmiſſo, ſubdit ille continuò
de Socrate: "*Socrates*, Apollinis oraculo ſa-
,, pientiſſimus judicatus, & qui ſine contradi-
,, ctione ſeptem illos, qui dicti ſunt *Sapientes*,
,, incomparabiliter anteceſſit, non opinione
,, ſapientiæ, ſed virtute: *Tunc demùm Reſpubli-*
,, *cas fore beatas* aſſeruit, *ſi eas Philoſophi regerent*,
,, *aut Rectores earum ſtudere ſapientiæ contigiſſet*.
,, Et ſi tibi Socratis videtur contemnenda au-
Prov. 8. 15. ,, thoritas: *Per me*, inquit ipſa Sapientia, *Reges*
regnant, & conditores legum iuſta decernunt".

CDLXXXVII. Sed ecce maior Socrate
Salomon, cùm præmiſiſſet encomium ſapien-
tiæ, ejuſq́ue præſtantiam ſuper robore ac for-
titudine, ſubintulit illud per modum invita-
Sap. 6. 2. torij: *Audite ergo Reges*. Rursùs quia res erat
non auditu duntaxat, ſed & ſcitu intellectu-
q́ue digniſſima, utiliſſima, ac perneceſſaria, ad-
didit: *Et intelligite*. Ad eundem modum legi-
mus Chriſtum, myſticum Salomonem, dixiſſe
aliquando turbis, ad ſe audiendum confluen-
Mat. 15. 10. tibus: *Audite & intelligite*. Qui rursùs, ſuos
etiam diſcipulos audita non percipientes in-
Ibid. v. 17. crepans, ait: *Adhuc & vos ſine intellectu eſtis*.
Eòdem ſpectat & illud apud alium Euangeli-
ſtam, *Illis qui foris ſunt, in parabolis omnia fiunt:* Mar. 4. 11. & 12.
ut videntes videant, & non videant; & audientes
audiant, & non intelligant. Auditio itaque ad
aures pertinet, intellectio ad cor, juxta illud:
Nequando videant oculis, & auribus audiant, & Mat. 13. 15.
corde intelligant. Monet ergo Salomon Reges,
ut non oſcitanter aut perfunctoriè parænesim
ſuam audiant, ſed inhianter ac ſtudioſè inten-
dant, ruminent, penetrent. Unde & addit:
Diſcite Iudices finium terræ. Eos ipſos hìc nomi- Sap. 6. 2.
nat *Iudices finium terræ*, quos ſuprà nominave-
rat *Reges*: quia nimirùm Regum maximè pro-
prium munus eſt *iudicare*, ſive juſtitiam ſub-
ditis adminiſtrare. Hinc illa Diatogenis ſen-
tentia apud Stobæum: [D] Judicare, & jus ſuum D Diatogenes apud Stobæum
,, ſingulis diſtribuere, proprium opus eſt Re- Serm. 46.
,, gis, qui, ceu Deus, in Mundo Dux atque
Præſes eſt". Quamvis autem ſubinde Reges Vide Hieron. in cap. 22. Hieremiæ
ſubſtituant ſibi ſubalternos Judices, ipſi ta-
men ſunt qui principaliter judicant, eo-
rumq́ue nomine & authoritate lites deci-
duntur, & ſententiæ proferuntur. Sicut igi-
tur Salomon ſuperioribus verbis invitave-
rat *Reges*, ſub eo ipſo nomine expreſſos; ut
audirent, & intelligerent: ita nunc invitat eoſ-
dem, nomine *Iudicum finium terræ* compel-
latos; ut *diſcant*, hoc eſt, ut documentum abs
ſe tradendum apprehendant, percipiant, in-
telligant, cordi ſuo imprimant. Verbo
diſcendi correlativè reſpondet verbum *do-*
cendi, ſicut & nomini *diſcipulus*, nomen *Do-*
ctor. Unde Auguſtinus per quandam velut
contrapoſitionem alicubi ait: [E] Laborant E Auguſt. Epiſt. 101.
,, homines in *diſcendo*, & brevia non valent
,, intelligere, & prolixa non amant lege-
,, re: laborant itidem in *docendo*, qui & pau-
,, ca tardis & multa pigris fruſtrà inge-
runt". Quod ergo hìc dicitur, *Diſcite Iudices*
finium terræ, coincidit penè cum eo quod ait
Pſalmographus, *Erudimini qui iudicatis ter-* Pſa. 2. 10.
ram. Ubi illud quoque mox ſubtexitur, *Ap-* Ibid. v. 12.
prehendite diſciplinam; quod prorsùs idem eſt
ac *Diſcite*. Quemadmodùm enim *tradere diſ-*
ciplinam nihil aliud eſt quàm docere, erudi-
re: ita *apprehendere diſciplinam* nihil aliud eſt
quàm diſcere, erudiri. Porrò per auxeſin
ait Salomon, *finium terræ*; ad indicandum
ſcilicet invitari à ſe ad diſcendum omnes *Iu-*
dices terræ, etiam eos, qui uſque ad extre-
mos terræ terminos longinqui ſunt. Eodem
ſenſu eandem phraſin uſurpavit Chriſtus,
quando dixit Sabæam Reginam veniſſe *à* Mat. 12. 42.
finibus terræ, id eſt, à longinqua orbis pla-
ga, *audire ſapientiam Salomonis*. Paulò aliter
eàdem phraſi uſus fuiſſe videtur idem ipſe
Salomon in Proverbijs: *In facie prudentis*, in- Prov. 17. 24.
quiens, *lucet ſapientia; oculi ſtultorum in fini-*
bus terræ: [F] Senſus, ait quidam, meo ju- F Mart. del Rio Adagio 203.
,, dicio ſimplex & planus eſt: Sapientiam

„ in prudentis viri facie relucere, nimirùm „ propter oculorum compoſitionem & mo- „ deſtam conſtantiam: ſtultitiam quoque fa- „ tuorum eodem in ſpeculo animi facillimè „ perſpici, eò quòd ut mens eorum vaga eſt, „ ſic etiam oculi ſint gyrovagi, per mare, „ per terras huc illuc circumferantur, etiam „ in ultima Mundi clauſtra. Hyperbole ele- „ gans. Vetus Patrum dictum: *Incuſtoditus viſus, incuſtoditæ mentis eſt nuncius*". Pergit porrò Salomon in ſuo invitatorio, ſubdens: *Præbete*

Sap. 6. 3. *aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum.* Hìc novâ iterùm phraſi ad auſcultandum invitat Reges, quos etiam ipſos novis periphraſibus deſcribit. Etenim ſicut quadrifariè eos vocat ad audiendum, primò per verbum *audite*, ſecundò per *intelligite*, tertiò per *diſcite*, & quartò per *præbete aures*: ita & totidem modis dignitatem ipſorum vocatorum qualitatemve perſtringit, primò quidem compellando eos *Reges*, ſecundò *Iudices finium terræ*, tertiò *continentes multitudinem*, quartò denique *placentes ſibi in turbis nationum.* Cæterùm quanquam tot ſint verba invitatoria, quot ipſorum invitatorum congeruntur tituli; non tamen ſingula verba ſingulis correſpondent titulis vel epithetis, ſed ſubinde duo uni, ſubinde unum uni, ſubinde quoque unum duobus. Primo namque titulo *Reges*, bina reſpondent verba invitatoria, *audite*, &, *intelligite*: ſecundo titulo, *Iudices finium terræ*, unicum reſpondet verbum, *diſcite*: tertio denique ac quarto titulo reſpondet unum illud, *præbete aures.* Cui penè eadem eſt illa phraſis Jobi ad amicos inviſentes, Regis nimirum ad Reges, *Præ-*

Job 6. 28. *bete aurem*: pro qua Pagninus & Vatablus verterunt, *Velitis reſpicere ad me.* Auguſtinus verò peculiarem habet verſionem, neſcio

G Aug. 10 cap. 6. Iob v. 28. unde hauſtam, hanc ſcilicet: [G] *Aſpicientes vacate mihi.* Quibus verbis plenam perfectamque auſcultantiam poſci planum eſt, quâ nimirùm ſeponantur omnes diſtractiones non modò aurium, ſed & oculorum, adeòque

H. Auguſt. lib 10 Confeſſ cap. 35. Vide lib. de Morib. Eccleſiæ c. 20. & lib Locutionum in Deuteronomium ſub initium, & Serm 33. de Verbis Domini c. 1. reliquæ ſenſuales: [H] Ad oculos, ait idem „ ipſe Auguſtinus alibi, propriè *videre* pertinet: utimur autem hoc verbo etiam in „ cæteris ſenſibus, cùm eos ad cognoſcen- „ dum intendimus. Neque enim dicimus, „ Audi quàm rutilet, aut olfac quàm ni- „ teat, aut guſta quàm ſplendeat, aut pal- „ pa quàm fulgeat: *Videri* enim dicuntur, „ hæc omnia. Dicimus autem non ſolùm, „ Vide quid luceat, quod ſoli oculi ſentire „ poſſunt: ſed etiam, Vide quid ſonet, „ vide quid oleat, vide quid ſapiat, vide „ quàm durum ſit. Ideòque generalis ex-

1. Joan. 2. 16. „ perientia ſenſuum, *Concupiſcentia oculorum* „ vocatur: quia *videndi* officium, in quo pri- „ matum tenent oculi, etiam cæteri ſenſus „ ſibi de ſimilitudine uſurpant, cùm aliquid cognitionis explorant". Quæ cùm ita ſint, facilè perſpicitur quomodò Jobus illis ſuis verbis ex Auguſtino relatis, *Aſpicientes vacate mihi*, plenam ac perfectam auſcultantiam ab amicis popoſcerit, abſque ulla ſcilicet diſtractione, aut ſenſuum evagatione. Quidni igitur arbitremur Salomonem popoſciſſe conſimilem attentionem ac ſenſuum recollectionem ab ijs, quibus ait: *Præbete aures*? Ubi notandum quod Salomon pluraliter dixerit *aures*, cùm tamen Jobus juxta vulgatam editionem non dixerit aures, ſed *aurem*: quanquam utrobique ſermo ſit ad plures, & proptereà utrobique pluraliter dictum ſit, *præbete.* Nihil proinde abſonum fuerit ſi dicamus Salomonem plurali *aurium* expreſſione innuere voluiſſe, admoneri à ſe Reges, ut ſibi *præbeant aures* non corporis duntaxat, ſed ſimul etiam mentis ſeu cordis. Sicut enim ſuperiùs §. 455. oſtendimus dari os corporis, & os cordis: ita eâdem ratione diſcernendum eſt inter aurem corporis, & aurem cordis. Quemadmodùm etenim ubicunque eſt locutio, ibi agnoſcendum eſt os: ita ubi auditio, ibi & auris. Eſſe autem auditionem cordis, & quidem ſeparabilem ab auditione corporis, manifeſtat in Euangelio Dominus, cùm ait: *Ideò in parabolis loquor eis, quia videntes non vident,* Matt. 13. 13. *& audientes non audiunt.* Quid eſt, *audientes non audiunt*, niſi, audientes aure corporis non audiunt aure cordis? [I] Exhortamur, in- I. Aug. lib. de Bono perſeverantiæ cap. 14. „ quit Auguſtinus, atque prædicamus: ſed „ *qui habent aures audiendi*, obedienter nos au- „ diunt; qui verò eas non habent, fit in eis Matt. 13. 13. „ quod ſcriptum eſt, *ut audientes non audiant*: „ audientes videlicet corporis ſenſu, non audiant cordis aſſenſu". Utramque itaque aurem, exteriorem ſcilicet & interiorem, corporis & cordis, præberi ſibi popoſcit Salomon à Regibus, cùm ait eis: *Præbete aures vos, qui* Sap. 6. 3. *continetis multitudines.* Dicuntur porrò Reges *continere multitudines*, quia quiſque eorum ex vi ſui muneris cohibere debet vaſallos ſuos, ne contra leges aut publicam utilitatem quidquam perpetrent, ſed cum reliquis regnicolis publicum bonum pro ſuo quiſque virili procuret. Quidam ſuſpicantur ſub verbo *continendi* quiddam latere tyrannicum, quaſi importetur violenta ſubditorum conſtrictio. Sed fruſtrà id ſuſpicantur: ſiquidem etiam optimi Principes uſitatiſſimo ſermone dicuntur *continere* ſubditos in officio; quod maximè faciunt condendo, atque obſervari curando utiles leges, quibus tanquam vinculis quibuſdam moralibus coercentur cives, ne ſuâ vivendi licentiâ talem rerum ſtatum invehant, qualis fuit Hebræorum quando dicebatur: *In diebus illis non erat Rex in Iſraël, ſed unuſquiſque quod ſibi rectum videbatur hoc faciebat.* Iudic. 21. 24.

Certè

Certè enim non tyrannicam, sed omninò legitimam gubernandi potestatem tradidit Deus ei, *Qui primus formatus est ab ipso Pater orbis terrarum.* Et tamen Salomon in eodem ipso libro eam potestatem vocat *Virtutem continendi omnia*, id est, [K] vim & facultatem dominan„di omnibus, & gubernandi universum genus humanum". Nihil proinde tyrannicum resonat in eo quod dictum est, *Qui continetis multitudines*; quanquam equidem ea phrasis tyrannicam potestatem non penitùs excludat. Cæterùm quod subditur, *Et placetis vobis in turbis nationum*, non perinde in bonam partem sonat: taxat quippe Reges, qui de multitudine civium suæ ditioni subjectorum adeò sibi complacent, ut inde sumant ansam gloriandi, superbiendi, exultandi, insolescendi: contra quod alibi scribitur, *Rectorem te posuerunt? Noli extolli.* Et verò quis audeat sibi contra hujusmodi complacentiæ titillationem polliceri securitatem, quandoquidem David Regum sanctissimus non solùm ei subjacuerit, sed & succubuerit. Quâ de re Gregorius: [L] Ille, „inquit, Deo attestante laudatus, ille super„norum mysteriorum conscius, tumore re„pentinæ elationis inflatus, *populum numerando* peccavit". Peccavit utique peccato superbiæ, quam ex amplitudine ditionis adeò populosæ sibi subjectæ concepit: [M] Eum, ait „de ipso quidam, subita cupido incessit, ad „metiendas imperij vires populum censere. „Ita à Ioab militiæ Magistro decies centena „& trecenta civium millia dinumerata. Hu„jus eum facti mox piguit pœnituitque, ve„niam à Domino petens, cur in id animos „extulisset, ut regni sui potentiam ex suorum „potiùs civium multitudine, quàm ex favore divino æstimaret". Hanc porrò cordis regij superbam complacentiam subsecuta est quædam mentis inconsiderantia, juxta illud Augustini: [N] Præsumptio tumidæ arrogantiæ „oculum cordis vel claudit ut omninò non „videat, vel distorquet ut perversè videat, & aliud pro alio probet aut improbet". Hinc ergo factum, ut David in illâ populi numeratione aliud incurrerit peccatum, legi divinæ adversum, quâ sancitum fuerat, ut quoties censeretur populus *Darent singuli pretium pro animabus suis Domino.* Hanc itaque legem illè tunc violavit; quia oculum cordis ei vel clausit vel distorsit tumidæ arrogantiæ præsumptio, quam subsecuta est legis oblivio; & hanc ipsa legis transgressio: [O] *David*, inquit Iosephus, „volens cognoscere quantus millium nume„rus recenseri posset in populo, oblitus præ„ceptorum Moysis, qui prædixerat, quoties „censeretur populus, in singula ejus capita „pendendum Deo semisiclum, jussit Ioabum „Imperatorem ire ad censum peragendum". Porrò quia Rex superbiendi ansam sumpsit ex subditorum multitudine, *Placens sibi in turbis nationum*; idcircò æquissimo Dei judicio, intermiscente se etiam Regis resipiscentis electione, immissa est pestilentia, quæ multitudinem populi ad multa millia brevissimo temporis spatio diminuit: ut qui subditorum numerositate intumuerat, eorundem strage detumesceret: *Misit ergo Dominus*, inquit sacer textus, *pestilentiam in Israël, & ceciderunt de Israël septuaginta millia virorum.*

Sap. 10. 1.
Ibid. v. 2.
K. Lorinus in caput 10. Sapientiæ v. 2.
Eccli. 32. 1.
L. Greg. l. 6. Registri Epist. 7.
2. Reg. 24. 2.
M. Sulpicius Severus lib. 1. Sac. Hist.
N. Aug. lib. 16 contra Faust. c. 14.
Ex. 30. v. 12.
O. Ioseph. lib. 7. Antiq. cap. 10. aliàs 11.
Vide Greg. Tolosan l. 3. de Republ. c. 5. n. 5 & l. 9. c. 1. n. 9. & Velasq. in Psalm 100. lib. 2. Annot. 4. n. 8. Sap. 6. 3.
1. Par. 21. 14.

CAPUT CXXIX.

Salomon suam ad Reges parænesin auspicatur ab inculcatione religionis erga Numen, à cujus nutu tota eorum pendeat potestas & authoritas. Ex Deo habent Reges non modò ut Reges sint, sed ut homines sint, imò ut quomodolibet sint. Expenditur Pauli in Areopagitico Consessu dictum de Deo, Ipse dat omnibus vitam, & inspirationem, & omnia: *item*, In ipso vivimus, movemur, & sumus. *Danielis increpatio ad magnum Babylonici Imperij Monarcham directa:* Deum, qui habet flatum tuum in manu suâ, & omnes vias tuas, non glorificasti. *Nabuchodonosoris resipiscentis confessio*, Iuxta voluntatem suam facit Deus tam in virtutibus cæli, quàm in habitatoribus terræ, & non est qui resistat voluntati ejus, & dicat ei: Quare fecisti? *Non solùm personæ hominum singulæ, sed & tota gentium universarum congeries in manu Domini est quasi locusta; momentum stateræ, pulvis terræ, stilla situlæ, nihilum, & inane. Mentitus est Satanas cùm diceret Christo*, Tradita sibi esse omnia regna Mundi, ut ea det cui velit: *cujus enim nutu homines nascuntur, ejusdem quoque nutu Reges constituuntur. Triplici de causâ dispensat Deus regna, primò in subditorum obsequentium commodum, secundò in delinquentium flagellum, tertiò in ipsorum Regum insolescentium opprobrium. Primos evehit juxta cor suum, secundos in furore suo, tertios in ostensionem potentiæ suæ. A sonitu ruinæ Regum commoventur gentes, etiam longinquæ. Plebeiorum memoria perit cum silentio, Magnatum cum strepitu. Pestilente flagellato sapere discunt stulti. Plùs movent exempla quàm verba, & pleniùs opere docetur quàm voce. Assyriorum Regem Deus vocat* virgam furoris sui. *Attila Hunnorum Rex* Flagellum Dei *dictus*, *Tamberlanes Scytharum strategus* Ira Dei. *Phocas ad Romani Imperij culmen evectus, quia nemo eo nequior repertus. Non solùm ex Deo tota Regum quarumlibet potestas, sed & in personas etiam dyscolas distributio potestatis. Tangitur & expeditur difficultas emergens ex verbis Dei per Prophetam dicentis de quibusdam*: Ipsi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi.

cxlxxxviii. INvitatorio Salomonico mox dispunctim elucidato subnectitur parænesis Regis invitantis ad Reges invitatos, quæ sic incipit: *Quoniam data est à Domino potestas vobis.* (Sap. 6. 4.) Quasi diceret: primò omnium perpendere vobiscum debetis, non tantùm vitam vestram, sed & regalem potentiam ex Deo esse. Ipse quippe est de quo Apostolus in Areopagitarum Consessu ait: *Hic cæli & terræ cùm sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus hominum colitur indigens aliquo; cùm ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia.* (Act. 17. 24. & 25.) Et rursùs ibidem post paucula, *In ipso vivimus, movemur, & sumus:* (Ibid. v. 28.) P. Creatoris namque potentia, ut ait Augustinus, & omnipotentis atque omnitenentis virtus, causa subsistendi est omni creaturæ: quæ virtus ab eis quæ creata sunt regendis si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisque natura concideret. Neque enim sicut structor ædium cùm fabricaverit abscedit, atque illo cessante atque abscedente stat opus ejus; ita Mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen sui subtraxerit. Proinde quod Dominus ait, *Pater meus usque nunc operatur*, (Jo. 5. 17.) continuationem quandam operis ejus, quâ universam creaturam continet atque admi-

(P. August. lib. 4 de Gen. ad lit. cap. 12. Vide Enchirid. c. 27. & Epist. 88.)

administrat, ostendit. Aliter enim posset intelligi si diceret, Et nunc operatur; ubi non esset necesse ut operis continuationem acciperemus: aliter autem cogit intelligi cùm ait, *Vsque nunc*; ex illo scilicet quo cuncta cùm conderet operatus est. Et quod
Sap. 8. 1. scriptum est de Sapientia ejus, *Pertingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia*
Sap. 7. 24. *suaviter*: de qua item scriptum est, quòd *Motus eius agilior celeriorq́, sit omnibus motibus*; satis apparet rectè intuentibus, hunc ipsum incomparabilem, & ineffabilem, &, si possit intelligi, stabilem motum suum, rebus eum præbere suaviter disponendis: quo utique subtracto si ab hac operatione cessaverit, eas continuò perituras. Et illud quod ait Apostolus cùm Deum Atheniensibus prędicaret,
Vide Aug. lib. 14. de Trinit. c. 12. *In illo vivimus, movemur, & sumus*, liquidè cogitatum quantùm humana mens valet, adjuvat hanc sententiam, quâ credimus & dicimus, Deum in ijs quæ creavit indesinenter operari. Neque enim tanquam substantia ejus, sic in illo sumus; quemadmodùm dictum est quòd *habeat vitam in semetipso*: sed utique cùm alij simus quàm ipse, non ob aliud *sumus in ipso*, nisi quia id operatur. Et hoc est opus ejus quo *continet omnia*, & quo
Sap. 8. 1. ejus sapientia *pertingit à fine usque ad finem fortiter; & disponit omnia suaviter*; per quam dispositionem *in illo vivimus, movemur, & sumus*. Unde colligitur, quòd si hoc opus suum rebus subtraxerit; nec vivemus, nec movebimur, nec erimus". Quapropter rectè ac meritò Daniel Propheta increpat Regem Babylonis, quòd non glorificaverit Deum, à cujus nutu
Dan. 5. 23. penderet vita ipsius: *Deum*, inquit, *qui habet flatum tuum in manu sua, & omnes vias tuas, non glorificasti*. Pro quo apud Septuaginta Interpretes legitur, *Deum, cuius spiratio tua in manu eius, & omnes via tua, ipsum non glorificasti*. Pagninus vertit, *Deum, in cuius manu est anima tua, & omnes via tua apud eum, non honorasti*. Et Vatablus eodem penè tenore, *Deum, in cuius manu anima tua, & omnes via tua sunt, non honorasti*.

Per *flatum* proindè intelligitur anima, quæ &
Tob. 3. 6. alibi dicitur simpliciter *spiritus*, & alibi cum
Gen. 6. 17. Gen. 2. 7. addito *spiritus vita*, alibi quoque *spiraculum vita*. Eodem item modo sumitur *flatus*, quando
Isai. 42. 5. per Prophetam Dominus dicit se *Dare flatum populo qui est super terram*. Ubi pro *flatu* vertunt Septuaginta Interpretes *spirationem*. Rursùs per eundem Prophetam ait idem ipse Domi-
Isa. 57. 16. nus inferiùs, *Flatus ego faciam*. Pro quo apud Septuaginta legitur, *Flatum omnem ego feci*.
Aug. l. 7. de Genesi ad lit. cap. 8. Vide lib. 1. de Origine animæ c. 14. "Quid est, inquit Augustinus, *Omnem flatum ego feci*, nisi omnem animam ego feci". Si omnem animam, proculdubiò non solùm animas populi, sed & Regum: quorum uni, & quidem maximè tunc sublimi, dicebat mox relatus Daniel Propheta: *Deus habet flatum tuum in manu sua*. Sed nec hoc contentus, continuò
subdidit: *Et omnes vias tuas*, hoc est, ingressum tuum, progressum tuum, & egressum tuum habet in manu sua. Dan. 5. 23.
Atque hoc ipsum, absque ullius personæ sive vilis sive sublimis exceptione, tradit generaliter Apostolus mox suprà adductus, cùm ait de Deo: *Ipse dat omnibus vitam, & inspirationem, & omnia*. Ubi ne dubium remaneret quosnam dixerit *omnes*, statim subdidit: *Fecitq́, ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terra*. Act. 17. 26.
Omnibus proindè ex uno protoplasto Adamo descendentibus, sive vilibus sive sublimibus, *Deus dat vitam, & inspirationem, & omnia*: atque adeò omnium debet esse confessio illa communis, *In ipso vivimus, movemur, & sumus*. Undè & eximius quidam ipsius cultor, *Vir magnus inter* Iob 1. 3.
omnes orientales, dicebat eidem, *Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodivit spiritum meum*. Iob 10. 12.
Et Rex David de eodem loquens: *Vita*, inquit, *in voluntate eius*. Rursùs Ps. 29. 6.
ut noverimus id intelligi debere de *vita* etiam Regum; idem ipse regio fastigio sublimis: *Dominus*, inquit, *protector vita mea*. Et alibi ait Ps. 26. 1.
eidem protectori vitæ suæ: *In manibus tuis sortes mea*. Ps. 30. 16.
Quod Pagninus vertit, *In manu tua tempora mea*. Unde cùm Apostolus dixisset Deum *ex uno fecisse omne genus hominum inhabitare super universam faciem terra*, continuò addidit, *Eundem definivisse statuta tempora, & terminos habitationis eorum*. Act. 17. 26.
Et Job de homine indefinitè loquens, ait Deo: *Constituisti terminos eius,* Iob 14. 5.
qui præteriri non poterunt. Ipse quoq; Dominus per organum Moyseos exclamat: *Ego occidam,* Deut. 32. 39.
& ego vivere faciam: percutiam, & ego sanabo; & non est qui de manu mea possit eruere. Salomon quoque idipsum confitetur cùm ait: *Tu es,* Sap. 16. 13.
Domine, qui vita & mortis habes potestatem; & deducis ad portas mortis, & reducis. Cui consonans senior Tobias, ait eidem: *Tu flagellas &* Tob. 13. 2.
salvas; deducis ad inferos, & reducis: & non est qui effugiat manum tuam. Et Anna Samuëlis mater: *Dominus*, inquit, *mortificat, & vivificat; dedu-* 1. Reg. 2. 6.
cit ad inferos, & reducit. Necnon Ecclesiasticus, *Bona & mala*, inquit, *vita & mors, paupertas &* Eccli. 11. 14.
honestas à Deo sunt. Et rursùs, *Domine Pater,* Eccli. 23. 1.
inquit, *& dominator vita mea*. Et iterum testatur eundem *dare sanitatem, & vitam, & benedictio-* Eccli 34. 20.
nem. Rex item Nabuchodonosor ad seipsum reversus, & vexatione eruditus: *Oculos meos,* Dan. 4. 31. & 32.
inquit, *in cælum levavi, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixi: & viventem in sempiternum laudavi, & glorificavi; quia potestas eius potestas sempiterna, & regnum eius in generationem & generationem. Et omnes habitatores terra apud eum in nihilum reputati sunt: iuxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cæli, quàm in habitatoribus terra; & non est qui resistat manui eius, & dicat ei: Quare fecisti?* Et de integris gentibus, sive potiùs de universa gentium omnium

Isa. 40. 15. congerie, loquens Isaias: *Ecce*, inquit, *gentes quasi stilla situla, & quasi momentum stateræ sunt reputata: ecce insulæ quasi pulvis exiguus.* Et mox *Ibid. v. 17.* iterum: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo: & quasi nihilum & inane reputata sunt* *Ibid. v. 22.* *ei.* Et iterum, *Qui sedet super gyrum terræ, &* *Ibid. v. 23.* *habitatores ejus sunt quasi locustæ.* Et mox rursùs: *Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint, Judices terræ velut inane fecit.*

CDLXXXIX. Quemadmodùm igitur Deus ex semetipso habens ut sit, participatione quâdam existentiæ suæ præstat alijs ut suo modo sint: ita ex semetipso habens ut potens sit, participatione quâdam potentiæ suæ præstat quibusdam ut potentes sint: qualibus ait *Sap. 6. 4.* in sua parænesi Salomon. *Data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo.* Cui consonans *Eccli. 10. 4.* Ecclesiasticus: *In manu Dei*, inquit, *potestas terræ, & utilem rectorem suscitabit in tempore su-* *Rom. 13. 1.* *per illam.* Et novissimè Apostolus: *Non est potestas*, inquit, *nisi à Deo.* Ex quo Apostoli oraculo rectè deducit Martyr Irenæus, menti- *Luc. 4. 6.* tum fuisse Satanam cùm diceret Christo, *Tradita sibi esse omnia regna Mundi, ut ea det cui velit:* *R. Iren. lib. 5. cap. 24.* R "Sicut in principio, ait ille, mentitus est "diabolus, ita & in fine mentiebatur, dicens: "*Hæc omnia mihi tradita sunt, & cui volo do ea.* "Non enim ipse determinavit hujus sæculi *Prov. 21. 1.* "regna, sed Deus: *Regis enim cor in manu Dei.* *Prov. 8. 15. & 16.* "Et per Salomonem ait Verbum: *Per me Reges* "*regnant, & Potentes tenent justitiam: per me* "*Principes exaltantur, & tyranni terræ.* Et Pau- *Rom. 13. 1.* "lus Apostolus hoc ipsum ait: *Omnibus*, in- "quiens, *potestatibus sublimioribus subjecti estote; non est enim potestas, nisi à Deo*". Et rursùs ibidem post pauca: "Ad utilitatem gentium, in- "quit, positum est à Deo terrenum regnum; "non autem à diabolo, qui nunquam omni- "nò quietus est: imò qui nec ipsas quidem "gentes vult in tranquillo agere, ut timentes "regnum humanum non se alterutrum homi- "nes more piscium consumant, sed per legum "positiones repercutiant multiplicem gen- "tium injustitiam. Et secundùm hoc *Ministri* *Rom. 13. 6.* "*Dei sunt qui tributa exigunt à nobis, in hoc ipsum* "*servientes, quæ sunt potestates à Deo ordinatæ.* "Manifestum ergo est quoniam mentitur dia- *Luc. 4. 6.* "bolus, dicens, *Mihi tradita sunt, & cui volo do* "*ea.* Cujus enim jussu homines nascuntur, "hujus & jussu Reges constituuntur, apti his "qui in illo tempore ab ijs regantur: quidam "enim eorum ad subditorum correctionem "& utilitatem, & ad justitiæ conservatio- "nem dantur; quidam autem ad terrorem, & "pœnam, & increpationem; quidam item ad "illusionem, & contumeliam, & superbiam, "quemadmodùm & digni sunt: justo Dei "judicio in omnibus æqualiter supervenien- "te". Ubi observatu digni sunt tres illi modi, quibus author dicit regiam potestatem homi-

nibus à Deo dari: primò quidem in subditorum sibi probè obsequentium utilitatem, secundò in refractariorum punitionem, tertiò denique in ipsorum sublimatorum contumeliam & illusionem; de qualibus Claudianus: S. *Jam non ad culmina rerum Injustos crevisse queror: tolluntur in altum, ut lapsu majore ruant.* *S Claudian. lib. 1. in Ruffin.* Qui primo modo evehuntur ad regna, dicuntur à Deo sublimari secundùm cor suum: sicut Paulus testatur quòd Deus *Amoto Saule suscitaverit* *Act. 13. 22.* *Hebræis David Regem, cui testimonium perhibens dixit: Inveni David filium Jesse, virum secundùm cor meum.* Ad Reges secundo modo provectos spectat quod ab Eliu dictum est de Deo in libro Job: *Qui regnare facit hominem hypo-* *Job. 34. 30.* *critam propter peccata populi.* Eòdem quoque spectat quod Deus minatur Israëli, dicens per Prophetam, *Dabo tibi Regem in furore meo.* *Os. 13. 11.* Ad Reges denique tertio modo evectos spectat quod Deus ait Pharaoni Regi Ægypti: *Idcircò* *Ex. 9. 16.* *posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra:* hoc est, ut te de solio regio, in quo te posui, deturbando, & in nihilum propter tua scelera redigendo, notam faciam potentiam meam cunctis gentibus, ad quas tui casus fama pervenerit. Hinc alibi scriptum est: *Hæc dicit Dominus Deus: In* *Ezech. 31. 15. & 16.* *die quando descendit ad inferos, induxi luctum, operui eum abysso, & prohibui flumina ejus; & coercui aquas ejus: contristatus est super eum Libanus, & omnia ligna agri concussa sunt: à sonitu ruinæ ejus commovi gentes, cùm deducerem eum ad infernum.* Etenim quando Reges, aut supremi quique Principes neminem in terris superiorem agnoscentes, inopinato aliquo infortunio dejiciuntur aut perimuntur, confestim eorum casus aut occasus non modò apud suos subditos & apud vicinos populos divulgatur, sed ad longinquos etiam diffunditur; nec humanis viribus, sed dexteræ Excelsi adscribitur; quandoquidem ipsi in terrâ *Sic facti sint ut neminem* *Job 41. 24.* *timerent.* Atque ita fit, ut *à sonitu ruinæ eorum* *Ezech. 31. 16.* *commoveantur gentes.* De talibus ait Psalmographus, *Perijt memoria eorum cum sonitu.* *Ps. 9. 8.* Siquando enim inferioris sortis homunculi pereunt, penè cum silentio pereunt; quia eorum casus aut occasus nonnisi suis intimis, aut pauculis vicinis innotescit: at contrà, Magnatum, præsertim supremorum, ruina tam vicinos, quàm longinquos percellit, quia *eorum memoria cum sonitu perit*, id est, cum magno strepitu, qui non vicinorum duntaxat, sed & procul distantium aures tinnire facit: *Ecce ego*, ait Domi- *4. Reg. 21. 12.* nus, *inducam mala super Hierusalem & Judam; ut quicunque audierit, tinniant ambæ aures ejus.* Quorsùm id, nisi ut fiat quod in parœmijs ait Solomon, *Pestilente flagellato stultus sapientior* *Prov. 19. 25.* *erit?* Plus enim movent exempla quàm verba, & pleniùs opere docetur quàm voce. Porrò prædicti tres modi non ita sibi adver-

santur,

ſantur, ut non poſſint plures eorum in unius
perſonæ evectione intervenire, ſignanter duo
poſtremi. Sic enim plerique Reges Iſraël, ſive
decem tribuum, evecti ſunt ad regnum non
ſolùm in punitionem refractariorum ſubdito-
rum, ſed ſimul etiam in contumeliam & illu-
ſionem ipſorum evectorum: unde non pauci
eorum funeſtè ac tragicè perierunt, & *A ſonitu*
Ezech. 31. 16. *ruinæ eorum commota ſunt gentes.* Eòdem quo-
que ſpectat quòd ſubinde ſuſcitentur tyranni
ad caſtigandos rebelles eâ caſtigatione emen-
dandos, ipſis interim caſtigatoribus finaliter
proterendis. De qualibus tyrannis ad caſti-
gandum Iudæos & evertendum Hieruſalem
T. Auguſt. in Pſal. 73. ſuſcitatis loquens Auguſtinus: T. Non ipſis,
„ inquit, honor delatus eſt, ut affligerent,
„ ut caperent, ut everterent civitatem: ſed
„ impietas eorum tanquam ſecuris Dei facta
„ eſt: facti ſunt inſtrumentum irati, non re-
„ gnum placati. Facit hoc enim Deus, quod
„ plerunque facit & homo: aliquando iratus
„ homo apprehendit virgam jacentem in me-
„ dio, fortaſſe qualecunque ſarmentum; cæ-
„ dit inde filium ſuum, ac deinde projicit
„ ſarmentum in ignem, & filio ſervat hære-
„ ditatem. Sic aliquando Deus per malos
„ erudit bonos, & per temporalem poten-
„ tiam damnandorum exercet diſciplinam
liberandorum". Præclarè admodùm & ap-
V. Plutarch. lib. de ſeri Numinis vindicta. poſitè Plutarchus; V Quemadmodùm, inquit,
„ hyenæ fel, & phocæ coagulum, necnon
„ feræ aliæ quamplurimæ, aliquid ſalubre &
„ ægritudinibus humanis curandis utile in ſe
„ continent: ita quibuſdam qui fræno animad-
„ verſioneque indigere videntur, Deus ama-
„ ritudinem quandam tyranni inexorabilem,
„ vel ſævam Principis cujuſdam aſperitatem
„ immittit; nec priùs ab afflictione ac per-
„ turbatione deſiſtit, quàm ægritudinem
„ omnem expulerit, & morbum penitùs pur-
„ gaverit. Tale Agrigentinis Phalaris, Ro-
„ manis verò Marius erat pharmacum: Sicyo-
„ nijs quoque palàm Deus prædixit, *Flagella-*
toribus indigere civitatem". Huc item referri po-
teſt, quòd Deus immanem quendam tyran-
num, veteri Hebræorum populo infenſum
Iſa. 10. 5. & infeſtum, vocet *Virgam furoris ſui.* Tamber-
Vide Greg. Tolosanum lib. 23. de Rep. cap. 21. n. 2. lanes tyrannus palàm profeſſus eſt ſe eſſe *Iram*
Dei, & Attila Hunnorum Rex cognomento
dictus eſt *Flagellum Dei.* Cùm quidam mona-
chus ſanctus quæreret à Deo cur *Phocam* ad
Vide Anaſtaſium Nicenum. Imperij culmen evexiſſet, reſpondit ei Do-
minus: *Quoniam non inveni peiorem.*
DIFFICULTAS. Sap. 6. 4. CDXC. Sed cùm Salomon omnibus in-
diſcriminatim Regibus, non ſolùm probis, ſed
& improbis dicat, *Data eſt à Domino poteſtas*
vobis, & virtus ab Altiſſimo; & Apoſtolus neget
R. m. 13. 1. *Eſſe poteſtatem niſi à Deo*: difficultas emergit,
quomodò verificari & cum his conciliari
poſſit quod per Prophetam de dyſcolis qui-

buſdam Regibus ait ipſe Dominus: *Ipſi regna-* Oſ. 8. 4.
verunt, & non ex me; Principes extiterunt, & non
cognovi. Hæc difficultas bifariàm expediri
poteſt, primò dicendo poteſtatem quidem
ipſam Regiam eſſe à Deo inſtituente, prout
priores Scripturæ indicant; ſed ejus uſurpa-
tionem ab hâc vel illâ perſonâ factam, non
eſſe ex Deo, ſed duntaxat ab ipſo tolerari
ac permitti. Ita ſentire videtur Chryſoſtomus,
cum ait: W. Quòd Principatus ſit, quòd hi W. Chryſoſt. Homil. 23. in Epiſt. ad Romanos.
„ quidem imperent, iſti vero ſubjecti ſint,
„ quòdque non ſimpliciter ac temerè omnia
„ ferantur, ne fluctuum inſtar huc atque illuc
„ populi circumagantur; divinæ ſapientiæ
„ opus eſt. Propterea non ait Apoſtolus,
„ Non eſt Princeps niſi à Deo; ſed de re ipſâ
„ diſſerit, dicens: *Non eſt poteſtas, niſi à Deo*".
Eadem penè verbatim habet Iſidorus Pelu-
ſiota, ac poſteà ſubdit: X. Ipſam poteſtatem, X Iſidor. Pelus. l. 2. Epiſt. 216.
„ hoc eſt, Imperium & Regnum, à Deo for-
„ matum atque inſtitutum eſſe profitendum
„ eſt; ne alioquin ornatus in ſtatum inorna-
„ tum degeneret. Quòd ſi quis impius aut
„ ſacrilegus in illud irruperit, haudquaquam
„ hunc à Deo creatum ac deſignatum eſſe di-
„ cimus, ſed permiſſum: quò nimirùm aut
„ Pharaonis in modum improbitatem ſuam
„ omnem evomat, atque ita extremo ſup-
„ plicio excrucietur; aut eos qui crudelitate
„ opus habent ad meliorem mentem revocet,
„ quemadmodùm Rex Babylonis Iudæos".
Similiter & Theodoretus de Deo loquens:
Y. Ipſe, inquit, communis ordinis curam ge- Y. Theodoret in c. 13. ad Romanos.
„ rens, hos quidem imperare; illos verò pa-
„ rêre inſtituit, veluti quoddam frænum in-
„ juſtè agentibus timorem imperantium in-
„ cutiens. Porrò autem ſciendum eſt, quòd
„ & imperare, & imperio ſubeſſe, à divinâ
„ providentiâ pendere doceat divinus Apo-
„ ſtolus, non autem ut hic vel ille principa-
„ tum teneat. Neque enim iniquorum homi-
„ num poteſtas à Dei electione procedit, ſed
„ ipſa Principatûs diſpenſatio. Propitius qui-
„ dem certè ſi fuerit, dat Principes qui ju-
„ ſtum colant & obſervent: *Dabo enim eis*, in- Hier. 3. 15.
„ quit, *Paſtores ſecundùm cor meum & paſcentes*
paſcent eos cum ſcientiâ. Et rurſus: *Dabo Iudi-* Iſa. 1. 26.
„ *ces tuos ſicut priùs, & conſiliarios tuos ſicut anti-*
„ *quitùs.* Cùm autem vult peccatores caſtigare,
„ eos etiam à malis Principibus regi permit- Iſa. 3. 4.
„ tit: ait enim, *Conſtituam adoleſcentulos Princi-*
pes eorum, & illuſores dominabuntur eis". Eodem
modo loquitur Oecumenius in eundem Apo- Oecumen.
ſtoli locum, uti & Theophylactus: Z. Non Z. Theophylact. in cap. 13. ad Romanos.
„ dixit Apoſtolus, inquiens, non eſſe prin-
„ cipem, ſed *non eſſe poteſtatem, niſi à Deo.*
„ Quamobrèm de ipſo Magiſtratûs officio
„ hìc diſſerit: quemadmodùm cùm Sapien-
„ tum quiſpiam dicit, *A Domino uxor aptatur* Prov. 17. 14. iuxta 70.
„ *viro*, non hoc dicit, quòd quemlibet uxo-
ratum

„ratum Deus copulet uxori, sed quod ipse „nuptias feceerit & instituerit. Desiste igitur „ab objectione tuá: Potestates à Deo ordi„natæ sunt, cujusmodi & Patris erga filium, & „mariti erga conjugem contemplaris, aliasque „que universas; ut & in animalibus, veluti apum, gruum, & piscium". Cæterùm primus hic respondendi modus tametsi sufficiat conciliandis inter se locis ex Apostolo Paulo & Propheta Oseâ adductis, non videtur tamen congruere verbis Salomonis, qui Reges ipsos, comprehensis etiam dyscolis, alloquens: *Data est*, inquit, *à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo*: virtus scilicet continendi multitudinem, juxta illud quod proximo versiculo præmiserat, *Præbete aures vos, qui continetis multitudines*. Neque enim Salomon ait, Potestas quæ in vobis est, à Domino est; vel virtus in vobis residens, ab Altissimo instituta est: sed, *à Domino data est*, & quidem *vobis*. Et de Pilato, Præside Iudææ nequissimo, ait Veritas, *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper*. Non solùm ergo ipsa potestas fuit desuper, sed & Pilato ea *data fuit desuper*. Et in libro Iob scriptum est de Deo, quòd *Regnare facias hominem hypocritam propter peccata populi*. Quid est autem *facere hypocritam regnare*, nisi regiam potestatem hypocritæ largiri? Unde & Tertullianus de priscis Imperatoribus, acerbissimis Christianorum persecutoribus, loquens, ait ex communi Christianorum personâ: [A] Nos in Imperatoribus „suspicimus judicium Dei, qui gentibus illos „præfecit: id in ijs scimus esse, quod Deus voluit". Et mox iterum capite sequenti:" Sed „quid ego ampliùs, inquit, de Religione at„que pietate Christianâ in Imperatorem? „Quem necesse est suspiciamus, ut eum quem „Dominus noster elegit; ut meritò dixerim, „Noster est magis Cæsar, ut à nostro Deo constitutus". Et superiùs cap. 30. " Ideò, „inquit, magnus est Imperator, quia cælo „minor est: illius enim est ipse, cujus & cæ„lum est, & omnis creatura: inde est Impe„rator, unde est & homo antequàm Impe„rator: inde illi potestas, unde & spiritus". Et inferiùs cap. 36." Malè velle, malè face„re, malè dicere, malè cogitare de quoquam, „ex æquo vetamur. Quodcunque non licet „in Imperatorem, id nec in quemquam. „Quod in neminem, eò forsan magis nec in ipsum, qui per Deum tantus est". Et lib. ad Scapulam cap. 2." Christianus, inquit, nullius „est hostis, nedùm Imperatoris: quem sciens „à Deo suo constitui, necesse est ut ipsum diligat, & revereatur, & honoret". Et mox iterùm ibidem:" Colimus ergo Imperato„rem, inquit, quomodò & nobis licet, & „ipsi expedit: ut hominem à Deo secundum, „& quicquid est, à Deo consecutum, & solo Deo minorem". Huc quoque spectat illud Cypriani: [B] Regna non merito accidunt, sed sorte variantur". Ubi *sortis* nomine non fortunam aut casum, sed divinæ voluntatis beneplacitum intelligit. Idem rursùs lib. de Orat. Dominicâ, generaliùs de potestate loquens:" Potestas, inquit, dupliciter adver„sùs nos datur, vel ad pœnam cùm delin„quimus, vel ad gloriam cùm probamur: „sicut de Iob factum videmus, manifestante „Deo atque dicente: *Ecce omnia quæcunque ha„bet, in manus tuas do, sed ipsum cave ne tangas*. „Et Dominus in Evangelio loquitur tem„pore passionis ad Pilatum: *Nullam haberes „adversum me potestatem, nisi data tibi esset desuper*". Consonat Chrysologus, dum præmisso illo Apostoli oraculo, *Non est potestas nisi à Deo*, sic ratiocinatur: [C] Si à Deo potestas omnis, „à Deo Rex etiam dispensationis regiæ „adeptus est dignitatem: sic Dux, sic miles, „sic provinciarum Rectores, sic urbium: ra„tionem reddituri sunt omnes isti, si in ullo „creditæ potestatis excesserint mensuram". Augustinus quoque id ipsum planissimè tradit, quando loquens de varijs Romani Imperij dyscolis Principibus, signanterque de Nerone bipedum nequissimo: [D] Etiam talibus, in„quit, dominandi potestas non datur, nisi „summi Dei providentiâ, quando res hu„manas judicat talibus dominis dignas. Aper„ta de hac re vox divina est, loquente Dei „Sapientia: *Per me Reges regnant, & tyranni per „me tenent terram*. Sed ne *tyranni* non pessimi „atque improbi Reges, sed veteri nomine „*fortes* dicti existimentur, unde ait Virgilius, „*Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni*: „apertissimè alio loco de Deo dictum est, „*Qui regnare facit hominem hypocritam propter perversitatem populi*". Et inferiùs cap. 21." Non „tribuamus, inquit, dandi regni atque Im„perij potestatem, nisi Deo vero, qui dat „felicitatem in regno cælorum solis pijs, re„gnum verò terrenum & pijs & impijs, sicut ei placet, cui nihil injustè placet". Et superiùs lib. 4. cap. 33." Deus ille, inquit, feli„citatis auctor & dator, qui solus est verus „Deus, ipse dat regna terrena, & bonis & malis". Et mox iterum ibidem:" Ideò re„gna terrena & bonis ab illo dantur & malis, „ne ejus cultores adhuc in animi provectu „parvuli hæc ab eo munera quasi magni aliquid concupiscant". Et rursùs lib. 5. cap. 1. " Prorsùs, inquit, divinâ providentiâ regna „constituuntur humana. Quæ si propterea „quisquam fato tribuit, quia ipsam Dei vo„luntatem vel potestatem fati nomine appel„lat; sententiam teneat, linguam corrigat". Et inferiùs cap. 21. ejusdem libri:" Qui Per„sis, inquit, dedit segetes, sine cultu Deæ „*Segetiæ*, qui alia dona terrarum, sine cultu tot Deo-

Sap. 6. 4.
Ibid. v. 3.
Io. 19. 11.
Iob 34. 30.
A. Tertull. in Apolog. cap. 32.
B. Cyprian. l. de Idolorum vanitate.
Vide Aug. l. 5. de Civit. c. 1. & lib. 4. c. 33.
Iob 1. 12.
Vide lib. 3. ad Quirinum cap. 1.
Rom. 13. 1.
C. Chrysolog. Ser. 26.
D. August. lib. 5. de Civit. c. 19.
Prov. 8. 15.
Virgil. Æneid. 7.

„ tot Deorum, quos isti (*Romani*) rebus sin„gulis singulos, vel etiam rebus singulis plures „ præposuerunt: ipse etiam regnum dedit, „ sine cultu eorum per quorum cultum se isti „ regnasse crediderunt. Sic etiam in homini„bus, qui Mario, ipse Caio Cæsari; qui Au„gusto, ipse & Neroni; qui Vespasianis vel „ patri vel filio, suavissimis Imperatoribus, „ ipse & Domitiano crudelissimo: & ne per „ singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse Apostatæ Juliano". Ubi apertè videmus Augustinum loqui de potestate non ut abstractâ à personis, sed ut signatè traditâ à Deo certis personis, & quidem etiam scelestissimis: de qualibus item alibi vel solis disserens: [E] Quia etiam, inquit, nocentium potestas non „ est nisi à Deo, sic scriptum est loquente Sa„pientiâ: *Per me Reges regnant, & tyranni per „ me tenent terram*: dicit & Apostolus, *Non est „ potestas nisi data à Deo*. Dignè autem id fieri, „ in libro Job scriptum est: *Qui regnare facit*, „ inquit, *hypocritam hominem propter perversita„tem populi*. Et de populo Israël dicit Deus, „ *Dedi eu Regem in ira mea*. Injustum enim non „ est, ut improbis accipientibus nocendi pote„statem, & bonorum patientia probetur, & „ malorum iniquitas puniatur: nam per pote„statem diabolo datam & Job probatus est ut „ justus appareret, & Petrus tentatus est ne de „ se præsumeret, & Paulus colaphizatus est ne „ se extolleret, & Judas damnatus est ut se sus„penderet. Cùm ergò per potestatem, quam „ diabolo dedit, omnia justè ipse Deus fecerit, „ non tamen pro his justis factis, sed pro ipsâ „ iniquâ voluntate, quæ ipsius diaboli fuit, ei redderur in fine supplicium". Planum igitur est, ex Augustini mente, regnandi potestatem à Deo dari hominibus non modò probis ac dignis, sed etiam improbis atque indignis. Quod ipsum & Scriptura satis indicat etiam cùm ait de Deo, *In unamquamque gentem constituit Rectorem*. Unde & Daniël immanissimo tyranno ait: *Deus cœli, regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi: & omnia in quibus habitant filij hominum, & bestiæ agri, volucres quoque cœli dedit in manu tua, & sub ditione tua universa constituit*. Idem quoque Propheta posteà denuncians eidem tyranno ultionem divinitùs ipsi impendentem: *Septem tempora*, inquit, *mutabuntur super te, donec scias, quòd dominetur Excelsus super regnum hominum, & cuicunque voluerit det illud*.

E Aug. lib. de Natura boni cap. 32. Vide eund. Concion. 2. in Psal. 32. & lib. 13. de Genesi ad lit. cap. 3. & l. 2. ad Simplic. q. 7. & l. 1. de Consensu Euangel. c. 12. & l. de Spir. & lit. c. 31. Prov. 8. 15. Rom. 13. 1. Job. 34, 30. Osæ. 13. 11.

Eccli. 17. 14.

Dan. 2. 37. & 38.

Dan. 4. 22.

DECISIO. CDXCI. Tractant hanc difficultatem Scholastici, post Magistrum lib. 2. Sententiarum Dist 44. sive finali, & dudùm ante eos Isidorus Hispalensis: qui propositâ sibi quæstione, [F] Cùm Apostolus dicat, *Non est potestas „ nisi à Deo*: quomodò Dominus per Prophetam de quibusdam potestatibus dicit, *Ipsi regnaverunt, & non ex me*"? Respondet continuò his verbis: "Quasi diceret, Non me propitio, „ sed jam summè irato. Unde & inferiùs per „ eundem Prophetam additur, *Dabo tibi Regem „ in furore meo*. Quo manifestiùs elucet, bonam „ malamque potestatem à Deo ordinari; sed bonam propitio, malam irato". Hic ergo est primus modus expediendi propositam difficultatem; & conciliandi apparentem Scripturarum antilogiam. Pro cujus pleniori intelligentiâ, recolenda est illa apud Theologos trita divinæ voluntatis partitio, in voluntatem antecedentem seu primariam, & consequentem seu secundariam: [G] Illud, inquit Damas„cenus, nos ne fugiat; Deum, ut bonitate „ præstantem, primariè quidem omnes homi„nes servari ac regni sui compotes esse velle; „ neque enim supplicij ac cruciatûs causâ, sed „ ad hoc ut bonitatis ipsius participes simus, „ nos effinxit: ut autem justum, ijs qui pec„cant pœnam inferri nihilominùs velle. Ac „ prius quidem illud, *antecedens voluntas*, seu „ *beneplacitum* dicitur, ex ipso manans: secun„dum autem, *consequens voluntas*, atque *permissio*, à nostro vitio ortum ducens". Deus igitur omnem potestatem pro sua voluntate unicuique eam habenti, sive bono sive dyscolo, dat: sed quibusdam eam dat pro voluntate suâ primariâ seu antecedente, ut ijs quos constituit Reges *secundùm cor suum*: quibusdam verò pro voluntate suâ secundariâ sive consequente, ut ijs quos constituit Reges in flagellum subditorum delinquentium, vel in opprobrium ipsorum Principum insolescentium. Hanc porrò posteriorem voluntatem dici etiam *permissionem*, testatur Damascenus mox relatus: ut vel hinc appareat Græcos Patres initio §. præcedentis adductos eandem intellexisse nomine *permissionis*; atque adeò eos non re ipsâ, sed solâ loquendi phrasi discrepare ab Augustino & reliquis Patribus subsequenter allatis, qui non ipsam duntaxat potestatem, sed & ejus in quascunque personas quantumlibet improbas collationem, Deo largitori adscribunt. Quæ omnia planiùs intelligi possunt ex consideratione alterius difficultatis, quæ multos olim vexavit; quibusdam negantibus quemquam à Deo prædestinari ad interitum, alijs è contrario cum Augustino & post Augustinum contendentibus reprobos omnes à Deo prædestinari ad interitum: non utique culpæ, sed duntaxat pœnæ; prævisâ tamen culpâ. Quemadmodùm igitur prædestinatio electorum ad vitam spectat ad voluntatem Dei antecedentem & primariam, prædestinatio autem impiorum ad pœnam spectat ad voluntatem Dei consequentem & secundariam: ita provectio Regum quos *juxta cor suum* Deus constituit, promanat ex voluntate ipsius antecedente ac primariâ; provectio autem aliorum quos *in furore suo dare* se asserit, pertinet ad voluntatem ipsius

F Isidor. lib. 3 Sentent. cap. 48. Rom. 13. 1. Osæ. 8. 4.

Osæ. 13. 11.

G Damasc. lib. 2 de Fid. orthod. cap. 29. Vide Divum Thom. 1. p. q. 19. a. 6. ad 1.

1. Reg. 13. 14.

Vide Aug. Epist. 61. & 151. & l. 2. de pec. Meritis c. 17. & l. de Perfect. just. c. 13. & Enchir. cap. 100. & l. 21. de Civit. c. 24 & l. 22. c. 24. Item Prosp. Resp. ad cap. 14. & 15. Gallorũ, & ad c. 10. 11. & 16. Vincent. & Fulgent. l. 1. ad Monimũ per totum, & Synodum 3. Valentinam cap. 9.

ipsius

ipsius consequentem & secundariam. Sic, illi priores provehuntur à Deo propitio, posteriores ab irato: omnes tamen ab ipso, & per ipsum. Huic primæ responsioni subjungo alteram, paulò quidem diversam, non tamen adversam, ab Angelico Doctore suggestam: [H] Præ„mittit Apostolus, ait ipse, originem potesta„tis, dicens: *Non est potestas nisi à Deo.* Quic„quid enim communiter de Deo & creaturis „dicitur, à Deo in creaturas derivatur: sicut „patet de sapientia Eccli. 1. *Omnis sapientia à* „*Domino Deo est.* Potestas autem de Deo & de „hominibus dicitur, Job 36. *Deus potestates non* „*abjicit, cùm ipse sit potens.* Unde consequens „est, quòd omnis humana potestas sit à Deo, „Dan. 4. *Dominabitur excelsus in regno homi*„*num, & cuicunque voluerit dabit illud.* Ioan. 19. „*Non haberes potestatem adversum me ullam nisi* „*tibi datum esset desuper.* Sed contra hoc esse vi„detur quod dicitur Oseæ 8. *Ipsi regnaverunt,* „*& non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi.* „Ad hoc dicendum est, quòd regia Potestas, „vel cujuscunque alterius dignitas, potest con„siderari quantùm ad tria: uno quidem modo „quantum ad ipsam potestatem, & sic est à „Deo, *Per quem Reges regnant*, ut dicitur Pro„verb. 8. Alio modo potest considerari quan„tùm ad modùm adipiscendi potestatem: & „sic quandoque Potestas est à Deo; quando „scilicet aliquis ordinatè potestatem adipisci„tur, secundùm illud Hebr. 5. *Nemo sibi hono*„*rem assumit, sed qui vocatur à Deo tanquam Aa*„*ron*: quandoque verò non est à Deo, sed ex „perverso hominis appetitu, qui per ambitio„nem, vel quocunque alio illicito modo pote„statem adipiscitur, Amos 6. *Nunquid non in* „*fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?* Ter„tio modo potest considerari quantù ad usum „ipsius: & sic quandoque est à Deo, puta cùm „aliquis secundùm præcepta divinæ justitiæ „utitur concessâ sibi potestate, secundùm il„lud Proverb. 8. *Per me Reges regnant* &c. „quandoque autem non est à Deo, puta cùm „aliqui potestate sibi datâ utuntur contra di„vinam justitiam, secundùm illud Psalm. 2. „*Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt* *in unum adversùs Dominum* &c". Censet ergo S. Thomas ipsam potestatem regiam non aliunde quàm à Deo conferri cuilibet habenti ipsam, quamvis modus eam assequendi, vel etiam adeptâ utendi, non semper ab ipso sit. Ratio est, quia nec ipsa potestas nec ejus collatio ullam in se involvit malitiam, quamvis modus eam comparandi, vel jam comparatâ utendi, involvat subinde malitiam. Neque enim peccavit Deus dando Regem Israëlitis petentibus, quamvis ipsi peccaverint petendo, & Samuëlis præfecturam fastidiendo: [L] Cùm Sa„muël Sacerdos, inquit Cyprianus, à Judæo„rum populo ob senectutem contemneretur, „exclamavit iratus Dominus, & dixit: *Non* „*te spreverunt, sed me spreverunt.* Et ut hoc ul„cisceretur, excitavit eis Saul Regem, qui eos „injurijs gravibus affligeret, & per omnes con„tumelias & pœnas superbum populum cal„caret & premeret: ut contemptus Sacerdos „de superbo populo ultione divinâ vindicare„tur". Nec item peccat Deus dando hominibus arbitrij potestatem seu libertatem, quamvis ipsi datâ sibi potestate plerunque abutantur in suam, vel etiam aliorum perniciem, atque adeò in ipsius quoque datoris injuriam. Profitetur Augustinus se non ambigere, [K] Liberum arbi„trium ad Dei gratiam, hoc est, ad Dei dona „pertinere; non tantùm ut sit, verùm etiam ut bonum sit": Sed non propterea usus ejus malus redundat in potestatis largitorem, sed unicè refunditur in potestatis benè datæ abusorem. Unde & idem Augustinus alibi scribit: [L] Quibusdam Deus tribuit potestatem, qui„busdam non tribuit: sicut enim omnium na„turarum creator est, ita & omnium potesta„tum dator, non voluntatum. Malæ quippè „voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est". Ubi *voluntatis* nomen non pro ipsa facultate liberi arbitrij, sed pro ejus actu sive usu, quem vitandæ æquivocationis gratiâ *volitionem* dicere solemus, usurpat: quemadmodùm & alibi, cùm ait: [M] Apostolus dicit, *Non est potestas nisi à Deo:* „nusquam autem legimus in Sanctis Scriptu„ris, Non est voluntas nisi à Deo. Et rectè non „scriptum est, quia verum non est: alioquin „etiam peccatorũ, quod absit, author est Deus, „si non est voluntas nisi ab illo; quoniam ma„la voluntas etiam sola peccatum est, etiamsi „desit effectus, id est, si non habeat potesta„tem. Porrò cùm voluntas mala potestatem „accipit implere quod intendit, ex judicio „Dei venit, *Apud quem non est iniquitas*: punit „enim etiam isto modo, nec ideò injustè, quia occultè". Atque hæc abundè sufficere videntur pro expedienda difficultate præsenti: nihilominùs admonendum censeo lectorem ut observet, verba illa ex Oseæ textu objecta, *Ipsi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & ego non cognovi*, aliter sonare in alijs editionibus, quàm in nostra vulgata. Apud Pagninum enim sic legimus, *Ipsi regnare fecerunt, & non ex me: Principes constituerunt, & non cognovi.* Apud Vatablum sic, *Ipsi regnare fecerunt, & non ex me: Principes constituerunt, & non novi.* Apud Chaldæum Paraphrasten sic, *Regem sibi creaverunt, & non ex sententia mea: constituerunt sibi Principes, & non per consilium meum:* ut proinde juxta has editiones, Hebraico textui satis consonas, sermo sit non de ipsis Regibus aut Principibus, sed de populo eos inconsulto divino oraculo constituentibus: [N] Hæc „accusatio, inquit Theodoretus, perstringit „decem tribus, quæ sibi Hieroboam Regem consti-

H. D. Thom. in cap. 13. ad Romanos lect. 1.
Vide Eschat. in 2. Dist. 44. a. 2. q. 1.
Rom. 13. 1.
Eccli. 1. 1.
Job 36. 5.
Dan. 4. 22.
Io. 19. 11.
Oseæ 8. 4.
Prov. 8. 15.
Hebr. 5. 4.
Amos 6. 14.
Prov. 8. 15.
Psalm. 2. 2.
L. Cyprian. Epist. 69.
1. Reg. 8. 7.
K. August. l. 2. de Peccat. merit. cap. 6. Vide lib. de Spir. & lit. cap. 15.
L. Aug. lib. 5. de Civit. cap. 9.
M. Aug. lib. de Spir. & lit. cap. 31.
Rom. 13. 1.
Rom. 9. 14.
Oseæ 8. 4.
N. Theodoret. in c. 8. Oseæ v. 4.

„ constituerunt, non interrogato universorum Deo, an hoc faciendum esset". Non ergo importatur quod potestas regnandi illorum Regum ac Principum non fuerit à Deo data; sed quod eorum electio perperàm à subditis inconsulto Domino fuerit præcipitata. Denique inhærendo editioni vulgatæ, quæ ipsos Reges carpere videtur tanquam non ex Deo regnantes, expediri potest difficultas, dicendo, verbum *Regnaverunt* perinde valere ac si dictum fuisset, regnum administrarunt, sive, functionem suam regiam exercuerunt. Vulgò enim dicere solemus quempiam benè regnasse, vel malè regnasse, alludentes non ad regiam ipsius potestatem, sed ad actualem administrationem: Sic enim distinguere solemus tyrannum titulo, à tyranno administratione. Rectè enim notat Estius, huic ipsi difficultati satisfaciens,[F] In Principe legitimo duo considerari: F. Estius Annotat. in c. 8. Osee. Vide eund. in 2. Dist. 44. §. 2.
„ potestatem, & usum potestatis. Potestas le-
„ gitima à Deo est, ac de ea dictum est, *Non*
„ *est potestas nisi à Deo*: usus autem potestatis, Rom. 13. 1.
„ si bonus est, id est, si potestas ipsa præcipit
„ justa & recta, est à Deo; unde dicitur Pro-
„ verb. 8. *Per me Legum Conditores justa decer-* Prov. 8. 15.
„ *nunt*. Si autem malus est usus potestatis, &
„ vergat in oppressionem pauperum & inno-
„ centium, aut præscribat falsum Dei cultum, &
„ similia; non est à Deo. Atque hoc est quod
„ hìc dicitur, *Regnaverunt, & non ex me*, id est, po-
„ testate quam legitimam à me acceperant, abusi sunt contra præcepta & instituta mea".

CAPUT CXXX.

Etsi à Deo Reges evehantur & sublimi potestate muniantur, non equidem in totum emancipantur aut exleges efficiuntur: sed ipse largitor potestatis, censor permanet executionis; evectorum opera interrogaturus, & cogitata scrutaturus. Peccatum Augustino est Factum, dictum, vel concupitum contra legem æternam. *Nullum peccati genus Deo abscondi potest, qui totus est visus, totus auditus, totus odoratus, gustus & tactus: qui quæ fuerunt, sunt, vel erunt, uno mentis ictu discernit; quem, quia respicit omnia solus, verum possis dicere Solem.* Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super Solem. *Deo omnia sunt præsentia non actu existendi, sed perspicacitate noscendi. Dementia est autumare plantatorem auris non audire, aut fictorem oculi non videre. Optimum cavendi peccati remedium est persuasio de Deo ubique præsente, & universa incessanter inspectante. Eo remedio* Ephraim Syrus *meretricem se tentantem compunxit, & de impudica prostibula pudicam monacham fecit. Tum demùm homines in vitiorum gurgitem effrænatiter prolabuntur, cùm Deum res humanas aut non inspicere, aut non curare arbitrantur. Expenditur Psalmographi dictum,* Providebam Dominum in conspectu meo semper &c. *Projectæ temeritatis est delinquere in conspectu Iudicis, ejusdemque legislatoris, cuncta cernentis, & delinquentes plectere valentis. In divino iudicio locus non est Codici vel Digestis; idem erit Dominus, Iudex, actor, testis. Bernardi dictum ad peccantem coram Angelo custode, à fortiori premit peccantem coram Deo summo ultore*: Tune audes illo præsente, quod me vidente non auderes? *Cur Sponsus in Canticis assimiletur dorcadi? Quid sibi velit comminatio illa Dominica*, Scrutabor Hierusalem in lucernis? *Cur potiùs Hierusalem in lucernis scrutanda, quàm Babylon? Interrogatio & scrutatio Dei non arguit eius inscitiam, sed inde vitabilem innuit peritiam.*

CDXCII. Cum jam Salomon Regibus perpendendum ingessisset, undenam haberent, & cuinam consequenter acceptam & conservatam referre deberent suam potestatem imperandi multitudini, suamque virtutem continendi eandem: pergit protinus terrere eosdem denunciatione scrutinij, ab eodem ipso instituendi, super usu abusuque traditæ potestatis: *Qui interrogabit*, inquiens, *opera vestra*. Quasi diceret, Sap. 6. 4.

 Domi-

Dominus ille à quo data vobis est potestas, Altissimus ille cui acceptam & conservatam referre debetis vestram virtutem continendi multitudinem, nequaquam vos undequaque emancipavit, aut prorsùs exleges ac libertinos reddidit: sed licèt ab humana coercitione vos exemerit, reddendæ tamen sibi rationi obnoxios reliquit. Itaque *interrogabit opera vestra*, hoc est, inquiret in facta vestra: sicut enim dedit vobis jus inquirendi in subditorum vestrorum gesta, ita sibi reservavit jus inquirendi in vestra gesta. Rursùs ne fortè putaretis internas vestras cogitationes ac molitiones eximi ab hac inquisitione, sicut subditorum vestrorum internæ machinationes eximuntur à vestra jurisdictione: sequitur continuò, *Et cogitationes scrutabitur*. Tribus modis Reges, uti & cæteri mortales, peccant: cogitatione, verbo, opere. Unde Augustinus generali descriptione peccatum definit. [Q] *Factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam legem.* Ubi per *factum* intelligis peccatum operis, per *dictum* peccatum verbi seu oris, per *concupitum* denique peccatum cogitationis: neque enim mens peccat cogitando, nisi affectus interveniat directè vel interpretativè consentiendo. Ex hoc igitur Salomonis loco discere possunt Reges, non solùm opera sua, sed & cogitationes subjacere interrogationi supremi Judicis, à quo potestatem acceperint, & virtutem continendi multitudinem. Cæterum cùm verba sint quodammodò media inter cogitationes internas & opera externa, rectè intelliguntur comprehendi hîc à Salomone sub alterutro extremorum, saltem reductitiè: Sicut cùm dicitur Deus *In principio creasse cælum & terram*, sub extremis intelligendum venit quicquid inter ea fuerit tunc conditum. Denique ut planiùs noverint Reges etiam oris peccata subjacere divino scrutinio, audiant eundem Salomonem superiùs in eodem libro præmittentem: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis. Propter hoc, qui loquitur iniqua non potest latere, nec præteriet illum corripiens judicium. In cogitationibus enim impij interrogatio erit, sermonum autem illius auditio ad Deum perveniet, ad correptionem iniquitatum illius: quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur.* Nihil igitur sive in factis Regum, sive in dictis, sive in cogitatis latet Deum; qui, ut non inscitè quispiam ait, [R] Totus est „ oculus, quia totus videt; & totus auris, „ quia totus audit; & totus manus, quia totus „ operatur; & totus pes, quia totus ubique „ est". Et Plinius, quanquam impiè num Deus existeret ambegerit, vidit tamen quòd eo admisso consequens sit ut totus videat, totus audiat, totus sentiat: [S] Effigiem Dei, inquit „ ipse, formamque quærere, imbecillitatis „ humanæ reor: quisquis est Deus, si modò „ est aliquis, & quacunque in parte, totus est „ sensus, totus visus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus sui". Veteres Ægyptij Deum hieroglyphicè exprimebant sub figura oculi in sceptri regalis fastigio depicti: in sceptro adumbrantes regiam ejus potentiam, in oculo vigilacem perspicientiam. Quam ejus perspicientiam notavit Apostolus, cùm de ipso diceret: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus; omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus.* Cui consonans Ecclesiasticus, ait de eodem: *Omnia videt oculus illius.* Et rursùs ibidem mox infrà: *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super Solem; circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Unde & Psalmographus eos vocat insipientes & stultos, qui cùm impiè agerent, putabant se à Deo non videri: *Intelligite*, inquiens, *insipientes in populo, & stulti aliquando sapite: Qui plantavit aurem, non audiet? Aut qui finxit oculum non considerat?* Hoc est interprete Genebrardo: [T] Estne probabile, „ ut qui vim audiendi & cernendi hominibus „ tribuit, ipse res humanas nec videat, nec audiat"? Nullo modo: sed; sicut Paræmiastes ait: *Omnes viæ hominis patent oculis ejus.* Et ne fortè quis putet se uspiam posse latere, ait idem superiùs: *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.* Cùm enim ipse, ut mox vidimus, totus sit oculus; prorsus utique ubicunque ipse est, ibi & oculus ejus est. Ubique autem ipse est, cui Psalmista accinit: *Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Oculus proinde ipsius ubique est, sicut & ipse ubique est. Quapropter rectè ab Ecclesiastico mox relato dictum est, *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super Solem.* Neque enim Sol radios in ima terræ, aut in profundum abyssi diffundit: cùm tamen oculus Domini etiam illic adsit, & omnia intueatur. Quod advertens Christianus quidam Poëta ait: [V] *Puro clarum lumine Phœbum Melliflui canit oris Homerus: qui tamen intima viscera terræ Non valet, aut Pelagi viscera, radiorum infirmá prorumpere luce. Haud sic magni conditor orbis; Huic ex alto cuncta tuenti Nulla terræ mole resistunt, Non nox atris nubibus obstat: Quæ sint, quæ fuerint, veniantque, Uno mentis cernit in ictu Quem, quia respicit omnia solus, Verum possis dicere Solem.* Ex Judæis quoque eandem de divina omniscientia doctrinam tradit Philo multis in locis, signanter ubi ait: [W] Deo, ut „ in luce purissima, omnia sunt conspicua: „ penetrans enim sinus intimos animæ, videt „ quæ non cernuntur alijs; & pro sua provi„ dentia præscientiaque, quæ virtutes ei pe„ culiares sunt, nihil abuti libertate sinit, & suæ

Ibid.

Q. August. lib. 22. contra Faust. cap. 27.

Gen. 1. 1.

Sap. 1. 7. & seqq.

R. Novatianus lib. de Trinit. c. 6. Vide Iren. l. 2. c. 47 & Cyrill. Hierosol. Catech. 6.

S. Plin. lib. 2. c. 7.

Hebr. 4. 13.

Eccli. 23. 19.

Ibid. v. 28.

Ps. 93. 8. & 9.

T. Genebr. in 113. 9. Vide Theodoretum in Psalm. 93. 9.

Prov. 16. 2.

Prov. 15. 3.

Ps. 138. 8. & seqq.

Eccli. 23. 28.

V. Boët. l. 5. de Consol. Philos. Metro 2. Vide Isidor. Pelusiot. l. 4. Epist. 41. & 131. & Cyrill. Hierosol. Catechesi. 6.

W. Philo l. de ... [illegible]

„ ſuæ poteſtati eximi: quandoquidem etiam „ futurorum incertitudo non cadit in ipſum, „ apud quem nec futurum eſt quidquam nec incertum". Superiùs item lib. de Agricul-turâ:" Itane, inquit, homo aut ulla creatura „ poteſt ſe à Deo abſcondere? Quònam ab „ eo, qui nuſquam non eſt, qui proſpicit uſque „ ad omnes terminos, qui univerſa replet ſuâ „ præſentiâ, à quo nihil vel minutiſſimum deſeritur"? Breviter & appoſitè Cardinalis Pullus: Z. Univerſam, inquit, multiplicita-„ tem eorum quæ fuerunt & erunt, præſen-„ tario intuitu divinus perluſtrat oculus: ut „ omnia Deo, juxta authoritatem, ſint præ-„ ſentia, non actu exiſtendi, verùm perſpi-cacitate noſcendi".

Z Cardin. Pullus lib. 2. Sentent. c. 16.

CDXCIII. Monet Auguſtinus eos qui peccata ſua latere arbitrantur, ut cogitent, ea quæ hominibus occulta ſunt, Deo deſuper inſpectanti patere: Y. *Quem latere nihil poteſt.* Ex quibus ejus verbis Hugo Victorinus ſubinfert: Z. In cunctis ergo quæ vel agen-„ do, vel loquendo, vel cogitando delinqui-„ mus, aſpectum ſuperni Judicis vehementer „ formidare debemus, quia etſi aliquando non „ appareant hominibus vitia noſtra; illius ta-„ men oculis nuda ſunt omnia & aperta Et hoc „ nos à culpâ reprimere debet, quia in ejus ju-dicio nihil inultum poterit remanere". Similiter & Boëtius, poſtquàm Deum ubique præſentem & omnibus actionibus noſtris ſupervigilantem aſtruxiſſet, ſubinferuit hanc parænetiçam illationem ad homines indiſcriminatim univerſos: A. Averſamini igitur vitia, „ colite virtutes, ad rectas ſpes animum ſub-„ levate, humiles preces in excelſa porrigite. „ Magna vobis eſt, ſi diſſimulare non vultis, „ neceſſitas indita probitatis, cùm ante oculos agitis Judicis cuncta cernentis". Et ante Boëtium Chryſoſtomus: B. Dei, inquit, „ exactum timorem ante oculos habeamus: „ nihil enim ita hominem perdit, quàm ſi il-„ lum contingat ab hâc anchorâ excidere; „ quemadmodùm contrà nihil ita illum ſer-„ vat, quàm aſſiduus in illum aſpectus. Nam „ ſi cùm hominem præſentè contuemur, tar-„ diores reddimur ad peccandum, ſæpè etiam „ & ſervos modeſtiores ſubveriti nihil admit-„ timus abſurdi: conſidera quantam adepturi „ ſimus ſecuritatem, ſi nos contigerit Deum aſſiduè in oculis ferre". Conſimili conſideratione B. Ephraim Syrus meretricem quandam ſibi moleſtam non ſolùm repulit, ſed etiam ad reſipiſcendum induxit. Cùm enim ab ea ſollicitaretur ad ſecum concumbendum, reſpondit: C. Si mecum dormire velis, veni „ quò dixero tibi, ut ibi ſimul dormiamus. „ Ad quem meretrix: *Dic mihi*, inquit, *locum*, „ *& veniam*. Et Sanctus ad illam: Si condor-„ mire mihi cupias, non poteris alio in loco, „ niſi in Urbe mediâ. Reſpondens autem „ illa dixit ad eum: *Et non erubeſcimus conſpectum* „ *hominum*? Reſpondens magnus Ephraim di-„ xit ei: Si homines erubeſcimus, multò magis „ Deum erubeſcere ſimul & timere oporte-„ bit, qui novit etiam occulta hominum: quo-„ niam ipſe eſt qui veniet judicaturus Mun-„ dum, & redditurus unicuique ſecundùm „ opera ſua. Hæc audiens meretrix, compun-„ cta eſt ex verbis illius, & accedens procidit „ ante pedes ejus, ploranſque dixit: *Serve Dei*, „ *deduc me in viam ſalutis, ut à multis meis malis &* „ *improbis operibus liberer*. Sanctus autem ſenex „ multis eam admonens ex ſacrâ Scripturâ, „ confirmanſque illius pœnitentiam, miſit „ eam in monaſterium, & ſalvavit ejus animam ex cœno flagitiorum". Ipſe quoque Ephraim in peculiari Tractatu quem *De Virtute* ſcripſit & inſcripſit: D. Continuâ Dei recor-„ datione, inquit, turpes animæ paſſiones re-„ cedunt, ſicut malefici accedente Prætore, „ unde & mandum Sancti Spiritûs habitacu-„ lum efficitur: ubi verò memoria Dei abeſt, „ ibi tenebræ cum fœtore dominantur, omniſque improbitas exercetur". Hujus item Synchronus & amicorum præcipuus, Baſilius Magnus, exponens iſtud Pſalmographi oraculum, *De cælo reſpexit Dominus* &c. E. Conſi-„ dera, inquit, è ſublimi deſpectantem, con-„ ſidera è cælo res mortalium introſpicien-„ tem. Quòcunque tandem perges, quodcun-„ que demùm opus efficies, ſive in tenebris „ ſive in luce diei, Dei oculum ſuperinten-„ dentem habes. *De præparato habitaculo ſuo.* „ Non aperiuntur portæ, non contrahuntur „ cortinæ: paratum eſt continuò ad quidvis „ ſpectandum Dei habitaculum, omnes aſpi-„ cit filios hominum, ne unus quidem effuge-„ re ipſius aſpectum poteſt; non tenebræ, non „ parietes quemquam occulere valent; oculis „ Dei nihil obſtaculi, nullum oppanditur ve-„ lamen: tantumque abeſt ut quemquam non „ videat, ut etiam corda contempletur & „ introſpiciat, quæ ipſe finxit citra ullam ad-„ miſtionem ad malitiam inclinantem: cor „ enim finxit opifex hominum Deus ad ſuam „ ipſius imaginem, ſimplex quidem illud, ſed „ nos ipſi id reddidimus multifarium, & ad „ omne vitiorum genus verſatile, ipſum per-„ miſcendo affectibus carnis, corruptâ in illo „ imagine Dei, &, quam habebat, ſimplici-„ tate & ſynceritate ſibi ubique ſimili. Quo-„ niam igitur cordium eſt conditor Deus, „ propterea *Omnia opera noſtra intelligit*: opera „ quidem dicimus etiam verba & cogitatio-„ nes, utque ſemel expediam, univerſam hominis motionem". Sed quanti momenti ad vitanda peccata ſit hæc conſideratio divinæ ſuperintendentiæ, indicat idem Baſilius in Fragmento per Metaphraſten relato: F. Quis

Y. Aug. in Regula c. 6 & Epiſt. 109.

Z Hugo Victorin in Comment. Super Regulã Auguſtini cap. 6.

A Boët. l. 5. de Conſolat. Philoſ. Proſâ 6. in fine

B Chryſoſt. Homil. 4. ad Romanos, in Moral. Vide eund. in Pſal. 140.

C In vitâ Ephraim Syri.

D. Ephraim Tract. de Virtute c. 10.

Pſ. 32. 13. E Baſil. in Pſal. 32. v. 13 Vide Pſeudo-Auguſtinum c. 14. Soliloquior. in Appendice tomi 6. Ibid. v. 14.

Ibid. v. 15.

unquam

F Idem Apud Metaphrast. Orat. 2 alias 9. de Precatione.

unquam eorum, inquiens, qui credunt Deum omni in loco esse, & iis quæ fiunt interesse, & unicuique actioni adesse, voluntatesque cordium perspicere, aut cogitationem pravam suscipiat, aut scelera perpetret? Verùm tum demùm homines ad scelera edenda descendunt, cùm aut Deum non inspicere, aut ea quæ fiunt nequaquàm curare, autumant". Ex adverso autem qui Deum desuper inspectantem jugiter attendit, non solùm ab iniquitate cautè se cohibet, sed & in virtutis semitâ proficuè progredi satagit. Unde pius quidam Tractator ait: G Illum arbitror esse beatum, qui quamdiu à Domino peregrinatur in corpore, per censuram disciplinæ spiritualis *omni custodiâ servat cor suum*; & in cunctis negotiis suis interiùs disponendis, vel exteriùs peragendis, in lumine fidei & sapientiæ splendore præsentiam Dei meditatur, in spiritu, Prophetamque imitatur qui ait: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commovear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe.* Nihil quippe reor esse sic efficax ad internam adipiscendam munditiam, & ad virtutis arcem conscendendam, necnon ad coercendas carnis delectationes, *Quæ adversus animam militare* noscuntur; quemadmodùm cogitare se astare semper ante oculos Judicis cuncta cernentis". Imò verò non qualiscunque Judicis, sed supremi; cujus judicium nullâ exceptione declinari, nullâ appellatione reformari, nullâ revisione corrigi potest. Ubi & illa prætereà circumstantia sedulò perpendenda occurrit, quòd ille ipse Judex simul sit & legislator, cujus Leges violantur, cujus Scita sperniuntur, cujus Edicta ipso inspectante pessundantur, conculcantur, profanantur: *Unus est*, inquit Jacobus Apostolus, *Legislator & Iudex, qui potest perdere, & liberare.* Quemadmodùm igitur Paulus ait, *Deus justificat, quis est qui condemnet*? ita ex adverso dici verissimè potest, Deus condemnat, quis est qui justificet? Rursùs sicut in Apocalypsi scriptum est de Christo, *Aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit*: ita in Deuteronomio ait de seipso summus Legislator ac Judex, *Ego occidam, & ego vivere faciam, percutiam, & ego sanabo: & non est qui de manu meâ possit eruere.* In cujus loci Commentario Cosmas Magallianus recitat veterem quendam Rhytmum, pridem à P. del Rio lib. 5. Disquisit. Magicarum relatum, hujus tenoris: H *Iudicabit Iudices Iudex generalis: neque quicquam poterit dignitas Papalis, Sive sit Episcopus, sive Cardinalis Reus, condemnabitur, nec dicetur, qualis? Ibi nihil poterit quisquam allegare, Neque quid excipere, neque replicare; Neque ad Apostolicam Sedem appellare, neque Codicillos Cæsaris citare. Reus condemnabitur, nec dicetur, quare? Cogitate miseri quid, vel quales estis: quid in hoc Iudicio dicere potestis? Hic non erit Codici locus, vel Digestis: Idem erit Dominus, Iudex, Actor, testis.*

G. Laurent. Justinian. L. de Gradibus perfectionis c. 6.
Prov. 4. 23.
Ps. 15. 8. & 9.
1. Pet. 2. 11.
Iac. 4. 12.
Rom. 8. 33. & 34.
Apoc. 3. 7.
Deu. 32. 39.
H. Magal. Ibi l. 5. in canticum magnum Moysis Sect. 7 Annot. 3. n. 104.

CDXCIV. Deterret Bernardus quemque à peccando, consideratione præsentiæ, Angeli custodis jugiter assistentis, & hominis sibi commissi gestus superintendentis: I *Angelis suis*, inquiens, *Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*: quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam? Reverentiam pro præsentiâ, devotionem pro benevolentiâ, fiduciam pro custodiâ. Cautè ambula; ut videlicet cui adsunt Angeli, sicut eis mandatum est, *in omnibus viis tuis*, in quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habeas. Tune audeas illo præsente, quod me vidente non auderes"? Quæ percontatio potiori sanè ratione militat in Deo, summo Legislatore ac Judice cuncta introspiciente, quàm in ullo creato spiritu ad ejus nutum nos custodiente. Neque enim cuiquam horum, sed ipsi, & quidem cum exclusione, dictum est: *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Ubi tamen exclusus censeri non debet is, qui sic est homo, ut simul sit & Deus. Cùm enim *Ipse sit constitutus à Deo Iudex vivorum & mortuorum*; procùldubiò novit corda filiorum hominum. Unde & ipse ait: *Ego sum scrutans renes & corda.* Ob hanc scrutandi perspicacitatem dicit de eo Sponsa in Canticis, *Similis est dilectus capreæ*: quod animal, ut notat Beda, K *Ab acumine cernendi vocatur Græcè dorcas.* Et ante Bedam Basilius Magnus: L Laqueo, inquit, prehendi non potest dorcas sive caprea, quòd visus sit acerrimi: cognomen nimirùm sortita ab acumine sui visus". Et Philo Carpathius: M Christus, inquit, capreæ assimilatur, eò quòd corda omnium subtilissimè rimetur, & inspiciat cogitationes omnes, sicut dicit: *Ego Dominus scrutans renes, & probans corda*". Et mellifluus Bernardus: N Tu, inquit, qui adventum desideras Salvatoris, time scrutinium Judicis, time oculos *capreæ*: time illum, qui per Prophetam dicit: *Et erit in die illâ, & ego scrutabor Hierusalem in lucernis.* Acuto visu est, nihil inscrutatum relinquet oculus ejus: *Scrutabitur renes & corda*, ipsaque *cogitatio hominis confitebitur illi.* Quid tutum in Babylone, si Hierusalem manet scrutinium? Puto enim hoc loco Prophetam nomine *Hierusalem* designasse illos, qui in hoc sæculo vitam ducunt religiosam, mores supernæ illius Hierusalem conversatione honestâ & ordinatâ pro viribus imitantes; & non, velut qui in Babylone sunt, vitam in perturbatione vitiorum scelerumque confusione vastantes. Denique *Illorum peccata manifesta*

I Bernard. Serm. 12 in Psal. Qui habitat. Ps. 90. 11.
1. Reg. 8. 39.
Act. 10. 42.
Apoc. 2. 23.
Cant. 2. 9.
K Beda in cap. 9 Act. Apost. v. 36.
L Basilius Homil. 9 in illud Attende tibi ipsi.
Vide Greg. Nyss. Hom. 5 in Cantic.
M Philo Carpath. in cap. 2 Canticor. v. 9.
Ier. 17. 10.
N Bernard. Serm. 55 in Cantica.
Soph. 1. 12.
Apoc. 2. 23. Ps. 7. 10.
1. Tim. 5. 24.

,, *manifesta sunt, præcedentia ad judicium*, & non
,, egent scrutinio, sed supplicio: mea autem,
,, qui videor Monachus & Hierosolymita,
,, peccata certè occulta sunt, nomine & ha-
,, bitu Monachi adumbrata; & idcircò necesse
,, erit subtili ea investigare discussione, &
,, quasi admotis lucernis de tenebris in lucem
,, prodi. Possumus afferre aliquid & de Psal-
Psal. 74. 3. ,, mo, ad confirmandum id quod dicitur de
,, *Scrutanda Hierusalem*: ait namque sub per-
,, sonâ Domini, *Cum accepero tempus ego justitias*
,, *judicabo*; vias justorum, nî fallor, & actus
,, eorum discussurum se & examinaturum di-
,, cit. Verendum valdè; cùm ad hoc ventum
,, fuerit, ne tam subtili examine multæ nostræ
1. Cor. 11. 31. ,, justitiæ, ut putantur, peccata appareant:
,, unum est tamen, *Si nosmetipsos dijudicaverimus,*
,, *non utique judicabimur*. Bonum judicium, quod
,, me illi districto divinoque judicio subducit
Heb. 10. 31. ,, & abscondit: prorsùs *Horreo incidere in manus*
,, *Dei viventis*; volo vultui iræ judicatus præsen-
1. Cor. 2. 15. ,, tari, non judicandus: *Spiritualis homo omnia*
,, *judicat, & ipse à nemine judicatur*. Judicabo
,, proindè mala mea, judicabo & bona: mala
,, melioribus curabo corrigere actibus, diluere
,, lachrymis, punire jejuniis, cæterisque san-
,, ctæ laboribus disciplinæ: in bonis de me
Luc. 17. 10. ,, humiliter sentiam, & juxta præceptum
,, Domini *Servum me inutilem reputabo, qui quod*
,, *facere debui tantùm feci*. Dabo operam nec
,, lolia nec paleas pro granis offerre: scruta-
Soph. 1. 12. ,, bor vias meas, & studia mea; quò is, *Qui*
,, *scrutaturus est Hierusalem in lucernis*, nihil in me
Nah. 1. 9. ,, inscrutatum sive indiscussum inveniat: *Ne-*
,, *que enim judicaturus est bis in idipsum*. Quis mihi
,, det ita ad liquidum prosequi ac persequi
,, delicta mea, ut in nullo oporteat vereri
,, oculos *capreæ*, in nullo contingat erubescere
ad lumen *lucernarum*"? Videmus hinc quantoperè reformidaverit verus iste Hierosolymita oculos *capreæ* acutissimè cernentis, splendoremque lucernæ absconditа tenebrarum manifestantis. *Hierosolymitam* dico, quia Mundo mortuum, & cælestium contemplationi impensè intentum. Tot enim modis quis dici potest *Hierosolymita*, quot modis usurpatur ipsa *Hierusalem*: sicut ex adverso tot modis dicitur *Babylonita*, quot modis sumitur ipsa *Babylon*, quæ interpretatur confusio, quem-
o Hugo Victor lib. 1. Erudit. Theolog. ex 3. Miscell. c. 61. admodùm *Hierusalem* visio pacis: [o] *Hierusalem*,
,, ait quidam, quatuor modis sumitur: histo-
,, ricè, allegoricè, moraliter, anagogicè.
,, Historicè civitas est constituta supra mon-
Vide ibid. c. 54. & lib. 4. de Claustro animæ cap. 1. ,, tem Sion in areâ Ornæ Jebusæi, ubi Rex
,, David nebulosam construxit turrim. Alle-
,, goricè est Urbs in monte Christo constituta,
Ps. 86. 1. ,, cujus *fundamentum in montibus sanctis*, ubi
,, Christus regnat in æternum. Moraliter est
,, fidelis anima contemplationi dedita, quæ
,, in virtutum eminentiâ sternit fundamen-
,, tum; quam inhabitat Verbum de corde Pa-
,, tris eructatum: Verbum enim Dei sensus
,, in illo. Anagogicè supercœlestis illa curia,
,, Archangelica turma, quæ quotidiè satiatur
,, dum ei apparet gloria: quia in speculatione
,, æternæ jucunditatis jugiter creditur constituta". Totidem ex adverso modis usurpatur nomen *Babylonis*: primò scilicet historicè pro metropole Chaldæorum, secundò allegoricè pro Ecclesiâ malignantium diabolo in terris militante, tertiò moraliter pro animâ mundanæ confusioni deditâ, quartò demùm anagogicè pro inferno inferiori, *Ubi nullus ordo,* *Job. 10. 22.*
sed sempiternus horror inhabitat. Cæterùm quanquam ambæ istæ civitates scrutandæ sint, observat tamen Bernardus, mox relatus, non de Babylone, sed de Hierusalem dici, quòd *Scrutanda sit in lucernis*: quia nimirùm pro Babylone scrutandâ nihil opus est lucernis, cùm
Eius peccata manifesta sint, præcedentia ad judicium. *1. Tim. 5. 24.*
Notat prætereà Alredus, [p] *Babylonis* nomine, *p Alredus Ser. 1. in caput 13. Isaiæ*
,, quæ confusio interpretatur, Mundum signi-
,, ficari: ubi nimirum confusa sunt omnia, ubi
,, boni cum malis, cum electis reprobi vivunt;
,, ubi frumentum cum paleâ, oleum cum
,, amurcâ; ubi cum acinis vinum; ubi, quan-
,, tùm ad temporalia, sicut justus ita impius".
Mundus porrò instar picis est, de quâ scriptum est, *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ.* *Eccli. 13. 1.*
Unde & Leo Papa ait: [q] Dum per varias *q Leo Ser. 4 de Quadrag. c. 1.*
,, actiones vitæ hujus sollicitudo distenditur,
,, necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere". Ex quo apparet, quanto sordescendi periculo exponantur Reges terræ, quibus ait Salomon: *Data est à Do-* *Sap. 6. 4.*
mino potestas vobis, & virtus ab Altissimo; qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. Ubi tamen cavendum, ne hanc Dei *interrogationem* aut *scrutationem* humano more intelligamus: quasi Deus idcircò interroget aut scrutetur, ut interrogando vel scrutando discat quod ignoraverit. Etenim, ut Scriptura divina testatur, *Domino Deo antequam*
crearentur omnia sunt agnita: sic & post perfectum *Eccl. 23. 29.*
respicit omnia. Quia enim homines eo fine scrutantur, ut perfectam notitiam assequantur; *Vide Aug. l. 15 de Trinit. c. 13.*
idcircò & scrutamen Deo metaphoricè attribuitur, quia totum id supereminenter ex semetipso tenet, ad cujus participium pertingere homines scrutando student. Unde cùm veteres Pneumatomachi contenderent Spiritum Sanctum non esse Deum, eò quòd Apostolus eum dixerit *Omnia scrutari, etiam profunda* *1. Cor. 2. 10.*
Dei: Ambrosius uni cuipiam eorum respondens: [r] Si te movet, inquit, quia Apostolus *r Ambros. l. 2. de Spir. Sancto c. 12.*
,, dixit, *scrutatur*: accipe quia id quoque de
,, Deo scriptum est, eo quod sit scrutator cor-
,, dis & renum: ipse enim dixit, *Ego sum scru-* *Hier. 17. 10.*
,, *tans corda & renes*. Etiam de Filio Dei habes
,, ad Hebræos, *Qui scrutator est animi & cogi-* *Heb. 4. 12.*
tationis.

„ *tationis.* Unde liquet, quia nemo inferior su„ perioris scrutatur interna, divinæ solius esse „ potestatis occulta novisse. Similiter ergo „ scrutator est Spiritus Sanctus, ut Pater; „ similiter scrutator, ut Filius; cujus sermo„ nis proprietate id exprimitur, ut videatur „ nihil esse quod nesciat, quem nihil præterit". Quando ergo Salomon dicit Deum *Opera Regum interrogaturum, & cogitationes scrutaturum*; perfectissimam notitiam ei attribuit omnium, quæ Reges vel egerint vel cogitaverint: "Dicendum est igitur, inquit Cyrillus, vias ho„ minis patêre oculis Dei, & omnes gressus „ ejus ab ipso considerari; & eum virtutis „ cultores præmijs dignari, sceleratos autem „ ei maximè exosos esse, & reddere eum cui„ que secundùm opera sua. Oportet proindè „ nos semitas rectas percurrere, & viam Deo „ omnium Domino placitam incedere, & „ peccata somno vel inertiâ commissa pœni„ tentijs protinùs corrigere. Sic autem legi„ timè viventes, & probam vitam reipsâ in„ stituentes, benignum ac placabilem habi„ turi sumus universorum Dominum, quem „ rejectâ nequitiâ non sinemus in nos exacerbari".

S.Cyrillus Alex. in caput 1 Sophoniæ v. 12.

CAPUT

CAPUT CXXXI.

Reddendæ Deo rationi obnoxios se agnoscant Reges, tanquam ministri regni ejus. *Cæsar Augustus titulum* Domini *respuit, etiam cùm plenè Imperio potiretur. Carolus Magnus in suis Edictis regiam Christi dignitatem suæ præmittere solitus. Supremi quique inter Christianos Dynastæ suis titulis inserunt* Dei gratiâ, *vel* divinâ clementiâ *&c. Canuti Regis memorabile factum: uti & Godefridi Bullionij in Hierosolymitanum Regem à Christianis electi. Rabani Mauri de postremo Francorum Rege in novissimis diebus regnaturo traditio. Proponitur & ventilatur quæstio, num terreni Reges dicendi sint* ministri *non tantùm Dei omnibus superregnantis, sed etiam suorum respectivè regnorum? Reges assiduis bonitatis argumentis probare debent non Rempublicam suam esse, sed se Reipublicæ. Regnare non decet eum, cui vacare Reipublicæ non vacat. Talis esse debet Rex privatis, qualem sibi optaret Regem privatus. Conjectura de Principe ex eventibus fisci, cujus causa nunquam est mala, nisi sub Principe bono. Trajani Cæsaris cum vidua justitiam flagitante disceptatio.* Hoc uno Reges olim sunt fine creati, Dicere jus populis, injustaque tollere facta. *Rudolphus Cæsar negabat se idcircò Imperio admotum, ut quasi segrex in arca includatur. Regis ac tyranni discrimen. Regem à tyranno non magis discernit multitudo civium, quàm pastorem à lanione multitudo ovium. Regnum Antigono Regi servitus nobilis. Tiberius Cæsar occupationes suas noluit dici* sacras, *sed* laboriosas. *Quisquis supereminet plùs affligitur mœroribus, quàm hilaretur honoribus. Expenditur quod scriptum est,* Gigantes gemunt sub aquis. *Summus Christianorum Hierarcha* Servum Servorum Dei *se intitulat. Nulla major Principis felicitas, quàm fecisse felices. Titi & Iustiniani Cæsarum in id dicta. Homero Reges probi sunt* populorum Pastores. *Non dedignentur Reges dici suorum regnorum ministri, cùm cælestes Angeli dicantur* in ministerium mitti. *Singulis regnis ac provincijs deputantur Angeli tutelares, qui & Reges nuncupantur, & Consules; & interim ministri, Sicut in corpore physico caput membris ministrat, & membra vicissim capiti: ita & in politico fieri convenit.*

CDXCV. SI sapiant Reges, reputabunt sibi viritim dictum, quod Rex David morti vicinus dixisse legitur filio suo Salomoni, in successorem designato: *Tu Salomon fili mi,* inquiens, *scito Deum Patris tui, & servito ei corde perfecto, & animo voluntario: omnia enim corda scrutatur Dominus, & universas mentium cogitationes intelligit. Si quæsieris eum, invenies: si autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum.* (1. Par. 28. 9.) Derelinquunt porrò Reges Deum non solùm quando alienam religionem invehunt aut amplectuntur, sed prætereà quando potestate regiâ in largitoris injuriam quomodolibet abutuntur. Unde & Salomon in sua ad Reges parænesi postquam dixisset *Opera eorum à Domino fore interroganda, & cogitationes scrutandas* (Sap. 6. 4.): continuò subdidit, *Quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, nec secundùm voluntatem Dei ambulastis.* (Ibid. v. 5.) Ubi inprimis eos tacitè admonet, ut advertant, se nequaquàm esse principales & independentes regnorum dominos, sed *ministros.* Quod quidem dupliciter intelligi potest: uno modo ut sint ministri respectu Dei, tanquam supremi omnium regnorum Domini, cui ministeriale obsequium in

regendis suis respectivè ditionibus impendant: alio modo ut sint ministri ipsorum etiam regnorum sibi respectivè concreditorum. De priori nulla est difficultas: certum quippe est Reges esse Dei ministros, qui & potestatem eis tribuit, & rationem administrationis est exacturus, prout ex superiùs dictis patet, & Apostolus disertè semel iterumque inculcat:

Rom. 13. 3. & 4.

Principes, inquiens, *non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere Potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est.* Unde & David Rex ad Deum exclamat ingeminando,

Ps. 115. 16.

Ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ: & Dominus Prophetæ ad eundem delegando,

2. Reg. 7. 5.

Vade, inquit, *& loquere ad servum meum David*. Et ne fortè quis

PRÆOCCUPATIO.

suspicetur Davidem dici *Dei servum*, propter religionem, quæ in Dei servitute consistit: audiat quid de Nabuchodonosore, Rege tunc idololatrâ, dicat idem ipse Dominus:

Hier. 43. 10.

Assumam Nabuchodonosor Regem Babylonis servum meum. Eòdem spectat, quòd *Cyrum* Monarchiæ Persicæ Conditorem vocet *Pastorem suum*.

Isa. 44. 28.

Sed ne diutiùs his immorer, utar compendio quo usus est pius ille Rex Josaphat, dicens Deo:

2. Par. 20. 6.

Tu es Deus in cælo, & dominaris cunctis regnis gentium; in manu tua est fortitudo & potentia, nec quisquam tibi potest resistere. Huic quoque veritati confirmandæ, etsi fortè nesciens, servivit primus ille Romanę monarchię conditor Augustus Cęsar, quo imperante natus est Christus *Rex Regum & Dominus dominantium*,

Apoc. 19. 16.

quatenùs Edicto cavit ne à quoquam appellaretur *Dominus*. Quâ de re Suetonius in ejus vita:

T. Sueton. in Vita Octaviani Augusti c. 53.

T. *Domini* appellatio-„nem, inquit, ut maledictum & opprobrium „semper exhorruit. Quùm spectante eo ludos, „pronuntiatum esset à mimo, *O Dominum* „*æquum & bonum!* & universi quasi de ipso di-„ctum exultantes comprobassent, statim ma-„nu vultuque indecoras adulationes repressit, „& sequenti die graviter corripuit Edicto, „*Dominumq́;* se posthac appellari, ne à liberis „quidem aut nepotibus suis, vel seriò vel joco passus est". Huc allusit Tertullianus, cùm diceret:

V Tertull. in Apolog. c. 34.

V. Augustus Imperij formator, ne *Do*-„*minum* quidem dici se volebat: & hoc enim Dei cognomen est". Paulus Orosius illud Augusti Edictum emanasse asserit eo ipso anno quo Christus trabeâ carnis indutus de virgineo utero prodijt in Mundum:

W. Oros. lib. 6. c. 22.

W. Eo anno, „ait ille, quo fortissimam verissimamque pa-„cem ordinatione Dei Cæsar composuit, na-„tus est Christus, cujus adventui pax illa fa-„mulata est; in cujus ortu audientibus homi-„nibus exultantes Angeli cecinerunt, *Gloria in*

Luc. 2. 14.

„*excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ vo*-„*luntatis*. Eodemque tempore hic, ad quem re-„rum omnium summa concesserat, *Dominum* „se hominum appellari non est passus, imò „non ausus; quo verus Dominus totius generis humani inter homines natus est". Carolus Magnus, Romanorum & ipse Imperator ac Francorum Rex inclytus, in Præfatione Capitularium suorum ita loquitur, ut licet titulo *Regis* utatur, Christi tamen regalem dignitatem præmittat, & suam eidem acceptam referat, dicens:

X. Carolus Magnus in Præfatione capitularibus.

X. *Regnante Domino nostro Iesu Christo in perpetuum: Ego Carolus, gratia Dei, eiusq́; misericordiâ donante, Rex & Rector Regni Francorum, & devotus Sanctæ Ecclesiæ Defensor humilisq́; adiutor* &c. Cæteri quoque Reges Christiani, necnon alij Principes superiorem in terris temporalem non agnoscentes, se *Dei gratiâ*, vel *divinâ clementiâ* regnare, aut principari profitentur passim in suis Edictis ac Sanctionibus: quâ phrasi se Dei ministros agnoscunt. Sed haud facilè quisquam illustriori exemplo id præstitit quàm *Canutus*, Dacorum quondam & Anglorum Rex; qui, ut refert in Anglicana sua Historia Polydorus Virgilius,

Y Polydor. Virgil. lib. 7. Histor. Anglic. versus finem. Vide Radulph. de Diceto in Chronico ad annum 1017 & Hen. ... de Eventib. Angl. ... nico ad an. 9. Canuti.

Y. Cùm aliquando animi causâ, „secundùm Oceani littus haud procul à Sou-„thantoniensi portu ambularet; ibique per „otium à milite auribus serviente appella-„retur *Rex Regum longè omnium potentissimus*, „*qui hominibus, qui mari, qui terra latè imperi*-„*taret*: tum ille tacitus, animo repente ad „Dei potentiam contemplandam erecto, ut „suorum vanas assentationes aliquo argumen-„to coargueret, vestem exuit, ac ex ea glo-„bum fecit, superque sedit quamproximè „aquam, æstu jam fortè ex alto se incitante, „ac inquit: *Vnda, tibi iubeo, ne pedes meos* „*tangas*. Quæ ubi fatus, suis demirantibus qua-„tenùs ista faceret, unda insurgens totum „madefecit. Tum ille retrò progressus: *En*, „inquit, *Principes, vocatis me Regem, qui hanc* „*parvulam undam meo imperio cohibere vel remo*-„*rari nequeo. Nullus nempe mortalium est tali no*-„*mine dignus: est Rex unus, Pater Domini nostri* „*Iesu Christi, cum quo ille regnat, cuius nutu cun*-„*cta reguntur. Hunc veneremur, hunc Regem ap*-„*pellemus; hunc Regum, hunc populorum omnium* „*Dominum, hunc cæli, terræ, maris Rectorem non* „*solùm confiteamur, sed etiam profiteamur; præ*-„*tereà neminem.* Post hæc Vintoniam profe-„ctus, coronam, quam gestabat, capiti si-„mulachri Christi crucifixi, quod in tem-„plo Apostolorum Petri & Pauli pendebat, „suis manibus imposuit; nunquam posthac „ejusmodi ornamento capitis usus insigni. Nescio num huc referri mereatur, quod ex quorundam traditione Rabanus Maurus memorat de Francorum Rege omnium novissimo, temporibus Antichristi potenter regnaturo, dicens:

Z Rabanus Tract. ... Tractatu circumfertur sub nomine ... pendico.

Z. Quidam nostri Docto-„res dicunt quod unus è Regibus Francorum „tenebit ex integro Romanum Imperium:

quodque

„ quodque in novissimo tempore erit, ipseque „ erit maximus, & omnium Regum ultimus: „ qui postquam feliciter regnum suum gubernaverit, ad ultimum veniet in Hierusalem, „ & in monte Oliveti sceptrum coronamque deponet ". Illud interim silentio prætereundum non est, Godefridum Bullionium à Christianis victoribus in Regem Hierosolymitanum pro meritis electum, nunquam induci potuisse ut coronam regiam suo capiti ibi imponeret, ubi *Dominus Dominorum & Rex Regum* Christus spineâ fuerat coronâ redimitus: A. Promotus, ait de ipso Tyrensis Præsul, „ humilitatis causâ, coronâ aureâ, Regum „ more, in sancta Civitate noluit insigniri: eâ „ contentus, & Illi reverentiam exhibens, „ quam humani generis reparator, in eodem „ loco, usque ad crucis patibulum pro nostra „ salute spineam deportavit: Unde quidam „ in catalogo Regum, non distinguentes me„ rita, eum dubitant connumerare; magis „ attendentes quæ exteriùs geruntur in cor„ pore, quàm quæ fidelis & Deo placens „ anima mercatur. Nobis autem non solùm „ Rex; sed Regum optimus, lumen & speculum videtur aliorum ".

Apoc. 17. 14.
A. Wilerm. [Tyr.] l. 9. H. Hierosl. cap. 9.

CDXCVI. Cùm igitur indubitatum sit, omnes Reges terræ ministros esse ac vasallos ejus, qui in divinis Eloquijs verissimè dictus est *Rex magnus super omnem terram*, & ejus item qui in eisdem alibi astruitur *Princeps Regum terræ*: superest discutiendum, utrùm sint etiam ministri suorum respectivè regnorum? Videri cuipiam posset quod non, quia cùm *Regnum* non aliud sonet quàm regnicolarum Regi subordinatorum collectionem, non apparet quomodò censeri possit hujus multitudinis minister, qui omnibus sibi ministrantibus præest, præsidet, supereminet. Accedit quòd Rex in corpore politico se habeat ad eum modum, quo caput in corpore Physico: cùm ergo in corpore physico caput non ministret membris, sed capiti ministretur à membris, consequenter apparet idem esse dicendum de Rege comparatione regni, quod ei tanquam capiti politicè subditur; sicut dictum est Sauli in Regem evecto, *Caput in tribubus Israël factus es*. Nec obstat quòd Rex plerunque per liberam populi electionem subvehatur ad dignitatem capitis. Etenim sive suffragio populi; sive alio quopiam artificio aut beneficio ad dignitatem capitis pertigerit, eo ipso quo pertigit, caput est, Dominus est, superior est, ministrari ei à subditis debet; ministrare subditis non debet. Nec objici potest exemplum petitum ex Deo, cujus ministros permanere eos quos ad regna evehit, jam proximo §. ostendimus. Magna quippe est dissimilitudo. Deus enim neminem evehit ad

Ps. 46. 3.
Apoc. 1. 5.
1 Reg. 15.
PRÆOC. [CUPAT]IO 10
PRÆOC-[CUP]ATIO.

regnandum supra ipsum evehentem, sed ad regnandum supra populum cui eum præficit. At verò populus qui Regem sibi eligit, eum sibi præficit, eique seipsum subjicit, capitis functionem in illum transcribit, parendi ministrandique necessitatem sibi injicit. Neque enim Dominus Davidi ait; Tu pasces me, & eris Princeps super me, sed, *Tu pasces populum meum Israël; & eris Princeps super eum*: ex adverso autem qui apud Isaiam volebant cuipiam conferre principatum, dicebant ei, *Princeps esto noster*, hoc est, caput esto nostrum, & nos membra tibi ministrantia. His tamen non obstantibus, fatendum videtur, Reges terrenos non solùm Dei summi Regis, sed etiam suorum respectivè regnorum esse ministros. Hoc enim in plano ac proprio verborum sensu indicat textus Salomonis, qui non ait, Cùm essetis ministri ejus, scilicet Dei: sed, *Cùm essetis ministri regni illius*. Sicut ergo ex textu Apostoli asserentis *Principem esse Dei ministrum*, colligitur veritas resolutionis præcedenti §. traditæ: ita ex textu Salomonis mox relato duo ista colliguntur, nimirum & regnum cujuscunque terreni Regis esse Dei; & quemque terrenum Regem esse ministrum regni sui. De priori jam satis in superioribus dictum: de posteriori testatur inprimis Seneca, B. Regem assiduis boni„ tatis argumentis probare debere non Rem„ publicam suam esse, sed se Reipublicæ ". Refert quoque Spartianus, C. Hadrianum Cæ„ sarem & in concione & in Senatu sæpè di„ xisse, ita se Rempublicam gesturum, ut scirent, populi rem esse, non propriam ". Refert item Suetonius, D. Tiberium Cæsarem sæpè „ coram Senatu dixisse, bonum ac salutarem „ Principem Senatui servire debere, & uni„ versis civibus, sæpè & plerunque etiam singulis ". Hoc sibi persuasum habuisse videtur etiam mulier illa, quæ; ut refert Cassius, E. Hadriano Cæsari obviam facta audien„ tiam flagitavit, ipsoque otium sibi esse ne„ gante, exclamavit: *Noli igitur imperare* ". De Rudolpho Austriaco illud memorabile prodit Lipsius, F. Quòd cùm submoveri à suo „ satellitio tenuiores quosdam videret, ad se „ affectantes; non sine stomacho edixerit: *Per* „ *Deum, sinite homines ad me venire: non enim ideò* „ *ad Imperium sum vocatus, ut in arcula includar*". Sed & illud magis mirabile, quod de Trajano Cæsare præmiserat idem Lipsius ibidem superiùs n. 2. hisce verbis: " Cùm Præfe„ ctum suum Prætorij, de more, gladio suc„ cingeret, daretque vitæ & necis potesta„ tem: *Cape hunc*, inquit, *& si quidem rectè &* „ *ex utilitate omnium imperavero, pro me; sin aliter contra me utere* ". De eodem quoque Eutropius illud reliquit scriptum: G. Amicis „ eum culpantibus, quòd nimis erga omnes

1. Par. 17, 7.
Isa. 3. 6.
Sap. 6. 5.
Rom. 13. 4.
B. Seneca l. 1. de Clementia c. 19.
C. Ælius Spartian. in vita Hadriani.
D. Sueton. in vita Tiberij c. 29.
E. Dio Cassius in Hadriano.
F. Lipsius l. 2. Monitor. Politic. c. 7. n. 6.
G. Eutropius l. 8. in Trajano

„ comis esset, respondit: *Talem se Imperatorem* „ *velle esse privatis, qualem sibi Imperatorem privatus optasset*". Extat ad hunc Imperatorem elegans Plinij Panegyricon, in quo & illud in eo peculiariter prædicat, quòd frequenter ipso imperante Fiscus in Iudicijs caderet causâ: " Quæ gloria, inquit, tua est præcipua, sæpè „ vincitur Fiscus: cujus mala causa nunquam est, nisi sub bono Principe". De hoc ipso Trajano Joannes Sarisberiensis historiam recitat haud absimilem ei quam mox ex Dione Cassio memoravimus de Hadriano ipsius successore, quæ sic habet: H. Cùm Imperator jam equum „ ascendisset, ad bellum profecturus, vidua „ quædam apprehenso illius pede, miserabili- „ ter lugens, sibi justitiam fieri petijt de his „ qui filium ejus optimum & innocentissi- „ mum juvenem injustè occiderant: *Tu*, inquit, „ *Augusto imperas, & ego tam atrocem iniuriam* „ *patior*? Cui Imperator: *Ego*, inquit, *satisfa-* „ *ciam tibi cùm rediero*. Tum illa: *Quid*, inquit, „ *si non redieris*? Tum Trajanus: *Successor* „ *meus*, inquit, *satisfaciet tibi*. Et illa: *Quid tibi* „ *proderit, si alius bene fecerit? Tu mihi debitor es,* „ *secundùm opera mercedem recepturus: fraus utique est nolle reddere quod debetur: Successor tuus* „ *iniuriam patientibus tenebitur pro seipso, te non* „ *liberabit aliena iustitia: benè agetur cum successore tuo, si liberaverit seipsum*. His verbis „ motus Imperator descendit de equo, & cau- „ sam præsentialiter examinavit, & condignâ satisfactione viduam consolatus est". Venit forsan Cæsari in mentem Ovidianus iste versiculus: I. *Regia, crede mihi, res est, succurrere lapsis*: vel certè illud vetustioris Poëtæ, K. *Hoc uno Reges olim sunt fine creati, Dicere ius populis, iniustaq́; tollere facta*. Hinc & alter Poëta recentior ait Honorio Cæsari, L. *Tu civem, patremq́; geras; tu consule cunctis, Nec tibi: nec tua te moveant, sed publica vota*. Sanè à veteribus passim in hoc statuitur discrimen Regis à tyranno, quòd Rex publicæ subditorum commoditati utilitatiq́ue studeat, tyrannus suæ privatæ: M. Rex, inquit Philosophus, vult „ custos esse, ut qui divitias habent nihil in- „ justum patiantur, nec populus afficiatur „ contumelijs: tyrannus autem ad nullam „ communem respicit utilitatem, nisi gratiâ proprij commodi". Et lib. 8. Ethic. cap. 10. " Tyrannus quidem suum, Rex autem eo- „ rum qui ab ipso reguntur considerat commodum". Et ante hunc Socrates, Regis munus exprimens: N. Rex creatur, inquit, non ut „ egregie sumptius curam gerat, sed ut etiam „ ij qui eum crearunt, beati per eum sint". Et Jamblichus: O. Vetus Princeps, inquit, „ magnâ cum dignitate & bonitate præest, „ magnifica bonorum munera subditis ex- „ hibet: victus abundantis, salutis omnimo- „ dæ, & vitæ tranquillitatis cæteris author „ est. Hunc enim sibi finem proponit hone- „ stus Princeps, ut subditos efficiat felices". Et Architas Tarentinus Pythagoricorum præcipuus: P. Optimus erit Princeps, inquit, qui „ lege divinissimâ utetur: qualis futurus est, „ qui nihil sui gratiâ facit, sed omnia propter subditos". Quòd si fortè quispiam nolit Poëtarum ac Philosophorum authoritate esse contentus, audiat saltem quid hâc de re Theologi Christiani censuerint. Ex his Basilius: Q. Hoc, inquit, tyrannus à Rege differt, quòd „ ille sua ipsius quomodòcunque & unde- „ cunque respicit ac tuetur: hic verò subditis consulere tantùm studet". Et Isidorus Pelusiota: R. Imperij regula, inquit, hæc est, „ quæ ad subditorum utilitatem omnia mo- „ litur. Nam qui imperij disciplinam com- „ positumq́ue ordinem in tyrannidem & per- „ turbationem immutat, & labores quidem „ subditis comparat, sibi autem voluptates „ aucupatur; hic non Imperij, sed tyrannidis regulam ac legem describit". Et rursus ibidem inferiùs Epist. 94. " Tyrannus, inquit, „ ad suam, Rex autem ad subditorum utilitatem omnia refert". Et Synesius: S. Rectè „ omninò, inquit, vetus sententia monet, „ *Subiectorum multitudinem non potiùs facere* „ *Regem, quàm tyrannum; sicut nec ovium mul-* „ *titudo pastorem potius, quàm coquum, qui illas* „ *abigit, ut eis mactatis non modo ipse famem* „ *expleat, sed & alios epulandas pretio distrahat*. „ Iisdem prorsùs limitibus Regem à tyranno „ distare censeo: nam quod ad fortunam per- „ tinet, ambobus haud dissimilis est. In mul- „ tos uterque homines imperium habet, sed „ qui in vitæ ratione id sequitur, quod subdi- „ tis commodum videtur, qui laborem & „ molestiam perferre vult ne quid illis molesti „ accidat, qui pro illis periclitatur ut in pace „ ac securitate degant, qui vigilare & in ma- „ ximo sollicitudinum concursu versari susti- „ net ut noctu & interdiu illi malis omnibus „ vacent: hic in genere quidem ovium ha- „ bendus est pastor, in hominum autem ge- „ nere Rex. At qui per luxum potestate abuti- „ tur, & Imperium voluptate ac delicijs con- „ terit, suas omnes cupiditates sibi explen- „ das ducens, unde subditi gravissimis affi- „ ciantur damnis, idq́ue ex multorum impe- „ rio lucrum deputat si quamplurimi suis li- „ bidinibus ac cupiditatibus serviant; & , ut „ uno verbo dicam, qui gregem non saginare, „ sed à grege saginari vult: eum inter peco- „ ra coquum appello, inter homines ratione præditos tyrannum". Addo his Chrysostomum, cujus in hanc rem luculenta est sententia: T. Hoc maximè ostendit Principem, quòd suorum curam gerat, eisque „ provideat, ac prospiciat: & ideò cùm di- „ ceret Christus, *Pastor bonus*, non addidit, Hono-

Plinius.
H Ioan. Sarisber. lib. 5 Policrat. c. 8.
I Ovid. l. 2. de Ponto Elegi. 9.
K Hesiodus in Theogonia.
L Claudian. Consulatu 4. Honorij.
M Aristot. lib. 5. Polit. cap. 10.
N Socrates apud Xenophon. lib. 3. Memorabilium.
O Iamblichus apud Stobæum Serm. 44.
P. Ar... Stob... ibid.
Q Basil. ... Principium Proverb.
R Isid. Pe... lus. l. 5. Epist. ...
S Syne... Orat. de... regno ad A... ... Vide... ... dem ... Fran... ... & Sepu... dam... Regno.
T. C... ... Ioan...

„ Honoratur & colitur; sed, *animam suam ponit* „ *pro ovibus suis*. Hoc quippe est Principatus, „ hoc est pascendi scientia, sua negligere, & „ eorum quos regit curam gerere. Quod est „ enim Medicus, hoc est & Princeps; vel po- „ tiùs plusquam Medicus : nam Medicus „ arte salutem procurat, Princeps autem etiam proprijs periculis".

CDXCVII. Occasione Chrysostomianæ hujus sententiæ venit mihi in mentem titulus. ille, quo Summus Ecclesiæ Christianæ Hierarcha seipsum in omnibus Diplomatibus insignit *Servum Servorum Dei*: nec sanè video cur terrenos Reges pudere vel pigere debeat si dicantur suorum respectivè regnorum *ministri*, cùm cernant illum Christianorum omnium Hierarchicum verticem, absque detrimento dignitatis authoritatisve suæ, vocare se, reliquorum Deo servientium, sibi quoque ipsi subjacentium, *Servum*. Nihil dignitatis authoritatisve subtraxit Apostolus ei *Qui constitutus est à Deo Rex super Sion*, quando ad Romanos de eo scripsit, *Dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis*, id est, gentis Judaicæ, signaculo circumcisionis à præputiatis gentibus discretæ. Antigonus Rex, ut refert Ælianus in variâ Historiâ, [V] Cùm cerneret „ filium suum se violentiorem, & immode- „ stiorem gerere erga subditos : *An nescis fili*, „ inquit, *nostrum regnum nobilem esse servitutem*"? Quibus præmissis subdit continuò hanc censuram idem author:" Atque hæc Antigoni „ verba, quibus filium allocutus est, maxi- „ mam mansuetudinem & humanitatem præ „ se ferunt. Quod qui non approbat, is verò „ mihi videtur neque Regem, neque civem „ nosse, sed tyrannicam potiùs vitam agere". Simile quidpiam de Tiberio Cæsare memorat Suetonius : [W] *Dominus*, inquiens, à quo- „ dam appellatus, denuntiavit, ne se ampliùs „ contumeliæ causâ nominaret. Alium dicen- „ tem *sacras eius occupationes*, & rursùs alium „ *Authore eo Senatum se adyisse*; verba mutare, „ & pro *Authore, suasorem*; pro *sacris*, *laboriosas* dicere coëgit". Verè enim *laboriosa* sunt *occupationes* Principum : quia, sicut Isidorus ait, [X] Quanto quisque ampliùs sæcularis hono- „ ris dignitate sublimatur, tanto graviùs cu- „ rarum ponderibus aggravatur: eisque magis „ mente & cogitatione subijcitur, quibus „ sublimitatis gradu præponitur. Nam, ut „ quidam Patrum ait : *Omne quod supereminet* „ *plus mœroribus afficitur, quàm honoribus gaudet*". Laboriosas Principum occupationes Antigonus vocavit *nobilem servitutem*, Isidorus *curarum pondera*; quæ tanto sint portanti graviora, quanto ipsa dignitatum culmina sublimiora. Hujusmodi ponderum tanta est gravitas, ut gestatoribus suis etiam gemitum extorqueant, juxta illud Jobi: *Gigantes gemunt sub aquis*. In quem locum Gregorius: [Y] Si *gigantum* nomi- „ ne, inquit, Potentes hujus sæculi designan- „ tur, in *aquis* possunt populi figurari, Joanne „ attestante qui ait, *Aquæ sunt populi*. Benè ergo „ contra superbientes dicitur, *Ecce gigantes ge-* „ *munt sub aquis*: quia elati omnes dum in hac „ vitâ assequi honorum celsitudinem cupiunt, „ sub ponderibus populorum gemunt. Nam „ quanto quis hìc altiùs erigitur, tanto curis „ gravioribus oneratur; eisque ipsis populis „ mente & cogitatione supponitur, quibus superponitur dignitate". Hinc mirum non est, eundem Jobum superiùs dixisse, *curvari eos qui portant orbem*: [Z] Ipsi, inquit idem Gre- „ gorius, orbem portant, qui curas præsentis „ sæculi tolerant : tantorum quippe pondera „ unusquisque sustinere compellitur, quantis in hoc Mundo principatur". Expertus id Moyses dicebat Deo per formam quasi expostulationis, *Cur imposuisti pondus universi populi huius super me*? [A] Reges, inquit Raba- „ nus, ob hanc causam apud Græcos *Basileis* „ vocantur, quia tanquam *bases* populum susti- „ nent: unde & bases coronas habent. Quan- „ to enim quisque magis præponitur, tanto ampliùs pondere laborum gravatur". Sicut ergo nemini dubium est eos ministrare Regibus aut Magnatibus, qui ipsos in sellis gestatorijs portant; ita dubitandum non videtur quin Reges sano sensu dici possint populis sibi subditis ministrare, quos ex vi sui muneris velut bases sustentant. Notanter dixi, *Ex vi sui muneris*: quia, ut olim Dio Chrysostomus aiebat, [B] Curam pro hominibus non rem „ perfunctoriam Rex existimat, neque nego- „ tium intolerabile reputat curas suscipere: „ sed suum proprium opus, & artem. Et „ quando aliud quid facit, non se rem seriam, „ neque suam facere arbitratur : quando au- „ tem hominibus prodest, tunc persuasum „ habet se suum officium perficere; utpote à „ Maximo Deo ordinatus ad hoc opus, cui „ fas non est ullâ in re non obedire, neque ob „ ullam contristari, quippe ad se pertinentem. „ Nullus enim adeò est mollis & voluptuo- „ sus, qui non delectetur suâ propriâ actione, „ tametsi alioqui laboriosâ : ut minimè qui- „ dem contristatur nauclerus laboribus in „ mari, minimè quoque agricola operibus „ circa agriculturam, minimè item venator „ quem oportet venatione laborare : tametsi „ vehementer laboriosa sit agricultura, valdè „ etiam venatio. Non igitur respuit Rex la- „ bores & molestias ferre aliorum gratiâ, ne- „ que in hac parte pejùs se vivere existimat si „ ipsum plurimos suscipere labores multaque „ sustinere negotia oporteat. Videt enim & „ solem non contristari, quòd hominum „ salutis ac victûs gratiâ transigat perpetuò quæcunque agit". De Tito Imperatore, qui tam

Ps. 2. 6.
Rom. 15. 8.
V Ælianus lib. 2. c. 20.
Antigonus.
W Sueton. in vitâ Tiberij cap. 27
X Isidor. l. 3. Sent. c. 43.
Vide Greg. l... Moral. cap. 17. alias 19.
Job. 26. 5.
Y Greg. lib. 17. Moral. c. 32. alias 11.
Apoc. 17. 15.
Job 9. 13.
Z Greg. l. 9. Moral. c. 10. alias 13.
Num. 11. 11.
A Raban. l. 16 de Universo cap. 3. Vide Isidor. l. 9 Orig. c. 3. & Greg. l. 1. Moral. c. 10. alias 13.
B Dio Chrysost. Orat. 3. de Regno.

tam probè clavum Reipublicæ tenuit ut *Amor & deliciæ generis humani* cognominari meruerit,

C. Sueton. in Vita Titi cap. 8.

refert Suetonius, quòd [C] Admonentibus ali-
„ quando domesticis, quasi plura polliceretur
„ quàm præstare posset, dixerit, *Non oportet quem-*
„ *quam à sermone Principis tristem discedere*: atque
„ etiam recordatus quondam super cœnam,
„ se nihil cuiquam toto die præstitisse, memo-
„ rabilem illam meritoque laudatam vocem
ediderit: *Amici, diem perdidi*". Hoc est verè
Solem imitari, hoc vivam in se Principis imaginem exprimere; nec modò felicem, sed &

D. Pacatus in Panegyricum ad Theodosium.

felicissimum Principem sese exhibere: [D] Nul-
„ lam, ait quidam, majorem crediderim esse
„ Principis felicitatem, quàm fecisse felices".
Quod animadvertens Justinianus Augustus
non dubitavit scribere, ac publici Juris Cor-

E. Justinianus l. 1. C. De Caducis tollendis §. 14.

pori inserere: [E] Quod communiter omnibus
„ prodest, hoc privatæ nostræ utilitati præ-
„ ferendum esse censemus: nostrum esse pro-
„ prium, subjectorum commodum imperia-
liter existimantes". Lubet hìc denuò audire
etiam Aristotelem, qui, etsi Gentilis, vidit

F. Aristot. l. 8. Ethic. cap. 11.

quid naturæ dictet instinctus: [F] Regis ami-
„ citia, ait ipse, ad eos qui reguntur, in ex-
„ cellentia beneficij consistit: confert enim
„ in eos beneficia, qui ab ipso reguntur:
„ siquidem cùm sit bonus, curam ipsorum
„ habet, quò benè sese habeant, ut ovium
„ Pastor. Unde & Homerus Agamemnonem,
Populorum pastorem nuncupavit". Ad hoc ipsum
Homeri dictum alludens Diogenes in Collo-

G. Diogenes apud Dionē Chrysost. Orat. 4 de Regno.

quio habito cum Alexandro Magno: [G] Ho-
„ merus, inquit, laudans quendam Regem,
„ dicit eum esse *Pastorem populorum*. Pastoris
„ enim non aliud est opus, quàm providere
„ ovibus, easque conservare atque custodire;
„ non assare, neque mactare, aut excoriare.
„ Sanè interdum multas oves unus coquus
„ pellit, mercatus eas: sed plurimùm differt
„ ars culinaria à pastorali, & ferè quantùm
regia à tyrannicâ". Cæterùm occasione ejus
quod Diogenes maximo illi Regi ait, *Pastoris non aliud esse opus, quàm providere ovibus, easq; conservare atque custodire*, ingerit se mihi aliud
argumentum hìc non importunè exhibendum, ex Sanctorum Angelorum ministerio
petitum. Testatur quippe Apostolus, *Ange-*

Heb. 1. 14.
H. Basil. l. 3. contra Eunom. Vide Nazian. Orat. 12. & Orig. lib. 1. Periarchon. c. 5. & 8. & Hilar. in Psal. 129 & Clement. Alex lib 6. Stromat. & Ambros. l. 2. in caput 2. Lucæ, &

los in ministerium missos propter eos qui hæreditatem capiunt salutis: [H] Horum alij, ut ait Basilius,
„ gentibus præpositi sunt, alij verò fidelium
„ singulos consequuntur. Quanto autem gens
„ uni viro præponenda est, tanto majorem
„ necesse est esse dignitatem Angeli genti
„ principantis, dignitate eorum quibus sin-
„ gulorum tutela commissa est. Quòd verò
„ singulis fidelium adsit Angelus, ut Pæda-
„ gogus quidam & pastor ad vitam dirigen-
„ dam, nemo contradicet, qui verborum
„ Domini meminerit, dicentis: *Ne contem-*

Epiphan. Hæres. ... Isidor. Pelus. lib. 2. Epist. 81.
Mat. 18. 10.
Ps. 33. 8.
Gen. 48. 16.

„ *natis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quoniam*
„ *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris*
„ *mei qui in cælis est*: & Psalmista dicit, *Castra-*
„ *metatur Angelus Domini in circuitu timentium*
„ *ipsum*: & *Angelus qui eruit me à juventute meâ*: &
„ quæcunque talia. Quòd verò rursùs sint qui-
„ dam Angeli universarum gentium præpositi,
„ Moyses nos per Canticum docuit, dicens:

Deut. 32. 8. iuxta 70.

„ *Quando dividebat Altissimus gentes, quando sepa-*
„ *rabat filios Adam, constituit terminos populorum*
„ *iuxta numerum Angelorum suorum*. Et sapiens
„ Daniel in visione Angeli audivit ipsum di-

Dan. 10. 13.

„ centem, *Princeps regni Persarum restitit mihi, &*
„ *ecce Michael unus de Principibus primis venit in ad-*
„ *iutorium meum, & ego remansi ibi iuxta Regem*

Ibid. v. 20.
Ios. 5. 14.

„ *Persarum*: Et post pauca idem dicit, *Princeps*
„ *Græcorum veniebat*. Quin etiam *Princeps exer-*
„ *citus, Imperator copiarum Domini* dicitur, qui
„ Jesu Nave ad Jordanem apparuit. Et rur-

Mat. 26. 53

„ sùs *Legiones Angelorum* à Domino memoran-
tur". Breviter & appositè Gregorius Papa:

I. Greg. l. 17. Moral. c. 8. alias ... Vide Damascen. 2. cap 3.

[I] Certa Angelorum ministeria, inquit,
„ dispensandis singulis quibusque gentibus
sunt prælata". Et Isidorus Hispalensis:

K. Isidor. l. 1. Sent. c. 10. Vide lib. 7. Origin. c. 5. Dan. 10. 13. Ibid v. 21.

[K] Singulæ gentes, inquit, præpositos An-
„ gelos habere creduntur: quod ostenditur
„ testimonio Angeli Daniëlis loquentis, *Ego*
„ *veni ut nunciarem tibi, sed Princeps regni Persa-*
„ *rum restitit mihi*. Et paulò pòst, *Non est qui*
me adiuvet nisi Michaël Princeps vester". Et Theo-

L. Theodoret. q. 3 in Genes. Vide ... in Dan. & lib. ... fabularum cap ... & Dionys. lib de Cælesti Hierarchia cap. 9.

dorotus: [L] Cuique genti, inquit, proprium
„ præesse Ange um affirmat divina Scriptura:
„ qui enim cum Daniële Prophetâ colloquitur
„ Angelus, *Principem Persarum* nominat, &
„ *Principem Græcorum*, & Michaëlem *Principem*
„ *Iudæorum*. Et magnus Moyses in Cantico:
„ *Quando dividebat*, inquit, *Altissimus gentes, quan-*
„ *do separabat filios Adam, constituit terminos gen-*
tium pro numero Angelorum Dei". Et Hierony-

Mich. 6. 1.
M. Hieron. in caput ... Michea. Vide ... 7. & ... caput Matthæi

mus in illud Prophetæ dictum, *Contende iudicio adversum montes*: [M] Non alios, inquit, signi-
„ ficari puto *montes*, quàm Angelos, quibus
„ rerum humanarum commissa est procuratio;
„ Deuteronomio in idipsum congruente:
„ *Cùm divideret Excelsus gentes, cùm dissemináret*
„ *filios Adam constituit terminos terræ secundum*
„ *numerum Angelorum Dei*. Hi sunt *Administrato-*

Heb. 1. 14.

„ *rij spiritûs, missi in ministerium propter eos qui hæ-*
reditatem salutis possessuri sunt".

CDXCVIII. Ex hac igitur fundatissimâ ac receptissimâ de Angelicis Præfecturis doctrinâ satis apparet, quàm non incongruè terreni Reges appellari possint suorum respectivè regnorum *ministri*. Cùm enim illi cælestis aulæ Proceres, qui jussu summi Regis custodiunt, fovent, regunt ac gubernant tam ipsos Reges quàm eorum regna, dicantur mitti *in ministerium* eorum quibus præficiuntur; non certè apparet cur pudeat vel pigeat terrenos Reges eodem titulo compellari, ac sui proprij

muneris

muneris commonefieri. Nec eſt quòd ſuſpicentur derogari dignitati regiæ, titulo *miniſtri*. Non enim Salomone accuratiùs noſcunt quid congruat dignitati regiæ, vel diſcongruat: qui tamen haud cunctatus eſt appellare Reges *Miniſtros regni Dei*: N. Valdè refert, inquit Baſilius, ad præcepta morum tradenda, eum qui ſcribit, Regem eſſe. Si enim Regnum eſt legitima poteſtas, manifeſtum eſt quod ex Rege, alioqui hoc nomine digno, prodeuntes vitæ præceptiones multum apud omnes momenti habeant ad conſiderandam conſequendamque in communi bono utilitatem, & non ad privata commoda reſpicientes. Hoc enim tyrannus à Rege differt, quòd ille ſua ipſius quomodocunque & undecunque reſpicit ac tuetur, hic ſubditis conſulere tantùm ſtudet". Quòd ſi fortè lubeat audire Poëtas ac Philoſophos, ſua ſenſa ſuper hac re promentes; habent Homerum Poëtarum Principem, ab Ariſtotele Philoſophorum Principe jam proximè laudatum. & à Diogene itidem Philoſopho elucidatum; qui bonum Regem vocat *Populorum Paſtorem*. Rursùs ut novetint quis titulus congruat probo paſtori, habent ſupremum in terris Hierarcham intitulantem ſe *Servum ſervorum Dei*. Ne autem putent vilem eſſe hujuſmodi nomenclaturam, ſaltem reſpectu regiæ Sublimitatis; habent Antigonum, & ipſum quidem Regem, magnoperè ab Æliano laudatum, qui filio proprio in regnum ſucceſſuro denuntiavit, *Regnum quidem eſſe ſervitutem*, ſed *nobilem*. Viliùs ſonare videtur nomen *ſervitutis*, quàm *miniſterij*: unde paſſim dicuntur Reges *adminiſtrare*, non perinde *ſervire*. Et tamen Rex ille Regnum dixit eſſe *ſervitutem*, addito epitheto *nobilem*. Auguſtinus quoque ſimile quidpiam innuit, cùm ait: O Imperant qui conſulunt: ſicut vir uxori, parentes filijs, domini ſervis. Obediunt autem quibus conſulitur: ſicut mulieres maritis, filij parentibus, ſervi dominis. Sed in domo juſti viventis ex fide, & adhuc ab illâ cæleſti civitate peregrinantis, etiam qui imperant ſerviunt eis quibus videntur imperare. Neque enim dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi: nec principandi ſuperbiâ, ſed providendi miſericordiâ". Qui rursùs alibi Eccleſiam Catholicam alloquens: P. Tu, inquit, parentibus filios liberâ quâdam ſervitute ſubjungis, parentes filijs piâ dominatione præponis: tu fratribus fratres Religionis vinculo firmiore atque arctiore quàm ſanguinis nectis: tu omnem generis propinquitatem, & affinitatis neceſſitudinem, ſervatis naturæ voluntatiſque nexibus, mutuâ charitate conſtringis: tu dominis ſervos non tam conditionis neceſſitate, quàm officij delectatione doces adhærere: tu dominos ſervis, ſummi Dei, communis ſcilicet Domini, conſideratione placabiles, & ad conſulendum quàm coërcendum propenſiores facis: tu cives civibus, gentes gentibus, & prorsùs homines hominibus, primorum parentum recordatione, non ſocietate tantùm, ſed quâdam etiam fraternitate conjungis: doces Reges proſpicere populis, mones populos ſe ſubdere Regibus". Ex quo patet, quòd juxta Eccleſiæ doctrinam Regibus ac populis reſpectivè inculcatam, Regum proprium munus ſit *proſpicere populis*: quemadmodùm & populorum officium eſt *ſubdere ſe Regibus*. Si autem proprium Regum munus eſt *proſpicere populis*, proculdubiò Reges ex viſu ſui muneris ſunt proſpectores, proviſores, curatores, tutores, adminiſtratores; &, ut Homerus ait, *paſtores populorum*. Nec obſtat quòd ſint capita eorundem, juxta illud Prophetæ; *Optimates capita populorum*; & illud item alterius Prophetæ ad Regem grandem, *Tu es caput aureum*. Hæc enim metaphora confirmat potiùs prædicta, quàm infirmet: nam in corpore phyſico caput ita omnibus membris ſupereminet, ut tamen omnibus miniſtret, proſpiciat, provideat; etiam pedibus, qui infimo loco ſubſtrati, longiſſimè ab eo diſtare videntur: Q. Princeps, ait quidam, locum capitis in Republicâ obtinet, uni ſubjectus Deo, & his qui vices illius agunt in terris: quoniam in humano corpore ab animâ vegetatur corpus & regitur. Cordis locum Senatus obtinet, à quo bonorum operum & malorum procedunt initia. Oculorum, aurium, & linguæ officia ſibi vendicant judices & Præſides Provinciarum. Officiales & milites manibus comparantur. Qui Principi ſemper aſſiſtunt; lateribus aſſimilantur. Quæſtores, & Commentarienſes, non illos dico qui carceribus præſunt, ſed comites rerum privatarum, ventris & inteſtinorum referunt imaginem: qui ſi immenſâ aviditate congeſſerint, & congeſta tenaciùs reſervaverint, innumerabiles & incurabiles generant morbos, ut vitio eorum totius corporis ruina immineat. Pedibus denique, ſolo jugiter inhærentibus, agricolæ coaptantur: quibus capitis providentia tantò magis neceſſaria eſt, quantò plura inveniunt offendicula, dum in obſequio corporis in terrâ gradiuntur; eiſque juſtiùs tegumentorum debetur ſuffragium, quia totius corporis erigunt, ſuſtinent, & promovent molem". Sicut ergo in corpore phyſico debet caput ſuſtineri ac foveri à cæteris membris, atque ipſum viciſſim ſervire eiſdem debet, miniſtrando ſingulis pro cujuſque exigentiâ vitales ſpiritus, atque animales: ita & in politico corpore eſſe debet reciprocum miniſterium membro-

Sav. 6. 5.
N. Baſilius Homil. 12. in principium Proverb.
Vide §. 497.
O. Auguſt. lib. 19 de Civit. c. 14. Vide Proſp. Sent. 163.
P. Auguſt. l. 1 de Mor. Eccleſiæ cap. 30.
PRÆOCCUPATIO.
Amos 6. 1.
Dan. 2. 38.
Q. Joan. Sarisber. lib. 5. Policrat. c. 2.

membrorum erga caput, & capitis erga mem- 1.Cor.12.23. bra. etiam quæ videntur ignobilissima: *Quæ putamus*, inquit Apostolus, *ignobiliora esse membra corporis, his honorem abundantiorem circumdamus.* Christus Salvator noster, qui juxta veridicam Col. 1.18. Apostoli doctrinam *Caput est corporis Ecclesiæ*, non est dedignatus ire ad sanandum servilis condi- Mat. 8. 7. tionis hominem: *Ego veniam*, inquit, *& curabo eum.* Alibi quoque suos non solùm verbo erudiens, sed & seipsum in exemplum propo- Mat. 20 28. & seqq. nens: *Qui voluerit*, inquit, *inter vos maior fieri, sit vester minister; & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Sed quid miramur eum in corpore mortali ministrasse, cùm dicat se etiam in cælo gloriosum suis servis ministraturum? Huc enim spectat quod ipse Luc. 12. 37. alibi ait: *Beati servi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens mi-* R. Beda lib. 4. in Lucam cap. 14. *nistrabit illis.* In quem locum Beda: [R.] *Præcin-* „ *git se* Dominus, inquit, id est, retributionem „ præparat: *Facit illos discumbere*, id est, in æter- „ nâ quiete refoveri: discumbere quippe no- „ strum, in regno requiescere est; unde rur- Mat. 8, 11. „ sùm Dominus dicit, *Venient, & recumbent* „ *cum Abraham, & Isaac, & Iacob.* Transiens au- „ tem Dominus *ministrat*, quia lucis suæ illustratione nos satiat". Cùm igitur hinc planum sit posse *ministerium* consistere cum summâ præeminentiâ ministrantis super ijs quibus ministerium impenditur, non est cur terreni Reges indignentur, siquando suorum respectivè regnorum *ministri* vocantur. Angelos Job. 3.14. Sanctos à Beato Jobo nuncupari *Reges & Consules terræ*, perhibet Papa Gregorius: S. Greg. l. 3. Moral. cap. 27. aliàs, 21. [S.] Quia „ cunctorum Conditor, inquiens, omnia „ per semetipsum tenet, & tamen ad distin- „ guendum pulchræ universitatis ordinem „ alia alijs dispensantibus regit, non immeritò „ *Reges* accipimus Angelorum spiritus, qui „ quò authori omnium familiariùs serviunt, eò subjecta potiùs regunt". Et mox infrà de eorundem spirituum consulari dignitate: " Qui benè, inquit, etiam *Consules* vocantur, „ quia spiritali Reipublicæ consulunt, dum „ nos sibi ad regnum socios jungunt. Benè „ *Consules* vocantur; quia dum ipsis nuncian- „ tibus voluntatem conditoris agnoscimus, „ in eis proculdubiò consultum ab hâc angu- stiâ nostræ tribulationis invenimus". Ecce Heb. 1. 14. qui à Sancto Paulo *In ministerium mitti* perhi- Job. 3. 14. bentur, ijdem à Sancto Jobo *Reges & Consules terræ* nuncupantur: ut vel hinc discant terreni Reges ac Principes non indignari, siquando ut sui officij probiter obeundi admoneantur, suorum respectivè regnorum *ministri* dicantur.

CDXCIX. Duo sunt quæ obtendi posse videntur ab ijs, qui Reges suorum regnorum *ministros* dicere reformidant: Primum est, quia ea appellatio videtur importare quandam velut subjectionem, non satis consentaneam majestali Regum Sublimitati, quâ omnibus regnicolis non tantùm divisivè, sed & collectivè supereminent, nec ulla ratione subjacent. Ex quo ulteriùs fit, ut si Reges dicantur regnorum suorum *ministri*, consequens appareat posse eos suis sceptris per regnicolas privari, atque in ordinem redigi. Alterum est, quòd cùm complures Reges habeant sub se quendam aulicum cæteris intimiorem, negotijs regni præpositum, quem *Regni Ministrum*, vel *Ministrum statûs*, subinde etiam antonomasticè *Ministrum* appellant; indecens videatur ut ipsi cum eo communem habeant appellationem, cui præeminent culmine dignitatis. Sed primum obtendiculum inaniter allegari planum est ex dictis in præcedentibus. Neque enim fas fuit Judæis in ordinem redigere Christum Messiam, tametsi dictum *Circumci-* Rom. 15.8. *sionis ministrum*: nec fas est regnis aut provincijs abdicare Angelos tutelares, tametsi juxta Apostolum *In ministerium missos*: nec fas est Heb. 1. 14. Dei servis exauthorare summum Antistitem, tametsi ille in suis Diplomatibus *Servum servorum Dei* se ultrò inscribat: nec fas est membris humani corporis excutere jugum superpositi sibi capitis, tametsi ipsum ministrare eis non cesset. Imò verò fas non est subditis deponere vel in ordinem redigere Proregem, Præsidem, Gubernatorem, aut alium Ministrum sive justitiæ sive militiæ à Rege sibi præfectum: quanto minùs licebit subditis in ordinem redigere Regem, à Deo, summo Regum regnorumque omnium Dominatore, sibi in *Ministrum Regni sui* assignatum? Ipse est enim Sap. 6. 5. qui *In unamquamque gentem præposuit Rectorem.* Eccli. 17 14. Unde & Salomon ait, *Collocavit me Dominus* 3. Reg. 2. 24. *super solium David patris mei.* Quod solium alibi dicitur ipsius Domini, sicut scriptum est: *Sedit Salomon super solium Domini in Regem pro* 1. Par. 29. 23. *David patre suo.* Ex quibus locis inter se collatis manifestè deducitur, unum idemque solium regium & Domini esse, & Regis terreni. Quod intelligens pius quidam è Salomonis in regno successoribus ait Judicibus ad ministrandam justitiam vice suâ abs se delectis: *Videte quid faciatis; non enim hominis exercetis iudi-* 2. Par. 19. 6. *cium sed Domini.* Cùm enim idem sit solium Regis ac Dei, consequens est ut qui vices Regis in judicando subeunt, etiam Dei judicium exerceant: [T.] Principem, inquit Pli- T. Plin. in Panegyrico ad Traian. „ nius, dat Deus, qui erga genus humanum vice suâ fungitur". Cui ergo Princeps vices suas committit, eidem & vices Dei committit, *Per quem Reges regnant, & legum conditores* Prov. 8. 15. & 16. *iusta decernunt; per quem Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.* Quoniam igitur Judices justitiam administrantes, vice Dei fungun-

funguntur, idcircò Deus eis nomen etiam suum communicare dignatur, dicens eis: *Ego dixi, Dij estis.* Tanquam diceret, inquit Genebrardus: [v] „Ego vos sum dignatus meâ appellatione præ reliquis hominibus, ob officij dignitatem, quo fungimini: ut non homines, sed *Dij* quidam terrestres esse videamini". Neque verò appellatione duntaxat suâ, sed & consessu eos dignatur, juxta illud quod ibidem præmittitur, *Deus stetit in Synagoga Deorum*; hoc est, interprete eodem Genebrardo ibidem, „Collocavit se propè, ut eorum actiones contempletur, & de eorum judicijs ac sententijs censuras ferat. In *Synagoga Deorum*, in Judicum, vicem Dei in terris gerentium, congregatione & consessu. Hebraicè quidem, *In congregatione Dei*; sed *Deorum* fuit vertendum, ad explicandam synecdochen numeri. *Judicis*, pro *Judicum* & Magistratuum, in quorum medio *stat Deus*, tanquam Judex primus, contemplans eorum actiones, & quale ipsius vice jus dicant alijs. Est enim Judicum Judex, quemadmodùm regum Rex, & Dominus dominantium". Et Theodoretus: [w] „Quoniam Deus, inquit, verè est Judex, & hominibus judicandi officium commissum est, propterea qui ad hoc munus seliguntur, *Dij* nuncupantur, tanquam in hoc Deum imitantes". Videre hinc est, Deum olim ita communicasse suum nomen ijs qui suâ vice justitiam ministrant populis, sicut novissimè Christus Dominus Beato Petro Vicario suo communicavit cum officio nomen suum, quo dictus est *petra*, sive *lapis angularis*; prout appositè edisserit Leo Papa, dum Christum inducit sic Petro loquentem: [x] „Sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam: *Quia tu es Petrus*, id est, cùm ego sim inviolabilis *Petra*, ego *lapis angularis qui facio utraque unum*, ego *fundamentum præter quod nemo potest aliud ponere*: tamen tu quoque *Petra* es, quia meâ virtute solidaris; ut quæ mihi potestate sunt propria, tibi sint mecum participatione communia". Atque hinc aperitur nobis via dispellendi alterum obtendiculum præcedenti subjunctum. Cùm enim Christus non dimiserit à se appellationem *Petra*, quam fecit suo Vicario communem: cur pigeat aut pudeat terrenos Reges retinere nomen *Ministri*, licèt alijs in curarum participium assumptis communicatum? Si enim sibi principalem administrandi curam reservant, cur titulum respuunt, ubi rem titulo importatam servant? Cur non simili verborum formâ Rex affatur *Ministrum status*, quâ Christus Petrum, ut dicat ei stylo leonino: *Quæ mihi potestate sunt propria, tibi sint mecum participatione communia?* Non ait, tibi sint propria; sed, *Tibi sint mecum communia*: neque enim me abdico, dum te participem facio. Absit quippe à Regibus, & alijs supremis Principibus, præsertim Christianis, ut maline hâc in re Pharaonem imitari, quàm Christum. Etenim cùm Pharao Josephum constitueret suum Ministrum, ait ei: *Ad tui oris imperium cunctus populus obediet, uno tantum regni solio te præcedam.* Et mox iterùm, *Ego sum Pharao: absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti*: hoc est, interprete Lippomano, [y] „Regium tantùm nomen mihi servo & honorem, in te autem rejicio labores ac operas regias". Quod ergo ait, *Ego sum Pharao*, idem sonat quod, Ego sum Rex: [z] *Pharao* quippe, inquit Augustinus, non „hominis nomen est, sed regiæ potestatis". Hunc ergo imitantur, qui retento sibi honorifico Regis titulo, otiantur, ac delicijs vacant, curam verò administrandi regni in alienos humeros prorsùs rejiciunt: quales fuisse veteres Assyriorum Reges post Ninum usque ad Sardanapalum, indicat Justinus lib. 1. Historiæ suo initium. Simile quidpiam de Claudio Romano Imperatore refert Suetonius in ejus vita cap. 29. uti & de Sergio Galba in ipsius vita cap. 14. Neque verò etiam inter Christianos defuere ejusmodi desides Principes, qui solo regio titulo honoreque contenti totum administrationis pondus alienis humeris imponebant: ut inter Græcos Isaacius Angelus Comnenus Imperator Constantinopolitanus, qui, teste Nicetâ Choniate, [A] „Cùm Theodorum Castamonitam designasset sibi Logothetam secretorum, illius arbitratu huc atque illuc instar mancipij trahebatur, quicquid ille vellet agens, nusquam ferè suum judicium interponens". Hoc primo ministro, vel potiùs hero, defuncto, alterum surrogavit adhuc penè puerum: & huic similiter defuncto tertium haud multò maturiorem aut probiorem. Quâ de re Nicetas ibidem post pauca subdit: „Parvus puer, qui non ita pridem à calamo & atramento discesserat, summam rerum administrabat; nec Imperatorem duntaxat suo arbitratu, sicut cetum minutissimus piscis qui propompus dicitur, traducebat & circumferebat; sed militares etiam catalogos tractabat, non secùs ac si à cunabulis ad maximarum rerum administrationem esset enutritus, aut humanarum rerum scientiam ante natalem suum habuisset, quemadmodùm Sibylla de fabrica Mundi disseruisse fertur cùm primùm è materna alvo prodiisset. Is igitur authoritatem longè majorem quàm Castamonita consecutus, ut erat in plerisque rebus acutus & in tractandis negotijs dexter, probabat quicquid Imperatori licebat: non absimilis apiculæ aut culici aurem leonis circumsonanti,

Psal. 81. 6.
v Genebrar. in Psal. 81. n. 6.
Ibid. v. 1.
w Theodoret. in Psal. 81.
x Leo Ser. 3. de Anniversar. assumpt. suæ ad Pontificatum
Mat. 16. 18.
1. Cor. 10. 4.
Eph. 2. 14. & 20.
1. Cor. 3. 11.
Gen. 41. 40.
Ibid. v. 44.
y Lippoman. in Catena Gen. 41. ad v. 44.
z Aug. lib. 1. Locutionum in Genesin.
Justinus.
Suetonius.
A. Nicetas lib. ult. de Vita Isaacij.

„ aut atro pumilioni maximum elephantem
„ gubernanti, aut tenui funiculo camelum
naso trahenti". Haud dissimilis fuisse fertur
socordia incuriaque quorundam Regum Francorum
è familia Merovingica: quorum novissimo
Hilderico (aliàs *Childerico*) in Monasterium
ob inertiam detruso surrogatus est Pipinus;
qui pridem sub titulo *Majorisdomus*
omnem administrationis curam, Rege otiante,
subierat. Quâ de re Marianus Scotus:

B. Marian. Scotus in Chronico lib. 3 ad annum 752. Vide Reginonem ad an. 749. & Dion. Petavium in Rationar. temporum p. 1. lib. 8. c. 7.

B. Pipinus, inquit, missâ Romam legatione,
„ Zachariam Papam interrogat de Regibus
„ Francorum ex antiqua Merovingorum
„ stirpe descendentium: qui *Reges* quidem dicebantur,
„ sed potestas regni tota apud Majoremdomus
„ habebatur, excepto quòd chartæ
„ & privilegia *Regis* nomine scribebantur,
„ & ad Martis campum qui Rex dicebatur,
„ plaustrum bubus trahentibus, vectus,
„ atque in loco eminenti sedens, semel in anno
„ à populis visus, publica dona solemniter
„ sibi oblata suscipiebat, stante coram Majoredomus,
„ & quæ deinceps eo anno agenda
„ essent populis annunciante: sicque, Rege domum
„ redeunte, cætera regni negotia Majordomus
„ administrabat. Orat ergo Pipinus
„ sibi decerni, quis eorum justè Rex dici debeat;
„ is qui securus domi sedeat, an ille
„ qui curam totius regni & omnium negotiorum
„ molestiam perferat? Tunc Zacharias
„ Papa ex authoritate S. Petri Apostoli mandat
„ populo Francorum, ut Pipinus, qui potestate
„ regiâ utebatur, etiam nominis dignitate
„ frueretur. Ita Hildericus Rex, qui
„ ultimus Merovingorum Francis imperabat,
„ depositus, & in monasterium missus est: Pipinus
„ verò in civitate Suessionum à Sancto
„ Bonifacio Archiepiscopo in regem unctus,
regni honore sublimatus est". Testatur porrò
Sigebertus hanc Regis Hilderici depositionem
& Pipini sublimationem fuisse peractam,

C. Sigebert in Chronic. ad an. 750.

C. Post annos circiter octoginta octo,
„ postquam Majoresdomus cœperunt principari
super Reges Francorum". Hi ergo & alij
similis incuriæ Principes imitari maluerunt
Pharaonem, qui Ministro abs se designato
dicebat juxta Lippomani paraphrasin mox
relatam, *Regium tantùm nomen mihi servo & honorem,
in te autem rejicio labores & curas regias*;
quàm Christum, qui Petro abs se in Vicarium
delecto dicebat juxta Leonis Papæ paraphrasin
itidem memoratam, *Quæ mihi potestate
sunt propria, tibi sint mecum participatione
communia*. Et quia maluerunt Pharaonem
imitari quàm Christum, meruerunt ultorem
pati Christum; alij quidem festiniùs,
alij lentiùs, prout visum est eidem Christo,
qui *Habet in vestimento & in femore suo scriptum,
Rex regum & Dominus dominantium*. Huic Reges
probè serviunt, dum regnis sibi concreditis
salubriter & gnaviter ministrant; quoniam
ab ipso regna administranda suscipiunt,
eidemque rationem ministerij reddere debebunt,

Lippomanus hic supra.

Leo hic supra

Apoc. 19. 16.

D Prosper Epist. ad Demetriadem cap. 4.

D. Cui appropinquare clarescere est,
„ quem timere gaudere est, cui servire regnare
est". Agnoscant ergo Reges non solùm
verbo, sed multò magis ipso opere, se ministros
Christi, & per ipsum ministros regnorum
Christi: sicut Augustinus ratione sui
præsulatûs vocat se *Servum Christi, & per ipsum
Servorum ipsius*: non tam attendant quibus aut
qualibus impendant ministerium, quàm à quo
susceperint & cujus principaliter intuitu obeant
ministerium; insonet ipsorum auribus
illa Apostoli ad servos admonitio: *Quodcunque
facitis, ex animo operamini, sicut Domino,
& non hominibus; scientes quòd à Domino
accipietis retributionem hæreditatis: Domino
Christo servite*: & illud item Agathæ Virginis
in martyrij procinctu responsum, E *Summa
ingenuitas hæc est, in qua servitus Christi comprobatur.*

Vide Aug. Epist. 107. in titulo.

Col. 3. 23. & 24.

E Agatha in B[illegible] Rom. [illegible] Februarij.

CAPUT

CAPVT CXXXII.

Salomonica parænesis non solos dyscolos, sed probos etiam Reges concernit: & quâ ratione? Non obest justus in medio impiorum constitutus quicquid in ipsos populos propter impiorum multitudinem dicitur. Mulctato pestilente, sapientior fit parvulus. *Felix quem faciunt aliena incommoda cautum. Cur Apostolus cùm hortaretur ad* orandum pro omnibus hominibus, *signanter addiderit*, pro Regibus? *Super Regum salute bini errores extremè contrarij memorantur, quos inter veritas viâ mediâ graditur. Quid agendum Principibus Ecclesiasticâ respectivè vel seculari dignitate pollentibus, ut salventur? Nec tyrannicæ factionis perversitas laudabilis erit, si regiâ clementiâ tyrannus subditos tractet; nec vituperabilis ordo regiæ potestatis, si Rex tyrannicâ crudelitate sæviat. Salomonica Regum increpatio trinas complectitur clausulas, totidem divinæ legis partibus consonas. Cur Salomon alium inierit ordinem in increpando, quàm Moyses legem digerendo? Moysen non eodem semper ordine trimembria legis præcepta recensuisse, sed subinde ordinem Salomonicum servasse, monstratur. Cur Salomon primò exprobret Regibus violationem legis judicialis, deinde moralis, ac demum cæremonialis? Leges judiciales, uti & rituales, determinationes sunt legis moralis. Decalogus ab Apostolo, perinde ac à Solomone, dictus* lex justitiæ. *Lex cæremonialis cur* voluntas Dei *dicta? Regum proprium est facere judicium & justitiam, & liberare de manu calumniatorum vi oppressos.* Noë *cur à B. Petro* octavus justitiæ præco *dictus, & quinam septem priores? Patriarcha* Sem *filius Noë cognominatus* Melchisedech, *id est, Rex justitiæ. Priores populi Israëlitici Rectores cur* Judices *dicti? Ejusdem populi à Samuële Regem petentis verba*, Constitue nobis Regem, qui judicet nos, sicut & universæ habent nationes. *Reges instituti sunt non tam ad exercendam militiam, quàm ad ministrandam justitiam. Cessante belli clanctu crebrescit fori strepitus. Mars tyrannus, Lex Regina. Non helepoles aut æratas naves à Deo accipiunt* Reges *in depositum, sed legum oracula. Aristidis encomium, qui maluit cognominari* justus, *quàm ad aliorum Principum imitationem* Expugnator, Fulminator, Victor, Aquila, *vel* Accipiter. *Deus vulgò beatus censetur immortalitate, terribilis potestate, venerabilis æquitate.* Absque justitia principatum rectè gerere ne Jovem quidem ipsum posse, *veteres ejus cultores senserunt, docuerunt, scripserunt.*

D. QUæ hactenùs ex Salomonica ad Reges parænesi adduximus, communia sunt probis ac dyscolis. Omnes enim indifferenter Reges invitantur ad audiendum, intelligendum, discendum, aures præbendum: omnibus data dicitur potestas à Domino, & virtus ab Altissimo: omnibus ingeritur consideratio superni Censoris non solùm opera ipsorum interrogaturi, sed & cogitationes scrutaturi: omnes perhibentur ministri esse regni illius, à quo potestatem & virtutem continendi multitudinem acceperunt. Sed quæ sequuntur, videri possent in solos dyscolos distringi: *Non rectè judicastis, nec custodistis* Sap. 6. 5. *legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis.*

ambulasti. Nihilominùs etiam hęc rectè dicuntur concernere omnes, ut nimirum serviant dyscolis pro admonitione resipiscendi, probis verò pro cautione perseverandi. Q. *Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet*, inquit Poëta: qui & pauló pôst subdit ibidem: *Tu, dum tua navis in alto est, Hoc age; ne mutata retrorsùm te ferat aura.* Et alius item Poëta: R. *Felix quicunque dolore Alterius discit posse carere suo.* Et his major Salomon in Proverbijs, *Pestilente flagellato stultus sapientior erit.* Et rursùs inferiùs, *Mulctato pestilente sapientior erit parvulus.* Nemo ergò Salomonicam parænesin alienet à probis Regibus, eò quòd quædam ejus laciniæ distringi videantur in solos dyscolos. Nam, ut benè Augustinus monet, S. Non obest justis in me„dio impiorum constitutis quicquid in ipsos „populos propter impiorum multitudinem „dicitur". Apostolus Paulus in priori suâ ad Corinthios Epistolâ totam multitudinem ita laudare videtur, quasi nullus in ea dyscolus esset: & tamen posteà sic eandem redarguit quasi omnes dyscoli essent: Quod alibi advertens idem Augustinus: T. Scripturæ mos est, „inquit, ita loqui de parte, tanquam de toto: „sicut Corinthios in primis Epistolæ suæ „partibus ita laudat Apostolus, tanquam om„nes tales sint, cùm essent laudabiles quidam „eorum: & posteà in nonnullis Epistolæ „ipsius locis ita reprehendit, tanquam om„nes culpabiles essent, propter quosdam qui „tales erant. Istam divinarum Scripturarum „consuetudinem, per omne corpus littera„rum ejus creberrimè sparsam, quisquis dili„genter adverterit, multa dissolvet, quæ inter se videntur esse contraria". Hanc ergo familiarem Scripturarum consuetudinem observans Salomon, vitium regiminis quorundam Principum exprobravit cœtui, cujus hi pars sunt. Neque enim exprobratio ista verificari debet de singulis, sed de multitudine complectente universos. Quapropter cavendum est, ne ex præsenti isto Salomonis textu arripiatur ansa autumandi nullum terrenum Regem criminis esse expertem, aut salutis æternæ capacem. Cui autumationi obviare volens Apostolus, cùm monuisset *Fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*; continuò expressit nominatim *Reges, & omnes in sublimitate constitutos*: V. Præceperat enim Apostolus, inquit „Augustinus, *Ut oraretur pro singulis hominibus*, „& specialiter addiderat, *Pro Regibus, & his qui* „*in sublimitate sunt*, qui putari poterant fastu „& superbiâ sæculari à fidei Christianæ humi„litate abhorrere. Proinde dicens, *Hoc enim* „*bonum est coram Salvatore nostro Deo*, id est, ut „etiam pro talibus oretur; statim ut despera„tionem tolleret, addidit: *Qui omnes homines* „*vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.*

Q. Horat. l. 1. Epist. 18.
R. Tibull. l. 3. Eleg. 7.
Prov. 19. 25.
Prov. 21. 11.
S. August. lib. de Unit. Eccles. cap. 13.
T. August. Epist. 59. q. 6.
1. Tim. 2. 1.
Ibid. v. 2.
V. August. Enchiridij cap. 103.
Ibid. v. 3.
Ibid. v. 4.

„Hoc quippe Deus bonum judicavit, ut ora„tionibus humilium dignaretur salutem præ„stare sublimium. Quod utique jam videmus impletum". Non obstante tamen prædictâ Apostoli præmonitione ac præoccupatione, Pelagiani post aliquot sæcula generaliter dogmatizaverunt, W. *Divitem manentem in divitijs suis, regnum Dei non posse ingredi, nisi omnia sua vendiderit: nec prodesse eidem posse, si fortè ex ipsis divitijs fecerit mandata.* Ex quo dogmate consequens foret, nullos terrenos Principes in suis Principatibus manentes salvari posse. Verùm huic errori ex professo obviavit Augustinus Epist. 89. qu. 3. Novissimè demùm Anabaptistarum Secta monarchomachiam palàm profitetur, & anarchiam invehere nititur: X. Nam præterquam quòd cum Lutheranis „legitimum sacrificium & sacerdotium ab„rogat, & cum Zuinglianis in Eucharistiæ „Sacramento realem Christi præsentiam ne„gat, multa habet alia & blasphema & sedi„tiosa: publicum enim Verbi ministerium „prohibet Deum humanam ex Maria natu„ram non suscepisse contendit, Chiliastarum „errorem renovat, dominationem spernit, „nec legitimæ potestati subjectos esse homi„nes vult. Itaque quocunque pervaserit „hæc Secta, turbas & seditiones ingentes „excitat. Documento esse possunt cùm aliæ „quædam inferioris Germaniæ, tum præcipuè Monasteriensis civitas". Addere nos possumus nuperam tragœdiam Anglicanam ab eis suscitatam, & usque ad Regis excidium nefandissimo ausu perductam. Fecerunt nimirùm viperini filij, quod eorum parentes faciendum esse docuerant. De quibus eorum parentibus loquens Lindanus: Y. Docebant, „inquit, baptisma infantium non esse ex Deo, „infideles omnes cum Principibus & Magi„stratibus esse occidendos, libertatem per „Principes extinctam esse armis vindicandam". Sed non defuerunt ex adverso alij quidam errones, qui in alterum extremum deviantes, Principes promiscuè omnes sive sæculares sive Ecclesiasticos salvari contendebant, inferioris autem sortis homines inter reprobos reputabant. De quibus Fulgentius: Z. Multùm, inquit, istorum fratrum sensus „à veritate discordat, quibus videtur, ipsos „esse *vasa misericordiæ*, qui Ecclesiasticæ sive „sæcularis militiæ habent in hoc sæculo di„gnitatem: clericos verò, & monachos, vel quoslibet laicos, *vasa esse contumeliæ*". Occasione hujus erroris idem Fulgentius ibidem inferiùs cap. 22. suggerit Principibus tam Ecclesiasticis quàm politicis qualiter se in suis Principatibus gerere debeant, ut damnationem *vasis contumeliæ* impendentem evadant: "Quantùm ergo pertinet, inquit, ad hujus „temporis vitam, constat, quia in Ecclesia nemo

W. Pelagiani apud Hilar. Epist. 88. inter Augustinianas. Vide Aug. lib. de Gestis Palæstinis cap. 11.
X. Cardinalis Hosius lib. 1. de Hæresibus nostri temporis. Vide Prateolum lib. 1 Elenchi hæreticum c. 34.
Y. Lindanus in Du[illegible] Dia[illegible]go 1. cap. 4.
Z. Fulgent. lib. [illegible] de Veritate Prædest. & gratiæ [illegible] 20.
Rom. 9. 21.
Ibid. v. 22.

,, nemo Pontifice potior, & in sæculo nemo
,, Christiano Imperatore celsior invenitur.
,, Sed non ideò quilibet Episcopus *vas miseri-*
,, *cordiæ* putetur *in gloriam præparatum*, quia Pon-
,, tificali militiâ fungitur: sed si pro grege
,, sibi credito sollicitus semper invigilet, *Præ-*
1 Tim. 4. 2. ,, *dicet verbum, instet opportunè importunè, arguat,*
,, *obsecret, increpet in omni patientiâ & doctrinâ*;
,, nec sibi dominatum superbus usurpare con-
,, tendat, sed Apostolicis informatus Elo-
,, quijs exemplum se cunctis exhibeat: nec si
,, ullius altitudinis collatum sibi gaudeat tem-
,, porale fastigium, sed si humili corde fideli-
,, bus præbeat bonæ conversationis exem-
,, plum. Clementissimus quoque Imperator
,, non ideò est *Vas misericordiæ præparatum in glo-*
,, *riam*, quia apicem terreni Principatûs acce-
,, pit: sed si in Imperiali culmine recta fide
,, vivat, & cordis humilitate præditus culmen
,, regiæ dignitatis sanctæ religioni subijciat:
,, si magis in timore serviat Deo, quàm in
,, tumore dominari delectetur populo: si in
,, eo lenitas iracundiam mitiget, ornet be-
,, nignitas potestatem: si se magis diligendum
,, quàm metuendum cunctis exhibeat: si sub-
,, jectis salubriter consulat: si justitiam sic te-
,, neat, ut misericordiam non relinquat: si
,, præ omnibus se sanctæ matris Ecclesiæ Ca-
,, tholicæ meminerit filium, ut ejus paci at-
,, que tranquillitati per universum Mundum
,, prodesse faciat suum principatum. Magis
,, enim Christianum regitur ac propagatur
,, Imperium, dum Ecclesiastico statui per
,, universam terram consulitur, quàm dum
,, in parte quacunque terrarum pro temporali
securitate pugnatur".

D 2. Nequaquam igitur putandus est Salomon universos indiscriminatim terrenos Reges reprobare, multò minùs ipsam monarchicam potestatem dignitatemve divinitùs institutam culpare: quæ utique etiam in dyscolis bona est, licèt ipsi eâ perversè utantur ex vitio propriæ voluntatis, quemadmodùm
A. August. li. de Bono conjugali cap. 14. & mali conjuges bonis nuptijs: A. Quid enim
,, sit nuptiarum, inquit Augustinus, consi-
,, derandum est, non quid sit nubentium, &
,, immoderatiùs nuptijs utentium. Neque
,, enim si agris iniquè ac perperàm invasis ita
,, quisque utatur, ut ex eorum fructibus lar-
,, gas eleëmosynas faciat, ideò rapinam justi-
,, ficat: neque si alius ruri paterno vel justè
,, quæsito avarus incumbat, ideò culpanda est
,, juris civilis regula, quâ possessor legitimus
,, factus est: nec tyrannicæ factionis perversi-
,, tas laudabilis erit, si regiâ clementiâ tyran-
,, nus subditos tractet; nec vituperabilis ordo
,, regiæ potestatis, si Rex crudelitate tyran-
,, nicâ sæviat. Aliud est namque injustâ po-
,, testate justè velle uti, & aliud est justâ po-
,, testate injustè velle uti. Ita nec concubinæ
,, ad tempus adhibitæ, si filiorum causâ con-
,, cumbant, justum faciunt concubinatum
,, suum: nec conjugatæ si cum maritis lasci-
,, viant, nuptiali ordini crimen imponunt".
Porrò sicut nuptiarum legitimus usus est recta prolium propagatio & educatio, ita regiæ potestatis legitimus usus est recta judicatio, legis justitiæ custoditio, & divinæ voluntatis obsecutio. Hoc à Salomone obliquè innuitur, cùm directè redarguit ejusdem potestatis abusores; qui existentes ministri regnorum sibi divinitùs commissorum, *Non rectè judicant, nec* Sap. 6. 5.
legem justitiæ custodiunt, neque secundum Dei voluntatem ambulant. Pro cujus redargutionis pleniori intelligentiâ recoli possunt quæ de trimembri legis partitione tradunt Scholastici post D. Thomam 1. 2. q. 99. Ubi hæc ille inter alia complura eòdem spectantia ait: B. Ad a D Thom. 1. 2. q. 99. a 4 in corp. Vide 2. 2. q. 122. a 1. in corp. & ad 9.
,, legem divinam pertinet, ut ordinet homi-
,, nes ad invicem, & ad Deum. Utrumque au-
,, tem horum in communi quidem pertinet ad
,, dictamen legis naturæ; ad quod referuntur
,, moralia præcepta; sed oportet quòd deter-
,, minetur utrumque per legem divinam aut
,, humanam, quia principia naturaliter nota
,, sunt communia tam in speculativis, quàm
,, in practicis. Sicut igitur determinatio com-
,, munis præcepti de cultu divino fit per præ-
,, cepta cæremonialia; sic & determinatio com-
,, munis præcepti de justitiâ observandâ inter
,, homines fit per præcepta judicialia. Et secun-
,, dùm hoc oportet tria præcepta legis veteris
,, ponere, scilicet moralia, quæ sunt de dicta-
,, mine legis naturæ; & cæremonialia, quæ sunt
,, determinationes cultûs divini, & judicialia,
,, quæ sunt determinationes justitiæ inter ho-
,, mines observandæ. Unde cùm Apostolus
,, dixisset quòd *Lex est sancta*, subjunxit quòd Rom. 7. 12.
,, *mandatum est justum, & sanctum, & bonum*: *Justum*
,, quidem, quantùm ad judicialia: *Sanctum*,
,, quantùm ad cæremonialia, nam *Sanctum* dici-
,, tur quod est Deo dicatum: *Bonum*, id est,
honestum, quantùm ad moralia". Juxta hanc igitur trimembrem legis partitionem, in legem scilicet moralem, cæremonialem, & judicialem; increpatio Salomonica tribus constat partibus, quarum prima illa, *Non rectè judicastis*, exprobat eis violationem legis judicialis: secunda illa, *Nec custodistis legem justitiæ*, transgressionem legis moralis: tertia denique ista, *Neque secundum voluntatem Dei ambulastis*, prævaricationem legis cæremonialis.
Nec refert quòd Salomon increpatione suâ carpat omnes sine exceptione Reges potestate sibi traditâ abutentes, sive Judæi sint, sive Gentiles: cùm tamen soli Judæi eorumque proselyti ligarentur Lege Moysaicâ, cujus est ista partitio in moralem, cæremonialem, & PRÆOCCUPATIO.
judicialem: *Quæcunque enim lex loquitur, iis qui* Rom. 3. 19.
in lege sunt loquitur. Dupliciter quippe respon-

 deri po-

deri potest: primò quidem dicendo, unumquodque regnum habere legem suam, quæ ad instar Moysaicæ contineat præcepta quædam moralia, alia judicialia, & alia cæremonialia: quæ si honesta fuerint, merito à Salomone increpantur Reges eis se conformare renuentes: si verò inhonesta, nihilo minùs culpandi sunt Reges sive ea condentes, sive abolere negligentes. Secundò dicendo, Legem Moysaicam quantùm ad præcepta moralia obligasse & etiamnùm obligare universum genus humanum sine distinctione Judæi aut Græci, quatenùs nimirum ea præcepta sunt juris naturæ omnibus communis. Porrò cæremonialia ac judicialia ejusdem legis præcepta virtualiter continentur in moralibus, tanquam determinationes quædam in suis determinabilibus prout mox ex D. Thoma vidimus. Omnia proinde membra tripartitæ illius divisionis quadantenùs concernunt omnes Reges etiam ethnicos: primum quidem membrum, moralia præcepta continens, directè ac formaliter; duo autem reliqua saltem virtualiter, quatenùs scilicet ea virtualiter continentur in primo, formaliter obligante. Etenim virtualis ista continentia id operabatur tunc, & nunc quoque operatur, operabiturque in perpetuum, ut nemini unquam liceat vel judiciariam potestatem exercere, vel cæremoniariam functionem usurpare, contraveniendo legi Moysaicæ pro eâ parte quá moralis est. Quoniam ergo complures Reges exercuere judicia, vel usurparunt cæremonias, quibus contravenerint legi Moysaicæ quoad moralem sui partem, meritò Salomon eos increpat dicendo, *Non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis.*

OBJECTIO. Dicet fortè aliquis: Si Salomon istis verbis alluserit ad tripartitam Moysaicæ legis divisionem, cur non servavit membrorum ordinem in eadem lege digestum? In lege enim primo loco recenseri solent moralia præcepta, secundo cæremonialia, ac demùm postremò judicialia; juxta illud Dei ad Moysen legis præconem: *Tu hic sta mecum, & loquar tibi omnia mandata mea, & cæremonias, atque iudicia*: (Deut. 5. 31.) & illud item Moyseos posteà ad populum, *Hæc sunt præcepta, & cæremoniæ, atque iudicia, quæ mandavit Dominus Deus vester ut docerem vos.* (Deut. 6. 1.) In quibus locis constanter is ordo servatur, juxta quem primo loco censentur moralia, quæ antonomasticè dicuntur *mandata*, & *præcepta*; secundo *cæremonialia*, tertio *iudicialia*, prout ipsa vocabula præ se ferunt. At verò Salomon primo loco statuit judicialia, secundo moralia, tertio cæremonialia; prout jam suprà insinuavimus, & ipsa ejus verba clamant: nam primò exprobrat Regibus violationem legis judicialis, dicendo, *Non rectè iudicastis*: secundò transgressionem legis moralis, quam vocat *legem iustitiæ*, sicut & post eum Apostolus cùm ait, *Israël sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non pervenit*: (Vide 2. 2. q. a. 1. in Rom. 9.) tertiò demùm prævaricationem legis cæremonialis, quam vocat *voluntatem Dei*, eò quòd lex cæremonialis ordinetur ad sanctificationem hominum eâ ritè utentium; quæ utique sanctificatio dicitur Dei voluntas, juxta illud Apostoli, *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* (1 Thes. 4. 3.)

DILUITUR. Huic objectioni facilè satisfit, dicendo, utrobique servatum fuisse ordinem auditorio respectivè congruentem. Moyses enim, & Deus per ipsum, non uni hominum generi, sed universæ multitudini loquebatur: & idcircò ordinatissimè incœpit à præceptis moralibus, omnes homines cujuscunque status ac gradus intimè concernentibus, & reliqua duo præceptorum genera virtualiter continentibus: in quibus reliquis eum etiam ordinem servavit, secundùm quem in prioribus præceptis virtualiter latent; ut propterea cæremonialia præmiserit judicialibus, quia virtualiter latent in præceptis primæ tabulæ; judicialia autem in præceptis secundæ tabulæ. Salomon autem parænesin habuit specialiter ad Reges, quibus ait, *Audite Reges*: & iterum, *Ad vos, Reges, sunt hi sermones mei.* (Sap. 6. 2. & [illegible] suprà §. 496.) Quoniam igitur, ut ex Hesiodo § 496. memoravimus, *Hoc uno Reges olim sunt fine creati, Dicere ius populis, iniustaq; tollere facta*, primò mentionem ingessit Salomon præceptorum judicialium, tanquam specialiter & vi proprij officij ad Reges pertinentium. Quibus præmissis subdidit proximè mentionem *legis iustitiæ*, id est, legis moralis, quæ universis hominibus communis est, & universalia morum documenta complectitur: ut sic tandem ad legem cæremonialem procederet, quæ determinationem continet legis moralis, signanter quoad prima præcepta, quibus cultus Deo impendendus indeterminatè præscribitur. Accedit præterea quòd etiam ipse Moyses non semper eodem ordine tria illa legis membra recenseat, sed subinde Salomonico ordine ea dinumeret: ut cùm ait, *Hæc sunt iudicia, atque præcepta, & leges, quas dedit Dominus inter se & filios Israël in monte Sinai per manum Moysi.* (Levit. 26. 46.) Ubi per *iudicia* congruenter intellexeris leges judiciales, per *præcepta* leges morales, & per *leges* sanctiones rituales seu cæremoniales: ut proinde tria membra legis Moysaicæ eodem ordine hìc ab ipso Moyse digerantur, quo à Salomone in præsenti nostro textu recensentur.

DII. Quanquam verò in superiori capite nonnulla dixerimus, quibus clareat, maximè proprium Regum munus esse *rectè iudicare*, sive justitiam ritè administrare; ut proinde Salomon dyscolis Regibus non sine ratione inprimis exprobraverit quòd *non rectè iudicaverint*: quia tamen res scitu ac consideratu dignissi

dignissima est, lubet ejus probationi ac persuasioni paulò operosiùs insistere. Cui probationi ac persuasioni inprimis servit, quòd Scriptura divina priscos humani generis Patriarchas diluvio vetustiores, qui tanquam capita populis præfuerunt, *praecones justitiæ* appellet; tanquam justitiæ conservandæ ac denuntiandæ administros. Sic enim ait de Deo Petrus

2. Pet. 2. 5. Apostolus: *Originali Mundo non pepercit, sed octavum Noë justitiæ praeconem custodivit.* Primus horum justitiæ præconum fuit *Adam* protoplastus, secundus *Seth*, tertius *Enos*, quartus *Cainan*, quintus *Malaleël*, sextus *Iared*, septimus *Mathusalem*, octavus Noë. Expunguntur è catalogo *Henoch* & *Lamech*, eò quòd superstitibus respectivè parentibus, iisdemque justitiæ præconibus, ex hominum consortio sublati fuerint, alter raptu alter morte: prout sequenti libro latiùs edisseremus. Secundò eidem probationi servit, quòd post diluvium Rex Salem, quem fuisse Sem filium Noë multorum sententia est libro sequenti astruenda, cogno-

Heb. 7. 2. mento dictus sit *Melchisedech*, quod, teste Apostolo, *interpretatur Rex justitiæ*. Tertiò eidem probationi servit, quòd Rectores illius populi quem Deus sibi peculiariter delegit per aliquot priora sæcula dicti sint *Iudices*, nomine

Act. 13. 17. & seqq. scilicet ex propriâ functione adaptato. Unde Paulus ait: *Deus plebis Israel elegit Patres nostros, & plebem exaltavit cùm essent incolæ in terra Ægypti; & in brachio excelso eduxit eos ex eâ, & per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto: & destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum quasi post quadringentos & quinquaginta annos: & post hæc dedit Iudices, usque ad Samuëlem Prophetam.* Quartò item eodèm spectat, quòd cùm Hebræi primùm postularent sibi constitui Regem, usi sunt hâc postulandi formulâ ad Samuëlem:

1. Reg. 8. 5. *Constitue nobis Regem, qui judicet nos sicut & universæ habent nationes.* Qui rursùs ibidem paulò inferiùs, tametsi aliam simul Regis functionem memorarent, primo tamen loco judiciariam functionem, tanquam utique primariam, expresserunt, dicentes:

Ibid. v. 20. *Erimus nos quoque sicut omnes gentes; & judicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.* Reges ad bellum egredi, per accidens est; quia per accidens evenit ut aut bello impetantur, aut injuriam bello vindicandam patiantur: at verò judicium facere, sive justitiam administrare, per se eis competit ex vi suæ functionis & institutionis, sive pax vigeat, sive bellum strepat: quia, ut ex Hesiodo

Hesiodus. jam aliquoties memoravimus, *Hoc une Reges olim sunt fine creati, Dicere jus populis, injustaq; tollere facta.* Imò verò vigente pace lites plerunque crebrescunt, atque adeò crebriorem justitiæ administrationem à Principe exposcunt. Unde quamvis Dominus dixisset Davidi

1. Par. 22. 9. de Salomone, *Filius qui nascetur tibi erit vir quietissimus: faciam enim eum quiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum, & ob hanc causam pacificus vocabitur; & pacem & otium dabo in Israel cunctis diebus ejus:* nihilominùs idem ipse Salomon, etsi hujus divinæ promissionis probè conscius, quia tamen simul novit crebrescere cum pace lites, ait Domino inter orandum sub

3. Reg. 3. 9. initium sui regni: *Dabis servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, & discernere inter bonum & malum: quis enim poterit judicare populum istum, populum tuum hunc multum?* Rursùs quia optimè sciebat Dominus quàm pertinenter ad suum statum regium pacificus ille Rex postulasset ejusmodi docilitatem, dixit ei:

Ibid. v. 11. *Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium: ecce feci tibi secundùm sermones tuos &c.* Refert quoque ibidem Scriptura delatam fuisse

Ibid. v. 16. ad eum mox dirimendam litem *duarum mulierum meretricum* super infante controversò. Ipse item cupiens alios Reges functionis suæ primariæ facere memores, librum Sapientiæ ab se eis dedicatum exorditus est verbis

Sap. 1. 1. istis, *Diligite justitiam qui judicatis terram*, id est,

Sap. 6. 2. Reges; quos ibidem inferiùs vocat *Iudices finium terræ*. Unde & de ipso Salomone Rege

3. Reg. 10. 9. ait Regina Saba: *Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, & posuit te super thronum Israel, eò quod dilexerit Dominus Israel in sempiternum; & constituit te Regem, ut faceres judicium & justitiam.* Dominus quoque ipse ait Regibus

Hier. 21. 12. per Hieremiam Prophetam, *Iudicate manè judicium, & eruite vi oppressum de manu calumniantis.* Et continuò sub interminatione addit ad contravenientes: *Ne fortè egrediatur ut ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extinguat.*

Hier. 22. 3. Et iterum ad eosdem capite proximo, *Facite judicium & justitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris: & advenam, & pupillum, & viduam nolite contristare, neque opprimatis iniquè.*

C. Hieron. in cap. 22. Hieremiæ. In quem locum Hieronymus: [C] Regum proprium est, inquit, facere judicium & justitiam, & liberare de manu calumniatorum vi oppressos: & peregrino, pupilloque, & viduæ, qui faciliùs opprimuntur à potentibus, præbere auxilium. Et ut curam eis præceptorum Dei majorem injiceret, intulit, *Nolite contristare*: ut non solùm non eripiatis, sed ne patiamini quidem per vestram conniventiam ab aliis contristari". Huic non absimilis est illa sententia, §. 487. ex Diotogene relata: *Iudicare, & jus suum singulis distri-*

Vide suprà §. 487. *buere, proprium opus est Regis qui ceu Deus in Mundo Dux atque Præses est.* Medorum Proceres apud

D. Herodotus lib. 1. Herodotum: [D] Agite, inquiunt, constituamus nobis Regem, ut ditio nostra bonis legibus administretur, & nos, ad sua quisque opera revertentes, nusquam impunitate scelera-

„ ſceleratorum violemur. Quâ admonitione
„ perſuaſi Medi, Regibus ſe ſubmiſerunt".
Ad quam eorum conſultationem ac reſolutionem alludens Romani maximus author
Tullius eloquij: [E] Mihi quidem, inquit, non
„ apud Medos ſolùm, ut ait Herodotus, ſed
„ apud Majores noſtros, juſtitiæ fruendæ
„ causâ videntur olim benè morati Reges
conſtituti". Cùm ergo nihil cuiquam magis
proprium cenſeri debeat, quàm præſtare id
propter quod in aliqua dignitate vel officio
conſtitutus eſt, conſequens planè eſt ut nihil
Regibus magis proprium ſit quàm providere
ut ſubditi juſtitiâ fruantur: [F] Nempè, ait
„ Plutarchus, nullum æquè convenit Regi,
„ ac juſtitiæ munus: Mars enim, ut ait Timo-
„ theus, tyrannus eſt: lex verò, ut eſt apud
„ Pindarum, regina. Et Reges, ut author eſt
„ Homerus, non Helepoles à Jove aut æratas
„ naves, ſed legum oracula in depoſitum &
„ cuſtodiam accipiunt: Joviſque alumnum
„ ac diſcipulum idem Homerus non bellaciſ-
„ ſimum nec violentiſſimum aut cruentiſſi-
„ mum Regem, ſed juſtiſſimum vocavit".
Qui alibi quoque loquens de Ariſtide: [G] In-
„ ter omnes ejus virtutes, inquit, populus
„ maximè ſenſit juſtitiam, quòd hujus uſus ei
„ ſolidiſſimus fuerit & communiſſimus: ex
„ quâ vir ille pauper & popularis, Rege di-
„ gniſſimam & diviniſſimam traxit appella-
„ tionem *juſti*; quam nemo Regum vel ty-
„ rannorum ambivit, ſed *Expugnatores*, *Fulmi-*
„ *natores*, *Victores*, nonnulli *Aquilæ* dici, aut *Ac-*
„ *cipitres* voluere; à violentiâ ſcilicet & po-
„ tentiâ, quàm à virtute laudem potiùs au-
„ cupantes. Et quidem Deus, quem referre
„ & adæquare avent, tribus præcellere vide-
„ tur, immortalitate, potentiâ, & virtute;
„ inter quas ſummæ majeſtatis ac divinitatis
„ eſt virtus: nam & vacuum & elementa ſunt
„ æterna, ingentem verò vim ac potentiam
„ habent fulgura, terræ motus, procellæ, &
„ aquarum impreſſiones: at verò juris ac recti
„ ne Deus quidem, niſi ſapiendo & ratioci-
„ nando, venit in conſortium. Quapropter
„ cùm tria ſint, quibus vulgus erga Deum
„ afficitur; quòd eum beatum exiſtimet, quòd
„ eum timeat, quòd honoret: beatum du-
„ cere videtur, quia immortalis eſt, nec in-
„ terit; exhorreſcere, ac metuere, ob vim &
„ potentiam; diligere verò, honorare, &
„ venerari, propter ipſius juſtitiam. Verùm
„ cùm res ita ſeſe habeat, quidam tamen
„ mali conſulti affectant immortalitatem,
„ cujus capax non eſt noſtra natura; & po-
„ tentiam, cujus vis maximè in fortunâ ſita
„ eſt: virtutem autem, quod ex divinis
„ unum bonum in nobis habemus, flocci fa-
„ ciunt: cùm tamen vitam potenter proſpe-
„ rèque principantium juſtitia faciat divinam,
iniquitas belluinam". Extat ejuſdem Plu-
tarchi Opuſculum *De Doctrinâ Principis* inſcri-
ptum, ubi hanc ſententiam opportunè hîc in-
ferendam tradit: " Veteres ita loquuntur,
„ & ſcribunt, & docent: *Abſque juſtitiâ prin-*
„ *cipatum rectè gerere, ne Jovem quidem ipſum poſſe*".

[E] Cicero lib. 2. Offic.

[F] Plutarch. in vitâ Demetrij.

[G] Idem in vitâ Ariſtidis. Vide Franc. Patricium l. 2. de Regno cap. 6.

Vide Aug. lib. 2 de Civit. c. 21 & l. 19. c. 21.

CAPUT CXXXIII.

Cùm proprium Regum munus sit judicare, non eis exprobratur à Salomone quòd judicaverint: sed quòd non rectè. *Iudicij divisio trimembris ex Divo Thoma, in judicium justum, non-justum, & temerarium. Vt judicium sit actus justitiæ, necesse est ut procedat ex zelo rectitudinis, & ex authoritate præsidentis, & ex dictamine prudentiæ: quorum primo deficiente evadit perversum, secundo usurpatum, tertio suspiciosum. Expenditur quod scriptum est,* Honor Regis judicium diligit. *Summum in Regibus bonum est justitiam colere, ac sua cuique jura servare. Nulla Regum hostia Deo acceptior, quàm victima justitiæ. Idem est justitia in regno, quod clavus in nave. Ventilatur & deciditur quæstio de Regum obligatione administrandi per seipsos justitiam. Bodini argumenta pro Regum otio referuntur ac diluuntur à Lipsio, cui patrocinium accersitur ex Tridentina Synodo. Caroli Magni Sanctio de triplici gradu Iudicum & ordine Iudiciorum. Quemadmodùm Episcopi cessante legitimo impedimento tenentur per seipsos prædicare; eo autem subsistente, per idoneos vicarios: ita & Reges judicare. Moyses suasu soceri sui assumpsit subalternos Iudices in sublevamen oneris, reservatis sibi majoribus negotijs: & quænam hæc juxta Philonem? Quando Reges per seipsos justitiam administrant, consultationes audire ac trutinare debent. Tanto meliores censentur Principes, quanto minùs soli omnia præsumunt. Omnia illis desunt, qui nihil sibi deesse autumant. Ludovici XI. Gallorum Regis praxis, à Bresayo Satrapâ acutè sugillata. Ejusdem ad filium in regno successurum hortatio. Demetrij Phalerei ad Ptolemæum Ægypti Regem monitio de consulendis mortuorum scriptis, tanquam de adulatione minùs suspectis. Non sufficit Principi consulere libros, nisi etiam plerunque in consultationem adhibeat vivos. Cardinalis Palæoti super hoc censura. Ampliùs & lucidiùs cernunt plures oculi in unum quasi cœtum coacti, quàm pauciores extra cœtum dispersi.*

DIII. CUm igitur maximè proprium Regum munus sit justitiam subditis administrare, ordinatissimè Salomon increpatoriam suæ ad Reges parænefeos partem inchoavit à justitiæ neglectu, *Cùm essetis*, inquiens, *ministri regni illius* (Dei) *non rectè judicastis*. (Sap. 6. 5.) Non eos culpat, quòd judicaverint; cùm potiùs culpandi fuissent, si judicare, quod proprium ipsorum munus est, neglexissent: sed eos culpat, quòd *non rectè judicaverint*. Scriptum quidem est, *Nolite judicare, ut non judicemini*, (Mat. 7. 1.) id est, ut non condemnemini: " Non tamen credendum est, inquit Divus Thomas, quòd omne judicium sit condemnationis causa. Est enim triplex judicium: unum quidem justum, quod scilicet fit secundùm regulam justitiæ, Sap. 1. *Diligite justitiam qui judicatis terram*: (Sap. 1. 1.) aliud est judicium non-justum, quod scilicet fit contra regulam justitiæ, Sap. 6. *Cùm essetis ministri regni eius non rectè judicastis*. (Sap. 6. 5.) Est item tertium judicium, temerarium; contra quod dicitur Eccles. 5. *Ne temerè quid loquaris*. (Eccle. 5. 1.) Quod quidem dupliciter committitur: uno modo quando aliquis procedit circa id quod sibi commissum est judicandum, absque debita veritatis cognitione; contra id quod dicitur Job 29. *Causam quam ignorabam diligentissimè investigabam*: (Iob 29. 16.) alio modo quando aliquis usurpat sibi judicium de occultis, de quibus Deus solus judicare habet; contra id quod dicitur 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit &c*". (1. Cor. 4. 5.) Ubi apertè per-

(M. D. Thomas in c. 2. ad Roman. Lect. 1.)

hibet, increpationem Salomonicam distringi in Reges, propter *judicium non-justum, quod scilicet sit contra regulam justitiæ*. Idem rursùs in cap. 4 ad Hebræos Lect. 2. tria postulat in Iudice ad legitimè judicandum: primò quidem potestatem coercendi judicatos, juxta illud, *Noli quærere fieri Iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates*: secundò rectitudinis zelum, ut scilicet non ex odio, vel livore, sed ex amore justitiæ quis sententiam judicialem proferat: tertiò denique sapientiam, secundùm quam formetur judicium, juxta illud, *Iudex sapiens judicabit populum suum*. Rursùs in Summa Theologica 2. 2. q. 60. a. 2. easdem tres conditiones, licèt mutato nonnihil ordine & variatis terminis, exigit ad hoc ut judicium reverà sit actus justitiæ: " Ad hoc, inquiens, quòd judicium sit actus justitiæ, tria requiruntur: primò quidem, ut procedat ex inclinatione justitiæ; secundò, ut procedat ex authoritate præsidentis; tertiò, ut proferatur secundùm rectam rationem prudentiæ. Quodcunque autem horum defuerit, judicium erit vitiosum & illicitum: uno quidem modo quando est contra rectitudinem justitiæ, & sic dicitur *judicium perversum vel injustum*: alio modo quando homo judicat de his in quibus non habet authoritatem, & sic dicitur *judicium usurpatum*: tertio modo quando deest certitudo rationis, puta cùm aliquis de his judicat quæ sunt dubia vel occulta, propter leves aliquas conjecturas; & sic dicitur *judicium suspiciosum vel temerarium*". Notanter dixeram, *mutato nonnihil ordine & variatis terminis*: quia quæ hìc ponitur primo loco conditio, illìc superiùs est secunda; & quæ hìc secunda, illìc prima: tertia autem utrobique eadem est. Hìc enim primo loco statuitur *inclinatio justitiæ*, quæ illìc secundo loco posita dicitur *zelus rectitudinis*: & quæ hìc secundò loco posita appellatur *authoritas præsidentis*, illìc primo loco ponitur sub nomine *potestatis coercendi*: denique quæ hìc tertio loco posita vocatur *recta ratio prudentiæ*, illìc tertio similiter loco posita nuncupatur *sapientia*. His ergo tribus conditionibus concurrentibus *honor Regis judicium diligit*: [l] " Quæ verba, ait quidam, non plenè explicavit Græcus quidam author apud Agellium, inquiens: *Honorem addit Regi hoc ipsum, quòd justitiam diligit*, quasi ei honori & ornamento qui Regi aliunde subest, novum quendam honorem sive splendorem justitiæ amor addat. Nimirùm à justitia totus Regis honor subsistit unde si ea absit, nullum Principi relinquitur ornamentum. Quare sic pleniùs ea verba interpretati sunt Theodoretus, Basilius, atque Cyrillus: *Hoc Regem honorabilem reddit, quòd justitiam diligat*. Cùm verò Hebræa vox, quæ honori respondet, omninò significet omnem Regis potentiam, apparatum, vires, pompam, majestatem, facultatem, cunctaque quæ verendum ipsum ac honorabilem reddunt, ut observat ibi Lorinus; manifestè liquet, totum Regis splendorem, sive totum id quod Regem regiò munere satisfacientem facit, signatè à justitiæ amore & cultu desumi. Cui Davidis sententiæ omninò consonat quod de egregio germine, eidem per omnia respondente, loquitur non semel Dominus apud Hieremiam: *Suscitabo David*, (id est, Davidi) *germen justum, & regnabit Rex & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terra*. Ubi facilè vides totam regnandi artem atque sapientiam, quâ Rex legitimè regnans præcellere dicitur, eò omninò ire, ut justum subditis jus reddat, & justitiam administret". Breviter & appositè Papa Gregorius in quadam Epistola ad Francorum Reges: [k] " Summum, inquit, in Regibus bonum est, justitiam colere, ac sua cuique jura servare; & subjectis non sinere quod potestatis est fieri, sed quod æquum est custodire". Sed nec prætereunda hoc loco est illa eruditi ac religiosi cujusdam neoterici sententia, in opere Christianis Principibus nuncupato: [l] " De virtutibus proprijs Regum ac Principum Christianorum, atque Imperiorum administrationi & conservationi pernecessarii, disseramus: quarum omnium, secundùm pietatem ac religionem, splendidissima, inter illas, perinde ac inter cæteras stellas Lucifer matutinus, refulgens, se nobis offert *justitia*; quæ suum cuique ex æquo distribuit: quæ tam propria Regum est, & ad regnorum salutem tuendam necessaria, ut per Salomonem dixerit Spiritus Sanctus, *Justitiâ solium firmari*, eâ verò neglectâ amitti, sive *Ex unâ in aliam gentem transferri*. Hæc virtus principio fundavit regna, hæc fundata stabilivit, stabilita auxit ornavitque, & quam obtinent amplitudinem majestatemque concessit: hæc populi vulneribus medetur, seditiones restinguit, exasperatos animos mitigat, pacem firmat, bellis obsistit, Reges gloriosos facit, regnis securitatem præstat, & inprimis Deum honorat ac reveretur, cui nullum potest esse sacrificium gratius, nulla hostia acceptior, quàm victima justitiæ; cujus vinculo cælum cum terra, suprema cum infimis, & extremæ maximèque divulsæ Mundi partes inter se conjunguntur. Sine justitiâ non regnum, non provincia, non civitas, non pagus non domus, non familia, non latronum etiam ac grassatorum societas conservari potest: atque ubi non regnat justitia, ibi majus regnum majus latrocinium est, ut testatur Augustinus; qui authoritate Ciceronis & Scipionis Africani probat, ubi justitiæ locus non est, ibi nullam Rempu-

Eccli 7. 6.
Eccli. 10 1.
Psalm. 98. 4. l Velasquez lib. 4 de opt. Princ. Princ. Annot. 8. n. 1.
Hier. 23. 5. & Hier. 33. 15.
k Greg. l. 9. Registr. Epist. 112.
l Ribadeneira l. 2. de Principe Christiano cap. 9.
Prov. 16. 12. Eccli. 10. 8.
Vide Aug. lib. 4 de Civit c. 4 & l. 2 c. 21. & l. 19. c. 21.

„ Rempublicam esse posse. Et certè si paulò „ attentiùs perlustremus regna, vel Respubli„ cas, quæ eversæ prostratæque aliquando ja„ cuerunt, reperiemus præcipuam ruinæ ever„ sionisque causam fuisse negligentiam in ad„ ministranda justitia; intelligemusque veris„ simum esse quod divinus Spiritus dicit, *Reg„ num à gente in gentem transfertur propter inju„ stitias, & injurias, & contumelias, & diversos do„ los*. Adeò verò explorata est hæc veritas, ut vel ipsos Gentiles non fugerit". Addo huic & alium ejusdem ævi Scriptorem, qui ait: [M] "Pro„ pter injustitias, injurias, contumelias, & di„ versos dolos, transferuntur regna de gente „ in gentem, regie domus & clarissimæ fami„ liæ extinguuntur, & unà populus cum suo „ Principe sæpè corruunt; non aliter quàm „ dum navis imperito gubernatore regitur, unà „ cum vectoribus & nautis & gubernatore „ submergitur. Idem est justitia in regno, quod „ clavus seu gubernaculum in navi. Et sicut si „ gubernator clavum non regat, & non caveat „ abs scopulis dirigendo, vel negligenter se „ habeat, necessarium est per invia, per syrtes, „ per vortices & cautes navim periclitari: sic „ si Princeps aginam non dirigat, vel negligat, „ necessariò Respublica in immedicabilia ma„ la, impietates, homicidia, scelera, rebellio„ nes, quæ pacis vortices sunt, incidet: & con„ trà, *Regis qui iudicat in veritate thronus, in æter„ num firmabitur*. Et in summâ, justitia conservat „ & auget regna, principatus, & imperia: in„ justitia perdit, minuit, & subvertit". Hisce duobus neotericis adjungo tertium paulò vetustiorem, Franciscum Patricium Cajetanum Antistitem, qui unam librorum enneadem de Regno, & alteram de Republica edidit: in quarum posteriore ait: [N] "Civilium bonorum „ maximum est *justitia*; quæ quidem funda„ menta humanæ societatis jacit, & sine qua nulla civilis congregatio esse potest". In priori signatè de civili justitia loquens: [O] "Hæc, „ inquit, aut Principis est, aut ejus viri qui in „ Republica aut in hominum societate ver„ satur. Cujus virtutis proprium est multitu„ dini consulere, urbes tueri, civitates regere, „ homines ab injuria prohibere, socios provi„ dentiâ protegere, unicuique reddere quod „ suum est; honores, magistratus, ac com„ moda distribuere secundùm uniuscujusque dignitatem". Et rursùs lib. 3. de Republica cap. 1. "Justitiæ munus erit, inquit, nemi„ nem lædere injuriâve afficere, jus suum cui„ que tribuere; benè meritos gratiâ, laude, „ muneribusque afficere; malè autem meri„ tos damnis, ignominiâ, pœnis, morte „ mulctare". Ex quibus omnibus planum est, Principem hâc virtute destitutum non tam Principem esse, quàm Principis larvam, spectrum, idolum, simulachrum, & inane Phantasma; tametsi potestate potiatur.

M. Petrus Gregor. Tolosanus l. 10. de Republ. c. 2. n. 2.

Prov. 29. 14.

N. Franc. Patricius l. 3. de Republica t. 3.

O. Idem l. 8. de Regno cap 4.

DIV. Sed cùm aliud sit habere justitiam eamque diligere, aliud verò eandem per se ipsum exercere; opportunè hîc disquiritur, utrùm Rex aut alius quisque supremus Princeps teneatur per se ipsum administrare subditis justitiam: an verò sufficiat, quòd id præstet per alios, suâ vice fungentes? Hanc quæstionem fusè operoseque tractat Bodinus in suo Opere de Republica, ubi propositis argumentis pro priori parte militantibus: [P] "Hæc argumenta, fuodit, speciosa „ quidem videntur ijs, qui arcana Imperij „ & abditam tuendæ Majestatis disciplinam „ non satis perceptam & usu cognitam habue„ runt. Mihi verò propiùs intuenti non mo„ dò necessarium non videtur, sed nec utile quidem, Principem per se jus dicere". Rationes quas pro sua opinione prolixè obtendit Bodinus, strictim recenset & refutat Lipsius, mox citandus pro opposita sententia; quam ille mecum, sub certa modificatione intellectam, censet veriorem. Cui multùm favet Synodus Tridentina, quatenùs ex eo quòd prædicatio Euangelij sit præcipuum Episcoporum munus, colligit, Episcopos teneri per se ipsos prædicare, cessante legitimo impedimento: [Q] "Quia Christianæ Reipubli„ cæ, inquiens, non minùs necessaria est præ„ dicatio Euangelij, quàm Lectio; & hoc est „ PRÆCIPUUM EPISCOPORUM „ MUNUS; statuit & decrevit Sancta Synodus, „ omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, „ & omnes alios Ecclesiarum Prælatos, teneri „ per se ipsos, si legitimè impediti non fuerint, „ ad prædicandum sanctum Jesu Christi Euangelium". Cui deductioni prorsùs parallela est illa, quâ deducitur obligatio Principum ad justitiam per se ipsos administrandum cessante legitimo impedimento, quandoquidem proprium ac præcipuum eorum munus sit eam administrare; prout jam in superioribus abundè monstratum est. Sed jam audiamus Lipsium, qui propositæ pro titulo quæstioni, *An deceat, aut expediat, ipsum Principem ius dicere, reddere*? Respondet in textu hisce verbis: [R] "Ego putem decere, expedire, debere. Non „ alia res Imperium magis asserit & ostendit, „ quàm hæc in bona vitamque nostram po„ testas: & cur Princeps cunctetur exercere? „ Expedit etiam, quia contra potentes sæpè „ causæ aguntur, nec minores illi aut delegati „ Judices satis in eos oris aut roboris sem„ per habent: severior igitur ita, sed & „ brevior justitia; & tricis remotis supre„ mus ille decidit. Addidi, *debere*; quidni? „ In Politicis docui. Reges justitiæ fruen„ dæ causâ primitùs institutos. Si hoc fine, cur „ munus suum refugiant? Homerus audia„ tur: *Unus Rex, cui concessit Saturnia proles, Sceptrum-*

P. tota Bodinus lib. 4. de Republ. cap. 6.

Q. Synodus Trid. sess. 5. c. 2. de Reform. Vide Sess. 24. c. 4. de Reform.

R. Lipsius l. 1. Monitorum Polit. c. 9. §. 1.

,,*Sceptrumq́, & leges, ut indicet & dominetur* Le-
,, ges & jura Deus in manu ejus, cum sceptro
,, posuit: hoc ostendit & præfert, illas aliis
Vide Petr. Damian. Opusc. 17, & 50. ,, demandet? Non debet: & vel veteres ab
,, ab omni ævo, in omni ferè orbe, Reges vi-
,, deat: jus ipsi dixerunt. Hæc & plura in ista
,, parte sunt: sed & alia acres habet assertores.
,, Aiunt incommoda multa fuisse, & esse, si
,, Princeps judicet; iisque animadversis, ad
OBJECTIO I. ,, hodiernam hanc rationem ventum. Pri-
,, mum ecce: Da imperitum Principem, quî
II. ,, par erit? Quî non faciet recta curva? Item,
,, da ineptum in sermone, in gestu: quid nisi
III. ,, irrisui se exponit? Amplius, crebra hæc
,, ostentatio sui, & in populo locutio, non-
,, ne vulgat Principem, ut detrahit Majestati?
IV. ,, Quartò, vel severè judicabit, & odium pa-
,, riet; vel remissè, & jus violabit. Meliùs
,, ergo res asperas, & sine bona gratia, in
V. ,, alios inclinari. Quintò denique, sunt nunc
,, Curiæ majores minoresque, & cuique rei
,, stata sua judicia: quid Principem in novas
,, curas arcessimus, varie & estatim distra-
,, ctum? Quin melius cuiusque nihil novare,
,, & si quid in jam statutis labat, firmare &
,, vincire. Ista nec malè, nec abs re prorsùs
,, dicuntur, fateor: sed respondeo tamen po-
Ad I. ,, test, & justitiæ causâ, debet. Primùm de
,, imperitia dico: plurimùm & Principem, &
,, quemcunque alium, naturâ duce in magnis
,, aut enormibus causis judicare posse, nec ad
,, hanc rem opus esse grandi scientiâ Juris &
,, Legum. Da simplicem, da probum, affe-
,, ctuum expertem: audeo dicere, rara causa
,, erit, in qua verum, aut quod juxta verum,
,, non videbit. Imò Deus plerunque inspirat,
,, & talibus mentem movet. Quod facer ille
Prov. 16. 10. ,, Scriptor voluit, *Divinatio in labijs Regis, in iu-*
,,*dicio non errabit os eius*. Et tamen fac aliquan-
,, do caligare: quid? Nonne in aperto re-
,, medium, & damus ei Assessores? Damus,
,, & comitentur eum ad hæc talia exeuntem,
Ad II. ,, nec auxilij solùm causâ, sed decori. Atqui
,, in sermone aut gestu aliquis ineptus est. Scio
,, esse, & tamen si alicubi loqui eos deceat,
,, hîc vel maximè, in re severa, gravi, pauco-
,, rum verborum. Itaque aut Principem talem
,, mutum, nisi fortè in cubiculo, faciant; aut
,, patiantur & hîc loqui. Etsi talia exempla ra-
Ad III. ,, ra sunt, cur adducimus, aut insistimus? Ad
,, tertium, vulgat se nimis ita Princeps. For-
,, tassis, si in rebus alijs: at hæc per se talis
,, est, ut reverentiam sui gignat, vel terro-
,, rem. Videmus in quotidianis istis Judici-
,, bus, quàm plebecula eos veneretur & ti-
,, meat, etiam illa innoxia, & cui nihil ne-
,, gotij cum eis est aut fuit. Benè à Deo ita
,, facti sumus, vereri hoc numen & nomen
,, ipsum justitiæ, & quicunque ei administrant.
,, Quanto magis in Principe, si se non man-
,, dare tantùm (in occulto id fit) sed exer-
,, cere, cum summa potestate, ostendat? Et
,, sanè nihil hic familiariter aut comiter fit:
,, verba, gestus, aspectus, apparatus, omnia
,, tristitiæ aut severitati propiora. Ergo hoc
,, facessat: quartum videamus, de odii metu. Ad IV.
,, Incurret in id, inquiunt, si severè judicet;
,, in injustitiam, si remissè. Extrema acci-
,, piunt, & eunt extra ipsas justitiæ metas.
,, Quid? An semper damnationis materia?
,, Fac esse: in ea ipsa certè alter sic deprimi-
,, tur, ut alter elevetur. Hunc lædis, illum
,, juvas: ergo ab illo odium, ab hoc gratia,
,, paria sunto. Sed nego etiam in severitate
,, crebrâ, odia excitari populariter, & con-
,, trà est in rectus animis, qui acclinant se
,, magis ad tales, & attrahuntur. In aspectu
,, illa offendunt; cogitata, & cum usu publi-
,, co collata, delectant. Videsne ut in medi-
,, cina quoque tristia & tetra sæpè propinen-
,, tur, sed salutis causâ? Itaque ab hoc fine,
,, adeò non odimus medicos, amamus & lau-
,, damus. Simillimum in justitiâ, cujus acerbâ
,, sectione aut ustione salus generis humani
,, pendet; & quis id vel è plebe nesciat? Jam
,, de remissione, non abnuo naturas quasdam
,, ad mitiora semper inclinare: & quid mali
,, erit? Imò sit nobis talis Princeps: nam
,, hunc sic clementem ratio tamen reget, &
,, norma Juris & Legum excitabit: nec de-
,, erunt qui ad utiliora & tristiora, cùm opus
,, erit, flectent. Aliqua verò interdum re-
,, missio planè ex usu erit, si tamen terror
,, iste, & sub magno Judice, prævivit. Igno-
,, vit illi Princeps, sed Princeps, id est, sine
,, corruptela, aut affectu alio sordido, huma-
,, nitatis tantùm amore. Hoc ipsum quàm
,, amorem omnium conciliat? Et verum est,
,, si opportunè adhibeatur. Ultimò, nobis Ad V.
,, Mos opponitur, & Concilia, ac Curiæ jam
,, definitæ. Equidem cum More haud temerè
,, pugnem: sed quàm vetusto? Avi vel Proavi
,, nostri aliter fecerunt: vide quàm longinqua
,, repetamus. Quin totum hoc de perpetuis
,, Curijs Judicum, nuperum est, & è Gallia
,, ad nos manavit. Concludimus, & mode- MODERATIO.
,, ramur: Principem decorè & utiliter jus
,, dicturum, sed aliquando, id est, vel certis
,, temporibus, ut id sciri possit; vel in causis
,, gravibus, sive atrocibus; vel denique con-
,, tra potentes aliquos, & partibus graves. Ca-
,, roli Magni Legem, quæ extat, traxerim in
,, exemplum: *Hoc Missi nostri notum faciant Co-* Carolus Magnus.
,, *mitibus & populo, quòd nos in omni hebdomada*
,, *unum diem ad causas audiendas sedere volumus.*
,, *Populo autem dicatur, ut caveat de alijs causis ad*
,, *nos reclamare, nisi de quibus aut Missi nostri, aut*
,, *Comites, eis iustitiam facere noluerint*. Ecce erant
,, illo ævo passim in oppidis & pagis etiam
,, *Comites* sive *Graviones*, qui communiter jus
dicebant:

,, dicebant: interveniebant extra ordinem ,, & *Missi*, sive delegati à Principe, qui idem. ,, At Carolus ipse tamen audire causas voluit, ,, idque hebdomadatim: causas scilicet graviores, aut in quibus læsio aut injuria intervenisse ab ipso Judice videbatur. Si non ,, alius in hac re fructus, quantus iste esset, ,, coercere hoc modo Judices, & vigilantes ,, attentosque reddere, cùm Principem cogitare et judicij sui Judicem; & fortè Vindicem mox futurum"?

DV. Quemadmodùm sub Initium §. præcedentis ex Synodi Tridentinæ Sanctione de Episcoporum obligatione ad prædicandum cessante legitimo impedimento, conclusimus obligationem Regum ad judicandum cessante similiter legitimo impedimento: ita nunc ex ejusdem Synodi doctrinâ de obligatione Episcoporum legitimè impeditorum, ad constituendos concionatores idoneos qui vice suâ prædicent, concludere licet obligationem Principum legitimè impeditorum, ad constituendos Judices idoneos qui vice suâ jus subditis dicant.[S] Si contigerit, inquit eadem

S. Synodus Trid. Sess. 5. c. 2. de Reformat.

,, Synodus, Episcopos, aut alios prædictos, ,, legitimo detineri impedimento, juxta formam generalis Concilij, viros idoneos assumere teneantur, ad prædicationis officium salubriter exequendum". Mentem Synodi pro utroque membro admodùm appositè Principibus accommodavit in suis Politicis Nicolaus Vernulæus: [T] Publici juris admi-

T Nic. Vernul. lib. 1. Institut. Polit. c. 12. §. 1.

,, nistri, inquiens, legumque custodes sunt ,, Principes. Itaque eorum est judicia exercere,& justitiam subditis omnibus administrare. Quippe custodiæ defensionisque causâ ,, constituti sunt, ut & locupletes injuriâ ,, prohibeant. & egenos adversùs locupletum ,, injurias tueantur. Id exequi ut probè possint, Cognitoris fungi munere debent. Quod ,, si pluribus aut majoribus intentus curis ,, Princeps ipse non possit, viros præficiat ,, sanctos, fideles, non venales; qui avaritiam ,, oderint, & ament veritatem: quique jus ,, æqualiter omnibus dicant, & diligenter". Exemplo Principibus præluxit hac in re Moyses; qui tametsi suasu soceri sui Jethro sacerdotis Madianici subalternos sibi Judices substituisset, majores tamen causas suæ cognitioni reservavit. Verba suasoris ad

Exod. 18. 18. ipsum fuere: *Ultra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere.* Et mox infrà: *Provide*

Ibid. v. 21. 22. *de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam; & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui judicent populum omni tempore: quicquid autem majus fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodò judicent; leviusque sit tibi, partito in alios onere.* Notat porrò Philo majora negotia hìc non dici ea quæ inter Magnates agitantur, sed in quibus periculum oppressionis egenorum aut auxilio destitutorum subsit: [V] Est id quoque, ait Ille, po-

V. Philo lib. de Creatione Principis. Vide Josephum lib. 3. Antiq. c. 3. alias 4.

,, testatis summæ officium, eligere aliquot ,, administrationis reddendique juris socios: ,, unus enim non sufficit, quantumvis alacris ,, fortisque corpore simul atque animo, in ,, tantâ mole negotiorum ac multitudine, ,, quotidie alijs super alia affluentibus. Proinde assumendi sunt optimates selecti, spectatæ prudentiæ, fortitudinis, justitiæ, pietatisque, incorrupti, & ante omnia infensi ,, superbiæ: nam hujusmodi viri maximè ,, idonei sunt ad sublevandum ope suâ bonum honestumque Principem. Præterea ,, cùm aliquando res magnæ, aliquando minores tractandæ sint; ne in exiguis conterat ,, operam Princeps, Subpræfectis eas delegabit; majores verò Ipse examinabit diligentissimè. Majora verò negotia; non ut quidam existimant, controversias quæ inter ,, claros, divites, potentesque incidunt; sed ,, quoties privati, egeni, obscuri premuntur ,, à potentioribus, cùm nulla præsidij spes est ,, nisi in Judice; intelligo. Quæ autem dico, ,, patent exemplis sacræ Scripturæ, à quibus ,, non decet discedere. Fuit enim aliquando ,, tempus cùm solus Moyses præsideret Judicijs; occupatus & laborans à manè usque ,, vesperam: tum socer ejus superveniens, & ,, animadvertens quantâ mole premeretur ,, confluente ad ipsius tribunal multitudine, ,, optimè consuluit, ut vicarios eligeret, qui ,, minora tractent negotia; ipse verò majora ,, curet; interquiescens nonnihil. Id consilium adeò placuit, ut mox probatissimus ,, quisque allectus sit in ordinem Judicum, ,, reservatis Prophetæ gravioribus controversijs. Relatum est etiam hoc in sacra volumina, ut haberent quod imitentur posterorum Principes: primùm ne aspernentur ,, Consiliarios, quasi possint ipsi dispicere omnia, cum ne Moyses quidem sit aspernatus, ,, amicus ille Dei sapientissimus: deinde ut ,, sibi vicarios secundæ tertiæque notæ substituant. ne sollicitudinem impendendo ,, rebus vilioribus negligant majoris momenti negotia: impossibile enim est unum ,, hominem obire omnia munia. Diximus ,, autem magnas causas esse personarum humiliorum, ut sunt viduæ, pupilli, advenæ: ,, his debet suum jus summus Princeps reddere, qui potestatem habet nemini obnoxiam; ,, quandoquidem authori Moysi credimus, ne ,, Deum quidem rerum omnium Regem gravatim causas talium cognoscere. Sic enim ,, vates laudat ejus virtutes, dicens: *Deus* ,, *magnus fortisque, qui nullius personam respicit, qui* Deut. 10. 17.
,, *sine corruptelis judicat*: moxque addit quos ,, judicet, non satrapas, tyrannosque terrâ

marique

„ marique latè imperantes ; sed *advenam, pupillum, viduam*". Hinc multa elicere possunt Principes documenta, quibus se utiliter in regiminis exercitio conforment : ut inprimis quod nunquam debeant totam justitiæ administrandæ curam ita in alienos humeros conijcere, ut ne graviores quidem causas suæ cognitioni reservent. Secundò quòd eas causas reputare debeant graviores, in quibus majus oppressionis iniquæ periculum subest. Tertiò quòd non debeant proprio suo judicio usqueadeò confidere, ut Consiliariorum suggestiones penitus respuant: W Magna est eam, „ inquit Cassiodorus, infinitaque prudentia, „ quam nemo sic assequitur, ut eam non ne„ cessariò etiam per alios quærere videatur. „ Senes ipsi consilijs sapientiam discunt, & à „ maturis in commune quæritur quod pro om„ nium utilitate tractatur Solatium Curiarum „ frequenter sibi adhibent maturi Reges, & „ hinc meliores æstimantur quòd soli omnia non præsumunt". Pulchrè & succinctè Bernardus: X Omnia, inquit, illi desunt, qui nihil sibi deesse putat". Ferunt Ludovicum XI. Francorum Regem adeò suæ prudentiæ in administratione regni confidisse, ut nullius consilio auscultaret : Y. Erat Regi moris, ait „ de ipso quidam, nullius auscultare consilio, „ sed omnia pro libito agere suo. Cùm ergo „ eum exiguo insidentem equo gradario con„ spicaretur Petrus Bresayus Normandiæ „ præfectus : *Robustus*, inquit, *equus iste est, qui* „ *tam commodè Regem totumque eius Concilium ferat*": tacitè Regem sugillans, quòd tanquam novus Z. *Stertinius sapientum octavus* totum Con„ siliariorum cœtum suo unius cerebro comportaret". De eodem & Genebrardus : A. Fuit „ vir ferox, inquit, versatili ingenio, & osor „ litterarum: ut qui nollet filium suum Caro„ lum plus discere latinæ linguæ, quàm illa „ quinque verba: *Qui nescit dissimulare, nescit regnare*". Timuit fortè ne filius auscultaret consilijs mortuorum scripto proditis, cùm ipse respuisset consultationes vivorum verbo suggestas. Sed longè aliter de Regum studijs censuit Demetrius Phalereus, ex Duce Atheniensium Bibliothecarius Alexandrinus, quem Laertius perhibet : B. *Honoratum fuisse æreis statuas trecentis sexaginta, quarum plures equestres erant, & in curribus ac bigis stabant, summoque studio intra trecentos dies consummata fuerant.* Hic nimirum, ut memorat Plutarchus, C Ptolemæum Ægypti Regem admonebat, ut con„ scriptos de Regno Imperioque libros com„ pararet atque lectitaret : nam quæ amici „ non audent Reges monere, ea in libris „ descripta reperiri". Quod quanquam verum sit non debet tamen Rex ita inniti sive prudentiæ suæ, sive lectioni ; ut non etiam vivos in consilium adhibeat : ut proinde hic locum habeat quod scriptum est, *Hæc oportet facere, & illa non omittere.* Nam ut scitè monet Cardinalis Palaeotus D Sententia tum Sancto„ tum Patrum, tum Philosophorum ea semper „ fuit, hominem sibi in rebus gravibus ac „ difficilibus gubernandis minimè sufficere: „ sed præter supernum auxilium etiam pru„ dentum consilio adjuvandum esse ; ut „ quemadmodum ex scintillis multis lumen „ unum accenditur, sic copulatis multorum „ mentibus, quæ antea divisæ erant, solidiùs „ humanarum rerum administrationibus pro„ spiciatur : & qui antea singuli duos tantùm „ oculos, ac manus, & pedes habeant, undè „ non omnia circumspicere atque attingere „ poterant, nunc coactis quasi in unum cœtum „ multorum oculis & manibus, universa com„ modiùs & clariùs lustrare & contrectare possint".

Ibid. v. 18.

W Cassiod. l. 8. Variarum Epist. 9.

X Bern. l. 2. de Consid. cap. 7.

Y. Pet. Opmeerus in Chronographia ad annum Christi 1478.

Z Horat. l. 2. Serm. Satyr. 3. Vide Erasmum Chiliade 1. Centurii 8. Adagio 90.

A. Genebr. l. 4. Chronographia an. 1479.

B. Diogen. Laert. lib. 5. vita Philosophorum.

C Plutarch. In Apophtheg. Græcorum.

Luc. 11. 42.

D Card. Palaeotus de Consult. Consistorii p. 1. q. 1. Vide Ribadeneiram l. 2. de Principe Christiano c. 24.

CAPUT

CAPUT CXXXIV.

Quales sibi substituere vicarios debeat Princeps, ab administrandâ per seipsum justitiâ impeditus? Quisquis tribunal ad judicandum conscendit, judicari se non minùs quàm judicare recogitet: instructus sit prudentiâ, ne decipiatur; justitiâ, ut suum cuique tribuat; fortitudine, ne vel minis territus vel precibus flexus vel muneribus depravatus deviet à recto; temperantiâ, ne crapulâ gravatus aut ebrietate dementatus obliviscatur legis, quâ regulari debeat. Expenditur quod scriptum est, Judicate manè judicium. *Virtutes probi Iudicis multiplices recensentur ex Zypæo. Iustitiæ effigies ex Chrysippo, & indidem Iudicis ornamenta ex Aulo Gellio. Philosophiæ interrogantis & Iustitiæ respondentis dialogus metricus, cum encomio Fabricij Consulis quondam Romani æquitate conspicui. Expenditur suggestio Raguëlis ad Moysen,* Provide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam &c. *Non satis est Principi Iudices idoneos elegisse, nisi insuper electorum actionibus superinvigilet. Finis legis justitia, opus Principis lex, Princeps Dei universa administrantis simulachrum. Cambysis Persici & Rogerij Siculi Regum animadversio in Iudices iniquè sententiantes. Alexandri Severi indignatio adversùs Iudices de corruptelâ suspectos. Qui judiciariam potestatem ambitiosis vendunt, eorundem corruptelis consequenter connivent; cùm juris gentium sit posse quemque divendere, quod emerat. Qui pretio honores captant, in adepto munere venantur; nec gratis dant, quod non gratis acceperant. Iudiciarij Præsidis habitus apud Ægyptios. Iuramentum solemne Iudicum apud eosdem, uti & apud alias quasdam gentes. Quàm perniciosum sit ab ineunte ætate mendacijs assuescere? Personam Iudicis exuit, quisquis amicum induit. Graviùs lacerantur cives à pravis Iudicibus intraneis, quàm ab hostibus extraneis. Fures privati in ergastulis, publici in aulis vitam agunt. Deterius est iniquè judicare, quàm simpliciter alienum surripere. Principes non minùs superinvigilare debent actionibus Advocatorum & aliorum Curiæ subservientium, quàm Senatorum pro tribunali sedentium: quorum subservientium multiformes abusus perstringuntur, & animadvertendi suggeruntur.*

DVI. CUm ex dictis habeamus obligari Reges non legitimè impeditos dicere per seipsos jus subditis, & quidem ex zelo rectitudinis, & adhibitâ consultatione ad vitandam præcipitantiam; indidemque habeamus teneri eosdem ritè impeditos substituere sibi Vicarios ad idem præstandum idoneos: ordo postulat, ut jam de hac ipsâ vicariorum Judicum idoneitate differamus, nonnihil etiam de Advocatis seu causarum Patronis subnectamus; quorum functio non minùs ferè exigit Principum vigilantiam, quàm ipsa Judicum vicaria opera. Extat libellus Philonis Judæi, *De Iudice* inscriptus, ubi statim à principio ait [E] Absurdùm fuerit eos in culpâ „ hærere, qui jura præscribunt alijs; quando- „ quidem ab his potissimùm peti debeat vitæ „ exemplum. Sicut enim ignis quæcunque „ admoventur calefaciens, ipse primùm in- „ natâ sibi vi calet; & nix è contrà suapte na- „ turâ frigida, infrigidat & alia: sic Judex „ ipse debet esse plenus justitiâ, si alijs jus ad- „ ministraturus est, à quo ceu fonte promanant

E Philo l. de Judice;

„ nant fluenta dulcia legum & potabilia ſitientibus juſtitiam. Id demùm fiet ſi is qui „ ad judicandum aſcendit tribunal, judicari ſe „ non minùs quàm judicare cogitet; & unà „ cum poteſtate aſſumat prudentiam ne decipiatur, juſtitiam ut ſuum cuique tribuat, „ fortitudinem ne flectatur precibus aut miſericordiâ quo minùs animadvertat in convictos ſceleris. Nam cuicunque virtutes hæ „ cordi fuerint, benè meritus de Republicâ „ exiſtimandus eſt; quippe qui more boni gubernatoris ſedat tempeſtates negotiorum „ commiſſorum ſuæ fidei, ad ſalutem ſecuritatemque eorum qui ab ejus pendent arbitrio". Videmus hic à Philone requiri tres de quatuor Virtutibus Cardinalibus, Prudentiam, Juſtitiam, & Fortitudinem. Mirum cur prætermiſerit Temperantiam, cùm in Proverbijs vetetur dari vinum Regibus, *Ne fortè bibant, & obliviſcantur judiciorum, & mutent cauſam filiorum pauperis*: & hinc ſcriptum videatur apud Hieremiam, *Judicate manè judicium*: F. Ergo, ſubinfert Pineda, matutino tempore, quo maximè ſobrij eſſe ſolent ac debent, Judices jubentur officio adeſſe ſuo, „ Hier. 21. *Judicate manè judicium*: nimirùm ut „ non niſi ſobrij accedant ad ferendam ſententiam, ut eo loco obſervant Hugo, Dionyſius, & eleganter Vatablus, *Manè, id eſt, ſobrij, & jocum cavete; ut per ebrietatem corrumpatis judicia*. At intemperantiſſimi Judices „ & Magiſtratus *Vinum damnatorum bibunt*". Debet proinde Judex omnibus quatuor Virtutibus Cardinalibus ornari; juſtitiâ quidem per ſe ac principaliter, reliquis verò tribus acceſſoriè, & propter ipſam. Nam ſine prudentiâ non poterit diſcernere juſtum ab injuſto, ut juſtam limatamque proferat ſententiam: ſine temperantiâ non poterit ipſam adipiſci vel adeptam ritè exercere prudentiam: ſine fortitudine non poterit adimplere quod ſcriptum eſt, *Pro juſtitiâ agonizare pro animâ tuâ, & uſque ad mortem certa pro juſtitiâ*. Extat Franciſci Zypæi, Archidiaconi & Officialis Antuerpienſis, Opus admodùm prolixum & elaboratum, *Judex* inſcriptum, quatuor libris diſtinctum, quorum primus in explicandis idonei Judicis qualitatibus ſeu virtutibus totus inſumitur: quarum præcipuæ ſunt, ut ſit *Fidei recta, timens Deum, Religioſus erga Eccleſiam, juſtus, æquus, fortis, conſtans, patiens, vacuus ab affectibus, muneribus abſtinens, ab avaritiâ alienus, non iracundus, prudens, ſobrius, clemens, benignus, ſeverus, peritus, diligens, ſecretus, concordiæ ſtudioſus, facilis, veritatis amans, à detractoribus averſus, adulatoribus immicus, verax & candidus, dives, inambitioſus, annoſus, opulentus, decenter veſtitus, facie decorus, honeſta proſapia, legitimus, non rixoſus* &c. Quæ quidem virtutes maximo ornamento futuræ ſunt Judici univerſas habenti; non

Prov. 31. 5.

Hier. 21. 12.

F. Pineda in cap. 10. Eccleſiaſte v. 16. n. 3.

Amos. 2. 8.

Eccli. 4. 33.

Vide Zypæū lib. 1. de Judice per totum.

tamen omnes æqualiter, ſed aliquæ magis, aliæ minùs ei neceſſariæ ſunt ad munus ſuum ritè obeundum. Paucioribus contentus fuit Gellius poſt Chryſippum, quem citat & laudat, dicens: G. Condignè mehercle & con„ decorè Chryſippus in librorum, qui *De ho„ neſto & voluptate*, inſcribuntur, primo, os & „ oculos juſtitiæ, vultumque ejus, ſeverls ac „ venerandis verborum coloribus depinxit. „ Facit quippe imaginem juſtitiæ, fierique „ ſolitam eſſe dicit à Pictoribus Rhetoribuſque antiquioribus, ad hunc fermè modum: „ *Formâ atque filo virginali, aſpectu vehementi & „ formidabili, luminibus oculorum acribus, nec hu„ milis neque atrocis, ſed reverendæ cujuſdam triſtitiæ „ dignitate*. Ex imaginis autem iſtius ſignificatione intelligi voluit, Judicem, qui juſtitiæ antiſtes eſt, oportere eſſe gravem, ſanctum, ſeverum, incorruptum, inadulabilem, contraque improbos ac nocentes immiſericordem atque inexorabilem; erectum„ que, & arduum, ac potentem; vi & majeſtate æquitatis veritatiſque terrificum". Refert in Opere ſuo Chronographico Petrus Opmeerus memorabile huc ſpectans Epigramma, à Petro Gerardi, germano fratre Eraſmi Roterodami, in laudem Fabricij Romani quondam Conſulis concinnatum: in quo introducuntur Philoſophia & Juſtitia colloquentes, illa quidem interrogando, iſta ad ſingula interrogata reſpondendo, in hunc modum: H. *Quæ Dea? Juſtitia. Ecquid terret homine? Flecti Neſcia ſum lachrymis, nec movetur precibus. Unde genus? Cœlo. Qui te genuere parentes? Mi modus eſt genitor, cara fides genitrix. Cur gladium tua dextra gerit, cur læva bilancem? Ponderat hæc cauſas, percutit ille reos. Aurium aperta tibi cur altera, & altera clauſa eſt? Una patet juſtis, altera ſurda malis. Cur ſola incedis? Quia copia rara bonorum eſt, Hacque ferunt paucos ſecula Fabricios. Paupere cur ſemper cultu? Juſtiſſimus eſſe Qui cupit, immenſas nemo parabit opes*. Ex quâ Juſtitiæ deſcriptione obvium eſt cernere qualis debeat eſſe, qui ad eam exercendam à Principe deligitur. Sed breviſſimè conditiones Judicum deligendorum complexus eſt Jethro illis verbis ad Moyſen generum ſuum directis: *Provide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam*. In quem locum Cajetanus: I. *Viros*, inquit, non mulieres: quoniam „ regimen mulierum peſſimum eſt, adeò ut „ ſecundùm naturæ curſum loquendo nulla in „ muliere affirmetur virtus lib. 7. Ethicorum. „ Dictio autem interpretata *Potentes*, valde „ varios ſortita eſt interpretes: nam alij *ſapientes*, alij *fortes*, alij *virtutis*, alij *nobiles* interpretantur. Nihil autem propiùs ad propoſitum accedit quàm *ſapientes*. Non tamen „ *ſapientes* ſignificat propriè, ſed *viros valentes* „ ſeu *viros valoris*. Et etiam apud Hebræos hæc nuncu-

G. Aulus Gellius lib. 14. c. 4. Vide Franc. Patricium l. 9. de Regno c. 3. & Petr. Gregorium l. 10. de Republica c. 3. n. 8.

H. Petr. Gerardi apud Opmeerum in Chronographia sub An. Mundi 3736.

Ex. 18. 21.

I. Cajet. in cap. 18 Exodi ad versum 21.

„ nuncupatio communis est tam *valentibus* ingenio seu arte aliquâ, quàm *valentibus* viribus & armis. Unde & Pharao dixit ad Ioseph, *Quod si fratres eius essent viri valoris, constitueret super pecora ipsius Pharaonis.* In hoc itaque loco, *viri valentes ingenio* intelliguntur, ac si in specie dictum fuisset, *viros ingenij.* Et verè prima pars Principis ac Iudicis à naturali ingenio est: viri siquidem ingenij naturaliter sunt aliorum Rectores, & sine hac parte reliquæ nihil valent. *Timentes Deum*: prima enim virtus requisita ad Principem cujuscunque ordinis, est timor Dei. Oportet enim jus dicentem alijs, rationem habere superioris Iudicis intuentis cor, & singulas conditiones Iudicantis, atque Iudicij: ut sic judicet alios, tanquam certus quòd redditurus sit ipse rationem Deo de suis Iudicijs, & ratione judicandi; & quòd puniendus sit, si peccat; & quòd timeat puniri à Deo: si enim solus timor humanus in animo regnat Iudicis, innumerabiles injurias faciet. *In quibus sit veritas*: clariùs habetur in Hebræo, *Viros veritatis.* Quemadmodùm dicitur *Vir sanguinum*, qui effusor est multi sanguinis: ita dicitur *Vir veritatis*, qui sectator est veritatis, hoc est, & quòd sit verax tum in dicendo, tum in faciendo quod dixit; & quòd veritas rerum gestarum, testium, & hujusmodi, inveniant locum apud eum: hæc enim duo exiguntur ad virum veritatis. *Et qui oderint avaritiam*: quamvis sufficiat homini non esse avarum, non sufficit tamen Principi aut Judici; sed oportet eum tam alienum esse ab avaritia, ut oderit ipsam. Minus dico: quia participium habetur in Hebræo, *odientes avaritiam*, significans affectos continuo odio avaritiæ, & non qui ad horam oderint avaritiam".

Gen. 47. 6.

1. Reg. 16. 7. & 8.

DVII. Sedula ergo adhibenda est Principi in deligendis Judicibus sibi subalternis discretio, sed non segnior in delectorum actiones superinspectio. Sæpè enim evenit, ut qui putabatur idoneus, reperiatur posteà inidoneus: sæpè item accidit, ut qui ante adeptam dignitatem fuerat reverà probus, eâ adeptâ evadat improbus: honores enim plerumque mutant mores; sed faciliùs ac frequentiùs in deteriores, quàm in meliores. Ut ergo huic malo Princeps obviet, primò omnium providere debet ut bonæ justæque leges vigeant, ad quarum normam Judices à se delecti jus subditis dicant: deinde invigilare in ipsos delectos, ne contra Legum præscripta judicare audeant: X. Polemon dicebat, inquit Plutarchus, *Amorem esse Deorum obsequium ad prospiciendum adolescentulis*: sed veriùs quis dixerit, Principes esse Dei ministros ad salutem & curam hominum, ut bona, quæ Deus illis largitur partim distribuant, partim servent. Vides, in sublimi cælum hoc immensum, terram undique liquidis ulnis amplectens. Illud quidem demittit principia seminum quibus opus est, terra verò producit; crescunt deinde illa partim imbribus, partim ventis, partim stellis ac lunâ confoventibus: porrò Sol omnia ornat, omnibus vim amoris ex se admiscens. Sed tot tantisque bonis ac Dei muneribus nec frui nec uti rectè licet, si desit lex, justitia, & Princeps. Itaque justitia quidem legis est finis, lex autem Principis opus, Princeps verò Dei simulachrum administrantis universa". Cùm ergo Princeps sit Dei simulachrum, necesse est ut prototypum suum quoad fieri potest imitetur, si munere suo ritè perfungi velit. Quemadmodùm igitur Deus leges condit quibus rectè vivendi normam cunctis præscribit, earumque observationi jugiter invigilat, obsequentes honorat, transgressores punit: ita & Princeps facere debet, alioquin Deum sentiet vindicem, quem imitando reperturus fuisset præmiatorem: L. Non itaque satis fuerit Principi, magnâ cum diligentiâ & curâ hominum, quos probitatis opinio, doctrina, prudentia, suique status integritas commendat, judicandi munus demandasse, eisque legum custodiam summâ cum fovere commisisse: sed quoniam abditi sunt humani cordis recessus, & munus ipsum virum ostendit, fitque occasionibus ut offendamus & labamur, moresque mutemus; idcircò necesse est ut Princeps animo excubet, atque eò magis, quò res majoris est momenti, ex qua Reipublicæ salus dependet, quæque est fundamentum ac stabilimen quo Regnorum & Imperiorum conservatio tranquillitasque stat & fulcitur. In eum verò Iudicem, qui à ratione juris & æquitatis discedet, id severitatis exemplum edet, quod reliquis documento fit, ut in officio permaneant. Cambyses Persarum Rex cùm rescisset quendam ex Iudicibus suis contra jus & æquitatem in re gravi sententiam tulisse, idemque aliàs frequenter factitasse, cutem vivo detrahi jussit, pellemque detractam intendi atque consterni tribunali quo sedere solebant Iudices. Cumque posteà Patris magistratum filio ejusdem contulisset, eum admonens: *Vide*, inquit, *quo loco ad iudicandum sedeas.* Idem fecisse legimus Rogerium Siciliæ Regem; nec immeritò sanè: nihil enim est quod Reipublicæ majorem pestem aut perniciem afferat, eamque labefactet, quàm si Judex judicandi potestate ad injurias, ad furta, ad rapinas & violentiam abutatur. Est enim Dei Vicarius, qui & hanc facultatem concessit: ut, quemadmodùm ipse ait, *Cogitet iudicium* illud

X Plutarch. l. de Doctr. Principis.

L. Ribadeneira lib. 2. de Principe Christiano cap. 14.

Vide Herodotum l. 5. & Valerium Max. lib. 6. c. 3. in fine.

2. Par. 19. 6.

„ *illud quod exercet, non esse suum, sed Dei iudicium;*
„ proinde curandum sibi esse, ut quantum po-
„ test rectissimam Dei justitiam imitetur, nec
„ se sinat cupiditate animive perturbatione sic
„ excæcari, ut judicium pervertat; & per sum-
„ mam impietatem ac blasphemiam, Deum,
„ cujus personam gerit, iniquum & menda-
„ cem, quantùm in se est, faciat. Quinimò
„ Alexander Severus, laudatissimus Princeps,
„ hâc alioqui cognitione ac luce cælesti desti-
„ tutus, dicebat: *Non satis dignè in malum Iu-*
„ *dicem vindicari, si magistratu privetur; sed gra-*
vioribus etiam supplicijs multandum". Cùm au-
tem in hujus Imperatoris mentionem incide-
rim, non omittam commemorare duo huc
spectantia exempla, quæ in ejus vita referun-
tur: quorum primum est, [M] Tanti stomachi
„ eum fuisse in Iudices qui furtorum famâ la-
„ borassent, etiamsi damnati non essent; ut si
„ eos casu aliquo videret, commotione animi
„ evomeret stomachi choleram, toto vultu
„ inardescente, ita ut nihil posset loqui. Nam
„ cùm quidam Septimius Arabinus famosus
„ crimine furtorum, & sub Heliogabalo jam
„ liberatus, inter Senatores venisset salutatum
„ Principem, exclamavit: *O Numina, ô Iupiter,*
„ *ô Dij immortales, Arabinus non solùm vivit, verùm*
„ *etiam in Senatum venit! Fortasse etiam & me spe-*
rat: tam fatuum, tam stultum esse me iudicat"? Al-
terum item est, quòd cùm probè nosset quàm
proclive sit ut qui judiciariam dignitatem pe-
cuniâ sibi comparaverit, ejusdem usum, vel
potiùs abusum, pecuniâ divendat, ad recu-
perandum pretium quod anticipaverat, [N] Ho-
„ nores juris, & gladij, nunquam vendi pas-
„ sus sit, dicens: *Necesse est, ut qui emit, ven-*
„ *dat. Ego non patiar mercatores potestatum: quos*
„ *si patiar, damnare non possim. Erubesco enim pu-*
nire illum hominem qui emit, & vendit". Legerat
forsan Imperator Senecam, qui deplorans ac
detestans sui ævi corruptelas: [O] Iam, inquit,
„ rapta spargere, sparsa pari avaritiâ recolli-
„ gere certant; nihil pensi habere, pauperta-
„ tem alienam contemnere, suam timere, nul-
„ lum aliud vereri malum; pacem injurijs per-
„ turbare, imbecilliores vi ac metu premere.
„ Nam Provincias spoliari, & nummarium
„ tribunal, auditâ utrinque licitatione, alteri
„ addici, non mirum; quando quæ emeris,
vendere, gentium jus est". Huc quoque re-
ferendum est quod scribit Cardinalis Pullus
hisce verbis: [P] Rex potestatibus terrenis præ-
„ cipuè curam impendere debet, quatenùs
„ legitimè constitutas rectus ordo agendi con-
„ sequatur. Nam qui gradum cujusquam di-
„ gnitatis ambitiosè conscendit, ipse in gradu
„ aut semper aut sæpiusculè se cupidè gerit.
„ Unde qui muneribus datis honorem cap-
„ tant, qui in adepto munere venantur: & quo-
„ niam non gratis acceperant, nec gratis
„ dant. Hi dum pecuniam sitiunt, justitiam
„ nec vendere, nec perimere formidant".
Et rursùs ibidem post pauca subinfert: " Rex
„ ergo industriâ suâ tales sibi Ministros pro-
„ videat, qui legitimè ad officium ministerij
„ accedant: in ministerio autem constitutos
„ ita instruat, ut justitiam perimere aut no-
lint, aut saltem non audeant". Refert Ælia-
nus, [Q] Iudices apud Ægyptios olim eosdem
„ fuisse, qui & Sacerdotes: quorum Prin-
„ ceps fuerit sententiæ, qui inter omnes na-
„ tu maximus, jus habens statuendi in om-
„ nes. Eum omnium hominum justissimum
„ & sincerissimum esse oportebat, qui circa
„ collum gestabat imaginem ex Sapphiro
„ gemmâ confectam, quæ vocabatur *Veri-*
tas". Cui relationi subnectit idem author
hanc suam censuram: " Ego verò Iudicem
„ non tam ex lapide sculptam aut expressam
„ circumferre veritatem, quàm in animo men-
„ teque insitam & infixam habere, velim".
Rectè omninò, nam exterior illa sculptura
lapidis serviebat tantummodò admonitioni
cordis; ut nimirùm Iudex ille agnosceret
ad quid teneretur interiùs, qui veritatis
Inscriptionem gerebat exteriùs. Testatur
sanè Philo Iudæus præcipuam causam iniqui-
tatis Iudicum, esse neglectum veritatis,
sive assuetudinem mendacij. Cùm enim va-
rias ipsorum fraudes & injustitias perstrin-
xisset: [R] Hujusmodi autem peccatorum, in-
„ quit, præcipua causa est assuetudo menda-
„ cij, quo ab incunabulis nutrices, & ma-
„ tres, & alia tum servorum tum ingenuo-
„ rum turba alumnum suum imbuunt, di-
„ ctis factisque astruentes id animo agna-
„ tum naturaliter; cùm extirpari potiùs de-
„ buerit per honesta studia, etiamsi à natu-
„ ra fuisset inditum. Quid enim in vita est
„ æquè pretiosum, ac veritas? Quam Vates sa-
„ piens (*Moyses*) inscripsit loco sacratissimo,
„ eâ parte vestis Pontificiæ, ubi est prin-
„ cipalis vis animæ: ut Sacerdotem hoc or-
namento faceret augustiorem". Cùm igitur
in Iudicibus tantoperè necessaria sit prose-
cutio veritatis, rectissimè cavetur ne quis-
quam functionem judicialem auspicetur, nisi
præstito priùs juramento de præponenda om-
nibus necessitudinibus veritate: [S] Iudices,
„ ait quidam, Sacramento legibus alligan-
„ tur jurati, *Quòd omni modo iudicium cum*
„ *veritate & legum observatione disponent*: ipso-
„ que Iure cautum est, ut sacrorum Evan-
„ geliorum Scripturæ terribiles ante sedem
„ judicialem deponantur, ibique ab initio
„ litium ad finem usque permaneant, nec amo-
„ veantur nisi sententiâ recitatâ; quò totius
„ consistorij latitudo, ipsius Dei præsentiâ
„ repleta, omnibus ad sacrosanctas Scripturas
„ metum incutiat & reverentiam, & ab in-
quisitione

Alex. Sever.

M. Lampridius in vita Alexandri Severi.

N. Lampridius ibid. infrà.

O. Seneca l. 1. de Beneficijs cap. 9.

P. Cardin. Pullus lib. 6. Sentent. c. 8.

Q. Ælian. lib. 14. Variæ Historiæ c. 34. Vide Diodor. Siculû l. 1. Bibliothecæ c. 6. & 9.

R. Philo lib. de Iudice.

S. Ioan. Saresb. lib. 5. Polieratici cap. 11.

quisitione veritatis omnis iniquitas propulletur. Omnis quoque carnis & sanguinis religio judiciaria propellit affectus, evacuans iram, & odium, & metum, & amicitiam: quia, ut ait Julius Cæsar, *Haud facilè animus verum previdet, ubi ista efficiunt.* Hinc est illud proverbium, authore Cicerone, apud antiquos celeberrimum: *Exuit personam Iudicis, quisquis amicum induit.* Æquitas enim, cui Judex obsequium debet, odij sinistram, aut amoris dexteram nescit: nam à veritate non licet in Judicijs declinare". Et Alexander ab Alexandro: [T] Judices, inquit, qui pro excessu criminis litem daturi erant, conceptis verbis, *Se nihil habere, nihil precibus dare,* solemnissimum jusiurandum præstare cogebantur: quod mox depravatis Judicijs fieri desitum est. Hoc quidem jusiurandum apud Ægyptios sanctiùs præstabatur in hæc verba: *Ut ne Regis quidem mina aut iussa à recto bonoque illos deducerent, aut transversos agerent".* Quàm severè autem ijdem Ægyptij in perjuros promiscuè omnes, adeòque in hujus judiciarij juramenti violatores animadverterent, indicat Diodorus Siculus: [V] Perjuri, inquiens, iuxta Ægyptiorum leges capite mulctabantur, tanquam qui duplici tenerentur scelere: ut qui & pietatem in Deos violarent, & fidem inter homines tollerent, maximum vinculum humanæ societatis". Quando ergo hisce duobus accedebat violatio justitiæ, proculdubiò severissimè plectebatur perfidia. Neque enim minus necessaria humanæ societati est justitia Iudiciorum, quàm fides dictorum. Refert Lipsius, & ex ipso Bzovius, [W] Andronicum Imperatorem scripsisse ad Præsides & Magistratus hisce verbis: *Aut iniurias aut vitam relinquite. Nam vos iniustè agere, & vivere, nec Deo gratum, nec mihi eius ministro ferendum est".* Et sanè cùm in nullâ Republicâ benè ordinatâ sinantur impunè grassari fures & latrones, multò minùs sini debent iniqui judices. Nam, ut Isidorus Hispalensis rectè admonet, [X] Graviùs lacerantur pauperes à pravis Iudicibus, quàm à cruentissimis hostibus: nullus enim prædo tam cupidus est in alienis, quàm Iudex iniquus in suis. Latrones inaccessis faucibus & latebrosis latentes, insidias ponunt: isti palàm rapacitatis avaritiâ sæviunt. Hostes in alienorum tantùm sanguinem intendunt: Iudices, quasi crudelissimi carnifices, oppressione suâ vitam civium subjectorum extinguunt". Huc etiam referri potest illud Catonis dictum, ab Aulo Gellio commemoratum: [Y] Fures privatorum furtorum in nervo & compedibus ætatem transigunt, fures publici in auro atque purpurâ". Fures publici sunt Senatores iniqui, justitiam Reipublicæ præcipuum thesaurum & ornamentum pervertentes. Hi in auro & purpura splendent, & privatorum furum in nervo vel compedibus degentium Iudices sedent, quos & patibulo subinde adjudicant, cùm sint ipsi eo supplicio longè digniores; utpotè graviorum scelerum patratores, & Reipublicæ nociviores. Ut enim quidam ait: [Z] Malum quidem est injustè agere, sed longè deterius injustam sententiam ferre: alterum enim relinquit spem auxilij injuriam passo, alterum verò hanc ipsam spem adimit & injustum factum corroborat".

Iul. Cæsar

Cicero.

T Alex. ab Alexandro l. 5. Genialium c. 5. in fine.

V Diodor. Siculus l. 2. cap. 3.

W Lips. l. 2. Monit. Polit. cap. 9. Vide Bzovium ad an. 1199. n. 24.

X Isidor. l. 3. Sent. cap. 52.

Y. Cato apud Gellium l. 11. c. 18.

Z Isidorus Pelus. lib 4. Epist. 14.

DVIII. Præter Iudices sunt alij complures administri, quorum opera in litium deductione vel expeditione intervenit; quibus nisi Princeps superinvigilet, eadem incommoda Reipublicæ obvenient, quæ ex Iudicum impunitâ nequitiâ provenire jam diximus. Tales sunt Advocati sive causarùm Patroni, Procuratores, Notarij, Secretarij, Graphiarij, Apparitores, & cæteri Curiarum Officiales. De quibus, unà cum ipsis Iudicibus, disserens Cyprianus ita scribit Donato: [A] Sed tibi post insidiosas vias, post dispersas orbe toto multiplices pugnas, post spectacula vel cruenta vel turpia, post libidinum probra vel lupanaribus prostituta vel domesticis parietibus obsepta, quorum quo secretior culpa, major audacia est; forum fortassè videatur immune, quod, ab injurijs lacessentibus liberum, nullis malorum contactibus polluatur. Illuc aciem tuam flecte: plura illic quæ detesteris invenies, magis oculos tuos inde divertes. Incisæ sint licèt Leges duodecim tabulis & publicè ære præfixo jura præscripta sint; inter Leges ipsas delinquitur, inter jura peccatur, innocentia nec illic ubi defenditur reservatur. Sævit invicem discordantium rabies, & inter togas pace ruptâ forum litibus mugit insanum: hasta illic & gladius, & Carnifex præsto est, ungula effodiens, equuleus extendens, ignis exurens; ad hominis corpus unum supplicia plura quàm membra sunt. Quis inter hæc vero subveniat? Patronus? Sed prævaricatur & decipit. Iudex? Sed sententiam vendit. Qui sedet crimina vindicaturus, admittit; & ut reus innocens pereat, fit nocens Iudex. Flagrant ubique delicta, & passim multiformi genere peccandi per improbas mentes nocens virus operatur. Hic testamentum subjicit, ille falsum capitali fraude conscribit: hìc arcentur hæreditatibus liberi, illìc bonis donantur alieni. Inimicus insimulat, calumniator impugnat, testis infamat; utrobique grassatur in mendacium criminum prostitutæ vocis venalis audacia, cùm interim nocentes nec cum innocentibus pereant. nullus de legibus metus est; de Quæstore, de Iudice pavor nullus: quod potest redimi, non

A Cyprian. Epist. 2.

„ timetur: esse jam inter nocentes innoxium, „ crimen est; malos quisquis non imitatur, „ offendit. Consensere Jura peccatis, & cœpit licitum esse quod publicum est". De Joanne Chrysostomo scribit in sua Historia Socrates, quod B. Cùm ad Iudiciariam se daturus „ speraretur professionem, consideraret autem „ quàm molesta & injusta esset eorum vita qui „ tribunalibus serviunt, quieti se potiùs tradidit. Et hoc imitatione fecit Evagrij, qui „ & ipse ijsdem usus Præceptoribus, jam olim „ quietem fuerat amplexus; ac confestim mutato habitu & incessu, lectioni sacrarum literarum animum intendit, & irremissam „ Ecclesiarum curam gerebat. Persuasit item „ Theodoro & Maximo, condiscipulis olim „ suis apud Libanium Sophistam, ut relictâ „ quæstuariâ vitâ amplecterentur tenuem ac frugalem". Hoc Chrysostomi factum sibi ob oculos proposuit imitandum Petrus Blesensis, ac tum subdidit de Advocatorum abusibus: C. Non inficior bonum esse scire leges, „ sed non ad quæstum, non ad iniquum Iuris „ compendium; sed ad veritatis inquisitionem, & judicij æquitatem; si fortè me aut „ alium aliquando oporteat esse Iudicem, aut „ Iudicis Assessorem. Hodie soli avaritiæ „ militant causarum Patroni; illudque quondam venerabile nomen, & gloriosa professio *Advocati*, notabili venalitate vilescit, „ dum miser & perditus linguam vendit, lites „ emit, matrimonia legitima dissolvit, amicitias rumpit, sopitarum litium cineres resuscitat, pactiones violat, detractat transactiones, privilegia frangit, & in capturam „ pecuniæ pedicas & retiacula tendens Iura „ omnia intervertit. Ideò Constitutio Imperialis ab officio postulandi removet litium „ redemptores; Jure autem Prætorio, atque „ Interpretum, in prævaricantes vel aliàs delinquentes pœnæ extraordinariæ statuuntur". Plura in eandem rem scribit idem author inferiùs Epist. 140. Qui rursùs in caput 2. libri Job: " Discant quæso, inquit, nostri „ Legistæ, quid eis ad salutem animæ confert „ ille civilis & picturatus loquendi modus, „ ille Babylonius calix, quo inebriantur peccatores terræ, illæ Principum Leges, quibus ego infelix aliquando militavi. Usus „ tamen earum vitæ hominum utilissimus „ esset, nisi bonitate ipsarum abuteretur humana malitia". Joannes quoque Sarisberiensis in suo Policratico aliquoties invehitur in hujusmodi non tam Causidicos, quàm Caufidicistas, hoc est, sophisticos causarum patronos: D Experto crede, ait ipse de talibus, in manus eorum millies incidi: &, ut „ aliquid de fabulis mutuemur, portitor immitis *Charon* qui nemini pepercit unquam, „ istis longè clementior est: stipe siquidem „ vel triente solet esse contentus, at isti asses „ integros sibi multiplicari jubent. Sed quid „ est, quòd apud Curiales omnia queror esse „ venialia; cùm ea etiam quæ non sunt, rerum scilicet privationes, venalitio constet „ esse obnoxia? Non opus, non sermo gratuitus est; non tacent nisi ad pretium, silentium namque eis venale est. Hoc fortè à „ Demosthene acceperunt, qui cum Aristodimum fabularum actorem interrogasset, „ quantam mercedem ut ageret accepisset? „ Et responderetur ei; Talentum; *At ego*, inquit Demosthenes, *plus accepi ut tacerem*. „ Causidicorum siquidem est lingua damnifica, nisi eam, ut dici solet, funibus argenteis „ vincias. Nec unum, nisi fortè potentissimus „ sit, proficit illaqueare muneribus: quia in „ quo unius tibi conciliatur gratia, aliorum „ invidia concitatur. Sibi namque præreptum „ arbitrantur, quod alijs erogatur. Hoc autem à maximis pertransit ad minimos; qui „ nisi mulceantur obsequijs, & reficiantur „ muneribus, sibi fieri injuriam suspicantur: „ *Maxima quæque domus servis est plena superbis*, „ *& eadem cupidis plena est & avaris*. Illi tamen „ perniciosiùs nocent inter omnes Curiæ nugatores, qui sub prætextu honestatis & liberalitatis solent miseriæ suæ ineptias colorare, qui nitidiores incedunt, qui splendidiùs epulantur, qui proprias ad mensas „ sæpiùs extraneos compellunt accedere; humaniores domi, foris benigniores, affabiles in sermone, liberiores in sententijs, in „ proximorum cultu munifici, & omnium „ virtutum imitatione præclari. Ut enim ait „ Ethicus, *Totius iniustitia nulla est capitalior*, „ *quàm eorum, qui cùm maximè decipiunt, id agunt*, *ut boni viri esse videantur*". Et rursùs ibidem post pauca: " Improbitas Curialium, inquit, „ eousque innotuit, ut de testimonio conscientiæ, de venustate morum, de odore „ opinionis, de sinceritate causæ, de torrente „ eloquentiæ, nisi pretio interveniente, quis „ frustrà confidat: *Ipse licèt venias Musis comitatus Homere, Si nihil attuleris, ibis Homere foras*. „ Non modò leones & tigrides eloquentiæ „ beneficio leniste dictus est Orpheus; sed „ apud ipsum Ditem vox dulcior peroravit, „ canemque tricipitem exoravit causa favorabilior; ut admissam semel Eurydicen, „ contra morem Inferorum, liceret educere. „ Tu verò licèt Orpheus sis, aut Arion, vel „ ille qui solo testudinis sono saxa ut dicitur „ emollivit; nihil apud Curiales efficies, nisi „ plumbea eorum corda aureo vel argenteo „ malleo vanitatis vel cupiditatis incude „ emollias. Inclementiam Cerberi omnes abhorrent: ego verò credo me vidisse ostiarios Cerbero duriores. Apud Inferos unus „ tantùm est Cerberus: quot sunt diverticula Curia-

B. Socrates l. 6. Histor. cap 3. Vide Sozomenum l. 8. cap. 2.

C. Petr Blesensis Epist. 26. Vide eandē in Invectivâ adversùs Operum suorum depravatorem.

D Ioan. Sarisber. l. 5. Policratici cap. 10.

"Curialium, tot Cerberi sunt. Atricenses quoque Cerberos sustinebis, totamque familiam, quæ semper mordeat aut latret: omnes verò quotquot sunt, in uno Medicos audierunt dicentes, *Dum dolet accipe*: facturi etiam, si sibi expedire crediderint, ut doleat quod sanum est. In uno tamen pijssimos esse miraberis, quòd querelas libenter audiunt. Fovent humiliorum causas, & eousque patrocinantur afflictis, dum exhauriant loculos pleniorum: nam quocunque modo causa procedat, hoc semper agitur ut loculi impleantur, ètsi avaritia nequeat satiari". Videri in hanc rem possunt quæ scribit Justus Lipsius lib. 2. Monitorum & Exemplorum Politicorum cap. 10. ex quibus nonnulla huc spectantia exhibuimus superiùs §. 381. Videri præterea possunt quæ scribit Zypæus in suo *Iudice* lib. 2. cap. 6. Quibus addi potest illud Nicolai Vernulæi in suis Politicis: [g] "Multi Advocati & Procuratores multas faciunt lites; & cùm plerique tantùm sint mancipia, lites alunt ut sua repleant marsupia Horum multitudo hominum non est sanitas orbis terrarum: nimis multi hodie ad calamum sudant. Nec sanè opus est tot Sollicitatoribus, Saccularijs, Scribis, Accensis, Ostiarijs, Rabulis, & id genus hominibus, quorum labor in verbis, longo foliorum apparatu, strepitu". De Causidicis specialiter loquens Franciscus Patricius: [f] "Justus, inquit, & æquus est, qui secundùm Legem agit, nec fraudem aliquam Legi per versutiam innectere nititur: qui verò contrarium facit, injustus atque iniquus habetur. Ille autem contra Legem facere dicitur, qui id facit quod Lex prohibet: ille autem in fraudem, qui salvis Legis verbis sententiam ejus circumvenit. Mali Interpretes Juris, qui per calumniam causas agunt, pessimi hominum habendi sunt in omni populo: & majorem invidiam contrahunt, quando justitiam profiteri videntur, ac deinde sub specie recti, hominibus, quos tueri debent, callidè imponunt. Hi non dissimiles sunt Medicis illis, qui mortiferum toxicum ijs diluunt, quibus salutem per pharmacum pollicebantur". Qui rursùs lib. 3. de Republicâ cap 6." Orent causas patroni, inquit, viri optimi, dicendique periti, qui nihil astutè, nihilque per dolum malum agant, sed omnia verè loquantur; sitque illis mendacium non impunitum. Nihil enim in Republicâ tam incorruptum esse debet, quàm Judicium; quod quidem sæpiùs linguâ quàm pecuniâ corrumpitur. Undè eleganter Cicero ait, *Se non intelligere cur qui sententiam pecuniâ corrumpit, pœna dignus sit; qui verò eloquentia, laudem ferat. Nihil enim hic plus mali facere videtur qui oratione, quàm qui pretio Iudicem corrumpit; cùm prudentem corrumpere pecuniâ nemo possit, dicendo autem possit*. Quanto etiam odio digni sunt causarum prævaricatores, quàmque in eos graviter animadvertendum est? Vendunt enim justitiæ patrocinium, & optimum inter mortales defendendi deserunt officium: & nunc reum, nunc verò actorem emungunt, & demùm utrumque decipiunt Peccant deinde nonnulli, qui patrocinium defensionis suscipiunt, idque deinde tam lentè agunt, ut parvo discrimine à prævaricatoribus absint: vera est enim illa Ciceronis sententia, *Non defendi homines sine vituperatione fortasse posse, negligenter verò defendi sine scelere nequaquam posse*". Lubet pro coronide huic capiti subnectere formulam juramenti, quod emittere jubentur Jure Cæsareo omnes causarum Patroni seu Advocati: [G] "Patroni causarum, inquit Lex, qui utrique parti præstantes auxilium ingrediuntur, cùm lis fuerit contestata, post narrationem propositam, & contradictionem objectam, in qualicunque Judicio, majore vel minore, vel apud arbitros, sive ex compromisso, sive aliter datos, vel electos, sacrosanctis Euangelijs tactis juramentum præstent, *Quòd omni quidem virtute suâ, omnique ope, quod verum & iustum existimaverint clientibus suis inferere procurabunt, nihil study relinquentes quod sibi possibile est: non autem creditâ sibi causâ cognitâ, quòd improba sit, vel penitùs desperata, & ex mendacibus allegationibus, ipsi scientes prudentesque malâ conscientiâ illi patrocinabuntur: sed etsi certamine procedente aliquid tale sibi cognitum fuerit, à causâ recedent, ab huiusmodi communione sese penitùs separantes*".

Lipsius.

Zypæus.

g Vernul. l. 3 Instit. Polit cap. 4. § 9. n. 5.

f. Francisc. Patricius l. 3. de Regno cap. 5.

Cicero.

Cicero.

G. Codicis Justin. lib. 3. Titulo 1. §. 14.

CAPUT CXXXV.

Expenditur secunda illa Salomonicæ increpationis clausula, Nec custodistis legem justitiæ: *& ostenditur quemadmodùm universa Decalogi Præcepta justitiam præscribant. Aliter lex Decalogica, aliter Evangelica dicitur* lex justitiæ. *Edisseritur Apostoli oraculum*, Israël sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervênit. *Cur lex vetus dicta sit* ministratio mortis, *nova autem* ministratio spiritûs? *Quod per litteram jubetur, non litterâ, sed spiritu impletur. Prosperi epigramma de legis litterâ. Quàm perniciosæ sint Principatibus pseudo benignæ interpretationes legis justitiæ? Principes tanquam justitiæ custodes cavere sibi suisque vicarijs debent non solùm à legis justitiæ laxoribus, sed generatim ab adulatoribus. Hi similimodo se gerunt cum Magnatibus, quo meretrices cum suis amasijs; quibus omnia bona, præter mentis sanitatem, exoptant. Publicas omnes clades adulatoribus tribuit Demosthenes. Regum opes adulatio crebriùs, quàm externa hostilitas evertit. Ferocium animalium sævissimum est tyrannus, cicurum verò adulator. Satiùs in corvos quis inciderit, quàm in parasitos: & cur? Adulatores assimilantur sirenis, meretricibus, monetarum adulteratoribus, canibus caudâ blandientibus, soricibus, tineis, muscis, pediculis, hirundinibus, hirudinibus. Christi & Davidis exemplis erudimur longanimiùs perferre criminantium calumnias, quàm adulantium insidias. Expenditur Regij Vatis imprecatio*, Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge, euge. *Adulationis cum symphoniâ comparatio, ex Senecâ. Magna fastigia plerunque laborant magnâ penuriâ veritatem suggerentium. Cujus aures clausæ fuerint veritati audiendæ, ejus salus est desperanda. Apud gnathones professio veritatis æquiparatur crimini læsæ Majestatis. Digni sunt adulatores subire supplicium* Marsiæ, *ab Apolline excoriati. Disquiritur utrum culpabilior sit adulator, quàm ipsius auscultator. Rex Herodes diviniùs percussus fuit, eò quòd ingestas assentationes non respuerit. Plus persequitur lingua adulantis, quàm manus trucidantis.*

DIX. *Ezeq. 6. 5.* Postquam Salomon Regibus exprobrasset violationem legis quoad præcepta judicialia, dicendo, *Non rectè judicastis*; adjecit alterum exprobrationis membrum, tangens transgressionem legis moralis, subdendo, *Nec custodistis legem justitiæ*: quâ phrasi congruenter intelligi moralem legis partem, indicavimus superiùs §. 501. Favetque D. Thomas, dum propositæ quæstioni, *Utrùm præcepta Decalogi sint præcepta justitiæ?* Respondet affirmativè: & probat, [H] quia tria prima præcepta sunt de „ actibus Religionis, quæ est potissima pars „ justitiæ: quartum autem præceptum est „ de actibus pietatis, quæ est pars justitiæ „ secunda: alia verò sex dantur de acti- „ bus justitiæ communiter dictæ, quæ inter æquales attenditur". Et ibidem rursùs in solutione ad quartum:" Præcepta Decalogi, „ inquit, pertinent ad charitatem, sicut ad „ finem, secundùm illud 1. ad Timotheum 1. „ *Finis præcepti est charitas*: sed ad justitiam per- „ tinent, inquantùm immediatè sunt de actibus justitiæ". Idem rursùs 1. 2. q. 100. art. 12. in corpore:" Si accipiatur *justificatio*, inquit, „ pro executione justitiæ, sic præcepta moralia justi-

H. D. Thom. 2. 2. q. 122. a. 1. in corp.

1. Tim. 1. 5.

lia justificabant, inquantùm continebant id quod est secundùm se justum". Et in caput 9. ad Romanos Lect. 5 explanans illum Apostoli textum, *Israël sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervênit*:" Dicitur *Lex justitiæ*, inquit, *Lex spiritûs vitæ*, per quam homines justificantur, ad quam Judæorum populus non pervênit: quam tamen sectabantur, observando umbram hujus spiritualis legis, quæ consistit in observationibus legalibus, Hebr. 10. *Vmbram habens lex futurorum bonorum*: vel *sectando legem justitiæ*, id est legem Moysi, quæ est *lex justitiæ* si sit benè intellecta; quia docet justitiam. Vel dicitur *lex justitiæ*, quia facit homines justos, non verè, sed exteriùs, dum peccata vitantur non ex amore, sed timore pœnæ quam lex infligebat, Isaiæ 51. *Audite me qui sequimini quod justum est, & quæritis Dominum*: & in eodem, *Audite me qui scitis justum, populus meus lex mea in cordibus eorum*". Et ante hunc Origenes [I] Certum est, inquit, quòd Israël *sectabatur legem justitiæ* secundùm litteram, sed in legem justitiæ non pervênit. Quam legem? Sine dubio spiritûs: neque enim hoc diceret Apostolus, quia legem quam sectabatur, & quam tenebat & habebat, in hanc non pervenerit". Duplicem ergo *legem justitiæ* unico versiculo distinguit Apostolus, unam justitiæ præceptivam, alteram insuper præstativam; unam scilicet litteræ, alteram spiritûs; unam factorum, alteram fidei; unam in tabulis lapideis, alteram in tabulis cordis carnalibus scriptam: [K] Oportebat enim, inquit Augustinus, ut in veteri Testamento lex imponeretur superbis, & de suæ voluntatis virtute fidentibus, quæ non daret justitiam, sed juberet: ac sic morte prævaricationis impliciti, ad gratiam confugerent, non jubentem tantummodò, sed juvantem, quæ in novo Testamento est revelata. Hinc putant isti (*Manichæi*) divinorum Eloquiorum blasphematores, malam fuisse legem quæ data est per Moysen, quia dicta est *Ministratio mortis in litteris figurata lapidibus*: non intuentes, propter eos esse dictum, qui suo libero arbitrio legem sufficere arbitrabantur; & spiritu gratiæ non adjuti, rei prævaricationis sub ejusdem legis litterâ tenebantur. Unde alibi dixit, *Lex iram operatur: Vbi enim lex non est, nec prævaricatio*: hinc ostendens unde dixerit, *Lex iram operatur*; neque enim ejus prævaricatio mala esset, nisi lex ipsa bona esset. Multum est autem & nimis longum cuncta colligere quæ in hanc sententiam beatus dicit Apostolus, legem distinguens à gratiâ; eò quòd sub illâ elidantur elati, sub istâ erigantur elisi; & quòd illa intantùm bona sit, ut bona jubeat; hæc intantùm, ut bona conferat; illa justitiæ faciat auditorem, ista factorem: & ideò sub illâ peccator, insuper etiam prævaricator, amissâ excusatione ignorantiæ, convictus jacet; sub istâ verò & parcente & opitulante nec quia mala est operatus extinguitur; & ut bona operetur accenditur. Quid ergo mirum si illa dicta est *Ministratio mortis*, ubi *littera occidit*, malum prohibendo quod fit, & bonum imperando quod non fit: ista verò dicta est *Ministratio spiritûs*, utique vivificantis, ut à prævaricationis morte surgamus, & justitiam non rei legamus in tabulis; sed liberi in cordibus & in moribus habeamus: hoc est Testamentum novum distans à vetere; quia ibi vetus homo formidinis coarctatur angustijs, hic novus homo spatiatur latitudine charitatis". Utraque igitur lex, *Iustitiæ lex* dicitur; quia justitiæ observantiam præcipit, & injustitiam adversam prohibet: sed Decalogica in nudâ præceptione vel prohibitione sistit, Euangelica verò ipsam præterea adimpletionem præstat. Unde & idem Augustinus ibidem superiùs cap. 3." Lex, inquit, data est per Moysen, facta est autem gratia per Jesum Christum, cujus per spiritum charitate diffusâ in cordibus nostris fit, ut quod lex præcepit impleatur. Quod enim per litteram jubetur, non litterâ, sed spiritu impletur: unde illud quod scriptum est, *Non concupisces*, per Moysen lex est, quâ jubetur, sed per Jesum Christum fit gratia, quando quod jubetur impletur". Quam Augustini doctrinam satis appositè Prosper Aquitanicus brevi isto Epigrammate expressit: [L] *Index peccati lex est, plectenda vetando: Quæ, nisi cor mundet spiritus, interimit. Nullus enim est insons solâ formidine pœnæ, Qui sanctum & justum non amat imperium. Hunc tamen effectum non lex, sed gratia confert; Quodque jubet legis littera, velle facit.* Jubet porrò legis littera servari ubique & quorumcunque respectu justitiam, vitari injustitiam: jubet uni soli Deo impendi cultum latriæ, eidem soli debitum: vetat ejusdem nomen in vanum usurpari, ne ei per hoc irrogetur irreverentialis injuria. Et quia divinus cultus requirit aliquod temporis interstitium, jubet eadem lex ut aliqui dies humanis occupationibus subtracti religiosis exercitijs deputentur. Eidem quoque jubet obsequijs debitis prosequi parentes carnales, spiritales, morales. Vetat injuriam inferri proximo sive in vitâ aut membris, sive in personis conjunctis, sive in rebus possessis aut quasi possessis, idque sive effectu, sive dictu, sive etiam affectu. Meritò proinde lex quæ ista omnia juxta inconcussas justitiæ regulas ordinat ac sancit, *Lex justitiæ* à Salomone nuncupatur, ejusque transgressio Regibus exprobratur, quibus dicitur, *Nec custodistis legem justitiæ*. Cæterùm quia de hac

Marginal notes: Rom. 9. 31. — Heb. 10. 1. — Isa. 51. 1. — Ibid. v. 7. — I. Origenes in cap. 9. ad Romanos. — K. Aug. l. 2. contra Adversar. Legis & Prophet. cap. 7. Vide lib. de Spir. & lit. cap. 13. 14. 17. 18. 19. & 29. — 2. Cor. 3. 7. — Rom. 4. 15. — 2. Cor. 3. 6. — 2. Cor. 3. 8. — Ex. 20. 17. — L. Prosper Epigram. 43.

Vide suprà cap. 94. & seqq. atque ad 133. inclusivè.

de hac lege tam in generali, quàm etiam de ejus præceptis in particulari satis prolixè in superioribus disseruimus occasione laxorum hujus ævi Ethicorum ei undique insidiantium, eò Lectorem remittimus: monentes interim Reges ac Principes; ut si Salomonicam increpationem mox relatam avertere à suis capitibus velint, hujusmodi laxatoribus *legis justitiæ* vigilanter per opportuna remedia obsistant, aut obsisti procurent. Videri namque licet ex dictis superiùs partim c. 109. §. 409. & 410. partim cap. 120. §. 456. & 457. quanta morum labes & publicorum Judiciorum strages ex istiusmodi laxis Decalogi interpretationibus proveniat. Quapropter cùm præcipuum Regum munus sit, *Dicere jus populo, injustaq́ tollere facta*: planum est Reges advigilare debere, ne rectus Judiciorum cursus sinistrâ legum naturæ vel patriæ interpretatione pervertatur, aut quomodolibet temeretur.

Vide suprà § 496.

DX. Porrò non solùm ab istiusmodi pseudo-benignis *legis justitiæ* laxonibus, sed ab omnibus generaliter adulatoribus cavere sibi ac suis justitiæ Subpræfectis debent Reges ac Principes, si Salomonicæ increpationi subjacere nolint, prout nolle debent. Exemplum sumant à Rege Davide, qui dicebat: *Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi, Euge, euge*: & alibi rursùs, *Corripiet me justus in misericordiâ, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*: [M.] „Adulatores, ait quidam, Sirenis congruè comparantur: qui blandiendo quidem, sed mortifero sono audientis aurem demulcent; & nisi prudentiùs quis aure obturatâ transierit, in scopulos superbiæ, vel in præsumptionis charybdim inducent: *Laudatur* enim *peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur.* Infelix qui se talibus credit: relictoque propriæ conscientiæ testimonio, alieno se judicio deludendum exponit: *Nemo scit hominum quid agatur in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est.* Miseri, quibus Dominus per Prophetam exprobrat, dicens: *Propheta prophetabant mendacium, & sacerdotes applaudebant manu; & populus meus dilexit talia.* Hic est populus, cujus vox aliàs ita describitur: *Videte nobis vana, & loquimini nobis placentia.* Quanto rectiùs Sanctus David, *Corripiet me*, inquit, *justus in misericordiâ & increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Hoc est oleum, quod in *fatuarum virginum lampadibus deficit*, quoniam *laus hypocritæ brevis*". Et Ribadeneira in suo *Principe Christiano*: [N.] „Cùm Rex, inquit, sit quasi totius regni fons publicus, assentatores sic illum inficiunt, ut ex eo nihil omninò nisi venenatum & corruptum manare possit. Quamobrem Athenienses olim legibus suis adulatores capitali supplicio mulctabant; omnesque viri sancti & sapientes eos abominantur, & pestem ac perniciem Reipublicæ censent. Bias dicebat, *Omnium ferorum animalium sævissimum esse tyrannum, cicurum verò adulatorem.* Demosthenes asserit, *Publicas omnes clades & ærumnas adulatoribus penè tribuendas esse.* Pythagoras, *Assentatores eo modo se habere cum Principibus* dixit, *quo perditæ mulieres cum suis amatoribus, quibus à Deo salutem, vitam, opes, & alia omnia, præter bonam mentem exoptant, ne ab eis deserantur.* Marcus Tullius, *Sic habendum est*, ait, *nullam in amicitiâ pestem esse majorem quàm adulationem, blanditias, assentationem*: quam etiam *escam & quasi nutricem omnium vitiorum* vocat. Scribit quoque Quintus Curtius, *Adulationem esse perpetuum malum Regum, quorum opes sæpiùs, quàm hostis evertit: quare, certam perniciem imminere Principi, qui mendacio magis quam veritati, & adulationi potius quàm admonitioni, aures patefacit.* Dion author est, *Adulatorem, qui veritatem corrumpit, pejorem esse eo qui monetam adulterat*". Et Franciscus Patricius de Republica: [O.] „Assentati, inquit, & adulari nesciat bonus civis: cùm enim aliquid dicimus aut facimus præter animi sententiam, id sine fraude & dolo esse non potest. Est enim dolus malus, ut Servius Sulpicius respondit, cùm aliud simulatum, aliud actum est. Sic & malæ mentis est aliud loqui, aliud mente & animo sentire. Est autem positum adulari, in ficto quodam ac simulato vultu aut gestu corporis: quod quantæ levitatis sit, nomen indicat; siquidem Græci *caudam* vocant: unde *adulari* dicitur quasi *adurari*, quod à canibus trahitur; nam canes motu caudæ serviliter eblandiuntur, cùm cibum expectant. Tyranni, qui ad sævitiam & libidinem omnia dimetiuntur, adulatoribus assentatoribusque delectantur: Crœsus Lydorum Rex nullam aliam ob causam pepulit regno Solonem, nisi quòd blandiri vir ille sapiens nesciebat: & Dionysius mortem Philoxeno Poëtæ meditatus dicitur, quòd cùm in magnâ hominum coronâ versus à se editos tyrannus recitasset, reliquis omnibus laudantibus, solus eos absurdos inconcinnosque dicere ausus fuerit. Civili viro præcepta tradimus, qui nullum cum tyrannis commercium habere debet; sed eo loci vivere, ubi rectè vivendi ratio habetur, & justitia ac reliquæ civiles virtutes dominentur, & verum dicentibus, non vanis ac mendacibus locus sit. Atqui nec Regibus ac Principibus adulatores assentatoresve ulla ex parte prodesse possunt: vera siquidem est illa Quinti Curtij sententia elegantissimis libris suis de gestis Alexandri, quâ ait, *Regnum sæpiùs ab assentatoribus quàm ab hostibus*

Marginal notes (left column): Ps. 19. 16. — Ps. 140. 5. — M. Alredus Serm. 13. in caput 13. Isaiæ. Vide eund. lib. 3. de Amicitiâ. — Ps. 9. 24. — 1. Cor. 2. 11. — Hierem. 5. 31. — Isa. 30. 10. — Ps. 140. 5. — Mat. 25. 8. Job. 20. 5. — N. Ribaden. l. 2. cap. 29. — Vide Valer. Max. l. 6. c. 1.

Marginal notes (right column): Bias apud Plutarch. l. de Discrimine adulatoris & amici. — Demosth. Philip. 3. — Pythagoras vel potiùs Antisthenes apud Stobæum Serm. 14. — Cicero in Lælio. — Curtius lib. 8. — Dio Chrysost. Orat. 3. de Regno. — O. Franc. Patricius l. 3. de Rep. c. 5. — Curtius.

hostibus everti. Aristippus à Dionysio superiore quidpiam pro amico obnixiùs petebat: quod cùm non impetrasset, tyranni genua supplex amplexatus est, remque statim assequitur. Verùm cùm intelligeret id sibi à præsentibus vitio dari: *Non ego*, inquit, *hujusmodi assentationis author sum, sed Dionysius, qui in genibus aures habet.* Facetè Diogenes, interrogatus quænam bellua sæviùs morderet? *Ex feris*, inquit, *obtrectator*; *ex cicuribus autem adulator.* Nec mediusfidiùs injuriâ eos vituperabat: nocent enim plurimùm adulatores, non modò apud Principes, quos ad tyrannidem sævitiamque impellunt; verùm in libera civitate sæpenumerò ea consulunt, popularis auræ captandæ gratiâ, quæ contra Rempublicam sunt, & stultam nonnunquam multitudinem insanam reddunt". Qui rursùs lib. 4. de Regno cap. 2. loquens de ijsdem adulatoribus: " Hi, inquit, placendi studio omnia laudant, etiam quæ penitiore animo minùs probant: nihil refellere audent, nunquam cuiquam adversantur, nemini molesti sunt, mendacia varia concinnant, simulando quoque ac dissimulando semper verum occultant. Quos quidem Agesilaus, optimus ille Lacedæmoniorum Rex, *Non secus aspernandos insectandosque esse* dicebat, *quàm propria vita insidiatores*". Et ibidem paulò inferiùs subdit: " Isocrates vir sapientiâ & eloquentiâ peritissimus affirmat, *Nullam Principibus pestem adulatione perniciosiorem esse*: monetque Regem suum, *ut omnes illos evitet & caveat, qui quæcunque fecerit aut dixerit laudant: illis autem auscultet atque obtemperet, qui eum monere, & errata ipsius placidè ac sine contumelia castigare audent. Hi enim amici sunt, verèque diligunt: illi autem assentatores atque adulatores, qui mendacij præmium expectant*". Huic Isocraticæ parænesi haud absimilis est ista Euripidis: [v] *Amicos, qui nihil tibi verbis indulgeant, Comparato: qui verò ut complaceant & delectent te Verba faciunt, eos tanquam malos præ foribus excludito.* Refert quoque Stobæus ibidem, Antisthenem dicere consuevisse, *Satius esse in corvos, quàm in parasitos incidere: hi enim viventis animum corrumpunt, cùm illi nonnisi corpus mortui*". Quam alioqui sententiam Diogeni adscribit Athenæus lib. 6. c. 6. ubi & addit, Anaxilam dicere solitum fuisse, *Adulatores veluti tineas divitibus adhærere: nam simplices mores invadentes vescuntur, donec veluti frumentum vacuum reliquerint: postquam verò solum corticem superesse cernunt, alterum similiter emordendum aggrediuntur.* Quemadmodùm autem Anaxilas eos assimilat tineis, ita Phavorinus apud Stobæum Serm. 12. proximè citato eosdem comparat canibus dominum suum dilacerantibus, dicens: *Quemadmodùm Actæon ab alumnis suis canibus interijt, ita parasiti eos à quibus aluntur pessundant.* Petrus Damiani eos dicit adumbratos fuisse in hirundinibus, quarum stercore calido excæcatus est senior Tobias; sub cujus tecto nidificarunt: [q] Quid hirundines, ait ipse, leviter volitantes, nisi leves adulantium & blandiloquentium significant mores? Qui dum blandiloquij sui suavitate demulcent; dum adulationis oleo caput audientis impinguant; interiores oculos, ne solitâ luce perfruantur, excæcant: *Corripiet me iustus*, inquit, *in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Et tanquam stercus oculis ingerunt, dum lenocinantis eloquij quemlibet blandâ verbositate perungunt; à quibus scilicet hæc sæpè dicuntur: *Vive dum vivis, recrea corpus edulijs; ne si se strictiùs atterat, tot oppressa laboribus caro fragilis mox succumbat: persona tua clementioribus excolatur indumentis, ut ejus quam tenes servetur gradûs dignitatis: agglomeretur lateribus tuis in modum cunei turba clientum; ut dum te commeantium multitudo condecorat, tam sublimis honor officij non vilescat*". Porrò sicut hic eos comparat hirundinibus excæcantibus, ita alius quispiam non ineptè hirudinibus sive sanguisugis exugentibus: [R] Spadonum, inquiens, & aulicorum adulatorum osor vehemens Constantinus Magnus, *Tineas soricesque palatij eos appellabat*: ut scribit Eutropius lib. 10. in *Constantino*. Hincque malum Reipublicæ & Principibus adulatores, qui non rejiciuntur, tanquam HIRVDINES exugunt facultates, & pecunias Principatûs, qui impendi deberent rebus & negotijs arduis ac necessarijs: ut sæpè contingat ob penuriam pecuniæ in hujusmodi proteos & moriones impensæ, utilia negotia intermitti, & nova onera, tributa, & superinducta populo imponi; ut alij conducantur ad munera publica necessaria obeunda; quibus omninò hujusmodi muscæ & tineæ sunt inutiles; & qui post exhaustum Principis ærarium subtilius se ex Aulâ expediunt, quando nihil se ampliùs aucupaturos sperant: atque ut pediculi exanima corpora deserunt, nempe defecta sanguine quo alebantur; sic adulatores rebus prosperis ac feracibus adsunt, aridas & steriles non attingunt, & *Diffugiunt cadis cum fæce siccatis amici*, ut ait Horatius. Et Petronius Arbiter ad illos in Fragmentis loquitur: *Cùm fortuna manet, vultum servatis amici: Cùm cecidit, turpi vertitis ora fugâ*".

Aristippus. — Diogenes. — Agesilaus. — Isocrates. — v. Euripides apud Stobæum Serm. 12. — Antisthenes — Anaxilas. — Phavorinus — q. Petrus Damiani l. 2. Epist. 12. Vide ibid. superius Epist. 7. — Ps. 140. 5. — R. Petrus Gregor. l. 6. de Repub. c. 7. n. 5. — Constantin. Magnus. — Horatius. — Petronius Arbiter.

DXI. Sumant Reges terræ exemplum à Christo, Rege cæli ac terræ; cujus non solùm sermo, sed & actio, nostra est instructio. Qui calumniatoribus exprobrantibus quòd *Dæmonium haberet*, placidè respondit, *Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum; & vos inhonorastis me.* Rursùs cùm calumniarentur eum *in Beelzebub ejicere dæmonia*, tranquillè ac pacatè

Ioan. 8. 48. — Ibid. 49. — Luc. 11. 15.

Luc. 11. 18. Ibid. v. 19. reposuit, *Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filij vestri in quo ejiciunt?* At verò cùm adulatores
Mat. 22. 16. accessisent dicentes: *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum:* confestim cum indignationis indicio regessit,
Ibid. v. 18. *Quid me tentatis Hypocrytæ?* Sic & olim Rex David cùm à Semei palàm *malediceretur & lapidibus impeteretur*, non solùm longanimiter toleravit, sed & ultionem suadentibus indignabundè respondit,
2. Reg. 16. 6. 2. Reg. 19. 22. *Quid mihi, & vobis filij Sarviæ? Cur efficimini mihi hodie in satan?* Ex adverso autem adulatores detestans:
Psal. 69. 4. *Avertantur statim erubescentes*, inquit, *qui dicunt mihi Euge, euge.*
S. Gregor. Homil. 11. in Ezechielem. S. Adulantium linguas, inquit Gregorius, non esse in subsequenti tempore differendas annuntiat qui ait: *Consundantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge, euge.* Adulatio etenim si vel ad tempus patienter suscipitur, augetur, & paulisper demulcet animum, ut à rigore suæ rectitudinis mollescat in delectatione sermonis: sed ne crescere debeat, *statim* est & sine mora ferienda". Cui non absimiliter Seneca, qui cùm de adulatoribus ageret, ait inter alia:
T. Seneca Epist. 123. Vide eund. in Prefat. l. 4. Natural. quæstionū. T. Horum sermo multùm nocet: nam etiamsi non statim officit, semina in animo relinquit; sequiturque nos, etiam cùm ab illis discesserimus, surrecturum postcà malum. Quemadmodùm qui audierunt symphoniam, ferunt secum in auribus modulationem illam ac dulcedinem cantûs, quæ cogitationes impedit, nec ad seria patitur intendi: sic adulatorum, & prava laudantium sermo, diutiùs hæret quàm auditur: nec facile est, animo dulcem sonum excutere; prosequitur, & durat, & ex intervallo recurrit. Ideò claudendæ sunt aures malis vocibus, & quidem primis: nam cùm initium fecerunt, admissæque sunt, plus audent". Ejusdem quoque est illa ad Æbucium sententia lib. 6. de Beneficijs cap. 30. "Omnia sanè excluserit opulenta felicitas, monstrabo tibi, cujus rei inopiâ laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit: scilicet ille, qui verum dicat; & hominem inter mentientes stupentem, ipsâque consuctudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum, vindicet à consensu concentuque falsorum. Non vides quemadmodùm illos in præceps agat extincta libertas, & fides in obsequium servile submissa, dum nemo ex animi sui sententiâ suadet, dissuadetque; sed adulandi certamen est, & unum amicorum omnium officium, una contentio, quis blandissimè fallat"? Huc alludere videtur Joannes Sarisberiensis, cùm in suo Policratico ait:
V. Ioan. Sarisber. l. 3. Policrat. cap. 1. V. Inter omnia quæ viris solent obesse Principibus nihil perniciosius esse arbitror, quàm quòd eis fortunæ blandientis illecebra aspectum subtrahat veritatis; dum divitias suas & delitias congerit Mundus, quibus delicati sensus pruriginem vicissim refovet, & accendit, ut animus multiplici lenociniorum fraude captus, quâdam alienatione sui, ab interiore bono deficiens, per exteriora mendacia varijs concupiscentijs evagetur. Noverca siquidem virtutis prosperitas, beatulis suis sic applaudit, ut noceat; & infelici successu sic in via fortunatis obsequitur, ut in fine perniciem operetur: convivis suis ab initio propinans dulcia, & cùm inebriati fuerint, lethale virus miscet, & si quid deterius est. Quò specie sui clarescit ampliùs, eò stupentibus oculis densiorem offundit caliginem. Invalescentibus ergo errorum tenebris veritas evanescit, & virtutum radice succisâ germinat seges vitiorum, lumen rationis extinguitur, & totus homo casu miserabili fertur in præceps". Addit præterea idem author inferiùs lib. 3. cap. 4. "Adulator omnis virtutis inimicus est, & quasi clavum figit in oculo illius cum quo sermonem conserit: eoque magis cavendus est, quo sub amantis specie nocere non desinit, donec rationis obtundat acumen, & modicum id luminis quod adesse videbatur extinguat. Ad hæc; auditorum aures obturat ne audiant verum: quo quid possit esse perniciosius, non facilè dixerim. Scitum est illud Lælij, aut potiùs Ciceronis: *Cujus aures clausa sunt veritati ut verum audire non possit, ejus salus desperanda est*". Cicerò. Qui rursùs lib. 6. cap. 27. "Omnia, inquit, pervertit gnatho: & eo judice professio veritatis coæquatur crimini Majestatis. Dignus planè, cui alumnus Apollinis, id est, sapientiæ cultor, pellem detrahat, exemplo *Marsiæ*, qui contendit Phœbum superare canendo: sed victus, indumento naturæ spoliatur. Eum namque adulatorum factio imitatur, & infelicem satyram implet; dum numina sua, fortunatos loquor, vanis laudibus, velut instrumentis musicis, non tam superare molitur, quàm excœcare". Dubitat porrò idem author ibidem superiùs lib. 3. cap. 5. magisne culpabilis sit adulator, quàm ipsius auscultator: "Non facilè dixerim, inquiens, uter sit prior in vitio, qui linguam adulationibus polluit, aut cujus cor eis in lætitiam se resolvit: in hoc enim elationis cæcitas, in illo fraus excæcandi damnatur. Ubique quidem damnatur dolus, sed & cæcitas à superbiâ veniens nusquam absolvitur". Certant ergo inter se de primatu ambo ista vitia, & idcirco Ambrosius hominem salutis suæ studiosum admonet, ut W. neque adulantem se, neque adulandum cuiquam exhibeat: alterum enim calliditatis est, vanitatis alterum". Et signanter de au- W. Ambros. l. 1. de Officijs c. 47.

de auſcultatoribus præmiſerat ſuperiùs cap. 42." Proſpiciendum, ne adulatoribus aperiamus aurem: emolliri enim adulatione, non ſolùm fortitudinis non eſſe, ſed ignaviæ videtur". Quæſivit aliquando Eutonius Diaconus ab Iſidoro Peluſiota, *Quid cauſa fuerit, ut cùm alij fuiſſent Herodi* (Agrippæ) *ultra dignitatis modum adulati, ipſe pœnas lueris?* Reſpondet Iſidorus, X. Id propterea factum, quòd ipſe populum ſibi adulantem non reprehenderit, neque adulationem impiam, & inſanam repudiaverit. Nam dum eam acceptavit, etiam ad majorem eos impietatem aſſuefecit atque erudivit. Credibile autem eſt ipſos quoque adulatores illos, ſi non eveſtigiò, at certè poſteà pœnas perſolviſſe. Quòd ſi etiam hic divinam animadverſionem impuniti effugerunt, æterna alterius ſæculi ſupplicia non evadent". Hoc uno Regis Herodis exemplo deterreri deberent omnes Principes quibus innotuit; ne faciles aures adulatoribus præbeant; ſed imitentur potiùs Imperatorem Sigiſmundum, de quo Æneas Sylvius ita ſcribit: Y. Laudanti eum ſupra modum, & Dijs perſimilem eſſe prædicanti, cuipiam alapas non paucas Sigiſmundus incuſſit Dicentique illi, *Cur me cædis?* ait, *cur me mordes*"? Nequaquam tamen hâc probroſâ diſtrictione potuit Sigiſmundus adulatores à ſe penitùs dimovere: muſcæ enim ſunt, ut ſuprà audivimus; quæ etſi flabello millies abactæ fuerint, ſemper redeunt. Hinc idem Æneas Sylvius ibidem inferiùs lib. 3. n. 17. ſubdit:" Cùm diceret aliquando Sigiſmundus Imperator, *Aſſentatores ſe velut peſtem odiſſe*: Brunorius Veronenſis ait, *Imò nullum genus hominum ita amas: nam quid apud te Marcus Banus, Laurentius Palatinus, Vrſacius Michael, Gaſpar Schlickius poſſent, niſi aſſentando tuam gratiam meruiſſent?* Tum Sigiſmundus: *Brunori,* ait, *ſic naturâ comparatum eſt, ut cùm vitandos eſſe adulatores dicimus, tunc maximè eis aures demus. Nec tu mecum tamdiu fuiſſes, niſi mihi blandiri aſſueviſſes*". De Antigono item Rege memorat Plutarchus, quòd Z. eùm ab Hermodoto Poëta in quodam Poëmate filius Jovis adulatoriè appellaretur, reſponderit ei: *Non ita de me ſentit Laſanophorus, qui matulam domino ſubjicit*". Quo reſponſo ſtultitiam aſſentatoris modeſtè irriſit. Paulò duriùs adulatorem caſtigavit Attila Hunnorum Rex, qui A. Marulli Calabri Poëma de ſuis laudibus concinnatum conjici juſſit in ignem, quia poëticâ adulatione originem Regis ad Deos referre auſus fuerat". Rectè omninò: ſed rectiùs forſan egiſſet, ſi ipſum poëmatis concinnatorem unà cum ſuo opere in ignem conjici juſſiſſet. Quod haud dubiè facturus fuiſſet, ſi ille loco poëmatis adulatorij telum aliquod peremptorium in Regem di-

X. Iſidorus Peluſ. lib. 4. Epiſt. 10.

Y. Æneas Sylvius l. 2. de Dictis & factis Alphonſi Regis n. 46.

Z. Plutarch. in Apophteg. Græcorum.

A. Nicolaus Holsus in vita Attilæ.

ſtrinxiſſet. Et tamen Auguſtinus incunctanter ait: B *Plus perſequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris*". Si autem plus perſequitur, proculdubiò gravius ſupplicium promeretur: *Filij hominum*, inquit Pſaltes, *dentes eorum arma & ſagittæ & lingua eorum gladius acutus*. C. Iſti ſunt, ait quidam, *ranæ in penetralibus Regum ipſorum*, id eſt, garruli & loquaces in domibus Magnatum. Iſti ſunt *cynomyiæ & ciniphes*, qui occultè pungunt". Qui rurſùs inferiùs Epiſt. 70." Cavete quæſo, inquit, ab ijs, qui hominibus placent; qui omnia dicunt ad voluptatem nihil ad veritatem. Adulatio ſiquidem peſtis improbiſſima eſt, quæ cùm ſtatim deprehendatur à paupere, apud divites latenter obrepens etiam circumſpectum circumvenit & prudentem. Aut enim ſuo dilectionis imagine; aut devotionis obtentu; aut alicujus officij ſimulatione ſe adulatio prodigioſa palliat, ut gratiùs acceptetur: venena enim non dantur, niſi melle circumlita". Et rurſùs Epiſt. 77 " Eliminat à palatijs adulatio veritatem: iſti ſoli ad Magnatum gloriam admittuntur, qui eos blanditijs palpant; & aures famæ bibulas calice Babylonis inebriant. Ampliant eos beneficijs; quos torquere deberent, & à præſumptione adulandi deterrere ſupplicijs Legitur, quòd Athenienſes *Timagoram* inter officia ſalutationis Dario adulantem capitali ſupplicio affecerint. Lacedæmoniorum etiam Senatus *Cariſtolum* interimi juſſit, eò quòd maluit viris detrahere occultè, quàm publicè & conſtanter arguere: atque in his ſilentium tam adulatoribus quàm detractoribus indixerunt. Porrò hodie *Laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ & iniquus benedicitur*". In quem Pſalmographi verſiculum Peluſiota: D *Benedicitur*, inquit, hoc loco valet idem quod laudatur, encomijs ornatur ab aſſentatoribus ſuis, qui improbitatem ipſius demulcent, ac ne ſenſum quidem morbi ſuo ſilentio ei ingenerare ſuſtinent. Quæ cauſa quoque eſt, cur talis inveniatur incurabilis: nam qui ne ſenſum quidem mali habet; curationem nec quærit, nec admittit. Atque hoc omnium eſt graviſſimum, quando improbitas laudatur, ac ne quidem pro improbitate habetur. Quocirca maximè quidem in id incumbendum eſt, ut ſi fieri poteſt talem corrigamus: ſin minùs, cavendum tamen omni ſtudio ne vel adulando vel demulcendo, malum foveamus, ſed ſilentio ſaltem ſenſum ipſi improbitatis ſuæ injiciamus. Quòd ſi nec hoc quidem voluerit quis facere, contento curſu unicuique fugiendum eſt, ne injuſtitiæ particeps fieri per aſſentationem deprehenſus, eidem quoque in ſupplicijs perferendis ſocius efficiatur". Quiſquis pro-

B. Auguſt. Enarrat. in Pſalm. 69. ad v. 4.

Pſal. 56 5.

C. Pet. Bleſenſis Epiſt. 59.

Pſal 104. 30.

Ibid. v. 31.

Pſal. 9. 24.

D Iſidorus Peluſ. lib 4. Epiſt 149. Vide ibid. Epiſt. 161.

inde Magnatum adulatoribus sibi blandientibus facilem aurem præbuerit; eidem cum ipsis supplicio obnoxius subjacebit: *Digni sunt morte*, inquit Apostolus, *non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*. Ita fit ut de quolibet talium verificetur quod scriptum est, *Comederunt alieni robur ejus, & ipse nescivit*: quia nimirum adulatores absumunt virtutes ejus, cui blandiuntur; & hoc quidem non solùm ipso ignorante, sed insuper se virtuosum reputante. Unde & idem Pelusiota superiùs lib. 3. Epist. 281. præmiserat: " Cordatis „ viris utrumque fugiendum est, nempe & „ adulari, & adulationibus deliniri. Ambo „ enim ista, ut hominum risum omittam, & „ incurabile vitium, & intolerandum cruciatum parturiunt". Concludo igitur illud caput hisce ejusdem authoris verbis lib. 5. Epist. 62. ": Oportet nos, si sapimus, assentatores magis aversari, quàm eos qui nos lædunt injuriâque afficiunt. Majus enim affert „ detrimentum non advertentibus honor ille, „ quàm injuria; & difficiliùs illud, quàm hoc vitium expugnatur".

Rom. 1. 32.

Osee 7. 9.

CAPUT CXXXVI.

Proceditur ad tertiam Salomonicæ increpationis clausulam, Neque secundùm voluntatem Dei ambulastis: *ubi non de voluntate beneplaciti sermonem esse ostenditur, sed de voluntate signi. An præter quinque vulgata voluntatis divinæ signa astruendum sit sextum, in præparatione operis situm? Non est dubitandum, voluntati Dei, quâ omnia quæcunque voluit fecit, humanas non posse resistere voluntates, quo minùs faciat quod vult, quandoquidem de ipsis humanis voluntatibus faciat quod vult. Varietas lectionum super ambulatione* Henoch & Noë cum Deo. *An & quatenùs differant* ambulare cum Deo, *&* post Deum, *&* coram Deo? *Expenditur quod Psaltes ait Deo,* Adhæsit anima mea post te: *item quod Christus Petro;* Vade post me satana. *In omnibus teneat primatum, qui se dixit esse principium. Abraham suo facto prævenit Sapientum monitum,* Sequere Deum. *Christus discipulo ad perfectionem vocato non ait, præcede; sed* sequere me. *Non est nostrum ducere Religionem, sed quò ducit ipsa sectari. Expenditur quod Abrahæ Deus ait,* Ambula coram me. *Quàm sit salutare homini stadium vitæ hujus decurrenti providere Deum in conspectu suo semper? Edisseritur Apostolicum oraculum,* Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra. *Sanctitas quid importet, & quatenùs à Religione differat? Quid* servire Deo in sanctitate & justitiâ coram ipso? *Latria genus servitutis soli Deitati impendendum. Verbum* timendi, *pro verbo* adorandi. *Discerniculum inter* eusebeiam, *&* theosebeiam. *Salomon Regibus exprobrat quòd nequaquam* servierint Domino in timore: *& quid hoc?*

DXII. Discussis in hunc modum duabus prioribus Salomonicæ increpationis clausulis, quarum prima concernit partem legis judicialem, secunda moralem; superest tertia eaque postrema, cæremonialem ejusdem legis partem concernens ijs verbis ab increpatore expressa: *Neque secundum voluntatem Dei ambulastis*. Pro cujus pleniore intelligentiâ recolendum hîc est ex dictis superiùs §. 351. Voluntatem Dei communiter à Theologis dividi solere in *voluntatem beneplaciti*, & *voluntatem signi*: quarum posterior sub se complectitur quinque illa indicia divinæ voluntatis, quæ vulgari isto versiculo comprehenduntur, *Præcipit, ac prohibet, permittit, consulit, implet*: [1] Quia his modis, „ inquit Divus Thomas, declaratur aliquem „ velle aliquid, propterea ista quinque nominantur interdum nomine *voluntatis divinæ*, „ tanquam signa voluntatis. Quod enim *Præceptum, consilium, & prohibitio* dicantur Dei „ voluntas, patet per id quod dicitur Matthæi 6.

Sap. 6. 5.

Vide suprà §. 351.

1. D. Thom. 1. p. q. 19. a. 12. in Corpore. Vide eund. q. 23. de Veritate a. 3.

Mat. 6. 10.

"thæi 6. *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra.* Quod autem *permissio* & *operatio* dicantur Dei voluntas, patet per Augustinum, qui dicit in Enchiridio; *Nihil fit nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel faciendo.* Vel potest dici, quod *permissio* & *operatio* referuntur ad præsens, *permissio* quidem ad malum, *operatio* verò ad bonum: ad futurum verò *prohibitio* respectu mali, respectu autem boni necessarij *præceptum*, & respectu superabundantis boni *consilium*". Contendit quidem Estius prædictis quinque signis divinæ voluntatis annumerandum esse sextum, scilicet *præparationem*: F. "Ut voluntate præparationis id velle dicatur Deus, quod etsi secundùm se nec velit, nec faciat, aut facturus sit; vult tamen secundùm causam præviam & præparantem, quia nimirum hujusmodi præparatio soleat in nobis signum esse, quòd rem facere velimus. Exempli causâ, qui minatur, aut promittit aliquid, dicitur hoc velle facere: qui gladium stringit in aliquem; dicitur eum velle occidere. Sic enim Abraham quando *Arrepto gladio manum extendit in filium*; verè eum occidere voluit. Juxta hunc igitur modum signi de Christo dicitur Marci 6. *Volebat præterire eos*, qui tamen non præterivit; sed voluisse hoc dicitur; quia ibat in diversum; ut Augustinus interpretatur lib. 2. de Consensu Evangelistarum cap. 47. hoc autem erat initium & præparatio quædam ad prætereundum, & in nobis signum esse solet nos velle præterire. Et cap. 7. *Neminem voluit scire*, quia nimirùm subduxit se & in domum latenter fuit ingressus; ac fortè etiam jussit fores occludi, quod facere solent homines volentes latere. Quo modo intelligi potest etiam illud Lucæ ultimo, *Finxit se longiùs ire*: ut sit sensus; Christum fuisse progressum aliquantulùm, tanquam discessurum, & longiùs iturum. Eodem modo intelligendum est, quod Exodi 4. dicitur *Dominum voluisse occidere Moysen*: & quod alibi legitur *Voluisse disperdere populum suum*; quòd videlicet ea dixerit aut fecerit; quæ hujusmodi actionum causæ & præparationes esse solent, etiamsi effectus non sequeretur. Sic etiam Moyses ait ad populum Deuter. 9. *Et iratus Dominus delere te voluit*: & infrà, *Timui iram ejus, quâ adversùm vos concitatus delere vos voluit: adversùs Aaron quoque vehementer iratus voluit eum conterere.* Hæc enim omnia de *voluntate præparationis* accipienda esse perspicuum est, quatenùs comminatio est præparatio quædam ad rem comminatam: quod declarant sequentia Moysi verba, quibus ait: *Deprecabar Dominum ne deleret vos, ut fuerat comminatus*". Quæ Estij reflexio, planè erudita est, servitque enodandis compluribus in hac materiâ difficultatibus; nec de reipsâ potest ita dubitari, sicut de modo loquendi: an scilicet dicendum sit voluntatem signi esse quintuplicem, prout antiquiores Scholastici post Hugonem Victorinum perhibent; an verò sextuplicem, ut Estius censet. Hujus porrò controversiæ decisio inde pendet utrùm scilicet *voluntas* illa quam Estius vocat *præparationis*, non possit commodè reduci ad unum aliquod membrum, è reliquis quinque per vetustiores Scholasticos cum Hugone usurpatis. Si enim non possit; rectè astruit Estius sextum membrum; ut probant exempla per eundem congesta: si autem possit, retinendus erit communis reliquorum Scholasticorum loquendi modus. Quâ in re Sylvius, unus è præcipuis Estij discipulis, deserto suo Magistro adhæret priscis Scholasticis, quinque duntaxat signa divinæ voluntatis astruentibus: atque ita *voluntatem præparationis* comprehendit sub *voluntate operationis*: G. "Quamvis enim, inquit, qui effectum operatur, non jam eum præparet, sed faciat; qui tamen præparat, aliquid operatur: & hujus præparationis operatio solet esse in nobis signum voluntatis effectûs ulterioris. Similiter ad unum prædictorum reduci solent comminatio & promissio". Ex quibus apparet quòd etsi doctrina per Estium tradita nequaquam spernenda sit, modus tamen loquendi aliorum Scholasticorum meritò præferri debeat: loquendum quippe nobis est cum multis, etiamsi contingat nos sentire cum paucis. Unde & ipse Estius ibidem superiùs postquam voluntatem signi non nisi impropriè dici *voluntatem Dei* ostendisset, & quinquemembrem ejus divisionem usu jam receptam commemorasset, subdidit: *Sed hujusmodi impropriæ locutiones neque extendendæ sunt, neque passim usurpandæ.*

Vide Aug. Enchir. cap. 95.

F. Estius in 1. Dist. 45. §. 7.

Gen. 22. 10.

Marc. 6. 48.

Augustinus.

Marc. 7. 24.

Luc. 24. 28.

Ex. 4. 24.

Psal. 105. 23.

Deut. 9. 8. Ibid. v. 19. & 20.

Ibid. v. 25.

Vide Hugonem Victor. l. 1. de Sacram. p. 4. c. 2. & seqq.

G. Sylvius in 1. p. q. 19. art. 12.

Estius.

DXIII. Nunc ad Salomonis textum in principio capitis exhibitum revertamur; cujus causâ variam istam divinæ voluntatis usurpationem perstrinximus. Quæri enim potest, quænam Dei voluntas importetur illis Salomonicæ increpationis verbis, *Neque secundùm voluntatem Dei ambulastis*? Sed absque dubio congruenter importari dicitur *voluntas signi*, & quidem peculiariter pro eâ parte quâ complectitur præcepta ac prohibitiones in materiâ Religionis. Etenim cùm de voluntate beneplaciti intelligatur dictum, *Omnia quæcunque voluit Dominus facit*; & illud item ipsius Domini apud Isaiam, *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet*: planum est Reges à Salomone non reprehendi propter hujus voluntatis transgressionem, quandoquidem ea semper & ubique inconcussa & invicta permaneat; nec suo effectu frustrari queat: H. "Non est dubitandum, inquit Augustinus, voluntati Dei,

Sap. 6. 5.

Ps. 134. 6.

Isa. 46. 10.

H. August. l. de Cor. & grat. c. 14.

ambulare affectant, adeoque non Deum sequi, sed præire festinant. Inter Sapientum celebriora dicta censetur illud, *Sequere Deum*: quin & ante ipsos præstitit id Patriarcha Abraham, de quo Ambrosius: M. Hoc, inquit, „ quod pro magno inter septem Sapientum „ dicta celebratur, *Sequere Deum*; perfecit „ Abraham, factoque Sapientum dicta prævênit; & secutus Deum, *Exivit de terrâ suâ*". Addit & Apostolus in commendationem obedientiæ ejus, *Nesciens quò iret*. Perfectè enim se divino nutui conformat, qui cæcam obedientiam Deo manuducenti exhibet. Nec legimus quemquam illorum Sapientum dixisse, *Præcede Deum*: sed; *Sequere Deum*, hoc est, Esto Dei pedissequus, non ductor: *Ambula secundùm voluntatem ipsius*, non ei præponas, nec verò etiam coæques, voluntatem tuam. Quod enim de Religione ait quispiam, id sanè à fortiori locum habet in Deo quem Religione veneramur: N. Nihil aliud; ait ille, ratio „ pietatis admittit, nisi ut omnia quâ fide à „ Patribus suscepta fuerant, eâdem fide filijs „ consignentur: nosque Religionem non quà „ volumus ducere, sed potiùs quà illa ducit „ sequi oportere". Hoc est verè implere monitum illud Sapientum; *Sequere Deum*: hoc est imitari Henoch & Noë, qui teste Scripturâ, *Ambulaverunt cum Deo*. Ubi scitè admonet Cajetanus, præpositione *cum*, denotari quandam velut societatem atque amicitiæ amorem: scriptum namque est, *Nunquid ambulabunt duo pariter, nisi convenerit eis*? Quasi dicat, minimè. Ac per hoc Patriarchis istis convênit cum Deo, qui perhibentur *ambulasse cum Deo*. Abraham quoque cui jussum est *Ambulare coram Deo*, amicitiæ societatem tenuit cum Deo, dicente Jacobo Apostolo de eo, *Amicus Dei appellatus est*. Unde cùm decrevisset Deus subvertere Pentapolim; legitur dixisse: *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum*? Quod sanè luculentum amicitiæ indicium est: cui nihil magis proprium est, quàm arcanorum fida communicatio. Amici ergo ad amicum vox est, *Ambula coram me*, hoc est, ita te gere, ut me omnium gressuum tuorum inspectorem cogites: quæ cogitatio saluberrimum est antidotum adversùs peccata: O. Oportet, ait „ quidam, domi quidem, parentum & famu„ lorum pudore affici; in vijs autem, eorum „ qui fiunt obviam; in lavacris verò, mulie„ rum; in solitudine item, suiipsius: ubique „ denique, Verbi, quod ubique est, & *Sine* „ *quo factum est nihil*. Hâc enim vel solâ ratione „ fit ut quis nunquam labatur, si Deum sibi semper adesse recogitet". Quâ de re videri possunt quæ superiùs cap. 130. diximus.

M. Ambrof. l. 1. de Abraham cap. 2.

Gen. 12. 4.

Heb. 11. 8.

N. Vincent. Lyrin. c. 6.

Amos 3. 3.

Gen. 17. 1.

Iac. 2. 23.

Gen. 18, 17.

O Clemens Alex. lib. 3. Pædagogi cap. 5.

Ioan. 1. 3.

DXIV. Cùm ex his liqueat quid sibi in sacro Eloquio velint eæ phrases, quibus aliqui perhibentur *ambulasse cum Deo*, vel *post Deum*, vel *coram Deo*: indidem quoque elucet quid sibi velit Salomonica illa Regum increpatio, *Neque secundùm voluntatem Dei ambulastis*. Exprobrat quippe eâ phrasi Salomon Regibus, quòd nequaquam *Servierint Deo in sanctitate & iustitiâ coram ipso*. Neque enim eam intelligit ambulationem quæ fit pedibus, sed quæ moribus: quâ utique Deo servimus, dum viam mandatorum currentes sanctè juxta ipsius voluntatem vivimus: *Hæc est enim*, inquit Apostolus, *voluntas Dei, sanctificatio vestra*: P. Quasi dicat, inquit D. Thomas, Omnia „ præcepta Dei sunt ad hoc, quòd sitis sancti. „ Sanctitas enim dicit munditiam, & firmi„ tatem: & omnia Dei præcepta inducunt ad „ ista, ut quis mundus sit à malo, & firmus in bono". Qui rursùs 2. 2. q. 81. art. 8. in corpore: " Sanctitas, inquit, attribuitur his „ quæ divino cultui applicantur: ita quòd „ non solùm homines, sed etiam templa, vasa, „ & alia hujusmodi sanctificari dicantur ex „ hoc, quòd cultui divino applicantur. Mun„ ditia autem necessaria est ad hoc, quòd „ mens Deo applicetur: quia mens humana „ inquinatur ex hoc, quòd inferioribus rebus „ conjungitur, sicut quælibet res ex immi„ xtione pejoris sordescit: ut argentum ex „ immixtione plumbi. Oportet autem quòd „ mens ab inferioribus rebus abstrahatur ad „ hoc, quòd supremæ rei possit conjungi: & „ ideò mens sine munditia Deo applicari „ non potest. Unde ad Hebræos 12. dici„ tur, *Pacem sequimini cum omnibus, & sancti*„ *moniam, sine qua nemo videbit Deum*. Firmitas etiam exigitur ad hoc, quòd mens Deo „ applicetur: applicatur enim ei sicut ultimo „ fini, & primo principio: hujusmodi autem „ oportet maximè immobilia esse: unde „ dicebat Apostolus Rom 8. *Certus sum, quòd* „ *neque mors, neque vita, separabit me à charitate* „ *Dei*. Sic ergo sanctitas dicitur, per quam „ mens hominis seipsam & actus suos appli„ cat Deo; unde non differt à Religione se„ cundùm essentiam, sed solùm ratione: nam „ Religio dicitur, secundùm quod exhibet „ Deo debitum famulatum in his, quæ per„ tinent specialiter ad cultum divinum, sicut „ in sacrificijs, oblationibus, & alijs hujus„ modi: sanctitas autem dicitur secundùm „ quod homo non solùm hæc, sed aliarum „ virtutum opera refert in Deum; vel secun„ dùm quod homo se disponit per bona quæ„ dam opera ad cultum divinum pertinentia". Exprobrat itaque Salomon Regibus neglectum hujus virtutis, quæ & Religio dicitur, & Sanctitas: Religio quidem, quatenùs hominem Deo tanquam superiori suo religat seu reglutinat, ut possit ei dicere cum Psalmographo, *Adhæsit anima mea post te*: Sanctitas denique, quatenùs nos mundat à fæce terrenâ,

Luc. 1. 74. & 75.

1. Thes. 4. 3.

P. D. Thom. in caput 4. prioris ad Thessalon. Lect. 1.

Heb. 12. 14.

Rom. 8. 38. & 39.

Psal. 62. 9.

tanquam

tanquam inferiori, cujus immixtione pol-
luimur & inquinamur. Cùm enim, juxta Apo-
1. Thes. 4. 3. stolum mox citatum, *Hæc est voluntas Dei, sancti-*
Sap. 6. 5. *ficatio nostra*; consequenter nihil aliud erit *Am-*
Luc. 1. 74. *bulare secundum voluntatem Dei*, quàm *servire Deo*
& 75. *in sanctitate & justitia coram ipso*. Servire utique
eo peculiari servitutis genere, quod Græci
simplici quidem vocabulo *latriam*, composito
Q. Aug. l. 10. de Civit. c. 1. autem *theosebeiam* nuncupant: Q. Hic est enim
„ cultus divinitati, vel, si expressiùs dicen-
„ dum est, Deitati debitus; propter quem
„ uno verbo significandum, quoniam satis
„ idoneum non occurrit Latinum, Græco ubi
„ necesse est insinuamus quid velimus dicere:
„ *Latriam* quippe nostri, ubicunque Sanctarum
„ Scripturarum positum est, interpretati sunt
„ *servitutem*. Sed ea servitus quæ debetur ho-
„ minibus, secundùm quam præcipit Apo-
„ stolus, *Servos dominis suis subditos* esse debere,
1. Pet. 2. 18. „ alio nomine Græcè nuncupari solet: *latria*
„ verò secundùm consuetudinem quâ locuti
„ sunt qui nobis divina Eloquia condiderunt,
„ aut semper, aut tam frequenter ut penè
„ semper, ea dicitur *servitus*, quæ pertinet ad
colendum Deum". De hac servitute scri-
Deut. 6. 13. ptum est *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli*
servies. Quem locum ita Interpres alibi citavit,
Mat. 4. 10. ut pro verbo *timebis*, usus sit verbo, *adorabis*:
tacitè nos instruens, ut cùm in Scripturis le-
gimus inculcari timorem Dei, intelligamus
latreuticam servitutem ejusdem indici: in
cujus præconium legitur dixisse æterna Dei
Job. 28. 28. Sapientia, *Ecce timor Domini ipsa est sapientia*.
Pro quo prisca editio Augustino familiaris
habebat, *Ecce pietas est sapientia*. Sed Græci
Codices pro *pietate* habent *theosebeiam*, quæ
interpretatur *Dei cultus*: prout disertè cernitur
in latinâ versione 70. Interpretum in Biblijs
Regijs exhibitâ. Cui consonans Augustinus:
R. Aug. l. de Spiritu & lit. cap. 11. R. Pietas, inquit, est vera sapientia: pieta-
„ tem dico, quam Græci *theosebeiam* vocant.
Vide l. 2. Retract. c. 63. „ Ipsa quippe commendata est, cùm dictum
„ est homini, quod in libro Job legitur, *Ecce*
& lib. 12. de Trinit. c. 14. „ *pietas est sapientia*. Porrò *theosebeia*, si ad ver-
& l. 14. c. 12. & Epist. 29. „ bi originem latinè expressam interpretare-
tur, *Dei cultus* dici poterat". Qui rursùs in
Enchiridio cap. 2." Hominis sapientia, in-
„ quit, pietas est. Habes hoc in libro sancti
„ Job: nam ibi legitur quòd ipsa Sapientia
„ dixerit, *Ecce pietas est sapientia*. Si autem quæ-
„ ras quam dixerit eo loco *pietatem*, distinctiùs
„ in Græco reperies *theosebeiam*, qui est *Dei*
„ *cultus*. Dicitur etiam Græcè pietas & aliter,
„ id est, *Eusebeia*: quo nomine significatur
„ *bonus cultus*, quamvis & hoc præcipuè refe-
„ ratur ad colendum Deum. Sed nihil est
„ commodius illo nomine, quo evidenter
„ *Dei cultus* est expressus, cùm *quid sit hominis*
sapientia diceretur". Sed de hoc fusiùs infrà
in explanatione eorum verborum quibus Sa-
lomon admonet Reges, ut *Discant sapientiam,* Sap. 6. 10.
ne excidant. Nunc interim observatu digna
est Salomonis consonantia cum Davide patre
suo: Salomon enim exprobrat Regibus quòd
Non secundum voluntatem Dei ambulaverint; & Ibid. v. 5.
David monet eosdem, *Ut serviant Domino in* Psal. 2. 11.
timore. Increpat ergo eos filius, ob neglectum
mandati à patre pridem evulgati: ut proinde
Salomonica illa increpatio hunc faciat sen-
sum, Non servivistis Domino in timore; eo
nimirùm servitio, quod Græci *latriam* vo-
cant, nec in Latino idiomate habet simplex
nomen sibi per omnia parallelum: prout Au-
gustinus mox relatus innuit: S. *Latria*, ait S. Pineda in caput 1. Job v. 1.
„ quispiam, ut periti Græci & Phavorinus Phavorinus
„ in Lexico tradunt, affert suâ significatio-
„ ne vehementiam & intensionem timoris.
„ Quare sapienter D. Thomas debitum Deo Vide Divum Thom. 2. 2.
„ honorem & reverentiam refert ad donum q. 19. a. 6. & 12.
„ timoris. Neque verò hæc timoris significa-
„ tio inaudita est apud Latinos, cùm Poëta Virgil lib. 5. Æneid.
„ dixerit, *Emathion æqui cultor, timidusque Deo-* lib. 2. 8.
„ *rum*: idem prorsùs quòd *Rectus ac timens*
„ *Deum*. Quare frequenter in sacro sermone
timor est Dei adoratio & cultus". Hujus
itaque timoris neglectum Regibus expro-
brat Salomon ijs verbis, *Neque secundum volun-*
tatem Dei ambulastis. Hunc timorem inculcat
alibi idem Salomon, ubi ait: *Deum time, &* Eccle. 12. 13.
mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo:
T. Quid brevius, inquit Augustinus, ve- T. August.
„ rius, salubrius dici potuit? *Deum*, inquit, l. 20. de Civit. cap. 3.
„ *time, & mandata ejus custodi, quia hoc est omnis ho-*
„ *mo*. Quicunque enim est hoc, est custos uti-
„ que mandatorum Dei; quoniam qui hoc
„ non est, nihil est: non enim ad veritatis
„ imaginem reformatur, remanens in simili-
tudine vanitatis". Nec minùs appositè Pe-
trus Chrysologus: V. Homines sunt, inquit, V. Petrus Chrysologus Serm. 24.
„ qui more debitæ servitutis indefessis excu-
„ bijs adventum sui Domini præstolantur:
„ qui verò sic ventri serviunt, ut divinam
„ nesciant servitutem, & de carnis volu-
„ ptate solliciti sollicitudinem occursus Do-
„ minici perdiderunt, non sunt vocandi *homi-*
nes, sed *jumenta*.

CAPUT

CAPUT CXXXVII.

Regum pectora virtutibus decet esse referta, ac Religioni potissimùm intenta; sine qua nec ipsi officium suum, nec subditi peragent suum. Ab omni ævo observatum, Principes Numini devotos prosperari, profanos minorari. Expenditur Dei dictum multifariè translatum, Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles: *& diluitur objectio in adversum vibrata. Vnde potissimum pensanda Principum prosperitas? Longè mitiùs agitur cum Principibus qui in hoc sæculo condignè pro delictis puniuntur, quàm qui in futurum torquendi differuntur. Mauricij Imperatoris visio, optio, ultio, pœnitentia patientia, justitia. Princeps divinæ legis fit discipulus, non Magister. Expenditur expostulatio Dei cum veteri suo populo,* Si ego Pater sum, ubi est honor meus? Si Dominus, ubi est timor meus? *Ad hoc ficti à Deo & inspirati sumus, ut ipsum suspiciamus, metuamus, colamus.* Religionis *etymon juxta Lactantium. Religio nequit à sapientia separari, nec sapientia à Religione secerni: & quo ordine sibi cohæreant? Assimilantur duobus rivis ex uno fonte manantibus. Qui Religioni non servit, humanitate se abdicat, in pecudem degenerans. Religio vel sola est vel præcipua hominis à jumentis distantia. Qui Deum non timet & mandata ejus non observat, non tam* homo *dicendus fuerit, quàm* diabolus, *vel* bestia. *Legislatorum ac Philosophorum, imò & Pseudopoliticorum, consonans professio est, à Religione pendere subditorum fidem in Principes, obedientiam erga Magistratus, pietatem in parentes, charitatem in singulos, justitiam in omnes. Cur ethnici legislatores inventionem suarum legum Numinibus affinxerint? Mæcenatis ad Augustum parænesis de cavenda Religionis innovatione. Exploditur atheorum figmentum de primo Religionis inventu pro fovendo subditorum in Principes obsequio. Qui figmentum istud prodidit, generis humani censendus est proditor; nec Deo duntaxat injurius, sed & hominibus noxius. Solo Dei timore servatur humana societas.*

DXV. Quanquam Regum pectora omnium virtutum esse debeant domicilia, præ reliquis tamen virtutibus Religionem desponsare sibi debent, & eandem subditis ingerendam providere: [w] Sine qua, ut rectè „ monet Lipsius, non Princeps officium „ suum, nec subditi facient suum: sine qua so„ cietas non erit, quia non fides, non justitia, „ non virtus; sed fraus, licentia, protervitas: „ &, uno verbo, confusio hominum ac re„ rum. Quod frænum erit peccaturis? Quis „ metus satis validus? Nam externum illum, „ qui à pœnis aut morte est, multi contem„ nunt: & desperatio, impetus, aut iracun„ dia eò ducunt. Esto igitur vinculum & fir„ mamentum Reipublicæ Religio: ac Prin„ ceps ipse habeat, quò ratio eum ac gratitu„ do vocant. Rex es? A Deo habes: & quo „ major altiorque; eò plura beneficia illi „ Numini debes; id per cultum venerațio„ nemque ejus, agnosce. Rex es? Ut diu & „ feliciter esse possis, data supplica: & scito; „ tollere posse qui tribuit, & evertere qui „ sublimavit Aristoteles ad suum Regem: „ *Vetus, inquit, & à Vatoribus acceptus hominibus* „ *est sermo, quòd omnia à Deo & per Deum nobis* „ *sint constituta.* Qui hoc imbibit, Religionem „ quomodò non habebit? *Prima mihi debes ani*„ *mo bona, sanctus habere.* Ex quo sequetur, ut „ virtutes etiam habeas, & maximè mode„ stiam & clementiam; quæ Religioni proxi„ mè adhærent. Addo, quòd tutior ita eris: „ amor enim ex isto, & veneratio erga ipsos „ Principes innascitur; nec facilè exteri aut „ subditi lædent, cui Numen amicum & pro„ pitium arbitrantur. Quid, quòd ipsi subditi „ ita meliores tranquillioresque? Nulla res

[w] Lipsius in. Monitis Polit. lib. 1. cap. 2.

Vide lib. de Mundo.

,, magis animos & .mores componit, quàm
,, Religio: & illa ubi in pectus demissa, virtu-
,, tum agmen sequitur; inprimis mansuetudo
,, quædam animi & tranquillitas, bona im-
,, perantibus, & quæ faciles obnoxiosque
,, præceptis reddit: denique externa felicitas
,, eò vocat; quod ab omni ævo observatum,
,, Deum qui se colunt attollere, & pijs reli-
,, giosisque Principibus prospera plurimùm
evenisse; alia alijs". Hoc postremum fundari
potest in istis Dei verbis ad Judicem veteris
1. Reg. 2. 30. sui populi, *Quicunque glorificaverit me glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*: sive ut alij ex Hebraico textu verterunt *Honorantes me honorificabo & contemnentes me vilipendentur*: pro quo apud 70. Interpretes legitur, *Glorificantes me glorificabo, & qui spernit me honore privabitur*: apud Chaldæum Paraphrasten, *Honorantes ante me honorabo, & qui contempserint super nomen meum despicientur*: apud Syrum Interpretem, *Honorantes me honorabo, contemptores autem mei ignominia afficientur*: apud Arabem Interpretem, *Eos qui me honoraverint honore afficiam, eos autem qui me spreverint deprimam*: apud Cy-
Cyprianus. prianum Tract. de Zelo & Livore, *Eos qui me clarificant clarificabo, & qui me spernit spernetur*: apud Luciferum Calaritanum lib. 1. pro Atha-
Luc. Calar. nasio ad Constantium Cæsarem, *Qui me honorificaverit honorificabitur, & qui me spernit ad nihilum redigetur*: apud Ambrosium lib. de Para-
Ambrosius. diso c. 15. *Honorificantes me honorificabo, & contemptor mei honore privabitur*: apud Ephrem Sy-
Ephrem. rum tomo 2. Parænesi 41. & 46 *Glorificantes me glorificabo, qui autem contemnunt me ignominiâ*
Augustinus. *afficientur*: apud Augustinum lib. 2. contra Epistolam Parmeniani c. 19. consonè prorsùs
Basilius. ad Cyprianum mox relatum: apud Basilium Magnum in caput 5. Isaiæ, *Qui me glorificant eos glorificabo, & qui me inhonorant inhonorabuntur*: apud Hieronymum in caput 5. Ezechiëlis,
Hieronym. *Glorificantes me glorificabo, qui autem me despiciunt ad nihilum deducentur*: apud Paulinum No-
Paulinus. lanum Epist. 50. ad Celantiam, *Qui honorificant me honorificabo eos, qui autem pro nihilo me*
PRÆOCCUPATIO. *habent ad nihilum redigentur*. Neque verò huic divinæ denuntiationi obstare putandum est, quòd quidam impij Principes terrenâ prosperitate potiri subinde visi sint, & pij ex adverso affligi. Nam inprimis Dominica illa sententia non tam de eventu, quàm de merito respectivè ac reatu intelligenda est: quemad-
Mat. 26. 52. modùm & illa Christi Domini, *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*; necnon & illa
Gen. 9. 6. Dei ad Noë & filios ejus in Genesi, *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*. Deinde apud veraces Dei cultores prosperitas terrena pro nihilo reputatur in comparatione supernæ, quæ reposita est Principibus ipsum hîc glorificantibus, & secundùm
X. Aug. l. 5. de Civitate cap. 24. ipsius voluntatem ambulantibus: X. Neque
,, enim nos, inquit Augustinus, Christianos
,, quosdam Imperatores ideò felices dicimus,
,, quia vel diutiùs imperarunt, vel imperantes
,, filios morte placidâ reliquerunt, vel hostes
,, Reipublicæ domuerunt, vel inimicos ci-
,, ves adversùs se insurgentes & cavere & op-
,, primere potuerunt. Hæc enim & alia vitæ
,, hujus ærumnosæ vel munera vel solatia qui-
,, dam etiam cultores dæmonum accipere me-
,, ruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei,
,, quò pertinent isti: & hoc ipsius misericor-
,, diâ factum est, ne ab illo ista qui in eum
,, credunt velut summa bona desiderarent.
,, Sed felices eos dicimus, si justè imperant; si
,, inter linguas sublimiter honorantium, &
,, obsequia nimis humiliter salutantium, non
,, se extollunt, sed homines se esse memine-
,, runt; si suam potestatem ad Dei cultum ma-
,, ximè dilatandum, Majestati ejus famulam
,, faciunt; si Deum timent, diligunt, colunt;
,, si plus amant illud regnum, ubi non timent
,, habere consortes; si tardiùs vindicant, facilè
,, ignoscunt; si eandem vindictam pro necessi-
,, tate regendæ tuendæque Reipublicæ, non
,, pro saturandis inimicitiarum odijs exerunt;
,, si eandem veniam non ad impunitatem ini-
,, quitatis, sed ad spem correctionis indulgent;
,, si quod asperè coguntur plerunque decerne-
,, re, misericordiæ lenitate & beneficiorum
,, largitate compensant; si luxuria tanto eis est
,, castigatior, quanto posset esse liberior; si
,, malunt cupiditatibus pravis, quàm quibusli-
,, bet gentibus imperare; & si hæc omnia fa-
,, ciunt non propter ardorem inanis gloriæ,
,, sed propter charitatem felicitatis æternæ; si
,, pro suis peccatis, humilitatis, & miseratio-
,, nis, & orationis sacrificium Deo suo vero
,, immolare non negligunt. Tales Christianos
,, Imperatores dicimus esse felices, interim
,, spe, posteà re ipsâ futuros, cùm id quod
expectamus advenerit". Habent hinc Imperatores, & reliqui supremi Principes, normam regendi tam semetipsos, quàm suos subditos; & glorificandi Deum, ut ab ipso glorificentur. Quam normam qui sequi negligunt, obnoxios se reddunt alteri illi parti Dominicæ sententiæ, *Qui contemnunt me, erunt ignobiles*, hoc est, *vilipendentur*, *honore privabuntur*, *despicientur*, *ignominiâ afficientur*, *deprimentur*, *spernentur*, *inhonorabuntur*, *ad nihilum redigentur*. Quamvis autem non omnibus Deum contemnentibus hæc supplicia eveniant reipsâ in isto sæculo, rectè tamen ea dicuntur ipsis imminere, quatenùs eorum reatum incurrunt eo ipso quòd Deum contemnunt: sic enim legimus prohibuisse Deum primo homini esum ligni in Paradiso, addidisseque comminationem supplicij incurrendi, *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris*. Nec tamen ille mortem eo ipso Gen. 2. 17.
die

die reapsè perpessus est, sed vitam ultra nongentesimum exinde annum protraxit. Quid est igitur, *eo die morieris*, nisi eo die obnoxius supplicio mortis fies, reatum mortis incurres; sive ut Symmachus à Hieronymo laudatus vertit, *Mortalis eris*? Quòd si fortè quidam parùm curent reatum ignominiæ, dummodo non subeant ipsam ignominiam: talibus ingerendum erit illud Augustini; [Y] "Quis dignè eloqui possit, quàm sit mentis execrabilior fœditas, pœnas exhorrescere meritorum, & merita non cavere pœnarum"? Nimis proinde execrabilis est eorum fœditas, qui pro nihilo ducunt violare divinam Religionem, dum quoquo modo evadant promeritam ultionem. Cogitare potiùs debent, malum culpæ multò esse deterius malo pœnæ; & mitiùs cum eis agi qui in hoc sæculo puniuntur, quàm qui in futurum sæculum puniendi differuntur. Quod cùm probè nòsset Mauricius Imperator, complurium criminum reus, interrogatus à Christo per visionem sibi apparente: [Z] *Ubi vis reddam tibi; hic; an in futuro sæculo?* Respondit, *Amator hominum Domine, & Iudex iuste, hìc potiùs, & non in illo sæculo.* Addit porrò Historicus continuò: "Jussit vox divina tradi Mauricium, & Constantinam uxorem ejus, & filios, & omnem cognationem domûs ipsius, Phocæ militi". Quid verò Phocas cum eo egerit, & quàm districtè ultionem divinitùs decretam in eum exercuerit, indicat idem Historicus paulò inferiùs ibidem, subdens: "Missis militibus, duxit eum Chalcedonem ad Eutropium portum: & primò quidem cruciavit eum in cædibus filiorum, posteà ipsum Imperatorem punit. Nam quinque filij ejus mares, coram visibus ejus, præocciduntur. Verùm Mauricius patienter infelicitatem sustinens, Deum in omnibus invocabat, & crebrò pronunciavit dicens: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Fit itaque mors filiorum epitaphium patris, prærostendens virtutem in mole calamitatis. Cumque nutrix unum ex Imperatoris pueris furata fuisset, suumque pro eo interemptioni obtulisset, Mauricius non annuit, sed suum requisivit". De eodem Petavius: [A] "Non alius Imperator, inquit, aut acerbiorem fortunam expertus est, aut toleravit constantiùs. Una vox in tantâ suorum carnificinâ illius est excepta: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Quinetiam unum ex ejus filijs infantem adhuc occultante nutrice, ac suum pro illo ad necem objiciente filium, fraudem ultrò Mauricius detexit, nec alienum est passus occidi.

Vide Hieron. in Tradit. Hebraicis ad cap. 2. Genesis: & Theodoret. q. 30. in Genesin.

Y. August. l. 1. contra Adversar. Legis & Proph. cap. 24.

Z. Apud Paul Diaconum lib. 17. Rerum miscellan.

Psal. 118. 137.

A. Dion. Petavius l. 7. Rationarij temporum cap. 9.

DXVI. Miseriores quidem sunt qui in alterum sæculum plectendi reservantur, quàm qui in vita præsenti condignis supplicijs atteruntur: sed longè omnium miserrimi, qui hujus vitæ ærumnis non emendati, in miseriam de miseria protruduntur. Tales plerunque sunt Reges illi quibus Salomon improperat, quòd *non secundùm voluntatem Dei ambulent*, hoc est, quòd sanctæ Religionis præcepta violent, quòd cupiditates suas voluntati Dei præferant, quòd majorem gerant curam ventris quàm mentis; quòd cùm ambiant hominibus præesse nolint tamen Deo subesse. Æquissimum quippe est, ut qui servire dedignantur suo superiori, mulctentur servitio suorum inferiorum. Et hoc ipsum est quod Dominus comminatur ijs verbis superiùs relatis, *Qui contemnunt me, erunt ignobiles*, sive ut alia editio ibidem subjuncta habet, *Contemptores mei ignominiâ afficientur*. Rectè proindè monet Sarisberiensis; ut Princeps sit divinæ legis discipulus, non magister: ac tum subdit: [B] "Sed discipulus iste quid discit? Utique *Timere Dominum Deum suum*. Rectè quidem, eò quòd sapientia parit & firmat Principatum: atqui *Initium sapientiæ timor Domini*. Qui ergo timoris non initiatur gradu, frustrà ad legitimi Principatûs culmen aspirat. Legitimi, inquam: quia de quibusdam dum allevarentur dejectis, & miseriùs dejiciendis, scriptum est: *Isti regnaverunt, & non ex me; Principes extiterunt, & ego ignoravi*: & alibi, *Tenentes legem nescierunt sapientiam*. Timeat ergo Princeps Dominum, & se promptâ humilitate mentis, & piâ exhibitione operis, servum profiteatur: Dominus enim servi Dominus est. Servit itaque Domino Princeps, dum conservis suis, subditis scilicet sibi, fideliter servit. Sed & Dominum Deum esse agnoscat, cui non plus timoris ex Majestate, quàm amoris ex pietate exhibendum est: Pater etenim est, cui nulla creatura, ipsius faciente merito, negare potest dilectionis affectum: *Si ego*, inquit, *Dominus sum, ubi est timor meus: Si Pater sum, ubi est amor meus*"? In quem Prophetæ locum Ambrosius: [C] "Ingrati, inquit, qui Deum nec quasi servi metuunt ut Dominum, nec quasi filij honorificant ut patrem. Dicit per Prophetam Deus, *Si Dominus sum ego, ubi est timor meus? Si Pater, ubi est amor meus?* Hoc est: Si servus es, redde Domino timoris obsequium; si filius, exhibe patri pietatis affectum. Tu autem cùm gratias non agis, Deum nec diligis, nec vereris: unde aut contumax servus, aut superbus es filius". Et Theodoretus: [D] "Si filiorum nomen adamatis, inquit, præstate honorem quem patri offerre debetis: sin autem servos vos esse arbitramini, cur timorem non habetis, quem servos habere convenit: præsertim cùm ejusmodi habeatis Dominum, qui omnium rerum visibilium & invisibilium simul tenet imperium"?

Sap. 6. 5.

1. Reg. 2. 30.

B. Joan. Sarisber. lib. 4. Policrat. c. 7.

Deut. 17. 19.

Ps. 110. 10.

Osee. 8. 4.

Hier. 2. 8.

Mal. 1. 6.

C. Ambros. Sermone de Verb. Malachiæ, ad calcem tomi 2. Vide Bernardum Serm. 56. & 83. in Cantica.

D. Theodoret. in cap. 1. Malachiæ v. 6.

E. Cyrillus Alex. in caput 1. Malachiæ v. 6.

rium". Et Cyrillus Alexandrinus: E. "Quærenda sunt nobis, inquit, quæ Deo sunt honorifica, & ad opera sancta incumbendum; cùm sciamus scriptum esse, *Vivo ego, dicit Dominus, quia glorificantes me glorificabo, & qui contemnunt me contemnentur*. Glorificabitur autem à nobis Pater universorum Deus, si non quod nobis jucundum & gratum est agere studuerimus; sed illi potiùs mentem nostram dedicaverimus, & in omnibus ad ejus nutum nos conformaverimus. Timebimus verò ut Dominum, si propensionem ad improbitatem pudore quodam illius offendendi resciderimus, accusationemque apud divinum tribunal nobiscum volutaverimus". De hoc timore intelligit Pineda monitum illud Ecclesiastis: *Deum time; & mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo.* Ubi ille: F. "*Time*, inquit, cole, adora, reverere; omni cultu, cogitatione, invocatione prosequere. Requirit hunc timorem à nobis Deus Malach. 1.". Hieronymus quoque in ejusdem loci Commentario confirmat ex prisca Hebræorum traditione, G. "Ad hoc natum esse hominem, ut Creatorem suum intelligens, veneretur eum metu, & honore, & opere mandatorum". Cui consonans Lactantius: H. "Propterea, inquit, ficti & inspirati à Deo sumus, non ut cælum videremus & Solem, quod Anaxagoras putavit, sed ut artificem Solis & cæli Deum purâ & integrâ mente coleremus". Et ibidem inferius cap. 9. "Ergo, inquit, in Dei agnitione & cultu versatur summa rerum: in hoc est spes omnis ac salus hominis. Hic est sapientiæ gradus primus, ut sciamus, quis sit nobis verus pater, eumque solum pietate debitâ prosequamur, huic pareamus, huic devotissimè serviamus". Et inferiùs lib 7. cap. 5. "Sicut Mundum, inquit, non propter se Deus fecit, quia commodis ejus non indiget; sed propter hominem, qui eo utitur; ita ipsum hominem propter se. *Qua utilitas Deo in homine*, inquit Epicurus, *ut eum propter se faceret?* Scilicet ut esset qui opera ejus intelligeret, qui providentiam disponendi, rationem faciendi, virtutem consummandi & sensu admirari, & voce proloqui posset. Quorum omnium summa hæc est, ut Deum colat". Et superiùs lib. 4. cap. 28. "Hâc conditione gignimur, inquit, ut generanti nos Deo justa & debita obsequia præbeamus, hunc solum noverimus, hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti, Deo religati sumus; unde ipsa *Religio* nomen accepit". Præmiserat quoque idem author nonnulla superiùs cap. 4. quibus illustrat divinum oraculum ex Malachia Propheta mox relatum, & astruit Religionis cum Sapientia communionem: "Apparet, inquiens, quàm inter se conjuncta sint sapientia, & Religio: sapientia spectat ad filios, quæ exigit amorem; Religio ad servos, quæ exigit timorem. Nam sicut illi Patrem diligere debent, & honorare: sic hi Dominum colere, ac vereri. Deus autem, qui unus est, quoniam utramque personam sustinet, & Patris & Domini, & amare eum debemus quia filii sumus, & timere quia servi. Non potest igitur nec Religio à sapientia separari, nec sapientia à Religione secerni: quia idem Deus est, qui & intelligi debet, quod est sapientiæ; & honorari, quod est Religionis. Sed sapientia præcedit, Religio sequitur: quia prius est, Deum scire; consequens, colere. Ita in duobus nominibus una vis est, quamvis diversa esse videatur: alterum enim positum est in sensu, alterum in actu. Sed tamen similia sunt duobus rivis, ex uno fonte manantibus: fons autem sapientiæ & Religionis Deus est; à quo hi rivi si aberraverint, arescant necesse est: quem qui nesciunt, nec sapientes esse possunt, nec Religiosi". Imò verò nec hominis nomine digni, pront idem ipse lib. 7. cap. 9. subdit: "Illos, inquiens, qui nullum omninò Deum esse dixerunt, non modò Philosophos, sed ne homines quidem fuisse dixerim". Et superiùs lib. 3. cap. 10. "Religioni serviendum est, inquit; quam qui non suscipit, ipse se prosternit in terram; & vitam pecudum secutus, humanitate se abdicat". Et adhuc superiùs lib. 2. cap. 3. "Hominum, inquit, atque mutorum vel solum vel certè maximum in Religione discrimen est". Et lib. de Ira Dei cap. 7. "Nonne ipsius corporis status, inquit, & oris figura declarat non esse nos cum mutis pecudibus æquales? Illarum natura in humum, pabulumque prostrata est; nec habet quidquam commune cum cælo, quod non intuetur. Homo autem recto statu, ore sublimi, ad contemplationem Mundi excitatus, confert cum Deo vultum; & rationem ratio cognoscit. Propterea *Nullum est animal*, ut ait Cicero, *præter hominem, quod habeat aliquam notitiam Dei.* Solus enim sapientiâ instructus est, ut Religionem solus intelligat; & hæc est hominis atque mutorum, vel præcipua vel sola distantia".

1. Reg. 2. 30.
Eccle. 12. 13.
F. Pineda in caput 12. Ecclesiastis v. 13.
Vide Petr. Damian. l. 1. Epist. 4.
G. Hieron. in cap. 12. Ecclesiastis v. 13.
H. Lactant. lib. 6. c. 1.
Epicurus.
Cicero.

DXVII. Hinc satis claret quantam Religionis curam tam quoad seipsum, quàm quoad suos subditos, gerere debeat Princeps; ne aut ipse brutescat, aut hos brutescere sinat: quorum primum si evenerit, indignus erit qui præsit; si secundum, non tam Princeps erit, quàm pecuarius: ut qui non tam hominibus præsit, quàm pecudibus. Quod si & ipse brutescat, & subditos brutescere sinat: quid

Vide Platonem apud Rhodigin. lib. 9. c. 19.

quid erit aliud, quàm *Dux gregis ipse Caper*, hoc est, pecus pecudibus præsidens? Neque enim hominis appellatione dignus censeri debet, qui Deum non timet, & mandata ejus non observat: *Deum time*, inquit Ecclesiastes, *& mandata eius observa: hoc est enim omnis homo*. In quem locum Hugo Victorinus ait: [l] *Si omnis homo est, qui Deum timet & mandata eius observat*, constat quòd ille homo non est, qui hoc non facit. Si enim cognoscit Deum & mandata ejus, & non timet nec observat, contemptor est, & magis *diabolus* dicendus est, quàm homo: si verò non cognoscit Deum & mandata ejus, cæcus est, & magis *bestia* dicendus est, quàm homo: si verò cognoscit, & timet, & custodit, verè homo est, & tali nomine dignus appellari". Et Lactantius: [k] Sine Religione, inquit, aut immanitate belluis, aut stultitiâ pecudibus adæquamur: in solâ enim Religione, id est, in Dei summi notione, sapientia est". Quisquis ergo non ut bellua belluis, sed ut homo hominibus præesse cupit, Deum religiosè colat, & à suis subditis coli faciat. Discat saltem ex praxi tyrannorum, quàm sit necessaria principatui conservando divina Religio. De Tyranno quippe loquens Aristoteles: [L] Videri oportet, inquit, ipsum erga Religionem Deorum affici vehementer: minus enim formidabunt populi, ne quid contra justitiam fiat, si Religioni deditum illum existiment, ac Deorum timorem habere; minusque contra illum audebunt insurgere, quasi Deos habeat propitios & faventes". Unde & Machiavellus, insignis ille tyrannorum informator, monet Principem suum, ut Religioni deditum sese exteriùs ostendat, etiamsi interiùs ab eâ abhorreat: [M] Reipublicæ, inquiens, regnive moderatores ac Principes, Religionis fundamenta servare debent: nam eâ ratione Rempublicam suam religiosam conservabunt; &, quod inde consequens est, etiam integram, & studijs non divisam. Opus verò est, ut quæcunque ad Religionem fovendam amplificandamque apposita sunt, etiamsi aliter sentiant, amplectantur, augeantque. Quod illis tanto diligentiùs faciendum est, quanto majori prudentiâ, rerumque naturalium cognitione præcellunt". Vult ergo ut etsi Religionem cordi non habeant, habere tamen se simulent: quia nimirum Rempublicam alioquin nec integram, nec studijs indivisam conservare poterunt. [N] Legislatores quippe omnes, ut fatetur Bodinus, ac Philosophi, atque adeò Polybius ipse atheus, Religionem omnium Rerumpublicarum firmissimum fundamentum esse, eâque subditorum fidem in Principes, obedientiam erga Magistratus, pietatem in parentes, charitatem in singulos, justitiam in omnes pendere confitentur". Et Petrus Gregorius, [O] Hoc, inquit, innatum & insculptum naturali & rationali lege videtur, ut Religioni multum homines tribuant, & authoritati divinæ; & quæ arbitrantur ei conjuncta eo vinculo, eâ majori in veneratione habeant: *Omnes*, inquit Cicero 5. in Verrem, *Religione moventur, & Deos patrios à Maioribus acceptos diligenter sibi colendos & retinendos arbitrantur*. Et Q. Curtius lib. 4. *Nulla res*, inquit, *efficaciùs multitudinem regit, quàm superstitio*. Neque Ethnici hoc lumine naturali caruerunt, utpote homines habentes impressam in animâ quoque Dei imaginem. Quanquam enim aberraverint in pluralitate Deorum falsorum, tamen semper remansit de divino Numine reverentia ejus & metus. Et proinde Legislatores illustriores, qui Regio hoc munere in ferendis legibus usi sunt, inventionem legum in Deum, sed per diversa nomina & media retulerunt: Zoroastres Bactrianis Persisque leges tradens, in Horomasim; Trismegistus Ægyptijs, in Mercurium; Moyses Judæis, rectiùs in Patrem totius naturæ verum Deum; Minos Cretensibus, in Jovem; Charondas Carthaginensibus, in Saturnum; Lycurgus Lacedæmonijs, in Apollinem; Draco & Solon Atheniensibus, in Minervam; Numa Pompilius Romanis, in Ægeriam Nympham; Mahometes Arabibus, in Gabrielem; Zamolxis Scythis, in Vestam; Plato Magnesijs & Siculis, in Jovem". Extat apud Dionem Cassium prolixa & erudita parænesis Mæcenatis ad Augustum Cæsarem, de non abdicando Imperio; ubi etiam suggerit ei modos & media stabiliter principandi, inter alia dicens: [P] Deos semper & ubique ita cole, ut moribus patriæ receptum est: ad eundem quoque cultum alios compelle. Peregrinarum verò Religionum authores odio & supplicijs prosequere, non Deorum modò gratiâ, quos qui contemnit haud dubiè nihil quoque aliud magni faciet; sed propterea etiam, quòd qui nova Numina introducunt, multos ad peregrinarum legum usum pelliciunt: unde conjurationes, coitiones, & conciliabula existunt; res minimè commodæ principatui unius. Itaque neque Deorum contemptorem, neque præstigiatorem ullum tolerabis". Pulchrè & appositè Augustinus: [Q] Sicut dæmones, inquit, nisi eos quos fallendo deceperint, possidere non possunt; sic & homines Principes, non sanè justi sed dæmonum similes, ea quæ vana esse noverant, Religionis nomine populis tanquam vera suadebant, hoc modo eos civili societati velut

Eccle. 12. 13.

l Hugo Victor. Serm. 10.

k Lactant. lib. de Ira Dei cap. 12. Vide ibid. cap. 10.

L Aristot. lib. 5. Politicor. c. 11.

M Machiavel. lib. 1. cap. 12.

N Joan. Bodinus l. 4. de Republ. cap. 7.

O Petr. Gregorius l. 1. de Republ. cap. 2. n. 5.

Cicero.

Curtius.

Vide Plutarch. in vitâ Numæ, & Lactant. l. 1. cap. 22. & Aug. l. 4. de Civit. c. 16.

P Mæcenas apud Dionem Cassium lib. 52. Hist.

Q August. lib. 4. de Civit. c. 32.

„ arctiùs alligantes, quo ſimiliter ſubditos poſſiderent". Cupiditas igitur poſſidendi ſubditos civili ſocietate alligatos impulit homines dominationis avidos ſimulare ſaltem Religionem exteriùs, quantumvis deeſſet interiùs. Viderunt enim, rationis & experientiæ ductu, veriſſimum eſſe illud Lactantij:

R. Lactant. l. de Irâ Dei cap. 12.

R. Timor Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem, per quam vita „ ipſa ſuſtinetur, munitur, gubernatur". Viderunt, inquam, iſtud etiam ipſi athei: & ideò dicebant apud eundem ſuperiùs cap. 8.

Athei.

Prodeſt id credere, non veritatis gratiâ, ſed utilitatis; quoniam leges conſcientiam punire non poſſunt, niſi aliquis deſuper terror impendeat ad cohibenda peccata. Falſa eſt igitur omnis Religio, & divinitas nulla eſt; ſed à viris prudentibus univerſa conficta ſunt, quo rectiùs innocentiùſque vivatur. Paucos omninò extitiſſe hujus improbæ eluſionis aſſertores, & planè ignobiles comparatione reliquorum qui inter ipſos ethnicos Religionem aſtruxerint, non fictè propter utilitatem, ſed ex animo propter veritatem, perhibet idem author ibidem inferiùs cap. 10. "Exceptis duobus, „ inquiens, tribuſve calumniatoribus vanis; „ cùm conſtet divinâ providentiâ Mundum „ regi, ſicut & factus eſt; nec ſit quiſquam, „ qui Diagoræ Theodorique ſententiam, vel „ Leucippi inane commentum, vel Demo„ criti Epicurique levitatem præferre audeat „ authoritati vel illorum *ſeptem* priorum qui „ ſunt appellati *Sapientes*, vel Pythagoræ, vel „ Socratis, vel Platonis, cæterorumque ſum„ morum Philoſophorum, qui eſſe providen„ tiam judicaverunt: falſa eſt illa ſententia, „ quâ putant, terroris ac metûs gratiâ Reli„ gionem à ſapientibus inſtitutam, quò ſe „ homines imperiti à peccatis abſtinerent: „ quod ſi verum ſit, deriſi ergo ab antiquis „ ſapientibus ſumus. Quòd ſi fallendi noſtri, „ atque adeò totius generis humani causâ, „ commenti ſunt Religionem; ſapientes igi„ tur non fuerunt, quia in ſapientem non „ cadit mendacium. Sed fuerint ſapientes: „ quæ tanta felicitas mentiendi, ut non tan„ tummodò indoctos, ſed Platonem quoque „ ac Socratem fallerent; & Pythagoram, „ Zenonem, Ariſtotelem, maximarum ſecta„ rum Principes, tam facilè deluderent"?

Varro.

Prædictam porrò impietatem, à Lactantio priùs relatam ac poſteà diſploſam, Varroni adſcribit Auguſtinus lib. 4. de Civit. cap. 32. mox citato: eandemque Euripidi attribuit Plutarchus, cùm eum ſub alieno nomine loquentem refert in hunc modum:

S. Euripides apud Plutarch. lib. 1. de Placitis Philoſoph. cap. 7. Vide Euſeb. lib. 4. Præp. Evang. c. 6.

S. *Fuit tempus, cùm ſoluta erat mortalium vita; & belluina, violentiaq; adminiſtra. Poſteà exlex vita induſtriâ antiquata eſt legibus. Poſt ubi manifeſtaria arcere delicta lex poterat, clàm verò delinquebant multi, tum quidam vir peritus mendaci oratione adorſus eſt veritatem reſtringere, & ſuadere mortalibus Deum eſſe, inſeneſcibili vitâ perennantem, qui hæc & audit, & videt, menteq; præpollet.*

Critias.

Eandem impietatem ſub iiſdem penè verbis tradidit Critias apud Sextum Empyricum in Opere adverſus Mathematicos, in Examine ſcientiæ Phyſicæ cap. 2. Ac demùm, ut alios hìc præteream, Plinius ad eandem impietatem quamproximè accedit, dum lib. 1. naturalis Hiſtoriæ cap. 7. in dubium revocat num Deus aliquis ſit; & tamen ibidem inferiùs ſubdit:

Plinius.

Deos agere curam rerum humanarum credi, ex uſu vitæ eſt. Tanquam diceret, Etiamſi nullus forſan ſit Deus, utiliter tamen pro continendis in officio hominibus creditur eſſe aliquis, qui rerum humanarum curam gerat. Quapropter rectiſſimè in ipſum exclamat Ludovicus Vives:

T. Lud. Vives l. 1. de Verit. fidei cap. 3.

T. "O proditorem generis hu„ mani! Nam ſi id ſecretum tanti noſtrâ refert „ ignorari, tu qui profers an non prodis nos, „ & vinculum illud diſſolvis quo ſocietates cœtuſque hominum continentur"? Ex quo planum eſt, omnes ejuſmodi impios calumniatores non modò in Deum eſſe injurios, ſed & hominibus extremè pernicioſos; quibus per impudentiſſimum mendacium nituntur excutere frænum timoris Dei, quo à peccatis cohibentur; & diſſolvere vinculum ſacratiſſimum, quo humanæ ſocietates inter ſe conſtringuntur, conſtrictæque conſervantur. Sed quia de atheiſmi invectione ſuperiùs cap. 88. & 89. diſſeruimus, & rursùs ſequenti libro diſſerturi ſumus, hìc plura dicere ſuperſedebimus: admonentes interim Reges ac Principes, ut ſi Salomonicæ increpationi, ac pœnis eam ſubſequentibus, ſubjacere nolint; non ſolùm à ſuo conſpectu & auditu repellant, ſed & de vitâ tollant eos, qui quoquo modo exiſtentiam aut providentiam Numinis inficiari, vel in dubium revocare pertentant.

Vide ſuprà cap. 88. & 89.

Lactant. ſuprà hìc.

Nam ut ex Lactantio mox retulimus, *Timor Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem, per quam vita ipſa ſuſtinetur, munitur, gubernatur.* Cæterùm quod de perſonis dico, etiam de eorum ſcriptis eandem impietatem continentibus, aut quomodolibet ingerentibus vel ſuggerentibus, intelligi volo. Cui admonitioni quicunque obtemperare renuerint aut neglexerint, videant quid reſponſuri ſint myſtico Salomoni, eis aliquando exprobraturo illud ſui prodromi: *Non ſecundùm voluntatem Dei ambulaſtis.*

Eq. 6. 9.

CAPUT

CAPUT CXXXVIII.

Pro appendice subnectitur proximis Capitibus compendiaria instructio de ijs qui nunc vulgò Politici *nuncupantur. Prudentiæ tripartita divisio, in Monasticam, Oeconomicam, & Politicam; cum singularum specierum consideratione.* Politica, *sumpta pro humanæ politiæ peritiâ, non modo ars est & scientia, sed ars artium & scientia scientiarum; adeoq́; res bona & honorabilis. In ijs proinde qui per opprobrium* Politici *agnominantur non culpatur regendi gnaritas, sed abutendi perversitas. Quemadmodùm Christi cultores dicuntur* Christiani, *ita qui Religionem faciunt humanæ politiæ pedissequam dici possunt* Politiani: *quorum variæ affectiones memorantur ex Coreto. Quinque eorundem obtendicula singulatim ex Lensæo recensentur, & disijciuntur. Digna Principe vox est, se legibus subditum esse profiteri. Politici sub larvâ Christianismi fovent atheismum. Ruardi Tapperi Dissertatio adversùs quendam politicum, Regno subijcientem Sacerdotium. Marsilij de Paduâ error. Ex eo quod Rex sit caput sui Regni, non est consequens, eundem esse caput Ecclesiæ ibidem sitæ. Ecclesiæ per totum orbem diffusæ unicum est supremum in terris caput, sub Christo. Veterum Patrum pro primatu Petri, ejusq́; in Romanâ Cathedrâ Successorum, suffragia. Habere non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Ecclesia domus Dei, extra quam quisquis agnum comederit, profanus est, alienus est, hostis est. Cum Romano Præsule quicunque non colligit, spargit; nec cum Christo, sed contra Christum, adeoque sub Antichristo est. Sacerdotij Evangelici præ Iudaico dignitas, potestas, sublimitas. Nulla ovis Christi exempta est à pedo Petri. Longè sublimior est dignitas Pontificalis potestate Regali, quàm fulgor auri squalore plumbi. Potestas spiritalis transcendit temporalem, ut spiritus carnem, cælum terram.*

DXVIII. ANtequam hinc abeam, & supplicia dyscolis Regibus pro culpis à Salomone exprobratis destinata expendere aggrediar, lubet per modum appendicis præcedentibus subnectere compendiariam instructionem, à Joanne Lensæo Theologo Lovaniensi ante annos ab hinc septuáginta editam, & libris ejusdem authoris *De libertate Christianâ* inscriptis subjunctam, sub titulo, *De his qui* POLITICI *vulgò dicuntur.* Ubi notanter ait, *vulgò*: quia *Politici* nomen ex primævâ vocis institutione & usurpatione nihil reprehensione dignum importat, sed nudè ac simpliciter virum politiæ peritum denotat, hoc est, virum civilis administrationis conversationisve gnarum. Et quia hæc peritia pars est prudentiæ, & quidem potissima; nemini dubium esse potest, quin & bona sit & laudabilis, imò societati humanæ instituendæ ac fovendæ summoperè necessaria: [v] Ad prudentiam, inquit D. Thomas, pertinent regere, & præcipere: & ideò ubi invenitur specialis ratio regiminis & præcepti in humanis actibus, ibi etiam invenitur specialis ratio prudentiæ. Manifestum est autem, quòd in eo qui non solùm seipsum habet regere, sed etiam communitatem perfectam civitatis vel regni, invenitur specialis & perfecta ratio regiminis: tanto enim regimen perfectius est, quanto universalius est, ad plura se extendens, & ulterius finem attingens. Et ideò Regi, ad quem pertinet regere Civitatem vel regnum, prudentia competit, secundùm specialem & perfectissimam sui rationem: & propter hoc

v. D. Thom. 2. 2. q. 50. a. 1. in corp.

Regna-

Regnativa ponitur species prudentiæ". Quæ ut planiùs perspiciantur, observandum est ex Hugone Victorino in suis Didascalicis, humanam disciplinam communiter dividi in theoricam, & practicam: W. Practica verò, „ ait ipse, dividitur in solitariam, privatam, „ & publicam: vel aliter, in Ethicam, Oeco- „ nomicam, & Politicam; vel aliter in Mo- „ ralem, Dispensativam, & Civilem. Una „ est Solitaria, Ethica, & Moralis: una rur- „ sùs Privata, Oeconomica, & Dispensativa: „ una denique Publica, Politica, atque Ci- „ vilis. *Oeconomus* interpretatur Dispensator: „ inde *Oeconomus* dicta est Dispensativa. *Polis* „ Græcè, Latinè Civitas dicitur: inde *Poli-* „ *tica* dicta est, id est, civilis. Quando *Ethi-* „ *cam* partem constituimus Practicæ, strictè „ accipienda est *Ethica*, in moribus scilicet „ uniuscujusque personæ, & est eadem quæ „ solitaria: quâ nimirum sui curam quis ge- „ rit, cunctis sese erigit, exornat, augetque „ virtutibus, nihil in vitâ admittens, quo „ non gaudeat, nihilque faciens pœnitendum. „ Privata est, quæ rei familiaris officium me- „ diocri componens dispositione distribuit. „ Publica est, quæ Reipublicæ curam susci- „ piens, cunctorum saluti solertiâ suæ pru- „ dentiæ, & justitiæ librâ, & fortitudinis sta- „ bilitate, & temperantiæ patientiâ medetur. „ Solitaria igitur convenit singularibus, Pri- „ vata patribus familias, Politica rectoribus „ urbium. *Practica* dicitur *Actualis*, eò quòd res „ propositas operationibus suis explicet: *Mo-* „ *ralis* dicitur, per quam mos vivendi honestus „ expetitur & acquiritur, & instituta ad vir- „ tutem tendentia præparantur: *Dispensativa* „ dicitur, quâ domesticarum rerum ordo sa- „ pienter disponitur: *Civilis* denique dicitur, „ per quam totius civitatis utilitas admini- „ stratur". Harum trium specierum differentiam, & quidem specificam colligit D. Thomas ex diversitate finium ad quos directè ordinantur: X. Necesse est, inquiens, quòd „ ex relatione ad diversos fines diversificen- „ tur species habituum. Diversi autem sunt „ fines, bonum proprium unius, & bonum „ familiæ, & bonum civitatis & regni. Unde „ necesse est, quòd prudentiæ differant specie, „ secundùm differentiam horum finium: ut „ scilicet una sit prudentia simpliciter dicta, „ quæ ordinatur ad bonum proprium; alia „ autem œconomica, quæ ordinatur ad bo- „ num commune domûs vel familiæ; & ter- „ tia politica, quæ ordinatur ad bonum commune civitatis vel regni". Easdem tres species ibidem superiùs in argumento, *Sed contra*, recensuerat sub iisdem nominibus inverso ordine, salvo quòd primam speciem, quam hic vocat *Prudentiam* simpliciter, illic tertio loco positam vocaverit *Monasticam*, quæ est ea

W. Hugo Victor. lib. 3. Didasc. cap. 20.

X. D. Thom. 2. 2 q. 47. art. 11. in corp.

ipsa quam Hugo Victorinus mox relatus appellavit *Solitariam*, mutato in Latinum Græco vocabulo. Verba D. Thomæ ibi sunt: " Diversæ scientiæ sunt, *Politica*, quæ ordi- „ natur ad bonum commune civitatis; & „ *Oeconomica*, quæ de his est quæ pertinent ad „ bonum cummune domûs vel familiæ; & *Mo-* „ *nastica*, quæ est de his quæ pertinent ad bonum unius personæ". Ecce quas suprà nuncupaverat *Prudentias*, hìc appellat *Scientias*. Quâ appellatione bonitatem earum haud obscurè indicat, dicente Philosopho: Y. Om- „ nem scientiam rem esse bonam arbitramur „ ac honorabilem; & aliam aliâ magis ex eo „ talem esse putamus, quòd vel exactior sit, „ vel earum sit rerum quæ magis præstabiles, magisque sunt admirabiles". Ex quo ulteriùs colligere licet Politicam inter scientias multùm eminere, quandoquidem versetur circa regimen humanæ societatis, quod uti arduum ac difficile est, ita summè præstabile ac laudabile: Y. Profectò, inquit Nazianze- „ nus, ars quædam artium, & scientia scien- „ tiarum, mihi esse videtur, hominem rege- „ re, animal omnium maximè varium ac multiplex". Non est igitur Politica qualiscunque ars, vel scientia; sed *ars artium*; & *scientia scientiarum*: idque tum propter præstantiam, tum propter arduitatem suæ functionis. Quam arduitatem luculenter ostendit idem author ibidem inferiùs, & post eum Isidorus Pelusiota lib. 4. Epist. 145. & 219. Quæ cùm ita sint, consequenter apparet *Politicos* non reprehendi ob vitium scientiæ; sed personarum, bonâ scientiâ abutentium. Accidit ergo eis quod *Sophistis*, quod item *Mathematicis*; quorum in bonâ scientiâ abusus, fecit eorum nomen odiosum. Unde conqueritur Petrus Gregorius, præstantissimum nomen usu nune appropriari personis dyscolis & vulgò odiosis: A. Nune, inquiens, sunt quidam, qui „ *Politicos* vocent Catholicos Christianos, quòd „ studeant potiùs civili gubernationi, quàm „ Religioni: in opprobrium objicientes hoc „ nomen, quo tamen nullum præstantius „ in Republicâ esse possit. Verùm qui putant „ præponi administrationem publicam curæ „ Religionis, hoc nomen dicunt esse exosum: „ quorum tamen quidam non intelligunt, „ quid sit esse *Politicum*. Qui verò intelligunt, „ arbitrantur, ordine turbato à quibusdam „ factum, ut Religio sequatur politiam, cùm „ politia Religionem sequi debeat, & Reli- „ gionis causâ præcedere. Accidit in *Tyranni* „ nomine ferè idem: quia antiquitùs *Tyrannus* erat dictus Rex legitimus". Enimverò sive rectè sive perperàm factum sit, constat *Politicorum* nomen in malam partem hodie plerunque usurpari, etiam ab eruditis; & varias eorum dispositiones assignari, quanquam in hoc generali

Y. Aristot. l. 1. de Anima cap. 1.

Z. Gregor. Nazianz. orat. 1.

Pelusiota.

A. Petrus Greg. lib. 6. de Republ. cap. 18. 4. & 7.

generali omnes conveniant, quòd divinam Religionem faciant humanæ politiæ pedissequam. Quâ de re Coretus in Antipoliticos

B. Petr. Coretus in Antipolitico cap. 8.

B. "Politicorum Secta, inquit, non pridem ex abyssi puteo caput protulit in lucem; contendens pietatem politiæ civilis esse pedissequam, & hanc studio Religionis esse potiorem: ac proinde, ut tranquillus rerum humanarum ordo servetur, hæresum colluviem cum fide Catholicâ retinendam. Quæ cùm sit politicis omnibus communis impietas, non æquè tamen omnes suis vinculis tenet obstrictos. In his enim infimum tenent gradum, qui nullâ aliàs hæresi polluti, ad fortunas suas tantùm attenti, ad gratiam adversariorum sibi aditum muniunt, & velut amicos parant; ut si Catholicos ab hæreticis opprimi; &, Deo ita providente, adversùs veritatem successu potiri mendacium contingat, in eorum tabernacula recipiantur. Hi à Christo *temporales* dicuntur, quòd imminente tentationis æstu, à piorum consortio recedant. Alij, neque Catholici sunt, neque planè hæretici; sed mediam quandam inter utrosque conditionem tenent, nec frigidi nec calidi; at tepidi, seu veriùs neutrales: & nunc ante Baal, nunc ante Deum Israël poplitem flectunt: semperque fluctuant, omni doctrinæ vento impulsi: ut meritò animalibus in utroque elemento degentibus similes dixeris, quæ *amphibia* nominantur; & monstris alterâ corporis parte humanam formam præferentibus, alterâ belluinam. His non paulò sceleratiores sunt habendi, qui per imperitiam, ejusque comitem temeritatem, suillo quodam affectu, veritatis doctrinam conculcant, & sub ovium pelle lupos celant, intraque Ecclesiæ gremium se continent, intus alentes hæresim, foris Catholicam profitentes; ac suis artibus, consilijs, insidijs, majorem quàm omnis vis armorum adferunt Reipublicæ Christianæ perniciem: præsertim cùm à corypheis suis, ut auspicatiùs suam promoveant factionem, eis permittatur simulatio Religionis, quam morte pejus oderunt. Sunt postremò, qui nec certam opinionem, nec divinæ doctrinæ vel probam ullam vel vitiosam formam impressionemve secum ferentes, omnes Religiones peræquè fastidiunt & aversantur, fidemque nostram ut incertam, sanique nihil habentem, irrident & aspernantur: ac cum Luciano Christianismi subsannatore, inverecundè impietatem evomunt; omnes, quos Religionis causa seriò afficit, pro insanis & fatuis habent, ac *de lana caprina* inter se contendere opinantur: neque se à premente servitute libertatem consecuturos credunt, nisi è mentibus omni opinione divinitatis excussâ, & luce veritatis extinctâ, omni jam mali sui dolore & pietatis sensu vacent. Cæterùm quanquam multo opinionum discrimine *Politici* separentur; in commune tamen ab omnibus conspiratur, ut specioso pacis ac tranquillitatis obtentu pugnantes fidei professiones tolerandas existiment, & in deforme Religionis corpus cogendam omnem doctrinam, quæ Christi nomen sonet dæmonicolæ Civitati non absimiles, ubi nulla Secta sic approbatur, ut improbarentur cæteræ; quæ diversa & adversa sentirent; quæque magnam sibi assumpsisse videbatur Religionem, quia nullam respuebat falsitatem". Hæc ille de hujus ævi *Politicis*, eorumque multiplici varietate, sub unâ tamen velut genericâ communione ac conspiratione. Quòd si fortè cuipiam displiceat appropriari talibus honorabile illud nomen; per me licet ut pro *Politicis* discretionis causâ, appellentur *Politiani*: ut quemadmodùm nos qui Christum pro Deo nostro colimus, dicimur *Christiani*; ita ipsi pro eo quòd humanam politiam pro idolo venerantur, appellentur *Politiani*.

Mat. 13. 21.

DXIX. His ita præmissis audiamus Lensæum, qui rogatus à quopiam quid de hujus ævi Politicis sentiret, respondit in hunc qui sequitur modum: C. "Nuper me quidam literis admonuit suis, de his qui passim nominantur *Politici*, ut eos brevi quâpiam appendice notiores illis redderem, qui necdum aliud quàm ipsum *Politicorum* nomen audierunt. Quod etsi paulò seriùs, quàm voluissem, eò tamen lubentiùs feci, quia ab instituto superiorum librorum (*De libertate Christiana*) nihil esse videbam alienum. Nec verò multis erit opus, cùm, eorum patefactâ sententiâ, mox quivis intellecturus sit, dignam non esse quæ longiore disputatione refellatur. Sentiunt ergo primo ij loco, politiæ civilis primam habendam esse rationem; regnique hujus terreni curam, studio Religionis debere esse potiorem. Quod cùm dicunt, eodem tempore humana divinis, terrena cælestibus, æternis temporaria, sacris profana profanissimè dubio procul anteponunt: regnum Christi regno terreno, Ecclesiam sæculo, Christum mortali Principi subjiciunt; Reginam ac Principem rerum omnium pietatem, reddunt politiæ civilis fœdâ servitute pedissequam. Denique nomine Christiano se ostendunt indignos, quibus tam vile sit quod eo nomine profitentur. Respondent interim, divina quidem sese præstantiora ducere, sed eorum curam & tutelam relinquere Deo: *Viderit*, inquiunt, *Deus, ut suum cultum, & sacra sua tueatur; non illi defutura facultas est ad eam Religionem, quam maximè voluerit, conservandam: nobis autem, ut hominibus, incumbit hoc potissimùm, ut rerum humanarum tranquillus ordo servetur*. At nec sic effugiunt, quin se profanos esse demonstrent. Agunt enim perinde, atque si ad ipsos nihil illa divina & sacra

C. Ioannes Lensæus in compendiaria instructione de ijs qui vulgo *Politici* vocantur.

Politicorū Obiendiculum 1.

Dissolvitur.

„pertineant; nec eorum intersit quæ fides, quæ „doctrina, quæ Sacramenta, qui ritus Deum „colendi, quæ morum vitæque ratio ab hominibus teneatur. Quæ si ita divina & sacra „sunt, ut tamen ad hominum salutem magnoperè pertineant; nonne, ut ea præstantiora „ducunt, ita etiam consentaneum est, ab ipsis „potiore curâ conservari? Quid magis præposterum, quàm ut earum rerum minor habeatur ratio, quæ ut præstantiores, ita sunt „etiam magis necessariæ? Quid intolerabilius, minusque politicum, quàm ut ancillari, „& cum suo sæpè detrimento gravibusque injurijs cedere jubeantur, quæ in Republicâ „maximè Christianâ præire ac prælucere decuerat? Quid autem adversùs Deum ipsum „ingratius, si, cùm varia munera & subsidia „hominibus sit largitus, alia ad terrenam, alia „ad spiritalem vitam transigendam spectantia, „hæc, quæ sunt præcipua, non curent, ob quæ „illi maxima gratiarum actio debeatur? Itaque se isti tantorum Dei munerum hoc ipso „profitentur exortes, quòd ea sibi dicant curæ esse non debere, quibus vel maximè indigeant; nisi fortè propositum sit, pecorum „more vivere, neque quidquam post hanc „mortalem vitam aut sperare melius, aut timere funestius; quanquam nec humana ipsa „tuebuntur, divinis posthabitis: contemptus „enim à suis & in suis Deus, minora quoque „illa, quæ prima putantur, eripiet; nec poterunt humanæ res diu esse stabiles, quæ non „fulcimento divinarum firmabuntur: *Nemo*, „ait Gregorius Mauricium Imperatorem admonens, *rectè poterit terrena regere, nisi noverit* „*divina tractare, pacemq; Reipublicæ ex universali* „*Ecclesiæ pace pendere*. Et Servator: *Quærite*, inquit, *primùm regnum Dei, & iustitiam eius, &* „*cætera adijcientur vobis*. Mirum sanè si quod „queri primâ curâ velit, non etiam jubeat præcipuâ vigilantiâ conservari, omni ope & conatu defendi; & si qua ex parte violatum sit, „omni industriâ & zelo pietatis instaurari. Plura de hoc capite reperies in eo libro, quem „aliquando scripsimus *De unica Religione*. Adjunt secundo loco: *Quoniam rerum humanarum* „*tranquillitas, & pacifica in Republica cohabitatio* „*requirat, ut in sua quisque fide & doctrina professione illæsus & inviolatus relinquatur; ideirco diversas, atque etiam adversas Religiones permitti* „*& tolerari in regno oportere, propterea quòd vas* „*impediendi atque exturbandi conatus Rempublicam dilaceret, bellaq; civilia excitet interminabilia*. Quibus respondetur, primò nihil tale fuisse „metuendum ex repressione tanti contagij, si „servatum esset illud, quod minoribus in periculis non putatur negligendum, *Principijs obsta*. Secundò, cùm jam vel per conniventiam „invaluerint, vel per socordiam eorũ qui præsunt, sese corroboraverint doctrinæ sanioris „inimici; si belli metu non erit eis obsisten„dum, tunc neque bello reprimendi erunt vel „regni insidiatores, vel seditiosi cives, vel latrones aperti, posteaquam justitiæ prætermissione sic creverint, ut nisi publicis armis coërceri non possint. Quòd si vel hinc perspicitur, „satius esse interdum apertum bellum suscipi, „quàm occultos Reipublicæ hostes, aut sceleratas conspirationes sustineri; non est quòd „prætexatur belli metus, & fictitia, nescio „quæ, necessitas; ad hæreses varias in ipso „Reipublicæ sinu tolerandas ac fovendas: nisi „fortè justior causa videbitur pro regno, quàm „pro Ecclesia; & prò Rege, quàm pro Christo; „& pro mœnibus, quàm pro hominum animabus; denique pro focis, quàm pro aris, pugnandi. Quod si sentiunt, si ijdem se Christianos haberi volunt; considerent quàm ipsis „turpe sit, Judæorum virtute superari; qui, „Machabæis Ducibus, ita pro sanctis suis legibus, proque templo illo materiali & umbratico, bellis maximis depugnarunt; ut expressè hoc divinis litteris commendatum sit, „*Minorem ipsis pro uxoribus & liberis fuisse sollicitudinem*. Postremò, ut nemo Catholicus „Princeps Catholicæ veritatis inimicos persequatur; si tamen, quod plerunque fit numero „crescente, ita sunt quietis impatientes, imò „dominandi sic avidi, ut vel defensione opus, „vel metuenda sit oppressio; nonne tunc saltem isti Politici, si Catholici, aut certè viri „haberi volunt, arma corripient? Nonne tunc „saltem, si non aras, at focos suos, & urbium „mœnia tuebuntur? Permissâ etenim semel „istiusmodi libertate, bella vitari vix potetunt; sive erunt inferenda, sive propulsanda: „meliusque est cum pietate bellum, quàm in „scelere & impietate concordia. Sed volunt „isti cum omnibus pacem habere, Deo uno „excepto, cujus pro nihilo putant injurias: „volunt Reipublicæ tranquillitatem, nec ejus „timent exitialem depravationem. Atqui ij „qui de rebus scripsêre politicis, tolli de medio civitatum voluerunt quascunque obscœnitatum species, aut corruptelas, occasionesque vitiorum; ut prostibula, popinas, cantiones turpes, obscœna scripta, theatra impudica, picturas inhonestas, aliaque ejusmodi, „quæ etiam Plato è Republicâ suâ ejiciebat. „An minor est concionum hæreticarum pernicies, quàm lascivientium picturarum? Aut „tolerabilius est linguæ penicillo mortiferis „erroribus infuscari hominum animos, quàm „varijs venereis turpibusque figuris ligneas nitère tabellas? Dicam in istos, quod Augustinus dixit in similes: *Perversa & adversa corda mortalium fœlices res humanas putant, cùm tectorum splendor attenditur, & labes non attenditur animorum; cùm theatrorum moles extruuntur,* „*& effodiuntur fundamenta virtutum*. Hoc quidem per hæreses certissimè fieri ignorat nemo,

Vide Greg. l. 4. Registri Epist. 32.

Mat. 6. 33.

Obtenduculum 2.

Dissjcitur.

2. Mach. 15. 18.

Vide Aug. Epist. 1.

„nemo, qui earum perniciem nôrit: illis enim Christiana subvertitur fides, verarum virtutum justitiæque totius fundamentum.

Obtendiculum 3.

Disjicitur.

DXX. Addunt tertiò, *Penès Republicæ Principem esse summam potestatem non rerum modò Civilium, verùmetiam Ecclesiasticarum.* Id quod recto tramite ex prioribus principijs profluebat: si enim prima politiæ civilis habenda est ratio, & si ei debet Religio subservire, non è diverso illa Religioni obsequi; sequitur, eum qui ordine politico primus est, etiam in causis negotijsque Ecclesiæ primum esse oportere. Quod cùm ex illo derivetur tantæ impietatis fonte, quo divina subjiciuntur humanis, & Deus homini famulari cogitur, quis non protinùs sacrilegæ dementiæ judicet esse plenissimum? Et argutantur tamen, *Ubi intra regnum quodpiam Ecclesia sit, eidem Ecclesiam subjectam esse debere cui subditum sit regnum.* Nec attendunt, isto modo se etiam Neroni, & Turcarum tyranno Ecclesiam subjicere: quoniam ut illius quondam, ita & hujus nunc regnum, non exiguâ ex parte, Ecclesiæ Dei obtineat rationem. Satis autem est, ut quamvis in easdem personas coincidant regnum & Ecclesia, tamen proprijs differant rationibus, causis, legibus, finibus: quas ob res, proprijs etiam utrumque Præfectis debeat gubernari. Idcircò & omnium Dominus alios regnis, alios Ecclesijs præposuit; alioque hos, alio item illos genere potestatis instruxit: illis materialem tradidit gladium, illis claves regni cælorum; illis potestatem corpora feriendi, istis animas ligandi solvendique potestatem; illos Constantini aut Caroli Magni, istos Petri & Apostolorum voluit esse successores.

Obtendiculum 4.

Disjicitur.

Addunt quartò, *Regem, seu Republicæ secularis Principem, excommunicari Ecclesiasticâ potestate non posse.* Neque verò id jam ab illis dici mirandum est, eo constituto quod antè posuerunt. Quis enim in regno judicium sibi in illum usurpet, qui non in temporalibus modò, verùmetiam in spiritualibus rebus causisque sit caput? At hoc profectò non recepisset Mediolanensis Ambrosius, qui nec Theodosio pepercit præcipiti iracundiâ sævienti, eumque Judicij Ecclesiastici severitatem subire coegit; quam etiam ille, quamvis tantus Imperator, & fideliter agnovit, & obedienter humiliterque subivit.

Obtendiculum 5.

Disjicitur.

Addunt quintò, *Non teneri Principem ea Sacerdoti patefacere per exomologesim, quæ regni administrationem causasque concernant.* Quod quidem vel eò putare debent fieri non oportere, quia peccare non possunt Reges in eo genere rerum; vel quia Regiæ Majestati debeant præcepta divina cedere, & propter homuncionem unum cælestis institutio relaxari. Quorum utrumque non ferendæ impietatis, & pestiferæ adulationis plenissimum esse, nemo vel mediocriter institutus non perspicit. Atque hæc ferè sunt præcipua doctrinæ capita, quibus pollutos accepimus hujus ætatis *Politicos*: quæ quoniam & per se absurda, & libris superioribus (*De libertate Christiana*) prout se occasiones dabant, copiosè satis sunt improbata, hoc loco satis indicasse sufficerit. Satis quoque fuerit nosse, quònam ista larvatorum Christianorum, quos veriùs *atheos* existimes, sacrilega tandem prosiliat audacia: namque alia complura minora sunt, nec fidei sic doctrinam attingunt; magis eò spectant, ut perniciosis assentationibus Principes in tyrannidem degenerent; velut *Omnium subditorum bona seu fortunas esse regum.* Quòd certè neque *Achab* Rex Israël, quantumvis scelestus, persuasum habuit: neque *Nabot* vir probus agnovit; neque Deus approbavit.

Vide Blacuodæum in Apologia pro Regibus cap. 26.

Item illud, *A legibus quibuscunque humanis solutos ac liberos esse Reges, ut quæ libuerit, pro arbitratu faciant.* Quibus illud Claudiani magis occinendum fuit: *In commune jubes si quid, censesque tenendum, Primus jussa subi: tunc observantior æqui Fit populus, nec ferre negat, cùm viderit ipsum Authorem parêre sibi. Componitur orbis Regis ad exemplum: nec sic inflectère sensus Humanos Edicta valent, quàm vita regentis. Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.*

Vide Claudian. Consulatu 4. Honorij.

Unde & Ambrosius: *Leges fert Imperator*, inquit, *quas primus ipse custodiat.* Inde & illud tritum *Patere legem quam ipse tuleris.* Laudatus est hoc nomine Lycurgus quòd nihil lege ullâ in alios sanxerit, cujus non ipse primus in se documenta daret.

Vide Ambr. lib 2. Epist. 13. alias l. 5. Epist. 32. Vide cap. cum omnes, ix. de Constitut.

Theodosius quidem, *Dignam Principe vocem esse* dixit, *se legibus subditum esse profiteri.* Et Trajanus, cùm nudum ensem Tribuno militum porrigeret, *Etiam in se uti ipsum eo voluit, si perperàm imperaret.*

Vide l. Digna vox, Codice de Legibus.

Vide suprà hic §. 496.

Denique ad politiam, quæ legibus continetur, dissolvendam, plurimùm valent eorum exempla qui regunt: facilè ut ex his omnibus appareat, quàm sint non modò tenuiter Christiani, verùmetiam malè politici, qui sese hoc sæculo tales esse atque haberi gloriantur; bonosque viros, si zelo pietatis aut justitiæ se interdum commoverint, accusant ut non politicos".

DXXI. Decreveram terminare caput istud verbis Leusæi hactenùs recitatis, quibus & mores Politicorum perstringuntur, & placita recensentur, & obtendicula disjiciuntur, & ipsorum cum atheis symbolismus astruitur. Sed cùm incidissem in quandam Orationem Theologicam Ruardi Tapperi, Doctoris item Lovaniensis Leusæo antiquioris, in qua non pauca eòdem spectantia disseruntur, non abs re facturum me putavi, si unum inde fragmentum decerperem, & hìc Lectori legendum exhibe-

exhiberem. Loquens ergò ille ibi de sui ævi
D. Ruardus Tapperus Orat. 7 Theologica.
Pseudopoliticis : D. Principibus pollicentur,
,, inquit, quòd soli Christo subjecti sint, nulli
,, Sacerdoti, nulli Episcopo; quin potiùs quòd
,, eis concessum sit ex Jure divino, sacerdoti-
,, bus & Episcopis, imò & Romano Pontifici
,, Christi Vicario, quotquot in eorum Regnis
,, habitant, imperare, instituere quemque in
,, suo officio, corrigere, & destituere, hoc est,
,, quòd nihilo minùs Episcopis, quàm laicis
,, præsideant; nec minùs in sacris quàm pro-
,, fanis: & hanc potestatem, cùm sit Juris di-
,, vini, esse inabdicabilem; ut nulla sit ipso
,, jure exemptio, si imperitiâ suâ Princeps ali-
,, quem eximi velit. Nullam quoque docent
,, jurisdictionem competere Episcopis, nec in
,, clericos quidem; sed omnia subjecta esse Re-
,, gis imperio, & correctioni; ipsum esse in suo
,, regno summum caput, ut dixi, in sacris &
,, profanis, solum Christum supra se agnoscens.
,, Nec solùm Regibus Sacerdotes subjiciunt,
,, sed & cujusvis Civitatis Magistratui; cujus
,, officium putant esse, quòd de sacris disponat
,, & constituat sub Principe. Anne hujusmodi
,, docere, sit adulari populo, & Magistratibus:
,, & juxta Ezechiëlem, *Consuere pulvillos sub*
Ezech. 13. 18.
,, *cubito manus, ac sub omni capite*, ut molliter
,, quiescat populus cum Principe in fecibus
,, suis? In quæ tempora, ô bone Deus, veni-
,, mus? In quibus nullum dogma tam absur-
,, dum est, quod non suum buccinatorem &
,, doctorem inveniat; quinimò contra sponsam
,, tuam sanctam Ecclesiam pertinaciter pu-
,, gnant, quos dedisti ei protectores, pastores,
,, & vigiles, qui eam prostituant, omnemque
,, ejus ornatum & decorem, tanquam hostes,
,, quales reverà sunt, eximunt & spoliant, &
,, hierarchiam funditùs tollunt amici ejus &
,, custodes, qui de mensa ejus lautissimè alun-
,, tur. In hanc autem cæcitatem & impieta-
,, tem potuisse venire Episcopum aliquem, qui
,, sibi videatur esse Catholicus, nemo mihi
,, persuasisset, nisi superioribus diebus inci-
,, dissem in Orationem quandam, semel atque
,, iterùm impressam, sub titulo *De vera obe-*
,, *dientia*, nomine cujusdam Episcopi: qui ta-
,, men posteà, divino illustratus auxilio, pali-
,, nodiam sui erroris cecinit: in qua omnem
,, hanc impietatem rationibus & Scripturis
,, demonstrare conatur, contra receptissimam
,, Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, à tempori-
,, bus Apostolorum semper observatam, &
,, frequentissimis concilijs universalibus, &
,, apertissimis Scripturis Euangelicis firma-
,, tam. Quam & nobilissimus ille Christi Mar-
,, tyr, & auditor Apostolorum, Sanctus Ig-
,, natius Epist. ad Philadelphienses tradit:
Ignatius Martyr.
,, *Principes, inquit, subditi estote Cæsari, miles*
,, *Principibus, Diaconi Presbyteris, Presbyteri verò,*
,, *atque Diaconi, & omnis clerus simul cum populo*
,, *& militibus atque Principibus, sed & Cæsare,*
,, *obediant Episcopo; Episcopus verò Christo, sicut*
,, *Patri Christus: & ita unitas per omnia servetur.*
,, Hanc doctrinam Apostolicam semper secuta
,, est Ecclesia, & quotquot habuit Catholicos
,, Doctores: & tanquam hæretici & schisma-
,, tici damnati sunt semper, quotquot spiritu
,, vertiginis agitati, aliter in gratiam Princi-
,, pum dicere tentaverunt: ut tempore Joan-
,, nis XXII. *Marsilius de Padua*, in Apologia
,, pro Ludovico Bavaro Imperatore, quem
,, Pontifex Romanus excommunicaverat. Et
,, quid, precor, ad apertas Scripturas Euange-
,, licas respondet? Cogor hìc exclamare post
,, Prophetam Hieremiam, & fortassis justiori
,, ratione: *Stupor & mirabilia facta sunt in ter-* Hier. 5. 30. & 31.
,, *ra; Prophetæ prophetabant mendacium, & Sa-*
,, *cerdotes applaudebant manibus suis, & popu-*
,, *lus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in novissi-*
,, *mo ejus?* Quos Christus in capite constituit,
,, hi eosdem in caudam trahunt. Et quid, Vide eund. Ruardum Orat. 8.
,, precor, Scripturarum citat ille vel ratio-
,, num, pro hac tanta impietate? Primùm cla-
,, rissimas Scripturas Euangelicas, quibus ho-
,, norat Dominus Sacerdotes, quibus San-
,, ctorum omnis antiquitas veluti solidæ basi
,, innixa, Sacerdotium præfert Imperio &
,, Regno, exsibilat verbo uno & explodit uni-
,, versas, nec pili eas facit: *Consideremus*, in-
,, quit, *quid referant Scripturæ, quæ ex adverso*
,, *proferuntur: Obedite Præpositis, inquit Paulus*
,, *ad Hebræos. Item in Actis Apostolorum, Attendite*
,, *vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus*
,, *posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam ac-*
,, *quisivit sanguine suo. Nam illud, Quodcunque li-*
,, *gaveris &c. aliò pertinet, & illud, Pasce oves*
,, *meas, non ampliùs quidquam continet, quàm quod*
,, *de regenda Ecclesia mandatum fuisse iam indica-*
,, *mus*: indicaverat autem eam regendam per
,, Reges & Magistratum sæcularem. Horum
,, ergo typum gerit Petrus, quando ei à Do-
,, mino oves committuntur, & ei dicitur,
,, Pasce oves meas. *Vt hac intelligentia*, inquit,
,, *sicut ipsi volunt, nimirum ut Episcopis & Verbi*
,, *Dei Ministris in Ecclesia obediatur, nihil adver-*
,, *setur regia potestati, quo minùs etiam ad capitis*
,, *usque appellationem in Ecclesia porrigatur: non*
,, *magis, quàm quòd generali quâdam pronuncia-*
,, *tione uxor marito, & servus Domino obedire*
,, *jubentur. Non enim quòd Apostolis, & ijs qui*
,, *eorum in locum succedunt, regimen Ecclesiæ*
,, *committitur, aliquâ ex parte tollit aut dero-*
,, *gat ei quod antè à Deo Principibus commissum*
,, *erat, videlicet, Per me Reges regnant: &,*
,, *Admone illos Principibus & Potestatibus subdi-*
,, *tos esse, dicto obedire. Quæ cùm simpliciter &*
,, *sine exceptione pronuncientur, impium est, quod*
,, *alienâ interpretatione restringantur ad laicos*
,, *tantùm & sæcularia, cum exclusione Episcopo-*
,, *rum & Sacerdotum.* Quibus verbis simulat

pleniè

,, plenè esse responsum universis Scripturis,
,, quibus honoratur Sacerdotium Christi. Pro
,, fundamento autem suæ sententiæ sic ratio-
,, cinatur : *Rex est caput summum Regni sui ;*
,, *Ex eisdem autem personis conficitur Regnum*
,, *Angliæ, & Ecclesia Anglicana, quando iam Chri-*
,, *stiani sunt & fideles eius subditi ; Ergo Rex est*
,, *summum caput Ecclesiæ Anglicanæ : sub Christo*
,, *tamen.* Adijcit in confirmationem, exempla
,, veteris Testamenti ex libris Regum & Pa-
,, ralipomenon, *Iosaphat*, & *Ezechiæ*, & *Salo-*
,, *monis*, qui de officijs Sacerdotum & Levita-
,, rum scribuntur disposuisse ; & de Rege *Sa-*
,, *lomone*, quòd abjecit à summo sacerdotio

3. Reg. 2. 26. & 27.

,, Abiathar summum sacerdotem : *Vir mortis*
,, *es*, inquit, *sed hodie te non interficiam, quia por-*
,, *tasti arcam Dei : & eiecit eum Salomon, ne esset*
,, *Sacerdos Domini.*

,, DXXII. Non possum animum inducere,
,, quòd vir vel mediocriter in Scripturis ver-
,, satus, ex animi sui judicio & sententiâ hæc
,, docere possit, & adeò contemnere clarissi-
,, ma Scripturarum testimonia, contra quæ
,, levissimis & sophisticis argumentis usus, à
,, communi catholico sensu recedens, ab eâ
,, se separat, caputque constituit ac ducem
,, gravissimi schismatis, quo tam florens Re-
,, gnum à Christi corpore amputatur. Non est
,, consequens, si Rex sit caput Regni An-
,, gliæ, quòd sit & supremum caput Ecclesiæ
,, Anglicanæ, quæ pars est Catholicæ Eccle-
,, siæ, non ita regnum alterius civilis & mun-
,, dani Regni pars. Nam Regna sunt pluri-
,, ma, nec ea oportet in civili aliquâ unâque
,, politiâ convenire : sed domus Christi ejus-
,, que Ecclesia una est. Confitetur enim quis-
,, que fidelis *Vnam sanctam Catholicam & Aposto-*
,, *licam Ecclesiam* : quam Apostolus Paulus ad

Vide Card. Bertrandum contra Petr. de Cugneriis, & in Tractatu de Origine & usu Iurisdictionum, signanter q. 4.

1. Tim. 3. 15.

,, Timotheum scribens docet esse *Domum Dei*,
,, dicens : *ut scias quomodo oporteat in domo Dei am-*
,, *bulare, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & fir-*
,, *mamentum veritatis.* Ab hac domo quisque
,, separatur adulterinus. Igitur à promissis
,, Ecclesiæ separatur, nec pertinet ad Christi
,, præmia, qui reliquerit Ecclesiam Christi :

Vide Cyprianum lib. de Vnit. Ecclesiæ.

,, *Alienus est, hostis est*, clamat gloriosus Martyr
,, Cyprianus, *habere non potest Deum Patrem, qui*
,, *Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quis-*
,, *quam qui extra Arcam Noë fuit, & qui extra Ec-*
,, *clesiam foris fuerit evadet. Monet Dominus, & di-*
,, *cit : qui non est mecum, adversùs me est ; & qui*
,, *non mecum colligit, spargit. Qui alibi præter Ec-*
,, *clesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit* : cujus
,, domûs dicit Petrum cum successoribus con-
,, stitutum esse Rectorem. Et Beatus Am-

Ambrosiaster.

,, brosius in Commentarijs Epistolæ 1. ad
,, Timotheum, explicans locum, *Vt scias quo-*
,, *modo oporteat te in domo Dei conversari*, ait : *Cùm*
,, *totus Mundus Dei sit domus, Ecclesia tamen domus*
,, *eius dicitur, cuius hodie Rector est Damasus* : &

,, multis in locis gloriatur se in omnibus se-
,, qui magistram Romanam Ecclesiam. Et
,, ad eundem Damasum scribens Beatus Hie-
,, ronymus : *Quoniam vetusto*, inquit, *Oriens*

Vide Hieron. Epist. 57.

,, *inter se populorum furore collisus, indiscissam Do-*
,, *mini tunicam, & desuper textam, minutatim per*
,, *frusta discerpit, & Christi vineam exterminant vul-*
,, *pes ; ut inter lacus contritos, qui aquam non ha-*
,, *bent, difficile, ubi fons signatus & hortus conclusus*
,, *sit, possit intelligi : ideò mihi cathedram Petri, &*
,, *fidem Apostolico ore laudatam, censui consulendam.*
,, Et mox iterùm : *Beatitudini tuæ, id est, cathe-*
,, *dræ Petri, communione consocior : super illam Pe-*
,, *tram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra*
,, *hanc domum agnum comederit, profanus est : si quis*
,, *in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio.*
,, Et rursùs ibidem post paucula : *Non novi*
,, *Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Qui-*
,, *cunque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui*
,, *Christi non est, Antichristi est.* Et alibi : *Si quis*

Epist. 58.

,, *Cathedræ Petri iungitur, meus est.* Nec suo hæc
,, sensu & judicio proprio confitetur Hiero-
,, nymus, sed sequens venerandam Patrum
,, antiquitatem, quæ ab initio populum Chri-
,, stianum instituerat ; & Apostolorum ac to-
,, tius Ecclesiæ Catholicæ scientiam & fidem
,, indubitatam, & ferè ad verbum hæc mu-
,, tuans à glorioso Martyre & Doctore B. Cy-
,, priano Tract. de Simplicitate Prælatorum, &
,, in Epistolâ 86. ad Magnum. Qui in Episto-
,, lâ item ad Cornelium Papam scribit, quod

Vide Cyprian. Epist. 55.

,, *Non aliunde hæreses exortæ sunt, & nata schismata,*
,, *quàm quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec*
,, *unus in Ecclesiâ ad tempus Sacerdos & Iudex vice*
,, *Christi cogitatur : cui si secundùm magisteria di-*
,, *vina obtemperaret fraternitas universa, nemo ad-*
,, *versùs Sacerdotum collegium quidquam moveret,*
,, *nemo post divinum iudicium, post populi suffragium,*
,, *post Coëpiscoporum consensum, Iudicem se iam non*
,, *Episcopi, sed Dei faceret ; nemo discidio unitatis*
,, *Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens ac*
,, *tumens seorsùm foris novam hæresim conderet.*
,, Et eidem quoque sententiæ semper sub-

Synodus Alexandrin.

,, scripserunt Doctores Græci, ac totius
,, Orientis, imò & Afri : & Magnus ille
,, Athanasius in Epistolâ Synodicâ ejus &
,, Episcoporum qui cum ipso interfuerunt
,, Concilio Alexandrino, ad Felicem Ponti-
,, ficem Romanum : & idem Athanasius in
,, Epistolâ ad Marcum Romanæ Ecclesiæ

Athanasius.

,, Episcopum, ante annos mille ducentos. Hi
,, ergo concorditer tenuerunt semper, & sen-
,, sum Ecclesiæ sequentes intellexerunt, Suc-
,, cessorem Petri Christi Vicarium, ab eodem
,, universis Christi ovibus præfectum, tan-
,, quam Pastorem, & Judicem. Et jam ovis
,, præponitur Pastori, caro spiritui ? Qui spi-
,, ritu cœperant, carne putant consummari,
,, nisi dicant Regem esse Pastorem suo loco
,, Ecclesiæ præfectum, & Petrum cum reliquo

Apostolorum & Episcoporum choro sub illo Pastorem Ecclesiæ & Ducem. Res ipsa in se absurdior est, & in suâ absurditate luculentior, quàm ipsa mereatur, ut in ea diutiùs occupemur. Quòd adducit exempla veteris Testamenti, in quibus Reges judicant de Sacerdotibus, & de ministerijs statuunt: ex merâ imperitiâ proficiscitur sacerdotij Christi; cujus excellentiam supra Sacerdotium Aaronicum veteris Testamenti, Apostolus Paulus prosequitur in Epistolâ ad Hebræos. Idem præterea in Epistolâ 2. ad Corinthios: *ipse*, inquit, *idoneos nos fecit ministros novi Testamenti, non litterâ, sed spiritu: littera enim occidit, spiritus autem vivificat.* Et mox: *Quòd si ministratio damnationis gloria est, multò magis abundat ministerium iustitiæ in gloriâ.* Non igitur oportet, si Sacerdotibus veteribus & legis tempore, & priùs naturæ, superiores fuerint Reges; quòd & novi Testamenti ministris & Sacerdotibus sint superiores. Quam sacerdotij varietatem in honore & dignitate, considerans, & magno sententiarum pondere & sermonis copiâ conferens nostrum sacerdotium cum potestate Regali, ex Scripturis docet Beatus Chrysostomus lib. 3. de dignitate Sacerdotali: *Etenim*, inquit, *qui terram incolunt atque in ea versantur, his commissum est, ut ea quæ in Ecclesiâ sunt dispensent; ijs datum est ut potestatem habeant, quam Deus neque ipsis Angelis neque Archangelis datam esse voluit: neque enim ad illos dictum est, Quæcunque alligaveritis in terrâ, erunt alligata & in cælo; & quæcunque solveritis in terrâ, erunt soluta & in cælo. Habent quidem & terrestres Principes potestatem vinculi, sed corporum duntaxat: id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad cælos usque pervadit; usque adeò ut quæcunque infernè Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet. Iam quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cælestium potestatem illis à Deo concessam? Quorumcunque enim, ait, remiseritis peccata, remittuntur; & quorum retinueritis, retenta sunt. Quænam potestas hâc unâ maior esse possit? Pater omnifariam Filio potestatem dedit: cæterùm video ipsam eandem omnifariam potestatem à Filio illis traditam; & eo in cælos assumpto, illi in principatum perducti sunt. Quid multa? Rex aliquis, si cui ex subditis suis honorem hunc impertitum fuerit, ut potestatem habeat quoscunque velit in carcerem conijciendi, eosdemq; rursùs relaxandi; beatus ille & admirandus omnium iudicio fuerit. At verò qui à Deo tanto maiorem accepit potestatem, quanto cælum terrâ pretiosius est, quanto animæ corporibus præstant: hic itane vilem adeò dignitatem accepisse nonnullis videri debet?* Et mox iterùm post pauca: *Corporis lepram purgare, seu, ut veriùs dicam, haud purgare quidem, sed ab eâ purgatos probare, Iudæorum Sacerdotibus licebat solis: neque nescis quantâ cum ambitione, quanto cum studio ac concertatione Sacerdotalis dignitas tunc acquireretur. At verò nostris Sacerdotibus non corporis lepram, sed animæ sordes non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. Quare, iudicio quidem meo, qui istos despiciunt contemnuntq; multo sceleratiores ac maiori supplicio digni fuerint, quam fuerit Dathan cum suis omnibus. Illi enim tametsi Principatum ad se non spectantem sibi vendicabant, tamen miram quandam de eo Principatu opinionem animo conceperant; id quod declararit ingens rei concupitæ studium: Hi autem, cùm tam sacerdotalis honos incrementum, ornatum, præstantiamq; ampliorem accepisset, contra eum tamen multò maiora audent.* Et alia prosequens mox infrà subdit, *Quanquam non solùm in puniendo, sed & in benemerendo, maiorem Deus potestatem sacerdotibus largitus sit.* De quo & Beatus Ambrosius, licèt Sanctus, non tamen universalis Ecclesiæ Episcopus; pro culpâ, quæ ab alijs Sacerdotibus non adeò gravis videbatur, Theodosium Magnum Imperatorem excommunicans, ab Ecclesiâ exclusit. Qui etiam in suis Scriptis ostendit, quòd Non tam pretiosius sit aurum plumbo, quàm Regiâ potestate sublimior sit ordo sacerdotalis: *Honor*, inquit, *& sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares & Principum diademati, longè erit inferiùs quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares; quippe cùm videas Regum colla submitti genibus Sacerdotum.* Et B. Gregorius Nazianzenus in Oratione ad Imperatorem & Nobilitatem ejus ait: *Si sermonem suscipitis liberum, lex Christi vos meæ potestati meoq; subijcit tribunali: imperamus enim & ipsi, addo, Imperio maiore ac perfectiore: nisi forte oporteat spiritum carni subesse, & cælestia terrestribus cedere. Suscipe igitur vocem hanc liberiorem ex me, & scito, Te ovem esse gregis mei, magni Pastoris agnum.* Et alia quæ sequuntur. O quantum distant hæc Sanctissimorum Patrum verba ab ijs, quæ Wintoniensis Episcopi Oratio contendit" | Postremis hisce verbis indicat, quisnam fuerit ille Episcopus, cujus Orationem iteratò excusam totâ istâ Dissertatione refutat: *VVintoniensis* scilicet Anglicus, qui in patrocinium schismatis Anglicani per Henricum VIII. invecti, & usque modò continuati, Orationem illam suam magis Politicè quàm Theologicè in lucem emisit. Cæterùm cùm Ruardus Episcopi illius nomen suppresserit, dubitari potest quisnam fuerit. Et quidem Lindanus, cujus curâ Orationes Ruardi post Authoris obitum fuerunt evulgatæ, *Samsonem* eum nominat in Nota marginali ad Orationem Septimam, atque etiam in titulo ejusdem Orationis.

Sed

Marginal notes:

2. Cor. 3. 6.

Ibid. v. 9.

Chrysostomus. Vide eund. in Concione de Principatu, tomo 6. & Isidorum Pelus. l. 4. Epist. 249.

Vide Ambr. lib. de Dignitate Sacerdot. c. 2.

Vide Nazianz. Orat. 17. Vide Petrū Blesensem Epist. 10. 46. & 1[illegible]4.

Lindanus.

Sed cùm nullus in Catalogo Episcoporum Wintoniensium reperiatur *Samson* temporibus Ruardi, deceptus est proculdubiò hac in re Lindanus, putans *Samsonem* sive *Samsonum* contra quem Cochlæus scripsit pro Primatu Pontificio, fuisse Episcopum Wintoniensem; cùm reverà fuerit Lichefeldensis & Conventrensis, nunquam autem Wintoniensis. Suspicari quis posset fuisse *Hornum* illum Wintoniensem Pseudoepiscopum, contra quem fusè & eruditè scripsit pro Primatu Pontificio adversùs prætensum Primatum Regium Doctor Stapletonus tomo 2. Sed Ruardus contra Catholicum Episcopum, & quidem posteà resipiscentem, differit: qualis non fuit *Hornus* ille Stapletonianus. Præterea ex Godvino in Catalogo Episcoporum Wintoniensium constat, *Hornum* nonnisi demûm anno 1560. Episcopatui illi intrusum fuisse; cùm tamen Ruardus anno præcedenti die 2. Martij obierit. Dicendum itaque est Ruardum alludere ad *Stephanum Gardinerum*, quem Godvinus in suo Catalogo recenset inter Episcopos Wintonienses Ordine 59. & in quem aptè quadrare ea quæ Ruardus memorat, patet ex *Fuseo* in Catalogo Scriptorum Britannicorum, ad annum Christi 1555. n. 994.

Cochlæus. Stapletonus. Godvinus. Fuseus.

CAPUT CXXXIX.

Proceditur à Salomonicâ Regum increpatione, ad subnexam comminationem; cujus initialis illa clausula expenditur, Horrendè & citò apparebit vobis. *Apparitio Domini in die extremi Iudicij quàm horrenda futura sit universis impijs? Altera item citerior ejusdem apparitio in horâ obitûs cujusque, eáque similiter impijs horrenda. Qualis exierit quisque de hâc vitâ, talis reddetur in die Iudicij alteri vitæ. Vita hominis in præsenti sæculo vapor ad modicum parens, ventus, tela succidua, flos, umbra. Simulatores & callidi provocant iram Dei, qui novit decipientem, & eum qui decipitur; Balteum Regum dissolvit, & renes eorum fune præcingit. Omnis Potentatus brevis vitæ. Plutarchi Opusculum* De Serâ Numinis vindictâ, *& quædam alia eòdem spectantia. Constantij Cæsaris Ariani caduca ratiocinatio. Edisseritur quod de Deo scriptum est,* Visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem: *& conciliatur cum Prophetico Oraculo,* Filius non portabit iniquitatem patris. *Obstruitur os obmurmurantium,* Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. *Peccatum originale quatenùs alienum, cùm insit unicuique proprium? Patet culpa ubi non latet pœna, & societas peccati convincitur de communione supplicij. Expenditur quod scriptum est,* Nondum completæ sunt iniquitatates Amorrhæorum. *De intervallo temporis à promissione Chanaanitidis Abrahæ factâ, usque ad deturbationem Chananæorum ex illâ. Qualiter intelligendum Christi dictum ad Iudæos,* Implete mensuram patrum vestrorum? *Iudæi à Romanis obsessi tempore Paschali, quo & ipsi Christum crucifixerant; sed per quadraginta posteà annos ad resipiscentiam expectati. Vndecies centena eorum millia in Hierosolymitanâ obsidione absumpta. Deus omnia in mensurâ disponit, uti & in numero & pondere. Aliter taxat iniquitates personarum, aliter gentium integrarum.*

DXXIII. Vidimus quemadmodùm Regibus dyscolis exprobrarit Rex Salomon inprimis quòd *Non rectè iudicassent*, deinde quòd *Legem iustitiæ non custodissent*, ac demùm quòd *Non secundùm voluntatem Dei ambulassent*. Nunc ordo postulat, ut ab exprobratione peccati procedamus ad comminationem supplicij; quæ hisce ejusdem exprobratoris verbis expressa subtexitur: *Horrendè & citò apparebit vobis.* Ille nimirùm *Altissimus*, à

Sap. 6. 5. Ibid. v. 6.

mus, à quo poteſtatem & virtutem acceperant, ut eſſent miniſtri regni ejus. Hanc porrò *horrendam apparitionem* dyſcolis Regibus ingruentem nonnulli referunt ad diem extremi Iudicij, qui à Prophetis dictus eſt [*Mal. 4. 5. & Ioel. 2. 31.*] *Dies Domini magnus & horribilis*; & in quo *impij*, ut præmiſerat idem Salomon, [*Sap. 5. 2.*] *turbabuntur timore horribili.* Cui interpretationi favere videtur contextus iſte proximè ſequens, [*Sap. 6. 6.*] *Quoniam iudicium duriſſimum his qui præſunt fiet.* Tanquam diceretur: Idcircò apparitio Domini horrenda erit malè regnantibus, quia Iudicium quod omnibus eſt futurum, ijs qui præſunt fiet valde durum. Verùm quia in Salomonis comminatione non ſolùm dicitur, *horrendè*; ſed additur, *& citò*: idcirco alijs videtur commodiùs referri ad judicium particulare, in quo Dominus *horrendè appariturus eſt* unicuique Regi dyſcolo in die obitûs ſui. Hic quippe dies *citò* cuique adveniet, & tunc Dominus ſingulis Regibus *non rectè iudicantibus, nec legem iuſtitiæ cuſtodientibus, nec ſecundum voluntatem Dei ambulantibus, horrende apparebit.* Hunc porrò diem *citò* cuique, atque adeò ſingulis Regibus, adventurum, indicat inprimis ipſe Judex, cùm ait: [*Apoc. 3. 11.*] *Ecce venio citò.* Deinde idipſum claré perhibet Auguſtinus, dicens: [E] [*E August. in Psalm. 36 Concione 1. Vide Epist. 80. & Homil. 13. inter 50.*] "Uniuſcujuſque hominis vita quanta eſt? Adde quantoſlibet annos, duc longiſſimam ſenectutem, quid eſt? Nonne aura eſt matutina? Ergo longè ſit dies Judicij, quando erit retributio injuſtorum & juſtorum, tuus certè dies ultimus longè abeſſe non poteſt. Ad hunc te præpara: qualis enim exieris de hac vita, talis redderis illi vitæ". Huc item ſpectat quòd Jacobus Apoſtolus vitam humanam vocet [*Iac. 4. 15.*] *Vaporem ad modicum parentem*: & quod Beatus Iob ex communi hominum perſona dixerit Deo, [*Iob 14. 5.*] *Breves dies hominis ſunt, numerus menſium eius apud te eſt*: & de ſeipſo alibi, [*Iob 7. 6.*] *Dies mei velociùs tranſierunt quàm à texente tela ſucciditur*: & ibidem mox, [*Ibid. v. 7.*] *Ventus eſt vita mea*: & rursùs alibi de homine indefinitè loquens: [*Iob 14. 2.*] *Quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra*: & Baldad apud eundem ſuperiùs, [*Iob 8. 9.*] *Sicut umbra dies noſtri ſunt ſuper terram* Quoniam igitur finitâ vitâ iſtâ, tam brevi ac penè momentaneâ, appariturus eſt Dominus unicuique in horâ mortis; rectè juxta hanc intelligentiam ait Salomon Regibus, *Citò apparebit vobis*: & quia loquebatur dyſcolis, quibus jam demerita exprobraverat, addidit etiam, *horrendè.* Quanquam autem hæc interpretatio nihil contineat falſi, quia tamen Salomonicam comminationem ampliat ad omnes indiſcriminatim ſceleroſos, & criminoſos, non videtur attingere mentem comminantis; cujus ſcopus fuit terrere Reges denuntiatione ſupplicij peculiariter eis præ cæteris criminoſis ingruentis. Idcircò addendum videtur, dyſcolos Reges ſpeciali titulo accerſire Judicem ut *citò appareat*, ſive vitam ijs auferendo, ſive ſaltem dignitatem ſuperſtitibus adimendo. Cui ſenſui ſatis aptè congruit, quod paulò inferiùs idem Salomon adjungit, dicens: *Ad vos ergo Reges ſunt hi ſermones mei, ut diſcatis ſapientiam, & non excidatis.* [*Sap. 6. 10.*] Imminet ergo *excidium* Regibus ſapere negligentibus, hoc eſt, in ſuâ pravitate *non rectè iudicandi, nec legem iuſtitiæ cuſtodiendi, nec ſecundùm voluntatem Dei ambulandi*, ſordeſcentibus. Hinc ſcriptum eſt de talibus in libro Iob, *Indicabit eis Deus* [*Iob 36. 9. & seqq.*] *opera eorum, & ſcelera eorum, qui fuerunt violenti. Revelabit quoque aurem eorum, ut corripiat: & loquetur, ut revertantur ab iniquitate. Si audierint & obſervaverint, complebunt dies ſuos in bono, & annos ſuos in gloriâ. Si autem non audierint, tranſibunt per gladium. & conſumentur in ſtultitiâ.* Ex ne fortè putent ſe evaſuros ſupplicium qui ſe cohibent ab apertâ violentiâ, utuntur tamen ſimulatione occultâ; ſubditur ibidem mox: *Simulatores & callidi provocant iram Dei.* [*Ibid. v. 13.*] Decipere quidem poſſunt iſti hominem, ſaltem ad tempus, ſed Deum decipere non poſſunt, de quo ſcriptum eſt ibidem ſuperiùs: *Ipſe novit &* [*Iob 12. 16. & seqq.*] *decipientem, & eum qui decipitur. Adducit Conſiliarios in ſtultum finem, & iudices in ſtuporem. Balteum Regum diſſolvit & præcingit fune renes eorum.* Sive igitur violentiam apertè exerceant, ſive fraudulentiam ſub æquitatis umbrâ concelent, divinam in ſe iram non modò advocant, ſed & accelerant; quâ ante tempus vel in totum tolluntur, vel de throno exturbantur, imò & in captivitatem hoſtibus traduntur. Quando in totum tolluntur, impletur in eis quod ſcriptum eſt in eodem libro Iob, [*Iob 22. 16.*] *Sublati ſunt ante tempus ſuum*: & quod de uno quopiam eorum in reliquorum terrorem præmittitur ſuperiùs, *Antequam dies eius impleantur, peribit*: [*Iob 15. 32.*] ſive, ut Pagninus & Vatablus verterunt: *In non die ſuo ſuccidetur*, pro quo apud 70. Interpretes legitur, *Præciſio eius ante horam.* Ad hoc ſupplicium præcavendum Eccleſiaſtes monet dicens, *Ne* [*Eccle. 7. 18.*] *impie agas multùm, & noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo*: pro voce *ſtultus*, apud 70. legitur *durus*: quod propiùs ad tyrannidis denotantiam accedit; ſicut & vox *Potentatus*, quâ uſus eſt Eccleſiaſticus, cùm in eandem rem ait: *Omnis Potentatus brevis vita.* Ubi & [*Eccli. 10. 11. & 12.*] rationem eveſtigiò adijcit, dicens: *Languor prolixior gravat medicum: brevem languorem præcidit medicus: & ſic Rex hodie eſt, & cras morietur.* Quem locum ſuperiùs § 479. expendimus, [*Vide supra §. 479.*] & alia complura documenta huc ſpectantia ibidem congeſſimus, quæ pro hìc repetitis haberi volumus. Porrò quando Deus dyſcolos Reges non quidem de vitâ præmaturè tollit; ſed tamen de Regio faſtigio exturbat, tunc implet quod de ipſo ſcriptum memoravimus, *Balteum Regum diſſolvit*: [F] Regia inſignia,

inquit

F. Pineda in cap. 12. Iob v. 18. Ezech 21. 26.

„ inquit Pineda, aufert à Regibus Deus; au„ reis ſpoliat ornamentis, illiſque ſeveriſſi„ mus Judex præcipit verbis: *Pone Cydarim, tolle coronam*". Quando denique non tantùm de Regio faſtigio eos Deus exturbat, ſed inſuper in captivitatem hoſtibus tradit, tunc implet quod ſequitur, *Præcingit fune renes eorum.* In quem locum Pineda ibidem: "¹ Habitus „ eſt, inquit, abjectiſſimi & ærumnoſiſſimi „ hominis, ut *funis* opponatur *balteo*, qui Re„ ges ornat; indicatur etiam conditio ho„ minis captivi, Iſaiæ 3. *Erit pro zona funi-* „ *culus.* Et æquè miſerum eſt, renes, aut ca„ put funiculo præcingi, ut ex capite 20. „ libri 3. Regum conſtat: victi enim & ſup„ plices ſervi Benadad *Accinxerunt ſaccis lumbos* „ *ſuos, & poſuerunt funiculos in capitibus ſuis.* „ Hæc autem divino judicio facta abjectio „ Regum & Imperatorum potentiſſimorum „ ad miſeram captivitatem, aut ad aliam ca„ lamitoſam conditionem, mille conſtat „ exemplis, atque veriſſimis Hiſtorijs & ſacris & profanis".

Iſaiæ 3. 24.

3. Reg. 20. 32.

SCRUPULUS.
Eccli. 5. 4.

DXXIV. Sed cùm in Eccleſiaſtico ſcriptum ſit: *Ne dixeris, Peccavi; & quid mihi accidit triſte? Altiſſimus enim eſt patiens redditor*; & vulgò etiam dici ſoleat, *Tardam eſſe Deorum vindictam*, item *Serò molere Deorum molas*, item *Plumbeos eſſe Deorum pedes*; extetque Plutarchi peculiare Opuſculum ab eruditis impensè laudatum, *De Sera Numinis vindicta* inſcriptum: ſuſpicari quis poſſet, falſum eſſe quod de *citima Domini apparitione* dyſcolis Regibus ingruente diximus, atque ex Salomonis comminatione deduximus. Sed inprimis reſponderi poteſt, teſtimonia hìc objecta, cùm ſint generalia, non eſſe ſic intelligenda, ut quodlibet hominum genus comprehendant; ſignanter Potentatus, quibus ſolis loquitur Salomon; & de quibus alibi legitur, *Omnis Potentatus brevis vita.* Secundò, extendendo ea teſtimonia ad ipſos etiam Potentatus, dici poteſt, non aliud iis importari, quàm quòd nemo debeat falli putando peccata ſua Deum latere, aut impunia fore, ex eo, quòd videat Deum non ſtatim à facinore pœnam infligere. Neque enim illud, *Citò*, apud Salomonem excludit omnem omninò moram, ſed duntaxàt diuturnam, quæ ſolet vocari *tarditas.* Præterea Regum ſupplicia poſſunt dici *Citima* comparativè, quia nimirum *citiùs* Reges puniri ſolent vel morte, vel abdicatione, vel captivitate, vel aliâ quâpiam afflictione, quàm vulgares homines; propter rationes partim ſuperiùs § 479. inſinuatas, partim inferiùs allegandas: ſed non propterea falli debent ut putent ſe impunè peccare, ſi advertant ſua flagra differri: ſicut pridem fallebatur Conſtantius Cæſar, qui cùm eſſet Arianâ hæreſi infectus, & ob eandem Catholicis diſſentientibus infeſtus, jactabat ſe rectè credere, ac

EXCUTITUR.

Eccli. 10. 11.

juſtè orthodoxos affligere, eò quòd non ſtatim à Deo fuerit temporaliter vexatus, nedùm de hac vita abreptus. Verba ejus exhibet nobis Lucifer Calaritanus, quæ ſunt hujuſmodi: G. *Niſi Catholica eſſet fides Arij, hoc eſt, mea; & niſi placitum eſſet Deo quòd illam perſequar fidem, quam contra nos ſcripſere apud Nicæam; nunquam profectò adhuc in Imperio florerem.* Sed inanem fuiſſe hanc ejus ratiocinationem, multis inſtantijs oſtendit Lucifer ibidem: & vel indè ſatis apparet, quòd ſub quadrageſimum ætatis annum è vivis abreptus ſit, ut teſtatur Ammianus Marcellinus lib. 21. Et quamvis Aurelius Victor in Epitome, vitam ejus quadriennio adaugeat, & Eutropius lib. 10. unum inſuper annum adjiciat: planum tamen eſt omnium confeſſione; eum fuiſſe præmaturè ſublatum, poſſeque computari inter dyſcolos Principes de quibus ſcriptum eſt, *Sublati ſunt ante tempus ſuum*: ut proinde in eum etiam aptè quadret Salomonica illa talibus Principibus denunciata comminatio, *Horrendè & citò apparebit vobis Dominus.* Supereſt alius adhuc ſcrupulus, prædictæ noſtræ aſſertioni in ſpeciem obſtans: qui inde ſumi poteſt, quòd Scriptura crebrò inculcet *Deum viſitare iniquitatem Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.* Non videtur autem rectè dici *citò* vindicari, quod demùm in poſteris poſt tot gradus punitur. Verùm non eſt illic ſermo de ſupplicij ſuſpenſione ſive dilatione, ſed potiùs de extenſione. Neque enim ſenſus eſt, quòd Deus non viſitet iniquitatem patrum in ipſis patribus; ſed quòd interdùm eandem viſitet etiam in eorum poſteris: quando nimirùm pœna patribus inflicta non eam planè adæquat. Porrò benè notat Tertullianus, comminationem illam idcircò in lege fuiſſe expreſſam & toties repetitam, ut Patres à tranſgreſſione ipſius legis validiùs refrænaret, propter innatam poſteritatis ſollicitudinem: [H] Etſi patrum delicta, ait ille, à filijs „ Deus exigebat, duritia populi ad talia „ remedia compulerat: ut vel poſterita„ tibus ſuis proſpicientes legi divinæ obe„ dirent. Quis enim non magis filiorum ſalutem, quàm ſuam curet"? Sed nec minùs rectè monet Auguſtinus, ſermonem ibi eſſe de poſteris, [I] Qui parentum peccata perſe„ verantes tenere, quàm Dei juſtitiam ſe„ qui maluerint. Nam non pertinere patris „ peccata ad filium juſtè viventem, Pro„ pheta Ezechiel apertiſſimè oſtendit". Et Hieronymus in Commentario ſuper Ezechiëlem: [K] *Si reddit Deus*, inquit, *peccata* „ *patrum ſuper filios in tertiam & quartam ge-* „ *nerationem*, injuſtum videtur, ut alius pec„ cet, & alius puniatur. Sed in eo quod ſequi„ tur, *His qui me oderunt*, comminationis ſive „ præcepti ſcandalum ſolvitur. Non enim ideò

G. Conſtantius apud Luciferum Calar. lib. de Regib. Apoſtatis ſub initium.

Iob. 22. 16.

Sap. 6. 6.
SCRUPULUS.

Exo. 20. 5.

EXCUTITUR.

H. Tertull. l. 2. contra Marcionem cap. 15.

I Aug. lib. contra Adimantum cap. 7. Vide Chryſoſt. in Pſal. 74.

K. Hieron. in cap. 18. Ezechiëlis. Deut. 5. 9.

Ibid.

 punien-

„ puniuntur in tertia & quarta generatione, „ quia deliquerunt patres eorum, cùm patres „ potiùs, qui fuerant peccatores, puniri de- „ buerint: sed qui parentum extiterunt æmu- „ latores, & *oderunt Deum*, hæreditario malo, „ & impietate in ramos quoque de radice crescente". Verùm quod ibidem Hieronymus subdit, scrupulum augere videtur, & solutionem datam evertere. Addit quippe continuò: " Solent in hoc loco hæretici, qui ve- „ tus non recipiunt Instrumentum, contra „ Creatorem dicere: *Quàm bonus & justus Deus* „ *Legis & Prophetarum, qui quiescens & silens ad* „ *peccata patrum, reddit his qui non peccaverunt:* „ *imò quanta in eo crudelitas, ut iram suam usque ad* „ *tertiam & quartam extendat generationem?* Qui- „ bus nos respondebimus: Etiam in hoc Dei „ Creatoris clementiam demonstrari. Non „ enim truculentiæ est & severitatis, iram te- „ nere usque in tertiam & quartam generatio- „ nem; sed signum misericordiæ, pœnam differ- „ re peccati. Quando enim dicit, *Domine Deus* „ *miserator & misericors, patiens, & multæ mise-* „ *rationis*; & infert, *Reddens iniquitatem patrum* „ *super filios, & filios filiorum*: hoc indicat, quantæ „ misericordiæ sit, ut non statim puniat; sed sententiam differat puniendi". Quibus ille verbis solvendo hæreticorum objectionem evertere videtur datam suprà à nobis solutionem. Sed non evertit: alioquin enim etiam everteret ea, quæ ex ipsomet priori loco adduxeramus. Quapropter dicendum est, eum ita elidere argumentum hæreticorum, ut dissimulatâ assumptione, neget consecutionem. Tanquam diceret, Etiamsi annueremus vobis eum esse Scripturæ sensum, quòd Deus *quiescens & silens ad peccata patrum, reddat filijs qui non peccassent*; nequaquam inde consequens foret, eum argui posse crudelitatis, prout contenditis: cùm potiùs patientiæ ac longanimitatis sit, suspendere ultionem, atque in subsequens tempus differre vindictam. Cæterùm quòd non simpliciter admittat illud hæreticorum antecedens, patet non solùm ex altero ipsius loco priùs adducto, sed etiam ex eo quòd mox ibidem inferiùs apertè reprobet veterem illam Judæorum parabolam, *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt*. Verba ejus ibi sunt: " Scriptum est in Proverbijs, „ *Sicut uva acerba dentibus noxia est, & fumus ocu-* „ *lis: sic iniquitas his qui utuntur eâ*. Ex quo perspi- „ cuum est, non aliorum dolore dentes obstu- „ pescere, sed eorum, qui uvam acerbam come- „ derint. Est autem hujus loci sensus: Quomo- „ dò si quis velit dicere, *Patres uvam acerbam* „ *comederunt, & dentes filiorum obstupuerunt*, ri- „ diculum est, & nullam habens consequen- „ tiam: sic iniquum est atque perversum, pec- „ care patres, & filios nepotesque cruciari". Ubi tamen cavendum, ne quis hisce & similibus Patrum sententijs abutatur in præjudicium Catholici dogmatis de peccato originali. Neque enim in posteris Adæ vindicatur propriè culpa aliena, cujus ipsi nullo modo sint participes aut Rei: sed vindicatur culpa propria, quam hæreditariè à primo suo parente contraxerunt, aut certè contrahendi debito subjacuerunt. Unde Synodus Tridentina definit, [L] Adæ peccatum, quod ori- „ gine unum est, & propagatione, non imita- „ tione transfusum omnibus, *Inesse unicui-* *que proprium*". Et Beatus Prosper adversùs Collatorem: [M] Nimis impium est, inquit, „ hoc de Dei sentire justitiâ, quòd à præva- „ ricatione liberos, cum Reis voluerit esse „ damnatos. Patet ergò culpa, ubi non latet „ pœna, & societas peccati convincitur, de „ communione supplicij". Et Augustinus: [N] Peccata ista originalia, inquit, ideò di- „ cuntur *aliena*, quòd ea singuli de parenti- „ bus trahunt: sed non sine causâ dicuntur & „ *nostra*: quia *in illo uno*, sicut dicit Apostolus, *omnes peccaverunt*". Et lib. 3. de peccatorum Meritis cap 7." Nec illud, inquit, liquidè dici „ potest, *Quòd peccatum Adæ etiam non peccanti-* „ *bus nocuit*, cùm dicat Scriptura, *In quo omnes* „ *peccaverunt*. Nec sic dicuntur ista *aliena* pecca- „ ta, tanquam omninò ad parvulos non perti- „ neant: siquidem in Adam omnes tunc pec- „ caverunt, quando in ejus naturâ illâ insitâ, in „ qua eos gignere poterat, adhuc omnes illi „ unus fuerunt: sed dicuntur *aliena*, quia non- „ dum ipsi agebant vitas proprias; sed quic- „ quid erat in futura propagine, vita unius „ hominis continebat". Et ibidem mox capite sequenti: " Imputat Deus non jam aliena, sed „ propria peccata. Aliena quippe erant quan- „ do hi qui ea propagata portarent nondum „ erant; nunc verò carnali generatione eorum „ sunt, quibus nondum spiritali regeneratione dimissa sunt". Et lib. 1. Operis imperfecti adversùs Julianum cap. 48. " Aliena sunt, in- „ quit, sed paterna sunt: ac per hoc, jure semi- „ nationis atque germinationis nostra sunt". Et rursùs infrà cap 57." Sic aliena sunt origi- „ nalia peccata, propter nullum in eis nostræ „ voluntatis arbitrium; ut tamen propter ori- „ ginis contagium, esse inveniantur & nostra". Et juxta hunc sensum idem Augustinus lib. 2. contra Julianum cap. 6. interpretatur locum Cypriani, qui in Epistola ad Fidum scripserat, [O] *Parvulis in baptismo remitti non propria, sed aliena peccata*. Ibidem quoque Chrysostomum negantem *parvulos habere peccata*, dicit loqui de peccatis *proprijs*, hoc est, propriâ personalique voluntate commissis: cùm alioqui insit eis peccatum aliunde originaliter contractum. Ut enim idem ipse Augustinus alibi apertissimè perhibet, [P] Sub Deo Creatore optimo atque „ justissimo, nullo modo imago ejus in illa ætate

Marginalia: INSTANTIA. Manichæi. — Ezech. 18. 2. — Prov. 10. 26. juxta 70. — L. Synod. Trid. Sess. 5. Can. 5. — M. Prosper lib contra Collat. c. 5. — N. Aug. lib. de Corrept. & Grat. c. 6. — Rom. 5. 12. — O. Cyprian. Epist. 59. — P. Aug. lib. 3 contra Jul. cap. …

„ ætate tanta mala pateretur, si non esset originale peccatum". Et Prosper ex ipso: Q. Miseria generis humani, inquit, cujus „ nullum hominum ab exortu usque ad obitum videmus alienum, non pertineret ad „ justum omnipotentis judicium; si non esset originale peccatum".

Q. Prosper Senten. 176. Vide Aug. l. 1. Operis imperf. c. 3.

SCRUPULUS.

CXXV. Superest alius adhuc scrupulus hoc loco excutiendus, ne fortè quis eo offensus putet vacillare illud quod dyscolis Regibus comminatur Rex Salomon, *Citò apparebit vobis Dominus*. Nascitur autem scrupulus iste ex colloquio Dei cum Patriarcha Abraham, in terra Chanaan tunc peregrinante: ubi cùm ei prædixisset peregrinationem quadringenariam posterorum ipsius in terra non sua, mox pro consolatione subjunxit, *Generatione autem quartâ revertentur huc*. Et quasi rogatus cur tam prolixum terminum reversioni eorum præstitueret, subdit pro ratione, *Nondum enim completa sunt iniquitates Amorrhæorum*: R. Docet „ Deus, inquit Theodoretus, promissiones „ Abrahæ faciens, cur non statim illius terræ „ imperium dederit, sed diu peregrinari siverit: *Non enim*, inquiens; *impleta sunt iniquitates Amorrhæorum, usque in hodiernum diem*. „ Quasi diceret, nondum extremâ pernicie „ digna ausi sunt; & minimè justum fuerit pœnam ipsis irrogare, atque ex majoris peccati „ præscientiâ sententiam supplicij pronunciare, sed rerum potiùs finem expectare: mensurâ enim utor; ait, & staterâ moderor, & „ nihil non libratum apud me est; propterea „ *Quadringentorum annorum periodum* expecto. „ Sic & illos tandem abegit, & istis promissa persolvit": Multa proculdubiò scelera ante colloquij istius tempus perpetrarant Amorrhæi, uti & cæteri Chanaanitidis incolæ. Quibus tamen Deus non *citò*, sed demùm post quatuor exinde sæcula, visitans sive vindicans, *apparuit*: quia scilicet necdum ipsorum iniquitas ad mensuram pœnæ proportionatam pervenit: S. Mensuram quandam, inquit Cyrillus, „ quæ ab Hierusalem exibat, vidit Propheta „ Zacharias; rogantique quid illud esset, re„ spondit Angelus: *Hac est iniquitas ipsorum in universa terra*: quod perinde est ac si dixisset, „ Hâc mensurâ appenduntur quæcunque pec„ cata per universam terram quibusque tem„ poribus perpetrantur. Ubi enim nostra scelera ad manifestam usque excreverint ma„ gnitudinem, tum certè offensus supplicia à „ nobis exigit legum Conditor. Frequenter „ verò insitâ quâdam benignitate tolerat pec„ cantes, neque ante mensuræ completionem „ *Effundit omnem iram suam*. Atque ita dixit „ Abrahæ, *Nondum impleta sunt peccata Amorrhæorum usque adhuc*: Pharisæis item qui effrænatè ipsum offendissent, dixit Christus: *Et vos implete mensuram patrum vestrorum*". Et rursùs in Commentario super cap. 5. Zachariæ: " Quid *mensura* sit, inquit, videndum est. Di„ cimus igitur Deum naturâ bonum, & homi„ num amantem peccantes tolerare, & iniquè „ agentes sustinere, uniuscujusque pœniten„ tiam expectando. Quòd si quis verò diu „ peccando processerit, supremamque Dei pa„ tientiam expertus fuerit, tum demùm is „ pœnæ subjicietur, & tam diuturnæ socor„ diæ prætexere nihil poterit, nec illum quis„ quam de pœnis condignè promeritis eripiet. „ Quapropter Christus populo Judæorum, „ impotente vesaniâ ad quidvis nefarium „ ruenti, ait: *Et vos implestis mensuram patrum vestrorum*". Et Isidorus Pelusiota cuidam Paulo rescribens: T. Quoniam quæris; inquit, „ quidnam causæ sit, cur Zacharias *iniquitatem super mensuram plumbi sedentem viderit*? Re„ spondeo, hoc idcircò contigisse, quia *plumbum* „ peccati pondus & gravitatem designat: no„ que enim quidquam peccato gravius ac one„ rosius est; quippe quod ad ima inferni eos „ quos ceperit deturbet. Per *mensuram* autem, „ divinæ erga eos, qui peccatunt, lenitatis & „ patientiæ finis, pœnæque principium signi„ ficatur. Neque enim absque mensura, nec „ semper; vitijs indulgere permittentur; sed „ jam jamque acerbissimis supplicijs mulctabuntur". Et Lippomanus in Catena: V. Amor„ rhæorum peccata, inquit, nondum pervene„ rant ad eum gradum, ut illos terra ferre ne„ quiret. Sicut enim Deus vult exerceri bo„ nos à malis, ad mensuram fidei & charitatis, „ & præmij ab æterno eis prædestinati: sic & „ malos, *Quos paravit vasa iræ in interitum* usque „ ad certum terminum & non ultrà suffert & „ tolerat in hoc Mundo, justo suo judicio, nobis occulto". Ex quibus omnibus videtur Deum nequaquam *citò apparere* ad plectendum dyscolos; sed solere procrastinari, quoadusque impleatur mensura criminum, sive ab ipsis, sive ab eorum posteris: quæ quidem impletio subinde protrahitur in multos annos, subindè in multas annorum centurias. Etenim à promissione Abrahæ factâ, usque ad exturbationem Amorrhæorum de Chanaanitide per Hebræos illuc reversos, anni propemodùm interlapsi sunt quingenti. Nam à promissione usque ad legem datam per Moysen sub exitum Israël de Ægypto, annos interfluxisse quadringentos & triginta, testatur Apostolus ad Galat. 3. 17. Inde cursûs ad ingressum Chanaanitidis sub Duce Josue post obitum Moysis, elapsi sunt quadraginta anni, quibus peregrinatus est populus per Desertum. Quæ summa priori addita complet summam annorum septuaginta supra quadringentos. Quapropter ubi dictum est Abrahæ, *Scito prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum annis quadringentis*, ea annorum summa nequa-

Gen. 15. 16.

R. Theodoret. in Psal. 104. Vide eund. q. 25. in Genesim.

Ibid. v. 13.

S. Cyrillus Alex. lib. 1. de Adorat. in Spir. & verit. Vide Chry. Ioan. Homil. 37. in Genesim. Zach. 5. 8.

Psal. 77. 38.

Mat. 23. 32.

T. Isid. Pelus. lib. 5. Epist. 98.

V. Lippoman. in Catena ad cap. 15. Genes.

Rom. 9. 22.

Gen. 15. 13.

nequaquam inchoanda est à promissione, aut finienda in terræ promissæ adeptione: sed inchoanda à seminis Abrahamici peregrinatione, prout claret ex verbis, *Quòd peregrinum futurum sit semen tuum*; & finienda in reversione illa de qua subditur, *Generatione quartâ revertentur huc*: intelligendo utique *reversionem*, non completam, sed inchoatam; quæ coincidit cum egressione populi de Ægypto versùs Chanaanitidem. Unde Augustinus: W. "Quod dixit Deus ad Abraham, inquit: *Sciendo scias, quia peregrinum erit semen tuum in terrâ non propria, & in servitutem redigent eos, & nocebunt illis, quadringentis annis*; non sic accipiendum est, tanquam in illa durissima servitute quadringentos annos Dei populus fuerit: sed quia scriptum est, *In Isaac vocabitur tibi semen*; ex anno nativitatis Isaac usque ad annum egressionis ex Ægypto, computantur anni quadringenti quinque. Cùm ergo de quadringentis triginta detraxeris viginti quinque, qui sunt à promissione usque ad natum Isaac, non mirum est si quadringentos & quinque annos summâ solidâ *quadringentos* voluit appellare Scriptura, quæ solet tempora ita nuncupare, ut quod de summa perfectioris numeri excrescit, aut infrà est, non computetur". Eandem interpretationem adhibet Beda, sed addit insuper aliam quâ annorum quinque superexcrescentia absorbetur: X. "Potest, inquiens, etiam sic intelligi, quòd à quinto anno Isaac, quo per filium ancillæ cœpit affligi, labor quadringentorum computetur annorum". Cùm igitur jam ante colloquium Dei cum Abrahamo, inchoatæ fuerint iniquitates Amorrhæorum, quas dicit *necdum fuisse completas*; imò quæ demùm post quingentos propemodùm exinde annos punitæ noscuntur: non apparet quomodò stare possit quod de *ultima Dei apparitione* Regibus denuntiat Salomon. Nec minor difficultas exurgit ex prædictis Christi ad Judæos verbis, *Implete mensuram patrum vestrorum*: quâ nimirùm mensurâ ad plenitudinem perductâ, impleri debuit illa ejusdem comminatio mox ibidem subjuncta, *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*: quæ comminatio nonnisi demùm post annos quadraginta à Christi passione effectum sortita est; quando per Romanos sub Duce Tito, Hierosolyma cum templo eversa est, absumptis in totum undecies centenis obsessorum millibus: Y. "Titus, inquit Eusebius, Judæâ captâ, & Hierosolymis subversis, sexcenta millia virorum interfecit. Josephus quoque scribit, undecies centena millia fame & gladio perijsse, & alia centum millia captivorum publicè venûndata. Ut autem tanta multitudo Hierosolymis reperiretur, causam azymorum fuisse refert, ob quam ex omni gente Judææ ad templum confluentes, urbe quasi carcere sunt) reclusi. Oportuit enim ijsdem diebus Paschæ eos interfici, in quibus Salvatorem crucifixerant". Et Hieronymus in caput 8. Zachariæ, loquens in specie de ruinâ templi: "A Vespasiano & Tito, inquit, templum Hierosolymis incensum est atque destructum: capta Urbs Bethel, ad quam multa millia confugerant Judæorum: aratum templum in ignominiam gentis oppressæ, à Tito Annio Ruso". De Urbe simul ac templo Josephus: Z "Ex quo primùm condita est Hierosolyma, inquit, usque ad ejus excidium, anni fuere 2177. Sed enim neque antiquitas, neque ingentes divitiæ, neque diffusa per totum terrarum orbem fama, neque magna Religionis gloria quicquam juvit, quo minùs periret. Postquam verò quos occideret, quidve raperet, exercitus non habebat, quòd iratis animis omnia deerant (neque enim parcendo, si esset quod agerent, abstinuissent) jussit eos Cæsar totam funditùs jam eruere civitatem, ac templum; relictis quidem turribus, *Phasaelo, Hippico, & Mariamme*; murique tanto, quantum cingebant ab occidente civitatem: id quidem, ut esset castrum illic custodiæ causâ relinquendis; turres autem, ut posteris indicarent, qualem civitatem, quàmve munitam Romanorum virtus obtinuisset. Alium verò totum ambitum civitatis ita complanavêre diruentes, ut qui ad eam accessissent, habitatam aliquando fuisse vix crederent". Ecce quemadmodùm adimpleta sit Prophetia illa Christi comminatoria, *Relinquetur vobis domus vestra deserta*? A. "Desertam, inquit Hieronymus, Judæorum domum, id est, templum illud quod fulgebat augustiùs, oculis comprobamus; quia habitatorem Christum perdidit, & hæreditatem præripere gestiens occidit hæredem". Quinetiam à cælestibus Spiritibus, pridem ibi velut commorantibus, desertam fuisse eandem domum paulò ante extremum excidium, innuit qui suprà Josephus & ipse Judæus: B. "Pro fabula fortasse, inquiens, quod dicturus sum haberetur, nisi qui viderunt superessent, & clades dignæ præsagijs secutæ fuissent. Namque ante Solis occasum visi sunt per inane ferri currus totis Regionibus, & armatæ acies tranantes nubila, & civitati circumfusæ. Festo autem die, quam *Pentecosten* vocant, noctu Sacerdotes intimum templum, more suo, ad divinas res celebrandas ingressi, primùm quidem motum, quendamque strepitum senserunt; posteà verò subitam vocem audierunt, quæ diceret: *Migremus hinc*". Cæterùm antequam domus illa relinqueretur deserta, complura Judæorum peccata præcesserant, non solùm recentia, sed & vetera.

Ibid. v. 16.

W August. q. 47 in Exodum.

Gen. 21. 12.

X. Beda in cap. 7 Actorum Apostolicorum.

Mat. 23. 38.

Y. Eusebius in Chronico. Vide Josephum lib. 7. de Bello Iudaico c. 17.

Z. Josephus l. 7. de Bello Iudaico, cap. 18.

A Hieronym. in cap. 23. Matth. v. 38.

B Josephus lib. 7 de Bello Iudaico cap. 12. Vide Euseb. lib. 3 Hist. cap. 8.

Mat. 23. 31. Ibid. v. 32.

C Hieron. in cap. 23. Matth. v. 32. Vide Chrysost. Orat. 2. contra Judæos, & Homil. 75. in Matth.

Sap. 6. 6.

& vetera. Unde & Christus dicebat eis pridem, *Testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum qui Prophetas occiderunt.* Ac tum subdit, *Et vos implete mensuram Patrum vestrorum* : hoc est, prout interpretatur Hieronymus, C. Quod „defuit, vos adimplete: illi interfecerunt „servos, vos Dominum crucifigite: illi Pro„phetas, vos eum qui à Prophetis prædicatus est". Quamvis ergo populus ille ab antiquo Prophetas occidendo deliquisset, adeòque reatum extremæ desolationis ac desertionis incurrisset, nequaquam tamen *Citò ei Dominus apparuit*, juxta comminationem Salomonis: sed per multa sæcula supplicium commeritum suspendit, & patrum iniquitatem in filios imitaturos transtulit. Et quid dico, *sæcula*: cùm possim dicere, annorum millia? Prænunciat quippe eis Christus ibidem, fore, *Vt veniat super ipsos omnis sanguis*

Mat. 23. 35.

iustus qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti. Jam ante quatuor circiter annorum millia fusus fuerat *Abelis* sanguis; quem tamen venturum super generationem istam, prænuntiat post tantum temporis intervallum Veritas. Quomodò igitur stabit illud Salomonis ad dyscolos Principes, *Citò apparebit vobis Dominus*? Quòd si fortè quis contendat,

PRÆOCCVPATIO.

Dominum dici *citò apparitùrum*, quia etsi non vindicet statim post inchoationem culpæ, vindicat tamen statim post completionem mensuræ: in adversum facit, quod ij quibus Christus ait, *Implete mensuram patrum vestrorum*, id proculdubiò præstiterint, quando Christum peremerunt. Et tamen nonnisi post quadraginta à mensuræ completione annos Dominus eis apparuit, *relinquendo eis domum suam desertam*: D. Totis quadraginta annis, in„quit Eusebius, post temeritatem contra „Christum præsumptam, Deus exitium eorum distulit". Non ergo *citò eis apparuit*, sed octo annorum lustra eis ad resipiscendum clementer indulsit.

D Euseb. lib. 3. Historiæ cap. 7.

EXCUTITUR.

DXXVI. Pro hujus scrupuli excussione observandum est, non parem esse rationem singularium personarum, & integrarum communitatum seu Rerumpublicarum: ut vel inde patet; quòd quoties persona singularis delinquit, non pro parte delinquit, pro parte non delinquit, sed tota delicto subjacet: quia voluntate, quæ totius suppositi facultas principalis est, delinquit. At verò quando communitas aliqua delinquit, non est necesse quòd tota delinquat, sed plerunque contingit ut aliqui in eâ se à delicto cohibeant. Atque hinc ulteriùs fit, ut Deus crebrò differat supplicium communitatis delinquentis, intuitu partis innocentis. Sic enim in Genesi legimus paratum fuisse Deum parcere Sodomæ, si in eâ invenirentur vel decem justi: *Non delebo*, ait ipse, *propter decem.* Quinimò

Gen 18. 32.

cùm paulò pòst effusurus iram in criminosos, evocaret justum Loth salvandum in Segor: *Festina*, ait ei, *& salvare ibi: quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc*: E. Dominus, „inquit Augustinus, cùm per Angelos suos ju„stum Loth de Sodomis exeuntem urgeret ut „properaret in Segor: *Non enim potero*, inquit, „*facere rem, donec tu illò introeas.* Non posse se „dixit, quod sine dubio poterat per potentiam, sed non poterat per justitiam". Atque hinc claret, exempla Amorrhæorum & Iudæorum, superiori §. objecta, nequaquam officere comminationi illi Salomonicæ ad Reges improbos, *Citò apparebit vobis Dominus.* Exempla enim concernunt communitates integras; comminatio autem Salomonica, Regum personas: personæ autem Regum improborum, ut mox innuimus, per se primò obnoxiæ sunt supplicio; non sic autem integræ communitates. Et quidem in specie de Amorrhæis seu Chananæitis incolis monet Theodoretus, eos non fuisse universim improbos eo tempore quo de ipsis ait Dominus Abrahæ, *Necdum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum*: F. Quòd autem, inquit ipse, illis „temporibus essent pij viri, constat ex *Melchise„dech & Abimelech*, & his qui incolebant terram „Hebron. Illi enim Patriarcham (*Abraham*) „magnoperè venerati sunt: audiuntur nam„que clamantes, *Rex es tu à Deo apud nos, in* „*electis monumentis nostris sepeli mortuum tuum*". Quemadmodùm igitur paratus fuit Dominus parcere Sodomæ, si tempore deletionis in eâ vel decem reperti fuissent insontes: ita credi potest suspendisse pœnale excidium Amorrhæorum, intuitu paucorum inter eos proborum. De Iudæis idipsum potiori jure censeri potest, utpote *Quorum adoptio erat filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa: quorum patres, & ex quibus Christus secundùm carnem.* Quod postremum vel solum sufficere potuisset pro conservandâ istâ gente, usque saltem ad Christi exortum: ut nimirùm non excideretur arbor, quoadusque proferret fructum. Unde & in Genesi scriptum est, *Non auferetur sceptrum de Iudâ, & Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est.* Porrò hæc ipsa ratio differendi excidium Iudaicæ gentis, per quandam velut redundantiam suspendit ad tempus exterminationem quarundam aliarum gentium, quæ Christo nascituro progenitrices subministrarunt. Neque enim excidi debuit Hiericho, quoadusque proferret Rahab; aut Moab, donec ex eâ prodiret Ruth: quæ in Christi Genealogiâ memorari meruerunt. Accedit quòd usque ad extremum excidium fuerint semper in eâ gente nonnulli *Eruditi corde in sapientia*, & *Adoratores patris in spiritu & veritate.* Etenim ut Augustinus apertè perhibet: G. Illius Hieru-

Gen 19. 22.
E August. lib. contra Gaudent. cap. 30.
Sap. 6. 6.
Gen. 15. 16.
F. Theodoret. q. 65 in Genesim.
Gen. 23. 6.
Rom 9. 4. & 5.
Gen. 49. 10.
Psal 89. 12.
Ioan. 4. 23.
G August. Epist. 106.

Mat. 23.37. „ſalem filios, *Quæ interfecit Prophetas, & lapidavit* „ *ad ſe miſſos*, quamvis ipſâ nolente, collegit „Dominus quos voluit, & ante Incarnationem „ ſuam ſicut ipſos Prophetas; & poſteàquam „ Verbum caro factum eſt; ſicut Apoſtolos, *Act. 4. 34.* „& hominum millia, *Qui & pretia rerum ſuarum* „ *ante pedes Apoſtolorum poſuerunt*. Omnes quippe *Mat. 23.37.* „ illi filij ſunt Hieruſalem, *nolentis ut colligeren-* „ *tur*; qui tamen illâ nolente collecti ſunt: de *Mat. 12.27.* „ quibus dicit, *Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filij veſtri in quo ejiciunt*"? Propter horum ergo merita, & ad eorum deprecantium interceſſionem, differri potuit exciſio gentis, quanquam jam in ſterilem verſæ ficulneam. Quod enim ſcriptum eſt, cultorem vineæ rogaſſe Dominum pro ficulneâ infructuosâ, *Domine* *Luc. 13. 8.* *dimitte illam & hoc anno*: H. Vox Apoſtolorum *H. Beda l. 4. in Lucam cap. 57.* „ eſt, inquit Beda, qui poſt Paſſionem Domi- „ ni pro Judæis ſummoperè precabantur, ne „ ab impœnitentibus ultio Dominicæ crucis peteretur". Propter naſciturum itaque ex Judaicâ gente Chriſtum, rectè dilata eſt gentis excisio uſque ad Chriſtum: & propter interceſſionem bonorum filiorum, dilata excisio impiæ matris, aliquamdiu poſt Chriſti Paſſionem. Clatet ergo hinc quàm diſpar fuerit ratio taxandi ſupplicia iſtarum Rerumpublicarum, & ſupplicia Regum dyſcolorum, *Sap. 6. 6.* quibus Salomon minatur *Citiùm Domini apparitionem*. Certè enim Deus priùs abſtulit Reges à Judæorum gente, quàm ſubverteret ipſam gentem: nam illos abſtulit miniſterio Chaldæorum in captivitate Babylonicâ, quæ ſexcentis circiter annnis extremam gentis everſionem præceſſerat, Quanquam igitur Deus, juxta ejuſdem Salomonis oraculum, *Omnia in* *Sap. 11. 21.* *menſura, & numero. & pondere diſponat*; non eandem tamen menſuram adhibet tolerandis aut plectendis ſingularium perſonarum ſceleribus, atque integrarum Rerumpublicarum criminibus: nec eandem rursùs ſervat in puniendis Regum delictis, atque privatorum hominum erratis. Cujus diſparitatis ratio planior fiet ex dicendis proximo capite, in elucidatione illorum verborum, *Iudicium du-* *Sap. 6. 6.* *riſſimum his qui præſunt fiet*. Ut igitur pleniùs perſpiciatur cur Salomon dixerit Dominum *cito* Regibus dyſcolis *appariturum*, diſcernendæ ſunt communitates humanæ, à perſonis humanis: & rursùs in perſonis diſcernendæ ſunt privatæ, à publicis. Quoniam igitur tardiùs ſolet Deus effundere iram ſuam in communitates, quàm in perſonas; & inter has tardiùs in privatas, quàm in publicas: hinc quia Salomon comminationem ſuam direxit ad Reges, qui ſunt perſonæ publicæ; idcircò rectiſſimè ac ſaluberrimè eis inſonuit illud terrificum; *Citò apparebit vobis Dominus*. Tanquam diceret; Nolite errare putando Deum eâdem tolerantiæ ac longanimitatis menſurâ uſurum erga vos, quâ & erga integras hominum communitates, vel ſaltem erga peccatores privatos. Non ita eſt, nec ita fiet: ſed tametſi illis prioribus tardè, & iſtis poſterioribus tardiuſculè ad ulciſcendum appareat, equidem *Vobis citò apparebit*,

CAPVT

CAPUT CXL.

Dyscolis Regibus horrendam fore Dei ultoris apparitionem probat Rex Salomon generaliori effato cunctis hominum Rectoribus terrendo; Judicium durissimum his qui præsunt fiet: *cujus sensus eruitur, & varia lectio sistitur. Ubi largior datio, ibi arctior exactio. Recensentur aliquot Sancti, qui refugerunt honorem Prælationis, ob annexum periculum subversionis. Prælatus tot animarum fit reus, quot subditi per ejus segnitiam aut nequitiam pereunt. Varia ambitiosorum artificia pulsandi dignitatum ostia. Eorundem praxis extenuandi sua vitia, per exemplorum à vetustate conquisitorum patrocinia. Ivoni Carnotensi nihil aliud est Episcopatus; quàm cruciatus;* Episcopalis bonor, *quàm onus;* Episcopalis *sublimitas, quàm naufragosa tempestas. Indiscreta cujusdam indignabundi Concionatoris coram Alberto Cæsare quæstio,* Salvarine principes possint? *sed insulsior responsio;* Si baptizati in cunis moriantur, non est eorum salus desperanda. *Benigna interpretatio Chrysostomiani dicti,* Miror an fieri possit ut quisquam ex Rectoribus salvetur. *Quantopere terreat Deus speculatores à se constitutos? Speculator terræ, Rex vel Propheta; Speculator Ecclesiæ, Episcopus vel Sacerdos. Quâ ratione juxta Augustinum quædam participatio officij Episcopalis competat cunctis hominum Rectoribus Christianis? Christianorum hierarchæ cur dicantur* Episcopi, Præsules, Antistites, Pontifices? *Elucidantur nonnulla eorum insignia, signanter* Baculus, Annulus, Mitra. *Eorum nomina cum insignibus indicant, quales esse debeant. Regibus gravissima adjacet obligatio providendi Episcopatibus sui patronatûs Præsules idoneos, vitâ ac doctrinâ conspicuos. Hæresum ortus ac progressus plerunque provenit ex Episcoporum vel penuriâ, vel inscitiâ, vel segnitiâ. Princeps implicatur subditorum culpis, quas præcavere vel emendare cùm possit negligit. Cur peccante vetere Dei populo in Deserto, jussi sunt Principes suspendi palàm in patibulis? Recensentur multiplices tituli, quibus aggravantur delicta Principum, præ delictis clientum.*

DXXVII. RAtionem continuò subnectit Rex Salomon, ob quam præmiserat, apparitionem Domini dyscolis Regibus non Citò duntaxat, sed & *horrende* ingruere: *Quoniam*, inquiens, *Iudicium durissimum his qui præsunt fiet;* (Sap. 6.6.) sive, ut Syriaca editio Latinè versa exhibet, *Quoniam iudicium horrendum in Magnates exercebitur:* Arabica sic; *Quoniam sententia peremptoria superveniet in eos qui fortium potiuntur.* Congruit huic illa mystici Salomonis sententia, apud Lucam relata: *Omni cui multum datum est, multum quæretur ab eo.* Proinde quia arduum ac difficile est, ei qui multum acceperit, exactam totius accepti rationem reddere; hinc plerunque talis in reddendâ ratione deficit, deficiensque horrendam sententiam subit: [1] (Greg. Homil. 9. in Evang.) „Lectio Evangelij, inquit Gregorius, sollicitè „considerare nos admonet, ne qui plus cæte„ris in hoc Mundo accepisse aliquid cerni„mur, ab authore Mundi graviùs inde judi„cemur. Cùm enim augentur dona, ratio„nes etiam crescunt donorum. Tanto ergo „esse humilior, atque ad serviendum prom„ptior quisque debet ex munere, quanto se „obligatiorem esse conspicit in reddendâ ra„tione." Rectè proinde probat Salomon intentum de Regibus, ex generaliori illâ sententiâ de omnibus hominum Præfectis, *Iudicium durissimum his qui præsunt fiet.* Nam cùm Reges præsint, planum est eos comprehendi sub ijs *qui præsunt*, sive sub ijs quos Syrus Interpres vocat *Magnates*, & Arabs *Sortium potentes.* Præsunt quippe omnes, qui homines sibi subditos regunt sive politicè, sive hierarchicè. Unde videmus viros sanctissimos,

conside-

consíderato periculo Præfectis impendente, enisos fuisse vel subterfugere, vel abdicare regimen animarum: ut Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum, Gregorium, Ephrem, Synesium, Evagrium, Marcum Exercitorem, Bernardum, Thomam Aquinatem, aliosque innumeros quorum vitæ prostant. Nec sanè mirum: nam, ut quidam Eruditus ac pius Prælatus prædictis recentior ait: K. Onus grave & valde formidabile esse comprobatur animarum regimen: sed heu hodie à multis desideratur, quæritur, emitur, & absque timore obtinetur; quia quale sit, ignoratur. Attendunt hujusmodi præsentia, nec futura prospiciunt: magni æstimant, si præponantur cæteris, si alijs imperent, si honoribus extollantur: *Gaudent*, juxta Domini sententiam, *vocari ab hominibus, Rabbi:* & à subditis ut Patres venerari. Attendunt quid æstimentur, non quid sint; nec considerant ipsi, elatione tumidi, mente cæcati, intentione corrupti, & moribus perditi, quàm sit breve ipsorum gaudium, quàm formidabilis status, quàm fugitivi honores? nam tanquam somnium de strato surgentium est vita hæc, & omnis ipsius delectatio ad instar puncti: labitur enim cùm tenetur, amittitur cùm possidetur; nihil in eâ stabile, nihil mundum, nihil securum, nihilque æstimatione dignum. Quo autem dulciùs tenetur, eo duriùs ac laboriosiùs relinquitur; & quanto quis in eâ sublimior fuerit, tanto majora ab eo exigentur: teste namque Scripturâ, *Iudicium durissimum his qui præsunt fiet.* Venient quippe, venient dies, quando Dominus Jesus, vivorum Judex & mortuorum, à singulis suorum inquiret minutissimam rationem donorum: unusquisque namque pro se redditurus est rationem; Prælati verò & pro seipsis, & pro sibi commissis, respondere cogentur. Si autem pro se vix reperitur qui satisfacere valeat, quomodò qui præsunt satisfacient pro se, & pro multis"? Gravissima in hanc rem est illa Petri Damiani sententia: L. Episcopus tot est animarum reus, quot per ejus negligentiam, seu prava exempla, depereunt". Plura huc spectantia videri possunt apud Augustinum Serm. 49. de tempore, & in peculiaribus Tractatibus quos *de Pastoribus & de Ovibus* edidit, qui habentur Tomo 9. in quorum priori ait: M. Nos quos in isto loco, de quo periculosa ratio redditur, Dominus secundùm dignationem suam, non secundùm meritum nostrum, constituit; habemus duo quædam: unum quòd Christiani sumus; alterum, quòd Præpositi sumus. Illud, quòd Christiani sumus, propter nos est: quòd autem Præpositi sumus, propter vos (*subditos*) est. In eo, quòd Christiani sumus, attenditur utilitas nostra: in eo, quòd Præpositi, non nisi vestra. Sunt autem multi Christiani, & non Præpositi, qui perveniunt ad Deum; faciliore fortasse itinere, & tanto fortè expeditiùs ambulantes, quanto minorem sarcinam portant: nos autem, excepto quòd Christiani sumus, unde rationem reddemus Deo de vitâ nostrâ; sumus etiam Præpositi, unde rationem reddemus Deo de dispensatione nostrâ". Atque hinc est quòd idem ipse Augustinus tantoperè reformidarit subire onus Episcopale, ut privatus existens caverit ingredi eas civitates, in quibus nosset cathedram vacare; ne fortè invitus ei præficeretur, ac sic Episcopali animarum curâ oneraretur. Testatur hoc ipse de seipso, cùm ait: N. Usqueadeò timebam Episcopatum, ut, quoniam cœperat esse alicujus jam momenti inter Dei servos fama mea, in quo loco sciebam non esse Episcopum, ne illò accederem cavebam: & hoc agebam quantùm poteram, ut in loco humili salvarer, ne in alto periclitarer". Qui rursùs lib. 19. de Civit. cap. 19. "Locus superior, inquit, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur atque administretur, ut decet, tamen indecenter appetitur". Extat in hanc rem Imperialis Sanctio Corpori Juris Cæsarei inserta, quæ sic sonat: O. Tantum ab ambitu debet esse sepositus Antistes, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profectò enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus". Ex vetusto item Ecclesiæ ritu quisquis in Episcopum consecratur, inter ipsa solemnia rogatus à Consecrante *num velit Episcopari?* respondere debet semel, iterum, ac tertiò: *Nolo.* Quæ responsio eò spectat, ut profiteatur se ordinari invitum: ut qui tanto oneri sustinendo sit impar, tanto muneri exercendo inidoneus, tanto honore indignus, non ambitione instinctus, sed necessitate Ecclesiæ adactus: cujus utique regimen, ut Tridentina Synodus loquitur: P. *Onus est Angelicis humeris formidandum.* Unde meritò admirabundus & indignabundus exclamat Cyprianus: Q. Unde hæc sitis divitiarum miseris pectoribus assidet, & ambitionis salsugo bibulam animam occupat; ut per fas & nefas ad loca superiora etiam de latebris eremi nonnulli se ingerant: & de omni gradu, ubi aliquis aditus patet, anheli prodeant, discurrant ad Judices, blandiantur mediatoribus, conducant auxiliarios; & modis omnibus elaborent, ut sedeant cum Principibus"? Graviter quoque conqueritur Joannes Sarisberiensis: R. Non inveniri nisi perrarum, qui accingatur gladio super femur suum, ad præsumptionem hujusce ambitionis reprimen-

K. Laurent. Justinianus lib. de Disciplini & Perfect. Monasticæ convers. cap. 9. Vide Isidor. Pelus. lib. 2. Epist. 125. & lib. 3. Epist. 216. & lib. 4. Epist. 219.

Mat. 23. 7.

Sap. 6. 2.

L. Petri Damiani lib. 1. Epist. 9.

M. Aug. lib. de Pastorib. cap. 1. Vide lib. de Ovibus. c. 1.

N. August. Serm. 49. de diversis c. 9. Vide Epist. 148.

Vide Divum Thom. 2. 2. q. 185. art. 2. & seqq.

O. Lege 31. C. De Episcopis & Clericis.

P. Synodus Trid. Sess. 6. cap. 1. de Reformat.

Q. Cyprian. de Cardinalibus Christi Operibus, in Prologo.

R. Joan. Sarisb. lib. 7. Policrat. cap. 17.

„ reprimendam. Illa namque machinas multiplices erigit, ut expugnet nemine defendente. Alius enim de nobilitate confisus aut viribus potestatum, violenter in Sancta irruit; & si fortè pulsat ad ostium, parietem aut limina effodere non veretur: nam & seditionem concitabit in Moysen, & alienum ignem in templum inferet, & vasa Sanctuarij contaminabit. Alius sperans in multitudine divitiarum, Simone ducente ingreditur; non inveniens ibi, qui eum & pecuniam suam jubeat ire in perditionem. Alius in muneribus ad Petrum reformidat accedere, clanculò tamen per impluvium auri, ac si per tegulas Jupiter elabatur in gremium Danaes, sic in sinum Ecclesiæ proeus descendit incestus. Alius obsequio, quasi muneris ignarus, adest; ac si obsequia non cedant in muneris rationem: sed profectò nullum majus est munus, quàm cùm homo seipsum devovet hominis servituti. Alium collusione quâdam liberalitas prævenit vocantis, sed postmodùm collatam gratiam suo Giezi pleniùs compensabit. Alius agit ne ipsum pulsare oporteat, sed ad ingrediendum compellatur invitus; & quasi obnubilans lucernam Dei, ut eum impunè irrideat fraudulentiùs". Sed non erit injucundum audire ex eodem authore, quàm dextrè ac solerter hi Episcopatuum aucupatores conentur eluere si quas habent maculas promotioni suæ incommodantes, & elidere exceptiones sibi obstantes. Subdit ergo ipse inferiùs ibidem cap. 19. " Plures incontinenter ambiunt, & impudenter: frustrà enim ut quemquam eorum repellas, aliquem oppones titulum; quia clamore conductitio prævalente delebitur, concurrentibus exemplis & Sanctionibus Patrum. *Ignobilis est?* Sed nec Petrus Patricius extitit, aut alicubi de claritate sanguinis gloriatur. *Minor est?* Hieremiam & Præcursorem Domini habet authores. *Puer est?* Monstrat seniores à Daniele puero condemnatos. *Illiteratus est?* Sed nec scholas frequentasse leguntur Apostoli. *Conjugatus est?* Sed Apostolus unius uxoris virum præcipit eligendum. *In injuriam matrimonij suam reliquit uxorem?* Sed Joannes à nuptijs ad Euangelium traditur revocatus. *Oficus, aut potiùs elinguis est?* Sed Aaron vices Moysi, qui erat impeditioris linguæ, & sacerdotium legitur ministrasse. Si moderniora desiderantur exempla, Valerius Vincentio fidei ac morum Doctor extitit, & exemplar martyrij. *Scorta sectatus est?* Sed Osee, mandante Domino amplexibus meretricis adhæsit. *Insipiens est?* Sed per insipientiam Mundi decrevit Deus salvare credentes. *Percussor est?* Sed Petrus gladium exerens, servi Principis Sacerdotum auriculam amputavit. *Meticulosus est?* Sed Jonas ad Ninivitas, Thomas ad Indos, veritus fuit accedere. *Tenetur functionibus publicis alligatus?* Sed Matthæus de telonco assumptus est. *Vinolentus est, & deditus gulæ?* Sed Dominus ipse dictus est potator vini, vorator carnium. *Non acquiescit Maioribus?* Sed & Paulus in faciem restitit Petro. *Contentiosus est?* Sed inter discipulos Jesu facta contentio memoratur. *Garrulus est, & linguosus?* Facundus habeatur, quoniam & Apostolus sic dictus est seminiverbius. *Militiam armatam exercuit?* Sed Martinus Juliano legitur militasse. *Vir sanguinum est?* Sed Moyses Ægyptium interfecit, & abscondit in sabulo. *Manifestus est homicida?* Sed Samuël, præsente Populo, Regem pinguissimum interfecit. *Perfidus est & perjurus?* Sed Petrus perfidiam perjurio cumulavit. *Mutus est?* Sed hoc Zachariam à sacerdotio non exclusit. *Cæcus est?* Sed & Paulus videre non poterat, quando eum Ananias Domino consecravit. *Exigentibus culpis depositus est?* Sed multi tales restituti sunt, & postmodùm Ecclesiæ Dei plurimùm profuerunt. *Surdus est?* Sed hoc præconari legem Dei non prohibet: prædicator enim quæritur, non auditor. *Leprosus est?* Sed de Pastore pastorum Ecclesia recolit, quia nec speciem nec decorem habens apparuit; qui excludendus videretur tanquam leprosus, & nec humano dignus aspectu. *Persona despicabilis est?* sed in simili repulsæ titulo adversùs Martinum non audivit Ecclesia defensorem. *Errat in fide?* Sed & hoc fecisse dicitur Cyprianus. *Valetudinarius est?* Sed Gregorius in summo languore Romanam optimè gubernavit Ecclesiam. *Superbus & vanus est?* Sed talis fuit Brixius Turonensis. *Corpore & membris debilitatus est?* Sed hoc egregio Confessori Paphnutio legitur accidisse. *Condemnat seniorem ambitus tului?* Sed & filiorum Zebedæi petentium primatum reprobata est petitio. *Hæresim quandoque docuit?* Sed Augustinus se Manichæum fuisse fatetur. *Coluit idola?* Sed & Marcellinus Martyr insignis in Papatu thurificare compulsus est. *Fortè nondum est Christianus?* Sed dum Catechumenus esset, B. Ambrosij fuit electio celebrata. *Persecutus est Ecclesiam Dei?* Sed & Paulus ex persecutore factus est Prædicator. *Electio deest?* Sed & Apostoli non petentibus populis missi sunt. *Non vacat Sedes, in quam possit intrudi?* Accedat præsidentis nam & Augustinus Valerio Hipponensi non tam successisse, quàm accessisse describitur. *Avarus est?* Dispersa poterit congregare, & inutiliter non distrahet congregata. Ut paucis universa complectar, *ad omnia ineptus est?* Sed Sampson mandibulâ asini Philistijm expugnavit: potens est & nunc Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ. Adhæc, dubium esse non debet,

„ quin cathedra Episcopalis Sanctos recipiat, „ aut Sanctos faciat : nam & cùm Saul inunctus esset in Regem, insilijt in eum Spiritus „ Domini, prophetavitque, & mutatus est „ in virum alium : Caiphas quoque, licèt Sacrilegus, ut qui cum Judæis conspiraverit „ in necem Salvatoris; cùm esset Pontifex „ anni illius, prophetavit : ut constet ipsum „ ex officio, prophetiæ gratiam, quam demeruerat, accepisse". Ecce quàm dextrè quàmque solerter annitantur ambitiosi amovere obstacula, quibus retardentur, ne pleno cursu ad concupitas infulas, cum præsentissimo animarum suarum periculo, & subditorum detrimento, perveniant! Atque utinam secum perpenderent id, quod pridem insignis quidam Episcopus, ex libro experientiæ depromptum, prodidit : [s] Quid est „ Episcopatus, nisi cruciatus? Quid aliud „ est hic honor, nisi onus? Quid est hæc sublimitas, nisi naufragosa tempestas"? Et alius quispiam Vir sanctus & eruditus, non quidem Episcopus, sed tamen Episcopatus recusatione celebrior & illustrior : [t] Medi„tantibus, inquit, honores blandiuntur, „ sed onera pensantibus tædio sunt atque „ formidini. Non autem omnes capiunt verbum hoc : multi alioquin non tantâ fiduciâ „ & alacritate currerent ad honores, si esse „ sentirent & onera : gravari profectò me„tuerent, nec cum tanto labore & periculo „ quarumlibet affectarent infulas dignitatum". Et mox infrà rursùs ibidem : " Cæterùm, inquit, curritur in Clero passim ab „ omni ætate & ordine, à doctis pariter & „ indoctis, ad Ecclesiasticas curas, tanquam „ sine curis jam quisque victurus sit, cùm „ ad curas pervenerit. Nec mirum id de „ his, qui necdum in semetipsis experti sunt: „ videntes quippe illos, qui jam proprios hu„meros cupitæ sarcinæ submiserunt, non so„lùm non gemere quasi sub onere, sed etiam „ appetere plus onerari; non deterrentur pe„riculis, qui cupiditate cæcati non vident, „ sed favoribus ampliùs, quos illis invident, provocantur".

s. Ivo Carnot. Epist. 27. Vide eund. Epist. 23.

t. Bernar. Epist. 42.

DXXVIII. Non de solis Præfectis hierarchicis, sed universim de omnibus hominum Rectoribus, in sua Præfectura segniter aut nequiter sese gerentibus, loquitur Salomon cùm ait, *Iudicium durissimum his qui præsunt fiet*: inde enim admonitos vult Reges, de *horrendâ Domini apparitione* ipsis ingruente. Refert Æneas Sylvius, Concionatorem quendam in præsentia Alberti Cæsaris proposuisse auditorio quæstionem, num possibile sit Principes salvari? Ac demùm adductis pro utraque parte argumentis, conclusisse pro affirmativa, dum tamen contingat eos Baptismo regeneratos mori in cunis : [v] Religiosus „ quidam Prædicator, ait ille, ex Ordine „ Minorum, animadvertens Albertum Cæ„sarem, Ladislai patrem, qui Sermonem suum „ Viennæ audiret, somno gravatum esse, ait „ altiori voce : *Quæro ex vobis, qui adstatis, Salvarinè Principes possint?* Cùmque rem dubiam „ & admodùm difficilem reddidisset : *Apagite*, „ ait : *namque si baptizati Principes in cunabulis moriantur non est desperanda eorum salus*". Sed hoc nimis exorbitanter ac temerè dictum fuisse satis inprimis liquet ex dictis superiùs hìc §. 500 ubi de salute Regum ac Magnatum disseruimus adversùs veteres & novellos Sectarios : deinde ex Catholicæ Ecclesiæ certissimo consensu, quæ inter Sanctos colit Reges complures nequaquam in cunis defunctos : ut sub lege naturæ Melchisedechum, & Jobum; sub lege Moysaica Davidem, Ezechiam, & Josiam, ab ipso Deo per Ecclesiastici organum canonizatos; ac demum sub lege Euangelica Henricum Romanorum, Ludovicum Gallorum, Hermenegildum Hispanorum, Eduardum Anglorum, Stephanum Hungarorum, Canutum Danorum, & alios innumeros Reges inclytos, qui de terreno regno ad cæleste transmigrarunt. Sed Concionator ille fortassè deceptus est ex quadam sententia Joannis Chrysostomi : qui explicans locum illum Apostoli, *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis : ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*: [w] Papè, inquit, quantum est periculum! „ Quid de miseris illis dixeris, qui se conji„ciunt in tantam abyssum suppliciorum? Om„nium quos regis, virorum & mulierum & „ puerorum, à te reddenda est ratio; tanto igni „ caput tuum subjicis? Miror an fieri possit, ut quisquam ex rectoribus sit salvus". At verò Chrysostomus non impossibilitatem salutis talium astruit, sed oppositæ possibilitatis admirabilitatem. Quia nimirum res admiratu perdigna est, quomodò Deus tam copiosum gratiæ munus quibusdam populorum Rectoribus eroget, ut ij non solùm suæ, sed & tot aliorum vitæ gubernandæ sufficiant; cùm ex adverso complures alios non modò perire, sed & perdere dimittat. Cùm enim perarduum sit & operosum ut quis semetipsum inter tot tentationum laqueos custodiat, quanto magis ut etiam alijs secum custodiendis unus sufficiat. Centoculus Argus, juxta Poëtarum commenta, uni juvenculæ custodiendæ deputatus, paululùm dormituriendo perijt, & illam perdidit. Mille proinde oculis assiduè vigilantibus opus habet is, cui numerosæ communitatis custodia incumbit. Legitur Joseph fratribus suis dixisse cùm dominaretur in Ægypto, *Non videbitis faciem meam, absque fratre vestro minimo*. Hoc ipsum & Christus Mundi Dominus replicare censendus est cunctis, quibus hominum gubet

Sap. 6. 6.

v. Æneas Sylvius l. 1. Comment. de Dictis & Factis Alphonsi Regis n. 18.

Heb. 13. 17.

w. Chrysost. Hom. 34. in Epist. ad Hebræos.

Gen. 4[illegible]

gubernium vicariâ substitutione demandata ita ut nemo ipsorum vi[illegible] sit faci[illegible] Domini, cujus segnitia vel [illegible] minime subditorum perierit: sanguis enim pereuntis requiretur de manu speculatoris negligentis, Domino attestante per Prophetam, ut [illegible] cente: *Si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate suâ captus est, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram* X. Speculator terræ [illegible] uit Hieronymus, [illegible] Rex [illegible]
„ test intelligi, vel Propheta [illegible] Spec[illegible]
„ tem Ecclesiæ, vel Episcopus, vel Presbyter". Nec mirum est Regem terræ [illegible] Hier[illegible] mo comprehensum sub nomine *speculatoris*, [illegible] Augustinus ad quosque S[illegible] p[illegible] [illegible] n se-cul[illegible] res [illegible] ext[illegible] Episcopal[illegible] ti[illegible]:
Y. *Episcopus*, i[illegible] le a [illegible] est, [illegible]
„ super[illegible] tendit, [illegible] intendendo [illegible] at. [illegible]
„ qu[illegible] in [illegible] sui, si caput est [illegible]
„ m[illegible], debet ad eum pertinere Epis[illegible]
„ tûs officium, quomodo sui credant, ne aliqui
„ ipsorum in hæresin incurrant, ne uxor, ne
„ filius, ne filia, ne ipse servus quia tanti est
„ em[illegible]. D[illegible] Apostoli a prep[illegible] fuit
„ do[illegible] servo, & servum [illegible] do-mi-
„ no. Christus tamen pro ambobus unum
„ pretium dedit. Minimos vestros nolite con-
„ temnere, domesticorum vestrorum [illegible] tem
om[illegible] vigilantiâ procurate". V[illegible] de mu[illegible] riû §. [illegible] quem[illegible] mo[illegible] ùm C[illegible] ntin[illegible] Magnus Imperator pro[illegible] fit [illegible] *à Deo* [illegible] *tuum esse Episcopum eorum quæ extra Ecclesiam agenda forent*. Exdem qu[illegible] at [illegible] Reges à veter[illegible] dieti [illegible] *pa*[illegible] *populorum*, prout superiû §. 496. & 497. vi[illegible]. Et præterea alius quidam mo[illegible] r[illegible] tie, juxta quem Reges ter[illegible] n[illegible] participant de munere Episcopali: ut pr[illegible] si officio suo segniter aut ne[illegible] [illegible] functi fuerint, re[illegible] us sit sanguis [illegible] torum de m[illegible]. Quan[illegible] quam enim immediatè per [illegible] Episcopal[illegible] a nequaquam exerceant, ad E[illegible] sua regna vacantes pl[illegible] certas pers[illegible] præsentant, nominant, vel saltem commendant: & quamvis nonnisi hoc tertio mo[illegible] quemquam promóverent, equidem sanguis subditorum malè provisorum in eos redundaret, [illegible] M[illegible] natum commendatio sive supplicatio, parum abest quin sit [illegible]. Unde quidam rogat[illegible] ab Anglorum quondam Rege ut quidpi[illegible] sc[illegible] t, [illegible] bendum: Z Inter occ[illegible] anxia[illegible]
„ pestuosis Curiæ fluctus, & m[illegible] durum est
„ [illegible] scribere, & longè duriûs vestræ Ma-
„ [illegible] imperio contraire. Prece[illegible] quidem
„ [illegible] tras *imper*[illegible] voco: quia, sicut [illegible] r [illegible] anc
„ scr[illegible] quidam magi[illegible] meus: *Est orare Du-*
„ *cum, species violenta jubendi: Et quasi nudato supplicat ense potens*". Reges igitur, ac cæteri omnes [illegible] Magnates, [illegible] sive præsentando aut nominando, sive etiam commendando, quempiam i[illegible]doneum obtrudunt Sedibus Episcopalibus aut curis Pastoralibus, reos se esse noverint sanguinis subditorum, qui defectu id[illegible] pastoris aut vi[illegible] speculatoris intereunt. Qu[illegible] reatum ut evit[illegible], sollicitè a[illegible] Ecclesiis suarum di[illegible]onum præfici[illegible] viros tales, A. quos [illegible],
„ quos [illegible] vita probatior & litteratura
„ commendet; qui subjecto doceant, qui
„ divites non palpent; pauperes non gravent;
„ qui minas Potentum non timeant, qui cri-
„ mina [illegible] & marsupia non emungant;
„ quorum sermo sit doctrina, quorum con-
„ [illegible] sit [illegible], quorum authoritas sit
„ [illegible] in fa[illegible], [illegible] in erudi-
„ [illegible], & [illegible] one fidei; quorum vita sit
„ [illegible] quorum memoria
in [illegible] one". Quibus attentè ad ipsa nomina [illegible] Episcopalia reflectere voluerit, facilè ind[illegible] perspiciet qualis esse debeat, [illegible] Rex episcopari pro[illegible] ret: B. *Episcopus* dicitur [illegible] superintendens: quia
„ tanquam vineæ Domini [illegible] custos in specula
„ residens, instructioni & correctioni subdi-
„ [illegible] intendit. Hi quoque, quia dignitate
„ præsidet al[illegible], *Præsul* vocatur. Hic etiam *An-*
„ *tistes*, quasi ante stans, vel quasi contra stans,
„ dicitur, *anti* enim dicitur contra, quia hæ-
„ r[illegible], tanquam lupis, pro defensione
„ [illegible] resistere debet. Idem dicitur *Ponti-*
„ *fex* [illegible] pontem faciens,
„ [illegible], quo itur ad atria
„ vitæ. Hæc de nominibus, sequitur ibidem
mox de [illegible]". Huic dum regimen Ec-
„ clesiæ committitur, *Baculus* quasi pastori tra-
„ [illegible] tur: in quo tria notantur, quæ significatio-
„ ne non carent. Hæc sunt, recurvitas, vir-
„ [illegible], cuspis: quorum significationem brevi-
„ [illegible] erit egregius ille Versificator Episco-
„ [illegible] us Cenomanensis [illegible]: *Collige,*
„ *sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta. Hoc*
„ *est pastoris, hoc virga figurat honoris.* Et ite-
„ [illegible] *Attraho peccantes, justos re-*
„ *go, pungo vagantes: Officio triplici servio Ponti-*
„ *fici*. [illegible] & *Annulus*, tanquam sponsæ
„ Christi in typo Ecclesiæ, cujus ipse est caput:
„ & *Mitra*, tan[illegible] sponso & magistro, juxta
„ [illegible] *Sicut sponso alligavit mihi mitram*". Et infer[illegible]ùs cap. 55. peculiariter de mitra:" Mitra
„ Pontificali[illegible], est assumpta ex usu legis.
„ Hæc Græcè *tiara*, & *mitra*; Latinè verò *in-*
„ *fula*, & *pileum* appellatur. *Mitra* porrò, quæ
„ caput tegit & velat in quo est sensuum ple-
„ nitudo, custodia est sensuum ab illecebris
„ mundanorum. Duo ejus cornua, duorum
„ Testamentorum munimenta significant;

Ezech. 33. 6. Vide Aug. lib. de Pastoribus cap. 9. & serm. 49. de verb. Domini c. 12. & lib. [illegible] de Civit. c. 9.

X. Hieron. in cap. 33. Ezech. ad vers. 6.

Y. August. Serm. 51. de Sanctis. Vide eund. in Psal. 126. & lib. 19. de Civit. c. 19.

[illegible] supra §. 91.

Vide §. 496. & 497.

Z. Petr. Blesen. Epist.

A. Idem Epist. 27. Vide eund. in Canone Episcopali.

B. Hugo Victor. de Cæremoniis Ecclesiæ Lib. cap. 40. Vide Isidor. lib. 7. Orig. c. 12. & l. 2. de Officiis Ecclesiæ. [illegible]

„ quibus Episcopi & se & alios contra Mundi „ illecebras munire debent, & hostes Christi ventilare". Reliqua Episcoporum insignia, ut *Tunica*, *Dalmatica*, *Sandalia*, *Chirotheca*, suas habent significationes, ab eodem authore ibidem cap. 52. 53. 54. & 56. explanatas quas hic singulatim inserere longum foret: imò & superfluum, cùm ex adductis obvium sit perspicere, quibus dotibus ornatus esse debeat, qui ad Episcopatum præsentatur, nominatur, aut commendatur. De quibus doibus quid Jure etiam Cæsareo constitutum sit, patet ex Novellis Justiniani Constitutionibus, signanter ex 6. & 137. de quibus videri præter alios potest Joannes Sarisberiensis lib. 7. Policratici cap. 20. Quid verò Apostolus Paulus vas electionis de iisdem tradiderit, cernere licet ex ipsius Epistolis, signanter 1. Timoth. 3. & Tit. 1. Cujus textum huc spectantem prolixè & eruditè edisserit Alphonsus à Castro lib. 3. de justa hæreticorum Punitione cap. 5. ubi ex professo demonstrat ortum ac progressum hæresum in Republica Christiana provenire potissimùm ex provectione indignorum ad cathedras Episcopales, & curas pastorales: idque compluribus exemplis liquidò ostendit.

Justinianus.

Ioan. Sarisb.

Alphonsus à Castro.

DXXIX. Sed non ex solo isto capite aggravatur culpa & augetur proportionatè pœna terrenis Regibus à Salomone denunciata iis verbis, *Iudicium durissimum his qui præsunt fiet*. Alia sunt innumera ad idem gravamen, idemque consequenter augmentum, concurrentia: ut non planè de nihilo Chrysostomus superiori §. relatus dixerit, *Mirari se an fieri possit ut quisquam ex Rectoribus salvetur*: C. Princeps enim, ut quidam ait, tenetur de omnibus, & omnium author esse videtur. quia cùm omnia possit corrigere, eorum meritis particeps est, quæ noluit emendare. Cùm enim potestas publica sit, omnium vires exhaurit; & ne in se cessent, incolumitatem omnium debet procurare membrorum. Quot autem in administratione Principatus sunt officia, tot sunt principalis corporis quasi membra. Dum autem singulorum officia in integritate virtutis & suavitate operationis conservat, quandam quasi membris sanitatem procurat, & decorem. cùm verò ex negligentia aut dissimulatione potestatis circa officia, fit virtutis aut famæ dispendium, quasi in membra quæ incurrunt morbi & maculæ nec dubium, incolumitas capitis, ubi languor membrorum invalescit". Huc item spectat illa Isocratis ad Regem admonitio: D. Amicos tibi compara, non omnes qui id cupiunt, sed eos qui ingenio tuo digni fuerint: nec cum quibus jucundissimè vivas, sed cum quibus optimè civitatem administres. Tales viros eis rebus præfice, quas tumet ipse non perages; tanquam ipse præstiturus culpam eorum, quæ illi deliquerint. Et rursus. E. Imperium gerens, nullius improbi operâ ad gubernandum utitor: illius enim delictorum causæ in te referentur". Hoc itaque est quod mox ex Sarisberiensi audivimus, *Princeps tenetur de omnibus, & omnium author esse videtur*. Unde in libro Numerorum legitur, quòd cùm populus Israëliticus in deserto deliquisset, *Iratus Dominus dixerit ad Moysen: Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra Solem in patibulis*. F. Quid est, ait quidam, quòd populus in luxuriæ voraginem labitur, & in eorum Præpositos vindicatur? Subditi delinquunt, & Principes in patibulis suspenduntur? Scilicet alius est, qui peccat, alius qui vapulat? Cur hoc, nisi quia culpa subditorum in Præpositorum redundat opprobrium. & quod ab ovibus erratur, negligentiæ Pastorum adscribitur? Et vide hinc quàm formidolosus sit status Præsidentium, ut non modò pro suis, sed & pro subditorum puniantur offensis". Et Rabanus in ejusdem loci Commentario: G. Vides, inquit, quæ sit conditio Principum populi? Non solùm pro suis proprijs arguuntur delictis, sed pro populi peccatis coguntur reddere rationem; ne ipsorum sit culpa, quòd populus deliquit; ne fortè non docuerint, neque solliciti fuerint arguere eos qui initium culpæ dederint, uti ne contagio ulterius pergeretur in plures. Hæc enim omnia facere Principibus imminet, atque Doctoribus. Si enim illis hæc non agentibus, nec sollicitudinem circa plebem gerentibus, peccaverit populus; ipsi ostentantur & ad judicium producuntur. Arguit enim eos Moyses; id est, Lex Dei, velut negligentes ac desides; & in ipsos convertetur iracundia Dei, & cessabit à populo. Hæc si cogitarent homines, nunquam cuperent neque ambirent ad populi Principatum. Sufficit enim mihi, si pro meis proprijs arguar delictis: sufficit mihi pro memetipso & peccatis meis reddere rationem. Quid mihi necesse est, etiam pro populi peccatis ostentari ante Solem, ante quem nihil potest abscondi, nihil obscurari"? In Ecclesiastico legitur, *Secundùm Iudicem populi, sic & ministri ejus: & qualis Rector est Civitatis, tales inhabitantes in eâ*. In Proverbijs item scriptum est, *Rex qui sedet in solio iudicij dissipat omne malum intuitu suo*. Ex quo per locum à contrario sensus fit consequens, Regem non dissipantem mala intuitu suo non sedere in solio judicij. Si enim sederet, dissiparet: at per hoc si non dissipat, non sedet. Porrò si non sedet, profectò munus suum præcipuum non implet. quoniam, ut superius §. 508. visum, proprium ac potissi-

Sap. 6. 6.

Chrysost. supra.

C. Ioan. Sarisb. l. 4. Policrat. c. 12.

D. Isocrat. apud Stobæum Serm. 46.

E. Idem apud Serm. 44.

Num. 25. 4.

F. Petr. Dam. ... lib. ... 11. ...

G. ...

Eccli. 10. 2.

Prov. 20. 8.

ac potissimum Regum munus est *facere iudicium & iustitiam*, quod est *sedere in solio iudicij*. Neque enim idcirco Rex solium iudicij conscendit, ut otiosus quiescat, sed ut iudicium exerceat: utique iustum, quod antonomasticè *iudicium* nuncupatur, cùm dicitur, *Honor Regis iudicium diligit*: prout in eum locum Augustinus admonet: H. Iniustum, inquiens, est „ iudicium, & omninò non est iudicium, nisi „ merita reddantur sua unicuique, quemadmodùm *Honor Regis iudicium diligit*. Hoc ipsum voluit Arboreus, cùm praeallegatum Proverbiastis locum hac paraphrasi elucidaret: I. Rex aequissimus iustum exercens iu-„ dicium, dissidia & contentiones suorum sub-„ ditorum discutit & componit; bonis prae-„ mia constituit, & malis poenas irrogat, quos suo intuitu terret. Quòd si fortè subditi non satis deterreantur intuitu Principis, deterrebuntur saltem gladio quo praecingitur; de quo Petrus Damiani cuidam Principi ait: K. Non ad hoc praecingeris gladio, ut vio-„ lentorum mala debeas palpare vel ungere, „ sed ut studeas vibrati mucronis ictibus ob-„ truncare. Hinc est quod dicitur, *Dei minister est vindex in iram ei qui malè agit*. Si ergo Dei „ minister est, qui malè facientes in iram vin-„ dicat: diaboli proculdubiò minister est, qui „ criminosos ac reprobos suaviter palpat: & „ sicut Deo praebet obsequium, qui per-„ versos ulciscitur; sic adversarij minister est, qui iniqua perpetrantibus blanditur. Blanditur verò non solùm qui laudando applaudit, sed etiam qui cùm debeat & possit non plectit. Unde & idem ibidem superius praemiserat ad eundem: Dum peccatoribus par-„ citis, augere peccata convincens. Enervato „ quippe rigore iustitiae, status everti[?] disci-„ plinae: & [illegible] veritatis censura „ reprimitur, temeraria delinquendi licentia „ relaxatur. Inordinata sanè pietas nutrit „ impietatem, & timida manus medici auget „ vulnus aegroti: facit enim exuberare putre-„ dinem, dum non secando, sed palpando, „ quotidie superinducit vulnusculo cicatricem. Et in [illegible] inferius: Ubi legitimi „ vigoris censura reprimitur, [illegible] est ut „ prona semper ad malum fragilitatis humanae „ conditio ad illicita relaxetur: & in eum „ proculdubiò tota subjectorum culpa re-„ dundat, qui eos, ne praecipitanter exce-„ derent, sub disciplinae loro cohibere de-„ buerat. Inordinata nempe pietas Prin-„ cipis [illegible] est aliud quàm confusio ple-„ bis? Nam dum [illegible] à moderandâ regi-„ [illegible] habenâ reprimitur, subjecti quoque, „ velut effrenes equi, per abrupta raptantur: „ agere nimirum licet omne, quod libet; & „ tunc liquidò cernitur, quod saepè dictum in „ libro Iudicum reperitur: *In diebus illis non* „ *erat Rex in Israel, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur agebat*. Vidit utcunque hanc veritatem mono ille Regis Gallorum, qui Domino suo abolitionem criminis recusanti propterea, quòd esset tertium homicidium ab eodem reo perpetratum, respondit: L. *Domine, hoc primum duntaxat homicidium perpetravit: Tu secundum, & tertium. Nam si primi abolitionem ei non indulsisses, secundum & tertium non commisisset*. M. Principiious, ait quidam, datus est „ gladius ad vindictam malefactorum: ipsi „ verò abominationes eorum saepe dissimu-„ lant, aut per impunitatem potiùs fovent: „ videntes furem, currunt cùm eo; & portio-„ nem suam cum adulteris ponunt, & pol-„ lutis labij participio peccant, dum non corri-„ gunt, ut eis conveniat quod Apostolus di-„ cit, *Propterea vos non corripitis, quia eadem fa-* „ *citis agitis*. Omnia illicita committuntur im-„ punè, dum nulla pro divinae legis praevari-„ catione damnatur; imo *Laudatur peccator in* „ *desiderijs animae suae, & iniquus benedicitur*. Im-„ punitas est equidem negligentiae filia, con-„ tumaciae mater, radix peccati, nutrix adul-„ terij & incestus, mortis aeternae praeambula, „ praeparatrix inferni. Per impunitatem ma-„ litia impiorum convalescit, per hanc in suis „ stercoribus miseri computrescunt; atque „ peccatorum suorum urinam bibentes, *Glo-* „ *riantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis*. Et Bernardus: N. Impunitas, inquit, „ incuriae soboles, insolentiae mater, radix „ impudentiae, transgressionum nutrix. Et „ beatus si omni satagas curâ, malorum om-„ nium primam parentem cavere incuriam. Recitat quoque idem Bernardus ibidem superius canonem Synodi Rhemensis suo tempore celebratae praesidente Eugenio III. Summo Pontifice: in quo haec habentur, praesenti scopo admodùm opportuna: O. Infe-„ riorum culpae ad nullos magis referendae „ sunt, quàm ad desides negligentesque Re-„ ctores. Ex quo planum est, rectissimè à Salomone denuntiari dyscolis Regibus *Horrendam Domini apparitionem*: & causam subnecti, *Quoniam iudicium durissimum his qui praesunt fiet*. Si enim subditorum culpae in desides sint referendae Rectores, profectò necesse est eos Iudicium subire durissimum, qui subditorum multitudini praesident, nec proportionali curarum multitudine se angunt. Et verò quotusquisque inter Reges est, qui hoc solidè praestet? Atque utinam ij qui eâ in re desides sunt: suam saltem desidiam agnoscerent, & pro ejus remissione supplices Deo preces offerrent; dicentes cum Rege caelitùs illuminato non illud solum omni promiscuè hominum statui necessarium, *Ab occultis meis munda me Domine*; sed & istud ibidem subinfertum, Rectoribus hominum magis peculiare, *Ab alienis*

Ps. 98. 4.
H. Aug. in Psal. 98. n. 4.
I. Arboreus loco ad. 1 verbior. 9. 1
K. Petr. Dam. lib. 7. Epist. 11.
Rom. 13. 4.
Iud. 17. 6.
L. Apud Camerarium Tomo. 1. Operae Subcis. cap. 100.
M. Petr. Blesensis in Canone Epist.
Rom. 2. 1.
Ps. 9. 24.
Pro. 2. 14.
N. Bern. lib. 1 de Consid. cap. 5.
O. Concilium Rhemense can. 2.
Sap. 6. 6.
Ibid.
Psal. 18. 13.

Ab alienis parce servo tuo. Hæc quippe deprecatio eis congruit præ cæteris, in quos refundendæ sunt suorum respectivè subditorum culpæ: quales esse *rectores desides ac negligentes*, ex Rhemensi Synodo mox audivimus. Subditorum quippe culpæ etsi Principibus *alienæ* sint actu perpetrationis, ipsorum tamen sunt reatu participationis: prout in specie de culpa pravi Judicis a Principe constituti docet Isidorus, cum ait P Ad delictum pertinet Prin„cipum, qui pravos Judices contra volunta„tem Dei populis fidelibus præferunt. Nam „sicut populi delictum est, quando Principes „..., sic Principis est peccatum, quan„do Judices iniqui existunt. Novit id ille Orientis Imperator Andronicus Comnenus, cujus hanc superiùs § 507. exhibuimus ad Judices à se delectos commninatoriam parænesin: *Aut injurias, aut vitam relinquite: nam vos injuste agere, & vivere, nec Deo gratum, nec mihi eius ... ferendum est.*

Ibid. v. 14. — *Vide Euthymiū in Psal. 18. v. 14.* — *P. Isidor. lib 3 Sentent. c. 52 Vide Agapetum Diaconum in Parænesi ad Justinian. cap. 30.* — *Vide suprà § 507.*

DXXX. Sunt & alia complura capita, quibus Regum ac Principum delicta præ clientum culpis sive pondere gravantur, sive numero multiplicantur: ut proinde mirum non sit Salomonem omnibus perpensis vocem illam terribilem emisisse, *Judicium durissimum his qui præsunt fiet.* Cùm enim in divino judicio pro pondere & numero culparum sit modus ac mensura plagarum, proculdubiò tanto durior fiet sententia his qui præsunt, quanto gravior aut crebrior fuerit lapsus horum qui præsunt. Fit autem hic gravior inprimis ex ipsa sublimitate labentis; siquidem, attestante Beato Prospero, Q *Sublimiora quæque graviùs ruunt.* Inde est & illa Senecæ expostulatio cum Fortunâ: R *Quid me potens fortuna, fallaci mihi blandita vultu, sorte contentum meâ altè extulisti, gravius ut ruerem?* ... Satyricus, S *Omne animi vitium, tanto conspectius in se Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.* Cui consonans Isidorus. T Quanto, inquit, „quisque in superiori constitutus est loco, „tanto in majori versatur periculo. & quan„to splendoris honore excellior ..., „tanto, si delinquit, peccatum major est. Et Augustinus: V S... ..., quanto „altior, tanto est periculosior: ideoque „Reges quanto ... in majore sublimitate „terrena, tanto magis humiliari Deo de„bent". Et Petrus Chrysologus: W Quanto, „inquit, altiùs homo ascenderit, lapsus, tan„to altiùs cadet. Quid altius cælo? De cælo cadit, qui in cælestibus delinquit". Huic non absimilis, sed planè collateralis est alter titulus, unde Regum crimina magnoperè aggravantur: ingratitudo scilicet erga Deum, à quo ad thronum Regium provecti, & tanti beneficiis cumulati fuerint. Facilè enim quisque perspicit ingratitudinis culpam augeri, juxta excessum beneficiorum ab eo qui o... ditur perceptorum. Unde cùm Rex David offendisset Dominum abutendo uxore alienâ, & procurando mariti ejus necem, ait ei Dominus per Prophetam: *Ego unxi te in Regem super Israël &c. Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo?* Tertio item aggravatur Regum culpa ex circumstantia s... X Reges, inquit Isidorus, vitam „subjectorum malæ exempli ... vel æd„ificant vel subvertunt: ideoque Principem „non oportet delinquere, ne formam peccan„di faciat peccati ejus impunita licentia. „Nam Rex qui ruit in vitijs, citò viam „ostendit erroris, sicut legitur de Hieroboam, „*Qui peccavit, & peccare fecit Israël*. Illi namque „adscribitur, quicquid exemplo ejus à sub„jectis perpetratur". Et Beatus Fulgentius: Y Qui sunt, inquit, in sæculi culmine con„stituti, aut plurimos secum perdunt, aut „secum multos in viâ salutis acquirunt. Ma„gna tales aut pœna manet, si multis præ„beant malæ imitationis laqueum; aut glo„ria, si multis ostendant sanctæ conversationis exemplum". Quòd si fortè putet Princeps cavere scandalum occultando sua scelera, ne subjectis alioquin imitaturis innotescant: reclamabit idem qui suprà Satyricus, cujus & illud extat Poëma. Z *O Corydon, Corydon, secretum divitis ullum Esse putas? Servi ut taceant, jumenta loquentur, Et canis, & postes, & marmora, claude fenestras, Vela tegant rimas, junge ostia, tollito lumen E medio; clament omnes, prope nemo recumbat: Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi, Proximus ante diem caupo sciet.* Unde alius Poëta Imperatorem alloquens ait: A *Hoc te præterea crebro sermone monebo, Ut te totius medio telluris in orbe Vivere cognoscas: cunctis tua gentibus esse Facta palam; nec posse dari Regalibus usquam Secretum vitijs: nam lux altissima fati Occultum nil esse sinit, latebrasque per omnes Intrat, & obstrusos explorat fama recessus.* Non ergo fidatur Princeps fiduciâ latibulorum, sed potiùs sibi persuadeat dicta sua & facta, ferè etiam ... subditis innotescere, quæ ... prava ..., innumeros depravant: B *Scilicet in vulgus manant exempla regentum Utque ducum lituos, sic mores castra sequuntur.* Nemo ... Princeps gravissimè peccaturus, & omnium ... consequentium peccata portaturus ... et, ... lege lata quid... pravum ac ... naturali dilentatem ... perciperet. ... Claudianus in Panegyrico de Consulatu 4. Honorij mox citato, subdit post pauca: *Componitur orbis Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus Humanos edicta valent, quam vita regentis.* Et vero quid mirum ... moribus quàm ... Principum, ... runque studiosi res ... pum, quam Editor in ipsis Dei ...

2 Reg. 12. v. 7. & 9. — *X Isidor. lib. 3 Sent. cap. ...* — *3 Reg. 14. 16.* — *Y Fulgent. Epist. ...* — *Z Juvenal. Satyr. 9.* — *A Claudian. ...* — *B Claudian. ...*

Sap. 6. 6. — *Q Prosper. Epist. ad Demetriadem cap. 20.* — *R Seneca in Octavia Act. 2.* — *S Juvenalis Satyra 8.* — *T Isidor. lib 3. Senten. c. 30. Vide Plutarch. lib. de Civili Institut. ad Trajanum.* — *V Aug. in Psalm. 137. v. 4.* — *W Petrus Chrysolog. Serm. 26. Vide Chrysost. ... de Sacerdotio, & Homil. 3. in Acta Apost. Vide Agapetum in Parænesi c. 35. & ...*

tametsi Deus lege suâ mendacium & impietatem districtè prohibeat, nihilominùs fit quod in Proverbijs legitur: *Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios*. Cui sententiæ prorsùs parallela est illa Ecclesiastici, *Secundùm Iudicem populi, sic & ministri eius*. Ubi & illud continuò ibidem subtexitur, *Qualis Rector est Civitatis, tales & inhabitantes in eâ*: C. Ut plurimùm enim, inquit „ Basilius, subjectus populus conformare se „ solet moribus præsidentium: ita ut quales „ fuerint qui viæ ducatum præstant. tales necesse fit eos esse, qui per viam ab ipso ducuntur". Et ante Basilium Plinius: D. Flexibiles, „ inquit, quamcunque in partem ducimur à „ Principe, atque, ut ita dicam, sequaces „ sumus: huic enim chari, huic probati esse „ cupimus; quod frustrà speraverint dissimiles: eòque obsequij continuatione pervenimus, ut propè omnes homines unius moribus vivamus". Et mox infrà rursùs: Vita „ Principis, inquit, censura est, eaque perpetua. Ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur: nec tam imperio nobis opus est, „ quàm exemplo; quippe infidelis magister „ rectè est metus: meliùs homines exemplis docentur". Et ante Plinium Flavius Josephus: E. Ea, inquit, est humanarum rerum „ natura, ut cum Principum ac Magistratuum moribus etiam subditi depraventur, „ quorum modestiâ ceu normâ corrigi deberent, & pro virtutibus vitia sequantur: „ alioquin nisi eadem faciant quæ Reges, improbare eorum facta videntur". Et adhuc ante hunc Tullius: F. Permulti, inquit, imitatores Principum existunt: nam videre licet, si velis replicare memoriam temporum, „ qualescunque summi civitatis viri fuerunt, „ talem civitatem fuisse; quæcunque morum „ mutatio in Principibus extiterit, eandem „ in populo secutam. Idque haud paulò est „ verius, quàm quod Platoni nostro placet, „ qui *Musicorum cantibus* ait *mutatis, mutari civitatum status*. Ego autem nobilium vitâ victuque mutato, mores mutari civitatum puto. „ Quò perniciosiùs de Republicâ merentur „ vitiosi Principes, quòd non solùm Vitia „ concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem: neque solùm obsunt quòd ipsi corrumpuntur, sed etiam quòd corrumpunt; „ plusque exemplo, quàm peccato nocent". His consonat Franciscus Patricius, allegans in eam rem Platonem & Socratem: G. Principum exempla, ait ipse, facilè omnes sequuntur. Unde verum esse cernimus, quòd „ à Platone Socrateque dicitur, *Principes longè magis exemplo, quàm culpâ peccare*". Nihil dici potuit magis ad scopum nostrum appositè: neque enim ob aliud Principes magis peccant exemplo quàm culpâ, nisi quòd ipsa eorum culpa per adjunctam scandali circumstantiam aggravetur; & ita quidem, ut quanto est efficacior ad pelliciendum, & pluribus exposita ad imitandum; tanto authorem suum magis inquinet, ac divinæ ultioni obnoxium reddat. Hac enim ratione fit, ut ex illo etiam capite verificetur in Regibus & de Regibus illud Salomonicum, *Iudicium durissimum his qui præsunt fiet*. Undecunque enim aggravatur delictum; indidem aggravatur & supplicium: sicut scriptum est, *Pro mensurâ peccati erit & plagarum modus*. Unde & Augustinus ait, H Tanta est suppliciorum, quanta est diversitas meritorum".

DXXXI. Restat ut quemadmodùm recensuimus nonnulla capita, quibus Regum ac Principum delicta quoad pondus aggravantur; ita subjiciamus alia, quibus eadem quoad numerum multiplicantur. Horum unum suggerit nobis Isidorus cùm ait: I. Difficile est Principem regredi ad melius, si „ vitijs fuerit implicatus. Populi enim peccantes Judicem metuunt, & à malo suo „ legibus coercentur: Reges autem, nisi solo „ Dei timore metuque gehennæ coerceantur, „ liberi in præceps proruunt; & per abruptum „ licentiæ, in omne facinus vitiorum labuntur". Principes igitur, impunitatis scuto velut protecti, non solùm liberiùs peccant, sed & crebriùs quod semel placuerat iterant, atque ita peccata peccatis accumulant. Præterea tam proclive est eos progredi in pejus, quàm *difficile est eos regredi ad melius*: K. Peccatum namque, ut ait Gregorius, quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox „ ad aliud trahit: unde fit ut non solùm peccatum sit, sed peccatum, & causa peccati. „ Ex illo quippe vitio culpa subsequens oritur, ex quo cæcata mens ducitur ut pejus „ ex alio figetur. Sed peccatum quod ex peccato oritur, non jam peccatum tantummodò, sed peccatum est, & pœna peccati: „ quia justo judicio omnipotens Deus cor „ peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito etiam in alijs cadat: quem enim liberare noluit, deserendo percussit". Et rursùs ibidem post pauca: Prioris ergo „ peccati merito, peccatorum sequentium „ fovea tegitur: ut qui malum sciens perpetrarat, deinceps justè in alijs etiam nesciens „ cadat. Hoc quippe agitur, ut culpæ culpis „ feriantur, quatenùs supplicia fiant peccantium ipsa incrementa vitiorum. Nam quia „ omnipotens Deus ad pœnitentiam tempus „ indulget, quod tamen humana malitia ad „ usum suæ iniquitatis intorquet; nimirùm „ justo Dei judicio augeri culpa permittitur, „ ut ad feriendum altiùs quandoque eumuletur. Hinc enim de quibusdam Apostolus „ dicit, *Ut impleant peccata sua semper*. Hinc voce

Marginal notes: Prov. 29. 12. — Eccli. 10. 2. — C. Basil. in cap. 1. Isaiæ ad v. 23. — D. Plinius in Panegyrico ad Trajanum. — E Joseph. lib. 3. Antiquit c. 8. alias 10. — F. Cicero lib. 3 de Legibus. — Plato. — G Francisc. Patricius l. 1. de Regno cap. 7. — Sap. 6. 6. — Deut. 25. 2. — H. August. tract. 89. in Joan. — I. Isidor. l. 3. Sentent. cap. 50. — K. Greg. l. 25 Moral. c. 9. alias 12. — 1. Thess. 2. 16.

Apoc 22.11. „ voce Angelicâ Joanni dicitur, *Qui nocet,*
„ *noceat adhuc; & qui in sordibus est, sordescat*
Psal. 68.28. „ *adhuc.* Hinc David ait, *Appone iniquitatem*
„ *super iniquitatem eorum, & non intrent in justitiam*
„ *tuam.* Hinc rursùs de Domino ab eodem
Psal. 77. 49. & 50. „ Psalmistâ dicitur, *Immissiones per Angelos ma-*
„ *los, viam fecit semitæ iræ suæ.* Cor quippe Do-
„ minus prioribus meritis aggravatum, justè
„ permittit etiam subsequentibus maligno-
„ rum spirituum persuasionibus falli: quod
„ cùm dignè ex culpâ trahitur, reatus ejus in
„ pœnâ cumulatur. Unde & *iræ suæ* Dominus
„ *viam de semitâ fecisse* perhibetur: latior enim
„ est *via* quàm *semita.* Ex semitâ verò iræ suæ
„ viam facere, est iræ causas districtè judican-
„ do dilatare; ut qui illuminati rectè agere
„ noluerunt, justè cæcati adhuc faciant unde
„ ampliùs puniri mereantur. Hinc per Moy-
Gen. 15. 16. „ sen dicitur, *Nondum completa sunt peccata*
Amorrhæorum". Valdè ergo timendum est su-
premis Principibus, ne libertate abusi viam
faciant Iræ Dei; & dum ad melius regredi unde
exciderant dedignantur, impunitatis fiduciâ
freti, & peccati pondere pressi, in pejora &
pejora progrediantur; donec tandem eò per-
veniant, ut peccatorum mensuram soli Deo
Act. 1. 7. notam compleant. Notanter Dixi, *Soli Deo*
notam: quia sicut *temporum momenta*, ita & sce-
Mar. 13. 37. lerum pondera *Pater posuit in suâ potestate*: ut
1. Thes. 5. 4. Vide Aug. Epist. 80. & Hilar. Con. 30. in Matthæum, quemadmodùm admoniti sunt *omnes vigilare,*
ne *Dies Domini tanquam fur in nocte eos comprehen-*
dat: ita & admonitos se intelligant cavere ab
accumulandis sceleribus, ne fortè in quoto-
cunque perpetrando compleant mensuram,
imminenti ultioni divinitùs præfixam. Si
enim ea mensura innotesceret; perversi ho-
mines ad eam usque exclusivè peccarent in-
trepidè, & eâ semel transcensâ desperarent
Vide Aug. lib. 21. de Civit. c. 27. omnimodè. Utile proinde nobis est eam igno-
rare, ne vel præsumptione insolescamus, vel
desperatione defluamus; sed potiùs ante
quamlibet criminum accumulationem timea-
mus, & post non diffidamus. Præ cæteris por-
rò necesse habent populorum Rectores jugi-
ter vigilare; ne mensuram delictorum im-
pleant, atque ita viam superventuræ ultoris
iræ parent: nam cùm ex superiùs hic dictis
pateat, delicta talium graviora esse delictis
particularium, consequens planè est, ut ea
iterata vel quomodolibet multiplicata citiùs
compleant mensuram, quàm privatorum de-
licta compleant eandem: citiùs enim mergi-
tur navis quæ per vastas fracturas, quàm quæ
per arctas rimas aquam excipit. Atque idcircò,
prout superiori capite visum est, Salomon
Sap. 6. 6. Regibus peculiariter ait, *Citò apparebit vobis*
Dominus. Tantò enim citiùs apparet unicui-
que Dominus, quanto celeriùs ille mensuram
iniquitatum suarum complet: & rursùs tanto
celeriùs quisque mensuram complet, quanto
immaniores sunt iniquitates quas multipli-
cat. Sed jam progrediamur ad alia capita,
quibus Regum culpas multiplicari contingit,
inter quæ illud nequaquàm est prætereun-
dum, quod ab Augustino proditum habemus,
dicente: L. Quis ita sit mente cæcus, & ab L. August. l. 13. de Trin. cap. 13.
„ omni luce decoris alienus, ac tenebris de-
„ decoris involutus; ut eum qui nequiter
„ vivit ac turpiter, & nullo prohibente, nul-
„ lo ulciscente, nullo saltem reprehendere
„ audente, insuper & laudantibus plurimis,
„ *quoniam*, sicut ait Scriptura divina, *Lauda-* Ps. 9. 24.
„ *tur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua*
„ *gerit benedicitur*, implet omnes suas facino-
„ rosissimas & flagitiosissimas voluptates,
„ beatum dicat, quia vivit ut vult: cùm pro-
„ fectò quamvis & sic miser est, minùs tamen
„ esset, si nihil eorum quæ perperàm voluisset,
„ habere potuisset? Malâ enim voluntate vel
„ solâ quisque miser efficitur; sed miserior
„ potestate, quâ desiderium malæ voluntatis
impletur". Ex quibus Augustini verbis non
unum duntaxat, sed planè duo habemus ca-
pita; sibi alioqui subalternè cohærentia, qui-
bus Regum delicta multiplicari crebrescere-
que contingit: quorum primum est adjacen-
tia *potestatis, quâ desiderium malæ voluntatis implea-*
tur. Non quòd potestas in seipsa mala sit, aut
per seipsam faciat quemquam miserum, ne-
dum miseriorem: sed quia occasionem sup-
peditat non solùm peccandi, sed & peccata
multiplicandi: quam occasionem non parili-
ter habent, qui potestate carent: M. Videtis, M. Ambros. in Apologia 2. pro David. cap.
„ inquit Ambrosius, quòd potestas hæc sæ-
„ cularis frequenter nihil prosit; & plerunque
„ obsit: sæpè enim culpæ exitus in authoritate
est potestatis". Sermo est signatè de potestate
regiâ, quali præditus fuerat David, quando
cum aliena uxore coeundo deliquit; de quo
ibidem idem Ambrosius præmiserat, "Pec-
„ cavit, quod SOLENT REGES: sed pœni-
„ tentiam egit, & flevit, quod NON SOLENT
„ REGES. Rogavit veniam; non arrogans
„ potestatis, sed suæ conscius infirmitatis:
„ prostratus in terram cilicio se operuit, obli-
„ tus imperii, memor culpæ. Quem tu mihi
„ hujusmodi reperias virum, qui in potestate
„ constitutus non magis peccata sua diligat,
„ culpam prædicet, crimina defendat: qui
„ putet sibi, quod non decet, non licere; &
„ quod per justitiam non licet, nec per po-
testatem licere agnoscat"? Ubi satis indicat
paucos esse Reges, qui non de potestate usur-
pent sibi peccandi, atque etiam in peccatis
sordescendi, libertatem. Unde & Scriptura
peculiari titulo beatum ac laude dignum cen-
suit eum, *Qui potuit transgredi, & non est trans-* Eccli.
gressus, id est, qui ex suâ inobnoxia potestate
non sibi usurpavit delinquendi libertatem:
N. Illi, inquit Augustinus, qui potentes N. Aug. Serm.
viden-

de Diversis cap. 9. Vide eund. in Psal. 93. & Serm. 39. de Verbis Apost. c. 6.

„ videntur in sæculo, quomodò laudantur „ quando minus faciunt quàm possint? Ipsum „ laudavit Scriptura, *Qui potuit transgredi, & non est transgressus*". Hoc est, qui cùm puniri humanitùs non timeret; à reatu tamen, amore honestatis se cohibuit. Quod rectè inter alios Isidorus Pelusiota notavit, cùm diceret: O. Non qui omni caret ad improbitatem occasione, justus debet appellari; sed potiùs „ qui cùm possit nequam esse, minimè vult. „ Neque qui necessitate est temperans ac moderatus, temperans meritò vocetur; sed qui „ voluptati indulgere cùm possit, temperantiam libens ac volens amplectitur. Qui enim „ quæ volunt patrare non possunt, æquitatem „ sæpè servant; at cùm suppetit agendi facultas, refrænandi sunt. Optimus quisque tum „ maximè invalescit, & justus habetur, quando facultas injuriam pariat". Meritò ergo laudantur Reges, qui cùm impunè quoad homines peccare possent si vellent, se tamen intra rectæ rationis repagula continent, *Libertatem in occasionem carnis non dantes*: atque adeò ipsa eorum libertas impunè agendi, peculiarem eis suppeditat ansam peccandi, ac peccata peccatis intrepidè accumulandi: neque enim peculiarem promeretur laudem abstinendo, nisi qui peculiarem habet ansam transgrediendi. Alterum item caput multiplicationis scelerum, ab Augustino suprà indicatum, est frequentia palponum, qui non modò non reprehendunt Principes cùm peccaverint, sed audent etiam peccatum excusare; imò & laudare, atque insuper ad illud instigare. Cùm Henricus VIII. Anglorum Rex amore Annæ Bolenæ arderet, eamque in uxorem, repudiatâ suâ legitimâ, sumere intenderet, cujus tamen matrem adulterio pridem polluerat: quæsivit à Francisco Briano adulatore aulico; P. *Quale peccatum videretur, matrem primùm, deinde filiam cognoscere?* Respondens Brianus: *Omninò*, inquit, *tale, ô Rex, quale gallinam primùm, deinde pullum ejus gallinaceum comedere*. Non videtur tamen Gnatho iste supremum artis Gnathonicæ apicem attigisse: alioquin enim non solùm quod Regi placere noverat excusasset, sed & positivè laudasset, imò etiam jurejurando confirmasset: Q. Nihil „ meo judicio, inquit Pelusiota, adulatoribus molestius est; qui de divitum linguâ „ suspensi, adhibito etiam jurejurando confirment quicquid illis arridere cernunt, quantumvis turpe atque absurdum: ac contrà, si „ illis virtutem quoque ipsam displicere advertant, eandem & ipsi confestim vituperent". Hoc ergo artificio improbi isti palpones præcipitant Magnates in scelera, & *Aggravant contra eos densum lutum*: R. Adulantium „ linguæ, inquit Augustinus, alligant animas „ in peccatis: delectat enim ea facere, in quibus non solùm non metuitur reprehensor, sed etiam auditur laudator". Quam Augustini sententiam pulchro isto epigrammate expressit Prosper Aquitanicus: S. *Lingua assentatrix vitium peccantis acervat, Et delectatum crimine laude ligat: Nulla fit in lapso reparanda cura salutis, Blanditur sonti dum male suus honor.* Sed quoniam de adulationis vitio sæpiùs anteà per occasionem egimus, contenti hìc erimus repetere Vopisci Syracusani judicium super paucitate proborum Principum, & causis unde ea proveniat. Inde enim erui poterunt cætera penè omnia capita, quibus contingit multiplicari Principum culpas; adeoque parari viam iræ Dei, ut *Iudicium durissimum his qui præsunt fiat*. Quærit ergo ille cur tam pauci extiterint Principes boni, ut non malè à mimo quodam dictum fuerit, eos omnes posse in uno annulo perscribi atque depingi? Cui quæstioni ut satisfaciat, enumerat causas multiplices quibus contingit Principes depravari, signanterque inter eas recenset *improbos amicos*, quos rectè interpreteris adulatores: T. Quæritur, ait ipse, „ quæ res malos Principes faciat? Primùm nimia licentia, deinde rerum copia, prætereà „ AMICI IMPROBI, satellites detestandi, eunuchi avarissimi, aulici vel stulti vel detestabiles: &, quod negari non potest, rerum publicarum ignorantia". Subdit quoque author ibidem continuò: " Ego à patre meo au„divi, Diocletianum Principem jam privatum „ dixisse, *Nihil esse difficilius quàm benè imperare.* „ Colligunt se quatuor vel quinque, atque „ unum consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt, dicunt quid probandum sit: „ Imperator, qui domi clausus est, vera non „ novit; cogitur hoc tantùm scire, quod illi „ loquuntur. Facit Judices, quos fieri non „ oportet: amovet à Republica, quos debeat „ obtinere. Quid multa? Ut Diocletianus ipse „ dicebat, *Bonus, cautus, optimus venditur Imperator*". Hæc cùm ita sint, facilè quisque sagax ex eorum consideratione perspiciet, quàm duram provinciam subeant, & quàm grandi periculo sese exponant, qui Principatum super homines suscipiunt: ut proinde non malè scripserit quispiam Vir eruditus, Papali etiam honore posteà sublimatus: V. Quas non didicerunt artes, recusant omnes exercere: imperare autem, quæ ars artium est, omniumque „ difficillima, nemo recusat. Interrogatus Rudolphus Cæsar, qui primus in Familiam Au„striæ traduxit Imperium, cur ita fieret? *Non mirum*, inquit: *Stultos putant, qui regnare nesciant; stultum autem sese nemo judicat*". De hoc eodem Rudolpho Cæsare memorat Vernulæus, quòd W. Cùm aliquando Regium diadema ante „ oculos suos positum conspexisset, diu admirabundus hæserit, ac tandem dixerit: *O diadema, quàm blando jucundoque fulgore aspicientium*

O. Isidorus Pelus. lib. 5. Epist. 377.

Gal. 5. 13.

P. Apud Sanderum l. 1 de Schismate Anglican. & apud Rasallum in vita Thomæ Mori.

Q. Isidorus Pelus. lib. 5. Epist. 281. Vide lib. 2. Epist. 128. & lib. 4. Epist. 161.

Nah. 2. 6.

R. Aug. in Psal. 9. v. 24.

S. Prosper Epigram. 26.

Sap. 6. 6.

T. Flavius Vopiscus in vita Aureliani Cæsaris. Vide suprà hic § 42.

Diocletian.

V. Æneas Sylvius de Dictis & Factis Alphonsi Regis l. 2. n. 49.

W. Nic. Vernulæus l. 9. de Virtu. R. Austriacorum cap 4.

„ *oculos perstringis, & ad te allicis! At verò si* „ *scirent mortales, quantum sub te molestiarum lateat, nemo te etiam humo tolleret*". Invenio tamen eandem sententiam apud Stobæum attributam Regi Antigono: X. Antigonus, ait „ ille, ad vetulam quandam, quæ felicitatem „ ejus extollebat: *Si nosses*, inquit, *ò mater*, „ *quantis malis panniculus iste* (ostenso diademate) „ *plenus esset, ne in sterquilinio quidem iacentem levares*". Et certè tanto credibilius est Antigonum eâ sententiâ usum fuisse, quanto magis ipsa consonat alteri ejusdem Antigoni dicto, superiùs §. 497. relato, quo filium suum corripiens aiebat: *An nescis fili, nostrum regnum nobilem esse servitutem?* sed planè nulla major molestia diademati, vel servitus regno cohæret, quàm quòd Reges faciat obnoxios reddendæ Deo rationi totius administrationis suæ, quando *Iudicium durissimum his qui præsunt fiet*.

X. Stobæus Serm. 47. Antigonus.

Vide sup. § 497.

Sap. 6. 6.

CAPVT CXLI.

Proceditur ad sequentem Salomonicæ comminationis clausulam, Exiguo conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur; *cujus pars novissima servit præmissorum confirmationi, prima evasionis præclusioni. Potentes pusillos vi plerunque opprimunt, & ad judicia violenter trahunt*. Judicium sine misericordia illis qui non fecerint misericordiam. *Deus ab homine peculiariter exigit, ut misericordiam diligat. Fulgentij in hanc exactionem annotatio. Inaniter ab immisericordibus obtenditur prisca illa cantilena*, Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum nostrorum miserebitur. *Quomodò* suavis Dominus universis; *cùm scriptum sit*, Judicium durissimum his qui præsunt fiet? *Sicut præmiat Deus supra condignum, ita punit infra condignum; servatâ tamen proportionali æqualitate. Misericordia allevians, citra liberationem. Potentium quidam usurpatione, quidam solâ administratione tyrannizant. Adversùs priores omnis civis miles est. Tyrannorum afflictissima conditio, qui dum terrent, plus ipsi timent. Fasne sit patri perimere filium tyrannizantem? Improbatur multimodè facinus Bruti, filios reductioni Tarquiniorum studentes necantis. Qui piè, justè, ac misericorditer regit, meritò* Rex *dicitur: qui secùs, non* Rex, *sed* Tyrannus *nuncupatur. Quanto quisque celsioris fuerit dignitatis, tanto & majoris criminis, si corruat: & quanto majoris criminis, tanto majoris & pœnæ, nisi resipiscat. Quatuor præcipuè sunt quæ Regum delicta in immensum aggravant, qualitas, frequentia, diuturnitas, impœnitentia: quæ singulatim pensiculantur. De dyscolorum Regum futuris in altera vita supplicijs quid Poëtæ, signanter Silius & Seneca: quid item Philosophi, signanter Plato, censuerint? Plato ex divinis Scripturis pura quadam ac fidei consentanea dogmata hausit, sed eorum puritati feculentum limum profanæ superstitionis admiscuit: Salomonicos libros in Ægypto pervolvit, cum Moysaicis & Propheticis; quibus consonè tradidit Potentes potenter tormenta passuros.*

DXXXII. Quæ in Salomonis ad Reges comminatione sequuntur, valde sunt affinia præcedentibus hactenùs elucidatis; atque idcircò in eorum explanatione tanto erimus breviores, quanto in superioribus fuimus profusiores. Sicut ergo Salomon ad probandum Domini apparitionem dyscolis Regibus fore horrendam, subtexuit illam generaliorem Maximam, *Iudicium durissimum his qui præsunt fiet*: Ita in hujus ipsius generalioris Maximæ confirmationem, ac tacitæ evasionis præclusionem, subjunxit: *Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur*. Confirmatio continetur posteriori istâ clausulâ, *Potentes potenter tormenta patientur*: evasionis

Sap. 6. 6.

Sap. 6. 7.

sionis præclusio illâ anteriori, *Exiguo conceditur misericordia.* Poterat enim incidere Regum Eccli. 5. 6. mentibus evasio, ut dicerent: *Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum nostrorum miserebitur*; adeoque etiamsi de numero simus eorum *qui præsunt*, non tamen *fiet nobis judicium durissimum*: quia miseratio Domini mitigabit duritiem judicij. Quibus ille obvians reponit, Misericordiam Domini nequaquam effectu suo esse frustrandam; etiamsi Magnates durissimè judicandi sint: quia illa circa pusillos seu *exiguos* potissimùm exercenda est, non ita circa grandes seu *potentes*; eos præsertim qui duriter & immisericorditer subditos suos Jac. 2. 6. *Per potentiam oppresserint, & ad judicia traxerint.* Verissima quippe est ista sententia, quam in divinæ providentiæ scrinio pridem reconditam, nec Salomoni cæli discipulo ignotam, Jacobus Apostolus litteris tandem consigna- Ibid. v. 13. vit, atque in omnium notitiam protulit: *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Tales porrò fuisse Reges illos Salomonicos, patet ex superiori illa ipsorum increpa- Sap. 6. 5. tione, *Non rectè judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis.* Neque enim præsumi possunt exercuisse misericordiam erga pauperes sibi subditos, qui *non rectè judicando* opprimebant pauperes sibi subditos: quia fieri per rerum rationem non potest, ut qui pauperum fuerit iniquus oppressor, eorundem sit & misericors suble- Mich. 6. 6. & 8. vator. Quærenti cuipiam, *Quid dignum offerre queat Domino*? Respondet Propheta: *Indicabo tibi, ò homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: utique facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Vide hic supra c. 131. & 134. item ca. 136. & 137. De primo horum trium satis copiosè egimus superiùs cap. 133. & 134. De tertio item cap. 136. & 137. De medio autem, quod est *diligere misericordiam*, ita ad propositum scribit Fulgentius: [2] Misericordiam maximè „ debent sublimes impendere humilibus, & „ divites pauperibus prærogare. Hæc autem „ misericordia duobus impenditur modis: „ cùm nimirùm peccanti, & correctionem „ pollicenti, venia datur; & cùm indigenti, „ quod est necessarium, non negatur. Ad „ hujus misericordiæ pertinet partes; ut superior inferiorem non opprimat, sed eum „ justitiâ defendat: & dives pauperi nihil „ auferat, sed eum pascat, & vestiat; & pau„ peri non insidietur, sed eum potiùs suis „ beneficijs consoletur. Quid ergo est quòd Eccli. 10. 9. „ se inflat homo fragilis, & mortalis? *Quid „ superbit terra & cinis?* Quid se super pau„ perem dives superbus extollit? Quare „ pauperem despicit? Quare pauperem pre„ mit? Quare pauperi panem aut tenacitate „ non tribuit, aut rapacitate subducit; & „ illi, cui debet de suo multum misericor„ diter dare, modicum quod habet crude„ liter conatur auferre? Existimat, quia cùm „ pauperem gravat, seipsum relevet? Ar„ bitratur, quia cùm pauperem tribulat, sibi „ boni aliquid præstet? Et nescit, quia cùm „ pauperem premit, sibi gravissimum pon„ dus imponit? Nec attendit, quia si quid „ de paupere cogitat, de seipso cogitat? Sibi „ enim bonum impendit, quando pauperi „ bonum facit. Si autem malum cogitat fa„ cere pauperi, plus nocebit sibi, quàm pau„ peri. Bonum igitur faciat dives pauperi, „ & proderit sibi. *Diligat misericordiam*, & Mich. 6. 8. „ eam pauperi semper impendat: ut ipse mi„ sericordiam in die tribulationis inve„ niat. Sic se cogitet super hominem paupe„ rem positum, ut meminerit se sub Deo di„ vite constitutum. Non ergo dubitet ho„ mini pauperi misericordiam facere, quam à „ Deo divite delectatur accipere. Recorde„ tur esse Deum Judicem; qui habet æter„ nam in omnibus potestatem. Ille enim vi„ det omnium facta; ipse reddet unicuique „ secundùm opera sua. Unde veraciter dici„ tur, quia *Judicium sine misericordia illi, qui non* Jac. 2. 13. „ *fecit misericordiam*: &, *Beati misericordes,* Matt. 5. 7. *quoniam ipsi misericordiam consequentur*". Quanquam ergo *Miseratio Domini magna sit*, non est Eccli. 5. 6. tamen quòd dyscoli Reges, qui subditos suos immisericorditer crudeliterque oppresserint, præsumant sibi blandiri dicentes, *Multitudinis peccatorum nostrorum Deus miserebitur*: tum Ibid. quia ibidem proximè subditur, *Misericordia & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius*; non ait, In peccatores Ibid. v. 7. respicit misericordia, sed, *In peccatores respicit ira illius*: tum prætereà, quia scriptum est alibi, *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam*; ut hinc videamus qui- Jac. 2. 13. nam sint illi *peccatores, in quos respicit ira Domini*: ij nimirùm qui misericordiam non fecerant, sed pauperes sibi subditos immisericorditer oppresserant. Quòd si fortè Reges PRÆOCCVPATIO. obtendant illud Psalmographi de Deo dictum, *Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus*: ex quo apparet, Psal. 144. 9. etiam Reges quantùmlibet dyscolos, suavitatem & miserationem Domini sensuros; adeoque suaviter ac misericorditer, non autem duriter, nedum *durissimè* judicandos. Facilè respondebitur, Deum eatenùs dici *suavem universis, & misericordem*: quatenùs & justos præmiat ultra condignum, & impios punit citra condignum: cum quo tamen posteriori benè consulit, quòd dyscoli Reges *durissimè judicentur*; quia licèt non exerceatur in eos totus justitiæ rigor, qui seclusâ omni misericordiâ alleviante exerceri posset; exercetur tamen tanto cæteris major, quanto majora cæteris sunt eorum crimina.

Z. Fulgent. Sermone de Verbis Michææ cap. 1. & 6.

Licèt enim omnes improbi puniantur à Deo citra condignum, alleviatio tamen fit sub certâ proportionis mensurâ: ita nimirum ut parili proportione judicium cujusque durescat præ alterius judicio, quâ condignum illius exuperat condignum istius. Hâc quippe regulâ servatâ planum est, *judicium* eis imminere *durissimum*, quorum scelera condignè promerentur supplicium gravissimum.

DXXXIII. Præclusâ in hunc modum evasione, dicamus de superioris sententiæ confirmatione, verbis istis expressâ, *Potentes potenter tormenta patientur*. *[Sap. 6. 7.]* Ubi inprimis notandum, *potentes* intelligi posse vel violentos usurpatores, vel etiam legitimos potestatum possessores. Priori modo *potentes* dicti sunt gigantes illi antediluviales, de quibus scriptum est, *Isti sunt potentes à seculo viri famosi*: *[Gen. 6. 4.]* eodemque modo de Nemrod post diluvium legitur quod *Cœperit esse potens in terra*; *[Gen. 10. 8.]* quia nimirùm, ut Hieronymus ait, [A] Arripuit insuetam primus in populo tyrannidem". Quâ de re Isidorus, [B] Primus, inquit, post diluvium ,, inter homines Nemrod filius Chusi novâ imperij cupiditate tyrannidem arripuit". Et Hugo Victorinus: [C] Iste Nemrod, inquit, ,, mole corporis & virtute superans alios ho- ,, mines, dominium cœpit exercere super cæteros per violentiam". *[A. Hieron. de Tradit. Hebraic. in caput 10. Genesis. B. Isidorus Comment. in Genesim cap. 9. Vide lib 7. Orig. c. 6. C. Hugo Victor. in cap. 10. Genesis.]* Posteriori denique modo *potentes* dicuntur, de quibus scriptum est in libro Job, *Deus potentes non abjicit, cùm & ipse sit potens*: *[Iob 36. 5.]* item in Proverbijs, loquente Sapientiâ Dei, *Per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiam*. *[Prov. 8. 16.]* Cæterùm de prioris generis *potentibus* extra controversiam est, quòd *potenter tormenta passuri sint*, propter immane scelus opprimendi homines absque legitimo titulo per meram violentiam: ut proinde de talibus rectè intelligatur illud Tertulliani dictum, [D] In reos Majestatis, & publicos hostes, omnis homo miles est". Et illud item Joannis Sarisberiensis: [E] Tyran- ,, num occidere non modò licitum est, sed ,, æquum & justum: qui enim gladium acci- ,, pit, gladio dignus est interire. Sed *Accipere* ,, *gladium* intelligitur, qui eum propriâ teme- ,, ritate usurpat, non qui eo utendi accipit ,, à Domino potestatem. Utique qui à Deo ,, potestatem accipit, legibus servit, & justi- ,, tiæ ac Juris famulus est: qui verò eum usur- ,, pat, Jura deprimit, & voluntati suæ leges ,, submittit. In eum ergo meritò armantur ,, Jura, qui leges exarmat; & publica pote- ,, stas sævit in eum, qui evacuare nititur pu- ,, blicam manum. Et cùm multa sint crimina ,, Majestatis, nullum gravius est eo, quòd ,, adversùs ipsum corpus Justitiæ exercetur: ,, tyrannis enim non modò publicum crimen, ,, sed, si fieri posset, plusquam publicum est. ,, Si enim crimen Majestatis omnes persecu- ,, tores admittit, quanto magis illud, quod ,, leges premit, quæ ipsis debent Imperato- ,, ribus imperare? Certè hostem publicum ,, nemo non ulciscitur; & quisquis eum non ,, persequitur, in seipsum & totum Reipublicæ mundanæ corpus delinquit". *[D. Tertull. in Apolog. cap. 2. E. Ioan. Sarisb. lib. 8. Policratici cap. 13. Mat. 26. 52.]* Norûnt hoc probè ipsi usurpatores; & ideò tormenta sua etiam in hac vita prægustare incipiunt, dum quos terrent timent; & timendo, seipsos torquent. Unde Seneca ait: [F] *Qui sceptra duro sævus imperio regit, Timet timentes; metus in auctorem redit.* *[F. Seneca in Oedipo Act. 3.]* Et Claudianus: [G] *Qui terret, plus ipse timet; sors ista tyrannis Convenit; invideant claris, fortesq; trucident, Muniti gladijs vivant, septiq; venenis, Ancipites habeant arces, trepidiq; minentur.* *[G. Claudianus de Consulatu 4. Honorij.]* Et lib. 1. in Eutropium: *Asperius nihil est humili, cum surgit in altum, Cuncta ferit, dum cuncta timet: desævit in omnes, Ut se posse putent: nec bellua tetrior ulla est, Quàm servi rabies in libera colla furentis.* Hujusmodi igitur belluam perimere unicuique licitum est, quando alius non suppetit modus Rempublicam liberandi; nec majora aut paria incommoda ex ejus peremptione timenda sunt. Neque verò peremptor existimandus est authoritate privatâ belluam aggredi, sed publicâ: siquidem, ut ex Tertulliano mox audivimus, *In reos Majestatis, & publicos hostes, omnis homo miles est*. *[Tertullian.]* [H] Qui ,, tyrannum occidit, inquit Libanius, quanto ,, majorem cum vitæ periculo benevolentiam ,, ostendit, tanto quoque majoribus donis ,, decorandus fuerit; idque multò magis, ,, quàm si idem in bello præstitisset. Quam- ,, obrem? Quia hoc agentibus suppetiæ fe- ,, runtur à commilitonibus: & quamvis pa- ,, rum aliquid quis præstet alijs, communium ,, tamen laborum gloriam referet. Aliquis ,, etiam eorum qui adsunt, telum jam in ipsum ,, directum averterit. Accedit, quòd huic ,, quidem est galea, & clypeus, & hasta, & ,, ocreæ, & ensis. At is qui tyrannum adori- ,, tur subitò, soli gladio latenti confidit: si ,, quidem cætera nudum esse oportet, si quid ,, exequi cogitet, ita ut non propaletur con- ,, silium. Quòd si unum in medio tot arma- ,, torum versari majus est quàm cum caterva ,, irruere, tyranni cædes cuivis facinori strenuè gesto præponderat". *[H. Libanius Sophista Progymnasmate pro Tyrannicida.]* Idem quoque rursùs Declamatione 26. fusè operoséque contendit præmiandum esse patrem, qui proprium filium tyrannidi studentem occidisset; quanquam natura longè magis horrere videatur parricidium, quàm simplex homicidium. Sed ubi Respublica periclitatur, præstat orbum fieri, quàm communi saluti deesse: [L] Multos ,, legimus, inquit Eutropius, ita affectos ,, fuisse erga patriam, ut nec filijs eam pro- ,, dere molientibus pepercerint. Cùm ali- ,, quando Pausanias Dux Lacedæmoniorum, ,, acceptis à Xerxe quingentis auri talentis, *[L. Eutropius lib. 5. c. 11. V. de Plutarchum in Parallelis.]*

Spartam

Spartam ei prodere pollicitus esset; tanto deprehenso scelere pater Agisilaus eum usque ad ædem Minervæ consectatus est, ac foribus obstructis fame necavit: genitrix insepultum projecit. Sic Romanis aliquando cum Latinis bellum gerentibus, juvenis quidam ex nobilitate, Cassius Brutus nomine, certâ mercede portas patefacere deliberatum habebat: detectus interim, in ædem Minervæ Auxiliaris confugit. Cassius Signifer, ejus pater, ædem eam conclusit, illumque fame peremit, ac projecit insepultum". Nota est illa Plutarchi sententia: [K] *Nobilis ac magni animi vox est, Liberos amo meos, sed patriam magis meam*". Nec obstat quòd Patres culpent Junium Brutum, quòd filios suos contra libertatem Romanæ Reipublicæ cum Tarquinijs conspirantes interfecerit: [L] Quod factum, inquit Augustinus, postquàm Virgilius laudabiliter commemoravit, continuò clementer exhorruit. Cùm enim dixisset, *Natosq; pater nova bella moventes Ad pœnam pulchrâ pro libertate vocabit*: mox deinde exclamavit, & ait, *Infelix, utcunque ferent ea facta minores*. Quomodolibet, inquit, ea facta posteri ferant, id est, præferant & extollant; qui filios occidit, infelix est. Et tanquam ad consolandum infelicem, subjunxit: *Vicit amor patriæ, laudumq; immensa cupido*". Et Martyr Cyprianus: [M] Filios, inquit, interfecit Brutus, ut crescat de suffragio sceleris, commendatio dignitatis". Et Orosius: [N] Brutus, inquit, primus apud Romanos Consul, primum conditorem Regemque Romæ non solùm exæquare parricidio sed & vincere studuit". Non, inquam, hoc obstat: quia causa Bruti multipliciter discrepat à casu nostro. Ille enim amori patriæ cupidinem humanæ laudis admiscuit, prout ex verbis Maronis mox adductis claret: nos autem omnem ejusmodi cupidinem secludimus. Deinde Brutus filios necavit postquam jam periculum Reipublicæ ingruens cessasset, detectâ nimirum conspiratione, ac per hoc dissipatâ: nos autem loquimur de patre occidente filium actu invadentem; cujus invasioni nisi à patre hic & nunc obvietur, Respublica tyrannidi subijcietur. Tertiò Brutus poterat causam filiorum alijs Judicibus dijudicandam committere, ac non ipse contra pietatem paternam ore proprio sententiam mortis in eos proferre: nos autem in eo versamur casu, quo pater non aliter præservare Rempublicam valet, nisi ut filium hic & nunc manu propriâ necet. Quartò Brutus sufficienter saluti Reipublicæ consulere potuisset trudendo filios in arctam custodiam, ubi vivere quidem possent, sed nocere Reipublicæ non possent: nos autem supponimus hujusmodi remedium in nostro casu vel esse impossibile, vel certè inutile. Quintò demùm filij Bruti non conspirarunt in subjugationem Reipublicæ faciendam extraneo cuipiam tyranno, nullum jus habenti; vel probabiliter saltem prætendenti: sed in reductionem veteris Regis in avitum regnum, unde fuerat recenter exturbatus, non prætextu violentæ usurpationis, sed tyrannicæ administrationis: [O] Tamdiu, inquit Florus, superbiam Regis populus Romanus perpessus est, donec aberat libido. Hanc ex liberis ejus importunitatem tolerare non potuit: quorum cùm alter ornatissimæ feminæ *Lucretiæ* stuprum intulisset; matrona dedecus ferro expiavit. Imperium tum Regibus abrogatum". Nobis autem sermo est de tyranno nullum jus obtendenti, sed per meram usurpationem subjugare Rempublicam liberam machinanti.

K. Plutarch. lib. de Præceptis gerendæ Reip.

PRÆOCCUPATIO.

L. Aug. l. 3. de Civit. c. 16.

Vide Virgil. l. 6. Æneid. v. 820. & seqq.

M. Cyprian. de Idolorũ vanitate.

N. Paulus Orosius l. 2. Hist. Rom. cap. 5.

O Florus lib. 1. cap. 7.

DXXXIV. Nunc ad secundi generis *patentes* transeamus, & utrùm etiam ipsi *potenter tormenta passuri sint* videamus. Prorsùs passuri sunt, si Rempublicam, quantumvis legitimo titulo possessam, ita administrent, ut in eos quadret illa Salomonis increpatio, *Cum essetis ministri regni illius (Dei) non rectè judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis*. Quamvis enim ij bono jure regnum adepti sint; gravissimè tamen delinquunt si in ejus administratione tyrannidem exerceant; aut suo muneri ritè obeundo desint: [P] *Rex*, inquit Synodus Moguntina, à rectè regendo vocatur. Si enim piè & justè & misericorditer regit, meritò *Rex* appellatur: si his caruerit, non *Rex*, sed *tyrannus* est. Antiqui autem, omnes Reges vocabant *tyrannos*; sed posteà, piè & justè & misericorditer regentes, Regis nomen adepti sunt; impiè verò injustè crudeliterque principantibus non Regium, sed *tyrannicum* aptatum est nomen". Atque hinc colligere licet, tyrannos in triplici esse differentiâ: alios scilicet qui titulo simul & administratione, alios qui solâ tituli usurpatione, alios denique qui solâ indebitâ administratione tyrannizant. Primos & secundos tormentis potenter sufferendis obnoxios facit violenta Reipublicæ ad se non spectantis occupatio, invasio, subactio. Cùm enim graviter peccet qui vel unum hominem ingenuum violentè iniquèque in servitutem redigit, quanto magis qui Rempublicam integram? Tertios denique similibus tormentis perpetiendis obnoxios reddit mala administratio, quamvis legitima præcesserit tituli acquisitio. Exemplo esse potest Rex *Saul*, qui titulum Regium non rapinâ appetijt nec usurpatione præsumpsit, sed divinitùs sibi destinatum ac delatum acceptavit. Et tamen quia eo benè accepto malè

P. Synod. Moguntina tempore Arnulphi Regis habita.

malè est posteà usus, tormenta temporalia, verisimiliter & æterna, potenter est passus. In Romanis Principibus culpat Lactantius non Imperij adeptionem, sed piorum subditorum infestationem: Q. Quicquid, inquiens, „adversùs nos mali Principes moliuntur, fieri „Deus permittit: & tamen injustissimi per-„secutores, quibus Dei nomen contumeliæ „& ludibrio fuit, non se putent impunè la-„turos, quia indignationis ejus adversùs nos „quasi ministri sunt. Punientur enim judi-„cio Dei, qui acceptâ potestate supra humanum modum fuerint abusi". Non ait, Qui usurpatâ, vel, qui perperàm adeptâ; sed, *Qui acceptâ potestate fuerint abusi*. Similiter & Cyprianus dictum Salomonis accommodat ijs qui in sæculo potentiores fuerint, nec de injustâ potentiæ adeptione quidquam dicit: R. Graviùs, inquiens, judicari de his qui in „sæculo plus habuerint potestatis, apud Sa-„lomonem perhibetur, ubi legitur: *Iudicium* „*durissimum in his qui præsunt fiet: exiguo enim* „*conceditur misericordia, potentes autem potenter* *tormenta patientur*". Eandem Salomonis comminationem Isidorus applicat omnibus, qui quantolibet splendoris honore præfulgent: S. Qanto, ait ipse, splendoris honore ex-„celsior quisque est, tanto si delinquat, pec-„cator major est: *Potentes* enim *potenter tor*-„*menta patientur*. Cui enim plus committitur, „plus ab eo exigitur, etiam cum usurâ pœnarum". Macarius ampliat ad eos, qui majoribus dotibus corporis aut spiritus fuerint ditati: T. Pro modo, inquiens, beneficiorum col-„latorum, tam corporis quàm spiritûs, sive „scientiæ, sive intellectûs, aut discretionis, „quæ variè Deus indidit humanæ naturæ; „judicaturus unumquemque exiget virtutis „fructum, ac pro dignitate reddet cuique „juxta opera sua; *Potentesque potenter tormenta* „*patientur: minimus siquidem misericordiâ veniâ-* *que dignus est*". Nec dissonat Hieronymus, cùm loquens de Judâ Proditore aggravat culpam ejus ex dignitate muneris Apostolici, quo fuerat à Christo condecoratus: V. Quan-„to, ait ipse, majoris meriti fuit Judas, „tanto majoris criminis est: & quanto majo-„ris criminis, tanto majoris & pœnæ: *Potentes* enim *potenter tormenta patientur*". Porrò hinc cernere licet quemadmodùm Salomon velit per posteriorem hanc sententiam confirmare præcedentem, quâ dixerat: *Iudicium durissimum his qui præsunt fiet*. Cùm enim Judicium Dei sit secundùm veritatem & æquitatem, consequens est, ut quanto graviora tormenta quisque est passurus, tanto duriùs judicium sit subiturus: atqui Potentes gravissima tormenta sunt passuri: Ergo & durissimum judicium subituri: W. Enimverò, ait quidam, „tormenta correspondere debent peccatis: „peccata autem Potentum, & Principum, „infiniti equidem sunt ponderis: *Quatuor* „*sunt*, inquit Hugo Cardinalis, *quæ peccatum* „*aggravant, & pondus ei faciunt, ut in immensum* „*crescat: qualitas scilicet, frequentia, diuturnitas,* „*& impœnitentia*. Hæc equidem quatuor, in „peccatis Principum ferè semper inveniun-„tur: peccant enim gravissimè in *qualitate*, „quia personæ sunt publicæ; majoremque „ob id obligationem habent non peccandi. „Peccant in *frequentiâ*, quia ob opportunita-„tem, libertatemque, frequentiùs quàm alij „peccant: *Lubrica est in bonis moribus licentia* „*potestatis, & oblatio facultatis*, ait Ambrosius „in Apologiâ David cap. 3. Peccant in *diu*-„*turnitate*, quia tardè se corrigunt: *Difficile est* „*Principem regredi ad melius*, inquit Isidorus „lib. 3. de Summo Bono cap. 51. *si vitys fuerit* „*implicatus*. Cujus rationem addens sequitur: „*Quia populi peccantes Iudicem metuunt, & legibus* „*à malo coercentur. Reges autem, nisi solo Dei* „*timore, metuq; gehennæ coerceantur, liberè in præ-* „*ceps proruunt, & per abruptum licentiæ in omne* „*facinus labuntur*. Tandem peccant in *impœni*-„*tentiâ*, quia nec ad ultimum pœnitere volunt: „nam ita affixi sunt ad suæ imperium vo-„luntatis efficiendum; ut nec in morte ve-„lint eam submittere, & corrigere. Unde „sic impœnitentes moriuntur, sicut in vitâ obstinati vixerunt".

Q. Lactant. lib. 5. c. 23.

R. Cyprian. l. 3. ad Quirin. c. 112. Sap. 6. 6. & 7.

S. Isidor. lib. 3. Sentent. c. 50.

T. Macar. Homil. 29.

V. Hieron. l. 2. contra Jovin. c. 24.

W. Laurent. De Aponte In caput 6. Sapientiæ Homil. 112. Hugo Cardinalis.

Ambrosius

Isidorus

DXXXV. Hujus evidentia doctrinæ adeò se latè expandit; ut non solùm fidelium, sed quorundam etiam infidelium oculos perculerit; Poëtarum dico & Philosophorum gentilium, qui eadem super hoc quod nunc agitur tradiderunt, licèt alia quædam ex gentilitatis errore miscuerint. Ex his est Silius Italicus, qui describens infernum; & referens varias Furiarum inibi apparentium formas, ait demùm: X. *Has inter formas coniunx Iunonis Averne; Suggestu residens, cognoscit crimina Regum. Stant vincti seròq; piget sub Iudice culpæ. Circum Errant Furiæ, pœnarumq; omnis imago. Quàm vellent nunquam sceptris fulsisse superbis? Insultant duro imperio, non digna nec æqua Ad superos passi manes; quæque ante profari Non licitum vivis, tandem permissa queruntur. Nunc alius sævis religatur rupe catenis, Ast alius subigit saxum, perque ardua montis Vipereo domat hunc æterna Megæra flagello. Talia lethiferis restant patienda tyrannis.* Seneca item Poëta, ex personâ Thesei ab inferis reversi, commemorans ea quæ ille se ibi conspexisse retulerat, ait inter alia: Y. *Quod quisque fecit, patitur: authorem scelus Repetit, suoque premitur exemplo nocens. Vidi cruentos carcere includi Duces, Et impotentis terga plebeiâ manu Scindi tyranni. Quisquis est placidè potens, Dominusq; vitæ, servat innocuas manus, Et incruentum mitis imperium regit, Animoq; parcit, longa permensus diu Felicis ævi spatia, vel cælum petit, Vel læta felix nemoris Elysij loca.*

X. Silius lib. 13. Punicorum Bellorum v. 600. & seqq.

Y. Seneca in Hercule furente Act. 3. v. 734. & seqq.

Iudex

Index futurus, sanguine humano abstine, Quecunque regnas; federa taxantur modo Matere nostra. His antiquior Plato, non quidem Poëta, sed Philosophus inter omnes celeberrimus, de cujus fonte forsan isti Poëtæ doctrinam hanc hauserunt, plurima in hanc rem sparsim tradidit, quæ descripsit ex ipso Theodoretus lib. de Curandis Græcorum affectionibus, præsertim Sermone a 11 qui *de Fine & Iudicio* inscribitur: & ante hunc Eusebius in libris de *Preparatione Evangelicâ*, unde hic unum locum exhibere lubet, qui sic habet: z. Cùm ad judicem anima pervenerit, velut ad *Radamanthum* Asiaticam, confestim Judex, etiamsi Regis magni anima sit, in ea perspicit vulnera & cicatrices injuriarum, quas singulæ operationes animæ impresserant. Videt contorta omnia falsitate ac superbiâ, cognoscit nihil ibi esse rectum, propter vivendi licentiam, delitias, contumelias, & incontinentiam: cernit omni turpitudine animam esse repletam. Quare rectà ad carcerem tartari mittit, ubi supplicijs torquetur; ut aut ipsi purgati meliores fiant, aut alij eorum exemplo moniti deterreantur à peccando; formidine cruciatus. Purgantur autem quicunque curabiliter peccarunt, doloribus, & hic vivi, & apud inferos mortui: non enim aliter possibile est impressas vitiorum maculas detergi. Qui verò maximè injuriati sunt incurabiliterque deliquerunt, his nulla unquàm utilitas accidere potest, quia incurabiles sunt: alij tamen exemplo eorum juvantur. Ex quibus ego *Archelaum* fore, & similes ei tyrannos, non dubito: Reges enim, propter peccandi licentiam, omnes penè sceleratissimi sunt. Testis est Homerus, qui Reges atque tyrannos apud inferos in sempiternum cruciari affirmat, ut *Tantalum, Sisyphum, Tityum, Thersiten*; aliosque consimiles: privatos autem homines non dixit perpetuis apud inferos cruciatibus tanquam incurabiles detineri. Quapropter feliciores certè Principibus sunt privati: nec tamen prohibet bonum aliquem virum esse Principem; sed cùm arduum sit ac difficile in magna peccandi licentia seipsum continere, magnâ sanè laude dignum id est, ô Callicles, & pauci inveniuntur qui præstent. Unus horum qui potentiam habuerunt, *Aristides Lysimachi*, virtute præclarus extitit. Ut ergo diximus, atrocissimas in anima ferentes vitiorum cicatrices, à Judice in pœnas mittuntur: cùm autem ab omni peccatorum cicatrice detersam conspexerit animam, nec quæ sit, nec unde sit, quærens, admiratus, ad beatorum insulas mittit. Hæc eadem etiam *Æacus*, baculum habens, sicut & *Radamanthus*, judicat. *Minos* autem aureum sceptrum tenens, solus sedet, utriusque judicium considerans". Quæ Platonis doctrina, detractis paucis ex Gentilium errore tunc vigente permixtis, adeò consona est fidelium professioni, ut veteres plerique Ecclesiastici Tractatores non dubitaverint asserere, Platonem eam hausisse ex fonte sacrarum Scripturarum, juxta illud Tertulliani in Apologetico: a. Quis Poëtarum, quis Sophistarum, qui non omninò de Prophetarum fonte potaverit? Inde igitur Philosophi sitim ingenij sui rigaverunt: ut quæ de nostris habent, ea nos comparent illis". Et quidem de Platone signatè id ostendit Eusebius lib. 11. & 12. de Præparatione Evangelicâ: & post eum Theodoretus lib. de curandis Græcorum affectionibus, ubi hæc inter alia ait; ad præsens nostrum propositum peraccommodè: b. Platoni persuasum fuit; esse apud inferos loca judiciorum: in Ægypto enim cum Hebræis versatus Prophetica oracula prorsùs audierat; & *ignis fluvium* didicerat, quem divinus Daniel à se conspectum narrat: didicerat & divini Isaiæ verba; qui de reorum pœnis quodam loco ait, *Vermis eorum non morietur, neque ipsorum ignis extinguetur*: & iterum, *Quis annuntiabit vobis quòd ignis ardet? Quis annuntiabit vobis locum æternum?* Plurimaque in hanc sententiam apud Prophetas reperire est. Plato autem nonnulla inde assumens, & alia miscens ex Græcorum fabulis, suos his de rebus Sermones scripsit". Quænam porrò inde ille assumpserit, & quænam item ex Græcorum fabulis miscuerit, particulariùs exprimit idem Theodoretus, ibidem aliquanto inferiùs, subdens: " Supplicia, & bonorum retributiones Plato confessus est: & eadem nobis ostendunt sacræ Scripturæ, tam veteres, quàm novæ. Judices verò alios ille induxit, *Æacum*, & *Minoem*, & *Radamanthum*, homines non usquequaque laudandos, præsertim cùm in *Minoe* multi multa criminentur. Nos autem Judicem expectamus eum qui nos condidit, qui & naturam à se fictam optimè novit; neque ejus facta duntaxat aut dicta, sed & internæ cogitationis motus callet". Et pridem ante hunc Justinus Martyr: c. Plato, inquit, Radamanthum & Minoem, injustos ad se venientes plectere tradidit: nos autem idipsum etiam factum iri asserimus, sed à Christo". Et generaliùs adhuc ibidem aliquantò inferiùs: " Omnia, inquit, quæ de animæ immortalitate, aut supplicijs post mortem, aut cælestium rerum contemplatione, aut similibus doctrinis Philosophi & Poëtæ dixerunt, à Prophetis argumento sumpto intelligere atque exponere potuerunt. Quocirca apud omnes semina veritatis esse videntur, sed non exactè eam cognovisse

z. Plato in Gorgia, apud Euseb. l. 12. de Præpar. Evang. cap. 6. Vide Eugubinum lib. 10. perennis Philosoph. cap. 22. & seqq.

a. Tertull. in Apolog. cap. 47.

Eusebius.

b. Theodoret. de curand. Græc. affect. Serm. 11.

Dan. 7. 10.

Is. 66. 24.

Is. 33. 14. juxta 70.

c. Iustinus Apolog. 2.

visse comperiuntur". Et Lactantius Firmianus: D. Quamvis veritatis arcana, inquit, „ Philosophi in parte corruperint, tamen „ ipsa res eò verior invenitur, quòd cum „ Prophetis in parte consentiunt: quod no- „ bis ad probationem satis est. Errori ta- „ men eorum subest ratio nonnulla: nam „ cùm Prophetæ assiduis concionibus prædi- „ carent judicaturum esse de mortuis filium „ Dei, & hæc annuntiatio non lateret; quo- „ niam Rectorem cæli non alium putabant „ esse quàm Iovem, judicare apud inferos „ Iovis filium tradiderunt: sed tamen non „ Apollinem, aut Liberum, aut Mercurium, „ qui cælestes putantur; sed eum qui & „ mortalis esset & justus, ut *Minoem*, vel *Æacum*, vel *Radamanthum*. Corruperunt igitur „ Poëticâ licentiâ quod acceperant, vel opi- „ nio veritatem per diversa ora sermonesque varios dissipata mutavit". In his Patrum locutionibus nomen *Prophetarum* generaliter intelligendum est, ut comprehendat omnes Scriptores Canonicos quorum Scripta temporibus Philosophorum ac Poëtarum prostabant: ita ut etiam Salomon eo nomine comprehensus censeri debeat: cujus signatè Scripta à Platone perlecta fuisse ostendit Eusebius lib. 12. de Præparatione Evangelicâ cap. 23. ut proinde non absurdè putari possit, quod Plato ex Sapientiâ Salomonis deprompserit ea quæ de miserabili Regum apud inferos statu ex ipsius Gorgiâ mox retulimus: quippe quæ admodùm bellè consonent ei sententiæ, quam toto hoc capite tractavimus; *Exiguo conceditur misericordia, Potentes autem potenter tormenta patientur.*

D. Lactant. l. 7. c. 22.

Eusebius.

CAPUT

CAPUT CLXII.

Iusta Nazianzeni querimonia de humanis quibusdam Iudicibus, qui faciliùs condonant Magnatibus crimina immania, quàm pusillioribus vel minuta. Inaniter Magnates sperent eandem praxin in Iudicium divinum irrepturam, aut sibi illic patrocinaturam: Non enim subtrahet personam; aut verebitur magnitudinem cujusquam Deus; quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. *In Dei Iudicio absque personarum respectu judicantur justitiæ. Expenditur quod Psaltes accinit Deo,* Cum electo electus eris, & cum perverso perverteris: *uti & illud Christi oraculum*, Non possum ego à meipso facere quidquam, sicut audio judico: *necnon & istud Paræmiastæ*, Pondus & statera judicia Domini sunt. *Quid subtrahere personam in Iudicio, & quid item vereri magnitudinem? Qualitates probi Iudicis Christo attributæ, etiam ab æmulis. Non sermone duntaxat, sed & opere Christus à personarum acceptione immunem se ostendit. Quomodò Christus* nihil se facere *dicat*, nisi quod viderit Patrem facientem; *cùm videatur judicare, non cernens Patrem judicantem? Eosdem Pater judicat latens, quos Christus judicat patens. Deus non solùm pusillorum & magnorum, sed & mediocrium Conditor est, & Provisor, & Iudex. Quatenùs sese compatiantur divinæ curæ de omnibus æqualitas, & rerum curatarum inæqualitas? Elucidatur quod scriptum est,* Vidi mortuos, pusillos & magnos, stantes in conspectu throni. *Pusillitas & granditas non tam attenditur penès staturam corporalem, quàm penès potentiam temporalem. Nulla sæculi dignitas tribuit prærogativam in divino Iudicio sedendi, ubi omnibus Reis necessitas incumbit standi. Expenditur extrema ista Salomonicæ comminationis clausula*, Fortioribus fortior instat cruciatio. *Non solùm cruciabuntur fortes præ imbecillis; sed inter ipsos etiam fortes, prævalentiores præ minùs validis.*

DXXXVI. PErgit Salomon præcludere evasiones. & præoccupare cavillationes dyscolorum Principum, sive etiam aliorum frivolè eis patrocinantium. Cùm ergo denuntiasset, *Potentes potenter tormenta passuros*; (Sap. 1. 7.) ne fortè quis ex adverso opponeret humanorum quorundam tribunalium praxin, vel potiùs corruptelam, in quibus habetur respectus personarum litigantium, juxta illud Nazianzeni nimis verum & experimento notorium, [a] Hoc permultis „ ætatis nostræ Judicibus usu venire conspi„cio; ut magnis & excelsis viris gravissima „ quæque faciliùs condonaverint; quàm hu„ milibus & abjectis quidquam vel levissimi momenti". Ne, inquam, quis hanc humanorum Judiciorum praxin opponeret, & eandem in divino etiam Judicio locum aliquando habere autumaret; occurrit Salomon, continuò subtexens: *Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus.* (Ibid. v. 8.) Tanquam diceret Regibus, vel frivolis eorum Advocatis: Nolite putare Judicium divinum simile fore illis humanis, in quibus attenduntur personæ litigantium, & respicitur ad vultum potentium: non sic est Judicium Domini, cujus vox est, *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* (Psal 74. 3.) Non ait, ego personas considerabo, & potentioribus favebo: sed, *Ego iustitias iudicabo*, hoc est, sententia mea non detorquebitur in alterutram partem propter potentiam aut divitias, sed solas considerabit causarum justitias & injustitias: illi favebo cujus æquior fuerit causa, illi adversabor cujus

[a] Greg. Nazian. Orat. 6.

Iob 34. 18. & 19. nequior fuerit causa: ego quippe sum, *Qui dico Regi, apostata: qui voco Duces, impies: qui non accipio personas Principum, nec cognosco tyrannum cùm disceptat contra pauperem: opus enim manuum mearum sunt universi*: hoc est, qui unumquemque compello vocabulo suo; bonum, bonum; perversum, perversum: exprobrans cuique vitium suum, apostatæ apostasiam, impio impietatem; & ex adverso laudans in quolibet virtutem suam, io casto castimoniam, in justo justitiam, in sobrio temperantiam, io forti virilem constaotiam; nihili pendens personarum circumstantias, disceptationi extraneas; nullius metuens potentiam, nullius spernens inopiam: quippe qui universorum pariter sum plasmator, inspirator, provisor, ac retributor. Ego sum, cui accinit

Psal. 17. 26. & 27. Propheta Regius, *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: & cum electo electus eris, & cum perverso perverteris*: hoc est,

F. Theodoret in Psal. 17. v. 26. & 27. [F] Ad bonas vel malas hominum voluntates
„ tu, ô Domine, retributiones accommodas;
„ nam sanctis sanctitate digna præbes, & in-
„ nocentibus atque à peccato liberis res con-
„ gruas, & electis perfectisque res perfectas:
„ digressis autem à via recta, & cootrariam
„ ambulantibus, congruum viæ finem præparas". Sive, ut interpretatur Genebrardus:

G. Genebrardus in Psalm. 17. v. 26. & 27 [G] Cum vulpe est vulpinandum, cum Crete
„ Cretizandum; malo nodo malus parandus est
„ cuneus. Ita, ò Domine, *cum electo*, id est, puro
„ & bono, purus & bonus eris: *cum perverso &*
„ *vafro*, te velut perversè & vafrè geres; jux-

1.Cor. 3. 19. „ ta illud Apostoli, *Apprehendes astutos in astutia*
„ *sua*, id est, dissipabis & perdes eos in astutia sua". Nec minùs appositè Estius:

H. Estius Annotat. in Psalm. 17. [H] Vult Psal-
„ mista, inquiens, Deum bonis bonum, beni-
„ gnum, ac placidum esse; malis verò ac per-
„ versis malum, atque perversum, id est, du-
„ rum, inclementem, & rigidum pœnarum
„ exactorem. Qui sanè loquendi modus ne
„ Latinis quidem authoribus inusitatus est:

Vide Plaut. in Mostellar. Act. 4. v. 913. & seq. „ ait enim ita Plautus in Mostellaria, *Nam ut*
„ *servi suum volunt herum esse, ita solet esse: Bonus*
„ *cum probus est, malus cum malus*. Sic in psalmo

Psal. 72. 1. „ 72. *Quàm bonus Israël Deus his qui recto sunt cor-*
„ *de!* Non ergo bonus, sed malus iis, qui pravo
„ sunt corde. Similis locus est Levitici 26.
„ ubi secundùm Septuaginta legitur, *Si ambu-*

Levit. 26. 27. & 28. „ *laveritis ad me perversi, & ego ambulabo contra*
„ *vos furore perverso*, citante Hieronymo in Ma-
„ lachiæ cap. 3. & in Ecclesiaste cap. 7. ubi nos
„ habemus, *In furore contrario*. Vide etiam 2.
„ Reg. 22. Scholastico loquendi modo dice-
„ remus: *Cum malis malitiâ culpa, malus est Deus malitiâ pœna*". Quæ omnia eò tendunt, ut noverimus, supremum vivorum ac mortuorum Judicem non respicere personas hominum, sed merita ac demerita causarum; ultorem esse criminum in quocunque illa apparuerint, sive potens is fuerit, sive impotens: & similiter fautorem bonorum operum, in quocunque ea occurrerint, sive magnus is extiterit, sive pusillus. Unde ipse ait, *Non possum ego à meipso facere quidquam: sicut audio, judico, & judicium meum justum est*: Ioa. 5. 30.

[L] Hoc loco, inquit L. Ambros. Epist. 11. ad Horontianum.
„ Ambrosius, quasi Judex loquitur: ut cognos-
„ camus homines in judicando, quòd non ex
„ voluntate nostra & potestate, sed ex æquitate
„ debeamus formare sententiam. Constitue
„ aliquem reum coargutum & convictum cri-
„ minis, non astruentem defensionis genera,
„ sed deprecantem, & advolventem se ad ge-
„ nua Judicis. Respondet ei Judex, *Non possum*
„ *à me facere quidquam*; justitia in judicando,
„ non potentia est: Ego non judico, sed facta
„ tua te judicant; ipsa te accusant, ipsa con-
„ demnant: Leges te adjudicant, quas Judex
„ non converto, sed custodio: nihil ex me pro-
„ fero, sed ex te forma judicij in te procedit:
„ *secundùm quod audio judico*, non secundùm
„ quod volo: & ideò *Judicium meum justum est*,
„ quia non voluntati indulgeo, sed æquitati".
Plura in eandem rem habet in Commentario Psalmi 118. Octonario 20. ubi & illud addit:" Justum igitur est Judicium Filij Dei,
„ quia est secundùm voluntatem Dei, non se-
„ cundùm hominis affectum. Deus enim mi-
„ sericordiarum plenus est, & *Misericordia eius* Ps. 100. 1.
„ *cum judicio*, & judicium cum misericordia:
„ neque enim sine judicio miseretur, neque
„ sine misericordia judicat. Denique scriptum
„ est, *Misericordia eius in statera*: filij autem
„ hominum mendaces in stateris, ut decipiant.
„ Examinat ergo & trutinat Deus merita sin-
„ gulorum: & quemadmodùm per mensuram
„ dat gratiam ne supra mensuram sit, ita per
„ mensuram dat misericordiam. Unde ait,
„ *Mensuram bonam, confertam, commotam, super-* Luc. 6. 38.
„ *effluentem dabunt in sinum vestrum: eâdem verò*
„ *mensurâ quâ mensi fueritis, reddetur vobis*. Simi-
„ liter in statera singulorum opera pensantur:
„ ut si bona malis præponderent, remuneratio
„ præmij deferatur; si peccata virtutibus, tri-
„ stior reum pœna constringat". In Proverbijs ait Salomon, *Pondus & statera judicia Domini sunt, & opera eius omnes lapides sacculi*: Prov. 16. 11.

K. Ioan. Arboreus in caput 16. Proverbiorum v. 11. [K] In hoc loco,
„ inquit Arboreus, innuit Salomon judicia Dei
„ esse justa, & sanè justiora æquis ponderibus
„ & stateris. Et solerti ingenio usus est nomini-
„ bus *ponderum*, ut ex rerum sensibilium cog-
„ nitione manuduceremur in summæ intelligi-
„ bilis cognitionem". Optimè quoque Prosper divinum judicium ab humano secernens ait:

L. Prosper Epigram. 57 [L] *Iudicium humanum, quod falli sæpè necesse est, Non semper recipit regula iustitiæ. At Domini in cunctis æqua est veraxque potestas, Aspectum cuius nulla remota latent*. Quibus ille præmissis subdit continuò salubrem hanc admonitionem, jugiter volvendam ac revolvendam: *Talis laudetur Iudex, timeatur*,

timeatur, ametur: *Qui verè iustus permanet, atque bonus.* Laudetur nimirum ut incorruptus, timeatur ut justus, ametur ut benignus: ipse est enim cui *Misericordiam & iudicium* Ecclesia, exemplo Regij Psaltis, decantat:[M] Justa namque, ut ait Augustinus, peccatoribus pœna debetur; *Quoniam misericordiam & veritatem diligit Dominus Deus:* &, *Misericordia & Veritas obviaverunt sibi:* &, *Universa via Domini misericordia & veritas.* Et quis explicet quàm crebrò hæc duo conjuncta commemoret Scriptura divina? Aliquando etiam mutatis nominibus, ut *gratia* pro *misericordia* ponatur; unde est, *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiâ & veritate:* aliquando pro veritate judicium, sicut est, *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*".

M.Aug. l. 2. de Peccator. meritis cap. 38. Psal. 83., 12. Psal. 84. 11. Psal. 24. 10. Ioan. 1. 14. Psal. 100. 1.

DXXXVII. His in communi præmissis, dicamus particulariùs de singulis Salomonicæ hujus probationis partibus: quam Syrus Interpres latinè redditus ita expressit, *Neque enim assentatur vultibus Dominus omnium, neque veretur Maiestatem: quoniam tam magnum quàm parvum ipse fecit, omnium aquè curam gerit:* Arabs autem sic, *Nam herus nullius vultus assentatur, nec amplæ dignitatis rationem habet; cùm ipse tam parvum quàm magnum creaverit, omnes curet & regat.* Ex quibus apparet, quòd *subtrahere personam*, perinde valeat ac *assentari vultui*: idque propterea, quia Judex qui in judicando accipit faciem hominis, subducit eundem communi hominum sorti, eximitque ab ordinaria legum severitate, quam cęteri inferioris conditionis transgressores subire coguntur. Rursùs quia subductio ista sive *subtractio* provenit ex metu quodam reverentiali, idcircò Salomon cùm dixisset, *Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus*, continuò id ipsum alijs verbis replicans subdidit, *Nec verebitur magnitudinem cuiusquam.* Pro *magnitudinem*, Syrus Interpres mox relatus transtulit *maiestatem*, Arabicus *amplam dignitatem.* Optimè Jacobus Apostolus rem expressit, quando personarum acceptoribus ait: *Si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu; & intendatis in eum qui indutus est veste præclarâ, & dixeritis ei, Tu sede hic benè: pauperi autem dicatis, Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis Iudices cogitationum iniquarum?* Ecce quid sit *personam subtrahere*: nimirum dicere ei, *Tu sede hic benè*; cùm tamen alij, parem vel potiorem causam habentes, jubeantur *stare illic, aut sedere sub scabello pedum.* Non sic est in Judicio Dei, nec sic erit in judicio Christi: *Omnes enim*, ut ait Apostolus, *stabimus ante tribunal Christi.* Si *omnes*, proculdubiò etiam Reges: neque cuiquam eorum propter magnitudinem, majestatem, aut amplam dignitatem, dicturus est judex, *Tu sede hic benè*: sed omnes sive magni sive pusilli, sive divites sive inopes, sive Præfecti sive subditi, *stabunt* promiscui tanquam Rei, *Vt referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* De hoc Judice scriptum est Propheticè, *Non secundùm visionem oculorum iudicabit, neque secundùm auditum aurium arguet: sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Non ait, arguet mansuetos: sed; *Arguet pro mansuetis.* Quos, nisi violentos mansuetorum oppressores, potentes pusillorum prædatores, pauperum devoratores, de qualibus ait Dominus per Psaltem, *Non est timor Dei ante oculos eorum. Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam sicut escam panis?* Prorsùs cognoscent, hoc est, experimentaliter sentient; quando eorum causæ ventilabuntur coram illo; cui in mortali adhuc carne peregrinanti testimonium perhibuerunt etiam inimici, dicentes; *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum.* Sed quorumnam hominum? An fortè inopum duntaxat, aut imbecillium? Imò verò ipsorum etiam Cæsarum, Mundi tunc Principum: sequitur enim ibidem continuò: *Dic ergo nobis quid tibi videtur, Licet censum dare* CÆSARI, *an non?* Ergo etiam ad Cæsarem usque extendebatur præcedens sententia, qui tunc orbi Romano principabatur, comprehendenti ipsam quoque Judæam, in qua sermo iste habitus fuit. Cujus etiam tunc Regem, Cæsari alioqui subalternum, Herodem, non est veritus idem Christus palàm dicere *vulpem*: ut significaret se esse eum de quo scriptum est, *Qui dicit Regi, apostata: qui Duces vocat impios; qui non accipit personas Principum.* Quod postremum ut reipsa ostenderet, ire noluit ad *Filium Reguli*, ultrò tamen ire dignatus est ad *Servum Centurionis*;[N] Quid est, inquit Gregorius, quòd Regulus rogat, ut ad ejus filium Jesus veniat, & tamen corporaliter ire recusat: ad servum verò Centurionis non invitatur, & tamen se corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem præsentiam non dignatur adesse, Centurionis servo non dedignatur occurrere? Quid est hoc, nisi quòd superbia nostra retunditur, qui in hominibus non naturam, quâ ad imaginem Dei facti sunt; sed honores & divitias veneramur: cumque pensamus quæ circa eos sunt; negligimus pensare ipsos; eò profectò quòd interiora minimè providemus; & dum ea consideramus quæ in corporibus despecta sunt, negligimus pensare quod sunt? Redemptor verò noster, ut ostenderet, quia quæ alta sunt hominum despicienda sunt, & quæ despecta sunt hominum despicienda non sunt; ad filium Reguli ire noluit, ad servum Centurionis ire paratus

Sap. 6. 8. Iac. 2. 2. & 3. Rom. 14. 10. 2. Cor. 5. 10. Isa. 11. 3. & 4. Psal. 13. 3. & 4. Mat. 22. 16. Ibid. v. 17. Luc. 13. 32. Iob 34. 18. & 19. Ioan. 4. 46. Mat. 8. 7. N. Gregor. Homil. 28. in Euang.

„ ratus fuit. Increpata est ergo superbia no„ stra, quæ nescit pensare homines propter „ homines, sola quæ circumstant hominibus „ pensat; naturam non aspicit, honorem Dei „ in hominibus non agnoscit. Ecce Filius Dei „ ire non vult ad filium Reguli, & tamen venire paratus est ad salutem servi" ! Hine obviè perspicitur quàm parum delaturus sit personarum magnitudini in extremo judicio, post triumphatum jam Mundum; qui tam alienus extitit à respectu personarum, peregrinus adhuc in Mundo. Quid enim erit tribunal judicantis, cujus tanta fuit indifferentia in Mundo adhuc conversantis ? Sed nimirum [Joan. 5. 19.] *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Atqui non vidit Patrem cum acceptione personarum judicantem; de quo scriptum est, [Deut. 10. 17.] *Ipse est Deus Deorum & Dominus Dominantium, Deus magnus & potens & terribilis, qui personam non accipit, nec munera* : qui & ipse ait, [1. Reg. 16. 7.] *Non juxta intuitum hominis ego judico*: de quo item ait religiosus Rex Josaphat, [2. Par. 19. 7.] *Non est apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum*: & de quo ait Eliu apud Jobum; [Job 34. 19.] *Non accipit personas Principum*: & item Ecclesiasticus, [Eccli. 35. 15.] *Dominus Judex est, & non est apud illum gloria personæ*: & Petrus Apostolus, [Act. 10. 34.] *Non est personarum acceptor Deus*: & Paulus item Apostolus, [Rom. 2. 11.] *Non est acceptio personarum apud Deum*: & iterum, [Gal. 2. 6.] *Deus personam hominis non accipit*: & rursùs alibi, [Eph. 6. 9.] *Personarum acceptio non est apud Deum*: & denique Petrus in priori sua Epistola, de eodem ait: [1. Pet. 1. 17.] *Sine acceptione personarum judicat secundùm uniuscujusque opus.* Quoniam itaque Deus Pater sine personarum acceptione munerumve prehensione judicat secundùm uniuscujusque opus, etiam eandem proculdubio judicandi normam servat is, [Act. 10. 42.] *Qui constitutus est à Deo Judex vivorum & mortuorum*: ipsius enim vox est de semetipso, [Joan. 5. 19.] *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*: [O. August. lib. 15 de Trinit. cap. 14. Vide libro contra Sermonem Arian. cap. 14. & Tract. 20. in Joan. & lib. de Vera Religione cap. 31.] "Potenter hoc non potest, „ inquit Augustinus, nec est infirmitas ista, „ sed firmitas, quâ falsa esse non potest veritas". Mirum porrò cuipiam fortasse videbitur quomodò Filius nihil faciat nisi quod Patrem viderit facientem, & signanter quomodò Filius non judicet nisi prout Patrem viderit judicantem: cùm scriptum sit ibidem pauculis interjectis, [Ibid. v. 22.] *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*: ex quo consequens apparet, Filium judicare absque eo quòd Patrem videat judicantem. Sed jam pridem huic mirationi occurrit idem ipse Augustinus Tract. 21 in Joannem: "Omninò, „ inquiens, est quidam intellectus verus, for„ tis, si quo modo eum tenere possumus, quo „ *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium* „ *dedit Filio*. Hoc enim dictum est, quia homi„ nibus in judicio non apparebit nisi Filius; „ Pater occultus erit, Filius manifestus; nam „ in forma Dei cum Patre occultus erit, in „ forma servi hominibus manifestus: *Non* „ ergo *Pater judicat quemquam, sed omne judicium* „ *dedit Filio*, sed manifestum: in quo manifesto „ judicio Filius judicabit, quia ipse judicandis apparebit". Et verum igitur est, *Patrem non judicare quemquam, sed omne judicium dedisse Filio*, conspicuè scilicet ac visibiliter exercendum: & verum nihilo minùs est, *Filium non posse facere nisi quod Patrem viderit facientem*; adeoque eundem non judicare nisi prout Patrem viderit judicantem. Habet quippe ipse oculos incorporeos quibus cernit Patrem secùm judicantem, quem corporeis oculis cernere nequibunt qui ab Ipso sunt judicandi; qualibus tamen oculis visuri sunt ipsum Filium in forma servi judicantem.

DXXXVIII. Quò faciliùs Salomon tardioribus persuadeat, Deum nullius personam In judicio subtracturum; nullius magnitudinem majestatemve veriturum; subdit continuò in præmissorum probationem: [Sap. 6. 8.] *Quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus.* Tanquam sic ratiocinans: Cùm Deus tam pusillorum quàm magnorum Conditor pariter ac provisor existat, nulla subesse potest vel apparens ratio suspicandi, quemquam sive pusillum sive magnum ipsius judicio subducendum, vel ipsum in judicando cujusquam majestate percellendum. Cæterùm quod de *pusillis* & *magnis* in textu signatè hic exprimitur, unicuique consideranti subintelligendum pariter de mediocribus subinferendumve relinquitur. Neque enim qui minima & maxima creat ac curat, intermedia omittit aut negligit: nec qui illa ab eo creari curarique asserit, ista ab ejus creatione vel curatione eximit; sed potiùs sub extremis comprehendenda subingerit: uti in simili præstitit Psalmographus, cùm loquens de mari magno ac spatioso manibus: *Illic*, inquit, *reptilia quorum non est numerus, animalia pusilla cum magnis*: [Ps. 103. 25. & 26.] præstitit similiter & Ecclesiasticus cùm ait, [Eccli. 5. 18.] *Justifica pusillum & magnum similiter*: præstitit item Job, quando de mortuorum regione disserens aiebat, [Job 3. 19.] *Parvus & magnus ibi sunt*: præstitit Moyses cùm diceret Judicibus, *Ita parvum audietis, ut magnum*: [Deut. 1. 17.] & Hieremias cùm ait, [Hier. 16. 6.] *Morientur grandes & parvi in terra ista*: & Joannes in Apocalypsi eùm describens tribunal extremi ac supremi Judicis sibi propheticè præmonstratum, [Apoc. 20. 12.] *Vidi mortuos*, inquit, *pusillos & magnos, stantes in conspectu throni*. Ubi rectè monet Estius intelligi [P. Estius Annotat. in caput Apocal. 22.] "*Magnos & par*„ *vos*, non staturâ, sed dignitate eâ, quam „ habuerant in sæculo: quomodò dictum est „ ab Ecclesiastico cap. 5. in fine, *Justifica pu*„ *sillum & magnum similiter*. Sensus igitur est, „ omnes, tam eos qui in sæculo potentes &

honorà-

„ honorati fuerant, ut Reges, Principes,
„ divitesq; nobiles, Pontifices, Sacerdotes,
„ Doctores; quàm qui viles & inhonorati;
„ sistendos judicio, & nullâ dignitatis habitâ
„ ratione judicandos secundùm opera. Quò
„ etiam pertinet quod dicit, *Stantes in conspectu
„ throni*. Non enim aliquibus ob dignitatem,
„ quâ in sæculo excelluerant, sedendi dabi-
„ tur locus, sed omnes *stare* oportebit: quod
„ est judicandorum, & sententiam expectan-
tium". Stabunt proinde illic *pusilli*, stabunt
similiter & *magni*; stabunt præterea cum eis
mediocres, sive qui ab utrisque extremis
æqualiter distant, sive qui unis quàm alteris
magis appropinquant. Neque enim quem-
quam subtrahi vel subduci sinit, qui ex com-
muni universorum persona generalissimè ait:
Rom. 14. 10. *Omnes stabimus ante tribunal Christi*. Ubi ne quis
confidat se posse in tam numerosâ simul stan-
tium turbâ occultari, alibi idem ait, *Omnes*
2. Cor. 5. 10. *nos manifestari oportet ante tribunal Christi*. Non
solùm ergo *stabimus*, sed & *manifestabimur omnes
ante tribunal Christi*. Sed ad quid? Utique, pro-
ut ibidem subditur, *Ut referat unusquisque propria
Ibid. corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*. Unde
& in Apocalypsi post verba proximè inde re-
lata sequitur, *Iudicati sunt mortui ex his quæ
Apoc. 20. 12 scripta erant in libris, secundum opera ipsorum*. Non
ergo secundùm divitias aut paupertatem, non
secundùm magnitudinem aut exilitatem, non
secundùm stemmatum diversitatem, non
secundùm sæcularem aut Ecclesiasticam sub-
limitatem, non secundùm potentiam aut
infirmitatem judicabuntur illic stantes; sed
secundùm opera ipsorum. Quantum prævaluerint
opera unius operibus alterius sive in bonum
sive in malum, tantum prævalebit judicium
unius judicio alterius sive in præmiationem
respectivè sive in punitionem. Et huc spectat
quod Salomon addit de Deo omnium Iudice,
Sap. 6. 8. *Æqualiter cura est illi de omnibus*: quia nimirùm
erga omnes ita se geret, ut quantum uniuf-
cujusque operibus sive bonis sive malis debe-
bitur, tantum operanti sive boni sive mali,
servatâ proportionis æqualitate, retributurus
sit. Unde quia potentiorum plerumque pe-
jora sunt opera, quàm imbecilliorum, sequi-
Ibid. v. 9. tur in textu Salomonis continuò: *Fortioribus
autem fortior instat cruciatio*. Arabicus Interpres
latinè redditus sic habet, *Ceterùm potestate præ-
ditos rigidissimum obruet examen*. Latinus autem
vulgatæ editionis expolitor videtur studiosè
per omnes gradus transire voluisse, cùm
supplicia Magnatibus delinquentibus de-
nuntiata referret. Usus quippe est posi-
tivo gradu superiùs ubi ait Regibus dysco-
Ibid. v. 6. lis de Deo, *Horrendè & citò apparebit vo-
Ibid. v. 7. bis*; & rursùs ubi ait, *Potentes potenter tormenta
patientur*. Usus est superlativo cùm itidem
Ibid. v. 6. diceret, *Iudicium durissimum his qui præsunt fiet*.

Usus denique est comparativo hîc ubi ait,
Fortioribus fortior instat cruciatio. De duobus
prioribus satis actum est superiùs suis locis;
de hoc postremo gradu nunc duo occurrunt
dicenda, quorum primum est, valdè appo-
sitè Salomonem subjecisse hanc sententiam
comparativam postquam astruxisset æquali-
tatem divinæ providentiæ seu curæ erga om-
nes; ne scilicet Reges indè se fallerent pu-
tando se non plùs fore cruciandos quàm ple-
beios; sed propter æqualitatem illam divinæ
curæ erga omnes; æqualem fore cruciatio-
nem omnium, adeoque se nihil ampliùs reli-
quis passuros. Huic ergo sinistræ intelligen-
tiæ obviare volens Salomon adjunxit supe-
riori suæ assertioni istum versiculum, *Fortio-
ribus autem fortior instat cruciatio*. Tanquàm di-
ceret, Tametsi *æqualiter cura Deo sit de omnibus*,
nihilominùs *Fortioribus fortior instat cruciatio*:
quia nimirùm æqualitas illa non est intelli-
genda arithmetica, sed geometrica; non di-
mensionis, sed proportionis: ut nimirùm di-
vina cura; quantum ad retributionem malo-
rum pro malis, eandem servet proportionem
in plectendo, quam servarint Rei in peccando;
Ex quo ulteriùs fit, ut tanto quisque acer-
biorem subire cogatur pœnam, quanto im-
maniorem patrarit culpam. Quapropter cùm
Principum culpæ ex compluribus capitibus
superiùs suo loco commemoratis immanes-
cant supra culpas privatorum, consequens
est, ut pari mensurâ supercrescat eorum pœna
ultra pœnas privatorum: *Fortioribus* proinde
fortior instat cruciatio, tametsi *æqualiter cura Deo* Deut. 25. 2.
sit de omnibus. Scriptum quippe est in lege, *Pro
mensurâ peccati erit & plagarum modus*: scriptum
est in Psalmis, *Semel locutus est Deus, duo hæc* Ps. 61. 13.
*audivi, quia potestas Dei est, & tibi Domine miseri-
cordia: quia tu reddes unicuique iuxta opera sua*:
scriptum est in Prophetis; *Secundùm magnitu-* Isa. 15. 7.
dinem operis, & visitatio eorum: scriptum est in
Euangelio, *Cui commendaverunt multum, plus* Luc. 12. 48.
petent ab eo: scriptum est in Epistolis Paulinis,
Omnis prævaricatio & inobedientia accepit iustam Heb. 2. 2.
mercedis retributionem: scriptum est in Epistolis
Canonicis, *Deus sine acceptione personarum iudi-* 1. Pet. 1. 17.
cat secundùm uniuscuiusque opus: scriptum est in
Apocalypsi, *Quantum glorificavit se & in deliciis* Apoc. 18. 7.
fuit, tantum date ei tormentum & luctum. Alterum
denique quod dicendum occurrit, illud est:
Inter ipsos Magnates Salomonem voluisse
quandam astruere disparitatem perpessionis
seu cruciationis quando ait, *Fortioribus fortior
instat cruciatio*. Superiùs videbatur comparare
pœnas Principum pœnis duntaxat subdito-
rum, & tormenta Potentium tormentis im-
becilliorum: hîc verò ipsas etiam Principum
ac potentum pœnas inter se confert dicendo,
Fortioribus fortior instat cruciatio. Tanquam di-
ceret, Non solùm cruciabuntur Præfecti du-

riùs quàm subditi, & potentes potentiùs quàm imbecilles; sed præterea inter ipsos Præfectos ac potentes quanto quisque fuerit sublimior ac potentior, tanto immaniori cæteris etiam sibi supparibus subjacebit cruciatui obnoxius, si contingat eum delinquere, nec tempestivè resipiscere. Etenim *Fortioribus fortior instat cruciatio.*

CAPUT CXLIII.

Salomonis ad Reges apostrophe, Ad vos ergo Reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, & non excidatis, *an solos concernat tyrannos? Iustos non obumbrat, sed magis illustrat circumstrepentium iniquorum pravitas. Sicut gravioris culpæ est inter bonos bonum non esse; ita immensi præconij est bonum inter malos existere. Iobus cur se* fratrem draconum & socium struthionum *fuisse memorat? Violenti Principes comparantur leonibus, eorumque Ministri lupis vespertinis. Felix Rex qui auscultat ingerenti*, Purga te cum paucis. *Qui delectantur sceptris aspernantes sapientiam, ea quibus delectantur perdunt, dum id quo ea ipsa firmantur spernunt.* Sensatus *pro sapiente*, *&* sensus *pro sapientia.* Eruditio *cur dicta* compeditio, *&* eruditus, compeditus? *Cur sapientes dicantur habere oculos in capite? Veteres Hebræorum Reges divinitùs jussi sunt librum legis mox à suâ inthronizatione describere, descriptumque quotidie perlegere. Iussionis istius ratio & scopus ex Philone. Plus inhæret memoria quod vel semel scripserimus, quàm quod etiam sæpiùs legerimus. Idipsum Salomoni est* discere sapientiam, *quod Moysi* discere Dei timorem. *Timor Domini non modò initium & radix est sapientiæ, sed & corona & plenitudo. Sicut Dei timor incboat & coronat sapientiam, sic & ab eâdem reciprocè inchoatur & coronatur. Similiter cohærent Dei timor, & sapientia; uti humilitas, & charitas. Dei timor subinde nuncupatur* pietas, *& à Græcis* theosebeia, *quod latinè interpretatur* Dei cultus. *Sicut fides Theologica, ita & sapientia, præter lumen intellectus connotat quandam devotionem affectus.* Sapientiæ *nomen à* sapore *deductum, ex Bernardo. Sapientia Principibus præstat diuturnam sospitatem, insipientia superinducit præmaturam caducitatem. Qui monet Reges ut sapientiam ne excidant discant, casuros indicat ni discant.*

DXXXIX. EXpletis increpationibus, & pœnarum comminationibus, subnectit Salomon apostrophen ad Reges, dicens: *Ad vos ergo Reges sunt* Sap. 6. 10.
hi sermones mei, ut discatis sapientiam, & non excidatis. Græca editio, consonante etiam Syriacâ, latinè reddita, pro *Reges*, habet, *ô Tyranni*, Arabica *ô Rebelles refractarij*: Augustinus in speculo legit, *Mali Reges*: Lucifer Calaritanus lib. 1. pro sancto Athanasio ad Constantium Cæsarem, *ô mali Tyranni.* Quibus lectionibus permoti quidam totam istam Salomonis parænesin ad dyscolos duntaxat Principes dirigi censuerunt. Nos autem superiùs § 500. contrarium astruximus, & istorum Vide superius §. 500.
collectionem vacillare ostendimus; adductâ signanter eam in rem etiam illâ Augustini regulâ: *Non obest iustis in medio impiorum constitutis quicquid in ipsos populos propter impiorum multitudinem dicitur.* Sic enim quod in Genesi scriptum est, *Omnis caro corruperat viam suam super terram*, Gen. 6. 12.
non obfuit Patriarchæ Noë, de quo ibidem præmittitur, *Noë vir iustus atque perfectus in generationibus suis cum Deo ambulavit*: Ibid. v. 9.
„Ad condemnationem cæterorum, inquit Ambrosius, & ad expressionem pietatis divinæ, Am[illegible] lib. de N[illegible] Arcâ cap. 4.
„dicitur Noë *apud Deum gratiam invenisse*: simulque ostenditur, quòd hominem justum Ibid. v. 8.
non

„ non obumbret aliorum offenſio, quando „ ipſe ad totius generis reſervatur ſemina-rium". Ad hunc itaque modum, non obumbrat probos Reges improborum offenſio: nec eis inter multos dyſcolos Reges conſtitutis obeſt, quicquid in ipſum Regum cœtum, propter malorum multitudinem dicitur. Quinimò hoc ipſum prodeſt ad laudem Regum piorum, quòd plerunque circundentur frequentiâ impiorum. Nam ut ſcitè Gregorius [R. Greg. lib. 20. Moral. c. 29.] advertit, [R] Hi veraciter boni ſunt, qui in „ bonitate perſiſtere etiam inter malos poſ-„ ſunt. Hinc etenim Sponſi voce ſanctæ Ec-[Cant. 2. 2.] „ cleſiæ dicitur: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*. Hinc ad Ezechiëlem Do-[Ezech. 2. 6.] „ minus dicit: *Fili hominis, increduli & ſubverſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas*. Hinc „ Petrus vitam Beati Loth glorificat, dicens: [2. Petri 2. 7. & 8.] „ *Et juſtum Loth oppreſſum à nefandorum injuſtâ „ converſatione eripuit: aſpectu enim & auditu juſtus „ erat, habitans apud eos, qui quotidie animam juſti „ iniquis operibus cruciabant*. Hinc Paulus diſci-„ pulorum vitam glorificat, & glorificando [Phil. 2. 15.] „ confirmat, dicens: *In medio nationis pravæ & „ perverſa, inter quos lucetis ſicut luminaria in Mun-„ do, verbum vitæ continentes*. Hinc Ioannes per „ Angelum Pergami Eccleſiæ atteſtatur, di-[Apoc. 2. 13.] „ cens: *Scio ubi habitas, ubi ſedes eſt ſatanæ, & te-„ nes nomen meum, & non negaſti fidem meam*. „ Beatus item Iob, ut oſtendat cujus forti-„ tudinis fuerit, inſinuat cum quibus vixit, [Iob 30. 29.] „ dicens: *Frater fui draconum, & ſocius ſtruthio-num*". Idem quoque Gregorius ſuperiùs lib. 1. ejuſdem Operis cap. 1. perpendens quòd [Iob 1. 1.] idem Beatus Iob dicatur *Fuiſſe in terra Hus ſimplex ac rectus*: " Idcircò, inquit, ſanctus vir „ ubi habitaverit dicitur, ut ejus meritum „ virtutis exprimatur. *Hus* namque quis ne-„ ſciat quòd ſit terra Gentilium? Gentilitas „ autem eò obligata vitijs extitit, quò co-„ gnitionem ſui Conditoris ignoravit. Dica-„ tur itaque ubi habitaverit, ut hoc ejus lau-„ dibus proficiat, quòd bonus inter malos „ fuit. Neque enim valde laudabile eſt, bo-„ num eſſe cum bonis; ſed bonum eſſe cum „ malis: ſicut enim gravioris culpæ eſt, inter „ bonos bonum non eſſe; ita immenſi præ-„ conij eſt, bonum etiam inter malos extitiſſe. „ Hinc eſt, quòd idem Beatus Iob ſibimet „ atteſtatur, dicens: *Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum*". Hoc ultimum dicere poteſt Rex quiſque vitioſus inter vitioſos: eò vel maximè, quòd Reges ſoleant alios Reges quantumvis extraneos compellare *cognatos*, imò & *fratres*. Qui ergo inter dyſcolos Reges probus extiterit, gratuletur felicitati ſuæ, quòd etſi dignitate *frater fuerit draconum, & ſocius ſtruthionum*; moribus tamen ac regnandi uſu ab eis perſtiterit alienus: ita ut nec draco nec ſtruthio ex eorum imitatione ipſe evaſerit. In *draconibus* porrò inflatio denotatur ſuperbiæ, undè & de quibuſdam dictum eſt quòd *traxerint ventum quaſi dracones*: [S] Perverſi [Hier. 14. 6.] „ etenim, inquit Gregorius, ventum quaſi [S Gregor. l. 20. Moral. c. 29.] „ dracones trahunt; quùm malitioſâ ſuperbiâ inflantur": In *ſtruthionibus* denique ſignatur crudelitas; juxta illud: *Filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto*. [Thren. 4. 3.] Quæ ſententia lucem accipit ex verbis Domini apud Iob, quibus ait de ſtruthione: *Derelinquit ova ſua in terrâ, oblivifcitur quòd pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat: duratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui*. [Iob 39. 14. & ſeqq.] Exemplum denotandis tyrannis aptiſſimum, qui cùm ſubditos ſuos affectu paterno diligere, fovere, proſperare; ac tueri ex officio deberent; indurantur tamen ad eos, quaſi non ſui eſſent; permittentes eos conculcari à concivibus, & conteri ab extraneis hoſtibus: imò verò ſtruthione interdum crudeliores conculcant ipſi & conterunt cives, quos debuiſſent paternè protegere tanquam filios. Notat hoc Dominus in Principibus veteris ſui populi: *Principes ejus*, inquiens, *in medio ejus quaſi leones rugientes*. [Soph. 3. 3.] Et quoniam veriſſimè ſcriptum eſt, *Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes miniſtros habet impios*: [Prov. 29. 12.] idcircò ſequitur apud Sophoniam ibidem continuò. *Iudices ejus lupi veſperè, non relinquebant in manè*. Congruum planè fuit, ut ubi Principes comparati ſunt *leonibus rugientibus*, Judices compararentur *lupis veſpertinis, nihil in manè relinquentibus*: [T] Judices pravi, inquit Iſidorus, juxta Pro-„ phetæ verbum; *quaſi lupi veſperè, non relin-„ quunt in manè*, hoc eſt, de præſentis tantùm [T. Iſidor. l. 3. Sentent. cap. 52.] „ vitæ commodis cogitant, non de futuris: „ vita enim iſta *veſperum*, futura verò *manè* ac-„ cipitur. Et benè ait, *quaſi lupi*: quia lupo-„ rum more cuncta diripiunt, & vix pauca pauperibus derelinquunt". Horum porrò luporum rapacitas, ac diritas, in ipſos leones, hoc eſt, in Principes, à quibus conſtituti fuerint, redundat: dicente eodem Iſidoro ibidem ſuperiùs, " Ad delictum pertinet „ Principum, qui pravos Judices contra vo-„ luntatem Dei populis fidelibus præferunt. „ Nam ſicut populi delictum eſt, quando „ Principes mali ſunt: ſic Principis eſt peccatum, quando Judices iniqui exiſtunt". Quoniam igitur, ut ibidem rursùs Iſidorus monet, " Qui deſtruant multi ſunt, rari autem „ qui populos legum moderamine regant": idcircò prudenter ac ſalubriter quiſque principantium reputabit ſibi dictum ab Eccleſiaſtico, *Purga te cum paucis*. [Eccli. 7. 34.] Quo præſtito, poterit ſibi gratulari in Domino, dicendo cum Beato Iob, *Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum*: [Iob 30. 29.] nec ei oberit in medio ſuperborum hujuſmodi & crudelium fratrum ſociorumve conſtituto, quicquid in ipſum cœtum propter malorum numeroſitatem proborumve paucitatem dictum fuerit.

DXL. Ut

DXL. Ut noverint Reges quo fine Rex Salomon cœtum eorum ad audiendum invitaverit, invitatos increpaverit ac minis terruerit, cùm dixisset in suâ apostrophe, *Sap. 6, 10.* *Ad vos Reges sunt hi sermones mei*; continuò subjunxit, *Vt discatis sapientiam, & non excidatis*. Hic ergo finis ac scopus est Salomonicæ parænescos tam quoad partem invitatoriam, quàm quoad increpatoriam, quàm denique quoad comminatoriam: ut nimirùm instiget Reges ad studium sapientiæ, quæ sola sospitatrix & conservatrix regnorum est. Unde & ibidem paulò pòst Salomon, quasi iterando apostrophen, inclamat Regibus: *Ibid. v. 22. & 23.* *Si ergo delectamini sedibus, & sceptris, ô Reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis: diligite lumen sapientiæ omnes qui præestis populis*. Plerique omnes Reges delectantur thronis ac sceptris, sed non perinde diligunt sapientiam: atque idcircò ea quibus delectantur amittunt, dum id quo *Eccli. 10. 1.* ea ipsa firmantur omittunt: *Principatus sensati*, inquit Ecclesiasticus, *stabilis erit*, hoc est, sensus, sive sapientia principantis stabiliet principatum. Nam quòd *sensati* vocabulo intelligatur ibi *sapiens*, & *sensus* idem sit quòd *sapientia*; claret ex subjunctâ ibidem mox antithesi, *Ibid. v. 3.* *Rex insipiens perdet populum suum, & civitates inhabitabuntur per sensum potentium*, hoc est, per sapientiam Regum, in eis dominantium. Sed quid necesse est, extra ipsum Sapientiæ librum quærere argumentum, quo pateat quòd *sensus* ponatur pro *Sapientia*? Ibi habemus Salomonem de sametipso dicentem: *Sap. 7. 7.* *Optavi, & datus est mihi sensus*. Ubi ne ambigeremus quid intellexerit nomine *sensus*, continuò, quasi seipsum explicans, subdidit: *Invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ*. Quibus verbis eandem rem alijs vocibus expressit; surrogans verbum *Invocavi*, pro verbo *optavi*; & *spiritum sapientiæ*, pro *sensu*. Similiter & Ec- *Eccli. 33. 2.* clesiasticus cùm dixisset, *Sapiens non odit mandata & iustitias, & non allidetur quasi in procellâ navis*: continuò subdidit quasi seipsum explanans, *Ibid. v. 3.* *Homo sensatus credit legi Dei, & lex illi fidelis*. Ubi is qui superiori versiculo dictus fuerat *Sapiens*, mox sequenti dicitur *homo sensatus*. Inde quoque est quòd Christus dicatur *Luc. 24. 45.* *Aperuisse discipulis sensum ut intelligerent Scripturas*: & quòd Joannes Apostolus in primâ suâ Epistolâ ait, *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit* *1. Ioan. 5. 20.* *nobis sensum ut cognoscamus verum Deum*. Neque enim his & similibus locis intelligendus venit *sensus* corporis, sed cordis; quo utique solo *intelliguntur Scripturæ*, & *cognoscitur verus Deus*. Ad eundem modum sumitur *sensus* cùm de Deo scribitur in primâ hominum creatione, *Eccli. 17. 5. & 6.* *Disciplinâ intellectus replevit illos: creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor eorum, & mala & bona ostendit illis*. Neque enim cor impletur *sensu* corporeo, sed incorporeo; quali præditi fuerunt quos Psalmographus vocat *Eruditos corde in sapientiâ*. *Psal. 89. 12.* Augustinus ex suo quidem Codice legit, *compeditos*; sed mox addidit: *V. August. Enarrat. in Psalm. 89. v. 12.*

"V. Alij Codices non habent *compeditos*, sed „ *eruditos*: verbum enim Græcum ita in utrâ- „ que significatione similiter sonat, ut syllaba „ paululùm differat. Sed cùm illi erudiantur, „ qui *iniiciunt*, sicut scriptum est, *pedem in com-* *Eccli. 6. 25.* „ *pedes eius*, non utique pedem corporis, sed „ pedem cordis, *& eius* (sapientiæ) *velut au-* *Ibid. v. 26.* „ *reis vinculis alligati*, à via Dei non exorbitant, „ nec fiunt ab illo fugitivi: quodlibet horum legatur, salva est sententia veritatis". Hujusmodi aureis sapientiæ vinculis compediri Reges optat Salomon, dum eis suadet, *ut discant sapientiam*, sive ut *diligant lumen sapientiæ, qui præsunt populis*. Quam utique si dilexerint ac didicerint, fient de numero eorum quibus in capite sunt oculi; sicut idem ipse Salomon alibi ait, *Sapientis oculi in capite eius*, hoc est, *Eccle. 2. 14.* "X. Sapientiæ beneficio habet homo oculos *X Pineda in cap. 2. Ecclesiast. 14.* „ in capite, sive, eum finem obtinet ad quem „ in capite tanquam in arce & loco altissimo „ collocatos veluti speculatores natura oculos „ constituit: ut provideat, & procul videat „ quæ agenda sint, quò sit eundum, quid se- „ quendum, quid fugiendum; ut vitet vitæ „ offendicula & universæ cursum moderetur, „ ac nullâ in re aut improvidus ruat, aut cæcus impingat". Cæterùm quia non aliunde meliùs aut certiùs sapientia ista discitur, quàm ex jugi lectione ac ruminatione divinæ legis: idcirco Deus optimè conscius quantoperè ea necessaria sit populorum Rectoribus, jussit ut Rex veteris sui populi describeret sibi legis volumen, illudque legeret non semel aut iterum, Sed *omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum*: *Deut. 17. 19.* "Y. Mox post *Y. Philo lib. de Creatione Principis.* „ acceptam potestatem, inquit Philo, jube- „ tur Rex Deuteronomium, hoc est, legis „ compendium, propriâ manu describere, „ quò magis ea præcepta inhæreant animo: „ nam legentibus elabuntur sententiæ, quòd „ lectio moras non patiatur; qui autem scribit „ per otium imprimat & infigat menti singula „ fideliter, non in transcursu animadversa, sed „ cunctanter; non priùs cogitatione trans- „ eunte ad sequentia, quàm benè pensitatis „ quæ præcesserant. Absoluto autem hoc scri- „ pto, relegendum est quotidie: ut assidui- „ tate confirmetur memoria, & ipsa præcepta „ eò magis allubescant per assuetudinem, uti- „ litate honestateque suâ commendabilia, & „ animo sacrum sui desiderium inserentia: „ nam longa consuetudo sincerum amorem „ gignit non solùm erga homines, sed erga „ litteras quoque cognitu dignas, Id fiet ita, „ si Princeps Commentarios non ab alijs, sed „ à seipso scriptos evolvat: nam libentiùs „ quodammodò agnoscet propria, sic secum cogitans:

„ cogitans: Ego tantus Princeps scripsi hæc, „ nullius operâ usus, cùm tot subditos habeam: an fortè ut librum explerem litteris, „ velut Scribæ mercenarij; aut oculorum „ acumen exercerem, aut celeritatem ma„ nuum, sicut Notarij? Nequaquam, sed ut „ inter transcribendum in animam imprime„ rem, & menti divinos characteres inscri„ berem nunquam eluibiles. Ergo cùm alij „ Regis sceptro utantur pro gestamine, mihi „ pro sceptro erit hoc legum compendium: „ hoc insigni gloriabor, hoc me invictum „ reddet & inculpabilem, summique Regis „ imitatorem: his sacris legibus jugiter sub„ nixus, duas res eximias assequar; primùm „ æqualitatem, quâ nihil præstantius, nam „ arrogantia superbiaque pusillanimitatis est, „ in futurum non prospicientis; at verò æqua„ litas conciliat subditorum benevolentiam, „ securitatem Principi benè merito rependen„ tium; sicuti inæqualitas periculis semper „ est obnoxia. Hæc igitur effugiam si aver„ satus fuero inæqualitatem, dissidiorum & „ caliginis causam; securusque vitam transi„ gam, æqualitatem colens authorem tran„ quillitatis ac luminis. Alterum denique asse„ quar, ut in neutram partem deflectam, velut „ in æquilibrio, rectâ regiâque viâ divino„ rum mandatorum incedens firmis passibus „ nec usquam offensantibus: talem enim „ viam legislator appellare solet regiam, quâ „ inter defectum & nimietatem trames tenetur „ medius: quoniam in ternione quod medium „ est, principatum habet, utrinque contigua „ coaptans vinculo insolubili, latera sibi tan„ quam Regi stipantia. Tali porrò Principi „ legitimo, jus æquabile honoranti, incor„ ruptè judicanti, justitiam incessanter medi„ tanti, longævum Principatum Propheta proponit vice præmij".

SCRVPVLVS.

DXLI. Sed quoniam in prædicto mandato, Regibus veteris populi servari jusso, non fit mentio sapientiæ, sed timoris Dei; neque enim ibi legitur, ut discat sapere; sed, *ut discat timere Dominum Deum suum*: non apparet quomodò hinc eruatur argumentum confirmatorium ejus quod Regibus inculcat Salomon, *ut discant sapientiam, ne excidant*.

EXCVTITVR.

Verùm haud difficulter scrupulus iste excutictur, si duorum istorum cohærentia perpendatur: quæ utique non minùs arcta esse videtur, quàm cohærentia humilitatis & charitatis, de quibus ait Prosper: [z] In nul„ lo hæ virtutes ab invicem dividuntur, & „ ambarum tam indiscreta connexio est, ut „ qui in una earum construitur, simul utrâ„ que potiatur: sicut enim pars charitatis „ est humilitas, ita pars humilitatis est charitas". Vide jam utrùm non æquè arctè cohæreant invicem timor Domini à Moyse præstitutus, & sapientia à Salomone inculcata. Scriptum quippe est in Psalmo, & repetitum in Ecclesiastico, *Initium sapientiæ timor Domini*. Neque verò Rex Salomon id ignoravit aut tacuit, qui ait in Proverbijs, *Timor Domini principium sapientiæ*. Et rursùs inversè, *Principium sapientiæ timor Domini*. Eòdem quoque collimat Ecclesiasticus cùm ait, *Radix sapientiæ est timere Dominum, & rami illius longævi*. Atque ut noverimus timorem Domini non solùm initiare, sed & coronare sapientiam, eo scilicet modo quo finis coronat opus, præmittitur ibidem paulò superiùs, *Corona sapientiæ timor Domini*. Sed & vicissim sapientia coronat sive consummat timorem ipsum à quo coronatur, sicut inferiùs in eodem libro scriptum habes, *Consummatio timoris Dei, sapientia & sensus*. Eadem item sapientia initiat timorem Domini, à quo & ipsa reciprocè initiatur: scriptum quippe est: *Si sapientiam invocaveris, & inclinaveris cor tuum prudentiæ; si quæsieris eam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam: tunc intelliges timorem Domini*. Cùm igitur sapientia, & timor Domini, se invicem principient, & se invicem consumment, planum est posse de eis usurpari illud, quod de charitate & humilitate dictum à Prospero mox memoravimus, mutatis duntaxat nominibus, *In nullo hæ virtutes ab invicem dividuntur, & ambarum tam indiscreta connexio est, ut qui in una earum construitur, simul utraque potiatur: sicut enim pars timoris est sapientia, ita pars sapientiæ est timor*. Et quid dico, *pars*? cùm scriptum sit, *Plenitudo sapientiæ est timere Deum*? Dicamus ergo cum Prospero ibidem: *De utraque habeatur dictum, quicquid de una est disputatum*. Quapropter rectissimè in confirmationem ejus, quod de *sapientia discenda* scriptum est à Salomone, adducitur quod de *addiscendo Dei timore* scriptum fuerat à Moyse. Quod ut planiùs perspiciatur, addendum fuerit illud ex libro B. Job: *Ecce timor Domini ipsa est sapientia*. Non ait, timor Domini initium est sapientiæ, vel corona sapientiæ, vel denique plenitudo sapientiæ: sed, *ipsa est sapientia*. Porrò pro *timore Domini*, in Græcis Codicibus habetur *theosebeia*, quod Latinè interpretatur *Dei cultus*; quem nonnulli simplici vocabulo exprimere cupientes, *pietatem* transtulerunt. Quâ de re Augustinus: [A] Nunc, inquit, de sapientia no„ bis est differendum; non de illa Dei, quæ „ proculdubiò Deus est, nam *Sapientia Dei* „ Filius ejus unigenitus est: sed loquemur „ de hominis sapientiâ, verâ tamen, quæ se„ cundùm Deum est, & verus ac præcipuus „ cultus ejus est; quæ uno nomine *theosebeia* „ Græcè appellatur: quod nomen nostri, „ sicut jam commemoravimus, volentes „ & ipsi uno nomine interpretari, *pietatem* „ dixerunt; cùm pietas apud Græcos *Eusebeia* usitatiùs

[z] Prosper Epist. ad Demetriadem cap. 23.

Ps. 110. 10. & Eccli. 1. 16.
Prov. 1. 7.
Prov. 9. 10.
Eccli. 1. 25.
Ibid. v. 22.
Eccli. 25. 16.
Eccli. 1. 20.
Iob 28. 28.
[A] August. lib. 14 de Trinit. c. 1.
1. Cor 1. 24.

Yyyy

,, usitatiùs nuncupetur: *theosebeia* verò, quia ,, uno verbo perfectè non potest, meliùs duo- ,, bus interpretatur, ut dicatur potiùs *Dei cul- ,, tus*. Hanc esse hominis sapientiam, quod & ,, in duodecimo hujus Operis volumine jam ,, posuimus, Scripturæ sacræ authoritate de- ,, monstratur in libro Job servi Dei, ubi legitur ,, Dei sapientiam dixisse homini; *Ecce pietas est sapientia*". Recolantur quæ in hanc rem diximus superiùs §. 574. Nec est quòd huic intelligentiæ opponatur, sapientiam esse virtutem intellectualem, cùm tamen pietas, sive timor Dei, sit virtus moralis in voluntate residens. Quamvis enim Sapientia videatur directè importare quandam virtutem cognitivam, quâ illustratur mens circa res potissimùm divinas: tamen simul importat quandam affectionem appetitûs rationalis, quâ res illæ divinæ per mentem repræsentatæ dulcescunt, & suaviter voluntati sapiunt: quæ affectio rectè appellatur *pietas*, *religiositas*, & *timor* præsertim reverentialis erga Deum tanquam summam rerum causam. Unde scriptum est, *In thesauris sapientiæ intellectus & scientiæ religiositas*: & rursùs, *In thesauris sapientiæ significatio disciplinæ, execratio autem peccatori cultura Dei*: & ibidem superiùs de timore Dei, *Timor Domini scientiæ religiositas*. Ubi videmus timorem Dei dici *religiositatem*: & hanc, quæ non aliud sonat quàm pietatem sive *Dei culturam*, recondi *in thesauris sapientiæ*. Quemadmodùm igitur fides Theologica, etsi dicatur virtus intellectualis, importat tamen simul quendam affectum moralem piæ credulitatis in voluntate residentem, quâ fidelis lubenter ac volenter captivat mentem suam in obsequium primæ summæque veritatis: ita & sapientia, etsi dicatur intellectualis virtus, importat tamen suavitatem quandam spiritalis gustûs ex parte affectûs, quæ est quædam devotio sapientis erga res divinas per mentem propositas: [B] Profectò, ,, inquit Bernardus, aliud est animo virtute ,, agi, & aliud sapientiâ regi; aliud domi- ,, nari in virtute, aliud in suavitate deliciari. ,, Licèt namque & sapientia potens, & vir- ,, tus suavis existat; ut tamen proprias qui- ,, busque reddamus vocabulis significantias, ,, vigor virtutem, sapientiam placiditas ani- ,, mi cum spirituali quadam suavitate de- ,, monstrat. Hanc puto ab Apostolo designa- ,, tam, ubi post multa hortamenta pertinentia ,, ad virtutem, adjecit, quod est sapientiæ, *In suavitate, in Spiritu Sancto*". Et rursùs ibidem post pauca: " Si quis sapientiam, in- ,, quit, virtutis amorem definierit, non à ,, vero deviare videtur: ubi autem amor est, ,, labor non est, sed sapor. Et sic fortè *sapien- ,, tia*, à *sapore* denominatur, quòd virtuti ac- ,, cedens, quoddam veluti condimentum, ,, sapidam reddat, quæ per se insulsa quodam- ,, modò & aspera sentiebatur. Nec duxerim ,, reprehendendum, si quis *sapientiam* saporem boni definiat". Juxta hanc igitur *Sapientiæ* usurpationem congruenter dici potest, Salomonem ingerendo Regibus studium sapientiæ, exhortari eos non solùm ad Deum rectè noscendum, sed etiam ad eundem timendum ac reverendum, hoc est, veræ pietatis cultu affectuosè colendum: tanquam eis replicaret istum patris sui versiculum, *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus*: ubi & illud paulò pòst subditur, *Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos*; illum nimirum timorem, quem suprà jam ostendimus esse *initium*, & *coronam*, & *plenitudinem sapientiæ*; quem Latini quidem *pietatem*, Græci pressiùs *theosebeiam* nuncupant; quam Scriptura testatur *ipsam esse sapientiam*. Unde scitè Estius, propositâ quæstione de veteribus Mundi Philosophis qui famosè dicti fuêre *sapientes*, num verè fuerint quod dicebantur? [C] Respon- ,, dee, inquit, non fuisse; si *sapientem* intelli- ,, gas eum, qui absolutè talis dicitur, præser- ,, tim juxta loquendi consuetudinem Scri- ,, pturæ sacræ tam veteris quàm novi Te- ,, stamenti, quæ passim *sapientem* eum vocat, ,, qui Deum novit, & timet, & mandata ejus ,, observat. Hic enim causam altissimam, quæ ,, Deus est, ita contemplatur, ut juxta regulas ,, ab eo præscriptas vitam & actiones suas in- ,, stituat: quod est verè ac absolutè *sapientem* ,, esse, quemadmodùm benè docet S. Thomas ,, 2. 2. q. 45. Quo fit ut sapientia vocetur ipsa ,, pietas seu timor Domini, Job 28. *Ecce timor ,, Domini ipsa est sapientia*. Ubi Septuaginta, *Ecce pietas, theosebeia, est sapientia*". Cui doctrinæ admodùm consonanter scripserat pridem Lactantius: [D] In sapientia Religio, inquiens, & ,, in Religione sapientia est. Ergo non potest ,, segregari: quia sapere nihil est aliud, nisi ,, Deum verum justis ac pijs cultibus hono- rare". Et superius lib. 3. cap. 29. " Omnis sa- ,, pientia hominis, inquit, in hoc uno est, ut Deum cognoscat & colat". Et adhuc superiùs ibidem cap. 11. " Homines, inquit, ideò ,, falluntur, quòd aut Religionem suscipiunt ,, omissâ sapientiâ, aut sapientiæ soli student ,, omissâ Religione; cùm alterum sine altero esse non possit verum". Breviter & resolutè Isidorus Pelusiota: [E] Pietatem solam, inquit, propriè sapientiam esse definimus". Nec minùs appositè Augustinus: [F] In Civitate Dei, ,, inquit, nulla est hominis sapientia, nisi pietas, quâ rectè colitur verus Deus".

DXLII. Ad hanc ergo sapientiam, quâ Deus non solùm intellectu noscitur, sed & pietatis affectu colitur, instigat Reges Rex Salomon, dum in præsenti sua ad eos apostrophe admonet, *Ut discant sapientiam, & non excidant*.

Vide lib. 12. de Trinit. cap. 14.

PRÆOCCUPATIO.

Eccli. 1. 26.

Ibid. v. 31.

Ibid. v. 17.

B Bernard. Serm. 85. in Cantica. Vide Hugonem Victor. Homil. 12. in Ecclesiasten. & Isidor. lib. 10. Orig. c. 98.

2. Cor 6. 6.

Psal. 33. 9.

Ibid. v. 12.

C Estius in cap. 1 Epist. ad Romanos v. 22.

D. Thomas.

D Lactant. l. 4 c. 3.

E Isidorus Pelus. lib. 5. Epist. 201

F August. lib. 10 de Civitat.

Sap. 6 10.

dant. Ubi proculdubiò casuros indicat, ni
sapientiam discant: si enim discendo sapien-
tiam vitatur excidium, eandem negligendo
Sap. 9. 19. incurritur excidium: *Nam per sapientiam*, ut
posteà subditur, *sanati sunt, quicunque placuerunt*
Bar. 3. 26. *Domino à principio*. Exemplo esse possunt *Gigan-*
tes nominati illi, qui ab initio fuerunt, staturâ ma-
gnâ, scientes bellum: qui, ut mox subditur ibi-
Ibid. v. 28. dem, *Quoniam non habuerunt sapientiam, interie-*
runt propter suam insipientiam. Quia ergo hi ne-
glexêre discere sapientiam, salvati non fue-
runt, sed deleri meruerunt, tanquam qui
Deo non placuerint. Idcircò autem eorum
interitus, & causa ejusdem interitûs, noti-
ficari posteris debuit, partim ut hi exemplo
eorum deterrerentur à neglectu sapientiæ,
partim etiam ut animadverterent bellandi
peritiam non esse veram sapientiam; cùm
videant illos dici *scientes bellum*, qui tamen in-
terijsse memorantur *propter suam insipientiam*.
Bellandi ergo peritia absque superna sapien-
tia non salvat ab interitu, sed præcipitat in
interitum: nec meretur nomen sapientiæ,
sed terrenæ prudentiæ; de qua ibidem præ-
Ibid. v. 23. mittitur; *Filij agar, qui exquisierunt prudentiam*
Vide Petr. *qua de terra est, negotiatores Merrha & Theman,*
Damiani l. *& fabulatores & exquisitores prudentia & intelli-*
8. Epist. 9. *gentia, viam sapientia nescierunt, neque comme-*
morati sunt semitas eius. Sed nec Legum huma-
narum peritia; sine eadem superna sapien-
tia, prorogare potest Regum Imperia. Nam
teste eodem ipso Salomone in libro Regi-
Sap. 9. 14. bus instruendis inscripto, *Cogitationes morta-*
lium timida, & incerta providentia nostra. Non
de Juris humani perito, sed de Sapiente di-
Eccl. 2. 14. vinitùs imbuto scriptum est, *Sapientis oculi in*
capite eius, stultus in tenebris ambulat. Ubi *stultus*
reputatur quisquis sapientiâ destituitur, &
solâ humanâ providentiâ nititur; dicente
Prov. 28. 26. alibi eodem Salomone, *Qui confidit in corde*
suo, stultus est: qui autem graditur sapienter, ipse
salvabitur. Hic enim posterior oculos habet
in capite, utpote sapiens: ille autem prior
in calcaneo, utpotè stultus in tenebris gra-
G. Gregor. Nyssenus Homil. 5. in Ecclesiast. Vide eund. Homil. 2. de Creatione hominis. & Basilium in Psalm. 33. v. 21. diens: [G] Estne ullum omninò animal, inquit
„ Nyssenus, quod habeat oculos extra caput;
„ seu aquatile dixeris, seu terrestre, seu
„ aëreum. Nonne in omnibus oculus reliquo
„ corpori præponitur, & in capite collocatur
„ eorum, quæ caput habent? Quomodò ergò
„ hic dicit solius sapientis caput oculis esse
„ præditum? An hoc omninò tacitè signi-
„ ficat, quòd eorum quæ in anima conside-
„ rantur sit quædam proportio & conve-
„ nientia cum partibus corporis: ut sicut in
„ corporis figurâ id dicitur *caput*, quod toti
„ præest; ita etiam in anima id quod prin-
„ cipatum gerit, & primum locum tenet,
„ pro *capite* intelligatur: & quomodò pedis
„ basim appellamus *calcaneum*, ita & basim
„ animæ; quâ attingit corporis coalescen-
„ tiam, & in subjectum immittit sentien-
„ di vim & operationem? Quando igitur
„ in anima perspiciendi contemplandique vis
„ occupatur circa res sensibiles; oculorum
„ natura in ejus transit calcaneum; per quod
„ aspicit quæ sunt inferiora, sublimium spe-
„ culationum contemplatione penitùs vacua
„ manens: sin autem rerum inferiorum co-
„ gnitâ vanitate sustulerit oculos ad suum
„ *Caput*, quod interprete Paulo *Christus est*, 1. Cor. 11. 3.
„ beata censenda erit propter acrem oculo-
„ rum aciem, ut quæ illic figat oculos ubi
mali non est obscuritas". Et mox interpo-
sitis exemplis quorundam sapientum, ocu-
los in capitibus habentium, hoc est, sur-
sùm corda & cogitationes suas jugiter eri-
gentium, subdit author: " *Sapientis* ergò
„ *oculi sunt in capite eius, stultus autem in tene-*
„ *bris ambulat*. Qui enim non ponit suam lu-
„ cernam super candelabrum, sed sub base
„ lecti; efficit ut lux sibi sint tenebræ; ut
„ qui evaserit opifex ejus, quod non potest
„ consistere: vanum est enim id quod con-
„ sistere non potest; adeoque *tenebra* in sig-
„ nificatione tantum valent, quantum vanum.
„ Stulti ergo anima, quæ corpus diligit & Vide suprà
„ est carnalis; dum hæc aspicit, nihil videt; hic §. 315. & 108.
„ veræ enim tenebræ sunt acer visus in sen-
„ silibus. Vides istos acres, & in hac vita ver-
„ sutos ac versatiles, quos nos vocamus *Iu-*
„ *risperitos*, quàm facilè efficiant ut liceat
„ facere Injuriam, testibus, patronis, libel-
„ lis, Iudicum observantiâ: ut & malum
„ faciant, & sumant supplicium? Quis non
„ miretur eorum subtilitatem, & versatile
„ ingenium? Cæci tamen sunt isti, si confe-
„ rantur cum illo oculo, qui ea quæ suprà
„ sunt aspicit, qui est in capite eorum qui
„ verè sunt sapientes: planè cæci sunt, qui
„ suum ornant *Calcaneum, qui laceratur à den-* Gen. 3. 15.
„ *tibus serpentis*. Propterea enim quòd ea quæ
„ infernè sunt aspiciunt, sibiipsis imprimunt
„ dogmata peccati: *Qui enim diligit iniquita-* Psalm. 10. 6.
„ *tem, odit animam suam*; & quod in eis inter
„ homines censetur beatum, est quibusvis re-
bus adversis miserabilius". Hinc planum est,
non magis humani Juris notitiam, quàm bel-
landi peritiam, sufficere posse prorogandis
Regum imperijs, si desit genuina illa sapien-
tia, quam Salomon Regibus inculcat *discen-*
dam, ne excidant. Cùm enim juxta veridicam
ejusdem Salomonis assertionem mox rela-
tam, *Per sapientiam sanati sint quicunque placue-*
runt Domino à principio; proculdubio nemo ei
absque eâ placuit à principio; sed nec placet,
nec placebit: qui autem Deo non placet, quid
nisi impius est? At verò scriptum est, *Domus* Prov. 14. 11.
impiorum delebitur. Rursùs qui Deo non placet,
Deo resistit: scriptum est autem de Deo,

Iob 3. 4.
H. August. l. 19 de Civit. cap. 13.

Sapiens corde est, & fortis robore: quis restitit ei, & pacem habuit? [H.] Dedit Deus hominibus, inquit „ Augustinus, quædam bona huic vitæ con„grua, id est, pacem temporalem pro modu„lo mortalis vitæ, in ipsa salute & incolumi„tate ac societate sui generis; & quæcunque „huic paci vel tuendæ vel recuperandæ ne„cessaria sunt, sicut ea quæ aptè ac conve„nienter adjacent sensibus; lux ista visibilis, „auræ spirabiles, aquæ potabiles, & quic„quid ad alendum, tegendum, curandum, „ornandumque corpus congruit: eo pacto „æquissimo, ut quicunque mortalis talibus „bonis paci mortalium accommodatis rectè „usus fuerit, accipiat ampliora atque melio„ra, ipsam scilicet immortalitatis pacem, ei„que convenientem gloriam & honorem in „vita æterna, ad fruendum Deo, & proximo „in Deo: qui autem perperàm, nec illa acci„piat, & hæc amittat". Sicut ergo *rectè utentibus* pace temporali ac cæteris bonis terrenis divinitùs concessis reposita est amplioris meliorisque boni remuneratio, ita *perperàm utentibus* infligenda est non solùm hujusce remunerationis denegatio, sed & pacis etiam temporalis anticipanter prærogatæ amissio: ut in ijs & de ijs verificetur quod mox adduximus, *Quis Restitit Deo, & pacem habuit?* Non quidem culpandi, sed potiùs laudandi sunt, qui paci temporali student, eamque pro suo virili pro-

Mat. 5. 9.

curant: unde scriptum est, *Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur.* Sed ut rectè, adeoque sapienter, ei studeant, eamve procurent atque conservent; necesse est ut nequaquam in ea ultimatè sistant, sed altiùs aciem mentis attollant; oculos in capite, non in calcaneo figant; pacem Religionis ei præferant, non postponant; pacem immortalitatis per eam inquirant: alioquin Politicis illis accensebuntur, de quibus cap. 138. disseruimus. Quales politicos breviter perstringit Augustinus, cùm

I. August in Psalm. 136.

ait: [I.] Habet hæc civitas, quæ *Babylonia* dici„tur, amatores suos, consulentes paci tem„porali, & nihil ultrà sperantes, totumque „gaudium suum ibi figentes, & ibi finientes: „& videmus eos pro Republica terrena plu„rimùm laborare". Hactenùs merè politici, quales dicto capite 138. descripsimus. Videamus porrò quâ ratione de talibus fiant cives Hierusalem, id est, de merè politicis veri Christiani. Sequitur quippe apud Augustinum ibidem continuò: "Sed in ea (*Babyloniâ*) qui„cunque fideliter versantur, si non ibi appe„tant superbiam, & perituram elationem, „otiosamque jactantiam; sed veram fidem „exhibeant, quam possunt, quamdiu possunt, „quibus possunt, ad quantum vident terrena, „& ad quantum intelligunt speciem civita„tis; non eos sinit Deus perire in Babyloniâ: „prædestinavit enim eos cives Hierusalem: „intelligit captivitatem eorum Deus, & „ostendit illis aliam civitatem, cui verè de„beant suspirare, pro qua debeant cuncta „conari, ad quam capessendam debeant cives „suos secum peregrinos quantùm valuerint „adhortari. Propterea dicit Dominus Jesus „Christus, *Qui in minimo fidelis est, & in magno* Luc. 16. 10. „*fidelis est*: & rursùm dicit, *Si in alieno fideles* Ibid. v. 12. *non fuistis, vestrum quis dabit vobis*"? Quamvis ergo omnes promiscuè sive Reges, sive eorum greges, quamdiu in hoc Mundo degunt, Babyloniam incolant: non omnes tamen inde sunt cives; sed quidam hospites & peregrini, ex quorum persona dicebat Apostolus, *Non* Heb. 13. 14. *habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*: & de quibus Prosper Aquitanicus in sententijs ex Augustino collectis ait: [K.] Om- K. Prosper Sentent. 17. „nis qui ad supernam pertinet civitatem, pe„regrinus est Mundi; & dum temporali uti„tur vitâ, in patriâ vivit alienâ: ubi inter „multa illecebrosa, & multa fallacia, Deum „nosse & amare paucorum est, quibus fit *Præ-* Psal. 18. 9. „*ceptum Domini lucidum illuminans oculos*, ut nec „in Dei nec in proximi charitate fallantur". Cæteri verò non hospites sunt, sed cives & municipes Babyloniæ; quales sunt politici supra descripti, quamdiu tales manent, hoc est, quamdiu paci ac politiæ temporali ita student & incumbunt, ut nihil ultrà sperent, aut saltem nihil æquè vel potiùs quærant; sed totum suum gaudium ibi figant, aut eò saltem referant: [L.] Duas istas civitates, inquit L. Aug in Psalm. 64. Vide Prosp. Sentent. 321. „Augustinus, faciunt duo amores: *Hierusa„lem* facit amor Dei: *Babyloniam* facit amor „sæculi. Interroget ergo se quisque quid „amet, & inveniet unde sit civis: & si se in„venerit civem *Babyloniæ*, extirpet cupidita„tem, plantet charitatem; si autem se inve„nerit civem *Hierusalem*, toleret captivita„tem, speret libertatem". Qui rursùs lib. 14. Vide lib. 14 de Gen. ad lit. cap. 15. & l. de Catechiz. rudibus cap. 19. de Civit. cap. 28. "Fecerunt civitates duas, „inquit, amores duo: terrenam scilicet amor „sui, usque ad contemptum Dei; cælestem „verò amor Dei, usque ad contemptum sui. „Denique illa in seipsa, hæc in domino glo„riatur: illa quærit ab hominibus gloriam, „huic autem Deus, conscientiæ testis, maxi„ma est gloria: illa in gloria sua exaltat ca„caput suum; hæc dicit Domino, *Gloria mea, &* Psalm. 3. 4. „*exaltans caput meum*: Illa in Principibus suis, „vel in eis quas subjugat nationibus, do„minandi libidine dominatur; in hac ser„viunt invicem in charitate & Præpositi con„sulendo, & subditi obtemperando: Illa in „suis potentibus diligit virtutem suam; „hæc dicit Deo suo, *Diligam te Domine virtus* Psalm. 17. 2. „*mea*: Ideoque in illa sapientes ejus secun„dùm hominem vivunt, aut corporis, aut „animi sui bona, aut utriusque sectati; aut Rom. 1. 21. & seqq. „qui potuerant *Cognoscere Deum, non ut Deum*

honora-

,, *honoraverunt, vel gratias egerunt, sed evanuerunt*
,, *in cogitationibus suis, & obscuratum est insi-*
,, *piens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes,*
,, id est, dominante sibi superbiâ in suâ sa-
,, pientiâ sese extollentes, *stulti facti sunt, &*
,, *immutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in simi-*
,, *litudinem imaginis corruptibilis hominis, & volu-*
,, *crum, & quadrupedum, & serpentium*; ad hujus-
,, modi enim simulachra adoranda vel duces
,, populorum, vel sectatores fuerunt, *& co-*
,, *luerunt atque servierunt creaturæ potiùs, quàm*
,, *Creatori, qui est benedictus in sæcula*: In hac
,, autem nulla est hominis sapientia, nisi pie-
tas, quâ rectè colitur verus Deus". Hæc est ergò sapientia, quam Regibus commendat Rex Salomon, *discendam, ne excidant*; & quam similiter Rex David commendaverat iisdem sub simili interminatione, cùm ait: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram: servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de viâ justâ, cùm exarserit in brevi ira ejus.* (Psalm. 2. 10. & seqq.) Hæc denique est sapientia, cujus perdiscendæ gratiâ jussus fuerat Rex veteris populi Dei *Describere sibi Deuteronomium legis divinæ in volumine, & habere secum, legereque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut disceret timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias ejus, quæ in lege præcepta erant; nec elevaretur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinaret in partem dexteram vel sinistram; ut longo tempore regnaret ipse, & filii ejus, super Israel.* (Deut. 17. 18. & seqq.) Quod quidem præceptum tametsi legale fuerit quantùm ad descriptionem libri legis in chartâ, eo tamen admonentur Reges novi populi ut legem Dei describant in cordibus suis, *Ut longo tempore regnent ipsi, & filii eorum.* Ait quippe Apostolus novo populo de veteribus Scripturis, *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* (Rom. 15. 4.) Et alibi loquens de priscis illis Dei cultoribus: *Omnia*, inquit, *in figurâ contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram.* (1. Cor. 10. 11.)

CAPUT CXLIV.

Proceditur ad finalem Salomonicæ paræneseos clausulam, Qui custodierint justa justè, justificabuntur; & qui didicerint ista, invenient quid respondeant: *cujus cum præcedenti contextu nexus astruitur. Morum Censori non placent nuda operum nomina, sine adverbiorum ac præpositionum amictu.* Iusta justè custodire *quid? Quicquid boni fit ab homine, nisi propter id fiat, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur probum, ipso non recto fine peccatum est. Bonum exigit causam integram, malo sufficit alicunde irrepens mutilitas. Quicquid quisque velut rectum fecerit, nisi ad pietatem quæ in Deum est referatur, rectum dici non meretur. Necesse est ut Deum in omni quod gerimus attendamus. Paulinum documentum,* Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis; omnia in gloriam Dei facite, *copiosè edisseritur; & præceptorium, non merè consultorium esse ostenditur. Non sufficit psallere, & Domino psallere, nisi & sapienter psallatur. Doctorum Ecclesiæ quadriga, ab ejusdem Archipræsule solemniter præconizata, consonanter astruit obligationem intuendi Deum ut finem in omnibus quæ agimus. Insipida sunt fercula obedientiæ & patientiæ, absque conditurâ sapientiæ. Assimilatur sapientia ligno aquas amaras dulcoranti, farinæ pulmentum propheticum saporanti, igni in altari mystico jugiter ardenti, oleo in lucernis nupturientium lucenti, sali suavitatem oblationibus impertienti. Cardinalium virtutum chorus de sapientiæ adyto prodit. Vera sapientia est, nosse & amare Deum. Ubi deest agnitio æternæ veritatis, falsa virtus est, etiam in optimis moribus. Duo amores sunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates; ita diversi qualitatibus, ut authoribus. Humana voluntas semper amat aliquid, quò se ferat. Rectæ sunt voluntates sibi religatæ, si bona est illa quò cunctæ referuntur: si autem prava est, pravæ sunt omnes. Quid Divus Thomas, quid item celebriores Scripturarum Interpretes, tam neoterici quàm veteres, censuerint de obligatione referendi cuncta opera nostra in gloriam Dei nostri?*

DXLIII. Superest extrema clausula Salomonicæ concionis ad Reges, §. 480. exhibitæ, istis expressa verbis: *Qui enim* (Sap. 6. 11.) *custodierint justa justè, justificabuntur; & qui didicerint ista, invenient quid respondeant.* Cujus clausulæ nexus cum proximè præcedenti contextu, importatus per conjunctionem *enim*, ex jam dictis superiori capite est colligendus. Ostensum quippe ibi est, eam sapientiam à Salomone commendari Regibus *discendam, ne excidant*; (Ibid. v. 10.) quâ Deus non modò rectè noscatur, sed & piè colatur. Volens ergo nunc ostendere quàm necessariò ista sapientia addiscenda sit Regibus ut vitent excidium, adjecit rationem: *Qui enim*, inquiens, *custodierint justa justè, justificabuntur* &c. Tanquam diceret: Reatui excidij subjacebunt, qui coram Deo supremo Judice ac vindice justificati non fuerint: sed sine sapientiâ mox commendatâ nemo coram Deo justificabitur: Ergo eâ destituti subjacebunt reatui excidij. Minor probatur, quia nemo coram Deo justificabitur, nisi qui *justa justè custodierit*: Sed nemo sapientiâ præfatâ destitutus justa justè custodire valet: Ergo nemo eâdem destitutus justificari coram Deo poterit. Minor iterùm probatur, quia justa tum demùm justè custodiuntur, quando debito fine ac modo custodiuntur: sed sine sapientiæ præfatæ directione ac moderatione nequaquam debito fine ac modo custodiuntur: Ergo sine ejusdem directione ac moderatione nequaquam justè custodiuntur. Minor rursùs probatur ex dictis superiori capite super illis

illis Ecclesiastæ verbis, *Sapientis oculi in capite eius, stultus autem in tenebris ambulat.* Quibus nunc addo quæ in eorundem verborum elucidatione eruditè & appositè scribit Hugo Victorinus: [M] Sapiens, ait ipse, usque ad caput suum oculos levat, & non sufficit ei aliquid quod infrà est, donec perveniat ad id quod summum est. Quidam enim oculos sursùm habuerunt, & non usque ad caput eos erexerunt, sed in corpore medio remanserunt. Sed quid facerent membra sine capite? Nunquid vivere possunt membra, à capite præcisa? Ita ergo omne bonum, sine summo bono, non est verum bonum. Vidistis hominem abstinentem ab his quæ lege prohibentur, homicidium non facientem, non adulterantem, non rapientem, non falsum testimonium perhibentem, rem proximi sui non concupiscentem: & dixistis bonum hominem, bonæ vitæ, bonæ conversationis, dignum laude, dignum retributione. Sed quàm multi fecerunt hæc, & Deo non placuerunt; quia non propter Deum fecerunt quod fecerunt, & ideò nec benè fecerunt, quia propter summum bonum non fecerunt. Vidistis alium adhuc altiùs ascendentem, & majora bona facientem; non solùm à malo abstinentem, sed etiam in bono se exercentem, jejunantem, orantem, eleëmosynas multas tribuentem, miseris compatientem, in angustiâ & tribulatione constitutis subvenientem: & prædicastis magnum, & imitatione dignum, quasi Deo proximum & dilectum? Et tamen multi omnia ista fecerunt, qui nihil profecerunt; quoniam Deum in causâ non posuerunt: non habuerunt oculos suos in capite sicut sapiens, sed intentionem suam deorsùm curvantes, vel sibi vel alijs placere cupientes, & de bono suo sine Deo gloriantes; bonum suum perdiderunt, & ad summum bonum non pervenerunt. Meritò enim membra viva tenere non potuerunt, qui caput à corpore præciderunt: ideò *oculi sapientis in capite eius*, ut ad summum bonum priùs mentis intentione ac desiderio præcedat, postea studio & actione subsequatur, deinde retributione perveniat: præcedat intentione, ut omne quod facit, pro illo adipiscendo faciat; subsequatur studio, ut in illo perseveret; perveniat retributione, ut illud in præmium accipiat. Tali igitur modo *Oculi sapientis sunt in capite eius*". Hinc cernitur, quantopere necessaria sit sapientia, ut justa justè custodiantur, adeoque ut custodientes coram Deo justificentur, sive justi in divino judicio declarentur, atque à peccati labe puri pronuntientur. Iudicium quippe Dei non solùm attendit quid à quolibet fiat, sed quo etiam modo, quo ordine, quo fine fiat: non ei placet nisi plenè & undequaque bonum; nec delectatur nominibus, absque suis adverbijs, vel præpositionibus, vel reliquis orationis partibus, quas sapientiæ dictamen efflagitat: [N] Quicquid boni fit ab homine, inquit Augustinus, & non PROPTER hoc fit, propter quod fieri debere VERA SAPIENTIA præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est. Possunt ergo aliqua bona fieri, non BENE facientibus à quibus fiunt: bonum est enim ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti; sed iste qui hoc facit, si amando gloriam hominum magis quàm Dei facit, non BENE BONUM facit". Videmus ergo hinc opus nominaliter *bonum*, sive ex officio honestum, vitiari ob defectum præpositionis *propter*, atque adeò adverbij *benè*, quibus vera sapientia vestiendum illud esse præscribit. Etenim ut Poëta etiam gentilis vidit & cecinit, [O] *Est modus in rebus, sunt certi denique fines, Quos ultra citraque nequit consistere rectum.* Quamvis enim opus congruo modo aut fine destitutum possit esse bonum, rectum, aut honestum secundùm quid; non tamen absolutè, quia non planè & undequaque bonum quippe postulat integram causam, malo sufficit quisque defectus: [P] Ipsa est enim, inquit Augustinus, actio recti itineris, quæ *Oculos semper habet ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes.* Talis actio nec frangitur negotio, nec frigida est otio; nec turbulenta, nec marcida est, nec audax, nec fugax, nec præceps, nec jacens". Ubi per hoc quòd *oculos semper ad Dominum habendos* dicit, honestatem objecti & puritatem intentionis denotat: reliquæ conditiones ad modos spectant operandi. In eo præterea quòd velit *oculos semper ad Dominum habendos*, indicat actionem rectam, sive *recti itineris*, debere procedere ex dictamine sapientiæ, tanquam oculi in sapientis capite fixi: [Q] Quicquid enim, ut ipse alibi ait, homo veluti rectè fecerit, nisi ad pietatem quæ in Deum est referatur, rectum dici non oportet". Non ait, rectè factum; sed nominaliter, *Rectum dici non oportet*: quia nimirùm *rectum* dici simpliciter nequit, quod alicunde curvitatem habet. Hanc porrò habet eo ipso quòd à metâ per sapientiam præstitutâ alterorsùm deflectit: meta namque illa Deus est, sincerâ pietate suspiciendus atque colendus. Etenim ut Beatus ait Gregorius, [R] Necesse est, ut Deum in omni quod gerimus attendamus, peritura & temporalia contemnamus, atque ad æternitatis bona cordis desiderium dirigamus". Et pridem ante hunc ipse Augustinus: [S] Ut homo, inquit, sese diligere nosset, constitutus est ei finis, quò referret omnia quæ ageret, ut beatus esset. Hic autem finis est, adhærere Deo".

Eccle. 2. 14.

M. Hugo Victor. Homil. 12. in Ecclesiasten.

N August. lib. 4 contra Iul. cap. 3.

O. Horat. lib. 1 Serm. Satyra 9.

P. August. Epist. 52.

Psal. 24. 15.

Q Idem lib. de fide & Oper. cap. 7.

R. Greg. lib. 4 Registri Epist. 1.

S. August. lib. 10. de Civit. c. 4.

Deo". Et rursùs lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 18." Vult Dominus, inquit, ut „ simplici corde, & in unum Deum intenti, faciamus quæcunque facimus". Et ante utrumque Ambrosius: T. Qui est Christianus, „ inquit, semper debet patri ac Domino suo „ laudes dicere, & in ejus gloriam omnia „ procurare; sicut ait Beatus Apostolus, di- „ cens: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*". Et rursùs ibidem inferiùs, loquens de nomine Christi: " In hoc nomine, inquit, omnes actus nostri „ dirigendi sunt, & ad ipsum totius vitæ „ nostræ commotio referenda est: quia sicut „ ait Apostolus, *In ipso vivimus, movemur, & sumus*". Et ante omnes hos Basilius Magnus: V. Necessarium est, inquit, præceptum Apo- „ stoli servare, dicentis: *Omnia honestè & juxta* „ *ordinem fiant.* Præter animi verò sententiam „ aliquid geritur, utpotè, quando Dominus „ de ijs qui studio placendi hominibus eleë- „ mosynam aut aliam aliquam justitiam, ut „ hominibus conspicui sint, faciunt, dicit: „ *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Ad- „ huc autem acriùs insectatur malitiam eo- „ rum qui humanâ affectione mandatum Do- „ mini faciunt; ostendens, quòd non solùm „ mercedem amittat, sed & supplicio dignus „ sit, qui non pietatis gratiâ, sed vel studio „ placendi hominibus, vel propter aliquam „ aliam voluptatem, aut avaritiam, aut quæ- „ stum, mandatum Dei facit: quale genus „ hominum Apostolus quidem reprehendit, „ ipse verò Dominus vehementiùs condem- „ nat, dicens: *Multi venient in illâ die dicentes,* „ *Domine, Domine, nonne in nomine tuo propheta-* „ *vimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, &* „ *virtutes multas fecimus, & tecum comedimus ac* „ *bibimus, & in plateis nostris docuisti? Et tunc* „ *respondebo illis, dicens: discedite à me, non novi vos* „ *unde sitis, operarij iniqui.* Ex quibus & simili- „ bus manifestum fit, quòd etiamsi quis cha- „ rismatis alicujus operationem habeat, & „ mandata faciat, non tamen secundùm ani- „ mi sententiam, & scopum quem Dominus „ docuit dicens, *Sic luceat lux vestra coram homi-* „ *nibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent* „ *patrem vestrum qui in cœlis est*; & quem Paulus „ in Christo locutus ostendit, *Sive edatis*, in- „ quiens, *sive bibatis, sive quid aliud facitis, omnia* „ *ad gloriam Dei facite*: meritò tamen audiat ea quæ Dominus respondit". Ex Basilij igitur mente, qui opera ex officio quidem bona exercuerunt, sed non ad Dei gloriam ea retulerunt, non solùm non recipient pro eis præmium, sed ex adverso patientur opprobrium; audituri in extremo Iudicio à supremo Iudice vocem illam horrisonam, *Discedite à me, non novi vos unde sitis, operarij iniqui.* Ratio in promptu est ex suprà jam dictis: quia non

T. Ambros. Serm. super verbis Malachiæ. Vide Orig. Homil. 3 in Genesin, & lib. 1. in Iob., & Maximum Homil. 2. de non timendis hostibus &c. — *1. Cor. 10. 31.* — *Act. 17. 28.* — *V. Basil. l. 2. de Baptismo cap. 8.* — *1. Cor. 14. 40.* — *Mat. 6. 16.* — *Mat. 7. 22. & Luc. 13. 26. & 27.* — *Mat. 5. 16.* — *1. Cor. 10. 31.*

utcunque scriptum est, Qui custodierint justa justificabuntur; sed, *Qui custodierint justa juste, justificabuntur.* Non custodiuntur autem *justa juste*, nisi cùm custodiuntur *justa* juxta dictamen veræ sapientiæ, quam Rex Salomon Regibus commendat *discendam, ne excidant*; quæ præstat ut *sapientis oculi in capite ejus sint*, quæ per Apostoli organum insonat mortalibus, *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis; omnia in gloriam Dei facite.* Quod ne fortè quis putaret de solis operibus, & non etiam de sermonibus esse intelligendum, alibi eadem sapientia per idem organum clamans dicit: *Omne quodcunque facitis, in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.* Imò verò tam necessaria est sapientiæ directio ac dictamen in nostris operibus ac sermonibus, ut non sufficiat eorum relatio in Deum, nisi hæc ipsa condiatur sale sapientiæ, futura alioquin insulsa. Undè cùm Psalmographus præmisisset, *Psallite Deo nostro, psallite; psallite Regi nostro, psallite: quoniam Rex omnis terræ Deus*; continuò subtexuit, *Psallite sapienter*: indicans utique non sufficere nobis quòd *psallamus*, & quòd etiam *Deo nostro psallamus*, nisi insuper *sapienter psallamus*. Huc etiam juxta mysticam intelligentiam spectat quod in veteri lege scriptum est, *Quicquid obtuleris sacrificij, sale condies*: W. Admisceri, inquit Isidorus, in „ omnibus sacrificijs sal jubetur: scilicet ut „ omnia quæ ad Christi honorem offerimus, „ sal rationis ac discretionis semper accipiant". Et Cyrillus Alexandrinus Antistes: X. Sal, inquit, oblationibus inspergitur: „ oportet enim nos sapienter prudenterque „ sacrificare, ita ut ad omne opus bonum parati „ simus; nam mures ingrati & insulsi minimè „ eis congruunt qui pietatem sectantur; ideo- „ que Salvator Sanctis Apostolis dicebat, *Vos* „ *estis sal terræ*: scribit etiam Paulus, *Sermo* „ *vester semper in gratiâ sale sit conditus, ut sci-* „ *atis quomodo oporteat vos unicuique respondere*". Et Hugo Victorinus: Y. *Sal*, „ inquit, significat sapientiam: quicquid ergo „ boni cogitamus, loquimur, aut operamur, „ totum sapienter agere debemus. Unde & „ in Psalmo, qui specialiter de oblatione „ divinæ laudis canitur, scriptum est: *Psallite* „ *sapienter*. Illud quoque sal in libro Sapien- „ tiæ commendatur, ubi dicitur: *Si quis erit* „ *consummatus inter filios hominum, si ab illo abfue-* „ *rit sapientia tua in nihilum computabitur*".

DCXLIV. Hanc doctrinam tantâ nube testium firmare idcirco lubuit, quòd non desint hodie quidam inter novellos laxitatum præcones, qui non contenti eam deserere, etiam censorijs stigmatibus inurunt. Quem eorum ausum refert ac deplorat Archiepiscopus Senonensis in suo Decreto adversùs librum cui titulus, *Apologie pour les Casuistes* &c. dato die tertiâ Septembris 1658. & publicato postridie

Sap. 6. 11. — *Ibid. v. 10.* — *Eccle. 2. 14.* — *Col. 3. 17.* — *Psalm. 46. 7. & 8.* — *Levit. 2. 13.* — *W. Isidor. in Levit. c. 6. Vide Theodor. q. 1 in Leviticum.* — *X. Cyrillus Alex. lib. [illegible] de Adorat. in spiritu & verit. Vide superius ibid. lib. [illegible]* — *Mat. 5. 13.* — *Col. 4. 6.* — *Y. Hugo Victor. Serm. 57.* — *Sap. 9. 6.*

postridie in plena Synodo sub eodem Archipræsule tunc celebratâ. Ubi sic loquitur de doctrina adversa: *Il détruit la fin de nos actions, qui est l'ame de la Morale selon les Payens mesmes, en décriant comme une erreur l'obligation qu'ont les Chrestiens de rapporter toutes leurs actions à Dieu, selon les paroles expresses de Sainct Paul*: Soit que vous mangiez, soit que vous beuviez, ou que vous fassiez quelque autre chose que ce soit, faites tout pour la gloire de Dieu; *qui ont esté prises par les Peres, par Sainct Thomas, & par les plus sçavans Interpretes de l'Escriture, pour un veritable precepte; auquel on ne sçauroit manquer sans quelque pechè, ou mortel, ou veniel.* Nimis certè durum videtur notam erroris affigere sententiæ à tot Patribus, & Scholasticis eos imitantibus assertæ, ne dicam ab Apostolo traditæ ac replicatæ: & idcircò præfatus Archiepiscopus inferiùs in Çensura Articulj 5. assertionem censoriam Apologistæ censet *temerariam & falsam.* Cujus Censuræ æquitas ut planiùs perspiciatur ac persuadeatur, non fuerit importunum adjungere Patribus superiori §. adductis alios suffragatores non spernendæ authoritatis, ut inprimis Hieronymum, qui cum Gregorio, Ambrosio, & Augustino, jam suprà allegatis, quadrigam Doctorum Ecclesiæ Latinorum constituit; de quibus supremus Ecclesiæ Hierarcha Bonifacius VIII. in quodam Diplomate, Corpori Juris inserto, ait: [Z] Horum Doctorum per„lucida & salutaria documenta illustrarunt „Ecclesiam, decorarunt virtutibus, & mo„ribus informarunt. Per ipsos prætereà, qua„si luminosas ardentesque lucernas super „candelabrum in domo Domini positas, er„rorum tenebris profligatis, totius corpus „Ecclesiæ tanquam sydus irradiat matuti„num. Eorum etiam fœcunda facundia, cæ„lestis irrigui gratiâ influente, Scripturarum „ænigmata reserat, solvit nodos, obscura „dilucidat, dubiaque declarat. Profundis „quoque ac decoris illorum sermonibus am„pla ipsius Ecclesiæ fabrica velut gemmis „vernantibus rutilat, & verborum elegantiâ „singulari gloriosiùs sublimata coruscat". Is igitur, quem prænominavi, *Hieronymus*, Pelagium Hæresiarcham refutans, ait de ipso inter alia suis lectoribus: [A] Audite quæ„so, audite sacrilegum: *Si voluero*, inquit, „*curvare digitum, movere manum, sedere, stare,* „*ambulare, discurrere, sputa jacere, duobus di*„*gitulis narium purgamenta decutere, relevare* „*alvum, urinam digerere; semper mihi auxilium* „*Dei necessarium erit*? Audi, ingrate, imò sa„crilege, Apostolum prædicantem: *Sive* „*manducatis, sive bibitis, sive aliud quid agitis;* *omnia in nomine Domini agite*". Ecce adversarium arguit non solùm ingratitudinis, sed & sacrilegij, propterea, quòd neget divini auxilij necessitatem ad prædictas actiones inculpatè exercendas: quia nimirùm inculpatè exerceri non possunt; nisi ad finem illum referantur quem Apostolus in omnibus intuendum, intendendumque manifestat, dicendo: *Sive manducatis* &c. Deus enim sicut in genere causæ efficientis, ita & in genere finis primatum gerit: *ut sit in omnibus*, sicut ait Apostolus; *Primatum tenens*: [B] Omnia „quippe, inquit Carthusianus, propter se„metipsum operatus est Dominus: unde „sicut omnia bona fontaliter ab eo pro„fluxerunt, ita ad ejus honorem, laudem, & gloriam sunt referenda". *Ego sum Alpha & Omega, principium & finis, dicit Dominus Deus*: [C] Omnis actionis, inquit Basilius, „quæ ex virtute proficiscitur, principium ipse est finis". *Ad locum*, inquit Salomon, *unde exeunt, flumina revertuntur.* Quâ de re Bernardus: [D] Casta consilia, inquit, justa „judicia, sancta desideria, nonne rivuli sunt „fontis illius? Quòd si copiæ aquarum se„cretis subterraneisque recursibus incessan„ter æquora repetunt, ut inde rursùs ad „visus usúsque nostros jugi & insatigabili „erumpant obsequio; cur non etiam spi„rituales rivi, ut arua mentium rigare non „desinant, proprio fonti sine fraude, & „sine intermissione reddantur: *ad locum unde* „*exeunt revertantur flumina* gratiarum, *ut ite*„*rum fluant*? Remittatur in suum princi„pium cæleste profluvium, quo uberiùs terræ refundatur". Quòd si fortè suspiceris relationem istam operum ad suum principium non esse præcepti, sed duntaxat consilij: audi eundem Bernardum Serm. 3. de Diversis, cui titulus, *De obedientia, patientia, & sapientia*, ita scribentem: "Bo„nus cibus obedientia, de qua nimirum „ipse Dominus ait: *Meus cibus est, ut faciam* „*voluntatem Patris mei*: & Propheta, *Labores*, „ait, *manuum tuarum quia manducabis, Beatus* „*es, & bene tibi erit.* Bonus cibus *Patientia* „*pauperum, quæ non peribit in finem*, panis „lachrymarum, panis doloris. Verùmta„men utrique necessarium est condimen„tum: sine quo uterque insipidus non „modò non reficiat, sed gustatus afferat „mortem. Durissimus equidem cibus uter„que, & nisi aliquod tertium saporabile „apponatur, utique *Mors in olla.* Quid verò „tam saporabile, quàm sapientia? Nempè „*Lignum vitæ est, quod & ipsas aquas Marath per* „*Moysen dulcoravit*: Farinula est, quæ *Pulmen*„*tum Prophetarum per Helisæum saporavit*: Ignis „est, qui *semper ardere præcipitur in altari*: „Oleum est, ob cujus inopiam *Virginibus* „*fatuis ostium clauditur nuptiarum*: sal est, „quod *Nulli sacrificio deesse* jubetur; inde est,

Margin notes (left): Archiepiscopus Senonensis. Vide eund. in Censurâ Articuli 5. ibid. — Z. Cap. Gloriosus de Reliquijs & Ven. Sanctorum in 6. — A Hieron. Epistola ad Ctesiphont. Pelagius. — Hieronym. 1. Cor. 10. 31.

Margin notes (right): Col. 1. 18. — B. Dionys. Carthus. in c. 10. prioris ad Corinth. v. 31. — Apoc. 1. 8. — C. Basilius Homil. 1. Hexam. — Eccle. 1. 7. — D. Bernard. Serm. 13 in Cantica. — PRÆOCCUPATIO. — Bernardus. — Ioan. 4. 34. — Psal. 127. 2. — Psal. 9. 19. — 4. Reg. 4. 40. — Exod. 15. 25. — 4 Reg. 4. 41. — Levit. 6. 13. — Matt. 25. 10. — Levit. 2. 13.

 quòd

„ quòd inſulſos homines dicimus, quos in-
„ telligi volumus minimè ſapientes, & Do-
Mar 9 49. „ minus *Sal in nobis habere* præcipit; Apo-
Col. 4. 6. „ ſtolus quoque *Omnem noſtrum ſermonem ſale*
„ monet *eſſe conditum*. Puto tamen hanc ipſam,
„ quam obedientiæ & patientiæ tertiam addi
„ volumus, ſapientiam, nihilo minùs tri-
„ plicem inveniri; ut noſtrum hoc condi-
„ mentum velut tribus quibuſdam herbis
„ conficiatur. Opus quippe eſt ut juſtitia ſit
„ in intentione, hilaritas in operatione, hu-
„ militas in reputatione. Inſipida namque
„ Deo & inſulſa quodammodò noſtra obe-
„ dientia, ſeu etiam patientia eſt, niſi om-
„ nium quæ vel agimus vel patimur ipſe ſit
1. Cor. 10. 31. „ cauſa: quia *Quicquid facimus* jubemur *face-*
„ *re in gloriam Dei*: & non ſi quid patimur,
Mat. 5. 10. „ ſed *Si quid propter juſtitiam patimur, Beati*.
„ Oportet autem puſillanimitatem quoque
„ & triſtitiam in omnibus quæ agenda ſunt,
2. Cor. 9. 7. „ vel toleranda, caveri: quia *Hilarem dato-*
„ *rem diligit Deus*: denique hilaritas ipſa, &
„ devota voluntas, ad eam, quam ſuprà dixi-
„ mus, præparationem ſpecialiter noſcitur
„ pertinere. Porrò elationem ſuper omnia
„ fugere neceſſe eſt: quiſquis enim altum ſa-
„ pit, & opus ejus, & patientia vanum ſa-
„ pit; nec gravior ullus ſapor, aut magis con-
„ trarius eſt veritati. Videſne quàm ſit utile
„ homini ſcire ſe hominem; ut proinde ſit
„ paratus ad mandatorum obedientiam, &
„ tolerantiam flagellorum; ac deinceps ſtu-
„ deat, ut qui laborem interim non poteſt
„ effugere nec dolorem, ſic ſaltem laboret
„ & doleat, ut hæc ſibi in cibos tranſeant
1. Reg. 15. 22. „ ſalutares: ſiquidem *Melior eſt obedientia quàm*
Prov. 16. 32. „ *victima*, & *melior eſt patiens viro forti?* In-
„ obedientia eſt cauſa mortis, omnes expe-
„ rimur, omnes morimur per eam. Impa-
„ patientia animæ perditio eſt, dicente Do-
Luc. 21. 19. „ mino: *In patientia veſtra poſſidebitis animas*
„ *veſtras*. Nihilo minùs autem ſapientia,
„ quam diximus, neceſſaria quoque eſt ad ſa-
„ lutem: ſiquidem non ſolùm propter ino-
„ bedientiam quibus obedientia defuit, aut
„ propter impatientiam qui patientiâ carue-
Bar. 3. 28. „ runt; ſed & *Qui non habuerunt ſapientiam,*
propter ſuam inſipientiam perierunt". Hinc ha-
bemus, Sapientiæ ſalem adeò eſſe neceſſa-
tium condiendis, ſaporandis, dulcorandis
aliarum virtutum alioqui præſtantiſſimarum
ferculis, ut ſine eo inſipida, inſulſa, Deo in-
grata, ac præbentibus nociva, quinimò ne-
civa ſubinde exiſtant: ut proinde ipſa ſapien-
tia aſſimiletur *ligno* aquas amaras dulcoranti,
farinæ Propheticum pulmentum ſaporanti,
igni in altari myſtico ex Dei juſſu ſemper ar-
denti, *oleo* in lampadibus ingredientium cæ-
naculum nuptiale lucenti, *ſali* ſuavitatem ſa-
crificijs omnibus impertienti. Habemus præ-
tereà, non ſolùm conſuli nobis aut ſuaderi,
ſed & præcipi ſeu juberi, ut quicquid faci-
mus, in Dei gloriam referamus: non enim
ille ait, Quicquid facimus monemur face-
re in gloriam Dei; ſed ait, *Quicquid facimus*
IVBEMVR facere in gloriam Dei. Habe-
mus deñique, non minùs obnoxios eſſe per-
ditioni neglectores ſapientiæ, quàm detre-
ctatores obedientiæ, deſertores patientiæ.
Etenim *Qui caruerunt ſapientiâ, perierunt pro-*
pter ſuam inſipientiam. Neque enim excidium
evadit qui quomodolibet juſta cuſtodit,
ſed *Qui juſta juſtè cuſtodit*. Hoc autem non Sap. 6. 11.
præſtat, niſi oculos in capite habens: quod
ſapienti proprium eſſe, jam ſuprà oſtenſum
eſt. Quomodò enim juſta juſtè cuſtodiat,
qui juſtitiam ipſam cum reliquis virtutibus
Cardinalibus ignorat? Has verò ignorat,
qui ſapientiam doctricem earum non ha-
bet: de qua ſcriptum eſt, *Sobrietatem & pru-* Sap. 8. 7.
dentiam docet, & juſtitiam, & virtutem. Ubi
pro *prudentiam*, Auguſtinus aliquando ex
ſuo Codice legerat *ſapientiam*: ſed poſteà
in Græcis Codicibus ſingulas virtutes Car-
dinales proprijs vocabulis reperit expreſſas.
Alludens itaque ad priorem editionem:
E. His nominibus, inquit, Latinus Inter- E. Auguſt. l. 1 Retract. cap. 7.
„ pres quatuor illas virtutes, quæ maximè
„ in ore Philoſophorum eſſe aſſolent, no-
„ minavit: *ſobrietatem* appellans temperan-
„ tiam, prudentiæ imponens nomen *ſapien-*
„ *tiam*, fortitudinem verò *virtutis* vocabu-
„ lo enuncians, ſolam *juſtitiam* ſuo nomine
„ interpretatus. Has autem quatuor virtu-
„ tes in eodem libro Sapientiæ ſuis nomi-
„ nibus appellatas, ſicut à Græcis vocan-
„ tur, longè poſteà reperimus in Codicibus
Græcis".

DXLV. Sed quoniam ex puncto de refe-
rendis in Deum univerſis noſtris actionibus
plurimùm dependet inſtitutio humanorum
morum, ac directio vitæ Chriſtianæ; lubet in
favorem ſententiæ Patrum jam relatæ alios
adhuc congerere ſuffragatores: ac inprimis
Proſperum, qui in libro Sententiarum ait:
F. Nihil eſt bonum, ſine ſummo bono. F. Proſper Sent. 106.
„ Ubi enim deeſt agnitio æternæ & incom-
„ mutabilis veritatis, falſa virtus eſt, etiam
in optimis moribus". Quam Proſperi ſen-
tentiam ex Auguſtino decerptam Beda, An- Beda.
ſelmus, & Hugo Victorinus ſuis reſpectivè Anſelmus. Hugo Victorinus.
Commentarijs in caput 14. Epiſtolæ ad Ro-
manos inſeruerunt, & ſuam fecerunt: uti
& author gloſſæ ordinariæ ibidem. Rur- Gloſſator.
sùs idem Proſper in Pſalmum 110. ad verſ. 9. Vide Divum Thom. 1. 2. q. 65. art. 2. in Corp.
" Sapientia vera eſt, inquit, noſſe & diligere
Deum". Quàm neceſſaria porrò ſit iſta ſa- Sap. 6 11.
pientia ad *juſta juſtè cuſtodienda*, indicat idem
lib. contra Collat. cap. 29. dicens: " Quod
„ vero illuminatum eſt lumine lumen eſt, &
quod

1. Cor. 3. 19.

„ quod eodem caret lumine nox est: quia *Sapientia hujus Mundi stultitia est apud Deum*; „ ac sic vitium est quod putatur esse virtus, „ quandoquidem stultitia est quod putatur esse sapientia". Et superiùs ibidem cap. 22. cùm dixisset Ethnicos quosdam legislatores multa utiliter pro pace terrenâ procurandâ & conservandâ sanxisse ex humanæ sapientiæ dictamine, subdidit: " Quis ambigat „ hanc sapientiam humano generi ad temporalis vitæ utilitatem, ex naturæ à Deo „ conditæ superesse reliquijs? Si enim nec „ ad ista terrena ordinanda rationalis animi „ vigeret ingenium, non vitiata esset; sed „ extincta natura. Quæ tamen etiamsi excellentissimis artibus, & cunctis mortalium „ eruditionum polleat disciplinis; justificari „ ex se non potest: quia bonis suis malè utitur, in quibus sine cultu veri Dei impietatis immunditiæque convincitur; & unde se defendi existimat accusatur". Certè enim non de humanæ, sed de supernæ sapientiæ præceptis loquebatur Salomon cùm diceret;

Eccl. 6. 11.

Qui didicerint ista, invenient quid respondeant. Quo datur ex adverso intelligendum; non inventuros quid respondeant, qui ea caruerint: quia nimirùm, sicut idem Prosper lib. 1. de Vocat. Gentium cap. 24. ait: " Sine Sapientia Dei nullæ rectæ sunt actiones". Idem rursùs, vel ut alijs præplacet, Julianus Pomerius, in Opere de Vita contemplativa, asseverat; virtutum similitudines non modò non profuisse, sed econtrariò nocuisse ijs Gentilibus, G Qui eas nec à Deo suo accepisse „ crediderunt, nec ad eum qui omnium bonorum finis est retulerunt". Prospero Synchronus Leo Papa, H Duo amores sunt, inquit, „ ex quibus omnes prodeunt voluntates; ita „ diversi qualitatibus, sicut dividuntur au„ thoribus. Rationalis enim animus, qui sine „ dilectione esse non potest, aut Dei amator „ est, aut Mundi. In dilectione Dei, nulla „ nimia; in dilectione autem Mundi, cuncta „ sunt noxia: & ideò æternis bonis inseparabiliter inhærendum, temporalibus verò „ transeunter utendum est; ut peregrinantibus nobis, & ad patriam redire properantibus; quicquid de prosperitatibus Mundi hujus occurrerit, viaticum sit itineris; non illecebra mansionis". Monet quoque idem Præsul Sermone 1. de Jejunio 10. Mensis sub initium, " Hominem ideò ad imaginem Dei esse conditum, ut imitator sui esset authoris". Quid est autem Deum imitari; nisi universa quæ operamur propter ipsum operari? De ipso quippe scriptum est,

G. Jul. Pomerius l. 3. de Vita contemplat. c. 3. vel Prosper.
H. Leo Serm. 3. de Jejun. 7. Mensis cap. 3.

Prov. 16. 4.

Universa propter semetipsum operatus est Dominus. Quòd si arduum forsan videatur imitari Deum nobis inconspicuum, imitemur saltem eundem in assumpta carne conspicuum; cujus ex personâ ait Psaltes, *Providebam Dominum in conspectu meo semper.* Psal. 15. 8.

Provideamus ergo & nos Dominum in conspectu nostro semper; ut nihil nisi in gloriam ejus agamus unquam: I. Quoniam, eodem Leone Papâ testante, captivitatis jugo erutis „ etiam hoc præstat redemptio; ut sequi „ possit imitatio. Nam si mundana sapientia „ ita in suis gloriatur erroribus; ut quem „ sibi quisque ducem elegerit; ejus opiniones & mores atque omnia instituta sectetur, quæ nobis erit communio nominis „ Christi; nisi ut ei inseparabiliter uniamur, „ qui est; ut ipse insinuat, *Via, & veritas, & vita?* Via scilicet conversationis sanctæ, „ veritas doctrinæ divinæ; & vita beatitudinis sempiternæ". Paulò post Leonem floruit Fulgentius, qui loquens de quibusdam Deum verum ignorantibus; atque adeò sua opera; ex officio etiam alioqui honesta, in gloriam ejus non referentibus: K. Quomodò, inquit, hi potuerunt esse apud Deum „ justi, qui sic in suis moribus atque operibus „ aliquid bonitatis servant, ut hoc ad finem Christianæ fidei charitatisque non referant"? Finis iste non alius est, quàm Deus, pro summo bono agnoscendus, & pio affectu colendus: ad quem quisquis actiones suas universas non refert; necesse est ut, quoad aliquas saltem earum, in creatura hæreat; adeoque non amore divino proficuè ferveat, sed mundano noxiè turgeat; juxta ea quæ mox ex Leone Papa recitavimus: cui consonans alibi idem ipse Fulgentius: L. Voluntas creaturæ rationalis, inquit, sine „ qualicunque amore non potest esse: nec sic „ potest diligere, ut amorem suum non velit ad aliquid religare: quæ inter summum bonum; à quo creata est; & infimum „ bonum, cui prælata est, medio quodam „ loco posita; profectò aut in infimo bono „ necesse est miserabiliter jaceat; aut in summo bono veraciter feliciterque requiescat; „ Quodam enim amore rapitur; seu quum „ obedientiâ sublevatur; & Creatori bono „ benè subjicitur; sive quùm superbiâ deprimitur, ut creaturæ bonæ malè dominetur". Porrò à primo isto animi fœtu, seu voluntatis affectu; tota sequentium catena suspenditur, tanquam à primario annulo cui cæteri in catenâ subordinantur. Unde scriptum est, *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit:* M. Qui locus, inquit Augustinus, sic intelligendus est, „ ut noverimus omnia opera nostra tunc esse „ munda, & placere in conspectu Dei, si fiant „ simplici corde, id est, intentione supernâ, fine „ illo charitatis; quia *Plenitudo legis est charitas.* Oculum ergo hic accipere debemus ipsam

I. Idem Serm. 2. de Resurrect. Domini.
Jo. 14. 6.
K. Fulg. l. de Incarnat. & grat. c. 26.
L. Idem l. 2. ad Monim. c. 18. Vide Prosp. l. de Ingrat. c. 27. & l. 1. de Vocat. Gent. c. 8. & 7. & Aug. l. 13. Confess. c. 9. & l. 15. de Civit. c. 20. Vide supra hic §. 544.
Mat. 6. 22. & 23.
M. August. l. 2. de Serm. Domini in monte c. 13.
Rom. 13. 10.

„ ipsam intentionem, quâ facimus quicquid
facimus". Quònam autem porrigi primùm
debeat oculus iste, id est, cordis intentio,
manifestat ipse Dominus, paulò inferiùs ibi-
Matt. 6. 33. dem subdens: *Quærite primùm regnum Dei, &*
justitiam ejus, hoc est, primus annulus in catena
morum vestrorum, & veluti caput in corpore
operum vestrorum, sit affectus pietatis erga
Deum, & erga justitiam regni ipsius. Porre-
cto in hunc scopum primo isto affectu, reliqui
sequentur eòdem, instar Propheticorum illo-
Ezech. 1. 12. rum animalium de quibus scriptum est: *Ubi*
erat impetus spiritus, illuc gradiebantur. Si
verò primus affectus aliorsùm detorqueatur,
vel in terrenum aliquem scopum defigatur,
cæteri omnes eòdem subsequentur, & labe
sui ductoris inficientur. Unde idem Augusti-
nus lib. 11. de Trinit. cap. 6 ". Rectæ, in-
„ quit, sunt voluntates omnes sibimet r li-
„ gatæ, si bona est illa quò cunctæ r: feruntur:
„ si autem prava est, pravæ sunt omnes. Et
„ ideò rectarum voluntatum connexio, iter
„ est quoddam ascendentium ad beatitudi-
„ nem, quod certis velut passibus agitur:
„ pravarum autem atque distortarum volun-
„ tatum implicatio, vinculum est, quo alli-
Matt. 22. 13. „ gabitur qui hoc agit, ut *Projiciatur in tenebras*
„ *exteriores.* Beati ergo qui factis & moribus
Psal. 121. 1. Isa. 5. 18. juxta 70. „ cantant *Canticum graduum*: & *Væ iis qui tra-*
„ *hunt peccatum, sicut restem longam.* Sic est au-
„ tem requies voluntatis, quem dicimus fi-
„ nem, si adhuc refertur ad aliud; quemad-
„ modùm possumus dicere, requiem pedis esse
„ in ambulando, cùm ponitur unde alius inni-
„ tatur quo passibus pergitur: si autem ali-
„ quid ita placet, ut in eo cum aliqua dele-
„ ctatione voluntas acquiescat; nondum est
„ tamen illud quò tenditur, sed & hoc refer-
„ tur ad aliud, ut deputetur non tanquam
„ patria civis, sed tanquam refectio vel etiam
mansio viatoris". Volens igitur Dei Sapien-
tia monstrare hominibus metam sive scopum,
in quem ferri debeat prima illa voluntas,
quam cæteræ velut pedissequæ, inter se &
cum illa duce colligatæ, sequuntur; ait per
1. Cor. 10. 31. Apostolum: *Sive manducatis, sive bibitis, sive*
aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. In
N. Chrysost. Homil. 29 in priorem ad Corinth. quem locum Chrysostomus: N. Vidisti, in-
„ quit, quemadmodùm à proposito, ad id
„ quod est universale & genericum, deduxit
„ exhortationem, unâ pulcherrimâ nobis da-
„ tâ definitione, *Ut Deus per omnia glorificetur*".
O. Theodoret. in c. 10. prioris ad Cor. v. 31. Et Theodoretus: O. Pulchrè, inquit, om-
„ nia comprehendit, & sedere, & stare, &
„ ambulare, & disserere, & misereri, &
„ docere: ut unus omnium sit scopus, Dei
Matt. 5. 16. „ gloria. Ita etiam præcepit Dominus, *Luceat*
„ *lux vestra coram hominibus; ut videant opera*
„ *vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui*
est in cælis". Ubi clarè agnoscit præceptum in

verbis Apostoli, perinde ac in verbis Christi,
cùm ait: ita ETIAM *Præcepit Dominus.* Et Pri-
masius in eundem Apostoli locum: " Nihil Primasius.
„ aliud, inquit, agendum est Christiano, nisi
„ ut in omni opere suo Deus glorificetur".
Beda & Anselmus in explicatione ejusdem Beda. Anselmus.
loci Paulini nihil de suo afferunt, sed verba
Augustini ex Commentario in Psalmum 146. Augustinus.
adducunt. Quid autem Augustinus, adeoque
ipsi eum verbatim pro se loquentem inducen-
tes, de obligatione referendi omnia in Deum
censuerit, notius est quàm ut ulteriori pro-
batione indigeat, postquam jam tam clara
ejus in eam rem testimonia produximus. Qui-
bus addi potest Aponius, qui ait de Deo:
P. Operam hominis pro sua voluntate sibi P. Aponius lib. 2. in Cantica sub initium.
„ vult semper totam impendi, sicut ipse ait
„ in Euangelio, *Operamini opus quod non pe-* Jo. 6. 27.
„ *rit*: de quo itidem Apostolus commonuit:
„ *Quicquid agitis*, inquiens, *sive manducetis,* 1. Cor. 10. 31.
„ *sive bibatis, sive aliud quid faciatis, omnia in*
„ *nomine Domini facite.* Quòd si *omnia* in no-
„ mine ejus jussa sunt fieri, nulla dereliquit
„ opera, quæ non in ejus nomine fiant".
Ubi notandum, eum non dicere, monita sunt
fieri, vel consulta vel suasa sunt fieri: sed,
jussa sunt fieri: ut proinde planum sit, eum in-
telligere sententiam Apostoli non consulto-
riè, sed præceptoriè.

DXLVI. Quid veteres Scholastici de
obligatione referendi omnes actus morales
in Deum censuerint, colligi potest ex eorum
Commentariis in librum 1. Sententiarum
Dist. 1. Ubi ex professo disquiritur quibus-
nam rebus sit fruendum, quibus item non-
nisi utendum. Et quia peculiariter dubitari
poterat de virtutibus vel virtutum actibus,
idcircò Magister signatè inquirit, Q. *Utrùm* Q. Magister l. 1. Sentent. Dist. 1. § 6: sive lit. H.
utendum an fruendum sit virtutibus? Et adductis
in textu authoritatibus pro utraque parte,
subdit: " Harum quæ videtur authoritatum
„ repugnantiam de medio eximere cupientes,
„ dicimus, quòd virtutes propter se petendæ
„ & amandæ sunt; & tamen propter solam
„ beatitudinem. Propter se quidem amandæ
„ sunt, quia delectant sui possessores sincerâ
„ & sanctâ delectatione, & in eis pariunt
„ gaudium spirituale. Verumtamen non est
„ hìc consistendum, sed ultrà gradiendum:
„ non hìc hæreat dilectionis gressus, nec hìc
„ sit dilectionis terminus; sed referatur hoc
„ ad illud summum bonum, cui soli om-
„ ninò inhærendum est: quia illud propter
„ se tantùm amandum est, & ultra illud ni-
„ hil quærendum est; illud est enim supremus
„ finis. Ideò Augustinus dicit quòd *Eas dilegi-* Vide Aug. l. 13. de Trinit. cap. 8.
„ *mus propter solam beatitudinem*: non quin eas
„ diligamus, sed quia idipsum, quòd eas dili-
„ gimus, referimus ad illud summum bonum,
„ cui soli inhærendum est, & in eo perma-

nendum

nendum, finísque lætitiæ ponendus. Quarè; Virtutibus non est fruendum". Quæ decisio planè consona est Augustino tum alibi, tum signatè ubi ait :

R. August. lib. 19. de Civit. c. 25.

[R.] Quàmlibet videatur animus corpori, & ratio vitijs laudabiliter imperare; si tamen Deo animus ipse non servit, sicut sibi serviendum esse Deus ipse præcepit; nullo modo corpori vitijsque rectè imperat. Nam qualis corporis atque vitiorum potest esse mens domina, veri Dei nescia, nec ejus imperio subjugata, sed vitiosissimis dæmonibus corrumpentibus prostituta? Proinde virtutes quas sibi habere videtur, per quas imperat corpori & vitijs ad quodlibet adipiscendum vel tenendum, nisi ad Deum retulerit, etiam ipsæ vitia sunt potiùs quàm virtutes. Nam licèt à quibusdam tunc veræ & honestæ putentur esse virtutes, cùm ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur; etiam tunc inflatæ ac superbæ sunt, & ideò non virtutes, sed vitia judicanda sunt". Porrò sicut Magister hac in re secutus est Augustinum, ita utrumque secuti sunt plerique omnes Scholastici vetustiores, quorum sensa proprijs ipsorum verbis expressa refert Carthusianus in 1. Dist. 1. ubi & suum quoque sensum hisce verbis exprimit q. 2:

Vide Magistrum & Scholasticos l. 2. Sent. Dist. 40. & 41.

Carthusianus.

"Requirit debitus ordo, & charitas Dei; ac vera justitia, ut rebus creatis discretè utamur; & quicquid bonitatis, amabilitatis, aut perfectionis in eis consistit, ad superexcellentissimi Creatoris honorem; & cultum, & gloriam referamus". Cæterùm quia inter hos eminet D. Thomas, ut inter stellas lucifer matutinus, specialiter inquiri solet quid ipse in hac materiâ censuerit. Quamvis autem nonnulli conentur hunc sanctum Ecclesiæ Doctorem aliorsùm trahere, verius tamen apparet eum agnovisse obligationem referendi omnes actus nostros in gloriam Dei; atque adeò consonare cæteris Tractatoribus pro eâdem sententiâ hactenùs adductis. Manifesta in eam rem sunt hæc ejus verba:

Vide eund. in 2. Dist. 40. & 41.

S. D. Thom. in cap. 3. ad Galat. Lect. 3.

[S.] Notandum est, quòd justitia consistit in redditione debiti: homo autem debet aliquid Deo, & aliquid sibi, & aliquid proximo: sed quòd aliquid debeat sibi aut proximo, hoc est propter Deum: Ergo summa justitia est reddere Deo quod suum est. Nam si reddas tibi vel proximo quod debes, & hoc non facis PROPTER DEUM, magis es perversus quàm justus, cùm ponas finem in homine". Rursùs in caput 16. prioris ad Corinthios Lect. 2. verba ista Apostoli, *Omnia vestra in charitate fiant*, ita interpretatur: "Id est, omnia DEBENT referri ad finem charitatis, scilicet ut fiant propter Deum & proximum". Et in summâ Theologicâ 1. 2. q. 102. a. 6. ad 7." Cælestis intentio omnibus operibus nostris debet adjungi". Et 2. 2. q. 83. art. 14. in corpore: " Omnia DEBEMUS in gloriam Dei facere, ut dicitur 1. Cor. 10". Et q. 89. art. 4. ad 3." Omnia quæ facimus, DEBEMUS in Dei reverentiam facere". Et superiùs q. 81. art. 1. in corpore: " Religio propriè importat ordinem ad Deum: ipse enim est cui principaliter alligari debemus, ad quem etiam nostra electio assiduè dirigi debet, sicut in ultimum finem". Et adhuc superiùs q. 69. art. 1. in argumento, *Sed contra*: " Ex præcepto tenemur omnia in gloriam Dei facere, ut patet 1. ad Corinth. 10". Et 1. 2. q. 100. art. 10. ad 2." Præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum".

Hæc cùm ita plana sint; ut nullis obscuritatum nebulis eludi posse videantur: in dubium tamen revocatur, de quânam operum in Deum relatione intelligi debeant, an scilicet de actuali, an de virtuali, an de habituali. DUBIUM. Quidam enim contendunt habitualem relationem sufficere, adeoque à fortiori quamlibet cæterarum. Fundatur hæc interpretatio in verbis ipsius Angelici Doctoris 1. 2. q. 88. art. 1. ubi cùm in secundo argumento objecisset sibi locum Apostoli 1. Cor. 10. dicentis, *Sive manducatis, sive bibitis* &c. respondit: " Ad secundum, dicendum, quòd illud præceptum Apostoli est affirmativum, unde non obligat ad semper: & sic non facit contra hoc præceptum quicunque non actu refert in gloriam Dei omne quod facit. Sufficit ergo quòd aliquis habitualiter referat se & omnia sua in Deum". Quidam respondent, vocem, *habitualiter*, sumi hoc loco pro voce, *virtualiter*: quemadmodùm etiam ab eodem authore sumitur in 3. p. q. 64. a. 8. ad 3. ubi dicit *intentionem habitualem Ministri sufficere ad perfectionem Sacramenti*.

Vide Estium in cap. 10. prioris ad Cor. v. 31. & Sylvium in 2. 2. q. 10. art. 4. ad. 6.

Sed hæc responsio nec necessaria est nec contextui congruit: Tractat quippe ibi Sanctus Doctor de distinctione peccati mortalis à veniali; quorum alterum asserit esse *contra legem*, alterum *præter* eandem. DECISIO. Unde quia per venialem culpam non tollitur habitualis gratia & charitas, idcircò relinquit hominem habitualiter ordinatum ad Deum & ad gloriam ejus: atque adeò juxta Doctoris phrasin non est *contra*, sed *præter* Apostoli præceptum. Neque verò Doctoris periodus finitur ubi nos eandem terminavimus, sed sic integranda est; *Sufficit ergo quòd aliquis habitualiter referat se & omnia sua in Deum, ad hoc, quòd non semper* MORTALITER *peccet, cùm aliquem actum non refert in gloriam Dei actualiter*. Non ergo vult habitualem relationem sufficere ut quis nullo modo impingat in Apostoli præceptum, sed duntaxat ut non *mortaliter*. Unde & addit ibidem continuò: *Veniale autem peccatum non excludit habitualem ordinationem actûs humani in gloriam Dei, sed solùm actualem*;

actualem; quia non excludit charitatem, quæ habitualiter ordinat ad Deum. Ac tum concludit ipse ad suum propositum de distinctione peccati mortalis à veniali, subdens protinùs: *Unde non sequitur, quòd ille qui peccat venialiter, peccet mortaliter*. Quæ responsio planior evadit ex ijs quæ idem Sanctus Doctor scripsit in caput 3. Epistolæ ad Colossenses Lect. 3. ubi præmisso eodem Apostoli præcepto, subdit: " Sed „ contrà: Aut est præceptum, aut consilium: „ si præceptum, peccat mortaliter quicunque „ hoc non facit: sed qui peccat venialiter, hoc „ non facit: Ergo quicunque peccat venialiter, peccat mortaliter. Respondeo, quidam „ dicunt quòd hoc est consilium: sed hoc non „ est verum. Sed dicendum est, quòd non est „ necessarium quòd omnia in Deum referantur actu, sed habitu. Qui enim facit *contra* „ gloriam Dei, & præcepta ejus, facit *contra* „ hoc præceptum: venialiter autem peccans „ non facit *contra* hoc præceptum simpliciter; „ quia licèt non actualiter, tamen habitualiter refert omnia in Deum". Quia nimirùm, juxta authoris sententiam mox suprà memoratam, peccata venialia non sunt *contra præcepta*, sed duntaxat *præter ea*. Quapropter præfatorum Interpretum responsio nec contextui Angelici Doctoris congruit, ut ex dictis claret: nec nobis necessaria est, quippe qui nullatenùs contendimus Præceptum Apostoli semper obligare sub reatu peccati mortalis; sed abstrahendo à gravitate reatûs existimamus Angelicum Doctorem censuisse relationem actualem aut virtualem omnium operum in Dei gloriam necessariò requiri ad vitandùm omnimodè peccatum, nec sufficere solam habitualem. Unde ipse S. Doctor in Quæstionibus disputatis q. unicâ de charitate art. 11. ad 2." Omnia, inquit, actu referre in Deum, „ non est possibile in hâc vitâ; sicut non est „ possibile quòd semper cogitetur de Deo: „ hoc enim pertinet ad perfectionem patriæ. „ Sed quòd omnia *virtute* referantur in Deum, „ hoc pertinet ad perfectionem charitatis, ad quam omnes tenentur". Et mox iterùm in solutione ad 3." Aliud est, inquit, *habitualiter* „ referri in Deum, & aliud *Virtualiter*. *Habitualiter* enim refertur in Deum etiam qui „ nihil agit, nec aliquid actualiter intendit: „ ut dormiens. Sed *virtualiter* aliquid referre „ in Deum est agentis propter finem ordinantis in Deum: unde *habitualiter* referre in „ Deum non cadit sub præcepto, sed *virtualiter* referre omnia in Deum cadit sub præcepto charitatis, cùm hoc nihil sit aliud quàm habere Deum ultimum finem". Hanc D. Thomæ mentem breviter ac dilucidè expressit Ambrosius Catharinus in suo Commentario super Paulinas Epistolas, ubi locum illum *sive manducatis* &c. ita edisserit:

". Hoc est præceptum quod servari debet ab „ omnibus & in omnibus, ut saltem *virtualiter* „ habeat quis in animo se velle in gloriam Dei facere quæcunque faciat". Qui rursùs in caput 3. ad Colossenses super illis verbis v. 17. *Omne quodcunque facitis* &c. " Hoc præ- „ ceptum, inquit, datur omnibus fidem Evan- „ gelicam suscipientibus; ut cuncta dicta & „ facta ad Dei gloriam referant. Peccant igitur, si secùs fecerint". Et mox explanans istum referendi modum:" Attamen, inquit, „ hæc non actualiter, omniquè momento, ob „ imbecillitatem mentis ac naturæ nostræ, „ requiruntur: sed habitualiter, &; ut me- „ liores Theologi docent, *virtualiter*; ut nulla „ sit actio nostra, quam non velimus tendere in gloriam Dei & Salvatoris nostri". Addit præterea ibidem evestigiò: " Habet tamen „ hæc doctrina aliquot ei repugnantes Scho- „ lasticos, inter quos extant non leves dispu- „ tationes, quid statuendum tandem sit". Eodem modo D. Thomæ sententiam intelligit & sequitur Estius in Commentario super utroque Apostoli loco jam relato, necnon super illis verbis ejusdem Apostoli, *Omnia vestra in charitate fiant*. Ubi & illud rectè advertit, *charitatem* non sumi determinatè pro virtute illâ Theologicâ quæ propria est justis, vel pro actu ejus primario quo Deus super omnia diligitur: sed generaliùs pro quovis pio ac sincero affectu erga Deum propter seipsum, vel erga creaturam propter ipsum; cujusmodi affectus potest esse communis peccatoribus cum justis; imò verò etiam potest esse in ijs qui nondum completè sunt fideles; sicut fuit in Cornelio Centurione antequam credidisset in Christum; prout Augustinus perhibet lib. de prædest. Sanct. cap. 7. Quinimò idem affectus potest reperiri etiam in ijs qui nondum infusam sibi habent fidem unius Dei; sed ad eam suscipiendam præparantur aut excitantur per internas quasdam illustrationes ac inspirationes prævias; quibus instigantur ut incipiant velle captivare suum intellectum in obsequium Dei revelantis. Agnoscit sanè Augustinus lib. de patientiâ c. 27. patientiam Judæorum, & hæreticorum, pro defensione cujuspiam Articuli cui nobiscum assentiuntur, esse donum Dei, adeòque laudabilem. Et tamen tales non sunt simpliciter fideles; sed infideles; siquidem vera fides non stat cum pertinaci dissensu vel unius quidem Articuli sufficienter propositi. Unde & Beatus Prosper Epist. ad Demetriadem c. 7. disertè ait: " Alienus est à numero Fidelium, „ & à sorte Sanctorum, qui in aliquo à Catholicâ veritate dissentit". Quis autem ambigat, eum esse simpliciter infidelem, qui *alienus est à numero fidelium*? Quæ idcircò obiter indicanda censui, ut appareat quàm parùm solidè

7. Catharinus in c. 10. prioris ad Cor. v. 31.

Estius.

Vide Sylvii in 1. 2. q. 100. art. 10. 1. Cor. 16. 14.

Augustinus.

Prosper.

solidè aut discretè quidam neoterici contendant, doctrinam istam de referendis in Deum universis nostris actionibus ac sermonibus, à tot ac tantis Tractatoribus assertam, erroris arguere tanquam ab Apostolicâ sede implicitè damnatam in isto Articulo, *Omnia opera infidelium sunt peccata.* Planum quippe est ex jam dictis, Articulum istum rectè damnari potuisse, salvâ obligatione referendi omnia nostra dicta & facta in gloriam Dei. Atque hic sit terminus explanationis nostræ in Salomonicam ad Reges parænesin, verbis istis conclusam, *Qui custodierint justa justè, justificabuntur; & qui didicerint ista, invenient quid respondeant.* Sap. 6. 11.

CAPUT CXLV.

EPILOGUS.

DXLVII. QUæ hactenùs toto sparsim isto volumine de Regum erga Deum & subditos suos officio, deque reciproco Dei erga ipsos dominio ac judicio, subditorumque debito obsequio, diffusiùs prosecuti sumus, ea nunc in compendium contracta, velut uno intuitu conspicienda Lectori exhibebimus; non quidem nostris verbis expressa, sed Synodi Gallicanæ stylo exarata, ejusdemque suffragio synodaliter munita: ut ea servire possint non solùm pro libri hujus Epilogo, verùmetiam pro doctrinæ inibi traditæ firmamine. Synodus illa ante annos plus octingentos, in civitate Parisiacâ, sub Ludovico Pio Imperatore, & Lothario ejus filio in consortium Imperij assumpto, celebrata fuit, convenientibus illic Episcopis quatuor Provinciarum Gallicarum, Rhemensis, Senonicæ, Turonicæ, & Rothomagicæ. Acta Synodalia, tribus libris per sua respectivè capita dispertitis comprehensa, prostant tomo 2. veterum Conciliorum Galliæ per P. Sirmondum editorum: è quibus huc potissimè spectare videntur quæ subinferui: V. Quia „ Rex à regendo dicitur, primò ei studendum „ est, ut semetipsum, suamque Domum Chri- „ sti adjuvante gratiâ, ab operibus ne- „ quam emaculet, bonisque operibus exube- „ rare faciat; ut ab eo cæteri subjecti bonum „ exemplum semper capiant: ipse etiam sa- „ lutiferis Christi præceptis fideliter atque „ obedienter obsecundet, & rectè agendo „ eos, quibus temporaliter imperat, in pace „ & concordiâ, atque charitate, cæterorum- „ que bonorum operum exhibitione, quan- „ tùm sibi divinitùs datur, consistere faciat, „ & dictis atque exemplis ad opus pietatis, & „ justitiæ, & misericordiæ solerter excitet; „ attendens, quòd pro his Deo rationem red- „ diturus sit: quatenùs ita agendo, sanctorum „ Regum, qui Deo sincerè serviendo pla- „ cuerunt, post hanc peregrinationem con- „ sors efficiatur. De Rege autem, qualis „ esse, vel quid cavere debeat, in Deutero- „ nomio legitur: *Cùm ingressus fueris terram, quam* „ *Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habi-* „ *taverisque in illâ, & dixeris, Constituam super me* „ *Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes,* „ *eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit* „ *de numero fratrum tuorum.* Et post pauca: *Non* „ *habebit uxores plurimas, quæ illiciant animum ejus,* „ *neque argenti & auri immensa pondera. Postquam* „ *autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deu-* „ *teronomium legis hujus in volumine; accipiens* „ *exemplar à sacerdotibus Leviticæ tribus, & habe-* „ *bit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut* „ *discat timere Dominum Deum suum, & custodire* „ *verba, & cæremonias ejus, quæ lege præcepta sunt.* „ *Nec extollatur cor ejus in superbiam super fratres* „ *suos, neque declinet in partem dexteram vel sini-* „ *stram, ut longo tempore regnet ipse, & filij ejus,* „ *super Israël:* Attende quòd timor Dei, & „ custodia præceptorum ejus; & humilitas „ quæ non patitur eum extolli super fratres „ suos, & justitiæ rectitudo, non solùm Re- „ gem, sed & filios ejus, longo faciat regnare „ tempore. Ut ergo Princeps extollentiam „ cavere debeat, Ecclesiasticus admonens ait: „ *Principem te constituerunt? Noli extolli, sed esto* „ *in illis, quasi unus ex ipsis.* Et in Proverbijs, „ *Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus* „ *in æternum firmabitur.* Item, *Misericordia &* „ *veritas custodiunt Regem, & roborabitur clemen-* „ *tiâ thronus ejus.* Quantæ igitur felicitatis sit „ bonus Rex; quantæque infelicitatis si ne- „ quam fuerit, Beatus Cyprianus eximius „ Martyr Christi, de duodecim abusionibus „ scribens, inter cætera ita ait: Nonus abu- „ sionis gradus est Rex iniquus: etenim Re- „ gem non iniquum, sed iniquorum corre- „ ctorem esse oportet. Unde in semetipso no- „ minis sui dignitatem custodire debet: no- „ men enim *Regis* intellectualiter hoc retinet, „ ut subjectis omnibus rectoris officium pro- „ curet. Sed qualiter alios corrigere poterit, „ qui proprios mores, ne iniqui sint, non „ corrigit? Quoniam *Justitiâ Regis exaltatur so-* „ *lium,* veritate solidantur gubernacula po- „ pulorum. Justitia verò Regis est, neminem injustè

V. Synodus 4. Parisiens. lib. 2. c. 1.

Deut. 17. 14. & seqq.

Eccli. 32. 1.

Prov. 29. 14.

Prov. 20. 28.

Prov. 16. 12.

„ injustè per potentiam opprimere, sine acceptione personarum inter virum & proximum suum judicare, advenis & pupillis & viduis defensorem esse, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos & histriones non nutrire, impios de terrâ perdere, perricidas & pejerantes vivere non sinere, Ecclesias defendere, pauperes eleëmosynis alere, justos super regni negotia constituere, senes & sapientes & sobrios consiliarios habere, magorum & hariolorum pythonissarumque superstitionibus non intendere, iracundiam differre, patriam fortiter & justè contra adversarios defendere, per omnia in Deo vivere, prosperitatibus animum non elevare, cuncta adversa patienter ferre, fidem Catholicam in Deum habere, filios suos impiè agere non sinere, certis horis orationi insistere, ante horas congruas cibum non

Eccle. 10. 16. gustare: *Væ enim terra cui Rex est puer, & cuius Principes manè comedunt.* Hæc regni prosperitatem in præsenti faciunt, & Regem ad cælestia regna meliora perducunt. Qui non secundùm hanc legem dispensat, multas imperij adversitates tolerabit: idcircò enim sæpè pax populorum rumpitur, & offendicula etiam de regno suscitantur, terrarum quoque fructus diminuuntur, & servitia populorum præpediuntur, multi etiam dolores prosperitatem regni inficiunt, charorum & liberorum mortes tristitiam conferunt, hostium incursus provincias undique vastant, bestiæ armentorum & pecorum greges dilacerant, tempestates veris & hiemis terrarum fœcunditatem & maris ministeria prohibent, & aliquando fulminum ictus segetes & arborum flores & pampinos exurunt. Super omnia verò, Regis injustitia non solùm præsentis Imperij faciem fuscat, sed etiam filios suos & nepotes, ne post se regni hæreditatem teneant, obscurat: propter piaculum enim Salomonis, regnum domûs Israël Dominus de manibus filiorum ejus dispersit; & propter meritum David Regis, lucernam de semine ejus semper in Hierusalem reliquit. Ecce quantum justitia Regis sæculo valet, intuentibus perspicuè patet: pax populorum est, tutamentum patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aëris, serenitas maris, terræ fœcunditas, solatium pauperum, hæreditas filiorum, & sibimetipsi spes futuræ Beatitudinis. Attamen sciat, quòd sicut in throno hominum primus constitutus est; sic & in pœnis, si justitiam non fecerit, primatum habiturus est: omnes namque quoscunque peccatores sub se in præsenti habuit, supra se modò in illâ futurâ pœnâ habebit. Fulgentius quoque in libro 2. de Veritate Prædestinationis & gratiæ ait: Clementissimus Imperator non ideò est vas misericordiæ præparatum in gloriam, quia apicem terreni principatûs accepit; sed si in Imperiali culmine rectâ fide vivat, & verâ cordis humilitate præditus culmen regiæ dignitatis sanctæ Religioni subjiciat; si magis in timore servire Deo, quàm in tumore dominari populo delectetur; si in eo lenitas iracundiam mitiget, ornet benignitas potestatem; si se magis diligendum, quàm metuendum, cunctis exhibeat; si subjectis salubriter consulat, si justitiam sic teneat ut misericordiam non relinquat; si præ omnibus ita se sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ meminerit filium, ut ejus paci atque tranquillitati per universum Mundum prodesse suum faciat principatum. Magis enim Christianum regitur atque propagatur Imperium, dum Ecclesiastico statui per omnem terram consulitur, quàm cùm in parte quacunque terrarum pro temporali securitate pugnatur. Et Isidorus: Qui rectè, inquit, utitur regni potestate, ita præstare se omnibus debet, ut quanto magis honoris celsitudine claret, tanto semetipsum mente humiliet; proponens sibi exemplum humilitatis Davidis, qui de suis meritis non tumuit, sed humiliter sese deijciens dixit, *Vilis incedam, & vilis apparebo ante Dominum, qui elegit me.* Item Isidorus: Qui intra sæculum benè temporaliter imperas, sine fine in perpetuum regnat, & de gloriâ sæculi hujus ad æternam transmeat gloriam: qui verò pravè regnum exercent, post vestem fulgentem, & lumina lapillorum, nudi & miseri ad inferna torquendi descendunt. 2. Reg. 6. 21. *Reges* à rectè agendo vocati sunt, ideòque rectè agendo *Regis* nomen tenetur, peccando amittitur. Et Gregorius in Moralibus: Nam & viros sanctos proinde *Reges* vocari in sacris Eloquijs, eò quod rectè agant, sensusque proprios benè regant, & motus resistentes sibi rationabili discretione componant. Rectè igitur illi *Reges* vocantur, qui tam semetipsos, quàm subjectos, benè regendo modificare noverunt. Quidam ipsum nomen regiminis ad immanitatem transvertunt crudelitatis, dumque ad culmen potestatis venerint, in apostasiam confestim labuntur; tantoque se tumore cordis extollunt, ut cunctos subditos in sui comparatione despiciant, eosque quibus præesse contigit non agnoscant. Et paulò pòst: Dum Mundi Reges sublimiores se cæteris sentiunt, mortales tamen se esse agnoscant; nec regni gloriam, quâ in sæculo sublimantur, aspiciant; sed onus,

quod

,, quod ſecum deportant, intendant. Item non
,, poſt multa: Reges quando boni ſunt, mu-
,, neris eſt Dei; quando verò mali, ſceleris
,, eſt populi. Secundùm meritum enim ple-
,, bium diſponitur vita Rectorum, teſtante
Job 34. 30. ,, Job: *Qui regnare facit hypocritam propter peccata*
,, *populi.* Iraſcente enim Deo talem Rectorem
,, populi ſuſcipiunt, qualem pro peccato me-
,, rentur. Nonnunquam pro malitia plebis
,, etiam Reges mutantur; & qui antè vide-
,, bantur eſſe boni, accepto regno fiunt iniqui.
,, His ita præmiſſis ſtudendum eſt Regi, ut
,, non ſolùm in ſe, verùm etiam in ſibi ſubje-
,, ctis, *Regis* nomen adimpleat; provideatque
,, ut populus ſibi ſubjectus, pietate, pace, cha-
,, ritate, juſtitiâ & miſericordiâ, atque con-
,, cordiâ & unanimitate, cæteriſque bonis exu-
,, beret operibus, ut hæc habentes, Dominum
,, ſecum habere mereantur: ſciatque certiſſimè,
,, quòd non ſolùm de ſe, verùm etiam de ipſis,
,, Dominus ab eo fructum bonæ operationis
,, exacturus eſt.

Ibid. cap. 2. ,, DXLVIII. Regale miniſterium ſpeciali-
,, ter eſt, populum Dei gubernare & regere,
,, cum æquitate & juſtitiâ; & ut pacem & con-
,, cordiam habeant, ſtatuere. Ipſe etiam debet
,, primò defenſor eſſe Eccleſiarum, & ſervo-
,, rum Dei, viduarum, orphanorum, cætero-
,, rumque pauperum, necnon & omnium indi-
,, gentium. Ipſius enim terror, & ſtudium hu-
,, juſmodi, inquantùm poſſibile eſt, eſſe debet,
,, primò ut nulla injuſtitia fiat: deinde ſi evene-
,, rit, ut nullo modo eam ſubſiſtere permittat,
,, nec ſpem delitеſcendi, ſive audaciam malè
,, agendi cuiquam relinquat; ſed ſciant omnes
,, quoniam ſi ad ipſius notitiam pervenerit
,, quicquam mali quod admiſerint, nequaquam
,, incorrectum aut inultum remanebit, ſed ju-
,, xta facti qualitatem erit & modus juſtæ cor-
,, reptionis. Quapropter in throno regiminis
,, poſitus eſt ad judicia recta peragenda, ut ipſe
,, per ſe provideat & perquirat ne in judicio
,, aliquis à veritate & æquitate declinet. Scire
,, etiam debet, quòd cauſa, quam juxta mini-
,, ſterium ſibi commiſſum adminiſtrat, non ho-
,, minum, ſed Dei cauſa exiſtat; cui pro mini-
,, ſterio quod ſuſcepit, in die tremendi exami-
,, nis redditurus eſt rationem: & ideò opor-
,, tet quòd ipſe, qui Judex eſt Judicum, cau-
,, ſam pauperum ad ſe ingredi faciat; & dili-
,, genter inquirat, ne fortè illi, qui ab eo con-
,, ſtituti ſunt & vicem ejus agere debent in
,, populo, injuſtè aut negligenter pauperes
,, pati oppreſſiones permittant. De miniſterio
Job 29. 21. ,, autem Regis ita Job loquitur: *Cùm ſederem*
,, *quaſi Rex circumſtante exercitu, eram tamen mœ-*
Ibid. v. 11. & ſeqq. ,, *rentium conſolator. Auris audiens beatificabat me,*
,, *& oculus videns teſtimonium reddebat mihi, eò quòd*
,, *liberaſſem pauperem vociferantem, & pupillum, cui*
,, *non eſſet adjutor. Benedictio peritùri ſuper me ve-*
,, *niebat, & cor viduæ conſolatus ſum. Juſtitiâ indu-*
,, *tus ſum; & veſtivi me, ſicut veſtimento, & diade-*
,, *mate, judicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo:*
,, *pater eram pauperum, & cauſam quam neſciebam*
,, *diligentiſſimè inveſtigabam. Conterebam molas ini-*
,, *qui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Et
,, Salomon in Proverbijs: *Rex qui ſedet in ſolio* Prov. 20. 8.
,, *judicij, diſſipat omne malum intuitu ſuo.* Item, *Diſſi-* Ibid. v. 26.
,, *pat impios Rex ſapiens, & curvat ſuper eos fornicem.*
,, Item in Eccleſiaſtico, *Judex ſapiens judicabit* Eccli. 10. 1.
,, *populum ſuum, & principatus ſenſati ſtabilis erit.*
,, Item in Proverbijs, *Rex juſtus erigit terram, &* Prov. 29. 4.
,, *vir avarus deſtruet eam.* Et in libro Sapientiæ,
,, *Diligite juſtitiam qui judicatis terram; ſentite de* Sap. 1. 1.
,, *Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite*
,, *illum.* Item ibidem, *Audite ergo Reges & intelli-* Sap. 6. 2. & ſeqq.
,, *gite, diſcite Judices finium terræ, præbete aures vos*
,, *qui continetis multitudines, & placetis vobis in tur-*
,, *bis nationum: quoniam data eſt à Domino vobis po-*
,, *teſtas, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera*
,, *veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cùm*
,, *eſſetis miniſtri ejus, non rectè judicaſtis, neque cuſto-*
,, *diſtis legem juſtitiæ, neque ſecundum Dei volunta-*
,, *tem ambulaſtis. Horrendè & cito apparebit vobis,*
,, *quoniam judicium duriſſimum his qui præſunt fiet.*
,, *Exiguo enim conceditur miſericordia, potentes autem*
,, *potenter tormenta patientur. Non enim ſubtrahet*
,, *perſonam cujuſquam Dominus, nec verebitur cujuſ-*
,, *quam magnitudinem: quoniam puſillum & magnum*
,, *ipſe fecit, & æqualiter pro omnibus cura eſt illi: for-*
,, *tioribus autem fortior inſtat cruciatio.* Et Iſidorus:
,, Principes ſæculi nonnunquam intra Eccle-
,, ſiam poteſtatis adeptæ culmina tenent, ut
,, per eandem poteſtatem diſciplinam Eccle-
,, ſiaſticam muniant: cæterùm intra Eccleſiam
,, poteſtates neceſſariæ non eſſent, niſi ut quod
,, non prævalet ſacerdos efficere per doctrinæ
,, ſermonem, Poteſtas hoc impleret per diſci-
,, plinæ terrorem. Sæpè per regnum terrenum
,, cæleſte regnum proficit: ut qui intra Eccle-
,, ſiam poſiti, contra fidem & diſciplinam Ec-
,, cleſiæ faciunt, rigore Principum conteran-
,, tur; ipſamque diſciplinam, quam Eccleſiæ
,, humilitas exercere non prævalet, cervicibus
,, ſuperborum poteſtas principalis imponat; &
,, ut venerationem mereatur, virtutem pote-
,, ſtas impertiat. Cognoſcant Principes ſæculi,
,, Deo debere ſe reddere rationem propter
,, Eccleſiam, quam à Chriſto tuendam ſuſci-
,, piunt: nam ſive augeatur pax & diſciplina
,, Eccleſiæ per fideles Principes, ſive ſolvatur,
,, ille ab eis rationem exiget, qui eorum pote-
,, ſtati ſuam Eccleſiam credidit. Sunt & alia Ibid cap. 3.
,, utriuſque Teſtamenti oracula copioſa, qui-
,, bus affatim aſtruitur, quòd Rex miniſterium
,, ſibi commiſſum ſecundùm voluntatem Dei
,, exercere & adimplere debeat, quæ hìc ob
,, prolixitatem vitandam prætermittuntur. Ad
,, peccatum quoque Regis pertinet quan-
,, do Judicibus Miniſtriſque iniquis mini-
,, ſterium ſuum implendum committit: ne-
,, que enim miniſterium ſuum per alios tan-

Aaaaa tùm ad-

tùm administrare, & se ab eo debet alienare. Non ergo dicimus, ut solus jurgia & querimonias Populi audiat, & investiget, & definiat; quoniam nequaquam ad hæc solus sufficere potest: sed magis ut tales sub se, timentes Deum, & avaritiam odientes constituat, per quos Regem Regum non offendat. Quales autem constituendi sint, liber Deuteronomij manifestat, in quo legitur: *Iudices & Magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas, ut iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent.* Item ibi: *Dixiq; vobis in illo tempore, Non possum solus sustinere vos, quoniam Dominus Deus vester multiplicavit vos, & estis hodie sicut stellæ cæli plurimæ. Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia, & faciat vobis sicut locutus est. Non valeo solus sustinere vestra negotia, & pondus, & iurgia. Date è vobis viros sapientes & gnaros, & quorum conversatio sit probata in tribubus vestris.* Et Job, *Quando procedebam ad portam civitatis, & in platea parabant cathedram mihi, videbant me iuvenes, & abscondebantur, & senes assurgentes stabant: Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo.* Cum quibus etiam Rex pondus regiminis sui partiri debeat, liber Exodi demonstrat, in quo legitur: *Provide autem de omni populo viros potentes, & timentes Deum; in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam: & constitue ex ijs tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, qui iudicent populum omni tempore: quicquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodò iudicent, leviusq; tibi sit partito in alios onere. Si hoc feceris, implebis imperium Domini, & præcepta eius poteris sustentare, & omnis hic populus revertetur cum pace ad loca sua. Quibus auditis, Moyses fecit omnia quæ Iethro suggesserat illi, & electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos Principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicabant plebem omni tempore: quicquid autem gravius erat, referebant ad eum.* Quòd verò Rex causam pauperum ad se ingredi facere, & diligenter inquirere debeat, dat intelligi illud quod legimus, antiquitùs Judices idcircò in porta ad judicandum sedisse, ut nullus accedendi difficultatem, aut quisquam civium vim aut calumniam necesse haberet sustinere. Ideò & Hierusalem civitas justitiæ vocata est, quamdiu in ea justa exercebantur judicia, quia non permittebatur à Rectoribus in ea iniquitas permanere. Quod verò Rex bonos sublimare, & malos debeat comprimere, Apostolus Petrus docet, dicens: *Subditi estote omni humanæ creaturæ, sive Regi, quasi præcellenti; sive Ducibus, tanquam ab eo missis in vindictam malefactorum, laudem verè bonorum.* Quæ verba ita Beda exponit: Non quòd omnes, qui à Regibus mittuntur, duces, vel malefacientes punire, vel bonos laudare noverint; sed quæ esse debeat actio boni ducis simpliciter narrat, hoc est, ut malefacientes coerceat, & benè agentes remuneret. Hinc in Historia Gentili refertur, moris fuisse Romanis, *Parcere subiectis & debellare superbos.* Quòd quando pravi Judices populi Dei præficiuntur; ad delictum illius pertineat à quo constituuntur, dicta Isidori manifestant, quibus ait: Ad delictum pertinet Principum, qui pravos Judices contra voluntatem Dei populis fidelibus præferunt. Nam sicut populi delictum est, quando Principes mali sunt; sic Principis est peccatum, quando Judices iniqui existunt. Bonus Judex sicut nocere civibus nescit, ita prodesse omnibus novit: alijs enim præstat censuræ justitiam, alios bonitate judicij sine personarum acceptione suscipit, non infirmat justitiam avaritiæ flammâ, nec studet auferre alteri quod cupiat sibi. Boni Judices justitiam ad solam obtinendam salutem æternam suscipiunt, nec eam muneribus acceptis distribuunt: ut dum de justo judicio temporalia lucra non appetunt, præmio æterno ditentur. His quæ præmissa sunt declaratur, quòd hi qui post Regem debent Dei populum regere, id est, Duces & Comites, necesse est ut tales ad constituendum provideantur, qui sine periculo ejus à quo constituuntur, constitui possint; scientes se ad hoc positos esse, ut plebem Christi sibi naturâ æqualem recognoscant, eamque clementer salvent, & justè regant; non ut dominentur, & affligant; nec ut populum Dei suum æstiment, aut ad suam gloriam sibi illum subjiciant, quod non pertinet ad justitiam, sed potiùs ad tyrannidem & iniquam potestatem. Valdè enim exigit necessitas, ut quia ipse proculdubiò Rex æquissimo Judici de commisso sibi ministerio rationem redditurus est, etiam singuli qui sub eo constituti sunt ministri, diligentissimè ab eo inquirantur, ne ipse pro ijs judicium incurrat divinum. Ipsis etiam Ministris denuntiandum est, quòd quicquid judicaverint, in eos redundabit, juxta illud quod in libro Paralipomenon legitur: *Habitavit ergo Iosaphat in Hierusalem, rursumq; egressus est ad populum de Bersabee usque ad montem Ephraim, & revocavit eos ad Dominum Deum Patrum suorum, constituitq; Iudices terræ in cunctis civitatibus Iuda munitis per singula loca, & præcipiens Iudicibus: videte, ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, sed Dei; & quodcumque iudicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentiâ cuncta facite. Non enim est apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.* Hæc & his similia, quæ prælibata sunt, Rex, ejusque Ministri, non desidiosè, sed diligenter debent perpendere, & studium de ministerio sibi commisso tale adhibere, ut non pro eo æternaliter damnari.

Marginal references: Deut. 16. 18. — Deut. 1. 9. & seqq. — Iob 29. 7. & seqq. — Ex. 18. 21. & seqq. — 1. Pet. 2. 13. & 14. — 2. Par. 19. 4. & seqq.

,, nari, ſed potiùs à Domino mereantur feliciter remunerari.

[Ibid. cap. 4. & 5.] ,, DXLIX. Quòd per juſtitiam ſtet regnum, Salomon in Proverbiis aſtruit, ita inquiens: [Prov. 14. 34.] *Juſtitia elevat gentem, & miſeros facit populos* [Prov. 20. 28.] *peccatum.* Item, *Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur juſtitiâ thronus ejus.* [Prov. 21. 3.] Item, *Facere miſericordiam & judicium magis placet Deo, quàm victima.* Et infrà, [Ibid. v. 7.] *Rapinæ impiorum detrahent eos qui noluerunt facere judicium.* Item ibi, [Ibid. v. 21.] *Qui ſequitur juſtitiam & miſericordiam, inveniet vitam, & juſtitiam, & gloriam.* Quòd verò per injuſtitiam cadat regnum, Iſaias demonſtrat: [Iſa. 14. 20. & 21.] *Tu enim,* inquit, *terram diſperdidiſti, tu populum occidiſti: non vocabitur in æternum ſemen peſſimorum. Præparate filios ejus occiſioni in iniquitate patrum eorum: non conſurgent, nec hæreditabunt terram, neque implebunt faciem orbis civitatum.* Et Amos, [Amos 9. 8.] *Ecce oculi Domini ſuper regnum peccans, & conteram illud à facie terræ, dicit Dominus.* Et Daniel loquitur ad Balthazar: [Dan. 5. 18. & ſeqq.] *O Rex, Deus Altiſſimus regnum & magnificentiam & gloriam & honorem dedit Nabuchodonoſor patri tuo; & propter magnificentiam, quam dederat ei, univerſi populi, tribus, & linguæ tremebant & metuebant eum: quos volebat interficiebat, & quos volebat humiliabat. Quando autem elevatum eſt cor ejus, & ſpiritus illius obfirmatus eſt in ſuperbiam, depoſitus eſt de ſolio regni ſui, & gloria ejus ablata eſt, & à filiis hominum ejectus eſt, ſed & cor ejus cum beſtiis poſitum eſt.* [Eccli 10. 17. Ibid. v. 8.] Et in libro Sapientiæ, *Sedes Ducum ſuperborum detraxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis.* Item, *Regnum à gente in gentem transfertur propter injuſtitias, & injurias, & contumelias, & diverſos dolos.* Quibus verbis liquidò claret, quòd pietas, juſtitia, & miſericordia ſtabiliant regnum: & læſiones viduarum & pupillorum, calumniæque miſerorum, violentaque judicia, & perverſio juſtitiæ, evidenter illud evertant. Unde & multorum regnorum collapſio, quia pietatis, juſtitiæ, & miſericordiæ non habuerunt ſtabilimentum, his quæ præmiſſa ſunt fidem patenter attribuit. Nemo Regum à progenitoribus regnum ſibi adminiſtrari, ſed à Deo veraciter atque humiliter credere debet dari, qui dicit: [Prov. 8. 14. & ſeqq.] *Meum eſt conſilium & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo: per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt: per me Principes imperant, & potentes juſtitiam decernunt.* Quòd autem non ab hominibus, ſed à Deo regnum terrenum tribuatur, Daniel Propheta teſtatur, dicens: [Dan. 4. 14.] *In ſententia vigilum decretum eſt, & ſermo ſanctorum, & petitio: donec cognoſcant viventes quòd dominetur Excelſus in regno hominum, & cuicunque voluerit dabit illud, & humillimum hominem conſtituet ſuper illud.* Item idem loquens de Nabuchodonoſor ad Balthazar: [Dan. 5. 21.] *Donec cognoſceret,* inquit, *quòd poteſtatem haberet Altiſſimus in regno hominum, & quemcunque voluerit ſuſcitabit ſuper illud.* Et per Hieremiam: [Hier. 27. 4. & 5.] *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael: Hæc dicetis ad Dominos veſtros, Ego feci terram, & hominem, & jumenta quæ ſunt ſuper faciem terræ, in fortitudine mea magnâ, & in brachio meo extento, & dedi eam ei qui placuit in oculis meis.* Hi verò qui à Progenitoribus ſibi ſuccedere regnum terrenum, & non potiùs à Deo dari putant, illis aptantur, quos Dominus per Prophetam improbat, dicens: [Oſe. 8. 4.] *Ipſi regnaverunt, & non ex me; Principes extiterunt, & non cognovi:* ignorare quippe Dei proculdubiò reprobare eſt. Quapropter quiſquis cæteris mortalibus temporaliter imperat, non ab hominibus, ſed à Deo regnum ſibi commiſſum credat: multi namque munere divino, multi etiam Dei permiſſu regnant. Qui piè, & juſtè, & miſericorditer regnant; ſine dubio per Deum regnant: qui verò ſecùs, non ex ejus munere, ſed permiſſu tantùm regnant. De talibus Dominus per Prophetam, [Oſe. 13. 11.] *Dabo,* inquit, *tibi Regem in furore meo.* Et Job, [Job 34. 30.] *Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi.* Ut enim Iſidorus exponit, Iraſcente Deo talem Rectorem populi ſuſcipiunt, qualem pro peccato merentur. Conſtat ergo, quia non aſtu, non voto, neque brachio fortitudinis humanæ; ſed virtute, imò occulto judicio diſpenſationis divinæ, regnum confertur terrenum: & idcircò cuicunque ab eo committitur; ita illud ſecundùm ejus voluntatem diſponere & gubernare procuret, quatenùs cum eo, à quo illud ſuſcepit, feliciter in perpetuum regnare valeat: quoniam nihil prodeſt cuiquam terreno regno principari, ſi, quód abſit, contigerit eum æterno extorrem fieri.

[Ibid. c. 8. & 9.] ,, DL. Conſtat poteſtatem regalem omnibus ſibi ſubjectis ſecundùm æquitatis ordinem conſultum ferre debere: & idcircò oportet ut omnes ſubjecti fideliter, & utiliter, atque obedienter eidem pareant poteſtati; quoniam [Rom. 13. 2.] *Qui poteſtati à Deo ordinatæ reſiſtit, Dei utique ordinationi,* juxta Apoſtoli documentum, *reſiſtit.* Sicut enim ſubjecti volunt à Rege ſibi piè & juſtè opitulari, ita ſpecialiter ei primùm ad ſalutem animæ ſuæ procurandam, deinde generaliter ad honeſtatem & utilitatem regni ſecundùm Dei voluntatem diſponendam atque miniſtrandam, indiſſimulanter atque irretractabiliter ſolatium opportunum debent exhibere. Quod cùm faciunt, & divinum præceptum adimplere, & fidem Regi debitam evidenter probantur conſervare. Hujuſmodi ergò obſequium à ſubjectis Regiæ Poteſtati impendi debere, & legalia præcepta apertè teſtantur, & Dominus in Euangelio admonet, dicens: [Mat. 22. 21.] *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ*

1. Pet 2. 13. & 14. *sunt Dei Deo.* Petrus quoque ait, *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum; sive Regi, quasi præcedenti; sive ducibus, tanquam ab eo missis* &c. Et non post multa, Ibid v. 17. *Deum timete, Regem honorificate.* Paulus etiam Apostolus in Rom. 13. 1. & 2. idipsum concordans ait, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo; quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit,* & cætera quæ de hujusmodi potestate Apostolicus sermo latiùs exequitur. Idem Tit. 3. 1. etiam scribens ad Titum: *Admone illos,* inquit, *Principibus & Potestatibus subditos esse.* Item ad Timotheum, quanti pendat causam, imò salutem Regis, demonstrat, ita scri- 1. Tim. 2. 1. & seqq. bendo: *Obsecro primò omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo* &c. Sic etiam Hie- Bar. 1. 11. remias Propheta Dei, *Pro vita idololatræ Regis Nabuchodonosor orare* admonet: quanto magis pro salute Christianorum Regum, ab omnibus ordinibus Deo est humiliter supplicandum? Qualiter igitur Regiæ potestati parendum, qualiterque ejus saluti consulendum sit, breviter ex authoritatibus divinis dictum est. Quapropter necesse est ut unusquisque fidelis tantæ Potestati ad salutem propriam, & honorem regni, secundùm Dei voluntatem, utpote membrum capiti, opem congruam ferat, plusque in illo generalem profectum & utilitatem atque honorem regni, quàm lucra quærat Mundi; quatenùs hisce saluberrimis opitulationibus sibi vicissim suffragantes, æterno regno pariter mereantur perfrui felices. Mala quibus Deus offenditur, vel periclitatur regnum, si quis liquidò vult cognoscere, divinam, id est, legalem, Propheticam, Evangelicam, atque Apostolicam perspiciat authoritatem. Ibi plenè inveniet omnia mandata atque præcepta, quibus Dei adimpletur voluntas: ibi etiam inveniet quæ Deus fieri prohibuit, pro quibus ad omnem ordinem divinæ comminationes multæ sunt; & in quibusdam qui audire contempserunt, divina ultio completa est. Primus quippe homo propter transgressionem divini præcepti, de paradiso ejectus, & exilio damnatus, & morte mulctatus est: quod malum adhùc hodie genus humanum, quasi naturâ sibi insertum, experitur. Inde facta est alia generalis damnatio in diluvio, quæ multiplicatis vitijs & diversis malis, naturali lege corruptâ, evenisse, manifestè probatur. Quàm sit etiam præsumptio gravis & periculosa, quæ ex contemptu præceptorum Dei nascitur, ædificatio turris, & confusio linguarum prodit. Sodoma autem & Gomorrha, & finitimæ Civitates, quibus flagitijs deletæ, & quomodò æternâ damnatione in exemplum humani generis sint perditæ, manifestum est: & tamen in comparatione earum Hierusalem duplum malum fecisse legitur, eò quòd notitiam & præceptum Dei habuerit, & servare contempserit, secuta propriam voluntatem. Nam *Iniquitas Sodomitica,* juxta Prophetam, Ezech. 16. 49. *fuit superbia, saturitas, abundantia, & otium; & quia egeno & pauperi manum non porrigebant:* Unde accessit oblivio Dei, & operati sunt adhuc abominationes. Obduratio quoque Ægyptiorum, qui nullis signis nec prodigijs, sed neque flagellis, corrigi potuerunt, ad quem finem pervenerit, notum est. Jam Dathan, & Abiron, & Chore, cum socijs eorum, qui cum eis perierunt, quàm horribili terræ hiatu, propter contemptum & inobedientiam contra Dominum, consumpti sint, manifestum est. Quomodò etiam multitudo populi Dei perierit in Deserto, propter concupiscentiam, & contemptum, & perversas consuetudines à Deo illis prohibitas, donec diversis cladibus consumerentur, ita ut nullus eorum ad terram pervenerit promissionis, præter duos tantùm obedientes voci Domini, omnibus perspicuum est. Quoties item acciderit corruisse populum, vel intereisse regnum propter unius peccatum vel inobedientiam, sive Prælati, sive subjecti, longum est enumerare: sicut contigit in *Saul,* pro cujus inobedientia regnum ab eo ablatum, alterique datum legimus. Nam & filius ejus *Ionathas,* in cujus fidei fortitudine victoria data est de adversarijs, postea sanctificationis votum transgressus, licèt ignarus, concupivit, & victoriam totius populi perturbavit. Sed & Heli de ordine sacerdotali, quia filios suos non satis correxit, decidit; imò filijs suis merito suæ iniquitatis, corruentibus corruit, sacerdotiumque de progenie ejus ablatum est: quorum negligentiâ & iniquitate, populus in bello fugatus ac cæsus est, & gloria cum arca Dei Israël translata est, simul & locus sanctificationis eorum dissipatus est. *Athan* verò propter concupiscentiam inobediens factus, totum populum perturbavit. Pauca utique de multis prosecuti sumus, ut diligenter animadvertatur, si tot divinis ultionibus, & tot periculis, tot etiam damnationibus, subjacuerunt contemptores mandatorum Dei, quorum infinitus est numerus, & non solùm illi qui præcepta susceperunt, verumetiam qui naturalem legem corruperunt; quanto putas reatui subjacebunt gratiâ Christi redempti, & ab eodem Domino in vitam justitiæ edocti & instructi, si præ-

ceptis

,, ceptis ejus obedire contempserint ? Proin-
,, de necesse est ut quisque in ordine suo pro
,, viribus studeat, ut quantum Dominus an-
,, nuerit, quæ jussit adimpleat, & quæ ve-
,, tuit caveat : ut non cum contemptoribus
,, damnari, sed potiùs cum executoribus di-
,, vinorum præceptorum valeat remunerari :
,, quoniam non est dubium quin propter in-
,, obedientiam & contemptum præceptorum
,, Dei, regni periclitatio, & animarum pro-
veniat damnatio".

DLI. Hæc omnia ex secundo libro Acto-
rum Parisiacæ illius Synodi descripsimus ;
capitibus in margine designatis : præter quæ
sunt in tertio libro sparsim quædam synoda-
lium Patrum suggestiones Imperatori porre-
ctæ, quibus admonetur ac rogatur, ut pecu-
liarem curam erigendis ac fovendis Acade-
mijs, promovendis idoneis Ecclesiarum Re-
ctoribus, ac tribunalium Assessoribus, nechon
educandis liberis impendat. De primo sic ibi
W. Synodus 6. Parisiens. lib. 3 c. 12. habetur: W. Obnixè ac suppliciter vestræ Cel-
,, situdini suggerimus, ut, morem paternum
,, sequentes, saltem in tribus congruentissimis
,, imperij vestri locis Scholæ publicæ ex ve-
,, strâ authoritate fiant ; ut labor Patris vestri
,, (*Caroli Magni*) & vester, per incuriam, quod
,, absit, labefactando non depereat : quoniam
,, ex hoc facto & magna utilitas, & honor
,, Sanctæ Dei Ecclesiæ, & vobis magnum
,, mercedis emolumentum, & memoria sem-
X. Ibid. cap. 22. & 23. piterna accrescet". De secundo sic : X. Ite-
,, rum monendo, magnitudini vestræ suppli-
,, citer suggerimus, ut deinceps bonis Pasto-
,, ribus Rectoribusque in Ecclesijs Dei con-
,, stituendis magnum studium, atque solet-
,, tissimam adhibeatis curam : quia si aliter
,, factum fuerit, & ordo Ecclesiasticus suam
,, non habebit dignitatem, & Religio Chri-
,, stiana in multis labefactanda detrimenti sui
,, jacturam patietur, & animæ vestræ, quod
,, non optamus, periculum generabitur. Simi-
,, liter deposcimus ; ut in Abbatissis consti-
,, tuendis vestrum specialiter caveatis pericu-
,, lum, sicut vobis sæpè est admonitum, &
,, per divinam authoritatem crebriùs mani-
festatum". Sequitur quoque ibidem conti-
nuò de tertio, hoc est, de tribunalium Assesso-
ribus, & generatim de Regijs Ministris : "Sed
,, & hoc obsecramus, ut in eligendis adju-
,, toribus vestris, & Reipublicæ Ministris,
,, qui vice vestrâ populum Dei & gubernare,
,, atque judicare debent, solertissimam pro-
,, videntiam habeatis : semper illud attenden-
Ex 18. 21. & seqq. ,, tes, quod in Exodo ad Moysen diciur :
,, *Provide de omni populo viros prudentes, & timen-
tes Deum, in quibus sit veritas*", & reliqua ut suprà
hìc § 548. Eòdem penè spectat quod sequenti
Y. Ibid. cap. 24. capite subditur in hunc tenorem : Y. Roga-
,, mus etiam vestram pietatem, propter divi-
,, nam misericordiam, vestramque salutem,
,, ac totius populi utilitatem, necnon & regni
,, honorem atque stabilitatem, ut vestra pie-
,, tas solertissimam vigilantiam adhibeat, qua-
,, tenùs Consiliarij, & dignitatis vestræ Mi-
,, nistri, custodesque animæ vestræ & corporis,
,, qui debent esse intra regnum alijs decus &
,, bonitatis exemplum ; & in cæteris Natio-
,, nibus bonæ opinionis condimentum ; cha-
,, ritatem, pacem, atque concordiam, omni
,, simulatione & calliditate sepositâ ; ad invi-
,, cem habeant : ut secundùm Dei volunta-
,, tem, & vestram honestatem ; atque totius
,, regni profectum, communiter decertent, &
,, veri nobis adjutores in omnibus concordi-
,, ter existant. Veri autem adjutores vestri &
,, totius regni salubriter esse tunc poterunt, si
,, unanimes extiterint, & erga invicem dile-
,, ctionem habuerint. Decet quippe ut sacra
,, domus vestra cunctis spectabilis appareat,
,, & imitabilis existat ; & fama sanctæ opi-
,, nionis sive alios Imperij vestri subjectos,
,, sive exteras Nationes, abundantissimè per-
,, fundat. Ubi igitur omnes dissensiones &
,, discordiæ dirimendæ, & omnis malitia au-
,, thoritate Imperiali est comprimenda, ne-
,, cesse est ut quod in alijs corrigere decernit,
in eâ minimè repetiatur". De quarto deni-
que, hoc est, de Regiorum liberorum edu-
catione seu institutione ; subditur peculiare
istud capitulum: Z. Nam & hoc humiliter ob- Z Ibid. cap. 25.
,, secrando admonemus ; ut liberos vestros,
,, quos vobis divina pietas largiri voluit, in
,, timore Dei jugiter diligenterque erudiatis,
,, sicut & facitis : & ut in mutuæ dilectionis
,, charitate, & fraternitatis amore, atque
,, unanimitatis concordiâ vicissim consistant,
,, sedulâ paternâque admonitione insistatis:
,, & ne illicitis actibus offensam sui Creatoris
,, incurrant, providâ solertique circumspe-
,, ctione nihilo minùs invigiletis ; attenden-
,, tes Beatum Iob ; cujus studium, ut Beatus
,, Gregorius in Moralibus libris scribit, circa
,, filios erudiendos tale extitit ; ut non modò
,, eos exteriùs perfectos opere & sermone effi-
,, ceret, verùmetiam eorum corda sacrificij
,, oblatione mundaret. Attendite etiam Da-
,, vid instruentem Salomonem fillum suum,
,, de quo in primo libro Malachim legitur :
,, *Ego*, inquit, *ingredior viam universæ terræ : con-* 3. Reg. 2. 2. & c.
,, *fortare, & esto vir fortis, & observa custodias Do-*
,, *mini Dei tui, ut ambules in vijs ejus, & custodias*
,, *cæremonias ejus, & iudicia ejus, & præcepta, &*
,, *testimonia, sicut scriptum est in lege Moysis*. Et in
,, libro Paralipomenon : *Tu autem Salomon, fili* 1. Par. 28. 9.
,, *mi. Scito Deum patris tui, & servi ei corde per-*
,, *fecto, & animo voluntario*. Attendite etiam
,, Tobiam, de quo legitur, quòd cùm factus
,, esset vir, accepit uxorem Annam ex tribu
,, suâ, & genuit ex eâ filium, nomen suum

,, imponens ei , quem ab infantiâ timere
,, Deum docuit, & abstinere ab omni peccato.
,, Item idem alloquens eundem filium suum :
Tob. 4. 6. & seqq. ,, Omnibus, inquit , *diebus vita tua habeto Deum*
,, *in mente, & cave ne aliquando peccato consentias,*
,, *& pratermittas pracepta Dei nostri. Ex substantiâ*
,, *tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam*
,, *ab ullo paupere : ita enim fiet, ut nec à te averta-*
,, *tur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto mi-*
,, *sericors.* Item paulò pòst : *Attende tibi ab omni*
,, *fornicatione , & prater uxorem tuam nequaquam*
,, *patiaris crimen scire. Superbiam nunquam in tuo*
,, *sensu dominari permittas: in ipsâ enim initium sum-*
,, *psit omnis perditio.* Et item non multò pòst :
,, *Consilium semper à sapiente perquire : omni tem-*
,, *pore benedic Deo, & pete ab eo ut vias tuas dirigat,*
,, *& omnia consilia tua in eo permaneant.* Item
,, idem: *Audite fily mei patrem vestrum: servite Do-*
,, *mino in veritate, & inquirite ut faciatis qua sunt*
,, *beneplacita illi, & filys vestris mandate, ut faci-*
,, *ant justitias & eleemosynas , ut & sint memores*
,, *Dei, & benedicant eum in omni tempore in ve-*
ritate, & in totâ virtute suâ".

DLII. Hæc sunt documenta, saltem potissima, quæ de Regum ac subditorum erga Deum, & se invicem, obligatione, in Parisiacâ illâ Synodo fuerunt tradita atque sancita : quæ penè omnia, intermixtis etiam alijs quibusdam eòdem spectantibus, denuò replicata stabilitaque fuère in Synodo secundâ Aquisgranensi post septennium habitâ, eodem Ludovico Pio adhuc imperante, anno Imperij sui XXIII. qui fuit annus Christi DCCCXXXVI. Eadem prætereà, pro magnâ saltem parte, reiterantur in Moguntiacâ Synodo, quæ Arnulpho Carolomanni filio regnante post quinquaginta circiter annos celebrata est ; ex quâ brevem quandam sententiam huc spectantem §. 534. descripsimus : ut proinde documenta ista non unius, sed trium omninò Synodorum authoritate censeri debeant stabilita ; accedentibus insuper suffragijs vetustiorum Patrum, quos eædem Synodi in confirmationem suarum Sanctionum adducunt. Quibus haud importunè adijci hìc potest illa Synodi VIII. Toletanæ, anno Christi 653. habitæ, admonitio salutaris ad Reges :

A. Synod. Tolet. VIII. in Decreto finali. [A] Reges deinceps jure conditi habeant in re-
,, gendo corda sollicita, in operando facta
,, modesta , in decernendo judicia justa , in
,, parcendo pectora prompta , in conquirendo
,, studia parca, in conservando vota sincera:
,, ut tantò gloriam regni cum felicitate re-
,, tentent , quantò jura regiminis & mansue-
,, tudine conservarint , & æquitate direxe-
rint". Sed pleniùs de officio tam subditorum erga Reges , quàm Regum erga subditos , & utrorumque erga Deum , tractatur in Synodo IV. Toletanâ cap. 75. cujus Decretum renovatur in Synodo V. cap. 2. & in VI. cap. 18. in quibus respectivè locis ipsa quarta Synodus appellatur *universalis* : non quòd fuerit simpliciter œcumenica , sed quòd ex omnibus Hispanicæ Nationis ditionibus , Sesinando tunc Regi subjectis , congregata extiterit. Sic itaque illic sancitur:" Quicunque amodò ex
,, nobis , vel cunctis Hispaniæ populis, quali-
,, bet meditatione , vel studio, Sacramentum
,, fidei suæ, quod pro patriæ salute , gentisque
,, Gothorum statu , vel incolumitate Regiæ
,, potestatis pollicitus est, violaverit, aut Re-
,, gem nece attrectaverit , aut potestate regni
,, exuerit , aut præsumptione tyrannicâ fasti-
,, gium regni usurpaverit : anathema sit in
,, conspectu Spiritûs Sancti , & Martyrum
,, Christi; atque ab Ecclesiâ Catholicâ , quam
,, perjurio profanaverit , efficiatur extraneus,
,, & ab omni communione Christianorum
,, alienus: neque partem habeat justorum , sed
,, cum diabolo & Angelis ejus condemne-
,, tur æternis supplicijs , unà cum eis qui eâ-
,, dem conjuratione nituntur : ut par pœna
,, perditionis constringat , quos in perniciem
,, prava societas copulat. Et ideò si placet
,, omnibus , qui adestis , hæc tertiò iterata
,, sententia , vestræ vocis eam firmate con-
,, sensu. Ab universo clero & populo dictum
,, est : *Qui contra hanc vestram definitionem præ-*
,, *sumpserit, anathema maranatha, hoc est, perditio, in*
,, *adventu Domini sit; & cum Judâ Iscarioth partem*
,, *habeat & ipse, & socij ejus : Amen.* Quapropter
,, nos ipsi Sacerdotes omnem Ecclesiam Chri-
,, sti ac populum admonemus, ut tremenda
,, hæc & toties iterata sententia nullum ex
,, nobis præsenti atque æterno condemnet
,, judicio : sed fidem promissam erga Glorio-
,, sissimum Dominum nostrum *Sesinandum* Re-
,, gem custodientes , ac sincerâ illi devotione
,, famulantes , non solùm divinæ pietatis cle-
,, mentiam in nobis provocemus , sed etiam
,, gratiam antefati Principis percipere merea-
,, mur : Amen. Te quoque præsentem Re-
,, gem , futurosque sequentium ætatum Prin-
,, cipes, humilitate quâ debemus deposcimus,
,, ut moderati & mites erga subjectos exi-
,, stentes , cum justitiâ & pietate populos à
,, Deo vobis creditos regatis ; bonamque vi-
,, cissitudinem Largitori Christo , qui vos no-
,, bis constituit , rependatis : regnantes in
,, humilitate cordis, cum studio bonæ actionis.
,, Nec quisquam vestrûm solus , in causis ca-
,, pitalium rerum , ferat sententiam ; sed con-
,, sensu publico , cum rectoribus , ex judicio
,, manifesto delinquentium culpa patescat;
,, servatâ à vobis in offensis mansuetudine,
,, ut non severitate magis in illis , quàm in-
,, dulgentiâ polleatis : ut dum omnia hæc,
,, authore Deo , pio à vobis moderamine
,, conservantur , & Reges in populis , & po-
,, puli in Regibus, & Deus in utrisque lætetur.

Sanè

„ Sanè de futuris Regibus hanc ſententiam „ promulgamus, ut ſi quis eorum contra re„ verentiam legum, ſuperbâ dominatione, „ & faſtu regio, in flagitijs & facinore ſive „ cupiditate crudeliſſimam poteſtatem in po„ pulos exercuerit, anathematis ſententiâ „ à Chriſto Domino condemnetur, & habeat „ à Deo ſeparationem atque judicium, pro„ pterea, quòd præſumpſerit prava agere, & in perniciem regnum convertere". Hæc ſunt quæ in prædictis Toletanis Synodis de Regum officio, necnon de reciproco ſubditorum erga ipſos obſequio, traduntur, inculcantur, ſanciuntur, ingeminantur, renovantur, & ſub tantis comminationibus atque execrationibus obſervanda indicuntur. Quæ denuò in Synodo XVI. Toletanâ, cap. 10. reſtabiliuntur. Quapropter cùm jam expedita ſint omnia ſex puncta, quæ cap. 3. n. 7. diſcutienda ſuſceperamus, ſupereſt ut primo iſti libro finem imponamus; & alterius libri expeditioni nos, Deo duce & vitâ comite, accingamus: in quo potiſſimùm annitemur perpetuam ſtabilitatem Eccleſiæ, per Samuëlis diploidem à Saule ſciſſam figuratæ, aſtruere; & funeſtum eorum exitum repræſentare, qui, in Saule figurati, diſſolvere ejus unitatem aut luxare firmitatem attentarunt. De quibus ipſa olim per Pſalmographi organum conquerens; & ſimul ſibi de victoriâ applaudens, atque ultionem divinitùs infeſtatoribus ſuis impendentem approbans, aiebat: *Sapè expugnaverunt me à juventute meâ: etenim non potuerunt mihi. Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem ſuam. Dominus juſtus concidit cervices peccatorum. confundantur & convertantur retrorsùm omnes, qui oderunt Sion.* In quem locum Proſper, abbrevians diffuſiorem Auguſtini commentationem: [a] Prophetiæ „ Spiritus; inquit, Eccleſiam Dei ad perſe„ verantiam cohortatur: ut de ſuperatis per„ ſecutionibus in Domino glorietur. Ab ini„ tio enim in Sanctos, qui ſunt *Iſraël*, impij „ ſævierunt: ſed Eccleſia, ſive in juventute „ ſuâ, ſive in ætate majore, ſive in ſenectute „ ultimi jam ſæculi; nullis oppreſſionibus, „ nullis eſt victa ſupplicijs; cui per paſſiones, „ & mortes ſuorum, coronæ ſemper triumphique creverunt":

Pſal. 128. 2. & ſeqq.

a. Proſp. in Pſalm. 128.

FINIS LIBRI PRIMI.



INDEX

INDEX SCRIPTVRARUM

Primo Libro citatarum.

Genesis.

Exodus.

Leviticus.

Numeri.

Numeri.

Deuteronomium.

 20. *Dicent-*

Iosue.

Iudicum.

Regum primus.

2. *Quo-*

Regum secundus.

Regum tertius.

Regum quartus.

Paralipomenon primus.

Paralipomenon ſecundus.

Eſdræ primus.

Tobias.

16. *Quod*

Judith.

Esther.

Job.

41. 24. Factus

Psalterium.

Proverbia.

Ecclesiastes.

Cantica.

Sapientia.

Ecclesiasticus.

 14. Si

Isaias.

Hieremias.

Threni.

Baruch.

Ezechiël.

16. 49. Hæc

Daniël.

Osee.

Joël

Amos.

Abdias.

Jonas.

Michæus.

Nahum.

Habacuc.

Sophonias.

Aggæus.

Zacharias.

Malachias.

Machabæorum primus.

Machabæorum secundus.

Matthæus.

10. Ne con-

Marcus.

Lucas.

Joannes.

Actus Apostolorum.

Epistola ad Romanos.

11. Non

8. Dico

Epistola prima ad Corinthios.

Ad Corinthios secunda.

7. 1. Munde-

Epistola ad Galatas.

Ad Ephesios.

Ad Philippenses.

Ad Colossenses.

Prima ad Thessalonicenses.

Ad Thessalonicenses secunda.

Ad Timotheum prima.

Ad Timotheum secunda.

Ad Titum.

Ad Hebræos.

Epistola B. Jacobi.

Epistola B. Petri prima.

B. Petri secunda.

Epistola B. Joannis prima.

Epistola B. Joannis secunda.

Epistola B. Judæ.

Apocalypsis B. Joannis.

INDEX
RERUM ET VERBORUM
LIBRI PRIMI.

Numerus vel numeri indicant paragraphum vel paragraphos.

A.

Verbera

ALEX.

Nullum

Addit

Ubi pri·

INDEX RERUM

erroris

Fasci-

Gersonis

INDEX RERUM

Subortz

cum

Canoni-

Regula

An posse

Martyrij

Menda-

INDEX RERUM.

Peccata

C[illegible]

Quid

Macenatis

INDEX RERVM.

Non

S.

SABBATUM.

Aa

Principibus

Dum

SYLVESTER.

INDEX RERUM.

Meminit